Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Esaias propheta, : commentariis explicatus,

https://hdl.handle.net/1874/428631

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Kast 109
Pl. E N°.3

~~25.~~
t.
N.º 36. n.





N. 27. C.

ESAIAS PROPHETA, COMMENTARIIS EXPLICATVS,

AVTORE
IOANNE BRENTIO.

VSVS PROPHETARVM
i. Petri i.

Reportantes finem fidei ueſtræ, Salutem animarum, de qua Salute exquiſierunt, & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati ſunt, Scrutantes ad quem aut cuiuſmodi temporis articulum ſignificaret, qui in illis erat SPIRITVS CHRISTI, qui priuſquam acciderent, teſtabatur uenturas in Chriſtum afflictiones, & quæ has ſecuturæ eſſent, glorias, quibus & illud reuelatum eſt, quod haud ſibi ipſis, imo NOBIS miniſtrarent hæc &c.

Μή τις πολυπραγμων εἰσί τω.



Ex donatione Buchelii

FRANCOFORTI EX OFFICINA TYPOGRAPHICA PETRI BRVBACHII, ANNO DOMINI MILLESIMO QVINGENTESIMO QVINQVAGESIMO, MENSE VERO SEPT.

ACADEMIA



IOANNES BRENTIVS PIO LECTORI S. D.



ANNVS, opinor, ſextus iam agitur, ex quo cœpi Eſaiam Prophetam, publicè, pro mea tenuitate, in eccleſia interpretari. Nam, cùm homines ad agnitionem ueri Dei, patris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad pœnitentiam, ad fidem in filium DEI, ad inuocationem Dei patris per filium, ad nouitatem uitæ, ad obedientiam, & gratitudinem, quam debemus Deo ſeruatori noſtro, cœleſti doctrina erudiendi & excitandi ſunt, iudicaui nullum, ad huius argumenti tractationem, aptiorem librum, ſcripto Eſaiæ Prophetæ, deligi poſſe. Et quia non Apoſtoli tantum, uerum etiam Deus ipſe pater de cœlo, & filius eius, ſæpe ac multum ex hoc Propheta concionati ſunt Eccleſiæ ſuæ, putaui noſtri eſſe officij, ut omne ſtudium in cognoſcendis concionibus eius collocaremus. Sed priuſq; abſolui, quod inſtitueram, inciderunt difficillima & acerbiſſima tempora, quibus inſtaurata ueteri impietate, haud paucæ Eccleſiæ pijs ſuis paſtoribus nudarentur, & ego quoq;, quòd corruptelas piæ doctrinæ non approbarem, in exilium extruderer. Quare magnum me operæ precium facturum exiſtimaui, ſi mihi hunc Prophetam, comitem peregrinationis meæ adiungerẽ, ut qui ciues ſuos ad ſuſcipiendum forti animo, & certa ſpe liberationis, triſtiſſimum illud Babylonicum exilium, poſt multos demum annos futurum, cõcionibus ſuis longè antè præparauerat, mihi quoq; has graues ærumnas cœleſti ſua doctrina mitigaret. Nec ſpe mea fruſtratus ſum. Etſi enim ea eſt huius ſeculi conditio, & noſtræ carnis imbecillitas, ut

fieri non posit, quin afflictionum προσκοπαὶ suis temporibus recurrant: interea tamen, dum quod reliquum erat in hoc Propheta explicandum, cogitatione percurro, & literis mando, non uidebar mihi in terra exul, sed in cœlo ciuis & domesticus esse. Volui igitur has meas in Esaiam cogitationes, in lucem dare, partim ut cùm hoc tempore è publica ministerij functione expulsus sim, redderem Ecclesiæ ocij mei rationem: partim, ut cùm propter doctrinam patimur persecutionem, hic commentarius publicum diceret testimonium, quòd non propter hæresim aliquam, uel ab alijs acceptam, uel à nobis excogitatam, sed propter doctrinam uerè piam, adeoq; Propheticam, Apostolicam, Catholicam & Orthodoxam, morti tota die (ut Psalmus loquitur) tradamur, & uelut oues mactationi destinatæ habeamur. Etsi enim hi, qui nos persequuntur, uendicant sibi, damnatis nobis, nomen Catholicorum & Orthodoxorum, tamen & uetus est, quòd Cain, Ismaël & Esau usurpent sibi, derisis, expulsis, & occisis hæredibus à Deo electis, paternam gloriam: & solenne est in hoc seculo, quòd uirtutum nominibus uenditent sese uitia. Sed quales illi sint, & quæ sentiant, obscurum non est, & si quid est obscurum, patefaciet dies ille Domini nostri Iesu Christi. Nos certe coram Deo Patre, et filio eius Domino nostro Iesu Christo, ac Spiritu sancto profitemur & testamur, quòd indubitata fide agnoscamus & amplectamur Prophetica et Apostolica scripta, Quos libros uocãt Canonicos Veteris ac Noui Testamenti, in quibus Solis continetur ea doctrina, quæ est fundamentum, super quod superstructum est, ut Paulus ait, templum Sanctum DOMINI, summo angulari lapide ipso Iesu Christo, & quæ est potentia Dei ad Salutem omni credenti. Et quia hæc scripta Prophetica & Apostolica collata sunt à pijs maioribus nostris, in tria breuia Compendia, quæ Symbola uocant, quorum unum dicitur Apostolicum, alterum Nicænum, tertium Athanasij, agnoscimus & amplectimur etiam hæc symbola, & laudamus maiorum nostrorum consilium & diligentiam, quòd præcipua uerè piæ doctrinæ capita in tam breuia compendia contulerint, & ad posteros propagarint. Deinde postquàm in controuersijs de doctrina religionis sua sunt ecclesiæ iudicia, agnosco & amplector Concilia maiorum nostrorum, quatenus quidem dogmata eorum scriptis Propheticis & Apostolicis probata sunt, & decreta eorum uerè ad Ecclesiæ ædificationem

cationem faciunt. Sed omnia, inquiunt, dogmata & decreta Concilio-
rum agnoscenda & approbanda sunt. Quid? an etiam ea, quæ cum
sacra Scriptura pugnant? Quid igitur illud, Si angelus è cœlo præ di-
cauerit aliud Euangelion, anathema sit? Quid itẽ illud: Cauete à pseu
doprophetis, et à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum? Sed re
spondent, Spiritum Sanctum ecclesiæ ita addictum, ut non sinat eam in
errores, et falsa dogmata prolabi. Primum, nõdum certò constat, quòd
omnia Pontificum, et Satellitum eorum Concilia sint uera Dei eccle-
sia. Etsi enim hi profiteri solent se nomine Christi et Ecclesiæ eius con-
uenire, tamen fieri potest, ut nullus eorum sit uerum ueræ ecclesiæ mem-
brum. Et ut maximè sint inter ipsos aliquot uerè pij, tamen hi, ut sunt
paucitate sua bene numerabiles, ita solent à maiori parte uinci. Non
est omnium, inquit, fides. Et, Pauci sunt electi. Deinde, Spiritus san-
ctus non est ita ecclesiæ addictus, ut aut non sinat in ea suas hærere im-
becillitates, aut non concedat de dogmatibus eorum, qui se ecclesiæ no-
mine conuenire profitentur, iudicare. Dubium quidem non est, quin
Spiritus sanctus tradiderit & commendauerit nobis Prophetica &
Apostolica Scripta ea authoritate, ut nulli hominum liceat de certitu
dine & ueritate doctrinæ eorum dubitare, sed ab omnibus exigat, ut
exhibeant eis sine ulla tergiuersatione fidem & obedientiam. De dog-
matibus autem & decretis aliorum non solum permittit iudicium, ue-
rumetiam refutare iubet, si quid cum illis Scriptis pugnans deprehen-
datur. Alioqui quorsum pertineret illud, Prophetæ duo aut tres lo-
quantur, & cæteri diiudicent? Et illud, Spiritus prophetarum pro-
phetis subijciũtur. Et, Omnia probate, quod bonum est tenete. Et, Pro
bate spiritus, num ex Deo sint. Sed de cõciliis hactenus. Neq; enim uo-
lui de his in præsentia disputationẽ instituere. Venio ad Scriptores,
nõ hos recentiores scholasticos, qui ut ingenuè fatear, quod sentio, haud
ita multum, ne quid grauius dicam, bene de nobis meriti sunt, sed illos
ueteres Ecclesiasticos. Hos ut multum amo, ita caniciem eorum reue-
renter ueneror, ac sentio eos plurimum utilitatis in Ecclesiam confer-
re. Primum enim tradunt nobis in manus scripta Prophetica & A-
postolica, & sunt publici testes, quòd ea non sint recens conficta &
conscripta, sed iam inde ab initio, de ætate in ætatem, ad nos usq;
propagata, & cœlestibus miraculis confirmata. Deinde bonam ope-
ram nauarunt, quòd non solum libros sacræ scripturæ Commentarijs

& Homilijs suis illustrare pro uirili conati fuerint, uerumetiam multa dogmata religionis nostræ, aduersus hostes eius diligenter & erudite propugnauerint. Et tamen quia nec ipsi exigunt, ut scripta ipsorum æquentur Propheticis & Apostolicis scriptis, & omnia eorum sensa, præsertim ea quæ non sunt diuinæ scripturæ autoritate corroborata, habeantur pro cœlestibus oraculis, non debet nobis fraudi esse, si cubi ab ipsorum opinionibus ad Prophetas et Apostolos appellauerimus. Damnamus autem & detestamur omnem doctrinam & cultum, pugnantem cum doctrina Prophetica & Apostolica, & cum Symbolis illis, quæ huius doctrinæ Epitomen continent. Nam ea quæ Concilia, præsertim insignia illa quatuor, Nicæni, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, autoritate sacræ Scripturæ aduersus impia hæreticorum dogmata definierunt, et Ecclesiastici Scriptores testimonijs scripturæ defenderunt, non iam amplius pro hominum, sed pro spiritus Sancti decretis agnoscimus. Nunc, cùm ita uerè credamus, sentiamus, ac profiteamur, quid, obsecro, est Catholicum & Orthodoxum, si hoc non est? Et quid amplius à nobis, etiam seuerissimus iudex, modo non iniquus, exigere potest? Reprehendimus quidem nonnulla dogmata, & Sacra, quorum alia ex ueteribus Scriptoribus parum dextrè intellectis accepta sunt, alia non impiè quidem à maioribus instituta, sed nunc impijs opinionibus sordidata, & in aliud genus mutata, alia nullo certo autore ad nos propagata, alia ex Monachorum & Scholasticorum tantum somnijs in Ecclesiam introducta, alia mera hominum libidine & superstitione usurpata, Sed hoc est ministerij Ecclesiastici officium, ut non tantum pia & sana doceas, uerum etiam impia & pernicioſa refutes. De iustificatione docemus, quòd coram tribunali Dei, cùm accusamur peccati, non sit seuero iudicio DEI opponenda nostra iustitia, quæ aut nulla est, aut imperfecta, sed sola iustitia filij DEI, & quòd solo hoc filio Dei Iesu Christo mediatore & seruatore nostro sit fidendum. Hoc enim est, quod Paulus ex Prophetica Scriptura docet, nos iustificari fide absq; operibus legis. Alij autem docent, non solo Christo fidendum, nec iudicio DEI solam Christi iustitiam, sed etiam nostram ipsorum iustitiam opponendam esse. Hoc enim sibi uolunt, cùm ex hoc Iacobi dicto, sed perperam intellecto, Abraham, nonne ex factis iustificatus est? docent nos meritis factorum nostrorum expiare peccata coram Deo, &

conse-

consequi æternã uitam. Quæso igitur te, utra doctrina est Catholica & Orthodoxa? Num ea, quæ est perspicuè tradita ab Apostolo, et cõfirmata Propheticis testimonijs, an ea, quæ est à Monachis, ex dicto Scripturæ perperam intellecto, uulgata? De Inuocatione docemus ex Propheticis et Apostolicis scriptis, Solũ Dominũ Deum nostrum solo nomine filij sui Iesu Christi inuocandum esse. Alij autem docent non solum Deum, nec solo nomine filij Dei, sed etiam homines mortuos inuocandos, & mortuorum nomine salutem sperandam, idq; uidentur sibi probare, ex eo, q; Patriarcha Iacob ad nepotes suos dicit, Inuocetur super eos nomen meum, & nomina patrum meorum, Abraham et Isaac. Et ex dictis ueterum quorundam Scriptorum, qui suscipiunt aliquoties, figura illa grammatica, quam Prosopopœiam uocant, colloquium cũm mortuis. Vtra igitur doctrina est Catholica, & Orthodoxa? Num ea, quæ habet certa & manifesta testimonia Prophetarum & Apostolorum, an ea, quæ spargitur sine ullo sacræ Scripturæ uel mandato, uel exemplo, sed tantum ex quibusdam dictis ueterum uel falso intellectis, uel etiam deprauatis? De bonis operibus docemus, quòd ea, quæ Deus præcepit, necessario facienda sint: sed quia non fiunt à nobis ea perfectione & integritate, quam lex Dei exigit, non sit ijs coram Deo gloriãdum, ut qui gloriatur, in Domino tantũ, hoc est, in sola iusticia, sanctificatione, & redemptione filij Dei glorietur. Alij autem docent, nos posse non tantum debita illa opera, quæ Deus præcepit, uerũ etiam opera non debita, quæ uocãt opera Supererogationis, facere, significãtes nos plura posse operibus nostris præstare, q̃ lex Domini requirit, ut nõ tantũ in Domino, et in iusticia filij Dei, sed etiam in nobis ipsis, et in nostris iusticijs gloriemur. Iudicet ergo, quisq; sana mente præditus est, utra doctrina sit uerè Apostolica, Catholica et Orthodoxa. De cœna Dominica, in qua et panis ad edendum, et uinum ad bibendum proponuntur, docemus, quòd sit instituta à Christo filio Dei, ad cõmemorandũ seu prædicandũ beneficium mortis eius, et ad cõiungendã sibi Ecclesiã cõmunicatione corporis et sanguinis sui, ut confirmemur fiducia, et obsignemur certitudine cœlestis hæreditatis. Alij aũt docent, quòd etsi Christus in dispensatione corporis & sanguinis sui instituit usum panis & uini, quem usum retinuit etiam multis annis Apostolica et Catholica ecclesia, tamen liceat Pontificibus hãc Christi institutionem, & hunc Catholicæ ecclesiæ usum mutare, ac

Laicis, ut uocant, alteram cœnæ partem, quæ est uinum, auferre. Docent item beneficium mortis Christi non esse in cœna ipsa prædicandum. Hoc enim sibi uult, quòd prohibent, ne uerba consecrationis, ut uocant, in cœna publicè recitentur, sed tantum secreto mussitentur. Nam ea uerba sunt commemoratio et prædicatio mortis Christi. Docent item cœnam Christi priuatim offerendam seu sacrificandam esse, ut hoc Sacrificio expientur peccata uiuorum & mortuorum: uel sicut nunc alijs quidem uerbis, sed eadem sententia loqui solent, applicetur meritum Christi uiuis et mortuis. Quod cùm nunq̃ nec filio Dei, nec Apostolis, nec uerè Catholicæ ecclesiæ in mentem uenit, qua fronte audent isti hæc commenta nobis, pro oraculis Catholicæ Ecclesiæ obtrudere? Allegant quædam dicta Scripturæ, sed falso ab ipsis exposita. Allegant quosdam Ecclesiasticos scriptores, qui uocant cœnam Dominicam, Sacrificium. Sed hi seipsi interpretantur, quòd per sacrificium intelligant sacrificij prædicationem. Allegant Dionysium quendam, de quo iactant, quòd Apostolicos ecclesiæ ritus literis suis mandauerit, sed si illi ritus sunt Apostolici, cur ipsi tam procul ab illis ritibus recesserũt? Cur ausi sunt eos partî omittere, partim mutare? Et ubi fit ulla in Dionysio mentio priuatæ eorum Missæ? Sed quid opus est singula doctrinæ nostræ capita recensere? Ecce tibi, amicissime Lector, ecce tibi mea dilectissima mater Sancta Catholica ecclesia, electa Sponsa filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, hunc meum Cõmentarium in Esaiam, qui, spero, testis meus erit in cœlo & in terra, quòd non solum de uera tua doctrina rectè sentiam, sed etiam, quòd tuam pudicitiam inuiolatam, tuam authoritatem sacrosanctam, tuam maiestatem illustratam, tuam dignitatem saluam, & auctam, denicq; tuam salutem perpetuo conseruatam, ex animo cupiam. Itaq; non dubito, quin me pro uero & [illegible] tuo filio, ut ut alij sentiant, agnoscas. Iactant quidẽ illi multis et grãdibus uerbis, salutem tuã sibi maximæ oĩm curæ esse, et solis sibi te uẽdicare studẽt, quo etiã prætextu nobis aqua et igni interdicunt, imò nos aqua obrutos, aut igni consumptos cupiunt: sed si tã abiecti essent, in hoc seculo, quàm potentes sunt externa dominatione, & si tam numerabiles essent paucitate sua, quàm sunt illustres multitudine, non auderent præ summa doctrinæ suæ uanitate, & extrema uitæ suæ fœditate oculos suos coram honesto uiro attollere, tantum abest, ut publicè in conspectu DEI & hominum de suo in conseruanda pu-

da pudicitia tua studio gloriarentur. Sed erit tempus, tempus inquam erit, ueniẽs ueniet et non tardabit, quo Sponsus tuus Dominus noster Iesus Christus de his omnibus rebus probè & rectè pronunciabit. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. *Ego ad Esaiam reuertor, quem ut non dubito, quin omnes uerè pij summa obseruantia complectantur, ita uereor, ut curiosis satisfaciat. Præfixerunt quondam nonnulli scholæ suæ hoc dictum, Nullus* ἀγεώμετρος *ingrediatur. Multo rectius uestibulo huius Prophetæ præfigeretur illud, Nullus* πολυπραγμων *ingrediatur. Est enim odiosum hominum genus, quod cùm audit Esaiam habere maximam in Ecclesia authoritatem, non expectat ab ipso, nisi supercœlestia, & ut isti loquuntur,* ὑπέρσοφα, ὑπεραγαθα, ὑπέρθεα, ὑπερούσια, καὶ παντα ὑπέρτατα. *Qua expectatione cùm falluntur, fastidiunt & abijciunt extremo contemptu, non hunc tantum Prophetam, uerumetiam uniuersam sacram scripturam. Quare, ut dicam, quod res est, non inuito te ad huius Prophetæ lectionem, ut noua quædam, & insolita, & inaudita audias, sed ut uetera, uulgata, & iam in Ecclesia decantata cognoscas. Continet quidem aliquot conciones de statu, imo de casu Gentium & Regnorum sui temporis, quæ nimia sua uetustate, nobis nunc noua uideri possent, sed summa oĩm concionum eius eò tendit, eò spectat, ut tradat usitatam Ecclesiæ doctrinã. Nihil in Ecclesia uulgatius, nihil usitatius est Symbolo Apostolico. Hoc non senes tantum, non uiri tantum, sed & pueri et mulierculæ cõmemorant, recitant, cantillant. Et tamen si conciones Esaiæ diligentissimè inspicias, re ipsa comperies, eas maximè omnium hoc agere & urgere, ut credamus in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, et in unigenitum filium eius Christum Dominum nostrum, uerum ab æterno Deum, natũ hominem ex uirgine, passum, mortuum quidem, sed qui à mortuis resurrexerit, & sedeat ad dextram Dei patris, iudicaturus omnem carnem. Similiter ut credamus in spiritũ sanctum, quo hæ conciones Christum ita ungunt et ornant, ut nobis et hũc et illum uerũ Deum colendũ et adorandum cõmendent. Addunt multa et insignia de Sãcta Catholica ecclesia, hoc est, de ecclesia per Apostolicam doctrinam ex omnibus gentibus collecta, ac de remissione peccatorum, de Resurrectione mortuorũ, et æterna uita, in qua impij perpetuo supplicio afficientur, pij autem perpetuo cœlestis regni gaudio fruentur. Hæc docet Esaias disertis aliquoties uerbis, hæc requirenda*

sunt in Esaia, hæc expectanda sunt ab Esaia. Sed quid? Num quia uulgaria sunt, & à pueris, senibus, & mulierculis decantata, iudicanda sunt puerilia, delyria, & anilia? Sed profecto tanti sunt momenti, ut in his explicandis omnes Prophetæ & Apostoli occupentur, & sint potentia Dei ad salutem omni credenti. His ecclesia munitur aduersus omnem tyrannidem Satanæ, aduersus omnem sæuiciem mortis & inferni, ac seruatur in omnibus periculis ad percipiendam æternam cœlestis regni hæreditatem. Et quia post Dauidem, nullus, præter Esaiam, extat Propheta, qui hæc grauius, copiosius, disertius, & magis perspicuè exponat, sentiamus Esaiam, principem inter cœlestis & uerè salutaris doctrinæ interpretes locum tenere. Vetus tragœdia conqueritur, de maiorum ineptijs & insipientia, quòd excogitauerint uaria carminum, & Musicorum instrumentorum genera, quibus conuiuia καὶ εἰλαπίναι, quæ alioqui suam secum afferunt uoluptatem, redderentur grata et iucunda, nullam autem inuenerint musicam, qua, quod maximè omniũ necessariũ esset, Stygias dolores mitigarent.

Euripides ἐν Μηδείᾳ.

Στυγίας δ' ἀχέροντος οὐδεὶς λύπας
Εὕρετο μούσας καὶ πολυχόρδοις
Ὠιδαῖς πάύειν.

Sed non suscepisset has querelas, si ei notus fuisset noster Esaias. Hic enim spiritu sancto excitatus, eam nobis musicam, eos hymnos, eas cantiones & conciones, proponit, quibus Stygij dolores ecclesiæ Dei ita mitigantur, ut non solum è cordibus piorum eximantur, uerum etiam cœlestia & æterna gaudia in locum eorum reponantur. Quæ, ut hoc commentario ostenderem, & Ecclesiæ utenda proponerem, non puto, negligenter, pro diuinæ clementiæ dono, conatus sum. Quare spero hoc scriptum, non tantum publicum fore monumentum uoluntatis meæ erga ecclesiam uerè Catholicam, & sententiæ meæ de uerè pia nostræ religionis doctrina, sed etiam allaturum Ecclesiæ nonnihil utilitatis, ac precor Deum patrem DOMINI nostri Iesu Christi, ut spiritu sancto suo lucem Euangelij, quam his tẽporibus clare accendit, magis propter paucos pios, puram & illustrem conseruet, q̃ propter multos impios & ingratos nouis tenebris obscurari aut extingui sinat: & pascua uerbi sui, multo plus propter pusillum gregẽ ouium suarum illæsa tueatur, q̃ propter multos, magnos, impinguatos, incrassatos, et dilatatos illos boues & tauros infici permittat. Bene ac fœliciter uale, amicissime Lector.

PRAEFATIO



VM mihi diuina ordinatione impositum sit hoc officium, ut extructionem & ædificationem Ecclesię pia doctrina pro mea uirili adiuuem, uisum est, unum e Prophetis seligere, & interpretandum suscipere. Duo enim sunt scriptorum genera, quibus Ecclesia Domini fundata est, Alterum, scripta Prophetica, alterum, scripta Apostolica. Cõciues estis, inquit Paulus, sanctorũ, ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, summo angulari lapide Iesu Christo. Nam hæc sunt illa scripta, quæ, cum sint multis & magnis miraculis confirmata, spiritus sanctus nobis quasi de cœlo porrigit, & inclusit in ea omnem de uera & perpetua nostra salute doctrinam. Quorum etiam tanta est autoritas, ut si angelus de cœlo aliud nobis adnunciaret, execrãdum esset, & pro anathemate habendum. Quare postquam uersati sumus aliquot annos in explicãdis scriptis Apostolicis, non inutile arbitramur, ut admoueamus manus scripto alicui Prophetico, & obedientiam nostram Christo filio Dei, atque Ecclesiæ eius hoc officio probemus. Ex his autem scriptis libet hoc tempore seligere Prophetam Esaiam, qui cum inter præcipuos Ecclesiasticorum heroum, qui unquam in terris fuerunt, cõtineatur, & docuerit uerbum Domini plus minus octoginta, uel ut alij sentiunt, centum annos, pauca quędam de ipso præfanda uidentur. Dicemus igitur primum de familia eius, ex qua natus est. Deinde ostendemus autoritatem eius. Postremo addemus nonnulla de genere doctrinæ eius. Esaias ergo, quem interpretandum suscepimus, natus est ante natiuitatem Christi seruatoris nostri, octingentos circiter annos, quemadmodum palam testatur ratio eorum Regum, quorum temporibus Esaias Prophetico suo munere functus est. Nascitur autem e familia minime obscura, sed illustrissima, ac Regia. Pater enim eius fuit Amos, non Propheta ille, qui in catalogo minorum Prophetarum recensetur, sed is, quem maiores tradiderunt fuisse fratrem Amaziæ Regis Iuda. Et quia Christus descendit e linea Amaziæ, qui fuit patruus Esaiæ, id circo Esaias uocat Christum patruelem suum. Quare, etsi splendor carnalis familiæ non habet aliquem locum in iudicio Dei, nec Esaias electus est in Prophetam propter generis nobilitatem, quippe quod alias Amos e pastore factus sit Propheta, tamen Esaias

Scriptorum duo genera.

Ephes. 2.

Esaiæ familia, autoritas & doctrina.

Esa. cap. 1.

debet nobis tanto cõmendatior esse,quãto coniunctior est tã carne q̃ spiritu,Dño seruatori nostro Iesu Christo. Ac de familia quidẽ eius hæc nunc sufficiunt. Autoritatem autem eius probat non hoc solum,quod adhibitus fuerit a rege Ezechia ad maxima negocia gerenda,idq̃ difficilimis temporibus, sed quod consilio & oratione eius seruata sit urbs Hierusalem,in periculosissima obsidione Assyriorũ. Magna et suspicienda miracula sunt Leprosos sanare,mortuos excitare, quod Elias & Elizæus fecerunt, sed non minus,imo multo maius miraculũ est,totã urbem,totum regnũ,et tot ciues,nõ gladio,non exercitu militum aut equitũ,non bõbardis,nõ sagittis, sed pia oratione coram Deo,incolumes seruare. Cum.n.urbi Hierusalem impenderet extrema internecio ab exercitu Assyriaco, & uideretur de salute non urbis tm̃,sed totius regni Iudæ actum esse, orauit Esaias,& impetrauit etiam,ut quod ante spiritu sancto indicante prædixerat,angelus Dñi interimeret una nocte centum octoginta quinq̃ milia hostium, & tantum terrorem reliquis iniiceret, ut fœdissima fuga sibi salutem quæsierint. Hoc miraculum tãti certe momenti est,ut Esaias non mereatur solum nomen & autoritatẽ Prophetæ,sed etiã patris patriæ suæ. Porro conciones huius Prophetę in tanta semper fuerunt autoritate corã Deo,ut primum,Deus pater ipse,cum de filio suo testimoniũ esset dicturus,utatur uerbis huius Prophetæ. Hic(inquiens de Christo) est filius meus dilectus,in quo mihi complacitum est. Hoc ultimum,In quo mihi complacitum est,scriptum est in hoc Propheta ca. 42. Deinde Christus filius Dei,non solum utitur sæpe ac multũ testimonijs huius Prophetæ,sed etiam apud Lucam suscipit caput sexagesimum primum huius Prophetæ interpretãdum, & texit ex eo integram concionẽ. Sed & angelus ex hoc Propheta concionatur, cum adnunciat Mariæ uirgini,nasciturum ex ipsa Messiam. Dabit,inquiens,illi Dñs Deus sedem Dauid patris ipsius,& regnabit in domo Iacob inæternum,& regni eius non erit finis. Hæc uerba scripta sunt cap. nono. Postremo utuntur & Apostoli in cõfirmatione Euangelij sui testimonijs huius Prophetę, quod longũ esset nunc pluribus indicare. Sed cum sese in expositione Prophetæ per occasionem obtulerit, admonebimus de ea re auditores. Quare cũ tãta sit autoritas Esaię, ut non puduerit nec Apostolos,nec angelos,nec Christum filium Dei,nec Deum patrẽ ipsum testimonijs eius uti,& ex concionibus eius suas cõciones texere,non existimemus, cum recitantur scripta eius,nos audire aniles fabulas,aut Iudaica delyria,sed oracula cœlestia ac diuina,quibus doctrina perpetuę salutis nostræ continetur. Quæ cum ita se habeant,dicemus etiã nunc de doctrina eius. Nã,si paucis uerbis summã & argumentum doctrinæ eius explicare uo-

lueris,

lueris, uno pœnitentiæ uocabulo, omnia dices. Docuit. n. quod fuit omnium Prophetarũ officium, pœnitentiã. Exhortatus est Ecclesiam Dei ad pœnitentiam, ut ueram & perpetuam salutem consequerentur. Manifestum aũt est pœnitentiam primum constare agnitione peccati, quæ excitatur expositione grauitatis & magnitudinis peccati, reuelatione iræ diuinæ, & admonitione ad sectandam perfectam iusticiã, quam lex exigit. Quare Esaias grauissime solet concionari de peccatis populi, & exigit seueriſsime uera ac perfecta bona opera legis, hoc uidelicet agens, ut populus agnoscat grauitatem peccati, & quęrat salutem. Deinde constat pœnitentia fide remissionis pctõrum propter Christum. In explicatione huius partis admirabilis est Esaias. Nam concionatur de Christo & regno eius tam perspicue, ut ueteres tribuerint ei magis Euãgelistæ q̃ Prophetæ nomen. Vix. n. tam clare exponitur Christus in scriptis Apostolicis, cq̃ in hoc Propheta describitur, quemadmodum res ipsa declarabit. Postremo ad pœnitentiam exigitur, non solum ut bona opera ex fide facias, sed etiam aduersa patienter toleres. Est & Esaias in hac parte docẽda ualde mirus. Fuerũt enim tum, cum ipse concionatus est, difficilima tẽpora, præsertim in incursione duorum regum Israelis & Syriæ, & postea regis Assyriorum. Hic magnus fuit labor detinere homines in officio pietatis, et consolari eos, ne de salute uel regni terrestris, donec Messias ueniret, uel regni cœlestis, per Messiã conferendi, desperarent. Obsecro aũt te, cum Esaias tãta beneficia contulerit non solum suis ciuibus, sed etiam uniuersæ Ecclesiæ, quid prẽmij, quid mercedis reportauit ab hominibus huius seculi? Ezechias rex habuit quidẽ eum in magno apud se loco, & precio. Sed impij, quorum semper maxima pars est, deriserunt eum, & ut ipse testatur cap. 57. luserũt eũ, dilatauerunt super ipsum os, & eiecerunt linguã. Accedit huc etiam illud, quod 2. Paralip. 36 de omnibus Prophetis scriptũ est. Mittebat Dñs Deus patrũ suorũ ad illos per manum nunciorũ suorum, &c. At illi subsannabãt nũcios Dei, paruipẽdebant sermões eius, illudebantq̃ Prophetis etc. Ad extremum aũt tantam ingratitudinem reportauit Esaias, ut consectus sit serra in duas partes a rege Manasse, quemadmodum Hebræi testantur, & nostri scriptores assentiuntur. Existimo autẽ hoc genere supplicij affectos fuisse eos, qui proditionis nomine punie bantur, sicuti in Germania proditores solent in quatuor partes diſsecari. Ecce igitur tibi quanta fuerit crudelitas & immanitas tyranni Manasſę, monstri potius q̃ hominis. Is. n. rex non accepisset, nec habuisset regnum Iudę, nisi hoc fuisset ante conseruatum ab Esaia, ut non addam illud, quod Esaias etiam fuerit regij generis, & sanguine Manasſę iunctus. Quid est ingratitudo, quid est crudelitas,

Lactan. li. 4. cap. 11.

si hæc non est? Hoc certe exemplo admonemur nos, ne simus in ferenda hominum ingratitudine impatientes, & ne conquera/mur muliebriter & impotenter de hominum erga nos iniquitati/bus, sed forti aïo feramus aduersa quæq;. Si enim Esaias, tantus he ros, non sanctus tm̃ Propheta, sed etiam liberator & conseruator patriæ suæ, reportauit a suo populo pro beneficijs suis non nisi immanissimam crudelitatem, quid nos habemus, quod de populi ingratitudine conqueramur? Sed etsi ingrati fuerũt homines erga Esaiam, Deus tñ fuit erga ipsum gratissimus, ac rependit ei copio/sissime omnem laborem & omnes ærumnas eius. Non solum eñ conseruauit eum in morte, & dedit ei hæreditatem cœlestis regni, sed etiam tanto honore, multis annis post mortem eius dignatus est ipsum, ut uoluerit angelum uerbis eius adnunciare uirgini con ceptũ Christi filij Dei, quod fuit nuncium longe omnium excellen tissimum, & toti humano generi acceptissimum, ac dixerit etiã ipse uerbis eius testimonium de filio suo: qui honor superat, si quis re/cte perpendit, maiestatem omnium Monarcharum huius terræ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, & beati omnes qui confidunt in eum. Sed de familia, de autoritate, & de doctrina Esaiæ hactenus. Nunc ad ipsas Esaiæ conciones accedamus.

CAPVT I.

VISIO ESAIÆ FILII AMOZ, &c.

Titulus seu inscriptio huius Prophetæ, quæ non est oscitanter prætereunda, ut & tẽpus, quo Esaias cõcionatus est, & argumentum concionũ eius cognoscantur. Ac initio notum est e i. Reg. 9. quod Prophetę quondam dicti fuerint Viden tes, et conciones eorum, Visiones. Ac ueri simile est hanc loquendi consuetudinem ortam esse ex eo dicto, quod in Num. cap. 12. scribi tur. Si quis fuerit (inquit Deus) inter uos Propheta Dñi, in uisione apparebo ei, &c. Prophetarum aũt conciones aptissimo uocabulo dicuntur Visiones, ut significetur, quod Prophetę afferant nõ quę ipsi excogitarunt, sed quæ spiritu sancto reuelante uiderunt, & co/gnouerunt. Huc etiã facit nomen Prophetę. Vocantur Prophetæ, non tm̃ a prędicendo (προφημι. n. significat prædicere. Hinc προφήτης prædictor) sed ab exponẽdo, & interpretãdo, ut Propheta sit, quẽ nos uocare solemus procuratorẽ seu interpretem, qui alterius no/mine uerba facit, & mentem ac sententiam animi eius exponit. Vn de Gen. 20. dicitur ad Abimelech de Abrahamo: Redde uiro suo uxorẽ, & orabit pro te, quia Propheta est, hoc est, Abrahã est dili/gens

Prophetæ dicti Videntes.

Visiones dicte Prophetarum conciones.

gens procurator, qui sciat coram Deo hoīm negocia optime exponere, & pro eis intercedere. Et Exo. 7. Constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus, hoc est, procurator seu interpres tuus, qui noīe tuo uerba coram Pharaone faciat, & sentētiam animi tui exponat. Sic. n. Deus antea de Aarone dixerat: Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuū. Itaq; Prophetæ Dei dicūtur procuratores seu interpretes Dei, qui exponant populo sententiā Dei, uel quid Deus exigat, ut in prēsentia fiat, uel quid bñfi cij aut supplicij futurę sit. Tales Prophetę sunt etiā Apostoli, quia explicuerunt nobis prędicatione Euangelij mentem & sententiam Dei, quod exigat a nobis ut credamus in Christum filium suū. Debent & oēs pij esse tales Prophetę, uidelicet, ut exponant proximo sentētiam Dei, & intercedant p proximo apud Deum. Effundam, inquit, spiritum meum super oēm carnem, & prophetabunt filij uestri, & filię uestræ, &c. Hæc idcirco cōmemorantur nobis, ut admoneamur de officio nostro, & sciamus nos in huncusum positos, ut non solū cognoscamus ipsi sententiam Dñi de perpetua salute, sed etiam doceamus alios, ac simus procuratores Dei inuisibilis. Deinde recensetur populus & locus, in quo Esaias concionatus est, & q̄ sese conciones eius referant. Super Iudam, inquit, & Hierusalem. Esaias. n. cōcionatus est in regno Iuda, & in urbe Hierusalem, & exposuit diuinā sentētiam de populo huius regni & urbis. Hic populus fuit auditor concionū Esaię, & Esaias de rebus huius populi tractauit. Quid ergo? num conciones Esaiæ ad nos nihil pertinēt, sed tm̄ ad Iudam & Hierusalem? Minime oīm. Etsi enim ea quæ de externo regno Iudæ, & de politica fortuna ciuiū Hierosolymitanorū, quæ iamdudum prætierierūt, nihil ad nos pertinent, tm̄ exemplum, & conciones de Christo ac regno eius pertinent ad uniuersam Ecclesiam oīm temporum. Hæc omnia, inquit Paulus, in figura contigerūt illis. Scripta uero sunt propter admonitionē nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Et Petrus: De qua salute scrutati sunt Prophetę, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, &c. Et mox: Quibus & illud reuelatum est, quod haud sibīpsis, imo nobis ministrarēt hæc quæ nunc adnunciata sunt uobis, &c. Sed quomodo hæ conciones Esaiæ ad nos pertineant, & nobis utiles sint, res ipsa, in expositione eorum declarabit. Posthęc, cōmemorantur in titulo Reges, quorū temporibus Esaias concionatus est. In diebus uidelicet Vsiæ, Iothan, Ahaz & Ezechiæ regum Iuda. Videamus nunc quanto quisq; horum Regum tēpore regnauerit, ut etiā cognoscamus, quanto tempore Esaias functus sit prophetico ministerio in terris. Vsias regnauit annis 52. Huius res gestas descripsit Esaias, quēadmodum scriptum est, 2. Parali. 26. Ac Esaias non toto quidē

tempore huius regis cõcionatus est, sed tñ ratio ipsa temporum ostendit eũ non paucis annis sub hoc rege esse concionatum. In cap. vi. huius prophetę manifestũ est Esaiam eo anno, quo mortuus est Vsias, habũisse magnã uisionem, & fuisse in ministerio propheticõ, etsi nonnulli putant eum tunc primum uocatum esse ad munus propheticum. Sed hos refellit titulus, qui hic initio huius libri ponitur, & perspicue indicat, quod Esaias concionatus sit etiam uiuente adhuc Vsia. Ponamus igitur eum uel decẽ uel uiginti annis sub hoc rege concionatũ. Postea Iotham regnauit annis 16. Similiter & Ahaz 16. Ezechias aũt 29. Deinde Manasses regnauit, qui cum occiderit Esaiam, ueresimile est, quod et aliquot huius regis annis concionatus sit: ponamus octo aut decem annos. Confer nunc hos annos in unam summam, & uidebis Esaiam prope cẽtum annos functum esse prophetico ministerio, quo tempore cõcionati etiã sunt Oseas, Amos & Michæas, & paulo ante Ionas, in regno Israel. De qua re admonuit nos diligenter magnus ille piæ doctrinæ instaurator D. Martinus Lutherus in suo χρονικῷ. Itaq; uides hæc tempora fuisse fœliciss ima, sed interim, si externam rerum fortunam consideraueris, fuerunt infœliciss ima. Maximæ fœlicitatis fuit, quod tot Prophetæ eodem tempore concionati sint. Nec unq̃ clarius in populo Israel exposita est lex Dei, nec unquã magis perspicue de Messia & regno eius prædicatum est, q̃ temporibus horum Prophetarũ. Maximæ aũt infœlicitatis fuit, quod his temporibus, primum quidem Galilęa & uniuersa terra Neptalim denastata sit a rege Assyriorũ, & indigenæ captiui abdũcti sint in Assyrios. Postea aũt totum regnũ Israel fuerit a Salmanessare desolatum. In regnũ uero Iuda frequentiss imas incursiones fecerunt Syri, Israelitæ, Idumæi, Philistini & Assyrij, ut & de hoc regno pene conclamatum fuisset. Nec diu etiã post hæc tempora perdurauit, sed fuit a Babylonijs deuastatum. Hæc idcirco nobis cõmemorantur, ut conferas ea tẽpora cum nostris, & si inuenias similem rerum faciem, non dissimilem etiam expectes euentum. In Germania enim nunc̃ clarius prædicatũ est Euangelion Christi, q̃ hoc tempore. Hæc est magna fœlicitas. Sed uide etiam infœlicitatem. His. n. nostris temporibus fuit horribilis seditio agricolarum per totam fere Germaniã. Nouus morbus in Germania grassari cœpit, quem uocant sudorẽ Anglicum. Fuit iam multis annis magna & grauis annonæ caritas. Factę sunt incursiones Turcicę in Germaniam. Et regnum Hungarię finitimum Germanię deuastatũ & occupatum est a Turcis, adeoq; uerum est, quod uulgo dici solet: Nullam unq̃ fuisse prosperã fortunam, postq̃ hi noui concionatores exorti sunt, & si impij nõ recte intelligunt. Quid ergo ad hoc dicemus? Discendus est timor Dñi.

4. Reg. 15.

4. Reg. 17.

2. Paralip. 28

Germaniæ fœlicitas.

&

& resipiscendum est ex uerbo eius. Nam sicut fœlicitas eorum temporum, quibus tot excellentes Prophetæ inter Israelitas fuerunt, attulit secum extremam infœlicitatem & internecionem totius gentis Israeliticę, propterea quod abusi sint sua fœlicitate, nec resipuerint ex uerbo Domini; ita fœlicitas nostrorum temporum, quibus Euangelion Christi clarius prædicatur q̄ unq̄ in Germania prædicatum est, prægnans est deuastatione totius Germaniæ, quæ & certissime imminet, nisi iram Domini per pœnitentiā mitigemus.

AVDITE COELI, ET AVRIBVS, &c.

Scriptū huius Prophetæ Esaiæ distinctum est in sexaginta sex capita. Sed neq̄ tot sunt singulares eius cōciones quot sunt capita, neq̄ totus liber una est continua concio. Nam aliquoties unum caput continet unam concionem: aliquoties duo aut tria capita continent tm̄ unam concionem: aliquoties commemoratur historia uel de Ahazo uel de Ezechia, quemadmodum lectori manifestum est. Sed nec omnes conciones eo ordine scriptæ uidentur, quo dictæ sunt, sicut etiam in Hieremia & Daniele perspicuum est. Suscipiamus ergo hanc Esaiæ cōcionem interpretandam, quæ i. cap. scripta est. Etsi aūt sunt, qui existiment hanc concionem, quemadmodū & illas, quę a ca. ij. usq̄ ad vi. caput sequūtur, dictas esse uiuēte adhuc rege Vsia, tm̄ quia in hac cōcione, quę in principio libri scripta est, dicitur regnum Iuda ita afflictum esse, ut nulla sit in eo sanitas a plāta pedis usq̄ ad uerticē, & alienos deuorare regionem, apparet eam dictam esse, regnante rege Ahazo. Nam sub Vsia & Iothā fuit adhuc tolerabilis status regni Iuda, quemadmodū scriptum est 2. Paralip. 26. & 27. Sub Ahazo aūt, qui post Iothā regnauit in Iuda, facies regni fuit longe oīm miserrima, diuexātibus et diripientibus illud nunc Syris, nunc Israelitis, nūc Idumæis, nunc Philistinis, nunc Assyrijs. Sicut testatur scriptura 2. Paralip. 28. Quare uerisimile est, quod hæc concio, quæ in i. cap. descripta est, dicta sit sub rege Ahazo. In hac igitur concione hortatur Esaias incolas regni Iuda, & auditores suos Hierosolymitanos ad pœnitentiam. Ac initio reprehendit pctā eorum, deinde reprehendit etiam iusticiā ipsorum hypocriticā & superstitiosam. Tertio exigit ueros fructus pœnitētię, & uera bona opera, quæ Deus pręcepit. Postremo, cum uidet nec principes nec subditos meliores fieri uel prędicatiōe uerbi Dei uel supplicijs, promittit reuelandā iusticiam per Messiā, ut pij quidem seruentur, impij aūt perpetuo intereant. Audiamus ergo concionē ipsam Esaiæ. Audite (inquit) cœli, & aurib. percipe terra, qm̄ Dns locutus est. Hoc est exordiū huius concionis, in quo Propheta mouet attentionē. Vocat. n. quasi tragica quadā exclamatiōe, cœlū & terrā, ut audiant suā cōcionē. Hęc inopinata prosopopœia excitat au-

ditores,ut cogitẽt,quid ſibi uelit tam ſeuera cohortatiõ,& ut aures erigãt,ac aĩm attendant. Addit aũt cauſam: Dñs,inquiens,locutus eſt. Non affero humana ſomnia,ſed diuina oracula. Quod loquor non eſt hoĩs uerbũ,ſed Dñi Dei noſtri uerbum. Quæ aũt creatura nõ arrigeret aures ad creatoris ſui uerbũ? Quare cœlũ una cum ſole ſuo ſtare,& terra opus, & ut ita dicã, laborẽ fœcunditatis ſuæ aliquantiſper intermittere deberent, ut audirent uerbum Dei, quod mandato eius ſum prædicaturus. His uerbis Propheta primum cõmendat dignitatẽ uerbi Dei. Tanta.n.eſt eius autoritas,tanta eſt dignitas eius,ut nulla ſit maieſtas uel in cœlo uel in terra,quę non debeat ei cedere. Cum loquitur rex aut Imperator,oẽs aſtant reuerentiſsime,& audiunt obſeruantiſsima attentione, & tñ hi magna ex parte loquũtur,ut nihil aliud dicã,humana,aut potius ſylueſtria & uenatoria,de apris,de ceruis,de ſuibus, aut ſi pręclara,de bellis,de hoĩm laniena, aut ſi utilia,de ĩjs rebus loquuntur,quæ afferunt tm̃ humanam quandam, externam & ciuilem pacem ac tranquillitatẽ. Quę aũt Deus loquitur,afferunt auditori cœleſtem & perpetuam ſalutẽ. Et is eſt Deus,ut etiãſi loqueretur ea quæ ad nos hoĩes parũ pertinerent,tñ ſumma eius maieſtas, & oĩpotentia merentur hoĩm audientiã. Quare nihil nobis prius ſit,q̃ ut audiamus uerbum Dei. Deinde docet Eſaias,quo loco habendũ ſit externũ,& ut dicunt,uocale uerbũ Dei. Quod.n.ipſe cõcionatur,uocale uerbũ eſt, & tñ dicit illud eſſe uerbũ ac uocẽ Dei, ut etiam cœlũ ac terram ad hãc uocem audiendã exhortetur. Sẽtiamus igitur uerbum quod prædicamus,etſi ab hoĩe recitatur,tñ eſſe cœleſte organõ,quo Deus inter hoĩes audiatur,& ſit per illud in hominibus ſpiritu ſancto ſuo efficax. Vnde & Paulus dicit: Euangelion eſt potẽtia Dei,ad ſalutem omni credẽti. Et fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbũ Dei.

Verbi Dei autoritas, dignitas &c.

FILIOS ENVTRIVI ET EXALTAVI,&c.

Poſt exordium ſequitur nunc narratio, in qua reprehendit auditores ſuos impietatis & ingratitudinis, ut ea agnita reſipiſcant. Sunt autem duo, quibus Deus uocat populum ſuum ad ſui agnitionem,pietatem & obedientiam. Alterum eſt,beneficia: alterum, ſupplicia. Primũ ergo Eſaias exprobrat Iſraelitis, quod etſi multis & magnis beneficijs fuerunt affecti,non tñ agnouerint Deum benefactorẽ, nec declararint ſeſe gratos erga ipſum, ſed quo maiora bñficia acceperunt,eo longius a Deo receſſerint. Filios,inquit,magnificaui & exaltaui. Hoc eſt longe oĩm maxĩum beneficiũ. Deus .n.initio adoptauit familiam Abrahę in filios ſuos,propter ſemen Abrahę promiſſum. Ego(inquit)ero Deus eorum. Et iterũ: Filius meus primogenitus Iſrael. Deinde multiplicauit hunc populũ ſuper arenã maris,liberauit eos Ægyptiaca ſeruitute, cõſeruauit eos

Duo ſunt quibus uocamur ad agnitionẽ noſtri.

maximis

maximis miraculis in deserto. Dedit eis terram Canaan. Instituit inter ipsos regnum & sacerdotium. Defendit eos ab externis hostib. Et quod maximum est, promisit se daturum de gente eorum Messiam uerum seruatorem. Quid potest his beneficijs maius & excellẽtius excogitari? Sed quid gratitudinis uicissim reddiderunt Deo benefactori? Spreuerunt, inquit, me, non agnouerunt me. Ac facti sunt multo insipientiores iumẽtis. Bos cognoscit suum dominum, & asinus præsepe domini sui. Israelitæ autem non agnoscunt suum Dñm ac benefactorem, nec agnoscunt suum præsepe. Sed quid? quomodo Israelitæ non agnouerunt Deum, cum tamen semper de Deo gloriati sint? Quid ergo est Deũ agnoscere, quid Deum spernere & abijcere? Deum agnoscere, non est de Deo uerbis gloriari, aut habere quasdam cogitationes de summa Dei maiestate, sed est promissionibus Dei fidem adhibere, & uerbo eius obedire. Deum abijcere est promissiõibus Dei incredulum esse, & uerbo Dei non obedire. Israelitæ autem habuerunt hãc promissionem, quod in semine Abrahæ benedicantur gẽtes, hoc est, quod iustificemur ex fide in semẽ Abrahę, qui est Christus. Hęc promissio fuit præsepe, in quo Israelitæ potuissent saginari, & ad quod in fame iusticiæ & salutis debuissent properare. Sed insipientiores fuerunt asinis, quia contemnentes hanc promissionem, sperauerunt iusticiam ex meritis operum suorum. Hęc est magna impietas. Præterea habuerunt uerbum & legem Dei, ex cuius regula debuerunt facere sacra & instituere reliquam uitam. Hoc fuit præsepe, quod cognoscere debuissent, sed ipsi contẽptis legitimis sacris, sectati sunt aliena uel a seipsis excógitata, uel a finitimis gẽtibus accepta. Et in reliqua uita nihil gẽtibus honestiores fuerunt. Itaq; merito accusantur impietatis & ingratitudinis erga Deum. Ac tolerabile quidem fuisset, si tm̃ abiecissent Deum ac uerbũ eius, hoc aũt detestandum est, quod non simpliciter spreuerint Deum, sed insuper etiam peccata cumulauerint peccatis, et addiderint scelera sceleribus. Non solum. n. nõ obediunt Deo, sed etiam iniurij sunt in Deum, blasphemant Deũ, ac, prsus sese a Deo separant. Quid ergo de ipsis aliud dicas, q̃ esse gentem peccatricẽ, grauem iniquitate, semen nequam, filios sceleratos ac deploratos? quia non tm̃ non obediũt uerbo Dei, sed etiã persequũtur eos qui uerbũ Dei prędicãt, & afficiunt eos contumelijs. Hoc certe est sanctũ Israel blasphemare, & prorsus a Deo discedere. Atq; hęc quidẽ de Israelitis. Quid aũt de nobis Christianis? num Esaias concionatur etiã nobis? Multum per omnem modum, ut supra dictum est. Nam Deus affecit nos Gentes maioribus beneficijs, quam quæ possimus agnoscere. Primum, postquam diuulgauit inter gentes Euangelium suum, adoptauit nos in filios,

Agnoscere Deum, ac spernere Deum quid sit.

propter Christum filium suum. Deinde & si regnum Christi non est de hoc mundo, tñ effecit Deus, ut reges huius mundi fierent nutricij Ecclesię, et agnoscerẽt etiã ipsi Christũ. Itaq; ornauit Ecclesiã, ut principes fere in toto orbe terrarũ subiecerint sese Ecclesiæ. Hęc sunt maxima bñficia tã spũalia & cœlestia, q̃ corporalia & terrena. Quid aũt uicissim fecerunt Christiani? quã ostenderunt Deo gratitudinem? Primum, reliquerunt Euãgelion Christi de gratuita remissione pctõrum, propter Christũ per fidem, & instituerunt Missam & alia sacra in expiationem pctõrum. Deinde in reliqua uita æquant suis sceleribus etiã Ethnicos. Postremo hoc tempore non solum non obediũt uerbo Dei, sed etiam persequuntur illud, & cupiunt extinctum. Hęc est maxima insipientia, & ingratitudo. Ac so lẽne quidem est in hoc mundo, quod homines pro maximis beneficijs reponãt maxima maleficia. Sed quo magis id solenne est, eo turpius, fœdius ac detestabilius est, pręsertim in populo Dei. Nam si quis refert mala pro malis, etsi peccat grauiter aduersus Deum, tñ apud homines uidetur habere quandam excusationem. Qui aũt rependit mala pro bonis, pessima p optimis, is degenerat non ab hominum tm̃, sed etiã a belluarum ingenio. Christus. n. ait, etiam publicanos, pctõres, & gentes diligere eos, qui ipsos diligũt, & benefacere ijs, qui ipsis benefaciunt. Quare, qui refert mala pro bonis, exuit hominem, et peior est ethnicis ac publicanis. Adhęc inter belluas est mutua gratitudo, & testãtur historiæ etiam ferocissimas bestias retulisse gratiã suis benefactoribus. Huc pertinet historia de leone & seruo quam ex Appione recitat Aulus Gellius li. 5. ca. 14. Quæ historia non est accipienda tanq̃ sacrosancta, sed ut uerisimilis, quę nos de gratitudine belluarũ admoneat. Quare qui est ingratus & rependit mala pro bonis, is immanior & truculẽtior iudicandus est bestijs. Cui ergo faciemus ingratum similem, certe nulli alteri, q̃ Satanę. Ingratitudo scelus est prorsus Satanicũ. Nam Satan cum initio creatus esset a Deo per filium suum, & ornatus summis donis, præ omnibus alijs angelis, statim fuit ingratus in Deum benefactorem suum, & arrogans sibi diuinam maiestatẽ, uoluit Christum e sede suę maiestatis deijcere, quod etiã adhuc conatur, ac semper conabitur. Deinde Satan inspirauit etiam Adæ ingratitudinẽ, cum persuasit ei, ut magis suo q̃ Dei uerbo crederet. Itaque Adam ingratus fuit in Deum, quia reputauit Deum mendacem, Satanam autem ueracem. Ex Adamo deriuatur postea ingratitudo in omnẽ carnem. Sed renati in Christo accipiunt spiritum sanctum, quo expurgent naturalem hominis ingratitudinem. Quare danda est nobis opera per Christum, ut fugiamus ingratitudinem, ne una cum Satana inæternum pereamus.

Ingratitudo.

SVPER

SVPER QVO PERCVTIAM VOS VLTRA, &c.

Esaias exprobrauit auditoribus suis, quod nõ fuerint grati erga Deum benefactorem, nec facti fuerint meliores ex beneficijs Dei: nunc exprobrat eis, quod non sint facti meliores e Dei supplicijs. Admonuimus enim supra, quod Deus duplici ratiõe soleat populum suum ad pietatem & resipiscentiam uocare. Altera, beneficijs: altera, supplicijs. Propheta igitur cõmemorat nunc supplicia, quæ Deus intulit regno Iudę, priusq̃ totum deuastaretur a Babylonijs. Ostendimus. n. antea quod Esaias habuerit hanc concionem tempore regis Ahaz. Super quo, inquit, percutiam uos ultra, addentes prȩuaricationem? Cum immisero in populum meũ supplicia, hoc consilio facio, ut populus supplicijs excitati, conuertantur ad me, & resipiscãt. Video aũt quod uos ex supplicijs peiores, q̃ ante fuistis, efficiamini, & impietatem impietati adijciatis. Circũferte, obsecro, oculos uestros & considerate calamitates, quę uobis acciderunt. Regnum Iuda est uelut homo quispiam. In hoc homine, urbs Hierusalem una cum rege & principibus ac habitatoribus suis, est caput & cor. Reliquę urbes ac uiculi cũ suis habitatoribus, sunt reliqua mẽbra. In hoc toto corpore, quid obsecro sanitatis est relictum? Totũ caput est languidũ. Vrbs Hierusalem, quę est caput, mirum in modum est afflicta. Aliæ urbes regni Iuda, quid non calamitatis sunt perpessæ? A plãta pedis usq; ad uerticem non est sanitas in hoc corpore. Nec est ullus medicus, qui restituat ipsum sanitati. Non est nec rex, nec senator, nec princeps, nec sacerdos, nec Propheta, qui possit uulnera huius regni curare, & pristinę sanitati restituere. Tãta est mali magnitudo. Quod autẽ Propheta hactenus metaphora hoĩs et morbi de regno Iuda cõcionatus est, hoc statim exponit simpliciter absq; metaphora. Terra uestra, inquiens, deserta est, ciuitates uestrę succensę sunt igni &c. Hoc prorsus illud est, quod ante metaphorice dixit: Totũ caput languidum, totũ cor mœrens. Non est in eo sanitas a uertice usq; ad plãtam. Et ut huius regni calamitatem oculis subijciat, ac hypotyposi quadã adũbret, addit similitudines: Derelicta est filia Ziõ (sic. n. uocatur regnũ Iuda) sicut umbraculũ in uinea, & sicut tuguriũ inter stipulas. Solẽt. n. aliq̃ties in uineis, hortis, atq; agris extrui domũculę, ad quas custodes diuertũt, ut prędatores botrorũ, pomorũ, & aliarũ frugũ obseruent. Talis igitur facies est, inquit Propheta, regni Iuda. Sicut. n. in agris apparẽt hinc inde parua quędã tugurìola, q̃ nec urbiũ nec uicorũ speciẽ habẽt: ita in toto regno Iuda nulla ciuitas, nullus uiculus integer uidetur. Et ut paucis dicã, totũ regnũ Israel, est ueluti deuastata ciuitas, in qua tm̃ una aut altera domuncula ab incẽdio ignis tuta permãsit. Ac parũ abest, quin totũ regnũ perijsset. Supersunt aũt tm̃ quędam

reliquiæ, quasi si post grandinem relinquatur duntaxat in agris tantum frugum, quantum ad semen sufficit. Sed hæ reliquiæ conseruatæ sunt tantum misericordia & clementia Dei, non suis meritis. Totum enim regnum & omnes ciues eius sic meriti sunt internecionem, ut nisi Dominus conseruasset reliquias ex mera & gratuita clementia, digni fuissent in totum perire, sicut Zodoma & Gomorrha perierunt. Quid ergo? num incolæ regni excitati sunt tanta calamitate, ut resipiscerent? Nihil uero minus. Sed potius addiecerunt impietatem impietati: facti sunt multo peiores & uirulentiores quam antea. Hic nobis quærendum est testimonium scripturæ, de tanta calamitate regni Iuda sub rege Ahaz. Ecce autem percurre mihi uicesimum octauum caput in secundo libro Paralipomenon, quod est uelut commentarius huius cõcionis Esaiæ. Nam Syri, Israelitæ, Idumæi, Philistini, & Assyrij regnum Iuda ita deuastarunt, uix ut aliquam regni speciem retinuerit. Humiliauerat enim, inquit scriptura, Dominus Iudam propter Ahaz regem Iuda, eo quod nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominũ, &c. Primum ergo considerandum nobis est, quod cum Prophe-

Afflictionum & supplicio rum ratio.

ta commemorat calamitates regni Iuda, & exprobret incolis, quod tantis calamitatibus non sint excitati ad resipiscentiam, ut salutem consequerentur, manifeste significet ac doceat, Deum immittere in populum suum afflictiones & calamitates non ut perdat eos, sed ut uocet eos ad pœnitentiam et salutem. Spiritus sanctus enim, cum facit mentionem Dei in populo eius, uocat eum cognomine patris, & supplicia eius uocat cognomine uirgæ. Pater autem non punit suam familiam, ut carnifex, qui summa seueritate animaduertit in condemnatum, & segregat eum a corpore ciuium, ac tollit eũ de terra uiuentium: sed punit eam, ut pater, cui curæ est salus familiæ, & qui quo plus punit, eo magis seruare studet. Et carnificis instrumentum est gladius, qui uitam aufert: patris autem instrumentum est uirga, qua tantum pungit, ut ad conseruandam uitam exciteris. Accedunt huc promissiones Dei, quæ perspicue indicant Deum punire populum suum ut seruet, non ut perdat. In Ezechiele dicitur: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Et apud Ieremiam: Ecce ego scio cogitationes quas cogito super uos, ait Dominus, Cogitationes pacis & nõ afflictionis, ut dem uobis finem & patientiam &c. Et iterum in Esaia: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, etc. Cum igitur Deus in supplicio, quod solet populo suo immittere, non meditetur internecionem sed conseruationem, manifestum est, supplicia Dei agnoscenda esse pro remedio & medicina. Nam quemadmodum Lex Dei, etsi ostendit

peccatum,

peccatum, reuelat iram Dei, occidit & damnat, tamen Deus non commoratur in hoc fine legis, sed cogitat iusticiam, fauorem, uitam & perpetuam salutem, quia idcirco per legem occidit & damnat, ut excitet homines ad quærendum Christum, & ad consequendam in Christo iusticiam & uitam: ita & Deus affligit populum suum, non quod meditetur perditionem, sed salutem eius. Hæc recitantur nobis, non ut sciamus tantum, sed ut discamus afflictionibus & supplicijs diuinis recte uti. Impij abutuntur his: fiunt ex supplicijs peiores, & pereunt in ipsis, quia non agnoscunt uoluntatem & cõsilium Dei. Nobis autem consilium Dei in aduersis cognoscendũ est, uidelicet, quod Deus immittendo aduersa, cogitet salutem, nõ internecionem nostram. Quod si probe considerauerimus, primum confirmabit fidem nostram, quod intelligamus Deum in aduersis nobis propiorem esse, quam ante. Fides autem est maximus omnium cultus Dei. Deinde excitabit in nobis inuocationem auxilij Dei. Inuocatio autem Dei habet præcipuum locum in cultu Dei. Adhæc, docet patientiam, ut manum Domini obedienter sustineamus, cum sciamus Deum uelle nos potius iuuare quam opprimere. Patientia autem est eximius Dei cultus. Postremo ducit nos ad obediẽtiam, ut uitemus peccata, & sectemur bonas uirtutes, quia cum cognoscimus Deum bene nobis in aduersis uelle, & cogitare liberationem, tunc oritur timor Dei, ne iterum eum ad iracundiam per peccata prouocemus, sed ut fauorem eius obediendo retineamus. Vides, quãtus sit usus huius cognitionis, quod Deus meditetur in afflictionibus liberationem & salutem nostram. Deinde nec hoc oscitanter prætereundũ est, quod Propheta dicit, Nisi Dominus exercituũ reliquisset nobis reliquias, quasi Zodoma fuissemus, &c. Paulus enim ad Romanos scribens, citat hunc locum, & docet, quod si in generali Dei supplicio nonnulli seruentur, hi seruentur non suis meritis, sed tãtum gratuita Dei misericordia & clementia. Nisi Dominus (inquit) reliquisset nobis reliquias. Dominus seruauit paucos quosdam sua misericordia, non ipsi se seruarũt sua iusticia aut sapientia. In diluuio seruati sunt tantum octo. Sed quid? num seruati sunt sua iusticia & prudẽtia? Minime omnium, sed clementia Dei. Potuisset enim Deus etiam illos diluuio perdere, si maluisset seueritatem quam clementiam exercere. In incendio Zodomæ & Gomorrhæ seruatus est Loth cum filiabus suis. Seruatus autem est misericordia Dei, non suis meritis. In deuastatione Babylonica urbis Hierusalem nõnulli Israelitæ euaserunt salui, sed paucissimi, idq; diuina benignitate, non sua iusticia. Sic etiam in electione Gentium ad cognitionem Christi, & excæcatione ac abiectione Iudæorum, nonnulli ex Iudæis conuersi sunt ad Christum,

Afflictionum usus.

& seruati. Meruissent & hi una cum cæteris abijci, sed Deus uoluit in his reliquijs notas facere diuitias gloriæ suæ, ut Paulus ait, erga uasa misericordiæ, quæ præparauerat in gloriam. Hoc cognoscendum est, ut ex alienis calamitatibus admoneamur de nostris meritis, & excitemur ad resipiscentiam, ut Domino gratias agamus pro suo erga nos beneficio. Publice nunciantur nobis aliquoties incursiones Turcarum in finitimas regiones, nunciantur direptiones & deuastationes urbium, cædes non uirorum tantum, sed & mulierum ac infantium, abductiones captiuorum in seruitutem, & multæ aliæ calamitates. Nos autem fruimur adhuc qualicunque pace. Quid? num nostris meritis? Minime omnium. Nam si Deus uoluerit erga nos seueritate uti, non minora inuenit in nobis scelera, quam in his, quibus tantæ calamitates acciderunt, imo maiora in nobis inuenit. Hi enim nunquam fortasis audierunt Euangelion Christi perspicue, Nobis autem adnunciatur clarissime, & tamen ne sic quidem resipiscimus, sed abutimur Euangelio ad cupiditates nostras, & horribilia quæuis flagicia. Quare, quod hactenus seruati sumus incolumes, non est nostrum meritum, sed clementia Dei, expectantis nostram resipiscentiam. Cum igitur uidemus alias regiones deuastari, agnoscamus gratuitam Dei misericordiam erga nos, & agamus ei gratias, non uerbis tantum, sed multo magis operibus, ac tota pœnitentia, qua fiet ut ira Dei a nobis auertatur. Priuatim autem, qui sanus est corpore, uidet multos alios maximis morbis afflictos: qui integris est membris, uidet alios putridis membris: qui diues est, uidet multos pauperrimos & miserrimos sibi ob oculos positos. Quid faciat? num despiciat hos, & rideat eos, ac applaudat suæ iusticiæ? Nihil certe minus. Quod enim ipse adhuc incolumis & diues incedit, non est meritum ipsius. Nam si iudicandum esset iuxta peccata eius coram diuino tribunali, dignus esset maioribus malis, Sed quod recte ualeat, diuina est clementia, quæ certe erit agnoscenda, ut gratias ei agas, & ambules in timore ac obedientia ipsius, quo uel tale supplicium euadas, uel si omnino ferendum est, liberationem a Domino firma fide expectes. Discamus & illud ex hoc loco, ut si uel in generali supplicio una cum alijs, uel in priuato supplicio soli comprehendimur, non despondeamus animum, sed uel tandem resipiscamus, & conuertamur ad Dominum Deum nostrum. Etsi enim resipiscentia non est differenda usque ad supplicium Dei, sed est resipiscendum ex uerbo Dei, quod nobis prædicatur priusquam supplicium immittitur, tamen si fuimus cessatores, & uenit supplicium, antequam resipuimus, erigendus uel tunc est animus ad Deum, agnoscenda sunt peccata, credendum est, peccata propter

Christum

Christum remitti,& sustinendum est supplicium patienter ac obe/dienter,nec dubitemus, quin Dominus in grauissimis etiamnum supplicijs seruet reliquias, inter quas hi certissime comprehendun tur,qui uel in medio supplicio resipiscunt. Nolo mortem morien/tis,dicit Dominus Deus. Reuertimini & uiuite, &c.

AVDITE VERBVM DOMINI PRINCI/PES ZODOMORVM, &c.

Esaias reprehendit antea impietatem & iniusticiam populi sui, quod nec beneficijs nec supplicijs excitentur ad resipiscentiam. Nunc reprehendit etiam ipsorum pietatem,& iusticiam,hoc est,di uinos ipsorum cultus & sacra. Nam cum supra dixerit,quod Israel non cognoscat Dominum,quod dereliquerit Dominum, & dese/cerit ab ipso,cogitauerunt secum,aut palã etiam obiecerũt. Quid? accusas ne nos defectionis a Domino Deo nostro? quid? uidemur ne tibi impij,cum omnia sacra Dei diligentissime obseruemus? Of ferimus sacrificia,offerimus holocausta, & uictimas,adolemus in/censa,obseruamus festa,obseruamus ieiunia,& preces. An nõ his faciendis sacris a Deo præceptis, satis iusti uidemur? Hæc refutat nunc Propheta. Ac initio acerrime inuehitur tam in principes,q̃ in subditos. Vocat eos principes Zodomorum,& populum Gomor rhæ,quod certe in auribus eorum non aliter sonuit,q̃ si nos uocare mus Principes & uulgum Christianorũ,Ethnicos, aut Turcas,aut Tartaros,aut si quid his gentibus est apud Christianos abominabi lius. Non mirum est,quod Israelitæ secuerint Esaiam serra,ut dici tur: hoc autem mirum est,quod cum tam acriter in eos sit inuectus, tanto tempore,centum fere annis,inter eos officio prædicandi uer/bi Dei saluus & incolumis defunctus sit. Sed quid? an non Esaias uehementius & acrius dixit,q̃ par fuit? Nequaq̃. Israelitæ enim seu incolæ regni Iuda nõ minora scelera designabant, q̃ quondam Zo domitæ & Gomorrhitę,quemadmodum postea cap. tertio dicitur, & testantur alij Prophetę. Vide Hier. cap. xxiij. & in Thre. ca. iiij. Similiter Ezech. xvi. Vocatio autem Prophetarũ est,ut arguant & reprehendant populi impietatẽ,& ostendant eis scelera,quo ad re/sipiscentiam excitẽtur. Quare,quod Propheta dicit aduersus Prin cipes & uulgum, non est conuicium sed officium,non est contume lia in Principes,sed obedientia erga Deum. Deinde Esaias damnat omnem fere cultum eorum diuinum, quem tamen Deus institue/rat,& per Mosen in hoc populo ordinauerat? Quod & ipsum fuit in auribus eorũ horribile & intolerabile. Nam quod Esaias in suo populo dicit, hoc perinde est, ac si quis in Christianismo diceret: Quo mihi multitudo concionum uestrarum? Plenus sum. Cœnas uestras dñicas nolui. Cum cõgregati fueritis in Ecclesiã,quis iussit

uos cœnam dñicam administrare? Dies festos odio habet anima mea, & cum conueneritis ad publicas preces, auerto oculos meos a uobis, &c. Si quis talia inter nos concionaretur, an nõ iudicaretur aũt insanus, aut blasphemus in Deum, quod dãnaret ea, quæ Christus ipse instituit? Obseruandũ igitur est, quod quæ Esaias hoc loco de diuino cultu Israelitarũ concionatur, nec sint noua, nec inusitata. Non dissimiliter. n. de eo cõcionatus est antea magnus auus huius Prophetæ, Dauid, Psal. xxxix. Psal. xlix. & Psal. l. Et contẽporaneus Esaiæ, Michæas, ca. vi. Deinde Esaias nõ dãnat legitimũ huius diuini cultus usum, sed dãnat impiũ eius abusum. Hic ergo cõsiderandũ est, quis sit uerus usus, quis abusus Leuitici cultus, ut ex hoc etiã cognoscamus, quis sit usus, quis abusus publicorum sacrorũ, quæ in Christianismo sunt instituta. Diuidemus ergo hoc loco Leuiticum cultũ in tres species. Vna est, Sacrificium, cuius multa fuerunt genera, quemadmodum in Leuitico ostẽdimus. Altera, Dies festi, quorũ etiam fuerunt uariæ species. Tertia est Ieiunium, & publicæ preces. Legitimus igitur usus sacrificiorum hic fuit, ut spectatores admonerentur de uero sacrificio, quod peragendum erat, p peccatis nostris per Messiam seu Christum Dñm nostrum. Nam quod effusio sanguinis in sacrificijs Leuiticis adũbrauerit effusionem sanguinis Christi, docet Epistola ad Hebr. & alias copiose demonstrauimus. Itaq; sacrificia non fuerunt per se expiationes pctõrum, sed fuerunt sacramenta, quibus docebatur fides in Christum, quod propter hunc solum habeamus pctõrum remissionẽ. Quid autem faciebant Israelitæ, & quomodo utebantur sacrificijs? Manifestum est ex alijs huius Prophetæ & aliorum ꝓphetarum concionibus, ꝙd Israelitæ designauerint magna scelera, nec potuerint excitari ad resipiscentiam. Et tamen studiose sectabantur sacrificia. Quare non est obscurum, quod in sacrificijs suis non quæsiuerint doctrinam fidei in Christum, sed quæsiuerint remissionem peccatorum ex ipsa sacrificiorum actione. Solenne enim fuit inter ipsos, ut quemadmodum repetebant subinde scelera sua, ita repetebant etiam sacrificia, quibus scelera expiarent. Existimabant enim fore, ut Deus placaretur meritis suorum sacrificiorũ. Hic nulla erat prorsus mentio aut recordatio Christi, propter quem solum Deus placatur. Hic nulla erat a peccatis resipiscẽtia. Magnus hic est abusus, & ingens impietas. Quare cum Esaias damnat sacrificia, sentiendum est, quod non damnet ipsam sacrificiorum institutionem, & legitimum usum, sed damnet hũc illegitimum & impium abusum, quem modo recitauimus, uidelicet, quod sacrificauerint sine pœnitentia. Dies autem festi instituti erant, ut congregati, audirent uerbum Dei, laudarent nomen Domini, & uitam suam ex uerbo Dei emendarent.

Leuitici cultus tres species.

Sacrificia.

Dies festi

emendarent. Israelitæ autem conueniebant in diebus festis, non ut discerent doctrinam pietatis, sed ut obtruderent Deo ocia sua pro expiationibus peccatorum suorum: Cum igitur tam impie abusi fuerint diebus festis suis, recte dicit Propheta, Calendas uestras & solennitates uestras odiuit anima mea. Diserte enim dicit; Vestras, non Dei. Deus enim instituerat festos dies in usum pium. Illi autem mutabant eos in abusum impium. Idem de ieiunio & publicis precibus dicendum est. Nam in publicis calamitatibus solebant pij conuenire sobrij, ut deprecarentur aut præsentia aut imminẽtia mala (ut uides exemplum ij. Paralip. xx.) & ut promissionibus diuinis, de quibus per preces admonebantur, fidem suam alerent, ac de diuino auxilio bene sperarent, & ad resipiscentiam excitarentur. Sed impij Israelitæ conueniebant ad publicas preces & ieiunia, ut conspicerentur ab hominibus, & ut hanc actionem obtruderent Deo pro expiatione peccatorum suorum, cum ipsi interim manerent impœnitentes, & post preces priora scelera repeterent. Quare recte dicit Propheta: Cum extenderitis manus, &c. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam &c. Ad eundem modum de sacris Christianorum dicendum est. In cœtu enim Christianorum sua sunt sacra, uidelicet, Cõcio, Cœna dominica, & publicæ preces. Concio in hoc est instituta, ut sit cœleste organon, quo spiritus sanctus efficiat in homine agnitionem Dei, timorem Dei, fidem in Deum, & obedientiã erga Deum, idq; per Iesum Christum filium Dei, qui per Euangelion nobis reuelatur. Et hic est legitimus usus concionis, ut auditor discat ex ea Christum filium Dei, & donetur spiritu sancto, quo sectetur uocationem Dei. Sic etiam cœna Dominica instituta est, ut quod externo uerbo Euangelij audiuimus & credimus, externa etiam sigilli sumptione de eo admoneamur, & fidẽ confirmemus. Et hic est legitimus usus cœnę dñicę, ut in ipsa edentes corpus Dñi, & bibentes sanguinẽ eius, certo sentiamus nos esse membra Christi, et participes bonorũ eius, ac excitemur ad declarandam gratitudinem nostram propter tanta Dei bñficia in omni obedientia. De precibus quoq; publicis sentiendum est, quod sint institutæ ut alter alterius exemplo admoneatur de inuocatione diuini nominis per Iesum Christum, & ut reuocemus in memoriam promissiones Dei per Christum, quibus confirmetur fides nostra in omnibus aduersis, ut non dubitemus de diuino auxilio, & retineamur in officio obedientiæ, ne per inobedientiam abalienemus a nobis Deum seruatorem nostrum. Quid autem fieri solet? Magna pars Christianorum longe aliud agit, quam quod sectetur legitimum finem horum sacrorum. Audiunt enim conciones, sumunt cœnam Dominicam, & in Ecclesia orant, alij con-

Ieiunium.

Sacra Christianorum.

Concio.

Cœna Dominica.

Preces publicæ.

ſuetudinis tantum gratia, alij ut commendent ſe hominibus ſpecie ſanctitatis, alij ut actiones horum ſacrorum obtrudant Deo pro expiatione ſuorum peccatorum, Et interim manent ſemper in iſdem ſceleribus. Quæ ſcelera ante actionem horum ſacrorum deſignauerunt, ea ſtatim a ſacris repetunt, imo in ipſis ſacris meditantur & deliberant, quomodo ea perficiant. Itaq; non ſunt, niſi Eccleſiaſtici, ut ſic dicam, Chriſtiani. Putant enim ſe omnem iuſticiam Chriſtianam abſoluiſſe, ſi tantum audierint conciones, & ſumpſerint aliquoties cœnam dominicam. Oportet autem nos non tantum Eccleſiaſticos, ſed etiam domeſticos, forenſes, diurnos & nocturnos eſſe Chriſtianos. In hoc enim ſacris utendum eſt, ut diſcamus ueram pietatem, quam exerceamus non ſolum in externo cœtu Eccleſiæ, ſed etiam in omnibus locis, in omnibus rerum caſibus, in omnibus negocijs, noctu, diuq;, tam coram Deo quam coram hominibus.

Chriſtiani Eccleſiaſtici qui dicantur.

Cæterum, quod additur: Manus ueſtræ plenæ ſunt ſanguine, non eſt tantũ cauſa, propter quam Deus non reſpiciat orationem, ſed etiam propter quam non reſpiciat ullum bonum opus hominum. De hac igitur ſententia paulo copioſius dicendum eſt, ut habeamus ueram cognitionem impuritatis noſtrorum operum, & excitemur ad quærendam & conſequendam ueram puritatem ac mũdiciem. Primum omnium conſiderabimus, quid nomine Sanguinum ueniat. Sanguis enim, aut Hebræo more, Sanguines, non tantum dicuntur homicidia, quibus effunditur ſanguis humanus, nec tantum inuidia & odium erga homines, ſed dicuntur omnia peccata, quæ ex ſanguinibus, hoc eſt, ex natura humana, & ex conſanguinitate, quam habemus cum Adamo, oriuntur, & quæ non niſi ſanguine expiari poſſunt. Manifeſtum enim eſt, quod Adam etſi initio creatus eſt a Deo, caro & ſanguis, tamen in hac carne & ſanguine non fuit tanta ignoratio & tantum odium Dei ac proximi, quantum nunc eſt, ſed fuit perfecta iuſticia & obedientia erga Deum. Poſtq; autem Adam peccauit, amiſit peccato ſpiritum ſanctum, in cuius locum ſucceſsit dominatio ſpiritus Satanæ, qui imperat homini omnem impietatem & iniuſticiam. Nec hoc malum uni tantum Adamo contigit, ſed propagatur in omnes homines, qui ab Adamo naturali progenie naſcũtur. Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum introijt in mundum, ac per peccatum mors, & ſic in omnes homines &c. Cum igitur omnes homines attingant ſanguine ſuo Adamũ, & transfunditur in ipſos malũ Adę per ſanguinem, recte excogitatum eſt, ut noĩe ſanguinis pctĩm Adæ, quod in omnes hoĩes ꝓpagatur, exprimatur. Accedit huc, quod peccata nõ poſsint expiari niſi ſanguine. Sunt enim triplicia iudicia. Aliud eſt Leuiticum, in quo peccatum non expiabatur niſi ſanguine hircorum

Sanguis, aut Sanguines.

Iudicia triplicia.

corum & uitulorꝝ. Qui.n.peccauerat in legem Leuiticã,& de quo iudicabatur Leuitice, is neceſſe habebat pro expiatione peccati ſui adducere hircum aut bouem, ut effuſione ſanguinis eius pctm̃ expiaretur. Aliud eſt Iudiciũ forẽſe,in quo ſcelera hoim expiabãtur ſanguine ſeu morte ſceleratorꝝ. Sic homicidæ,ſic adulteri,ſic blaſphemi occidebãtur, ut effuſione ſanguinis ſui expiarẽt pctm̃ corã humano ſeu forenſi iudicio. Aliud eſt diuinum & cœleſte iudiciũ. In hoc nullũ pctm̃ expiatur uel bouillo uel humano ſanguine, ſed neceſſe eſt expiationem fieri ſanctiſsimo & innocentiſsimo ſanguine. Nullus autem fuit talis ſanguis in terra,prꝛter ſanguinem Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Quare ſolus ſanguis Chriſti expiat pctã hoim coram diuino iudicio. Apte igitur & conuenienter uocãtur peccata noïe ſanguinũ, propterea quod mereantur ſanguinis effuſionem, nec poſsint niſi ſanguine expiari. Vnde et poſtea ca.xxxiĳ. dicitur: Qui obdurat aures ne audiat ſanguines,hoc eſt,nõ ſolum homicidia,ſed quæcũqꝫ ſcelera ab hoïbus deſignantur. Et in Pſal. Libera me de ſanguinib,hoc eſt,nõ ſolum de homicidio,ſed etiã de oïbus peccatis, quæ merentur effuſionem ſanguinis ſiue coram hoïbus ſiue coram Deo. Ezech.xxxv. Cum ſanguinem oderis,ſanguis perſequetur te. Hic ſanguis ſignificat cognationẽ ſeu cõſanguinitatẽ. Itaqꝫ peccata q̃qꝫ ſanguis dicũtur, ꝓpterea quod pctis ſimus cognati, & pctm̃ propagatione ſanguinis ab Adamo in nos transfunditur. Oſe.iiĳ. Sanguis ſanguinẽ tetigit, quod nõ tm̃ de homicidijs, ſed de oïbus alijs ſceleribus,quæ hoïes deſignabant,intelligẽdum eſt,ut ſit ſenſus: Tanta eſt pctõrꝝ multitudo in populo,ut peccatum trudat pctm̃. Habes,quid noïe ſanguinis ueniat. Nũc uidendũ eſt, quid ſibi uelit Propheta,cũ dicit: Manus ueſtrę ſanguinib. polluty ſunt. Eandẽ ſententiã habes & infra ca.lix. Nã hæc eſt cauſa, ꝓpter quam nõ ſolum pctã ipſa, uerumetiã bona opera hoïm, in iudicio Dei damnantur,hoc eſt,non iudicantur eſſe uera & perfecta iuſticia. Ac initio ĳ dicũtur habere manus pollutas ſanguinibus, qui ꝓſequuntur odio proximos, & gaudẽt cædibus hominum,quas etiã perpetrant. Odium.n.& homicidium dicuntur Sanguines. Quare qui hæc pctã operibus ſuis deſignat,is cum habeat manus pollutas ſanguinib,nihil recte agit. Etiãſi orat,etiamſi offert ſacrificia,etiãſi dat eleemoſynã, tñ Deus non reſpicit hęc opera,nec iudicat ea bona. Exẽplũ eſt Saul. Is magno odio ꝓſecutus eſt Dauidẽ,& perſecutus eſt eũ,ut effunderet ſanguinẽ ipſius: ac occidit ꝓpter Dauidem 85 ſacerdotes. Interim aũt multũ ſacrificauit, & orauit, ac uiſus eſt ualde religioſus. Quid ergo dicemus de his boni ſoperib. Saul? Quid aliud,q̃ quod Propheta dicit, Deus nõ reſpexit ea,quia manus eius erãt plenę ſanguinibus. Sic Iudæi ardebãt odio Chriſti,&

Manus ſanguine pollutas habere.

comprehendebant ipsum ut occiderent, interim autem sacrificauerunt agnum paschalem, nõ introierũt in domum Pilati Ethnici, ne contaminarentur. Sed Deus non respexit hæc bona opera eorum, quia manus eorũ erant plenæ sanguinibus. Deinde is dicitur habere manus plenas sanguine, qui non solum odio prosequitur proximum, & quærit effusionem innocentis sanguinis, sed etiam qui alia designat peccata aduersus secundam tabulam Decalogi, uidelicet, qui furatur, qui dat operã imposturis, qui scortatur, qui est impudicus, qui falsa dicit testimonia, &c. Nam & hæc peccata dicuntur Sanguines. Quare qui ea facit, merito dicitur habere manus sanguinibus pollutas, ideoq; iuxta Prophetam nihil recte agit, quod sit Deo acceptum. Etsi enim orat, etsi dat eleemosynam, etsi benefacit alicubi proximo, tamen Deus abominatur ista opera, nec iudicat ea uere ac perfecte bona. Exempli gratia. Zachæus cum adhuc esset publicanus, multos defraudauit, interim autem attulit aliquoties sacrificia, egit cum alijs sabbatum, nonnullis quoq; benefecit. Sed hæc bona opera non fuerunt Deo grata, quia habuit manus pollutas sanguine. Mulier Samaritana, de qua est apud Ioannẽ ca. iiij. fectata est clam scortationem. Et interim egit publice uitam honestam & religiosam. Sed nec honestas, nec religio eius habuit locum apud Deum, quia habuit manus pollutas sanguinibus. Præterea, is dicitur habere manus sanguine plenos, qui facit bona opera, & confidit se meritis horum operum placare iram Dei, & expiare peccata sua. Hęc enim fiducia est idolatria & impietas, quę & ipsa uenit nomine sanguinum, quia non expiatur coram Deo, nisi sanguine filij sui. Quare omnia hypocritarum, siue hi Christiani, siue Iudæi, siue Turcæ uocentur, opera & facta, sunt corã Deo abominabilia, propterea quod manus eorum sint plenæ sanguinibus. Postremo, is dicitur habere manus sanguine cõmaculatas, qui est obrutus peccato originli, nec diligit natura sua Deum ex toto corde, ex tota anima &c. & proximum sicut seipsum. Hoc enim peccatum est Sanguis, propterea quod propagetur ex sanguine Adami, & non expietur coram Deo, nisi sanguine filij sui. Omnes autem homines sunt peccato originali obruti, & natura sua non diligunt Deum ex toto corde &c. nec proximum ut seipsos. Quare, quicquid boni egerint omnes hoies, nullius prorsum momẽti habetur coram Deo, quia manus eorũ sunt pollutæ sanguinibus.

LAVATE MVNDI FIATIS, AVFERTE MALVM etc.

Propheta reprehendit primum peccata auditorum suorum, deinde reprehendit etiam iusticiam ipsorũ. Quid igitur faciant? Quo se uertant, ut cũ Deo recõcilientur, & Deus faueat eis? Quid agãt, ut consequãtur diuinam bñdictionem & cœlestem beatitudinem?

Concionatur

Concionatur ergo nunc Propheta de altera parte pœnitẽtiæ, & de ueris fructibus pœnitẽtię, ut doceat quare absoluatur pœnitentia, & qui sint cultus, qui Deo uere placeant: Lauate, inquit, mundi fiatis. Postq̃ enim agnouimus peccata nostra, & uidemus iusticiã nostram impuram, ac sanguinibus, hoc est, peccatis sordidatam esse, tũc primum omnium dãda est opera, ut lauemus, & mundi fiamus a sanguinibus. Quid ergo est faciendum? num abluendæ sunt manus aqua purificationis, qua Iudæi solebant se ab immundicijs puros reddere? Hæc aqua habebat quidẽ suum ciuilem usum in rep. Israelitica, at non potuit hominem purum reddere coram Deo. Sed quid? offerant ne sacrificia & holocausta? at Propheta hæc antea reiecit. Orent autem? De oratione etiam dictum est: Si extenderitis manus uestras, etc. An debeãt dare pauperibus eleemosynam? Sed & de talibus operibus dictum est, quod & si per se sint bona, tamen facta ab eo qui adhuc habet impuras manus sanguinibus, non sint Deo grata. Quomodo igitur lauandæ sunt manus, ut fiant mundæ & puræ, quo & opera bona fiant Deo grata & accepta? Hic considerandum est, quod in lege Mosi publicæ purificationes fiebant aspersione sanguinis. Omnia (inquit Epistola ad Hebrę.) fere secundum legem sanguine purificantur. Sanguis autem hircorum & uitulorum nõ expurgat peccata coram Deo, ut manifestum est, Sed solus sanguis Iesu Christi. Quare si quis uoluerit manus abluere a sanguinibus, debet eas lauare in sanguine Iesu Christi. Redempti, inquit Petrus, sumus precioso sanguine uelut agni immaculati. Et Ioãnes: Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Et in Apocalyp. Lauit nos a peccatis nostris per sanguinem ipsius. Et iterum: Hi sunt qui uenerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt stolas suas, & dealbauerũt eas per sanguinem agni. Lauare autem manus suas in sanguine Christi, est credere, quod Christus effuderit sanguinem suum propter peccata nostra, & reconciliauerit nos Deo, ut remittantur nobis peccata, & reputemur coram Deo iusti, adoptemurq̃ in filios & hæredes Dei. Necessarium igitur est ad faciendum Deo gratum cultum, ut ante omnia mundus & purus fias a peccatis, per fidem in Iesum Christum, & habeas in Christo remissionem pctõrum. Beati, inquit, quorum tecta sunt pctã, & quorę remissæ sunt iniquitates. Sed quid est, inquies, quod Propheta nõ manifeste prędicauerit hoc loco de Christo, & fide, quæ est in ipsum? Duobus. n. uerbis tm̃ monet auditores ut lauẽt, & purificẽt se. Cur nõ addit, qua uia, qua ratione, quo lauacro purificari possint, uidelicet, per Christũ, Abrahæ & Dauidi promissum? Respondeo. Primum, Propheta concionatur eruditis in lege Dñi, quibus non ignotum erat, quod sanguis sacrificiorę

Manus à sanguinibus quo modo abluantur.

Vide Exo. 29 Leuit. 14.

adumbraret purificationem per Christum uenturam. Quare, si fuerunt diligentes auditores, uno uerbo lauationis aut purificationis facile potuerunt intelligere, quid sibi uellet Propheta hac admonitione. Deinde non possunt omnia in una concione copiose explicari. Quare etsi Propheta nunc breuiter attingit tantum purificationem, quæ tantum fit per Christum, tamen in alijs concionibus copiose tractat de Christo, ac etiam in fine huius concionis perspicue docebit de Christo, ut auditores cognoscant, se tantũ propter Christum posse puritatem manuum suarum cõsequi. Sed quid? num aliud nihil ad consequendam ueram puritatem agendum est, q̃ ut credamus nos esse puros & mundos propter Christum? Nihil certe aliud reliquum est, q̃ ut exerceamus hanc mundiciem, & testemur eam operibus coram Deo & hominibus. Recenset igitur Propheta, quid faciendum sit, postquam conse uti fuerimus mundiciem spiritualem. Primum ait: Auferte malum studiorum uestrorum ab oculis meis. hoc est, Affectus carnis mortificandus est. Etsi enim habemus remissionem pctõrum per fidem in Christũ, tamen manent reliquiæ peccati, quæ sollicitãt hominem ad impietatem, & scelera. Exempli gratia. Peccatũ impietatis excitat in homine studiũ contemnẽdi Dei. Dicit enim: Quid inuocas auxilium Dei, cum uidea. quod te nec audiat, nec adiuuet? Hoc est studium peccati, quod etsi homines non uident, uidet tamen Deus. Sed auferendum est ab oculis Dei, non est ei consentiendũ, non est ei indulgendum, sed obsistendum & expurgandum. Quomodo? per Euangelion Christi, quo agnoscimus, quod Deus sit nobis propicius, & seruet nos in omnibus afflictiõibus propter Christum. Aliud exemplum. Pctm̃ auariciæ excitat in homine studium mentiendi, & decipiendi pximum. Dicit enim: Quid? Reipsa sentis, quod nihil opum possis per iusticiam parare. Quare fac imponas scite hominibus, & extrudas merces tuas multis mendacijs. Hoc est studium peccati: sed est ab oculis Dei auferendum, & expurgandum, per Euãgelion Christi, quod proponit nobis Deum patrem, conseruantem nos etiam in media fame, &c. Aliud exemplum. Peccatum inuidiæ excitat in homine studiũ nocendi pximo, iubet hominem multas occasiones excogitare, quibus alteri malefaciat. Sed hoc peccati studium est expurgandum, per Euangelion Christi, uidelicet, ut consideres quãtis bñficijs Deus affecerit te per Christũ, & petat ut uicissim tu benefacias proximo, &c. Deinde addit: Quiescite agere peruerse. Non solum enim studia cordis sunt expurganda, sed etiam externum opus malum non est faciendum. Cessandum est tam a malis studijs animi, quam a malis operibus manuum. Tertio. Discite benefacere. Non enim sufficit, ut non male agas, sed etiam benefaciendum

Iustificatorũ quale studiũ in uita.

nefaciendum est. In benefaciendo, sese maximo studio est exercendum. Nulla enim ars sine exercitio discitur. Quare cum benefacere sit longe omnium optima ars, certe maximum est in ea exercitium adhibendum. Postremo ait: Quærite iudicium: Subuenite oppresso, &c. Postquam enim Propheta commemorauit generalia præcepta de bonis operibus, quæ sunt omnibus hominibus communia, recensetnunc ea opera, quæ proprie pertinent ad uocationem Principum. Esaias enim erat de regio genere, & uersabatur præcipue inter Principes. Quare post admonitionem de generalibus & communibus bonis operibus, addit ea opera, quæ sunt officij Principum, uidelicet, Quærere iudicium, hoc est, recte iudicare secundum publicas leges. Non esse respectorem personarum. Ita paruum (inquit) audietis, ut magnum. Item, Subuenire oppresso. Tueri pupillum & uiduam, &c. Hæc sunt uera officia Principum. Sunt heroica facta & excellentes cultus Dei, quibus nemo quidem meretur expiationem peccatorum, testantur autem ijs pij suam fidem & obediẽtiam, quam Deo seruatori suo debẽt. Quod si uero Esaias concionatus fuisset hominibus, qui fuissent alterius generis uitæ, addidisset etiam ea opera, quæ uniuscuiusq; personalis uocatio proprie exigit. Exempli gratia. Ad mercatores pertinet, præter generalem uocationem, ut nõ dent operam imposturis, non extrudant merces suas nugis. Opificum uocatio est, ut opificium suum diligenter & pie exerceant, & neminem in negocio defraudent. Mercenariorũ uocatio est, ut magno studio suos labores conficiant, nec ad oculum seruiant, sed tanquam Domino, ut Paulus de seruis loquitur. Vnde & Ioannes Baptista, præter generalia & communia præcepta, alia concionatur Pharisæis, alia publicanis, alia militibus, alia uulgo hominum. Sunt enim diuersæ hominum uocationes. Itaq; sunt etiam diuersa opera, & officia uocationum. *Principum officium.*

VENITE ET ARGVITE ME, &c.

Propheta potuisset his, quæ hactenus ab initio huius capitis cõmemorata sunt, absoluere hanc concionem. Arguit enim peccata, arguit & iusticiam hypocriticam. Cohortatus est ad ueram lauationem a peccatis, & exposuit uera officia & fructus pietatis, adeoque complexus est sua concione totam rationem pœnitentiæ. Quare potuisset commode hoc loco finem huius concionis facere. Sed etsi ea quæ concionãtur ueri Prophetę sunt certissimum uerbum Dei, tñ multa & uaria solent partim ab impijs, partim ab imperitis, aut etiam imbecillibus in fide obijci. Quare Esaias refutat nũc ea, quæ uel antea fuerãt palam obiecta, uel nunc ei occultis hoĩm cogitationib. obijciebantur. Prophetæ. n. duas prȩcipue res urgebant in populo Israelitico. Altera est aduẽtus Messię, per quẽ essent consecu

turi ueram redemptionem & lauationē a peccatis, ut haberent æternū regnū. Altera est, deuastatio & abiectio gētis Israeliticę propter impietatem. Hæc uidebantur prorsus sibi contraria, ideoque dicebāt: Quid? Promittitur nobis Messias, ut in ipso habeamus remissionem peccatorum, iusticiam & regnum perpetuum, sed quo diutius expectamus, eo maiorem facit ille moram, ut hæc promissio uideatur prorsus mendax. Interim autem adnunciatur nobis deuastatio nostri regni, quod adhuc reliquum est. Quomodo hæc conueniunt? Quod promissum est, nō uidemus impleri. Quod iam ante datum & impletum est, aufertur a nobis per conciones propheticas. Quid hoc est rei? Erant & alij, qui concionibus de pœnitentia obijcere solebant: Quid? promittuntur pœnitētibus & iustis multa & magna Dei beneficia, sed reipsa comperimus, quod quo quis iustior est, eo est infœlicior. Has obiectiones refutat nunc Esaias: Hæc, inquiens, dicit Dominus: Agite uos obiectores & contemptores: Scio quidem uos meum uerbum, quod per Prophetas adnunciatur, uarijs modis calumniari, & deridere, sed ego ita tuebor, ita defendam, & implebo illud, ut etiamsi mihi coram publico iudicio causa dicenda esset, sperarem certissimam uictoriam. Primum enim extat iam ab antiquo promissio de aduentu Messiæ, ut quisquis in eum credit, habeat cœlestem benedictionem, remissionem peccatorum, & ueram iusticiam. In semine tuo, inquit, benedicētur omnes gentes. Et iterum: Donec ueniat Silo, & ipse erit expectatio gentium, hoc est, (ut hebræa ueritas habet) innocentia, purificatio, seu iustificatio gentium. Acrursus: Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Quis autem pauperior peccatore? Hæ sunt promissiones quæ de Messia etiā ante Esaiam extabāt. Quod ergo hoc loco dicitur: Si fuerint peccata uestra, ut coccinum etc. hāc habet sententiam. Promissus est Christus, ut peccata per ipsum expurgentur, & homines mundi efficiantur. Hęc promissio, utcunq; res cadat, utcunq; imperia huius terræ mutentur, firmissima est, & certissima. Veniet enim haud dubie Messias suo tempore, & ita expurgabit peccatum, ut etiamsi fuerint sicut coccinum, tamen dealbabuntur sicut nix, in eo qui credit in Messiam. Et si fuerint tam rubra, quam est color purpureus, tamen erunt alba sicut candidissima lana, in his, qui agnoscunt Messiam per fidem. Hæc est uera huius loci interpretatio. Non enim potest intelligi concio de expurgatione aut remissione peccatorum, nisi in Christo, in quo promissa est benedictio. Quare hoc locō describitur beneficium Christi, quæ descriptio diligentissime est obseruanda, ut magnitudinem beneficij Christi recte intelligamus. Peccata enim hominum dicuntur rubra, seu sanguinea, quemadmodum supra indicatum est. Sed Chri

Meßiæ ac beneficiorum eius descriptio.

stus

ſtus ita ea expiauit, ut iudicentur magis alba quam nix, aut lana candida. Hoc autem dupliciter intelligendum eſt. Primum, quod omnia peccata, quæ aduerſus legem Dei deſignauerimus, ita remittantur credenti propter Chriſtum, ut iudicetur coram Deo perinde ac ſi ea nũquam deſignaſſet. Nec eſt ibi ulla peccati exceptio. Nullum tam immane, nullum tam horribile eſt deſignatũ, quod non remittatur propter Chriſtum. Nec eſt ibi certus numerus peccatorũ definitus. Omnia peccata, quotcunq; ſint numero, remittũtur propter Chriſtum. Deinde intelligẽdum eſt, quod non ſolum illa peccata, quorum actio iam præterijt, remittantur, ſed etiam hoc peccatum, quod adhuc carni & ſanguini naturaliter inhæret, quod uocatur peccatum originale, remittitur propter Chriſtum, etiamſi actio eius manet. Exigitur autem, ut nõ dominetur in homine. Itaq; tam originale, quod actu manet, quam quod uocãt actuale, cuius actio præterijt, ita remittũtur propter Chriſtum, ut habeantur in iudicio Dei, perinde ac ſi nũquam eſſent commiſſa. Sic & Hieremias dicit: Propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Hoc eſt longe omnium maximum beneficium. Vbi enim eſt remiſsio peccatorum, ibi eſt iuſticia, ſalus, & uita æterna, etiam ſi irruant omnia genera afflictionum, adeoq; mors ipſa. Contra autem, ubi non eſt hoc beneficium remiſsionis peccatorum, ibi eſt omnis iniuſticia, interitus, & perpetua infœlicitas, etiamſi contingant alioquin homini omnia regna huius ſeculi. Quare agnoſcendum eſt beneficiũ Chriſti, quod hoc loco deſcribitur, ut eo utamur non ſolum aduerſus impiam doctrinam Phariſæorum & Monachorum, qui quærunt alias purgationes peccatorũ, quam per Chriſtum, ſed etiam aduerſus Satanam, qui territis agnitione peccatorum amplificat magnitudinem eorum, ut obſcuret, aut omnino auferat ex fide beneficium Chriſti. Deinde extant etiam promiſsiones de regno Canaan. Hæ promiſsiones recte intelligendæ ſunt. Magnum enim eſt diſcrimen inter promiſsionem de Meſsia, & inter promiſsionem de regno Canaan. Deus promiſerat Meſsiam de ſemine Abrahæ, ſine ulla conditione iuſticiæ aut probitatis Iudæorum. Non enim uoluit Meſsiam mittere propter ullius hominis meritum, ſed tantum ex mera ſua liberalitate & clementia. Dedit autem Iudæis regnum Canaan, hac conditione, ſi tuerentur leges, & ſectarentur pietatem, tunc uellet eos in regno aduerſus hoſtes ſuos conſeruare, ſi uero ſtuderẽt impietati & crudelitati aduerſus leges, tũc uellet eos iterum eijcere & tradere hoſtibus ſuis. Exo. xix. Si audieritis uocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium, etc. Huc pertinet quod Deut. xxviij. & Leui. xxvi. pluribus benedictiõibus & maledictionibus deſcribitur. Re

petit ergo Propheta has promiſsiones & cõminationes, ut explicet auditoribus ſuis ueram ſententiã de promiſsione regni Canaan. Si uolueritis, inquit Dñs, & audieritis me, fruemini ueſtro regno, Deus tuebitur uos. Si uero nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos. Hæc enim eſt ſententia Domini. Non uoluit Dominus, ut eſſetis perpetui habitatores regni Canaan, ſiue male ſiue bene egeritis, ſed uoluit, ut ſi obſequeremini mãdatis eius, frueremini bonis huius terræ. Si autẽ negligeretis mandata eius, eiſceremini, & gladio trucidaremini. Hoc eſt decretum, hoc eſt ſtatutum Domini. Eſaias autem non cõcionatur tantum Iſraeli, ſed omnibus Chriſtianis magiſtratibus, qui & ipſi habent ſua imperia diuina clementia, ſed hac conditione, ut ſi ſectentur pietatem, Deus uelit eos tueri. Neceſſe enim eſt, ut ſint in terra magiſtratus, qui tueantur bonos, & puniant malos, ac præſertim qui defendant uiduam, pupillum & miſeros homines. Hoc enim eſt officium magiſtratus. Quare qui hoc officiũ fecerit, conſeruabitur a Domino. In Euangelio non auferuntur ſeruo fideli ſuæ minę, ſed adduntur etiam aliæ, quod in pauco fuiſſet fidelis. Qui autem eſt ceſſator & neglector ſui officij, huic nihil aliud reliquũ eſt, quam ut abiiciatur. Hoc anno, quo iſta dicimus, præterierunt octingenti fere anni, cum Romanum imperium translatum eſt ad Germanos per Carolũm cognomine Magnum. Dedit autem Deus hoc beneficium Germanis prorſus eadem cõditione, qua regnum Canaan datum eſt Iſraelitis, uidelicet, non ut dominatio perpetuo eſſet penes Germanos principes, ſiue pie ſiue impie adminiſtrarẽt regnum. Sed ſicut Propheta dicit: Si audieritis me, bona terræ comedetis, ſi autem prouocaueritis me ad iracundiam, gladius deuorabit uos. Cum enim magiſtratus ſit ordinatio Dei, & Deus approbauerit multis argumentis imperium Germanorum, dubium non eſt, quin Germani acceperint hoc donum Dei non ſimpliciter, ſed iuxta conditionem huiuſmodi diuinorum donorum, ut tantiſper concedatur, dum recte eo utuntur. Quare cum hoc tempore maulta ſint, quæ declarant iram Dei aduerſus Germanos, & minãtur interitum imperij eorum, nihil prius agendum eſt, quam ut obediant uerbo Domini, ac adminiſtrent imperium iuſte & legitime, quo bona terræ comedant, hoc eſt, imperium conſeruent, & publica tranquillitate fruantur. Sed quid faciam homo priuatus, ſi Principes fuerint ceſſatores, & defendant potius ceruos ac apros, quam uiduam & pupillum. Num mea unius pœnitentia proderit, ſi omnes alij tam principes q̃ priuati fuerint impij? Hic audiendum eſt, quod in Ezechiele ca. xiiij. ſcriptum eſt. Fili hoĩs terra cum peccauerit mihi, &c. Et ſi fuerint tres uiri iſti in medio eius, Noe, Da-

Annus Domini erat 1544.

niel

niel & Iob, ipſi iuſtícia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus Zebaoth. In diluuio an non Noe cum paucis ſeruatus eſt, quod obedierit uocationi Dei? In incendio Zodomitico, an non Loth ſeruatus eſt cum filiabus, quod reliquis omnibus ciuibus ſuis uerbū Dei cõtemnentibus, ipſe uocationem Dei ſit ſectatus? Babylonica urbis Hieruſalẽ deuaſtatio & captiuitas, ualde horribilis fuit, ſed cum Hieremias Propheta ſectaretur pietatem, inter tot impios, nõ ſolum ſeruatus eſt, in ea deuaſtatione, ſed etiam per hoſtes liberatus eſt e carcere, in quem ciues ſui eum coniecerant, & honore fuit affectus. Cum immineret Romana deuaſtatio urbis Hieruſalẽ dixit Chriſtus ad Apoſtolos: Attollite capita ueſtra, quia appropinquat redemptio ueſtra. Quod impijs Iudeis erat interitus, hoc erat pijs Apoſtolis redemptio. Quare etſi omnes alij homines fuerint ſcelerati & impœnitentes, tamẽ ſi quis priuatus magis ſectatus fuerit uerbum Domini quam exempla impiorum, ſeruabitur non tantum in publicis afflictionibus, ſed etiam in media morte. Habes refutationem eorum, qui calumniabãtur Prophetam, quod doceret pugnantia. Habes etiam ijſdem uerbis refutationem eorꝝ, qui obijciebant pœnitentiam eſſe inutilẽ, & nullum eſſe fructum iuſticiæ. Cum enim dicit: Si fuerint peccata ueſtra &c. Et addit, Si audieritis me, bona terræ comedetis, docet duplicẽ eſſe fructum pœnitentię, Alterum ſpiritualem & cœleſtem. Alterum corporalem & terreſtrem. Nam ſpiritualis & cœleſtis fructus pœnitentię eſt remiſsio peccatorum. Nam ſi quis egerit pœnitẽtiam, & crediderit in Meſſiam, huius peccata etiamſi fuerint ut coccinum, tñ quaſi nix dealbabuntur. Hoc eſt beneficiũ ſpirituale, quo nullum maius homini in terra contingere poteſt, quemadmodum ſupra indicatum eſt. Corporalis autem fructus pœnitentiæ eſt, benedictio rerum corporalium in hoc mundo. Qui.n. egerit pœnitẽtiam & crediderit in Chriſtum, conſequitur etiam in hoc ſeculo corporalia beneficia. In Marco ca. x. dicit Chriſtus: Nullus eſt qui reliquit domũ aut fratres aut ſorores, aut patrẽ aut uxorem aut liberos aut ãgros mea cauſa et Euangelij, quin recipiat centupla nunc in tempore hoc, ac in ſeculo uẽturo uitam æternam. Recipiet, inquit, centupla nunc in hoc tempore. Vide mihi Petrum. Hic reliquit domum ſuam & retia, eacꝫ nõ magni admodum precij. Sed poſtcꝫ miſſus eſt a Chriſto ad prædicandum Euãgelion, pro una domo, & paucis retibus accepit tot domos, & tot curatores pro alimẽto ipſius, quot patresfamilias agnouerunt Chriſtum per Euangelion eius, & factus eſt quodammodo dñs multarum diuitiarum. Diſcipuli.n. ponebant pecuniam ſuam ad pedes Apoſtolorꝝ. Paulus egit pœnitentiã, & agnouit Chriſtũ, ac ſectatus eſt uocationẽ eius. Quid factum eſt? Primum pctã eius

Pœnitentiæ duplex fructus.

dealbata sunt quasi nix,& quasi cãdida lana. Deinde comedit bona terræ, quia tanto fauore exceptus est ab auditoribus Euangelij, ut tanquam angelus quispiam coleretur. Et quanquam nihil diuitiarum possederit, nihil tamen ei defuerit, quod ne diuitibus quidem huius seculi contingere potest. Non estis (inquit) me aspernati, neque respuistis, sed me uelut angelum Dei suscepistis, uelut Christũ Iesum. Et mox: Testimonium reddo uobis, quod si fieri potuisset, oculos uestros effossos dedissetis mihi. Ac rursus: Tanq̃ nihil habentes, & omnia possidentes. Hoc uere est bona terræ comedere.

QVOMODO FACTA EST MERETRIX CIVITAS FIDELIS, &c.

Sequitur alia pars huius concionis, quam Propheta in hoc capite describendã suscepit. In prima enim parte concionis docuit pœnitentiam. In secũda refutauit obiecta. Nunc in tertia parte, in qua perseuerat usq; ad finem huius capitis, uaticinatur Deum, perditis omnibus impijs, restauraturq; & reformaturum regnum Hierosolymitanum. Hoc est uaticinium de regno Christi, in quo solo uera iustitia dominatur & conseruatur, in quo etiam solo uera est & perpetua fœlicitas. Regna enim huius seculi, etsi instituuntur diuinitus, tamen ut propter inuictam hominũ maliciam non possunt tueri iusticiam, & afferre ueram fœlicitatem, ita non possunt esse diuturna. Quare Deus recipit se instauraturum regnum Christi sui, quod & conseruet uerã iusticiam, & nulli sit mutationi obnoxiũ, sicut alia regna, sed maneat perpetuo. Initio aũt huius partis cõqueritur spũs sanctus de urbe Hierusalẽ, hoc est, de regno Iudaico, quod prorsus degenerauit a maiorũ pietate, aut potius a diuinæ legis regula. Deus.n. elegit posteros Abrahæ in suum populum, non tm̃, ut essent spiritualis Ecclesia Dei, sed etiam ut daret eis externum regnum in hac terra, & constitueret regnũ illud legibus de cœlo reuelatis, quo periculum faceret, num posset iusticia & fœlicitas in mũdano imperio conseruari. Itaq; initio nõ dedit Israelitis reges, qui pro sua libidine dominarentur, sed tm̃ duces, aut Iudices. Post Mosen.n. fuit Iosua. Post Iosua, alij Iudices, qui nõ humana electione, sed diuinis miraculis excitati dominabantur in populo, & dñabantur magis autoritate q̃ imperio. Sed etsi hi fuerunt pręclari heroes, & defenderunt populum fortissime ab hostibus, tamen nõ potuerunt gubernatione sua populo ueram iusticiam & tranquillitatem cõferre. Deinde permisit Deus ut gubernatio Iudiciaria mutaretur in regnũ. Itaq; electus est Saul, quem secutus est Dauid, post quẽ Salomõ, qui dominarentur in Israel non tantum autoritate Iudiciaria, sed etiam maiestate regia. Quãquam autem Saul multa præclare pro Israel aduersus hostes gesserit, & Dauid confirmauerit regnum,

gnum, ac Salomon ornauerit regnum publicis ædificijs templi & aulæ regiæ, tamen ne sic quidem homines fuerunt in eo regno uere iusti, beati ac fœlices. Etsi enim magna erat in regno Salomonis pax & tranquillitas, tamen homines priuatis miserijs affligebantur, & post magnas, multas, ac uarias calamitates necesse habebant uel tandem mortem obire. Cum igitur per Monarchiam fœlicitas in Israel non promoueret, conniuit Deus, ut Monarchia diuideretur in duas partes, & in duo regna, quorum alterum esset in Hierusalem, alterum in Samaria. Sed ne sic quidem potuit humanis rebus consuli. Nam quo magis a Monarchia recedebant, eo propius ad interitum accedebant. Quare necesse fuit, ut instituerctur regnum Christi filij Dei, quo solo homines possunt in uera iustitia & tranquillitate conseruari. Sic Daniel concionatur de gentium Monarchijs, capite secundo & septimo, & docet, quod cum nulla terrena Monarchia potuerit hominibus afferre ueram fœlicitatem, necessarium sit regnum Christi. Si enim Israelitica Monarchia, quæ fuit instituta legibus de cœlo datis, non potuit suum populum iuuare, quid profuissent gẽtium Monarchię, quarum leges erant tantum humana ratione excogitatæ? Quod cum ita se habeat, opportune admodum conqueritur Esaias de regno Hierosolymitano, ut hac occasione doceat necessarium esse, ut aduenìat regnum Christi. Sed priusquam ea explicemus, quæ de regno Christi sequuntur, audiamus querelam Prophetæ de regno terreno in Hierusalem. Quomodo, inquit, facta est meretrix, ciuitas fidelis, plena iudicij: Iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidę, etc. Vrbs Hierusalem instituta est in Metropolin regni Iudaici, & Principes ac reges sunt in ea ad hunc usum ordinati, primum, ut summa fide administrarent regnum iuxta uerbum Dei, in religione, nec permitterent, ut uel falsa doctrina prædicaretur, uel aliena sacra aduersus legem Dei instituerentur, sed ut fidem, quam dederunt Deo, in suscipienda administratione regni, diligenter & constanter seruarent. In consecratione enim regis datus est liber legis in manus eius. Deutero. decimo septimo, &c. Deinde reges & Principes ordinati sunt in hunc usum, ut tueantur iudicium & iusticiam. Iudicium est punire sceleratos, & arcere malos ab inferendo bonis iniuria. Iusticia est defendere ac tueri bonos, & iustos, ne opprimantur a potentioribus & iniustis. Hæc sunt officia regum ac Principum. Sed quid factum est in Hierusalem? Vrbs, quæ fuit Deo coniuncta ut sponso sponsa, facta est meretrix, uiolauit fidem suam, & recessit a Deo, sicut adultera a suo legitimo marito. Leges quidem optimæ sunt, & fuerunt etiam quondam in

ea urbe Principes, qui tolerabiliter administrarũt Rempublicam, qualis fuit Dauid, & Iosaphat. Sed nunc omnia in peius mutata sunt, & quo hoc regnum diutius constiterit, eo peiora accident. In publicis iudicijs omnia plena sunt homicidiorum, hoc est, iniuidię, oppressionum paũperum, expilationum, & iniuriarum. In publicis mercimonijs omnia plena sunt impostura. Argentum uersum est in scoriam, hoc est, publica moneta uiciata est aut ferro, aut cupro. Et cum putes te accipere argentum uel aurum, tunc si explora ueris cuprum est. Vinum mutatum est in aquam. Vinum corrumpitur aqua, ut cum putes te a uini uenditoribus domum referre uinum, reportas aquam. Hæc de hominibus uulgaribus. Quid Principes? Nullam seruant fidem. Sunt socij furum. Accipiunt munera, & peruertunt iudicia. Non audiunt causas pupillorum & uiduarum. Coniungunt se cum potentibus & diuitibus. Causa autẽ uiduæ non ingreditur ad illos, hoc est, non prębent se ad audiendas & iudicandas causas miserorum hominum, sed uenantur apros aut ceruos. Breuiter, uulgus dat operam impostu ris; Principes dãt operam aut uoluptati, aut crudelitati. En, eo euadunt regna huius terræ. Quare necessarium est regnum Christi, ut uere iustificemur et seruemur. Ex his autem quæ Propheta hactenus recensuit, considerandum nobis est, Primum, quibus rebus, & quibus officijs

Regnorum conseruatio.

Principes tueantur sua regna. Non tuentur ea uel multitudine fœderum, uel ædificijs turrium ac murorum, uel magna caterua militum. Etsi enim per se nõ est impium his uti, tamen non sunt ea, quibus conseruatur regnum: Sed tunc cõseruatur, cum Principes sunt fideles, hoc est, constantes in seruanda promissione, quam in suscipiẽda dominatione Deo & hominibus dederunt. Sicut enim sponsa debet sponso suo seruare fidem, ne alteri sese iungat, uiuo suo sponso. Quod si autem iunxerit se alteri & uiolauerit fidem, tũc audit meretrix, seu adultera: ita & Principes debent suam fidem, quã coram Deo dederunt populis, inuiolate seruare, uidelicet, ut tueantur ueram religionem, & conseruent publicas leges, ac faciant iudicium & iusticiam &c. Deinde obseruandum est, quibus de causis regna mutentur, & qui sint autores & adiutores deuastationis

Regnorum mutatio.

regnorum. Non enim regna ideo mutantur, quia milites parum strenue aduersus hostem pugnant: sed quia Principes sunt cessatores & neglectores officij sui: accipiũt munera, non iudicant causam uiduæ. Vulgus autem dat operam impostura, commiscet uinum aqua, & studet omnibus dolis ac fraudibus &c. Ethnici uiderunt, nullum regnum in terra esse durabile, ideoque dixerunt, suos esse regnorum & rerumpublicarum πεϱιόδους. Non uiderunt autem causas

sas huius rei. Existimauerunt configurationes cœli magnam esse causam mutationis regnorum in terris. Propheta autem exponit hic ueram causam. Configurationes stellarum in cœlo non mutant regna, Sed impietas & iniquitas Principum ac subditorum sunt causa mutationis. Quare unicuique danda est opera, ne suis sceleribus fiat autor publicæ calamitatis, Sed adiuuet rempub. summa fide & pietate &c.

HEV EGO CONSOLABOR AB HOSTIBVS MEIS, ET VINDICABOR AB INIMICIS MEIS &c.

Commemorauit Propheta uitia & peccata regni Iudaici, nunc commemorat supplicium seu deuastationem eius. Heu, inquit Dominus Deus Zebaoth, cum tanta sit impietas & iniquitas regni Iudaici, in populo meo, necesse habeo immittere in regionē ipsorum hostes & inimicos, quorum opera utar quasi ad consolandum me, in sumenda pœna & ultione de tot sceleribus. Etsi enim non est in alienis afflictionibus pro carnali hominum ingenio gaudendum, tamen sua est spiritus sancti consolatio & gaudium, cum impij pro meritis suis puniuntur. Vnde Deuterō. uigesimo octauo dicitur: Sicut ante lætatus est Dominus super uos benefaciens uobis, uoscꝫ multiplicans, Sic lætabitur disperdens uos atq; subuertens &c. Et Psalm. lvij. Lætabitur iustus cum uiderit uindictam &c. Hæc est spiritualis lęticia, quæ concipitur non ex odio & inuidia erga homines, sed ex recto & iusto iudicio Dei. Et tamen hæc lætitia coniuncta est cum magna tristitia. Exclamat enim Deus: Heu, inquiens, capiam quidem consolationem ex eo, quod impij puniuntur: Sed uehementer doleo quod tot homines pereant. Quod autem Propheta hoc loco uaticinatur de regno Iudaico, non nihil quidem factum est in incursione regis Sanneherib in fines regni Hierosolymitani, & postea in deuastatione Babylonica. Sed maxime omnium impletum est, eo tempore, quo abiecta est gens Israelitica, ne esset populus Dei, postquam Christus aduenit, & regnum Christi uulgatum est per Euangelion, in totum orbem terræ. Hic autem nobis discendum est, initio, quod debeamus exemplo DOMINI Dei nostri tanto odio prosequi impietatem & iniquitatem, ut de supplicio eius magnam lætitiam capiamus, non quidem carnaliter, pro more inuidorum hominum, sed spiritualiter, iuxta sententiam Dei. Hic affectus, si esset in Magistratu, in patribusfamilias, ac in priuatis quibusque hominibus, non designarentur tanta & tam multa inter homines scelera. Magistratus enim seuerius animaduerteret in

Lætitia spiritualis.

Odium peccati.

eos qui sunt publice scelerati. Patresfamilias non conniuerent tam ignauiter ad peccata suæ familiæ. Et priuati quique conferrent suam operam, ne malis tanta pateret licentia peccandi. Nunc autem, quia magna ubique est ignauia puniendi peccati, ac Magistratus punit tantum ciuilia, parentes tantum domestica peccata, ea autem, quæ sunt aduersus uerbum Dei, aut nunquam, aut rarissime, & quasi aliud agentes puniunt, manifestum est, quod homines magis diligant impietatem, & iniusticiam, quam pietatem & iusticiam. Quod eo cognoscendum est, ut intelligamus magnitudinem peccati in carne nostra latentis, & remedium eius in Christo quæramus, &c. Deinde docet hic locus, Deum affligere quidem populum suum propter peccata, sed interim magno dolore affici propter afflictionem eius. Natura enim Dei est benefacere, non affligere. Cur ergo (inquis) affligit populum suum? cur non parcit ei? Parceret magna animi promptitudine, si non intelligeret populum indulgentia peiorem quam meliorem fieri. Itaque cum talis sit natura hominum, ut conniuentia reddantur deteriores, necesse habet Deus immittere afflictiones. Nec immittit alio consilio, quam ut benefaciat, & seruet. Quemadmodum & parens, non libenter utitur uirga, in castigandis pueris. Sed quid faciat? Pueri, nisi uirgam uideant ac sentiant, nihil recte agere uolunt. Hæc res in aduersis diligenter considerata, magnam affert utilitatem. Nam si Deus dolet in inferenda populo suo afflictione, facile conijci potest, afflictionem non fore diuturnam aut perpetuam. Natura enim Dei est benefacere, non affligere. Cum igitur suscipit affligendum suum populum, fieri non potest, ut afflictio sit durabilis, propterea quod nihil possit diu constare, quod cum natura Dei pugnat. Itaque concipitur patientia sufferendæ afflictionis, qui est cultus Deo gratissimus. Præterea, cum cognoscimus Deum non suscipere inferendum supplicium, nisi necessitate quadam, ut hac occasione liceat benefacere, quæ est propria natura Dei, confirmatur in pijs fides: Attollunt enim animos, ac bene sperant in aduersis, certa persuasione concepta, quod qui affligit, is etiam sit afflictionem ablaturus, & ueram salutem daturus. In hoc enim malefacit, ut benefaciat, in hoc affligit, ut seruet, &c. Nam quod Deus hoc consilio immittat supplicia in populum suum, perspicue docet cum ait, ut sequitur: CONVERTAM MANVM MEAM AD TE, &c. hoc est. Etsi te affligam, tamen non auertam manum meam a te, Sed potius ad te conuertam, ut seruem te. Etiamsi perdam externum regnum Iudaicum, non tamē perdam spirituale

Deus cur affligat suos.

regnum

regnum Christi, sed instituam illud, & conseruabo perpetuo. Audiamus igitur nunc, quale sit regnum Christi, & quæ beneficia contingant in eo hominibus. Primum: Excoquam, inquit, ad purum scoriam tuam, & auferam omne lithargyrium tuum. In regnis huius mundi uiciata fere est moneta, & cum putes te accipere argentum uel aurum, accipis lithargyrium, scoriam, cuprum, æs, aut stannum. Ac sæpe quidem in comicijs tractatur de cudenda bona moneta, sed tam peruersi sunt hominum mores, ut quicquid boni constituunt, mali abutuntur. In regno autem Christi moneta erit purissima, Aurum & argentum mundissimum. Quæ ergo est illa moneta in regno Christi? Ex doctrina Euangelij manifestum est, quod regnum Christi non sit corporale, sed spirituale. Quare & hæc moneta est spiritualis. Moneta autem dicitur ea, qua res emuntur, comparantur & permutantur. Sicut ergo moneta est spiritualis, ita necesse est res quoq; quas uolumus comparare, spirituales esse. Hæ autem sunt iusticia, uictoria mortis, regnum cœleste, uita & fœlicitas sempiterna. Videndum igitur est quæ sit illa moneta, per quam comparamus hæc spiritualia bona. Cum enim hæc bona sint longe omnium excellentissima & pretiosissima, non est dubium, quin & moneta debeat esse optima & purissima. Ac hypocritæ afferunt quidem suam monetam, qua student emere cœleste regnum, uidelicet, merita suorum bonorum operum. Alius affert centum aut mille Missas, non tam pro se adhuc uiuo, quam pro omnibus defunctis amicis suis. Alius affert aliquot peregrinationes ad sepulcra sanctorum. Alius affert & numerat aliquot numos, quos distribuit in eleemosynam. Hæc & id genus alia, sunt moneta illa, quam hypocritæ obtrudunt Deo, ut uicissim recipiant iusticiam & uitam æternam. Sed hæc moneta non agnoscitur, nec recipitur a Deo, pro cœlestibus suis bonis. Quædam enim sunt opera, quæ Deus non iusserit facere. Quare hæc opera iudicantur pro corrupta moneta, quæ sit scoria aut cupro uitiata. Quædam sunt opera præcepta quidem a Deo, sed quæ non fiant perfecte ab homine. Hæc similiter non agnoscit Deus pro iusta moneta, quippe quæ non satisfaciat diuinæ suæ legi. Alia igitur moneta quærenda est, qua Deo satisfieri possit. Nulla autem potest inueniri, præter Iesum Christum seruatorem nostrum. Hic totus est iustus & sanctus. Hic peccatum nõ fecit, nec est inuẽtus dolus in ore eius. Is igitur Iesus Christus est moneta illa, qua sola Deo satisfit, & quã si numeres, Deus agnoscit. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitũ est. Accipitur aũt Christus fide, ex Euãgelio eius, & numeratur Deo per fidem. Quare si numeraueris Deo Christũ filium suum,

Regnum Christi quale.

Moneta hypocritica.

Moneta bona & iusta sola, Christus.

hoc est,si credideris in Christum,quod ipse sit tuus seruator,Deus uicissim numerat ac tradit tibi regnum cœleste, & omnia bona eius. Excoquam, inquit,ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum,hoc est,instituã in te optimam & purissimam monetam,qua mihi pro regno cœlesti satisfieri potest. Cum ergo nulla sit alia moneta,qua possit regnum cœleste comparari,præter Iesum Christum, propter quem solum Deus credentibus in ipsum fauet,perspicuum est, quod Propheta hoc loco de Christo uaticinetur,& polliceatur Christum uenturum, qui solus sit precium æternæ uitæ. Porro non solum est hoïbus commercium cum Deo, sed etiam cum hominibus. Quæ ergo est moneta,qua homines hominibus satisfacere possunt? Non loquimur modo de ciuili moneta,sed de spirituali. Hæc autem est caritas. Nemini, inquit Paulus, quicquam debeatis, nisi hoc ut inuicẽ diligatis. Et lex ait: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hæc moneta, etsi non est in pijs omnino pura & perfecta,tamẽ quia imbecillitates piorum condonãtur propter Christum, reputatur & ipsa propter Christi puritatẽ, in conspectu Dei,pura, si modo operam dederimus, ut opera carnis spiritu mortificemus. Deinde ait: Restituam iudices tuos ut fuerunt prius,& consiliarios tuos,sicut antiquitus. Hæc intelligenda sunt de Apostolis, qui sunt optimi iudices & consiliarij Ecclesiæ. Nam quondam fuerunt Patriarchæ,Moses,Dauid, & Prophetæ. Hi optimi gubernarunt Ecclesiam Dei, & consuluerunt saluti eius. Non est nũc sermo de externa gubernatione & imperio, quod reges & Principes in Israel administrarunt, sed de doctrina, qua Christus promissus & prædicatus fuit. Hi enim omnes diligentissime ac fidelissime de Christo prædicauerunt: Qua prædicatione ita consuluerunt saluti Ecclesiæ,ut quotquot huic doctrinæ fidem habuerunt,consecuti sint ueram iusticiam,& æternam uitam. Promittũtur ergo nunc similes iudices,& consiliarij,quos Deus in aduentu Christi sit excitaturus. Hi sunt Apostoli, qui Euangelion Christi uulgarunt in totum orbem terrarum, & constituti sunt iudices super xij. tribus Israel, imo super totum humanum genus, hoc uidelicet modo, quod extremũm iudicium ferendum sit iuxta prædicationem Apostolorum, ut quotquot crediderint concioni eorum de Christo,seruentur,quotquot autem non crediderint, pereant inæternum. Christus enim de Apostolorum doctrina dixit: Qui uos audit,me audit,&c. Et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,&c. Et: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluabitur, &c. Habes quale regnum Deus sit in Hierusalem instauraturus, uidelicet tale, in quo non sit nisi bona moneta, & boni iudices. Hoc est regnum Christi.

Moneta inter homines charitas,

Apostoli iudices optimi.

Christi. Cum ergo hæc fiant, tunc uocaberis, inquit Propheta, ciuitas iusta, & urbs fidelis. Hæc sunt cognomina cœlestis Hierusalem, seu regni Christi, & Ecclesiæ eius. Nec fuit ullum regnum in terris, nec ulla ciuitas, quæ hæc epitheta reportauerit. In regnis enim & ciuitatibus huius terræ, & si aliquando sunt optimi Principes & sapientissimæ leges, tamen tanta est hominum malicia, ut leges perrumpant, & iniuste uiuant. Sunt etiam uariæ in his mutationes. Nunc enim est clemens princeps, mox sequitur crudelis. Quare nullum est regnum, quod possit proprie dici iustum: nec ulla est ciuitas, quæ possit dici fidelis, hoc est, in uera iusticia & æquitate constans. Solum autem regnum Christi iustum dicitur, & sola Ecclesia dicitur fidelis, seu constans. Nam in regno Christi, est perpetua iusticia. Nunquam enim mutatur Christus, sed semper est uere iustus & sanctus. Quisquis ergo in Christum credit, semper & perpetuo reputatur coram Deo iustus & sanctus propter Christum. Nec est ulla tanta uiolentia, quæ Ecclesiam Christi in terris possit delere, & iusticiam Christi ab ea auferre. Quare hæc sola opera nobis danda est, ut quia non possumus in regnis & ciuitatibus huius mundi certam, firmam, & constantem fœlicitatem inuenire, maneamus in regno Christi, & Ecclesia eius, quæ cum sit ciuitas iusta & fidelis, dabit incolis suis firmam iusticiam, & perpetuam fœlicitatem. Sed quid? Num indiscriminatim omnes, qui sunt in externa ciuitate Hierusalem, aut qui iuxta externam speciem in Ecclesia seu regno Christi in terris uersantur, fruentur tantis beneficijs huius regni? De hac re concionatur nunc Propheta usque ad finem huius capitis, & ait: Zion in iudicio redimetur, & captiui eius in iusticia. Zionis nomine uocatur tam externa ciuitas Hierusalem aut regnum Iudaicum, quam externa congregatio Ecclesiæ. Iudicium autem dicitur, quemadmodum paulo ante indicatum est, cum nocentes pro meritis suis puniuntur: Iusticia autem, cum innocentes defenduntur. Quod ergo Propheta dicit, habet hanc sententiam: Non omnes, qui sunt in externa uel ciuitate Hierusalem, uel congregatione Ecclesiæ fruentur beneficijs regni Christi, Sed erit delectus nocentum, & innocentum, impiorum & piorum, iniustorum, & iustorum. Iniusti enim peribunt inæternum, Iusti autem & innocentes seruabuntur inæternum. Est & hæc conditio opposita regnis & ciuitatibus huius seculi. Nam in his regnis & ciuitatibus magna est rerum confusio, & perturbatio. Solenne enim est, quod impij ducant in his fœlicem uitam, & fruantur omnibus honoribus ac dignitatibus, pij autem ducant infœlicem uitam, & opprimantur. Ac uideas sceleratissimos quosque, sed astu- Zion.

tos & ſolertes,ac potentes dominari, & omnium rerum potiri,optimos autem & honeſtiſsimos affligi,& uix panem,quo famem ſuſtentent,habere. Itaq; etſi præceptum eſt Principibus ut faciant iudicium & iuſticiam, tamen tanta eſt hominum impietas & iniquitas,ut hoc præceptum, in regnis huius mundi non poſsit uere obſeruari. In regno autem Chriſti longe aliter res ſeſe habet. Nam in hoc diligentiſsime & conſtantiſsime ſeruantur iudicium & iuſticia. Ac Prophetæ de Chriſto hoc præcipue adnunciauerunt, quod ſit adminiſtraturus regnum ſuum in iudicio & iuſticia. Eſa. nono. Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit,ut confirmet & corroboret illud in iudicio & iuſticia, Pſalm. ſeptuageſimo primo. Deus iudicium tuum regi da, & iuſticiam tuam filio regis, &c. Hier. xxiij. Faciet iudicium & iuſticiam in terra, &c. Hæc omnia ſignificant quod in regno Chriſti pij & iuſti fœliciter uiuent, & defendentur ab omnibus malis. Impij autem & iniuſti,erunt infœlices,& punientur pro ſuis meritis. Sed quos dicemus iuſtos & pios,& quos iniuſtos, & impios? Si reſpiciamus naturam humanam,& opera hominum,nullus eſt uere coram Deo iuſtus & pius. Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei. Si autem conſideremus Ieſum Chriſtum, tunc hi dicuntur iuſti & pij, qui agnoſcunt Chriſtum per fidem & mortificant opera carnis,ne peccatum dominetur in corpore ipſorum. Et hi ſemper ſunt fœlices in regno Chriſti. Etſi enim ad tempus in hoc ſeculo affligi ſolent, tamen ea afflictio eſt momentanea,& compenſatur gaudio regni cœleſtis. Illi autem dicuntur iniuſti & impij, qui non agnoſcunt Chriſtum,nec credunt in eum, & qui ſectantur deſideria carnis ſuæ, ac uiuunt impœnitenter in peccatis. Et hi ſemper ſunt infœlices. Quanquam enim fruantur temporaria quadam fœlicitate,tamẽ ea non eſt diuturna,ſed uia ad perpetuam infœlicitatem.

ET CONTERET SCELESTOS ET PECCATORES SIMVL,&c.

Dixit Propheta Zionem redimi in iudicio, & iuſticia, hoc eſt, in regno Chriſti innocentes ac pios ſeruari, nocentes autem & impios puniri. Sed quia maxima eſt fœlicitas impiorum in hoc ſeculo,idcirco Propheta pluribus commemorat interitum eorum, ut conſeruet pios in officio, ne offendantur impiorum fœlicitate, & deterreat impios a peccando, ſi forte uel aliqui ex ipſis reſipiſcant, & conſequantur ſalutem. Cæterum ut hanc concionem rectius intelligamus, conſiderandus eſt ſtatus eius temporis,quo Eſaias hæc concionatus eſt. Nam oſtendimus ſupra,quod Eſaias habuerit hãc concionem ſub rege Ahaz. Eo igitur tempore triplex erat in terris ordo impiorum,peccatorum, ſeu eorum qui dereliquerant Dominum,

num. Primus erat gentium incircunciſarum. Hæ omnes colebant ficticios deos, & derelicta Patriarcharum religione, ſectabantur idola, quibus confidebant. Hæc religio ita publico conſenſu hominum, multitudine gentium, potentia Monarcharum, abundãtia opum, & ſapientia Principum confirmata erat, ut uideretur inæternum duratura, nec fieri poſſe ut aboleretur. Secundus ordo erat Iudæorum, qui & ſi habebant legem Dei, tamen hac derelicta, ſectabãtur impia ſacra ſub quercubus, in Lucis & excelſis. Hęc ſacra habebant autoritatem ex conſuetudine, ex maiorum approbatione, ex regum defenſione, ex uulgi conſenſu, & ex multitudine opum, quibus conſtituta & fundata erant: quemadmodum in regno Pontificio Miſſa & alia Papiſtica ſacra, quæ ſic corroborata iudicabantur, ut abrogatio eorum impoſsibilis uidebatur. Tertius ordo eſt hominum ſceleratorum & impœnitentium, qui contempta omni religione ſectantur deſideria carnis ſuæ. Videntur & hi habere in hoc ſeculo firmam fœlicitatem. Quare Propheta concionatur aduerſus omnes iſtos impios & peccatores, præſertim autem aduerſus hypocritas, tam Gentium quam Iudæorum, qui confidunt ſua impietate. Alij enim ſcelerati etiam ſuo iudicio pereunt, & manifeſte ſciunt, quod non ſeruentur propter ſcelera ſua, hi autem confidunt ſua hypocriſi, & ſperant ſe propter ſacra ſua, quæ tamen ſunt impia, conſecuturos ſalutem. Grauiter ergo inuehitur in eos Propheta, & docet eos certo ac perpetuo interituros. Confundentur, inquit, a quercubus, ſub quibus ſacrificauerunt &c. Nam Iudæos ſub quercubus & in hortis contra uerbum Dño ſacrificaſſe, manifeſtius eſt ex ſcriptura, quam ut hoc loco pluribus commemorari debeat. Primum ergo, pœna & interitus impiorũ certiſsimus eſt. Quod ut declaret Propheta, ſimilitudinibus exponit. Horum una eſt: Eritis ſicut quercus defluẽtibus foliis. Quercus cum adhuc uiret, eſt arbor patula, magnam umbram, & plurimum fructum prębens: ſed cum exaruerit, non eſt utilis niſi ad ignem. Sic impij propagant ſeſe latiſsime, ſed ſunt arida quercus, nec fructum ferunt, nec uſui eſſe poſſunt, niſi proijciantur in ignem. Cum igitur propoſita nobis fuerit quercus arida, admoneamur de pœna impiorũ. Hi enim uidentur magni, & alti, & bene radicati, ſed quia non habent uirorem pietatis, debent eſſe pabulum ignis. Altera ſimilitudo eſt: Velut hortus abſq; aqua. Horti plantati in locis petroſis, aut montibus ſaxoſis, pollicentur quidem in uere herbas. Sed poſt quam Solis calor per æſtatem augetur, & pluuia deeſt, exareſcunt. Sic & hypocritæ confidentes impijs ſacris, uidentur florere, ſed poſtquam reuelatus fuerit ardor diuini iudicij, neceſſe habent exareſcere & perire. Tertia ſimilitudo eſt: Fortitudo ueſtra, hoc eſt, im

Impiorũ triplex ordo.

Quercus arida, qui.

Hortus abſq; aqua.

Fortitudo, ſtipula.

pium ſacrum, quo uos confiditis, & ſperatis eſſe fortitudinem ueſtram in diuino iudicio, eſt uelut ſtipula: & cultor ſeu factor huius ſacri eſt ſicut ſcintilla. Vtrumq; ſimul ſuccendetur. Sic etiam impius cultor & cultus una pereunt. Hæ ſimilitudines idcirco nobis proponuntur, ut quoties uidemus has res, a quibus ſimilitudines ſumptæ ſunt, admoneamur de certitudine ſupplicij & interitus impiorum, & caueamus ab impietate. Deinde ignis & interitus impiorum, eſt perpetuus. Nõ erit, inquit, qui extinguat. Quis enim extingueret? Num Deus? Sed is eſt iudex, qui impios conijcit in ignem. Num angeli? Sed hi ſeruiunt uoluntati Dei punientis impios. Num amici? Sed hi nec ſeipſos iuuare poſſunt, niſi ſi quis clementia Dei per Chriſtum ſeruatus fuerit. Cæterum, quæ Prophe ta concionatur de abrogatione impiorum ſacrorum, & de interitu hypocritarum, ea cœpta ſunt impleri in regno Chriſti, poſtquam Euangelion diuulgatum eſt per Apoſtolos in orbem terræ. Tunc enim confuſi ſunt impij Iudæi, abolita ſunt omnia ſacra eorum: Confuſæ item ſunt omnes gentes ab idolis & ſacrificijs ſuis. Omnia enim Ethnicorum ſacra per Euangelion abrogata ſunt. In regno enim Chriſti nihil impietatis conſtare poteſt. Et, ut Daniel dicit, Lapis abſciſſus de monte comminuit omnia regna. Sic etiam comminuit omnes impietates, non ſolum eo tempore, quo reuelatum eſt regnum Chriſti per Euangelion, ſed etiam ab initio orbis terræ. Et quemadmodum Iudæorum ac Ethnicorum impietates abrogatæ ſunt, ita etiam nunc abrogantur Papiſticæ impietates. Abrogabuntur etiam Mahumetanæ impietates, quamuis uideantur firmiſsimæ. Solum enim regnum Chriſti ſtabit perpetuo. Impij autem inæternum peribunt cum ſuis impietatibus, id quod in hoc quidem ſeculo utcunque incipit impleri, in nouiſsimo autem die palam reuelabitur, & manebit perpetuo impletum &c.

CAPVT II.

ET ERIT IN NOVISSIMIS DIEBVS PRÆPARATVS MONS &c.

Sequitur alia concio, in qua regnum Chriſti copioſe deſcribitur. Continet autem duas præcipue partes. Altera tractat de uocatione gentium: Altera, de abiectione Iudæorum. Longa eſt hæc concio, in qua Propheta commoratur uſque ad quintum caput. Sed ſitientibus & quærentibus ueram ac cœleſtem ſalutem, nulla de pietate oratio nimis longa eſt. Quare attentis animis conſideranda ſunt, quæ Propheta, imo ſpiritus ſanctus, nobis concionatur,

tur. Initio autem exponemus occasionem huius concionis. In priori concione dixit Propheta scelestos conterendos, & eos, qui dereliquerunt Dominum, consumendos igni inextinguibili. Quid ergo fiet, inquiet quispiam, in terris? Si omnes scelesti sunt conterendi, nullus certe hominum seruabitur, sed omnes pereant necesse est. Omnes enim sunt scelesti, omnes peccauerunt, & simul inutiles facti sunt. Suscipit igitur Propheta, concio enim concionem gignit) de regno Christi concionandum, ut significet ac doceat, quod etsi homines sunt peccatores, tamen possint seruari propter Christum, si Euangelion eius accipiant, & ut ipse loquitur, in semitis eius ambulent, hoc est, si crediderint in Iesum Christum, quod propter ipsum habeant propicium Deum in cœlis. Eadem occasione solemus & nos de Christo & Euangelio eius prædicare, ut territi peccatis cognoscant unde uera salus sit petenda. Præterierunt iam mille quingenti anni, ex quo Christus uitam egit inter homines. Et tamen si peccatores consolãdi sunt, recipimus nos cogitationibus & concionibus nostris ad ea prẽterita tempora, quibus Christus expiauit peccata hominum Passione & morte sua. Non igitur mirandum est, si Esaias & alij Prophetę respexerunt in eiuscemodi occasionibus ad uentura tẽpora Christi, prẽsertim cum Esaias non abfuerit ab aduentu Christi ultra octingentos annos. Quare non est sentiendum, Prophetam temere in hanc concionem de regno Christi incidisse. Est & alia occasio, quæ diserte recitatur apud Michęam in fine tertij capitis. Nam Michæas prorsus eadem de regno Christi concionatus est, quemadmodum uides Mich. capite quarto. Prophetæ enim sæpe ac multum differebant de deuastatione urbis Hierusalem, quæ facta est a Nebucad Nezare. Zion, inquit Michæas, quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi acer uus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum. Quid ergo, dicet quispiam? Si deuastabitur metropolis Iudæorum, certe gens etiam ipsa peribit? Quomodo igitur uerum erit, quod Prophetæ dixerunt de aduentu Messię? Dixerunt eum regnaturum in Zion, in populo Israel. Sed quomodo regnabit in Zion, si Zion arabitur quasi ager? His necesse est prædicari de regno Christi, ut auditores intelligant, quod etsi Hierusalem delebitur per Babylonios, tamẽ necesse est eam restaurari, ut Messias suscipiat in ea regnum suum, & dicat ex eo loco ius omnibus gentibus. Sic & nos solemus de regno Christi concionari, quoties Turca minatur internecionem Christianis, & suscipit, eiectis aut oppressis Christianis magistratibus, imperia deuictarum nationum. Etsi enim Turca uincit Christianos bello, & aufert ab eis externam dominationem, tamen non potest abolere Ecclesiam Christi, quæ semper in hoc orbe con

stabit, & habebit suos nutricios, ac patronos; habebit sua hospitia & domicilia in regnis gentium. Accedit huc & tertia occasio. Iudæi enim ualde confidebant carnali sua nobilitate, & externis sacris, uerbo Dei institutis, ideoque existimabant, quod etsi impie uiuebant, tamen Deus seruaturus esset gentem ipsorum. Docent igitur Prophetæ de regno Christi, ut Iudæi discant, quod in eo regno nullus sit personarum respectus, sed quod Deus susceptus sit Gentes incircuncisas, si agnouerint Christum, abiectus autem Iudæos, si ipsi Christum abiecerint. Quæ cum ita se habeant, audiamus nunc concionem Prophetæ. In nouissimis, inquit, diebus. Nouissimi dies dicuntur Aduentus Christi in carnem. Vnde & Paulus dicit: Nos sumus, in quos termini ætatum inciderunt. Et Ioannes: Filioli, Nouissima hora iam est &c. Dicitur autem hoc tempus nouissimũ, propterea quod hoc tempus fuerit finis, in quem Prophetæ respexerunt, nec est aliud Euangelion in terris expectandum, nec quicquam nũc aliud negocij nobis est, quam ut expectemus secundum aduentum Messiæ in gloria & maiestate. Sicut enim in nouissima parte diei, quæ est Vespera, homines incipiunt se intermissis diurnis operibus, ad quietem componere: ita sentiamus nos uersari nunc in nouissimo tempore huius mundi, ut excitemur ad relinquenda opera mundi, & ad suscipiendam fœlicitatem, quæ nobis in Christo parata est. Quid ergo erit in his nouissimis diebus? Mons domus Domini erit in uertice montium, & eleuabitur super colles, hoc est, Mons Zion, in quo situm est templum, erit altissimus omnium montium, & superabit altitudine sua omnes alios colles & montes. Hoc Iudæi, uanissimi homines, intelligunt de externa altitudine. Sed primum, manifestum est, quod Propheta hoc loco loquatur de tempore & regno Messiæ. Deinde manifestum est, quod Iesus ille Nazarenus passus sub Pontio Pilato, sit uerus Messias, etiamsi impij Iudæi id pertinaciter negent. Postremo manifestum etiam est, quod regnum Messiæ non sit mundanum. Quare manifestum erit quod Propheta hic loquatur non de mundana, sed de spirituali altitudine, & de dignitate, qua hic mons propter res in eo gerendas, & nunc gestas, omnes alios montes in toto orbe terrarum, ac etiam montem Sinai superet. Quæ ergo est illa dignitas? Enumerabimus tres præcipuas dignitates. Vna est, quod Messias ipse, unigenitus filius Dei, docuit in hoc monte, & in hac urbe Euangelion suum. Vnde & Agg. secundo dicitur: Maior erit gloria domus istius nouissimæ, quam primæ, dicit Dominus Zebaoth &c. Altera est, quod Messias in hoc loco multa ædidit miracula. Tertia quod in hoc loco, in urbe uidelicet Hierusalem, in qua est

Nouißimi dies &c.

Zionis dignitas.

mons

mons Zion, Spiritus sanctus missus sit Apostolis in die Pentecostes, & Apostoli inceperunt ibi diuulgare Euangelion Christi. Ex hoc enim loco postea sparsum est Euangelium Christi per Apostolos in totum orbem terrarum. Hæc maxima est dignitas, quæ nulli alteri loco in tota terra contigit. Quare hic mons & hic locus dicitur optimo iure exaltatus & eleuatus supra omnes montes & colles. Quid autem deinceps fiet? Fluent, inquit, ad eum omnes Gentes &c. Hæc est uocatio Gentium. Non enim solum Iudæi accipient beneficia Messiæ, Sed etiam Gentes. Fluent, inquit, ad hunc montem, hoc est, non uenient coacti, & parua manu, sed uenient quasi flumen inundans, maxima & innumerabili multitudine. Nam quod Gentes accepturæ essent beneficia Messiæ, & quod Messias etiam ad Gentes incircuncisas pertineat, iam olim diuinitus erat reuelatum. Ad Abrahamum dicitur: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Iacob ait: Ipse erit expectatio, seu iustificatio Gentium. In Psalmo canitur: Postula a me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum: Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ. Cum his igitur uaticinijs iam olim dictis conuenit Esaias, & dicit Gentes ad montem Zion affluxuras. Et postea capite sexagesimo: Filij tui de longe uenient &c. Intelligunt etiam hoc Iudæi de externa profectione Gentium ad Hierusalem, & de mundano Imperio Messiæ inter Gentes. Sed hæc externa profectio omnium Gentium ad Hierusalem, ut fieri non potest, ita intelligenda est iuxta modum regni Christi. Christus enim non est mundanus Monarcha, ita & hæc Gentium profectio non est mundana. Et res ipsa interpretatur, quomodo Gentes dicantur proficisci ad montem Zion. Nam ab eo monte diuulgatum est Euangelion in totum orbem terræ, inter omnes Gentes. In quocunque igitur loco Gentes receperunt Euangelion Christi, dicuntur profectæ esse ad montem Zion. Acuinaquæuis parochia, in qua prædicatur Euangelium Christi, facta est Mons Zion. Et qui in eam ueniunt, audituri Euangelium, & cognituri Christum, accedunt ad montem Zion. Sic Cornelius & alij in Cæsarea accesserunt ad montem Zion, cum crederent in Christum, & acceperunt Spiritum sanctum, etiamsi non fuerunt tunc profecti ad Hierusalem. Sic Galatæ, sic Corinthij, sic alij fluxerunt ad montem Zion, cum agnouerunt Euangelion Christi. Huc etiam pertinet exhortatio illa, qua inter se dicunt: Venite ascendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob, & docebit &c. Hæc est cohortatio, qua Gentes sese mutuo excitarunt, ut agnoscant Christum, & credant Euangelio eius. Nam

Gentium uocatio.

Act. 10

cum Euãgelion per Apostolos uulgaretur inter gentes,& cõfirmaretur miraculis, fama celeriter peruenit de domo in domũ,de familia in familiã,de ciuitate in ciuitatẽ, de prouincia in prouinciam,adeoq; de regno in regnũ. Itaq; cũ alter alteri significaret, quę noua doctrina prędicaretur,& quãta salus credẽtibus promitteretur, admonuit etiã hic, qui crediderat,illũ amicum suũ, ut & ipse agnosceret hanc doctrinam,quo et uerã consequatur salutẽ. Non dimoueamini,inquit Paulus,a spe Euãgelij quod audistis,& quod prædicatum est apud VNIVERSAM CREATVRAM quę sub cœlo est. Et paulo ante: Euãgelion peruenit ad uos,quemadmodum etiã in TOTO MVNDO fructificat. Quod igitur Propheta dicit, gentes sese mutuo exhortaturas, tunc cœptũ est impleri, cum Euãgelion diuulgatũ est per totum orbem terrę,inter gentes, & adhuc impletur,publice ac priuatim,uidelicet cum admonentur homines per publicam concionem,ut diligenter discant Euangelion: adhęc, cum ciuis ciuem admonet,ãge,inquiẽs, ingrediamur in templum, & audiamus concionem. Similiter, cum paterfamilias mandat suæ familiæ,ut eant ad Ecclesiam, & discant Euãgelion Christi. Sed operęprecium est,ut cognoscamus, quõmodo hi exhortatores commendent Euangelion Christi: de hoc enim nunc tractatur. Dicunt autem: Docebit nos uias suas,& ambulabimus in semitis eius. Hęc est triplex commendatio Euangelij Christi. Vna est, quod Messias qui Euãgelion docet,Dominus ipse Deus est. Dicunt enim: Docebit nos, nimirum Dominus Deus. Tractatur autem hic de doctrina Messię,quam Messias primum omnium docuit,& cuius nomine postea Apostoli docuerunt. Quare Propheta hoc loco significat Messiam seu Christum, esse uerum Dominum Deum,& qui Euãgelion Christi audit,is audit uere diuinam doctrinam. Altera est,quod Euãgelion reuelat uias Domini Dei,hoc est, expõnit nobis omnem uoluntatem Dei,ut per Euangelion possimus cognoscere quem affectum Deus erga nos homines gerat, & quibus uijs nos uelit seruare. In Euangelio autẽ docemur, quod Deus propter Christum faueat omnibus credentibus in Christum, & quod hac una uia uelit homines seruare, si crediderint in Christum. Tertia commendatio est,quod Euangelion afferat nobis spiritum, ut ambulemus in semitis Dei, ut postquam credidimus in Christum, obediamus uocationi eius,mortificemus opera carnis,& faciamus opera spiritus,ac postremo ingrediamur deuicta morte, in æternam & cœlestem uitam. Hæ sunt semitæ Dei, in quibus ambulandum est. Cæterum quia Propheta dixit Montem Zion exaltandum super omnes montes, & gẽtes affluxuras ad eum,addit nunc causam, Et ait: Quia de Zion exibit lex,& uerbum Dñi de Hierusalẽ. Et iudicabit

Colo. 1.

Euangelij triplex commẽdatio

dicabit gentes, & arguet populos multos. Hoc iterum sic dici uidetur, perinde ac si Messias habitaturus sit in Hierusalē, & ex eo loco daturus omnibus regnis & populis sua iura & leges, ut quicūq; in toto orbe terrarū aliquā controuersiam habeat, et cadat ex equa sua causa apud inferiores Iudices, appellet ad Zion & Hierusalem, in qua debeat esse Cancellaria, & Camera, ut uocāt, Messię, & in qua sit Consistorium, Iudicium Cameræ, seu Perlamentum, quod sit extremum in controuersijs iudiciū, & a cuius sententia non liceat appellare ad alium iudicē. Hanc phantasiam de regno Messiæ uidentur adhuc habere Iudęi. Sed quæ Propheta dicit, de Euāgelio Christi intelligēda sunt. Et res ipsa interpretatur. Nam postq̄ Christus ipse uerus Dominus & Deus aliquoties prædicasset Euangelion suum in monte Zion & in Hierusalem, ac morti traditus resurrexisset a mortuis, misit spiritum sanctum suum Apostolis in die Pētecostes in urbe Hierusalem, qui eodem die & loco inceperunt Euangelion Christi publice prædicare, & ab eo tempore atq; loco diuulgare in totum orbem terræ, inter omnes populos & nationes. Hoc futurum uidit Propheta per spiritum sanctum, ideoque dicit: De Zion exibit lex. Legem autem intelligit non legem moralem, aut politicam, aut Leuiticam, quemadmodum exiuit de monte Sinai, Sed intelligit doctrinā Euangelij. Est. n. hoc loco tacita antithesis, q̄uasi diceret Propheta: Ante exiuit lex seu doctrina de monte Sinai. Sed lex peruenit ad paucos hoīes. Soli Iudęi agnouerunt eā. Præterea illa lex ostendit pctā, non aufert. Itē, occidit, nō uiuificat. Adhæc dānat hoīes, nō saluat. Est doctrina plena irę, maledictiōis & internecionis, si nō aliud accesserit. Nunc aūt in die Pentecostes exibit lex seu doctrina, q̄ perueniet ad oēs populos. Hoc. n. significat, cū ait: Iudicabit gētes, & arguet populos multos. Etsi. n. hæc sic dicuntur, perinde ac si Christus dñaturus esset lege & imperio suo inter gētes, sicut solēt mundani reges, tñ quia regnū Christi nō est mundanū, uoluit Propheta his uerbis significare, Euāgelion Christi a Hierusalē diuulgandū esse inter oēs gentes, & uocaturę eas ad uerā salutē: sic. n. dicit Christus in Actis ca. i. Eritis mihi testes, nō solū Hierosolymis, uerūetiā in uniuersa Iudæa, Samariaq;, deniq; usq; ad extrema terrę. Prętera, hæc doctrina q̄ exibit de Zion, q̄a erit alia doctrina, q̄ q̄ ante exiuit de Sinai, idcirco aufert pctā, uiuificat hoīes, & saluat credētes in Christū. Hęc. n. oīa fiunt per Euangelion Christi, quēadmodum alias sępe dictū est. Sed ad q̄d utile est, quod in cognoscēda hac Prophetę concione occūpemur, & ab alijs negocijs distrahamur, prętertim cum omnia manifestiora extant in Apostolicis scriptis? Recte quidem dicis, quod hæc sint clariora in scriptis Apostolicis, quia Apostolica scripta sunt expositio &

Euangelion diuulgādum à Hierusalē.

Prophetica-rum concio-num utilitas.

commentarius propheticorum ſcriptorum: Sed ſua, eaque maxima eſt utilitas ac neceſsitas harum propheticarum concionum. Primum enim mandatæ ſunt literis & propagatę uſque in tempora & Eccleſiam Gentium, ut nos qui ſumus ex Gentibus cognoſcamus hunc Ieſum, quem credimus Chriſtum, eſſe uerum illum ſeruatorem, quondam per Prophetas promiſſum. In hoc enim Ieſu omnia impleta uidemus, quæ Prophetæ de Chriſto concionati ſunt. Non enim crederemus Ieſu Chriſto, niſi Prophetis crederemus, hoc eſt, niſi uideremus ea quæ Ieſus Chriſtus ſuo Euangelio adnunciauit, ante per Prophetas promiſſa fuiſſe. Deinde cognoſcimus ex hac concione Eſaiæ, quod beneficia Chriſti pertineant etiam ad nos Gentes. Iudæi enim neminem recipiebant in ſuam politeian, niſi factum Iudæum, hoc eſt, circunciſum. Sic etiam ſentiebant Chriſtum non pertinere ad Gentes, niſi circunciderentur. Dicunt enim in Actis Apoſtolicis: Niſi circuncidamini ſecundum morem Moſi, non poteſtis ſalui eſſe. Sed Eſaias docet Chriſtum pertinere maxime omnium ad Gentes incircunciſas. Nomine autem Gentium continentur etiam ſceleratiſsimi quique peccatores. Quare ſi hi conuertantur ad Chriſtum, & reſipiſcunt, conſequuntur & ipſi ſalutem. Addendum & hoc, quod hæc concio docet noſtram religionem, qua credimus in Chriſtum, eandem eſſe cum Patriarcharum & Prophetarum religione. Quare debemus ex his propheticis concionibus fidem noſtram in Chriſtum confirmare, ut aucti Spiritu ſancto ambulemus in ſemitis Dei ad æternam uitam &c.

ET CONFLABVNT GLADIOS SVOS IN VOMERES &c.

Dixit Propheta Chriſtum iudicaturum Gentes & pŏpulos, hoc eſt, dominaturum a mari uſque ad mare, dominaturum Euangelio ſuo in toto orbe terrarum, inter omnes Gentes & nationes. Nunc autem exponit, quomodo Chriſtus accepturus ſit regnum & dominationē ſuam in terris. Nam Monarchæ, qui inter Gentes regnāt, ſolent imperia ſua armis proferre. Darius Medus & Cyrus Perſa occupauerunt regnum Babylonicum, non ſomnolentia, & oſcitantia, ſed magno & cruento bello. Alexander Magnus dilatauit Imperium ſuum in Perſas & Babylonios, paucis quidem annis, ſed multis & fortibus armis. Romani ſubiecerunt ſuo Imperio uniuerſum prope orbem terræ, ſed grauiſsimis bellis, & plurimo ciuium ſuorum ſanguine. Cum igitur Chriſtus ſuſcepturus ſit regnum in tota terra, quomodo, obſecro, ſuſcipiet illud? quomodo dilatabit terminos ſui Imperij? Hoc docet Propheta, cū ait: Cōflabunt gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces. Nō leuabit gens cōtra

Conflare gladios in uomeres, quomodo intelligendum.

gentem

gentem &c. Hæc ita uidentur dici, perinde ac si aduenientè Christo in terram, publice ubique futura sit pax & tranquillitas. Itaque Iudæi, cum uident post natum Christum nullam esse firmam pacem in terris, ac non minus Christianos inter se belligerari, quam quondam Gentes, grauiter offenduntur, & dicunt fieri non posse, quod aduenerit Christus. Nondum enim conflatos esse gladios in uomeres, & mutua adhuc bella geri. Quare nostri interpretes, ut huic offendiculo occurrant, dicunt hoc uaticinium Prophetæ impletum esse, sub tempus Octauij Cæsaris Augusti, quo dominante, Iesus Christus natus est. Etsi autem Augustus dicitur Ianum publicæ pacis indicem, ter Romæ clausisse, tamen ea pax non fuit firma, & multa gesta sunt bella ijs temporibus, quibus Iesus Christus uitam suam egit in terris. Herodes occidit infantes Bethlehemiticos. Quid? Hoc non fuit quidem bellum, sed crudelius bello. Iudas Galilæus excitauit inter Iudæos seditionem. Hoccine fuit conflare gladios in uomeres? Ac si nihil aliud, certe Præsides Romani continebant Iudæos in officio, armatis cohortibus, quæ pro sua militari consuetudine exercebantur ad prælium. Pilatus Præses Romanus miscuit sanguinem Galilæorum cum sacrificijs ipsorum. Hoc erat magis falces in lanceas, quam lanceas in falces mutare. Et hæc quidem in Iudæa. Inter gentes autem post natum Christum, regnante adhuc Augusto, bella gesta sunt a Romanis aduersus Dalmatas & Sarmatas: item aduersus Athenienses, qui meditabantur defectionem ab imperio Romano. Tiberio autem regnante, qui successit Augusto, gesserunt bellum Romani contra Parthos, quos & uicerunt. Quis diceret hoc esse conflare gladios in uomeres, & lanceas in falces? Non est igitur sentiendum, quod Propheta loquatur hoc loco de publica pace in his terris, quia sicut bellatum est ante Christum natum, ita bellatum etiam est ipso nato, & bellabitur inter Gentes usque ad nouissimum tempus huius seculi. Sed loquitur de ipso Christi regno, & de modo, quo hoc regnum dilatabitur in orbe terrarum. Non loquitur de mundanis regnis, quæ solent bello occupari, contineri, & proferri: sed loquitur de regno Christi. Hoc enim regnum non occupabitur, nec proferetur alabardis & bombardis, sicut mundana regna: sed proferetur pacate & tranquille. Conflabunt, inquit, gladios suos in uomeres &c. hoc est, hi qui nomine Christi accepturi sunt regnum orbis terræ, & subiecturi sunt Christo Gentes & nationes, non inferent gentibus arma, ut cogant eos uiolenta manu Christum agnoscere, nec armabunt subditos, ut regnum Christi gladijs tueantur, sed percurrẽt orbem terræ inermes; non excitabunt eos, qui agnoscunt nomen Christi per

Octauius Augustus

fidem, ut iuuent se armis ad subijciendas Imperio Christi reliquas gentes, sed iubebunt unumquemque suæ uocationi seruire, ac quantum in ipsis est, publicæ paci & tranquillitati studere. Non instituent scholas, in quibus tyrones exerceantur ad militiam mundanam, sicut Principes & Reges huius terræ facere solent: Sed instituent scholas, in quibus auditores discant militiam spiritualem aduersus peccata, mortem & infernum. Hæc est publica prædicatio Euangelij, qua homines erudiuntur, non quomodo gerant bella aduersus carnem & sanguinem, Sed aduersus spirituales nequicias in cœlestibus. Quod autem hæc sit sententia huius propheticæ concionis, non est a nobis confictum per somnium, sed est acceptum ex ipsis rebus post resurrectionem & ascensum Christi in cœlum gestis, & e scriptis Apostolicis, quæ sunt commentarius scriptorum propheticorum. Petrus enim, & reliqui Apostoli, collegæ eius, hi fuerunt, qui inceperunt misso spiritu sancto in die Pentecostes regnum Christi in Hierusalem occupare. Amabo igitur te, quid fecerunt? num inuaserunt urbem armata manu? num iusserunt ciues armatos in forum prodire, ut collatis uiribus in regiones gentium incurrant, & eas nomini Christi uiolenter subijciant? Minime omnium. Sed uenerunt inermes, locuti autem sunt diuersis linguis, qua locutione hortati sunt ciues, non ad arma, sed ad pœnitentiam. Non dicunt: Afferte gladios, & lanceas. Sed dicunt: Agite delictorum pœnitentiam, & baptisetur unusquisq; uestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum &c. Sic Petrus, cum uenisset Cæsaream, ut & incircuncisas gentes subijceret imperio Christi, quid, obsecro, fecit? Num hortatus est Centurionem, & reliquos auditores, ut arma, quæ portabant pro Romano imperio, uerterent in Romanos pro imperio Christi? Nihil minus, sed hortatus est eos, ut quærant in Christo remissionem peccatorum per fidem. Huic, inquit, omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum acceptarus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Paulus uenit Athenas, ut ciues eius urbis redderet subiectos imperio Christi. Quid ergo fecit? num iussit ciues mutare uomeres in gladios, & falces in lanceas, ut ope & auxilio ipsorum trucidaret aduersarios, & proferret fines regni Christi? Minime omnium. Sed potius iussit gladios mutare in uomeres, & lanceas in falces. Iussit eos uerum Deum, per Iesum Christum agnoscere, & ei seruire, ac in sua uocatione honeste & tranquille uiuere. Non est autem sentiendum, quod, cum dicitur: Conflabunt gladios suos in uomeres &c. Apostoli, quorum officium erat, regno CHRISTI subijcere populos, iusserint legitimum Magistratum arma sua deponere,

deponere, & non exercere ſubditos ad prælium, Sed quod ipſi ad accipiẽdum regnum nomine Chriſti non ſint corporalibus armis uſi, nec hortati ſint ſubditos ſuos, hoc eſt, credentes Euangelio ſuo, ut ſumant nomine Chriſti arma: interim uero iuſſerunt unumquemq; poſtquam credidiſſet in Chriſtum, ſuæ legitimæ uocationi diligenter & ex fide ſeruire. Itaq; ſi quis Princeps aut Centurio factus eſt auditor Euangelij Chriſti, & dedit nomen ſuum Chriſto, iuſſus quidem fuit, quantum ad Chriſtianiſmum attinet, gladium ſuum in uomeres conflare, hoc eſt, operam dare publicæ paci & tranquillitati: quantum autem attinet ad officium eius, iuſſus fuit uomeres in gladios mutare, hoc eſt, tueri ſubditos ſuos, & defendere eos ab hoſtibus & latronibus. Nam hæc eſt uocatio magiſtratus. Si quis opifex aut agricola agnouit Chriſtum per fidem, iuſſus fuit & hic conflare gladium ſuum in uomerem, & ſuam uocationem in tranquillitate, quantum quidem ad Chriſtianiſmum attinet, ſectari: Sed quantum attinet ad officium ciuis, qui eſt in corporalibus rebus ſubiectus mundano imperio, iuſſus fuit gladium, ſi magiſtratus mandauerit, geſtare. Doctrina enim Euangelij, qua regnum Chriſti in terris accipitur & dilatatur, non mutat aut inuertit, quantum in ipſa eſt, externum ſtatum mundanorum imperiorum, & earum rerum, quæ ad illa legitime conſeruanda pertinẽt: Sed exponit maieſtatem Chriſti ſpiritualẽ, qua nobis offertur remiſsio peccatorum, iuſticia corã Deo, & uita æterna, iubens interim unumquemque ea officia ex fide facere, ad quæ in his mundanis regnis uocatus eſt. Reddite, inquit Paulus, omnibus, quod debetur, cui tributum, tributum &c. Ac iterum: Vnuſquiſque in eo, in quo uocatus fuit, maneat apud Deum. Et Petrus: Subditi eſtote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum &c. Hæc idcirco obſeruanda ſunt, ne quis exiſtimet Prophetam hoc loco facere ex Chriſtianiſmo Monachiſmum aut Anabaptiſmum. Monachi enim deſerunt ciuiles functiones, & putant Chriſtianam religionem in hoc ſitam eſſe, ut abiecto politico genere uitæ agas ætatem in eremo. Anabaptiſtæ incedunt inermes & exiſtimant Chriſtianis non licere publico magiſtratu fungi, & gladium geſtare. Non hoc ſentit Propheta, cum dicit: Conflabunt gladios ſuos in uomeres: ſed docet, quod Apoſtoli non ſint uulgaturi Euangelion Chriſti in orbe terrarum, & accepturi regnum Chriſti in terris armato exercitu, & uiolenta manu: ſed tranquilla, quantum in ipſis eſt, prædicatione. Nec ſint uocaturi auditores ſuos ad arma propter Euangelion, ſed mandaturi, ut unuſquiſque in ſua uocatione maneat, & eam diligenter ex fide adminiſtret.

DOMVS IACOB VENITE &c.

Apostrophe ad Iudæos. Postquam enim Propheta descripsit regnum Christi, & docuit gentes affluxuras, ac maxima multitudine Euangelion Christi accepturas, hortatur nunc Iudæos suos, ut & ipsi ueniant, ac agnoscant Christum ipsis promissum. Quid enim turpius, quid fœdius erit, & quod gentibus suscipientibus Christum, Iudæi, quibus Christus promissus erat, abominentur eum? Venite ergo (inquit) domus Iacob, non simus ignauiores gētibus, non simus magis impij quam gentes, Sed suscipiamus eum, qui nobis promissus est. Vocamur domus Iacob. Hoc ipso cognomine admoneamur, ut agnoscamus eum, quem nobis Patriarcha noster Iacob promisit. Ambulemus in lumine Domini. Christus enim Dominus est: Euangelion eius, Lumen est, quod lucet per peccata ad iusticiam, per mortem ad uitam æternam. Ambulemus igitur in lumine eius, agnoscamus Euangelion eius, ut & nos consequamur salutem. Seruat autem Propheta legitimum ordinem in cōcione sua, quod statim post commemorationem Euangelij de Christo uertat se ad Iudæos, & moneat, ut hoc Euangelion suscipiant. Cum enim Christus promissus sit Iudæis, debuit etiam primum omnium Iudæis adnunciari. Vnde & Christus ipse non nisi inter Iudæos concionatus est Euangelion suum. Non sum missus, inquit, nisi ad oues perditas domus Israel. Et Apostoli initio tantum Iudæis prædicauerunt Euangelion Christi. Petrus ait: Vos estis filij Prophetarum ac testamenti &c. Vobis primum Deus cum suscitasset filium suum Iesum misit eum benedicentem &c. Et Paulus: Vobis oportebat primum loqui sermonem Dei &c. Sed uide quid concionante hæc Propheta, & admonente populum suum ad agnoscendum Christum, acciderit. Excitatus enim spiritu sancto, & admonitus carmine Mosi, in quo de impietate & abiectione Iudæorū multa & horrenda prædicta sunt, Deut. trigesimo secundo, suscipit habendam lōgam concionem de interitu Iudæorum, uidelicet, quod Deus reiecturus sit ipsos ne sint amplius populus Dei, & abolita politia eorum, coniecturus sit eos in æternū interitum, propterea quod contempserint Christum ac Euangelion eius. Suscepit autem hanc concionem de abiectione Iudæorum habendam, partim propter Iudæos auditores suos, partim propter gentes. Nam Iudei plurimum fidebant carnali sua nobilitate, quod Patriarchæ eorum electi erant a Deo, quod Deus tradiderat ipsis legem, & regnum terræ Chanaan, ac promiserat se fore Deum populi huius. Quare sentiebant impossibile esse, ut abijcerentur a Deo, etiamsi maxima quæuis scelera designarent. Sed errabāt impie. Deus enim promiserat quidem se fore Deum populi huius, & conseruaturum poli-

Iudæis Christus promissus.

Iudæorum abiectio.

tuan eorum, si ipsi seruarent legem, & obsequerentur uerbo eius. Si audieritis, inquit, uocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus &c. Cum igitur Propheta uidet futurum, ut Israelitæ abijciant Christum, quem Deus pepigit se ex genere ipsorum daturum, concionatur ipsis de abiectione & interitu ipsorum, ut saltem aliqui ex eis expergiscantur & salui fiant. Nobis autem gentibus ualde prodest hæc concio de abiectione & interitu Iudæorum. Primum enim, quia uidemus hoc tempore Iudæos prorsus esse ita abiectos & contemptos, ut nec prophetas, nec ullam politeian in terris habeant, manifeste cognoscimus Christum iam aduenisse, & Euangelion eius reuelatum esse, nec esse alium Christum expectandum, præterquam Iesum Nazarenum, qui & uenit, & uēturus est ad iudicandum uiuos & mortuos. Prophetæ enim prædixerunt fore, ut in aduentu Christi, & reuelato Euangelio, Iudæi abijcerentur, ne sint amplius populus Dei. Quare cum uidemus Iudæos abiectos, manifestum argumentum est quod Christus aduenerit. Deinde concio de abiectione Iudæorum necessaria est Ecclesiæ gentium. Iudæi enim non solum non agnoscunt Iesum Christum, uerumetiam damnant eum, & afficiunt ipsum magnis contumelijs. Scriptura autem extollit Iudæos, quod sint populus Dei, quod Deus seruaturus sit ipsos. Possent igitur gentes offendi, & existimare, quod Iesus non sit uerus Messias, cum Iudæi abijciant & condemnent Euangelion eius. Sed huic offendiculo medetur spiritus sanctus per Prophetas, qui docet, Iudæos in aduentu Christi propter impietatem abijciendos, & non amplius fore populum Dei. Postremo etiam hac parte prodest nobis gentibus concio de abiectione Iudæorum, ut excitemur ad timorem Dei, & gratitudinem erga Deum. Nam si Deus, inquit Paulus, naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Quod cum ita se habeat, audiamus nunc concionem de Iudæorum abiectione. Proiecisti, inquit, populum tuum domum Iacob. Obsecro igitur te, quid causæ est, quod Deus tantam seueritatem adhibuerit populo Israel? Magnas certe et necessarias causas fuisse oportet, cur Deus hunc populum abiecerit, & non agnoscat eos amplius. Fuerunt enim posteri summorum & sanctissimorum Patriarcharum. Acceperunt legem de manu Dei. Acceperunt regnum Chanaan ex Dei promissione. Deus ex ipsorum gente misit unigenitum filium suum Iesum Christum in hunc mundum. Sunt cognati & consanguinei Christi seruatoris nostri. Et tamen Deus ita abiecit eos, ut non solum abstulerit ab eis maiestatem regni mūdani, sed etiam hereditatem regni cœlestis. Quæ ergo sunt merita Israelitarum, & quæ sunt causæ tantæ seueritatis Dei? Etsi nihil cer

Iudæi cur abiecti.

tius est, quam Deum iustum esse iudicem, nec sunt contumelioſe perscrutandæ causæ arcanæ eius uoluntatis, tamen quia Propheta exponit nobis causas huius diuini iudicij, cognoscemus eas obedienter, ut & nos timorem Dei discamus. Prima causa est: Quia repleti, inquit, sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philistini. Vbi uulgata lectio habet: Repleti sunt ut olim, alij legunt, Repleti sunt plusquam Orientales. Et subintelligunt, Magicis artibus aut diuinationibus. Vt sit sensus: Domus Iacob abiecta est a Domino, propterea quod plus dederint operam magicis artibus & diuinatiõibus, quam Chaldęi aut Persæ, qui Hierosolymitanis sunt ad Orientem. Ego uero existimo quod pro מקדם legendum sit מקסם. Nam hæ duæ literæ ס Samech ד daleth, sunt propemodum in superiori, & dextra laterali linea inter se similes. Itaque fieri potuit ut inferior hemicyclus in Samech fuerit obscurus, & tota huius literæ figura apparuerit lectori aut descriptori pro daleth, ut legerit מקדם Mikedem pro מקסם Mikesam. Significat autem Mikesam, diuinationem. Ezechie. duodecimo: Non erit ultra omnis uisio cassa, & diuinatio ambigua. Quare si pro Mikedem legas Mikesam, hęc erit sententia: Repleti sunt diuinatione & ariolis sicut Philistini. Esaias enim commemoraturus causas, propter quas Deus abiecit Iudæos, primam omnium dicit eam esse, quod non agnouerint & susceperint piam doctrinam Messiæ, sed potius sectati sint impiam doctrinam Pontificum, Pharisæorum, Scribarum & Sadducæorum. Nam in Deuteronomio capite decimo octauo, uetat Deus Israelitis, ne audiant diuinos aut ariolos, sed audiant Prophetam, (qui est Messias) a Domino mittendum. Prophetam (inquit) suscitabit tibi Dominus Deus tuus de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, IPSVM audies. Postquam autem uenit hic Propheta seu Messias, maluerunt Iudæi diuinis, Magis & Ariolis, hoc est, Pontificibus, Pharisæis & Sadducæis impia docentibus, & sedicioſis populum in internecionem seducentibus (Propheta enim per uocabula sui temporis intelligit impios doctores temporis Messiæ, & Apostolorum) quam Euangelio Messiæ fidem habere. Nam quemadmodum Philistini & alię gentes defenderunt eo tempore, quo Esaias uixit, diuinationem, magiam, & auguria sua magno studio, Ita Iudæi eo tempore, quo Christus in terris ætatem egit, sectati sunt impiam doctrinam suorum Pharisæorum & Scribarum tanta pertinacia, ut præ ea doctrina non solum contempserint Euangelion Messię, uerum etiam Messiam crucifixerint, & Apostolos eius partim in exilium eiecerint, partim occiderint. Quare merito sunt a Deo abiecti, quia noluerunt audire eum, quem Deus audiendum proposuerat. Huc pertinet

tinet parabola de eo qui locauit uineam suam colonis, Lucæ uigesimo. Sed quia hæc scripta sunt in nostri doctrinam, conferendi erunt errores Romanæ Ecclesiæ, & eorum, qui ipsam agnoscunt, cum moribus Iudæorum, ut si inueneris similes mores, cognoscas etiam secuturam similem abiectionem & interfectionem. Arioli ergo & Magi Ecclesiæ Romanæ seu Pontificiæ, sunt impij doctores, qui docent de meritis operum, de meritis Missarum, de inuocatione sanctorum, de purgatorio, de peregrinationibus, & de alijs id genus nugis. An non maxima hominum pars inter Christianos multo maiorem fidem adhibuit hactenus, et adhuc adhibet, nugatissimis illis Legendis, quas sic uocant Sanctorum, quam Euangelio Christi? An non uulgus statim ut quisque nouum aliquem Sanctum commentus est, credidit, & ad cultum illius Sancti multas opes plenis manibus contulit? cum hoc tempore, quo syncera prædicatio Euangelij Christi diuina clementia restaurata est alicubi, pauciss imi eam obedienti fide & grato animo excipiant? Quare si Deus propter impietatem & ingratitudinem non pepercit suo ipsius populo, multo minus parcet gentibus, quæ quondam non fuerunt populus Dei, & nunc non minus horribiliter peccant aduersus Euangelion Christi, quam olim Iudæi peccauerunt. Secunda causa est: Pueris alienis adhæserunt. Pro quo Hebræa ueritas sic habet: Propter pueros alienos applauserunt. Pueri autem seu liberi Iudæorum dicuntur alieni, non quod sint ex adulterio concepti, sed quod degenerauerint a uera doctrina piorum maiorum & Patriarcharum, & sectati sunt alienam doctrinam impiarum gentium. Deus enim dedit Israelitis terram Canaan, & instituit in ea politeian, ut in hoc populo conseruarentur promissiones de Christo filio Dei, & ut maiores propagarent ueram doctrinam religionis ad posteros suos. Obseruabitis, inquit, cærimonias istas, & cũ dixerint uobis filij uestri, quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus est &c. Et in Psal. septuagesimo septimo: Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera, Filij, qui nascentur & exurgent, & narrabunt ea filijs suis &c. Iudei autem postquam redierunt diuino beneficio e captiuitate Babylonica, non cogitarunt, in quem usum & finem Deus restituisset ipsis suam politeian, sed abusi sunt ea ad impietatem. Non enim hoc præcipue egerunt, ut puericiam & adolescentiam suam educarent & erudirent in doctrina ueræ religionis, & in cognitione Messiæ, per Prophetas promissi (hic enim est usus politiæ, præsertim in populo Dei,) sed contempta pia doctrina tradiderunt pueros suos erudiendos in disciplinis Ethnicis, & moribus gentium. Et quo quis puer maiorem de se spem profectus in

Arioli Ecclesiæ Pontificiæ qui.

Pueri Iudæorũ cur alieni.

mundana Philosophia dabat, eo magis congratulabantur sibi parentes, & applaudebant manibus, quod talem tam bonę spei filium genuissent. Nam Iudæos instituisse Hierosolymis Scholas Ethnicarum disciplinarum, testatur liber Machabæorum capite primo. Edificauerunt, inquit, gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum &c. Et in Actis Apostolicis capite sexto, disputant cum Stephano hi qui erant e Synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asianorum, quos apparet fuisse studiosos uariarum disciplinarum, prout eas a gentibus acceperant. Hi erant alieni pueri, de quibus congratulabantur sibi parentes, & ut Propheta ait, manibus applaudebant. Nulla autem erat cura tradendæ liberis piæ doctrinæ de uera iustificatione & salute consequenda per Messiam. Cum igitur non solum parentes defecissent ad impietatem, sed etiam liberos suos alienis disciplinis imbuerent, ac nullus amplius esset uerus usus Iudaicæ politiæ, recto Dei iudicio factum est, ut Iudæi una cum sua politia interirent, & a Deo abijcerentur. Et hæc quidem in Iudaismo sic gesta sunt. Quid autem dicemus de pueris Christianorum? Certe & hi sunt alieni pueri, quibus parentes applaudunt. Nam in Christ anismo hoc unum agendum esset, ut cognosceretur Christus per fidem: & cum non habeamus hic manentem ciuitatem, inquireretur futura. Sed instituę sunt publicæ scholæ, in quibus maxima pars adolescentum non dat operam nisi prophanis literis, Philosophiæ, Legibus ciuilibus, & Medicinæ. Et quo quispiam in his literis eruditior est, eo maiorem affert uoluptatem parentibus suis. Sacrarum autē literarum, aut studij pietatis nulla pene habetur ratio. Et quod in studio literarum, hoc idem in studio opificiorum, aut aliorum ciuilium negociorum accidit. Non enim hoc agitur, ut adolescentes discant ueram pietatem, & concipiant curam consequendæ ueræ iusticiæ ac salutis, sed ut discant artes quam maxime quæstuosas, & sectentur terrenas opes: ideoque parentibus gratior est, qui maioris est in his rebus spei. Acutile quidem est Ecclesiæ, ut sint publicæ scholæ, in quibus doceantur bonæ ac piæ literæ: habent & suum usum, Philosophia, studium legum ciuilium, & medicinæ. Necessarium quoq; est ad conseruandam humanam societatem, ut exerceantur opificia, & alia ciuilia negocia. In hoc autem studio ita uersari, ut præ eo nullam prorsus habeamus rationem ueræ pietatis, & fastidiamus studium cognoscendæ piæ doctrinæ, hoc demum impium est. Deus enim dedit Christianis, sicut olim Iudæis, sua externa regna in hunc usum, ut conseruent doctrinam ueræ religionis, ac propagent eam ad posteros. Quare, cum abutuntur hoc dono Dei ad

Scholæ in Hierusalem.

Pueri Christianorum cur alieni.

Scholæ apud Christianos.

Christianis cur auferantur sua Imperia.

suas

ſuas cupiditates,& propagent,quantum in ipſis eſt; magis politica quam Chriſtiana ſtudia, nihil aliud reliquum uideo, quam quod quemadmodum Iudæis ablata eſt maieſtas ſui regni; ita & gentibus, qui Chriſtiani uocantur, auferantur ſua Imperia,& ſubijciantur alienæ tyrannidi &c.

Audiamus & tertiam cauſam,propter quam Deus abiecit Iudæos,ne ſint populus eius. Repleta eſt,inquit,terra argento & auro, et non eſt finis theſaurorum eius. Quid? hoccine tantum flagitium eſt,ut propter ipſum tã illuſtris politia deuaſtanda fuerit? An non pro dono Dei habetur,quod in regno Salomonis tanta fuerit abũdantia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum? Obſeruandum igitur, quod hoc loco non damnatur per ſe multitudo auri & argẽti,ſed damnatur impium ſtudium hominum, qui hoc tantum agut ut abundent auro & argento. Propheta enim his uerbis non ſignificat,omnes omnium Iudæorum arcas plenas fuiſſe auro & argento. Magnus enim ſemper eſt numerus pauperũ, qui ſolent eſſe omnium rerum egentes. Sed ſignificat omniũ ſtudia eo intenta fuiſſe, ut ſibi in hac terra theſauriſarent. Itaque etſi multi erant pauperrimi, tamẽ omnes eorum cogitationes, & omnis eorum ſermo impleta erant auro & argento, hoc eſt, non aliud cogitabant, nõ aliud ſpirabant, non aliud loquebantur, q̃ de pecunia. Nulla erat cogitatio, nullus ſermo de uera religione, de iuſticia conſequenda per Meſſiam, de obedientia uerbi Dei, & de comparandis bonis regni cœleſtis, ſed omnium cura, ſtudia, opificia, exercitia, actiones, ocia & negocia, ad colligendam pecuniam ſpectabant. Quid ergo? dices. An non eſt ager colendus? non eſt opificium exercendum? nõ eſt negociandum? An prorſus eſt ociandum, & nihil aliud agendum, q̃ ut aliquoties audias conciunculam quandam in Eccleſia? Reſpõdeo: Vt pecunia per ſe non damnatur, ita nec ciuilia iſta negocia damnãtur: Sunt enim ad corporalem uitã utilia ac neceſſaria: ſed damnatur impium in his ſtudium. Solent enim Iudæi hæc negocia ſic tractare, ut interim nullam prorſus habuerint rationem piæ doctrinę ac promiſſionum de Chriſto. De qua re etiam Chriſtus recitat parabolam Matthæi uigeſimo ſecundo, de rege qui fecit nuptias filio ſuo. Similiter Lucæ decimo quarto. Alius enim uillam emit, alius iuga boum emit, alius uxorem duxit. Quibus negocijs ita detinentur, ut præ his prorſus negligant doctrinam Euangelij,& uocationem ad cœleſtes nuptias. Quare iuſto Dei iudicio factum eſt, ut & maieſtas regni eorum conciderit, & ipſi abiecti ſint, ne cœleſtibus bonis fruantur. Quod Iudæi ante ſuam abiectionem fecerunt, hoc idem faciunt nunc hi, qui uocantur Chriſtiani. Terra eorum repleta eſt auro & argẽto. Omnes homines in hoc tantum ſtu-

Auri, argẽti, etc. impiũ ſtudiũ dãnatur.

Chriſtianorũ ſtudium hoc tempore.

dium incumbunt, ut parent sibi pecuniam. Et noua subinde auctupia pecuniæ excogitantur. Omnis cura, omnis cogitatio, omnis sermo est de pecunia. Hæc est magna neglectio sui officij. Sicut enim Deus dederat Israelitis suum regnum, non ut in eo pro sua libidine uiuerent, sed ut custodirent mandata Dei, ut conseruarent promissa de Messia, & docerent ea filios suos: Quando sederis (inquit Deutero. undecimo) in domo tua, & ambulaueris in uia, & accubueris atque surrexeris, scribes ea super postes & ianuas domus tuæ &c. Ita etiam dedit populo Christiano sua externa regna, non ut omnem curam suam conferant ad parandam pecuniam, sed ut cognoscant Christum, & sectentur bona opera. Psalmo uigesimo tertio: Attollite portas uestras, Principes, & eleuamini portæ (hoc est) regna huius mundi, & introibit rex gloriæ, qui est Christus. Nam in hunc usum dedit Deus Christianis Principibus regna & imperia, ut præbeant hospitium Euangelio Christi, & ut populus discat ueram pietatem in pace & tranquillitate. Christus, inquit Paulus, pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Vides Christianos in hoc institutos, ut non pecuniæ, sed Christo uiuant. Et Ephes. secundo: Ipsius opus sumus conditi in Christo Iesu ad opera bona, quę præparauit Deus, ut in eis ambularemus. Non dicit, ut in paranda pecunia ambularemus, sed in bonis operibus. Cum igitur studium pietatis prorsus in uulgo Christianorum conciderit, & uigeat tantum studium auri & argenti, non est alius finis horum imperiorum expectandus, quam qui fuit Iudæorum. Quarta causa abiectionis Iudaicæ: Repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Sicut antea, cum de auro & argento concionaretur, intellexit de studio pecuniæ, cui Iudæi toti erant dediti, ita nunc nomine equorum & quadrigarum intelligit studium belli. Etsi enim studium bellicum semper in orbe terrarum post institutas Monarchias uiguit, tamẽ maxime omnium exarsit, postquam Monarchia Alexandri Magni inter præfectos eius diuisa est: quo tempore Iudæi iterum habitabant in sua terra. Tunc enim non fere fuit nisi laniena, præsertim inter Syros & Ægyptios, ac alios finitimos Regulos. Et quia inter hos habitabant Iudæi, discebant & ipsi bella, adeoq; his assuefiebant, ut nihil aliud quam bellum creparent. Sentiebant etiam Messiam suum, quem expectabant, bellatorem fore, & regna huius mundi bello accepturum. Quare tota cura, totaque mente in hoc studium incumbebant, ut exercerent bella, & fierent ex bellis illustres. Sed homines non sunt conditi ad exercenda inter se bella. Etsi enim nonnunquam necessario suscipienda sunt bella,

Bellicarũ rerum studium.

ut

ut latrones coerceantur, & pauperes defendantur, tamen homo non est natus ad bellum, sed ad pacem, & tranquillitatem. Et cum hoc de omnibus hominibus intelligendum sit, maxime tamen hoc officium hominum considerare debuisset populus Dei. Quanquam enim Deus iusserit eos aliquoties bella gerere, tamen hoc iussit, non ut significaret hoc studium debere esse perpetuum inter homines, sed ut doceret pacem esse per bella parandam, ad quam pacem colendam & conseruandam homo conditus est. Hoc Deus ipse significauit, cum condidit hominem inermem. Hoc CHRISTVS significauit, cum per Prophetas dixit, se regnum suum accepturum sine armis, & gladios mutandos esse in uomeres, ac lanceas in falces. Quare cum Iudæi magis bello quam paci studerent, suo merito, ut inutiles, a Deo abiecti sunt. Huc mihi nunc confer studia Christianorum. An non etiam inter hos maior cura belli est q̃ pacis, cum alij domi dent operam auro & argento, alij hoc solum agãt, ut belligerentur & bello quærant non pacem, sed aurum & argentum? Manet igitur eos illud supplicium, quod Iudæis accidisse uidemus.

Quinta causa: Repleta est terra idolis. Opus manuum suarum adorauerunt &c. Etsi inter Iudæos non fuerunt publice instituta externa idola, postquam redierunt e captiuitate Babylonica, nisi ea, quæ Antiocho autore instituta sunt, & quæ postea Romani Præsides uoluerunt instituere, Sed quibus Iudæi acerrime restiterunt, & ea quoquo modo potuerunt, abrogarunt, tamen non solum ea simulacra, quæ fiunt ex auro & argento, aut lapide & ligno, dicuntur idola, uerumetiam omnia ea opera, uel ab homine excogitata, uel a Deo præcepta, quorum meritis speras te expiare peccata, & consequi gratiam Dei. Nam cuicunq; operi, præterquam uni sacrificio Christi, semel in cruce peracto, affingis meritum remissionis peccatorum, & uitæ æternæ, ex eo facis idolum. Iudæi autem, postquam amiserunt ueram cognitionem de promissionibus Christi, & contempserunt Euangelium CHRISTI, tribuerunt omnibus suis bonis operibus hanc maiestatem, quod sint merita iusticiæ, & cœlestis salutis. Nec contenti fuerunt operibus a Deo præceptis, Sed excogitarunt etiam ipsi multa opera, quorum meritis polliciti sunt sibi iusticiam & salutem. Quare terra eorum, tempore Christi & Apostolorum, tot idolis repleta fuit, quot bona opera fecerunt. Et dicuntur ea adorasse, coram illis se humiliasse & incuruasse, propterea quod horum meritis confisi fuerint. Hoc enim est adorare. DEVS autem, etsi instituerat sacrificia, & alia sacra, ac mandauerat multa

Idola Iudæorum.

bona opera, tamen non in hunc usum instituit, ut adorarentur, hoc est, ut homines meritis actionum istarum confiderent, ac sibi iusticiam pollicerentur: Sed ut sacrificia essent conciones de Christo, & ut bona opera essent exercitia pietatis, & officia gratitudinis. Cum igitur Iudæi his abuterentur ad idolatriam, nec uellent resipiscere ab impietate per Euangelion Christi, recte addit Propheta: Non ergo dimittes eis, significans, quod Deus optimo iure ita irascatur impietati Iudæorum, ut nõ condonet ipsis hæc peccata, sed abijciat eos pro merito ipsorum in æternam damnationem. Quid autem Christiani? an non & ipsorum terra impleta est idolis? an nõ & ipsi adorant opus manuum suarum? Idola enim Christianorum sunt, imagines sanctorum, ad quas suscipiunt homines peregrinationes, & quas colunt adorationibus suis. Idola item Christianorum sunt, omnes Missæ quæ celebrantur pro peccatis uiuorum & mortuorum. His idolis repleta sunt omnia monasteria, omnia collegia sacrificulorum, omnia templa, omnia sacella, imo etiam domus priuatæ. Hæc idola adorant uulgus & Principes, subditi & Reges, bubulci & Imperatores, æditui & Pontifices. Sunt & idola, omnia bona opera, quæ faciunt Monachi & hypocritæ, quia adorant ea, hoc est, confidunt se meritis horum consequi remissionem peccatorum & uitam æternam. Non negari quidem potest, quin aliqui ex prædicatione Euangelij Christi, fugiant hanc idolatriam, & collocent omnem fiduciam salutis suæ in solo Iesu Christo, Sed maxima pars Christianorum sectatur impiam doctrinam Pontificum, & confidit meritis suorum sacrorum, ac bonorum operum. Quare si Deus non pepercit impietati Iudæorum, qui tamen fuerunt consanguinei Iesu Christi unigeniti filij sui, profecto non est parsurus tantæ impietati eorum, qui sunt ex gentibus, & qui quondam fuerunt a Deo alieniſsimi.

Idola Christianorum.

INGREDERE IN PETRAM ET ABSCONDERE &c.

Exposuit Propheta aliquot causas, propter quas Deus abiecturus sit Iudæos, ne sint amplius populus & Ecclesia Dei. Nunc exponit quid mali euenturum sit Iudæis, in hac abiectione, ac quanta seueritate Deus sit eos puniturus. Ingredere, inquit, in petram. Duplex pœna secuta est Iudæos in abiectione ipsorum. Altera est corporalis. Nam post ascensum Christi in cœlum, & diuulgationem Euangelij eius in orbem terræ, Iudæi a Romanis ita oppressi sunt, ut nec regnũ, nec politia eis sint relicta, sed fusi, fugatiq; sint inter omnes gentes. Altera est spiritualis. Non solum enim destituti sunt maiestate regni in hac terra, sed etiã excæcati sunt animo, ut nullam amplius habeãt ueram cognitionem Dei, nec faueat eis Deus,

Iudæorum duplex pœna.

Deus, nec consequantur regnum cœleste. Etsi autem, quæ hoc loco scribuntur, possunt de corporali pœna Iudæorum intelligi, tamen quia Propheta postea capite tertio & quarto pluribus de hac pœna concionabitur, recte intelligemus præsentem textum de spirituali Iudæorum pœna, uidelicet de excæcatione, & desperatione eorum, postquam abiecerunt Christum ueram lucem & salutem. Ingredere, inquit, in petram, hoc est, Tu abiecisti Iesum Christum, qui solus est salus & redemptio nostra. Quare nihil aliud reliquum est, quam ut de tota tua salute desperes, ac in æternum pereas. Nam qui in bellis uicti sunt, & fugati, hi cum nusquam habeant tutum locum, solent ad petras, & in speluncas terræ fugere: Quod est argumentum desperatæ salutis. Sicut quinque Reges uicti a Iosua fugiunt in speluncam urbis Maceda, Iosue decimo. Sic Israelitæ fugientes Philistijm abscondunt se in speluncis, in abditis, in petris, in antris, & in cisternis, quia de salute sua desperauerant, nec uidebant ullam liberationem, primo Regum decimotertio. Quare cum Propheta hoc loco cohortetur Iudæos, ut fugiant in petras & speluncas, significat eos, postquam abiecti sunt a Deo, & abiecerunt ipsi Christum filium Dei, de salute sua prorsum desperaturos. Quæso autem te, propter quam causam necesse habebunt de salute sua, si abiecerint Christum, desperare? An non possunt in Deum credere, & sibi multa de clementia Dei polliceri, etiamsi aut abiecerint, aut ignorauerint Christum? Videntur hoc tempore Iudæi adhuc in Deum credere, quamuis execrentur Christum. Videntur & Turcę in Deum credere, quamuis nullam habeant cognitionem Christi. Videntur & impij in Deum credere, quamuis persequantur Christum. Sed hæc utcunque uideantur, nihil tamen certius est, quam omnes eos, qui contemnunt & abijciunt Christum, necesse habere de sua salute desperare. Nulla enim est humana iusticia, sanctitas, sapientia, potentia & opulentia, quæ possit in iudicio Dei constare. Sola autem Christi iusticia & maiestas constat, & omnis gloria salutis nostræ est solius Christi Domini nostri. Hoc enim illud est, quod Esaias ait: Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo uirorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa &c. Dies illa de qua Esaias loquitur, est tempus quo Christus uenit in hunc mundum, & obtulit sese Deo patri uictimam pro peccatis nostris, ac resurrexit a mortuis, et diuulgauit Euāgelium suum per Apostolos in omnē orbem terrę. Dominus aūt Zebaoth, de quo Esaias cōcionatur, est ipse Iesus Christus, uerus ac solus Deus. Dicit enim ca. xlv. Nunquid non ego Dñs, & nō est ultra Deus absq; me? Deus iustus & saluās nō est preter me. Nā hęc esse natura Christi, Dies Domini

perſpicue demonſtrant ea quæ in eodem loco ſequuntur: Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Quæ uerba Paulus ad Romanos capite decimoquarto, manifeſte de Chriſto interpretatur. Quare cum Eſaias in hoc ſecundo capite concionetur de gloria Domini, qua excæcabuntur Iudæi, & illuminabuntur gentes, & quæ diuulganda erat per Euangelion in orbem terræ, ſentiendum eſt eum loqui de Chriſto, ac Chriſtum uocare Dominum Deum Zebaoth. Quid ergo faciet Dominus Chriſtus in die illa diuulgationis Euangelij ſui? Primum humiliabit oculos hominis ſublimes, & incuruabit altitudinem uirorum, & dies eius erit ſuper omnem ſuperbum, excelſum & arrogantem, ut humiliet. Oculi ſublimes, ſuperbi & arrogantes, ſunt hypocritæ, & hi qui ſibi pollicentur iuſticiam & ſalutem cœleſtem meritis ſuorum operum. Hi gradiuntur in terra, ſed ſpe meritorum ſuorum habent oculos defixos in cœlo, & ſunt tam excelſi ſpiritus, ut præ ſe quoſuis alios homines contemnant. Non enim ſunt ſuperbiores & arrogantiores homines in tota terra, quam hypocritæ, & hi qui falſa perſuaſione iuſticiæ ſibi ſancti uidentur. Dies autem Domini, hoc eſt, reuelatio & diuulgatio Euangelij abolebit, (inquit) omnem illam altitudinem & ſuperbiam. Etſi enim impij Iudæi perſeuerarunt tempore Chriſti & Apoſtolorum eius in hypocriſi, tamen per publicam prædicationem Euangelij declaratum & illuſtratum eſt, quod nulla humana ſanctitas & iuſticia afferat ſalutem: Sed ſola iuſticia & ſanctitas Chriſti. Omnia enim humana opera, etiam ſi habeant ſpeciem iuſticiæ, tamen ſunt uitioſa, & corrupta peccato. Quare non poſſunt quenquam per ſe facere Deo gratum & acceptum. Deinde dies Domini erit ſuper omnes cedros Libani, & ſuper omnes quercus Baſan &c. Cedri Libani, & quercus in Baſan ſunt arbores præ alijs altitudine conſpicuæ. Et quia templum Hieroſolymitanum ædificatum fuit ex cedro, ac Iudæi ſacrificarunt ſub quercubus, & in montibus, idcirco per cedros & quercus & montes intelliguntur ſacra, quæ uel in templo fuerunt diuinitus conſtituta, uel in alijs locis humanitus excogitata. Euangelion igitur Chriſti abolebit omnia illuſtria Iudæorum ſacra, quia per Euangelion palam reuelatur, nulla ſacra quantumuis præclara iuſtificare hominem merito ſuæ actionis, ſed iuſticiam tantum contingere propter Ieſum Chriſtum per fidem. Dominus enim ſolus exaltabitur in die illa: Sola iuſticia Chriſti illuſtrabitur per Euangelium. Vide Concilium Apoſtolicum in Hieruſalem Actorum decimoquinto, an non in eo Concilio deſiciuntur cedri & quercus, & omnes montes ac colles ſacrorum: quia per gratiam, inquit, Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos fore. Præterea

Oculi ſublimes, hypocritæ.

Cedri Libani, & quercus Baſan.

rea dies Domini erit ſuper omnem turrim & murum &c. Turris & murus ſunt externa potentia. Euangelion igitur deijciet omnem turrim & murum, non quidem externis arietibus, ſed uerbo prædicationis. Oſtendit enim, quod nulla humana poentia poſsit tueri nos a morte, & inferno, ſed quod ſolus Chriſtus ſeruet nos per fidem. Multi reges, multi Monarchæ ædificarunt caſtra & arces munitiſsimas, in quibus poterunt aliquoties tuti eſſe aduerſus hoſtem carnalem. Nullus autem potuit in eis tutus eſſe aduerſus mortem & infernum. Sed ſola huius rei gloria eſt penes Chriſtum. Poſtremo dies Domini erit ſuper omnes naues maris &c. Naues inuentio excogitatæ ſunt ad exercenda mutua inter homines commercia, & ad parandas diuitias negociationibus. Itaque pro diuitijs ſumuntur. Euangelion igitur abolebit omnes naues, omnes mercaturas, omnes diuitias, non quidem externa ſpecie, ſed uerbo prædicationis. Docet enim nullas eſſe tantas diuitias, quæ poſsint hominem ſeruare, ſed ſolum Chriſtum eſſe ſeruatorem noſtrũ. Acbreuiter: Euangelion Chriſti demolietur omnia alta, illuſtria, iucunda: demolietur omnia idola, ſeu ſacra, quia gloria ſalutis tribuenda eſt ſoli Domino Zebaoth, Ieſu Chriſto ſeruatori noſtro. Quare cum hunc Iudæi contemſerint & abiecerint, neceſſe habebunt de ſalute ſua deſperare, & in æternum perire: nec poteſt eos ſeruare ulla humana iuſticia, ſanctitas, potentia, opulentia aut ſapientia &c. Si autem hæc non ſeruant, cur neglecto & contempto Chriſto, ea tantum ſectaremur? *Turris.* *Murus.*

ET INTROIBVNT IN SPELVNCAS PETRARVM &c.

Repetit Propheta, quod ante dixit de deſperatione Iudæorum, mutata tantum ſermonis figura. Ante enim uſus eſt modo Imperatiuo: Ingredere in petram. Nunc utitur futuro indicatiuo: Introibunt in ſpeluncas petrarum. Repetit autem idem ipſum ſecundo, ac mox etiam tertio, ut ſignificet hanc concionem ſibi non temere excidiſſe, nec uanam eſſe, ſed firmiſsimam ac certiſsimam. Poſtquam enim Iudæi abiecerunt Chriſtum, nihil certius, nihil firmius eſt, quam quod neceſſe habeant introire in ſpeluncas petrarum, hoc eſt, de ſalute ſua deſperare, cum ſurrexerit Dominus percutere terram, hoc eſt, cum reuelatum fuerit iudicium Domini aduerſus impios & incredulos. Deinde addit etiam de abijcendis idolis. In die illa, inquit, proijciet homo idola argenti &c. Eſt & hæc deſcriptio deſperationis & confuſionis impiorum Iudæorum, in omnibus impietatibus ſuis, quibus tamen pollicebantur ſibi ſalutem. Nam Iudæi, poſtquam redierunt e Babylonica captiuitate, non coluerunt quidem externa idola argentea

uel aurea, more gentium: sed commenti sunt uaria sacra, ritus Pharisaicos, & superstitiosa opera, idq; maximo sumptu, & plurimo labore, quibus confisi, sperauerunt merito eorum perpetuam fœlicitatem. Hæc fuerunt Idola Iudæorum, quæ ijs temporibus, quibus Christus & Apostoli eius prædicauerunt Euangelion, erant innumera, ut præ his uiolarẽt etiam Dei præcepta. Sicut Christus ait: Quare transgredimini præceptum Dei propter traditionem uestram? Quid ergo de his idolis fiet? Cum reuelatum fuerit iudicium Domini erga eos, qui abiecerunt Christum, intantum non iuuabunt idola, ut unusquisq; proiecturus ea sit in foramina talparum, & in cauernas uespertilionum. Nam ante reuelationem diuini iudicij hypocritæ gloriantur de suis idolis & operibus, ac collocant ea in illustri loco, ut sint omnibus conspicua. Postquam uero uident ea nihil prodesse, sed potius cultoribus suis obesse, ac eos pudefacere, solent ipsa abijcere, & in obscuris locis, qualia sunt foramina talparum, & caueæ uespertilionum occultare. Quod igitur Propheta dicit, hanc habet sententiam. In illo die, quo Iudæi, postquam abiecerunt Christum, sistentur ad tribunal Dei, nõ amplius gloriabũtur de meritis bonorum suorum operum, sed ita pudefient, ut quod ante sibi laudi duxerunt, summæ ignominiæ loco habeatur: & quod existimauerunt sibi salutem allaturum, hac afferet eis perniciem. Atq; hæc quidem κατὰ ἀφεσιν intelligenda sunt de Iudæis, qui cõtempto & abiecto Christo, secuti sunt somnia cordium suorum, & mendacia Rabinorum suorum. Sed in hoc speciali concione, intelligenda erit et generalis aduersus omnes omnium temporum impios. Nihil enim certius est, q̃ quod hi qui uel ignorato uel contempto Christo, confidunt suis idolis, & meritis suæ ipsorum iusticiæ, confundentur in ipsis, & abijcient ea tandem, reuelata diuini iudicij maiestate & seueritate, in foramina talparum & uespertilionum, ac ita pudefient, ut de quibus antea gloriabantur, ea quoquo modo poterunt, occultare studebunt. Pudefient igitur & damnabuntur in iudicio Dei, Primum omnes Ethnici idolatræ: deinde omnes Iudæi hypocritæ. Præterea, omnes Mahometistę. Postremo omnes hypocritę & impœnitentes Christiani. Hi omnes proijcient idola argentea sua, & simulacra aurea sua &c. hoc est, pudefient & cõfundentur in sua ipsorum iusticia, sapientia, potentia, & impietate. Hæc sunt nobis cognitu necessaria, ut de Christianismo recte sentiamus. Sunt enim multi, qui cũ fit sermo de hominibus aliarum religionum, solent dicere: Quis scit, quinam homines sint meliores? Qua uoce significant se sentire, quod unusquisq; in sua religione possit salutem consequi, si modo honestam coram hominibus uitam ducat. At hæc est extrema ignorantia

Idolorum confusio.

Christianismi,

Christianismi,& magna impietas. Nullus enim hominum potest in alia,quam in Christiana religione consequi salutem: quia nullus potest iustificari in alia religiõe, præterquam in solo Iesu Christo. Possunt quidem homines in impijssimis etiam religionibus honeste uiuere, coram hominibus,nõ possunt autem ueram habere iusticiam coram Deo,nisi propter solum Iesum Christum, per fidem. Quid ergo? inquies. Num tot homines damnabuntur? Minima enim hominum pars agnoscit Christum. Num hoc est diuinæ clementiæ,quod sinat tot egregios homines perpetuo interire? Respondeo. Clemens quidem est Deus,sed idem etiam iustus est Iudex. In Deo enim sunt omnes uirtutes perfectissime. Vna igitur uirtus est, Clementia. Altera est, Iusticia & seueritas. Hanc exercet erga impios,qui non credunt Euangelio filij sui. Illam autẽ exercet erga omnes,qui Euãgelio filij sui credunt. Habet enim Deus,ut Paulus ait, uasa clementiæ & uasa iræ ac seueritatis suæ. Et quemadmodum Principis laus est, non solum habere forum plenum honestis ciuibus, sed etiam habere patibulum plenum furibus, quod hoc argumẽto cognoscatur Principis seueritas erga sceleratos,ita Dei laus est, non solum habere cœlum plenum sanctis, sed habere etiam infernum plenum impijs & sceleratis. Sed hæc fortasis παράδοξα sunt.

An in quauis religione salui uemur.

QVIESCITE ERGO AB HOMINE &c.

Hæc est uox deterrentis Iudæos a persecutione, qua grassati sunt in Christum. Habes non dissimilem locutionem secundo Paralip. trigesimo quinto. Necao enim dehortans Iosiam, ne resistat uolũtati Dei,ait: Desine aduersus Deum facere, qui mecũ est etc. Eadem phrasi hoc loco dicit Esaias: Quiescite,hoc est,desinite, aut cauete uobis ab homine,cuius spiritus est in naribus. Porro,quem supra uocauit Dominum Zebaoth, hunc uocat nunc hominem. Christus eñ,de quo hic est sermo,uerus est Deus,& uerus est homo. Sed cum hominem suscepisset,& uitam inter homines ageret, apparuit prorsum humilis & abiectus. Expectarunt Iudæi Messiam externa potentia illustrissimum. Sed Christus uenit abiectissimus & pauperrimus,ideoq; Iudæi insultauerunt ei contumeliosissime, & affecerunt eum omnibus generibus malorum. Nũc enim grassati sunt in ipsum uerbis seu conuicijs. Vocarunt eũ bibonem & epulonem. Dixerunt eum esse dæmoniacum, Samaritanum, & seductorem. Nunc grassati sunt in ipsum factis,& supplicijs. Tantisper enim insidiati sunt uitæ eius, dum eum comprehenderent,& in crucem adigerent. Ac nec post mortem quidem eius cessarunt a persecutione ipsius. Persecuti eñ sunt eum in discipulis suis,quos & propter nomen Christi omnibus malis affecerunt. Minatur er-

Christus uerus Deus & homo.

go eis Esaias, & deterret ipsos ab hac insania & crudelitate, qua sæ uituri erant in Christum. Quiescite, inquiens, hoc est, Cauete uo bis ab hoc homine, ne tanta rabie in eum debacchemini. Etsi enim uidetur uobis homo abiectus, qui non possit se uindicare, & quē Deus minime curet, attamen talis est, qui habeat spiritum in nari bus. Hæc est periphrasis grauis iræ. Homines enim, cum irascun tur, effiant per nares grauiorem spiritum, quam cum sunt tran quillo animo. De Paulo adhuc grassante in Ecclesiam scriptum est: Saulus spirans minas & cædem aduersus discipulos Domini. Et de equo ad iracundiam prouocato dicit Iob: Gloria narium eius terror. Itaque spiritum in naribus habere, hoc loco est seuerum & iratum esse. Monet igitur Esaias Iudæos, ut non contemnant hunc hominem, sed metuant iram eius. Et addit: In quo enim re putatur ipse? Hoc est, Vultis ne scire, qua in re æstimari ac de ip so iudicari debeat? Vos existimatis, quod cum uersetur inter ho mines miser & contemptus, nec referat malum malo, pro uulgari hominum more, impotentior sit, quam qui possit de aduersarijs suis supplicium sumere, Sed quæso uos, audite qua ex re maxima iræ eius seueritas cognosci queat. Ipse enim est uerus Dominus Deus noster, qui tanta grauitate animaduertet in impietatem ue stram, ut ablaturus sit a uobis omnem regni uestri maiestatem, & uos coniecturus in perpetuam cæcitatem ac damnationem. Hoc enim illud est, quod mox capite tertio sequitur: Ecce enim domi nator Dominus Zebaoth auferet a Hierusalem & a Iuda ualidum & fortem &c. Sed quid? inquies. An non Christus prædicatur thronus omnis diuinæ gratiæ & clementiæ? an non Christus au tor est omnis apud Deum misericordiæ? Quomodo ergo hoc lo co tribuitur ei maxima omnium ira atque seueritas? Nonne pro pter ipsum homines consequuntur coram Deo gratiam? quomo do igitur tñ concipit spūm in naribus suis, ut perdat ac deleat eam gentem, ex qua ipse hominem accepit? Recte dicis, Christū esse om nis gratiæ thronum: sed ijs, qui agnoscunt ipsum, qui credunt in i psum, qui collocant in eo oēm spem suam, & colunt ipsum ut serua torem & redemptorem suum. Qui autem contemnunt eum, & ma lis afficiunt, & si non sentiunt externam eius seueritatem, cum ad huc inter homines uitam agit: Dicit enim: Filius hominis non ue nit ad perdendas, sed ad seruandas animas hominum: tamen gra uitatem iræ suæ aduersus impios tandem ita reuelabit, ut grassatu rus sit in eos perpetuis supplicijs. Viuo ego inæternum, dicit Do minus: si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam &c. Apprehendamus igitur disciplinam, subij cia-

Spiritum in naribus habere ire est.

ciamus nõs Filio Dei, ne quãdo iraſcatur, & pereamus, cum exarſerit ira eius.

CAPVT III.

ECCE ENIM DOMINATOR DOMINVS ZEBAOTH &c.

Monuit Propheta Iudæos, ut caueant, ne pugnent cum Chriſto, nec ſint aduerſus ipſum iniurij & contumelioſi, propterea quod etſi uidetur homo abiectus, tamen maxima ſit grauitas iræ eius. Nunc ergo deſcribit Propheta hunc hominem Chriſtum, & oſtendit qua in re ſit declaraturus iram ſuam aduerſus impios Iudæos. Nam hic homo Chriſtus eſt dominator DOMINVS Zebaoth. Declarabit autem hac in re ſuam iram, quod ablaturus ſit regnum a Iudæis, propter impietatem ipſorum: quia noluerunt audire uocem DOMINI Dei ſui, & obedire Euangelio Chriſti. Dixit enim Deutero. decimooctauo de Euangelio Chriſti: Si quis non audierit, ego ultor exiſtam. Et Deutero. uigeſimooctauo, de contemptu uerbi Dei: Si non audieris &c. maledictus eris &c. Cum igitur Propheta uidet futurum, ut intereant Iudæi, una cum regno & politea ſua, exponit per partes, & enumerat ſingulatim ſupplicia, quæ ſolent in deuaſtationibus regnorum accidere. Ac primum: Auferet (inquit) Dominus a Hieruſalem & Iuda omne fulcimentum & ſuſtentaculum, omne uidelicet robur panis et aquæ. Hæc eſt deſcriptio famis & penuriæ rerum. Et recenſetur inter ſupplicia impietatis etiam in Leuit. ca. uigeſimoſexto. Confringam baculum panis ueſtri &c. Et ſæpe alias Prophetæ minãtur famem & rerum egeſtatem propter impietatem & contemptum uerbi Dei. Manifeſtum autẽ eſt, quod maxima fuerit fames in Iudæa, ac in toto pene orbe terrarum, ſub Claudio Imperatore, hoc eſt, poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, & ante deuaſtationem urbis Hieruſalem, quemadmodum ſcriptum eſt Actorũ undecimo. Poſtea autẽ in obſidione urbis Hieruſalem tanta fuit fames inter Iudæos, ut matres coxerint ac deuorauerint liberos ſuos. Atque hæc quidem inter Iudæos cõtigerunt, donec regnum eorum ſublatum eſt, & ipſi diſperſi ſunt inter omnes gentes. Durat autem & adhuc illud ſupplicium in Iudæis, quia nullam habent certam ac firmam ſedem, ideoque nullum habent baculum panis: non poſſunt aliquid frumenti in certum tẽpus reponere, quia ſemper neceſſe habent expectare exilium. Nec habent baculum ſeu robur aquæ, quia etſi permittitur eis uſus fontium in ijs locis, in quibus habitant, tamen

Famis ſupplicium.

non possunt sibi hunc usum certo promittere, quia sunt alienæ potestati subiecti, & recipiuntur ac expelluntur iterum pro libidine Principum, ac magistratuum. In Germania autẽ inter Christianos etiam sua est fames et diuturna rerum penuria. Multis enim iam annis durauit publica egestas, & testantur seniores, superioribus suis temporibus nullam unquam fuisse tam diuturnam rerum penuriam. Ac alij quidem alias huius penuriæ causas recitare solent. Sũt qui reijciunt eam in multitudinem hominum. Alij dicunt usurarios & proxenetas esse autores. Alij grãdines & inclementiam cœli. Sed longe errant qui dicunt multitudinem hominum esse causam rerum penuriæ. Nam Deus dixit multiplicationẽ hominum esse benedictionẽ. Benedictio aũt non est causa maledictionis. Præterea, ubi homines multiplicãtur, ibi etiã multiplicatur cultus agrorꝝ, ut ubi ante fuerãt spineta ac dumeta, ibi nunc colãtur agri. Adhæc tam facile est Deo pascere multos homines pauco frumento, quã facile est ei pascere paucos hoĩes multo frumento. Quare non est sentiẽdum, quod hominum multitudo sit causa publicæ egestatis. Nam cum sit benedictio, potius est per se causa rerum abundantiæ. Qui autem reijciunt causam publicæ egestatis in usurarios & inclementiam cœli, non nihil quidem dicunt, non tamen propriam & ueram causam commemorant. Nam hæc demum est, quam Propheta hoc loco indicat, uidelicet, contemptus Euangelij Christi. Multis enim iam annis adnunciatum est Euangelium Christi syncerissime in Germania: sed perspicuum est, quanta ingratitudine, quanta item impietate excipiatur. Aduersarij persequuntur crudeliter. Domestici contemnunt & derident, ac tantum uentri student. Quare sicut quondam apud Iudæos inchoata est deuastatio regni eorum fame, ita etiam hoc tempore inchoatur apud nos deuastatio imperij publica egestate. Hæc concionatus est Esaias suis Iudæis, non ut perirent, sed ut resipiscentia ab interitu uindicarentur. Hæc cõcionatur & nobis, ut excitemur ad pœnitentiã, & amplectamur Christum. Deinde addit Esaias aliud supplicium: Auferet fortẽ, uirum bellatorem, Iudicem, Prophetam &c. Est & hoc supplicium impietatis, & argumentum futuræ deuastationis regni, cum intereunt iuuenes uiri apti ad bella, & cum auferuntur uel morte uel alia occasione uenerabiles senes, prudentes iudices, docti Prophetæ, pij diuinatores, honesti senatores, fortes Principes, sapientes consiliarij industrij, artifices, & eloquentes uiri, ac succedunt in locum eorum Principes, pueri stulti, & effœminati. Non est autem obscurum, quod postquam Iudæi occiderunt Christum, & persecuti sunt Apostolos eius, nullos habuerint Prophetas & pios doctores religionis, sed impios Pharisæos, & nugaces Rabinos.

Fames in Germania diuturnæ causa.

binos. Et cum ab eo tempore, quo Christus ascendit in cœlum, Iudæi fuerint sub Romanis præsidibus, nec potuerint iugum eorum excutere, facile cognosci potest, quod destituti fuerint & fortibus & prudentibus uiris, qui uel potentia, uel sapientia sua recuperarent libertatem. Idem incipit accidere Germanis, qui etsi adhuc rerum in sua terra potiuntur, tamen uidemus fortes iuuenes absumi partim externis bellis, partim compotationibus & ebrietatibus. Et qui his, qui nunc agunt Prophetas, hoc est, interpretes religionis, successuri sint, paucis est curæ. Quam puerilia autem & stulta & inepta sint studia Principum (tenentur enim magis studio uenandi & conuiuandi, quam administrandæ Reipublicæ) notius est, quam ut hoc loco commemorari debeat. Tertio ait: Corruet populus, uir ad uirum, & unusquisque ad proximum suum: hoc est, Alter alterum opprimet. Nulla erit publica iustitia, Sed qui potentior est, opprimet impotentiorem. Nemo erit qui defendat ac tueatur oppressos. Hoc manifeste inter Iudæos impletum est ante deuastationem urbis Hierusalem. Notum enim est ex Iosepho, quanta latrocinia designata sint etiam in templo ipso, & quantæ facultatum direptiones inter ciues ipsos, a sediciosis & sicarijs, priusquam urbs Hierusalem tota deuastaretur. Idem supplicium etiam hoc tempore in Germania incipit. In urbibus potentior opprimit infirmiorem. In publicis itineribus grassantur prædones. Inter Principes & magistratus publicum ius pene sublatum est. Ferunt ius in armis. Quanto quis plures habet equites & milites, tanto plus habet iuris. Hæc sunt initia malorum. Sed unde proueniunt? Vnde, quæso te, prouenerunt Iudæis? Propheta testatur, quod ideo acciderint ista Iudæis, quia restiterunt uiro cuius spiritus in naribus est, hoc est, Iesu Christo, Domino nostro. Et Euangelista ait: Hęc est condēnatio, quia Lux uenit in mundum, Sed homines magis dilexerunt tenebras, quam lucem. Quare hæc mala contingunt etiam nobis, quod reuelato Euangelio Christi, sectemur nostra studia, & contemnimus Christum &c.

TVMVLTVABITVR PVER CONTRA SENEM &c.

Sequitur aliud suppliciū, Sedicio. Habes autem hoc loco εἰκόνα sedicionis. In sedicione enim, potentior opprimit impotentiorem. Adolescentes contemnunt Seniores. Obscuri homines insurgunt aduersus claros & illustres. Rapiuntur ad magistratum, non hi quibus hæc dignitas uel successione uel legitima electione debetur, sed quos furor popularis apprehenderit, & quibus est ue-

Sedicionis imago.

stimentum, qui habent aliquam speciem honestatis (uestis enim uirum facit) & qui uidentur uulgo posse aliquam opem ferre. Sed qui inter hos sunt uiri prudentes, hi quoquo modo possunt, reiiciunt a se magistratum, ac malunt uideri pauperes, & publice suam paupertatem & indigentiam fateri, quam magistratum suscipere. Cum autem manifestum sit, quod post ascensum Christi in cœlum, grauissimæ fuerint seditiones inter Iudæos, manifestum etiam est, quod hæc omnia, quibus Propheta imaginem seditionis adumbrat, inter eos contigerint. Miles ignobilis, cum inter alios ad conseruandam tranquillitatem publicæ festiuitatis in Hierusalem positus esset, sublatis uestimentis ostendit turpiter posteriorem corporis sui partem, Iudæis, qui ad festiuitatem uenerant, & inter quos erant nobilissimi quique Iudæorum. Sicarij inter Iudæos exorti sunt, qui clam in turba hominum occidebant proximos, quibus concidentibus, exclamabant & ipsi, qui erant autores cædium, rem esse nefariam, & grauissime in homicidas animaduertendum, uidelicet, ut hoc modo uiderentur ipsi innocentes. Itaque factum est, ut unusquisque ab amico suo auxilium peteret, & tamen ne sic quidem consequeretur. Erant & Magi, qui populo in solitudines seducto pollicebãtur auxilium & liberationem. Sed hi trucidabantur una cum suis assedis. Hæc & id genus multa alia, quæ enumerat Iosephus, fuerunt initia malorum, quibus Hierusalem ruit, ut Propheta ait, & Iudas concidit. Quæ ergo est tantorum malorum causa? Vna causa est, Quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra DOMINVM, ut prouocarent oculos maiestatis eius. Iterum uocat Christum, DOMINVM Iehoua, ut doceat eum esse uerum ab æterno Deum. Hic DOMINVS Deus noster coram inter Iudæos, suscepta humana natura, uitam egit: Sed Iudæi tam contumeliose eum tractarunt, ut non sint ueriti palam ipsi in faciem resistere, ac tam uerbis quam factis in eum grassari. Dixerunt eum dæmonium habere, esse bibonem & epulonem, esse Samaritanum, esse πλάνον, seductorem populi. Insidiati sunt uitæ eius, conati sunt eum lapidare. Tandem ceperunt eum, & sustulerunt ipsum, omnibus generibus conuiciorum & contumeliarum affectum, in crucem, &c. Altera causa mali est: Agnitio uultus eorum, respondet eis, & peccatum suum quasi Zodoma prædicant, nec abscondunt. hoc est: peccant perfricta fronte, ita ut palam peccata eorũ agnoscantur: sed & ipsi prædicant sua scelera, sicut Zodomitæ. Nam Zodomitæ Gen. xix. palam & impudenter ac impune ad stuprum petunt hospites Lothi. Sic & Iudæi gloriantur de sceleribus suis. Contendunt ea esse iusta & bona opera.

Vide Ioseph. Antiqui. lib. 20. cap. 6. & deinceps.

In Cæsarea ante Synagogam sacrificati alites ab Ethnicis, in ludibrium Iudæorum, Ioseph de bello Iudai. lib. 1. cap. 14.

ra. Tam impudenter designant & iactant sua peccata, ut perspicue significent se reputare ipsa pro iustitia & honestate. Hoc initio intelligendum est de impietate Iudæorum qua grassati sunt in Christum & Apostolos eius. Tantum enim abest, ut iudicauerint hanc crudelitatem esse impietatem, ut palam affirmauerint, se cultum præstare Deo gratissimum. Veniet tempus, inquit Christus, ut qui uos interfecerit &c. Deinde intelligendum est de alijs sceleribus, quæ publice inter Iudæos, & impune designabantur, ut sunt Rapinæ, Latrocinia &c. Addit ergo Propheta, tanquam conclusionem huius partis concionis: Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt ipsis mala. hoc est: Cum tanta sit impietas, & iniquitas Iudeorum, iustissimo Dei iudicio fit, ut inæternum pereant. Confer nũc cum hoc uaticinio statum rerum Germanicarum. Nostris temporibus ortæ sunt uariæ seditiones Nobilium, Rusticorum, Anabaptistarum &c. Magnus est contemptus iuuenum erga seniores. Prudentes quiq; subducũt sese quoquo modo possunt a publicis rerum administrationibus. Hæc sunt initia malorum. Incipit enim Germania ruere & concidere propter duas causas: Altera est, quia alij crudeliter persequuntur Christum, alij fastidiose eum contemnunt. Altera, quia gloriantur de suis sceleribus, & impune ea designant. Prædicant peccata sua sicut Zodomitæ. Nobiles gloriantur de latrocinio & præda. Vociferantur se iustissimam rem facere, si prædentur ciues urbium ac mercatores. Impunita sunt inter ipsos adulteria. Quid dicam de compotationibus & ebrietatibus? quid de abusu nominis Dei ad conuicia & maledicta? De his publica est iactatio & gloriatio. Huc pertinet studium imposturæ, quod habetur pro magna prudentia parandæ rei familiaris. Pertinet & huc inobedientia liberorum, in contrahendo matrimonio, & raptus uirginum. Hæc non solum impune committuntur, & tolerantur, sed etiam laudantur, & honorantur. Quare uæ animæ nostræ, quia reddentur nobis hæc tanta mala &c.

Germaniæ status, & causa ruinæ illius.

DICITE IVSTO, QVONIAM BENE; QVONIAM FRVCTVM &c.

Dicet quispiam: Si Iudæi tantis malis perituri sunt, quid accidet pijs & iustis inter Iudæos? Num pius una cum impio periturus est? De hac re concionatur nunc Propheta & facit duas cohortes: Alteram piorum, & iustorum: Alteram impiorum. De pijs ait: Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum studiorum suorum comedet. hoc est. Etsi impij peribunt, nõ tamen peribunt pij. Sed hoc pro certo eis adnunciandum est, quod cum sectentur pie-

tatem, fruentur etiam pietatis remuneratione. Hæc est necessaria concio in uaticinio de futuris supplicijs. Nam cum prædicitur generalis calamitas propter impietatem populi, solent homines cogitare: Quid facias? Vulgus non emendatur, ideoque certa est internecio. Quid igitur profuerit, etiamsi tu solus resipiscas? Age ergo, compara tuos mores ad uulgi ingenium, ne solus sapere uidearis, & interim affligaris. Num solus tu euades tanta pericula, omnibus alijs pereuntibus? Itaq; etiam pij & iusti sollicitantur in publica morum corruptione abijcere studium pietatis. Sed Propheta interponit hoc loco consolationem pro iustis, & admonet eos, ut perseuerent in studio pietatis. Etsi enim uulgus non resipiscit, sed festinat ad internecionem, tamen si ipsi pergant in pietate, futurum est, ut fructum pietatis suæ sint accepturi, & liberentur uel soli. Exemplum est Noe cum sua familia, Loth cum filiabus, Hieremias & quidam alij in deuastatione Babylonica. Et extat manifeste hoc dictum in Ezechie, capite decimoquarto. Terra cum peccauerit mihi &c. & si fuerint uiri isti tres in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iusticia sua liberabunt animas suas &c. Et in Psalmo: Iniusti disperibunt, simul reliquiæ ipsorum interibunt. Salus autem iustorum a Domino, & protector eorum in tẽpore tribulationis. Quæ ut rectius intelligamus, uidendum est, quos Esaias hoc loco uocet Iustos. Oportet enim nos iusti uocabulum recte intelligere, præsertim cum in eius sententia plurimum aberrare soleamus. Nam cum deberemus esse iusti, reputamus nos iniustos, cum autem deberemus esse iniusti, reputamus nos iustos. Quid hoc, inquis, rei est? Audi. In iurijs, quibus afficimur a proximis nostris, aut supplicijs, quibus legitime afficimur a magistratu, iudicamus nos innocentes, & immeritos, ac solemus iniuriam iniuriæ referre, & in magistratum contumelioſi esse aut sedicioſi. Hoc autem est tempus, quo deberemus agnoscere peccata nostra, & patienter ferre, quæ nobis accidunt. In promissionibus uero diuini auxilij & exhortationibus ad pietatem, existimamus ea ad nos nihil pertinere, sed nescio ad quos sanctos: quod tamen tempus maxime omnium esset, ut iusti essemus, & iusticiam sectaremur. Primum igitur hi iusti, de quibus Esaias concionatur, hoc loco sunt pij, qui Euangelio Christi fidem adhibuerunt, & sectati sunt uocationem Christi. Vaticinatur enim de Iudæorum internecione, quæ contigit eis post Ascensum Christi in cœlum: quo tempore prædicatum est Euangelion per Apostolos & alios Hierosolymis & in uicinia eius urbis. Qui ergo crediderunt Euangelio, hi dicuntur Iusti. Quos etiam Christus Matthæi uigesimo

iusti qui.

simoquarto hortatur, ut aduenientē tantā Iudæorum cālamitate bene confidant. Et Lucæ uigesimoprimo: Attollite capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Hæc idcirco nobis obseruanda sunt, ut cognoscamus quid & nos facere debeamus hoc tempore, quo multa dici solent de interitu Germaniæ. Debemus autem iusti fieri. Quid faciendum ut iustus fias? Esaias non iussit suos auditores suscipere Pharisaismum, Sed supra concionatus est de regno Christi, & reprehendit scelera Iudæorūm. Qua concione significauit fidem adhibēdam esse Euangelio, ut propter Christum iustus reputeris, & scelera fugienda esse. Hæc est uera resipiscentia, qua homo fit iustus. Sic & Christus non iussit suos discipulos hypocrisin Pseudoprōphetarum sequi, sed potius iussit eos cauere a Pseudoprophetis, & fidem adhibere Euangelio, in hac fide perseuerare, & caritatem, quæ in uulgo extincta est, sectari. Eodem modo faciendum est hoc tempore. Vocamur ad iustitiam. Itaque ad faciendam iusticiam non est necessarium induere monasticum uestitum, sed credere Euangelio Christi (Sic enim propter Christum non imputabuntur peccata) & iusticiam operum sectari, uidelicet: si quis hactenus fuit ebriosus, sectentur sobrietatem. Si dedit operā impostoris, negocietur iuste. Si abusus est nomine Dei, loquatur honeste: si scortatus est, ducat uitam pudicam &c. Hæc sunt necessaria factu, si quis promissiónes de iustis dictas ad se pertinere senserit. Deinde uidendum est quo modo iusti comedant fructum studiorum suorum, hoc est, seruentur & liberentur. Sunt enim fortasis multi, qui cum audiunt, Iustis promitti salutem, sentiant, quod debeat eis semper externa salus & liberatio contingere, quemadmodum contigit Noe, Lotho, Hieremiæ, & alijs. Ac fieri quidem solet, quod aliquoties iusti etiam externis liberationibus seruentur: hæ autem non sunt ueræ liberationes: Sed ea demum uera est liberatio, si quis in morte ipsa seruatur, ne pereat, etiamsi moriatur, & interficiatur. Hoc modo pij & iusti semper seruantur. In oppugnatione & expugnatione Galilææ & Iudææ, ac urbis Hierusalem, post ascensum Christi in cœlum, uerisimile est multos fuisse pios Christianos, qui una cum impijs Iudæis interfecti sunt. In die Pentecostes tria milia hominum susceperunt fidem in CHRISTVM. Postea multa milia accesserunt. Et habuit urbs Hierusalem suos semper Episcopos seu concionatores Euangelij usque ad deuastationem eius. Quid? num putas omnes Christianos ante deuastationem aufugisse aut trucidatos esse? Non certe. Sed etsi quidam scriptores testantur omnes Christianos diuino oraculo iussos fuisse ante obsidionem urbis Hierusalem secedere in Pellam,

Resipiscentia uera.

Liberatio pīorum uera.

tamen quia hoc incertū est, ueri similius uidetur, quod magna pars eorum cōprehensi sint obsidione &c. Ad hos igitur loquitur Propheta. Dicite iusto, quoniā bene, quoniam comedent fructum studiorum suorum. Etsi enim una cum alijs interficiuntur, tamen ipsi in morte seruantur per Christum ad ueram uitam. Vnde & Christus Lucæ decimoseptimo ait: In illa nocte erunt duo in lecto, unus assumetur, alter relinquetur. Duæ erunt molentes simul, una assumetur, altera relinquetur &c. Idē accidit in diluuio, in quo perierunt simul filij & nepotes sanctorum Patriarcharum, & posteri Cain. Et tamen probabile est in ipsa aquarum inundatione aliquot Patriarcharum filios resipuisse: & quanquam una cum impijs in diluuio perierunt, ipsi tamen in morte seruati sunt. Sicut & in deserto, multi seruati sunt in morte, etiamsi necesse habuerunt propter peccatum in deserto mori una cum impijs, & non ingredi in terram promissam: Sicut nec Aheron nec Moses ingressi sunt &c. Quare hæc una sit cura nostra, ut fiamus iusti. Tūc enim quicquid acciderit, adiumento erit ad salutem &c.

VÆ IMPIO IN MALVM: RETRIBVTIO ENIM &c.

Concionatus est Propheta de pijs ac iustis, hoc est, de Christianis, quod ipsi seruandi sint in tam horrendis malis, quæ uentura sunt in Iudæos. Nam de illorum salute etiam Christus ipse dixit: Vbicunque est cadauer, illicerunt & aquilæ. hoc est. Etsi multa mala euenient Iudæis, tamen uos mecum eritis, & seruabimini &c. Nunc reuertitur Esaias ad impios, & docet, quod quemadmodum pij accepturi sint fructum studiorum suorum, ita etiam impij accipiant suorum factorum retributionem. Hæc sententia sæpe alias recitari solet, præsertim in Psalmis: Nouit Dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit. Item: Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Item: Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Item: Iniusti disperibunt, simul reliquiæ impiorum disperibunt. Et innumera id genus alia. Videtur autem esse ociosa & superuacanea concio de impiorum interitu, quippe quem nemo negat, & qui nulli hominum est ignotus. Sed res ipsa declarat, quod necessarium sit, ut hæc concio frequentissime recitetur. Nam impietas & iniquitas solet in hoc seculo fœlix esse. Impij enim non affliguntur statim a perpetrata impietate, sed habent aliquandiu prosperam impietatis suæ fortunam. Homines ante diluuium ducebant impijssimam uitam: Non uenit autem continuo diluuiū: sed datum est eis ab inchoata prædicatione Noe spacium centum annorum. Iudæi interfecerunt Christum filium Dei.

Impietas aliquandiu fœlix.

Non

Non autem mox puniti ſunt interfectores, Sed datum eſt eis ſpacium quadraginta annorum, intra quod tempus uidebantur fœliciſsime uiuere, & ſperabant etiam Romanorum eiectionem ac regni ſui reſtaurationem. Quod de tota gente dicitur, hoc idem intelligendum eſt de quouis homine priuato. Peccator enim non continuo ſolet diuinitus puniri a Deo: ſed ut ſecure peccauit, ita aliquãdiu ſecurus uidetur. Hac autem diuturna dilatione ſupplicij homines impij abutuntur. Cum enim uident ſe impune deſignare ſcelera, exiſtimant Deum non curare peccata, nec infernum tãtum ardere, quantum dicitur: imo putant tandem peccata non eſſe peccata, ſed eſſe iuſticiam. Eccleſiaſt. capite octauo dicit: Quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore ullo filij hominum perpetrant mala. Quare neceſſarium eſt, ut hæc concio de impiorum interitu frequentiſsime inculcetur, ut cognoſcant impij, quod etſi diutiſsime uiuunt in ſumma fœlicitate, tamen nihil certius ſit, quam ſupplicium uenturum, niſi reſipiſcant. Nam quod Dominus differat ſupplicium, non differt quod approbet ſcelera, ſed ut expectet pœnitentiam, quam ſi uiderit non ſequi, compenſat tarditatem ſupplicij grauitate.

POPVLVM MEVM EXACTORES &c.

Poſtquam propoſuit Eſaias, impios diuino ſupplicio puniendos fore, enumerat nunc genera quædam impietatis & ſcelerum, quæ Iudæi deſignauerunt. Recenſet autem præcipue hoc loco peccata Principum populi, per quæ facile intelligi poſſunt peccata uulgi. Exemplis enim Principum, ſolet & uulgus peccare. Cum autem in hoc loco cõcionetur Eſaias de eo tempore, quod fuit circa natiuitatem Chriſti, uſque ad excidium Hieroſolymitanum, quo tempore Iudæi fuerunt in poteſtate Romanorum, & habuerunt Romanos Præſides ac Magiſtratus, nomine Principum ac ſeniorum non proprie intelligendus eſt Magiſtratus ciuilis, qui tunc fuit Ethnicus: ſed intelligendi ſunt Phariſæi, Rabini, Pontifices, Sacerdotes, & alij inter Iudæos potentia, diuitijs, & dignitate inſignes. Hi fuerunt autores omnium malorum inter Iudæos. Primum enim, cum debuiſſent eſſe doctores ueræ iuſticiæ, & exactores cœleſtis pietatis, fuerunt pueri & mulieres. hoc eſt, docuerunt puerilia, et muliebria. Non docuerũt legem Dñi iuxta ſententiã ſpiritus ſancti, ſed docuerunt de decimatione anethi, & mentę, & cymini. Commendarunt latas fimbrias & lotiones manuum. Iſta puerilia & muliebria diligentiſsime & exactiſsime inculcarũt: interim aũt de uera legis iuſticia, & de uera fide in Meſsiam, nulla erat mentio. Deinde cũ debuiſſent eſſe duces populi ad cœlũ, duxe

Magiſtratus Eccleſiaſticus.

runt eum ad infernum, quia prædicauerunt merita operum. Non ut ſerunt uera bona opera, ſed tantum cęrimonialia, & Phariſaica, & qui hæc faciebat, eum pronunciabant beatum ac fœlicem. Prorſus eadem erat facies Iudaiſmi eo tempore quo Chriſtus uenit in mundum, qualis hactenus fuit in regno Pontificio. Accedebant & Pſeudoprophetæ, qui pollicebantur liberationem a Romana tyrannide. Præterea, depaſti eſtis, inquit, uineam meam. *Vinea Dei.* Vinea Dei fuit populus Iſrael. Eo autem tempore, quo Chriſtus & poſtea Apoſtoli prędicauerunt Euangelion ante deuaſtationē Hieruſalem, non fuit in populo Iſrael niſi mutua bonorum direptio, et impoſtura. In templo Phariſæi & ſacerdotes hoc unum agebant, ut deglu berent populum, Sicut & Chriſtus accuſat eos, quod deuorarent domos uiduarum. In foro, in urbe, inter ciues, potentior, & aſtutior diripiebat impotentioris & imprudentioris opes ac facultates, donec exorti ſunt inter Iudæos factioſi & ſedicioſi, qui nullum modum rapinarum faciebant, & pauperes ac miſeros crudeliſsime tractabant. Et hæc omnia impune fiebant, ac iudicabantur etiā aliquoties honeſta & licita. Quid ergo? num quia magiſtratus tanta ſcelera non punit, ſed conniuet, aut adiuuat potius, & eadem perpetrat, ac etiam maiora & grauiora, manebunt impunita? Non certe. Sed addit Propheta: Dominus (inquit) ſtat ad iudicandum, & ſtat ad iudicandos populos &c. Hoc eſt, Etſi ſcelera committuntur impune inter homines, & a Principibus ipſis, ac magiſtratibus, qui deberent ſcelera punire legitime, tamen Deus puniet. Quod ſi res ita ſe habet, quo, obſecro, uertemus nos omnes? Omnes enim peccauimus, & meriti ſumus ſupplicia. *Purgatorij excogitandi initium.* Hæc obiectio dedit hypocritis & imperitis cauſam excogitandi ignis purgatorij poſt hāc uitam. Viderunt enim multa ſcelera in hoc ſeculo manere impunita. Et cognouerunt ex ſcriptura, quod Deus puniat ſcelera in futuro ſeculo. Cum igitur intellexerunt multos homines mortem obire, qui etſi grauiter deliquerunt, tamen petiuerunt remiſsionem delictorūm per Chriſtum, non potuerunt eos damnare propter confeſsionem Chriſti, nec rurſus in cœlo reponere, propter peccata. Itaq; finxerunt ignem purgatorium, in quo luerēt ſupplicia pro peccatis. Sed iſti non intellexerunt ueram rationem Chriſtianiſmi. Nullum em̄ ſcelus manet impunitum, in his qui non uere in Chriſto reſipiſcūt. Qui autem reſipiſcunt in Chriſto uere, de his dicit ſcriptura: Peccati eorum non memorabor amplius. Et, Si gens illa pœnitentiam egerit, agam & ego pœnitentiam &c. Quare, qui uoluerit pœnā peccatorum ſuorum coram Deo effugere, debet uere in Chriſto reſipiſcere. Sic enim obliuio erit omnium peccatorum ſuorum, etiā ſi in hoc ſeculo multa aduerſa uſq; ad mortem perpetienda ſint.

ET

ET DIXIT DOMINVS: PRO EO QVOD ELEVATÆ SVNT FILIÆ ZION, ET AMBVLAVERVNT &c.

In ea calamitate, quæ accidet Iudæis, propter impietatem & contemptum Euangelij Christi, sicut non unum tantum genus hominum peccauit, ita non unum tm̃ hominum genus affligetur. Quare cum Propheta ante cõcionatus est de nobilibus, de Principibus populi, & de ijs uiris, qui aliqua dignitate in populo illustres erãt, concionatur nunc de matronis, & nobilibus mulieribus, deinde etiam de uulgo tam uirorum quam mulierum. Omnes enim peccauerunt, Omnes igitur punientur. Quod ergo est peccatum mulierum? Præter ea peccata, quæ sunt mulieribus communia cum uniuersa gente Iudaica, uidelicet, impietas, contemptus Euangelij, hypocrisis, & multa alia uitia, sunt etiam quædam propria mulierum peccata: Eleuatæ, inquit, sunt, & ambulant extẽto collo, & nutibus &c. hoc est. Mulieres nõ ornant sese usitato more, pudice ac honeste, sed exornant sese a planta pedis usq; ad uerticem, tam preciosis rebus, ut exhauriant magna patrimonia, & tam impudicis uestibus, ut conuertant ad se omnium spectatorum oculos: ac incedunt tanto fastu, ut putes te non nisi reginas uidere. Suscipit autem Propheta, id quod forte seuerior quispiam admirabitur, laborem nominatim enumerandi muliebria ornamenta a planta pedis usq; ad uerticem, non quod damnet honestam mulierum mundiciem, sed alijs de causis. Primum, ut significet, quod ad ministerium Ecclesiasticum pertineat non solum homicidia, & latrocinia, & id genus alia scelera, quæ in oculis hominum uidentur esse atrocissima, sed etiam nimium luxum in uestitu & incessu reprehendere. Nam si quid tale pro publica concione reprehenditur, statim remurmurare solet uulgus hominum, & dicere: Quid ad ministros Ecclesiæ, quomodo ego uestiam aut incedam? Ego meo me sumptu uestio, non alieno &c. Sed Esaias defendit suo exemplo ministros Ecclesiæ, et significat hoc loco, quod ipsorum officium sit arguere etiam hæc peccata, quantumcunq; alijs uideantur esse contemnenda. Deinde docet, quod etsi nimius mulierum luxus & ornatus, nõ appareat in iudicio hominum tam crudele facinus, quam est homicidium aut latrocinium, tamen in iudicio Dei tam graue iudicetur, ut propter ipsum totam gentem puniat ac deleat: ideoq; de peccatorum grauitate & magnitudine non est iudicandum iuxta humanam opinionem, sed iuxta uerbum Dei. Nam quod ad officia mulierum attinet. Alterum est, quod debeant, ut Paulus ait, custodes domus esse. Alterum, quod debeant publice in amictu modesto, cum uerecundia & castitate incedere, non tortis crinibus, aut auro &c. Vide

Mulierum peccata propria quæ.

Mulierum officia.

primam Timoth. secundo, & primam Pet. tertio. Cum igitur Iudaicæ mulieres hæc officia prætermitterent, & incederent comptissime ac preciosissime ornatæ, ita ut altera alteram in ornatu superare cõtenderent, ac altera alteram præ se magno fastidio contẽnerent, non tulit Deus fastum earum, sed abiecta gente Iudaica, & sublato regno Iudæorum, sustulit etiam omnem nobilium mulierum superbiam & arrogantiam. Dicit enim: Auferet Dominus in illa die ornamentum calciamentorum &c. armillas &c. gemmas &c. Erit pro suaui odore fœtor, pro zona funiculus &c. pro fascia pectorali cilicium &c. Hoc impletum est in deuastatione urbis Hierusalem, post ascẽsum Christi in cœlum, cum Iudæis ablata est omnis regni sui maiestas &c. Habes de mulieribus nobilibus. Quid autem fiet de uulgo hominum tam uirorum quam mulierum? Viri, inquit, tui gladio cadent, & fortes tui in bello. Erit in tota terra & in oĩbus portis, hoc est, urbibus et ciuitatibus calamitas, mœror, luctus & desolatio. Ac tanta erit paucitas uirorũ Iudaicorũ, ut cum septem, hoc est, multæ mulieres Iudaicæ uiderint unum uirum, existimabunt se saluatorem suum uidere, & apprehendent eum, ac summis obtestationibus rogabunt, ut saltem nomẽ eius impertiat ipsis, & sinat ipsas nomine eius uocari. Se enim reliquis beneficijs & officijs, quæ debent mariti uxoribus, libenter carituras, tantum ut habeant tutorem, aut caput domesticum. Testatur autem Iosephus, quod innumera Iudæorum multitudo tam in seditionibus, q̃ in bellis & expugnationibus urbium sint interfecti. Sunt & multi captiui abducti, multi quoque bestijs obiecti. Itaq; res ipsa indicat magnam mulierum multitudinẽ absq; uiris relictam esse, cum hostes non soleant ita in mulieres ut in uiros sęuire. Admonentur igitur mulieres hoc exemplo, ne sint elati animi, ne altera alteram fastidiat, ne nimis sumptuose sese exornent, sed dent operam pietati, & honestati. Etsi enim mulieres non gestant externa arma pro patria, tamen possunt & ipsæ patriam defendere, si honestatem cum uera pietate coniunctam sectentur &c.

CAPVT IIII.

IN DIE ILLA ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA &c.

Exposuit Propheta calamitates, quæ Iudæis propter impietatẽ & contemptum Euangelij Christi euenturæ erant, quæ & post ascensum Christi in cœlum iamdudum Iudæis euenerunt. Primum enim abiecti sunt a Deo, ne sint amplius populus Dei, & amiserunt omnes prærogatiuas, quas antea præ alijs gentibus coram

Deo

Deo habuerunt. Deinde ablata est ab eis maiestas externi regni, & quemadmodum nullum habent politicum ius in cœlis, ita nullum habent in terris, sed tolerantur tantum ut peregrini, aduenæ, & alieni &c. Dicet ergo quispiam ad Prophetam: si Iudæi tam horribiliter sunt perituri, quid fiet de Messia qui ipsis promissus est? quid item fiet de aliis promissionibus diuinis, quibus Deus recepit se posteris Abrahæ, qui sunt Iudæi, semper benefacturum? Te elegit, inquit Moses, Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terrã. Et iterum: Quoniã non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam nõ derelinquet? De hac re tractat nunc Propheta, & addit insignem concionem de Messia seu Christo & beneficijs eius, ac de Ecclesia eius. In illo, inquiens, tempore. Quo? Eo uidelicet, quo Iudæi horribiliter perituri sunt. Quid fiet? Erit germen Domini iucundum & delectabile, ac fructus terræ erit his qui ex Israel seruati sunt amœnus & gratus. Esaias autem intelligit hac germinis & fructus metaphora, Messiam seu Christum. Hic enim dicitur germen Domini, quia ab æterno est a Deo Patre ex substãtia eius genitus. Deinde dicitur fructus terræ, quia suscepit terrenum seu humanum corpus ex Maria uirgine. Itaque uerus est Deus, & uerus homo. In tantis igitur Iudæorum calamitatibus Messias non interibit, sed exurget ueluti iucundus fructus in terra: nec omnes Iudæi interibunt, sed seruabuntur nonnulli, qui agnoscent Messiam, & delectabuntur in ipso cœlesti lætitia. Percurre nunc eas historias, quæ describunt res gestas Ecclesiæ in aduentu Christi, & antequam Hierusalem fuit a Romanis deuastata, tunc reipsa uidebis hæc impleta esse. Postquam enim Christus concionabatur Euangelium suum, & confirmabat illud miraculis, magna Iudæorum multitudo agnouit eum pro uero Messia, & credidit in eum. Deinde cum misisset spiritum sanctum in die Pentecostes, uno die tria milia Iudæorum crediderunt in Christum, quibus Christus fuit uelut delectabile & iucundum germen, & tanquam amœnus & gratus fructus: hoc est, Christus ita ab ipsis agnitus est, ut collocarint in eo omnem suam fœlicitatem. Postea agnouerunt Iesum Christum etiam multi alij Iudei, non solum Hierosolymis, uerumetiam in toto orbe terrarum. Paulus Apostolus occisus est ante deuastationem urbis Hierusalem, & tamen testatur, quod suo tempore Euangelion uulgatum sit in omnem terram: Prædicatum, inquiens, est apud uniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Et iterum: Fructificat in toto mundo. Etsi autem gentes præcipue agnouerunt Euangelion Christi, tamen & multi Iudæi, qui inter gentes habitabant, susceperunt Christum. Et hi sunt illi, quos Propheta

Germen Dñi Messiæ

Colo. 1.

dicit saluatos in Israel, & relictos in Zion, ac scriptos ad uitam in Hierusalem, quia crediderunt Euangelio quod de Iesu Christo in Zion & Hierusalem in die Pentecostes publice confirmatum est, & ab eo loco uulgatum in totum orbē terræ. Habes igitur de Messia, quod etsi Iudęi sint horribiliter interituri, tamen Christus non interibit, sed non solum ipse seruabitur, uerumetiam seruabit una secum multos ex Israel. Vides autem & hoc esse testimonium, quo probatur, quod in deuastatione urbis Hierusalem, a Romanis facta, de qua Propheta hactenus cōcionatus est, necesse fuerit Messiam iam aduenisse. Itaq; impij Iudæi frustra expectāt alium Messiam, præterquam Iesum Christum Dominum nostrum. Sed quid erit his qui saluati fuerint de Israel? quid beneficiorū a Messia accipient? De hoc Propheta ita dicit: Omnis qui relictus fuerit in Zion, uocabitur Sanctus. Diximus antea, quod hi Iudæi, qui crediderunt in Iesum Christum, uocētur a Propheta relicti in Zion, & saluati de Israel. Non igitur intelligas de ijs, qui euaserunt manus hostium Romanorum. Nullus enim hic est sermo de impijs Iudæis, qui siue in bello Romano perierint, siue reliqui fuerint, non pertinent propter impietatem suam ad regnum Christi, quod in Zion & Hierusalem per Euangelion est reuelatum & uulgatum. Relicti autem in Zion hoc loco dicuntur credentes in Christum, qui & uere sunt seruati, & conscripti ad uitam. Hi ergo, inquit Propheta, uocabuntur Sancti. Sæpe in hoc Propheta dicitur, quod in Zion & in Hierusalem tantum futuri sint iusti & sancti. Supra dixit: Posthac uocaberis ciuitas iusta, & urbs fidelis. Et capite trigesimoquinto. Erit ibi semita, & uia sancta uocabitur. Non transibit per eam pollutus &c. Et capite quinquagesimo secundo: Non adijciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus & immundus. Et capite sexagesimo: Populus tuus omnes Iusti in perpetuum &c. Primum ergo manifestum est ex epistolis Pauli, quod omnes in Christum credentes, uocati sint Sancti. Deinde hæc Christianorum sanctitas non sic intelligenda est, quod omnes qui dicuntur Christiani sint uere sancti coram Deo. Multi enim fingunt se esse Christianos, cum sint reuera impij: & testatur Christus ipse, quod multa erunt zizania in Ecclesia, usque ad consummationem seculi. Nec sic intelligenda est hæc sanctitas, quōd non sint reliquiæ peccati etiam in illis, qui uere in Christum credunt, aut quod nunquam peccent. Etsi enim pij credunt in Christum, tamen habent adhuc reliquias peccati, cum quibus continue pugnandum est. Et solet accidere, quod pij aliquoties grauius peccare uideantur, quam impij, cuius rei exemplum habes in Dauide & Petro. Sed hoc interest inter peccata piorum & impiorum, quod impij

Sancti qui.

non

non agnoſcant peccata nec reſipiſcant, ſed pergunt in ſua pertinacia & impietate, donec pereant in æternum. Pij autem reſipiſcunt, & cõſequuntur peccatorum remiſsionem. Quare Chriſtianorum ſanctitas ſic intelligenda eſt, quod cum credunt in Chriſtum, accipiant duplex beneficium ſanctitatis: Alterum eſt, quod Chriſtus remittit eis omnia peccata, & donat ipſis ſuam totam iuſticiam, ut poſsint de ea non aliter coram iudicio Dei gloriari, quam ſi ipſi hanc iuſticiam ſuis ipſorum operibus impleuiſsent. Alterum eſt, quod donat eis ſpiritum ſanctum, cuius uirtute pugnant cum reliquijs peccati, & dominantur peccato, ne cupiditatibus eius ſeruiant, ſed etſi cadunt aliquoties, tamen clementia Dei ſeruantur, ut reuertantur ad Chriſtum, ſicut Dauid & Petrus & multi alij &c.

CVM ABLVERIT DOMINVS SORDES FILIARVM &c.

Omnis, inquit, qui relictus fuerit in Zion, & reſiduus in Hieruſalem, ſanctus uocabitur. Exponit igitur nũc Propheta unde ueniat, & quomodo contingat pijs uera ſanctitas. Omnes enim homines ſunt natura prophani & peccatores, ſunt in conſpectu Dei immundi & impuri. Vnde ergo conſequuntur iuſticiam, puritatem, mũdiciem, & ſanctitatem? In lege Moſi & traditionibus Phariſæorum uarij ſunt modi abluendarum ſordium, & conſequendæ puritatis. Alias mundãtur impuri aſperſione ſanguinis de ſacrificio, alias aſperſione aquæ expiationis, alias lotione manuum. Hę autem purificationes ſanctificant hominem tantum ciuiliter, & coram hominibus: ſed coram Deo neceſſaria eſt alia ablutio ſeu purificatio. De hac cõcionatur nunc Propheta. Abluet, inquit, Dominus ſordes filiarum Zion &c. Filiæ Zion ſunt omnes, quotquot agnoſcunt uerum Meſsiam, & credunt in eum. Sordes autem & ſanguines ſunt peccata, quæ ex conſanguinitate Adami contrahuntur, & quæ nos ipſi deſignamus, digna pœna ſanguinis, ſeu ſupplicio capitali, digna uidelicet æterno igni gehẽnæ. Hæ ergo ſordes, hi ſanguines abluuntur ſpiritu iudicij & ſpiritu ardoris: Hic ſpiritus eſt prædicatio Euangelij de Ieſu Chriſto, quod ipſe ſolus ſit expiator peccatorum, & quod omnis qui credit in eum, habeat remiſsionẽ peccatorum. Dicitur autem Euangelium ſpiritus iudicij & ardoris, quod iudicat uniuerſum mundum, & ſeparat, ſicut in iudicio fieri ſolet, pios ab impijs, ac illos quidem collocat in æterna fœlicitate, hos autem abijcit in ignem inextinguibilẽ. Vnde Ioannes Baptiſta de Chriſto ait: Cuius uentilabrum in manu ipſius, & repurgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Et Ioãnis decimoſexto: Cum

Alludit ad uẽtum urentem qui diuidebat mare rubrũ, ut Iſraelitæ illæſi pertranſirẽt mare, & Aegyptij in eo ſuffocarentur.

uenerit ſpiritus arguet mundum de peccato, de iuſticia & iudicio. Et apud Marcum: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur. Quare abluitur a ſordibus, & expurgatur uelut igni, quicunque credit prædicationi Euangelij de Chriſto, quod propter ipſum habeat peccatorum remiſsionem & uitam æternam.

CREABIT DOMINVS SVPER OMNEM MONTEM &c.

Aliud beneficium, quod continget pijs ſiue Iſraelitis, ſiue omnibus alijs populis, ubicunque habitauerint, qui credunt in uerum Meſsiam. Poſtquam enim abluti ſunt a ſordibus per Euangelium, tunc Deus creabit ſuper ipſos nubem per diem, et columnam ignis per noctem. Hæc metaphora ſumpta eſt a miraculo, quod eſt editum in conſpectu Iſraelitarum, cum egrederentur ex Ægypto. In Exodo enim capite decimotertio dicitur: Dominus præcedebat eos ad oſtendendam uiam per diem in columna nubis, & per noctẽ in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroque tempore &c. Et capite decimoquarto: Tollens ſe angelus Domini, qui præcedebat, &c. Cum igitur Propheta dicit Dominũ creaturum nubem & ignem ſuper montem Zion, & omnia loca in quibus Iſraelitæ habitauerint, ſignificat, quod Chriſtus ſit defenſurus Eccleſiã ſuam omni tempore, & in omnibus aduerſis. Vnde & Propheta ipſe hanc metaphoram exponit, cum addit: Erit enim protectio ſuper omnẽ gloriam, hoc eſt, ſuper Eccleſiam, quæ præ alijs regnis huius mundi ſola eſt præcipue glorioſa in conſpectu Dei, & ſuper omnes credentes in Chriſtum, qui & ipſi præ omnibus huius terræ Monarchis ſunt coram Deo glorioſi. Et tabernaculum erit ad umbraculũ diei ab æſtu, & ad ſecuritatem & abſcõſionem a turbine & pluuia. Hæc eſt ampliſsima promiſsio, qua etiam nihil certius eſt. Quotquot enim credunt in Chriſtum, hos Deus in ſuam protectionem ita ſuſcipit, ut nec paupertas, nec morbus, nec Satan, nec mors ipſa poſsit eis nocere. Etſi enim pij affliguntur, tamen non pereunt &c.

Eccleſiæ conſeruatio.

CAPVT V.

CANTABO DILECTO MEO &c.

Etſi concio huius quinti capitis poteſt eſſe pars eius cõcionis, quę ſupra cap. ij. incepit, tñ quia habet ſingularẽ titulum ſeu inſcriptionem, ſentiamus etiam ipſam eſſe ſingularem concionem, & ab illa priori ſeparatam. Eſt aũt hæc concio eiuſdem argumenti cum priori,

priori. Docet enim abijciendos esse Iudæos ex hereditate cœlestiũ bonorũ, propter impietatẽ & scelera. Sed quia utitur metaphorica seu parabolica figura loquendi, uocat hãc concionem Canticũ, nõ quod sit tale carmẽ, qualia sunt psalmi Dauidici, sed quod hebræo more Canticũ uocetur non tm̃ modulata, uerũ etiã figurata oratio, uidelicet, puerbialis, metaphorica, aut parabolica. Solemus & nos uulgo dicere: Canit ueterem cãtilenam, pro eo, quod absq; figura diceretur, Recitat ueterem historiam seu narrationem. Aut si quis recitauerit alterius concionem, dicat, se ceciniſſe eandem cantilenã quam ille prior cecinerit. Deinde Esaias uocat Christum, patruelẽ suum, propterea quod quemadmodũ supra ostẽdimus, Esaias fuerit de tribu Iuda, filius Amoz fratris Amaziæ, e cuius Amaziæ familia descendit Iesus Christus secũdum humanitatem. Dicit ergo se cantaturũ dilecto suo (uidelicet in nomine Dñi Dei sui, quẽ lex exigit diligere ex toto corde & ex tota anima) cãticum patruelis sui de uinea sua, hoc est: Esaias suscipit se recitaturum parabolicam illam concionem, quam Iesus Christus cognatus eius secundum carnem, publice de uinea sua prædicabit. Extat autem ea concio ab Euangelistis diligentissime pene ijsdem uerbis, quibus hoc loco recitatur, descripta, Matt. ca. xxi. Mar. xij. & Lu. xx. Vide ergo mihi, q̃ acuti auditus fuerit Esaias, quod audiuerit concionem Christi, quę habenda erat post octingentos pene annos. Hoc certe acumen non fuit nisi a spiritu sancto. Primum igitur, Vinea Domini Zebaoth uocatur Domus Israel, seu populus Iudaicus, quemadmodum Esaias ipse interpretatur, & Pharisæi probe intelligunt, Lucæ uigesimo. Deinde, quam curam adhibet agricola in excolẽda uinea sua, ut fructum ferat, eam quoq;, ac multo maiorem, adhibuit Deus in excolendo populo Iudaico, ut iuste ageret, & consequeretur salutem. Agricola solet uineam suam munire sepe & maceria, plantare optimis quibusque uitibus, & ædificare in ea turrim ad speculam seu custodiam, & torcular, ad exprimendas uuas. His rebus constat uinea. Sic Deus coluit suam uineam, quę est populus Iudaicus. Dedit eis regnum Canaan. Instituit in hoc populo politeam, cum legibus suis, quæ sunt uelut sepes & maceria. Quod autem publicæ leges uocentur sepes aut maceria, admonet nos tam de autoritate, quam de utilitate legum. Maceriæ distinguunt hortum ab horto, & uineam a uinea. Sic leges distinguunt politeas & regna. Maceriæ & sepes arcent bestias & fures ab incursione. Sic leges arcent malos, ne publicam tranquillitatem turbent. Sepes custodiunt & conseruant hortos & uineas, ne a quouis proterantur & conculcentur. Sic leges conseruant regna & poli-

Christus Esaiæ patruelis.

Vinea Dñi Zebaoth.

Leges cur uocentur sepes.

teas, ne intereant. Quare Magistratus tum uere dicitur tueri regionem, cum tuetur publicas leges. Vbi enim leges concidunt, ibi nulla reliqua salus est Reipub. Præterea Deus instituit in hoc populo sacra, seu cultum diuinum, quo uera pietas cognoscerētur. Dedit huic populo Prophetas, qui uelut in alta turri aut specula sedentes, admonerent populum de uenturis malis, ut caueant & resipiscant, qui etiã essent ueluti torcular, ut quemadmodum in torculari exprimuntur uuæ, ut dent dulce mustum, ac fiat iucundum uinum, ita Prophetæ præpararent concionibus suis populum, ut fieret DOMINO gratus & acceptus. Præsertim autem instituit Prophetas ut docerent de Christo, & beneficijs eius, propter quem solum Deus sit nobis propicius. Hæc sunt maxima omnium beneficia. Sed quam gratiam uicissim retulit Deo populus Iudaicus? Expectaui (inquit) ut faceret uuas, & fecit labruscas. Expectaui, ut faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iusticiam, & ecce clamor. Vuæ sunt fides in Christum, Inuocatio Dei ex fide, obedientia in præceptis Dei, candidus animus erga proximum. Et in administratione Reipub. diligẽs custodia legum, punire malos, tueri bonos, defendere uiduam & pupillum &c. Labruscæ sunt impietas, hypocrisis, interfectio Prophetarum, interfectio Christi, odiũ proximi, negligẽtia in administrãdis legibus, iniquitas iudiciorũ, tyrannis, & innumera id genus. Hos fructus protulit populus Iudaicus, pro innumerabilibus beneficijs, quæ accepit a Deo. Quid ergo faciet Deus? num semper tolerabit tantam ingratitudinem? Nihil minus. Sed ait: Auferam sepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriam &c. Non putabitur, & non fodietur &c. hoc est, abijciam populum Iudaicum una cum lege & sacris eius. Non dabo eis amplius Prophetas & concionatores, non habebunt ullam politeian &c. Grauissima comminatio, quæ & reipsa est in Iudæis impleta. Sed Spiritus sanctus respicit hac parabola in Ecclesiam Gentium. Dedit enim Gentibus regna externa, dedit eis Leges politicas. Et quod maximum est, reuelauit eis Iesum CHRISTVM, uerum Seruatorem, misit ad eos Apostolos, dedit concionatores, instituit parochias. Breuiter nihil deest eis ad fœlicitatem uel terrenam uel cœlestem. Sed quia rependunt eandem ingratitudinem, quam Iudæi rependerunt, idcirco nisi resipiscant, manet eos perpetuus interitus.

EXPECTAVI VT FACERET IVDICIVM &c.

Vinea colitur, ut fructum ferat. Sic & Deus selegit Israeliticum populum pro sua uinea. Videamus ergo quos fructus expecta-

expectauerit Deus ex hac uinea, & quos populus tulerit. Primum expectaui (inquit) ut faceret Iudicium. In regno politico facere Iudicium est punire sceleratos, ne noceant, & hostibus obsistere, ne afferant regioni cladem, adeoque seueritatem exercere aduersus malos, ne inferant innocentibus damnum. Nisi enim magistratus hoc officium fecerit, publica tranquillitas constare non potest. Et in qua politia scelera manent impunita, ea internecioni proxima est. In regno autem Christi facere Iudicium, est suscipere bellum cum Satana, pugnare cum Diabolo, obsistere cupiditatibus eius, agnoscere peccata, mortificare carnem, ne Diabolus & caro in homine dominentur. Nam Christus apud Ioannem dicit: Cum uenerit paracletus arguet mundum de Iudicio, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est. hoc est, Mundus putat hoc esse præcipuum iudicium, si fur suffigatur patibulo, & crura latronis rota cõtundantur. Hæc si fiant, existimat mundus Iudicium recte peractum, & publicam tranquillitatem partam esse. Ac habent quidem hæc suam rationẽ in regno politico. In regno autem Christi, iudicium nondum peractum, nec uera tranquillitas parta est, cum fur fuerit suspensus, & latro crura fractus. Nondum enim Diabolus est suspensus & fractus, etiamsi omnes fures pendeant, & omnes latrones rotis fuerint contusi. Sed hoc est iudicium in regno Christi, si Satan aut Diabolus fuerit iudicatus, seu damnatus & suspensus. Vicit autem Diabolum Christus morte sua, & iudicauit ac condemnauit eum una cum sua potentia ad æternum cruciatum. Quare facere iudicium in regno Christi est obsistere Diabolo, pugnare cum Diabolo, ne designandis peccatis tradamus nos uictos Diabolo. Exempli gratia: Diabolus inspirat homini, ne timeat Deum, quod Deus non curet humana. Si ergo obsistitur huic inspirationi Diaboli, & suscipitur timor Dei, tunc Diabolus iudicatur, condemnatur, suspenditur, & rota contunditur. Item Diabolus sollicitat hominem ad inuidiam, ad ultionem, ad libidinem, ad impostu ras, & alia scelera. Qui ergo pugnat cum hac inspiratione Diaboli, & non obsequitur ei, sed obsequitur spiritui sancto uocanti ad bona, pia, & honesta opera, is iudicat Diabolum, condemnat eum, & suspendit ipsum ex patibulo, aut affigit eum rotæ. Hoc est iudicium, hic est fructus, quem expectauit DOMINVS e sua uinea. Sed quid factum est? Ecce, inquit, iniquitas. Iucunda est allusio Hebraicarum dictionum in hoc loco, quam etiam Hieronymus obseruauit. Nos autem nostra prosequemur. Pro fructu iudicij protulit Israel fructum iniquitatis. In regno enim politico, scelerati impune grassabantur in innocentes. Magistratus non puniebat delicta iuxta seuerita-

Iudicium facere quid.

tem legis diuinæ. De qua re concionatur etiam Christus: Decimatis mentam & anethum &c. Grauiora legis reliquistis &c. In regno autem spirituali populus non pugnabat cum Diabolo, sed tradebat se cuiuis inspirationi eius uictum. Quicquid sceleris cogitabant, hoc etiam perpetrare non uerebantur. Non agnoscebant peccata sua, sed defendebãt ea, & iudicabant esse iusticiam ac pietatem, Et hæ sunt labruscæ, quas protulit uinea Domini. Deinde: Expectaui, ut faceret iusticiam. In regno politico, facere iusticiam, est defendere pios, tueri innocentes, honore afficere bona opera, ut homines inuitentur his rebus ad sectandam honestatem & iusticiam. Necessaria res ad conseruandum regnum. Conqueritur Ethnicus, apud Homerum, se non posse in eo regno uitam agere, in quo iuxta malus ac bonus honorentur. Quare non potest regnum constare incolume, in quo boni non præferuntur malis. In regno autem spirituali facere iusticiam, est credere in Iesum Christum, quod passus sit pro peccatis nostris, & resurrexerit ad iustificationem nostri. Dicit enim Christus apud Ioannem: Cum uenerit spiritus arguet mundum de Iusticia, quia uado ad patrem, & posthac non uidetis me. hoc est, Mundus putat hanc solam esse iusticiam, si homines ducant honestam uitam coram hominibus, & defendantur a suo magistratu in uitæ suæ honestate ac iusticia. Nec est damnanda hæc iusticia: non est autem uera illa iusticia, qua homines possunt perpetuam tranquillitatem consequi. Sed uera iusticia est, quam Christus nobis abitu suo ad Patrem, hoc est, morte & resurrectione sua impetrauit. Mortuus est enim, ut expiaret peccata nostra. Et resurrexit, ut donaret nobis suam iusticiam et uitam. Qui enim credit in Christum, reputatur tam iustus coram Deo, propter Christum, quam si ipse omnem legis iusticiam suis operibus perfeciset. Hic est uerus fructus, quem expectauit Dominus a sua uinea. Sed uide quid sit factum. Ecce, inquit, clamor, ecce querela iustorum & piorum super iniquitate malorum, & ignauia Principum. In regno enim politico nulla erat cura bonorum & honestorum, ac innocentium. In regno autem spirituali, tantum abest ut crediderint in Iesum Christũ, ut potius occiderint tam ipsum, quam Apostolos eius, sicut antea occiderant Prophetas, qui de aduentu Christi uaticinabantur.

Iusticiam facere &c.

VÆ QVI CONIVNGITIS DOMVM AD DOMVM &c.

Sequuntur aliæ labruscæ, quas pro fructu uuarum tulit uinea Domini. Postquam enim Deus exhibuit Iudæis Christum filium suum, expectauit, ut quærerent in Christo tabernacula cœlestia: expectauit, ut componerẽt se in terra, ad quærẽdam patriã cœlestẽ: sed

sed ipsi abiecto & contempto Christo, ac neglecto omni pietatis studio, tradiderunt se totos auariciæ & mercimonijs emendis ac uendendis. Non sunt contenti una domo & agro, sed in hoc studium toti incumbunt, ut domum coniungant domui, & agrum agro, quasi nullum uicinum habituri, aut quasi soli terrã possessuri. Huc alludit parabola illa, quæ extat apud Matt. cap. uigesimo secundo de inuitatis ad nuptias, quorum alij abeũt in uillas, alij ad negociationes suas &c. Quid autem ad hæc dicemus? Num impium est duas domos contiguas, aut duos agros seu uillas possidere? Nihil minus. Nec hoc reprehendit spiritus sanctus: sed reprehendit neglectum cognitionis Christi, & studium augendarum facultatum suarum in terris. Hi enim erãt temporibus Christi & Apostolorũ mores Iudæorum, quod etsi Christus & Apostoli eius conciona-

Emere & uendere quatenus licitum Christiano.

bantur Euangelion, & tradebant ueram doctrinam consequendæ cœlestis iustitiæ & fœlicitatis, tamen maxima pars Iudæorum sectabantur potius sua studia auariciæ, quam studia ueræ pietatis. Admirabantur quidem miracula Christi, audiebant nõnunquam conciones eius, hoc autem non faciebant pietatis, sed tantum nouitatis studio. Nam ipsi in hoc toti erant, ut domos coniungerent domibus, & agros agris. Si unus ager emptus fuerat, mox cogitabatur de altero emendo, etiamsi ille prior nondum solutus erat. Tales sunt & hoc tempore mores Christianorum. Emunt, uendũt, copulant agros agris, domos domibus, census censibus. Quid igitur? Peccant ne, qui talia agunt? An non est pius, qui emit duas domos? Absit. Non damnatur contractus emptionis, si fiat legitime & pie. Nam qui maximam & primam omnium curam habet, ut agnoscat Christum, & sectetur uocationem Christi: deinde autem emat agros pro sua commoditate, & sine auaricia ac impostura, sed tantum, ut faciat officium patrisfamilias, & exerceat in hoc pietatem, is recte utitur emptione & uenditione, & sequitur regulam Pauli: Qui emunt, sint tanquam non possideant, & qui utuntur mundo hoc, tanquam non utantur. Quod si uero quispiam neglecto studio cognoscendi & sectandi Christi, hoc solum agat, ut coemat sibi agros & domos, id demum est uere impium, & contra hunc inuehitur spiritus sanctus, ac minatur ei horrendum supplicium. Dicit enim: Væ illis. Et: In auribus meis sunt hæc dicit Dominus Zebaoth. Hoc est: Vos emptores & uenditores existimatis Deum non curare ista hominum colloquia & actiones de emptionibus agrorum & domorum. Putatis ea tantum sonare in auribus hominum: Sed sonant uere etiam in meis auribus. Ego audio & uideo uestra studia, uestrum contemptum pietatis, uestram cupiditatem rerum terrenarum. Quare non

abibitis impunes. Quę ergo est pœna huius peccati? Primum: Domus multæ fient desertæ, hoc est, Auaritiam & studium coniungẽdarum domorum sequitur uel pestilentia uel deuastatio terræ. Deinde, decem iugera uinearum faciũt unam lagunculam &c. hoc est, studium coniungendorum agrorum sequitur sterilitas & penuria rerum. Sicut & Agg. primo dicitur: Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus &c. Quare non est alia ratio conseruandæ regionis, & fertilitatis terræ, quam ita domos & agros emere, ut ante omnia studeas cognoscendo & sectãdo Christo ac Euangelio eius.

VÆ QVI CONSVRGITIS MANE AD EBRIETATEM &c.

Expectaui, inquit, ut faceret uuas, & fecit labruscas. Cum igitur antea enumerauit aliqua genera labruscarum, uidelicet impietatẽ, contemptum & neglectum iudicij ac iusticiæ, & auariciam, addit nunc aliam labruscam, quę est Ebrietas. Vbi enim est contemptus piæ doctrinæ, ibi alij studeant congregandis opibus, alij dissipandis & helluandis. Ostendimus autem supra, quod concio huius capitis instituta sit κατὰ ἄνθρωπον, aduersus eos Iudęos, qui cum aduenisset Christus & prędicaret Euangelion suum, contempserunt Christum, & neglexerunt doctrinam eius. Itaq; cum alij darent operam coniungendis domibus & agris, alij contulerunt studium suum ad conuiuia a summo mane usq; ad uesperam celebrãda, quibus non uinum tantũ, sed & citharas, lyras, tympana & tibias adhibuerunt, ut nullum læticiæ genus deesset. Interim autem opus Domini non respexerunt, hoc est, prorsus nullam habuerunt rationem præceptorum Dei, doctrinę Euangelij, ac consiliorum diuinorę. Non curauerunt quid de religione doceretur: Non animaduerterunt, quã calamitatem Dominus Deus immissurus esset in gentem Iudæorę, Sed fuerunt securissimi, et dederunt tantum operam suis helluationibus, quasi nullum malum possit ipsis cõtingere. Significat etiam Christus apud Lucam capite uigesimo primo, quod Iudæi ante deuastationem Romanam in hoc studium incubuerint, ut conuiuarentur & helluarentur. Cauete, inquiens, uobis, ne quando grauẽtur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes &c. Hæc est prorsus illa ipsa concio, quam hoc loco habet Esaias. Nam quod Christus iubet discipulos suos cauere ne grauẽtur crapula & ebrietate, perspicue significat, alios ita deditos esse cõuiuijs, ut sint prorsus securi, & prę cõuiuijs non curẽt quid Deus uel in præsentia fieri mandet, uel in futurum agendum susceperit. Sed & Propheta Amos docet, Iudæos etiam ante deuastationem Babylonicam uixisse secure & deditos fuisse cõuiuijs: Vę, inquiens, qui comeditis

Ebrietatis reprehensio.

comeditis agnum de grege,& uitulos de medio armenti, qui canitis ad uocem psalterij,sicut Dauid: putauerunt se habere uasa cantici &c. Habes igitur securitatem,conuiuia, & ebrietatem Iudæorum, eorum uidelicet, qui uitam egerunt ijs temporibus, quibus Christus & Apostoli eius in terris uixerunt,ac prædicauerunt Euangelion. Nam de his præcipue concionatur Esaias in hoc capite. Videamus nunc supplicium securitatis,& ebrietatis. Propterea(inquit) captiuus ductus est populus meus. Familiare est Prophetis uti præterito pro futuro. Loquitur ergo Propheta hoc loco de deuastatione & abiectione Iudæorum,quæ futura erat post ascẽsum Christi in cœlum,& diuulgationem Euãgelij in totum orbem terræ. Exponemus autem iuxta Prophetæ ordinem ea, quæ in hac de uastatione Iudæis contigerunt. Primum, populus abductus est in captiuitatẽ,nulla scientia,hoc est, ex improuiso & ex insperato. Iudæi enim erant eo tempore subiecti Romanis,nec metuebant sibi a Romanis, cum præsides eorum tuerentur ipsos,& conseruarent publicam eorum tranquillitatem. Et tamen bellum cum Romanis ita subito & ex inopinato exarsit, ut etiam Iudæi ipsi admirati fuerint. Cum autem suscepissent arma aduersus Romanos,ita securi erant, ut existimauerint nullam humanam potentiam tantam esse, quæ munitissimã ipsorum urbem,& templum expugnet. De qua re consulendus est Iosephus. Quare quicquid eis calamitatis accidit,ex improuiso,& longe aliud expectãtibus accidit. Deinde multi interierunt fame & siti, non solum homines uulgares,sed & nobiles ac diuites. Hæc fuit maxima fames in deuastatione urbis Hierusalem,qua coacti fuerunt mulieres suos ipsarum liberos mactare & deuorare: quod ex Iosepho manifestius est, quam quod hoc loco pluribus commemorari oporteat. Præterea multi alij moriebantur peste, alij occidebantur gladio. Iosephus dicit captiuorum numerum fuisse nonaginta & septem milium. Mortuorum autem decies centena milia. Hoc significat Propheta,cum ait infernum dilatasse animam seu palatum suum,& aperuisse os suum sine modo. Sic enim loquitur de morte & inferno, perinde ac si esset ingens draco,qui aperto rictu deglutiret homines. Itaq; cum maxima fuit multitudo morientium & pereuntium Iudæorum, non tantum hominum uulgarium,sed etiam nobilium & illustrium, dicitur mors & infernus innumeros deglutisse. Postremo: Incuruabitur homo, & humiliabitur uir,& oculi sublimium deprimẽtur. hoc est: In deuastatione Hierusalem, a Romanis fienda,omnis gloria Iudæorũ concidet, omnes illustres familiæ abolebuntur, omnis nobilitas eorum cessabit. Etsi enim aliqui superstites erunt ex tanta clade,tamen nulla posthac prærogatiua nobilitatis fruentur. Erunt igno-

Securitatis supplicium.

biles, abiecti, contempti, egeni, exules, ac longe omnium miserrimi. Quid igitur fiet de uero Deo Israel, de DOMINO Zebaoth, hoc est, de Christo, quem Iudæi hactenus expectarunt & sacrificijs suis adumbrarunt? Num quia populus Christi interiturus est, interibit etiam Christus ipse? Nihil minus. Sed Exaltabitur (inquit) DOMINVS Zebaoth (qui est Iesus Christus) in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur seu illustrabitur in iusticia. Dictum est supra quid sit facere Iudicium & Iusticiam. In regno enim ciuili est iuste dominari, ut punias nocētes, & tuearis innocentes, ut prohibeas iniquitatem, & conserues honestatem ac æquitatem. In regno autem Christi est prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum ac iusticiam in nomine Christi. Cum ergo Propheta dicat, Dominum Zebaoth illustrandum iudicio & iusticia, significat in nomine eius prædicandum Euangelion, quod propter ipsum solum habeamus remissionem peccatorum, & iudicemur coram Deo iusti. Hæc est exaltatio Christi Domini Zebaoth, quæ facta est his temporibus, quibus Iudæi susceperunt bellum aduersus Romanos, & deuastati sunt a Romanis. De hoc concionatur Christus ipse Matthæi uigesimoquarto: Prædicabitur, inquiens, hoc Euangelion regni in uniuerso orbe. Et Paulus de
Colo. 1. suo tempore ait: Prædicatum est Euangelion apud uniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Quid autem in tanta Iudæorum calamitate fiet de his, qui credunt in Christum? Pascentur, inquit, agni iuxta ordinem suum, & deserta in ubertatem uersa aduenæ comedent. Vbi nos habemus Aduenę, ibi Hebręus habet גרים Garim, quod non tantum aduenas significat, sed etiam pullos animalium. Postquam igitur Propheta antea meminit agnorum, uerisimilius est quod intelligat per Garim pullos animalium, quam aduenas, ut in cœpta metaphora maneat, & si per hos pullos recte intelligas Gentes, quæ dicuntur Aduenæ. Est enim sententia: Cum Iudæi oppressi fuerint, tunc agni, & pulli aliorum animalium pascentur secure in pinguibus pascuis. hoc est, pij qui ex Iudæis & Gentibus credunt in Christum, consequētur suam securitatem, suam trā quillitatem, suam iusticiam, & salutem per Euangelion Christi. Hoc erit pabulum eorum, quo sustentabuntur in omnibus aduersis, adeoque in morte ipsa. Ex hac Prophetæ concione obseruandum est nobis initio, quod non damnentur honesta conuiuia, quibus adhiberi solent musica instrumenta, & quæ pro ratione & opportunitate temporis inter amicos instituuntur: Sed damnantur, helluatio & ebrietas, quæ ita celebrari solent, ut præ his contemnas studium piæ doctrinæ, & non cures nec præcepta nec consilia, aut instituta Dei. Deinde considera supplicia ebrietatis, & securitatis.

curitatis. Sunt enim bellum, captiuitas, peſtis, fames, deiectio illuſtrium familiarum, repentinus interitus, & perpetua damnatio. Ebrioſi enim, inquit Paulus, non habent hæreditatem regni Dei. Quare, cum uitium ebrietatis & ſecuritatis late per Germaniam graſſetur, quid reliquum aliud eſſet, quam ſubita aliqua calamitas, qua tota gloria & ſalus Germanorum ſubuertatur? Ad hæc notari debet, quod in quauis calamitate pij conſeruẽtur. Fugiendi igitur ſunt mores impiorum, ut ſi non poſſumus effugere publicam calamitatem, effugiamus ſaltem perpetuum interitum, & cõſeruemur in omnibus caſibus.

VÆ QVI TRAHITIS INIQVITATEM &c.

Alia labruſca. Intelligunt autẽ alij aliter hunc locum. Vbi nos habemus in funiculis uanitatis, pro (uanitatis) Hebræus habet שְׁוְא quod etſi alias ſignificat uanitatem & mendacium, tamen aliquoties ſumitur etiã pro שָׁוָה quod eſt ordinare ſeu adæquare. Facilis enim eſt ſymboliſmus inter ה & א. Itaq; pro funiculis uanitatis, intelligo hoc loco funiculos adæquatos ſeu in rectum extentos, præſertim cum ſtatim ſequitur: Et quaſi uinculum ſeu funem plauſtri, peccatum: Quæ pars eſt uelut interpretatio prioris. Funis enim quo plauſtrum ab equis trahitur, directe trahendo extendi ſolet. Hæc igitur eſt ſententia huius loci. Quicquid dixeris, quicquid cõcionatus fueris, Iudæi tamen recta pergunt in iniquitatibus ac peccatis ſuis. Sunt in peccatis ſuis pertinaces & obſtinati, ac tam conſtanter in peccatis perdurant, perinde ac ſi ad normam & regulam peccandum eſſet. Eadẽ phraſis eſt etiam in Germanica lingua: Der geht ſchnur eben ſeinem fadenrecht nach &c. hoc eſt, pergit in ſuo propoſito tam intento ſtudio, ut a nullo homine poſsit auerti. Repræhendit igitur Propheta pertinaciam peccandi in Iudæis, cui adiunctus erat extremus contemptus uerbi Dei. Dicunt enim: Feſtinet & cito ueniat opus eius &c. hoc eſt, Quid uos Prophetæ occinitis nobis de uentura calamitate? Quis uobis hæc reuelaſſet? Multis iam annis talibus uaticinijs obtundimur: ecquãdo tandem uenit quod prædicitis, ut reipſa uideamus? Sed cum tot annis ſecure uixerimus, mera ſunt mendacia, quæ nobis pro uaticinijs obtruditis. Quare pergemus recta in noſtro propoſito, & ſinemus uos cum ueſtris ſomnijs ualere. Hæc non ſolum eſt perſeuerantia & obduratio in peccatis, ſed etiam abiectio & cõtemptio uerbi Dei. Non eſt autem ex Euangelica hiſtoria obſcurum, quod Iudæi ante deuaſtationem Hieruſalem a Romanis factam, his malis obnoxij fuerint. Primum enim miſſus eſt ad Iudæos Ioannes Baptiſta, qui uocaret populum ad pœnitentiam, qui & minatus eſt eis ex-

tremã internecionem, niſi reſipiſcant. Securis, inquiens, põſita eſt ad radicẽ arboris. Omnis arbor, quę non fert fructum bonũ, excindetur, & in ignem mittetur. Etſi autem aliqui baptiſabantur a Ioanne, & agebant pœnitentiam, tamen maxima Iudæorum multitudo recta perrexit in ſua impietate, & ſceleribus. Deinde uenit Chriſtus ipſe, & uocauit eos ad pœnitentiam non ſolum publicis concionibus, ſed etiam magnis miraculis. Sed magna pars Iudæorum non ſolum non agnoſcebant Chriſtum, uerumetiam perſequebantur eum, & recta uelut ad extentum funiculum aut normam & regulam pergebant in ſuis flagicijs. De qua pertinacia & obdurationc concionatur Chriſtus apud Matt. cap. undecimo: Cui aſſimilabo, inquiens, generationem hanc? Similis eſt pueris qui ſedent in foro, & acclamant ſodalibus ſuis ac dicũt: Tibia cecinimus uobis &c. Et Matt. xxij. in parabola Regis, qui fecit nuptias filio ſuo. Poſtremo prædicauerunt etiam Apoſtoli inter Iudæos pœnitẽtiam. Sed factum eſt, quod Propheta hoc loco dixit: Extenderunt iniquitatẽ & peccatum ſuum in directis funiculis, & tanquam fune plauſtri. hoc eſt, Recta tanquam ad normã perrexerunt ambulare in impietatibus ſuis, contẽpta omni diuina uocatiõe & admonitione. Quare merito ſunt a Deo abiecti, ne amplius ſint populus Dei. Conferamus nũc nos Germanos ad Iudæos. Vocamur in Germania multis iam annis ad pœnitentiam, per publicam prædicationem Euangelij, quod Deus clementer nobis his temporibus reuelauit. Vocamur item ad pœnitentiam per incurſiones Turcicas. Vocamur etiam ad pœnitentiã per diuturnam illam rerum penuriam. Quid autem fit? Pauciſsimi agnoſcunt tempus uiſitationis noſtræ. Reliqui omnes præfracte pergunt in ſua impietate, idq; nõ ſimpliciter, ſed cum magna contumelia, qua afficiunt Euangelion Chriſti. Impius Miſſarius non curat quid Euangelion doceat, ſed pergit conſtãter uelut ad normã, in celebratione Miſſarum ſuarum pro uiuis & defunctis. Auarus, Impoſtor, Scortator, Ebrioſus, & alij id genus ſcelerati, etſi aliquoties audiunt publicam concionem, tamen intantũ non mutant uitam ſuam in melius, ut nõ ſolum perſeuerent in peccatis ſuis, & cumulent ea indies, uerumetiam debacchentur multis conuicijs in miniſtros uerbi Dei, nec aliud uix tractent in conuiuijs ſuis, quam ut peſsime de his, qui ſyncere adnunciant Euangelium Chriſti, loquatur. His ergo moribus non alia merces perſoluetur, quam extremus & perpetuus interitus.

VÆ QVI DICITIS MALVM, BONVM, &c.

Eſt & hæc labruſca, quam protulit uinea Domini pro botris & uuis. Iudæi dixerunt bonum, malum: & econtra, malum, bonum.

Poſuerunt.

Posuerunt tenebras, lucem: & lucem tenebras &c. hoc est, Quæ erant peccata, ea iudicabant esse iusticiam. Et econtra, Quæ erant iustícia & pietas, ea iudicabant esse peccatum & impietatem. Siue autem religionem, siue externos mores consideraueris, inuenies hæc a Iudæis designata esse. In religione enim summa erat pietas, sectari doctrinam Ioannis Baptistæ, Christi & Apostolorum. Sed hanc pietatem senserunt Iudæi tantam esse impietatem, ut existimauerint eam omnibus generibus suppliciorum uindicandam. Magna autem erat impietas sectari Pharisaicas traditiones: sed hanc impietatem iudicabant esse summam pietatem. In externo uitæ genere, iusticia est, malle incommodum ferre, quam alteri inferre. Iusticia est, condonare proximo iniuriam: sed Iudæi uocabant stulticiam. Vlcisci autem iniuriam, & imposituris multas opes congregare, docebant esse fortitudinem & prudẽtiam, ut apparet ex interpretatione legis Matth. quinto & sexto. Quare iustissimum est supplicium, quod abiecti sint a Deo. An non eadem cõtingunt in Germania? Euangelij doctrina habetur partim pro summa hæresi, partim pro mendacio & ludíbrio. Impostureꝫ iudicantur prudentia. Probitas et honestas habetur pro stulticia. Patientia habetur ꝓ muliebritate. Iniuriũ esse, ꝓ fortitudine. Finis ergo Germaniæ est perditio.

Christus eiecit ementes & uendẽtes è templo Matth. 21.

VÆ QVI SAPIENTES ESTIS IN OCVLIS VESTRIS &c.

Inter labrusca recẽsetur etiam mutuus Iudæorum contemptus, & arrogantia. Deus enim proposuit omnibus uerbum Dei, e quo uera sapientia discẽda est. Proposuit Ecclesiæ ministros, liberis parentes, iunioribus seniores, indoctis doctos, Sed ecce tanta est hominum arrogantia, ut & uerbum Dei contemnant, nec quisq̃ uelit ab altero aut doceri aut admoneri. Sẽtit enim quisq; se sibi satis sapientem esse, nec indigere aliena doctrina aut consilio. Hoc uitium & si nõ apparet in oculis hominum tam horribile, q̃ est latrociniũ, aut homicidium, tñ uides in cõspectu Dei tam graue iudicari, ut ꝓpter ipsum deleantur gentes & regna, quemadmodum mox sequetur. Quare obsequamur Paulo admonenti nos, ne quis arrogãter de se sentiat, supra quam oportet de se sentire, sed humilibus nos accommodantes, necꝫ cuiquam malum pro malo reddentes.

VÆ QVI POTENTES ESTIS AD BIBENDVM &c.

Alia labrusca. Supra dixit de cõuiuijs protractis a mane usqꝫ ad noctem, & quibus adhibentur instrumenta musica. Hic dicit de cõuiuijs, in quibus certatur non de arte canendi, sed de arte bibendi, & de potentia potãdi. Etsi autem multi putant consuetudinem certandi de potu uini esse recens exortam, tamen ex libello Esther, &

Poculis certare quantum peccatum.

ex hoc loco uides hanc belluinam consuetudinem fuisse apud multas & priscas gentes usitatam. Nihil enim in hoc mundo uetustius est peccato, & abusu donorum Dei, ut recte Ecclesiasticus dixerit: Nihil nouum sub sole. Vetus enim Adam semper sui similis est, semper peccato obrutus est, & quanquam excogitat aliquoties nouam quandam rationem peccandi, tamen peccatum ipsum uetus est. Quare agnoscamus naturalem maliciam in homine, ut excitemur ad quærendum remedium in Iesu Christo seruatore nostro. Deinde, sunt qui putant certamen de potu uini non esse magnum flagicium, sed tantum liberiorem lusum nobilium, & lætitiam fortibus uiris non indignam. Hoc autem loco uides quod recitatur inter eas labruscas, propter quas tota uinea Domini deuastata est. Quare certamen de potu uini tale ac tãtum facinus est, quod Deus propter ipsum soleat totas gentes, & Monarchias delere. Nota de Monarchia Babylonica apud Danielem cãpite quinto. Si quis prædo incurrat in alienam terram, & exurat tantum unum aut alterum horreum, iudicatur scelus dignum, quod omnium armis uindicari debeat. Et sane debet pro sua ratione uindicari. Sed hi, qui certant de potu uini, multo grauius peccant. Sunt enim, iuxta Prophetam, autores deuastationis nõ unius aut alterius horrei, sed totius gẽtis.

Peccato nihil uetustius in mundo.

QVI IVSTIFICATIS IMPIVM PRO MVNERIBVS &c.

Inter labruscas, etiam hoc recensetur, quõd corrupta fuerint publica iudicia apud Iudæos. Iudicabatur enim ex fauore aut odio, & iuxta munera. Impius aut iniustus absoluebatur, quia uel numerabat aliquid, uel iudex fauebat ei. Iustus autem, hoc est, cuius causa iusta erat, condemnabatur, aut negligebatur, quia uel nihil numerabat, uel iudex prosequebatur eum odio. Exemplum huius iudicij extat de Iesu & Barraba. Videtur & hoc flagicium non admodum horribile. Primum enim, quia potestas iudicãdi collata est ad Iudicem, sentiunt licere ei pro suo arbitrio sententiam pronunciare. Deinde, cum considerant personã iusti, seu habentis iustam causam, apparet uilis & abiecta, ideoq; putant parum referre etiamsi inique de causa ipsius iudicetur. Præterea, controuersia aliquoties est de re non admodum preciosa, de asini prospectu. Quid igitur hoc tãtum esset flagicium, etiamsi ex fauore iudicetur pro iniusto, seu habente iniustam causam? Idem sentiendũ est de supplicijs quæ magistratus inferre solet ciuibus peccantibus aduersus suas leges aut ordinationes. Hic enim fieri solet, ut in eadẽ causa, & ob eãdem præuaricationem, alius grauiter punitur, quia odio habetur, aut est homo abiectus: alius aũt ne reprehenditur quidem, quia magistratus fauet ei. Hæc est eadẽ iniquitas, cum illa, qua iustificetur impius,

Iudicia publica quomodo corrumpantur.

us, & condemnatur pius. Quæ &si uidentur esse leuia peccata, tamen ex hoc Esaiæ loco manifestum est, quod propter talia peccata tota regna pereant. Qui iustificat impium, dicit Salomon, & qui condemnat iustum, abominabilis est uterq; apud Deum. Et Deutero. uigesimoseptimo: Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli & uiduæ. In primo Samuelis octauo, filij Samuelis acceperunt munera & peruerterunt iudicium, ideo secuta est mutatio totius regni Israelis. Et Amos quinto: Qui conuertitis iudicium in absinthium, & iusticiam in terra relinquitis. Idcirco uineas amantissimas plãtabitis, & non bibetis uinum earum, quia cognoui multa scelera uestra & fortia peccata uestra: hostes iusti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta &c. Sicut ergo Iudæi propter hoc delictum deuastati sunt a Babylonijs, iuxta Prophetarum uaticinia, ita deuastati sunt etiam a Romanis propter eandem iniquitatem iudiciorum. Vnde addit Esaias hoc loco: Propter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum sicut fauilla erit, & germen eorum, ut puluis, ascendet seu peribit. Vulgare & usitatum est in scriptura, quod interitus impiorum comparetur stipulis, quas ignis deuorat, & puluери terræ, quem uentus dissipat. Psalmus primus: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit uentus a facie terræ. Et Psalm. lxxxij. Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem uenti. Sicut ignis qui comburit syluam &c. Malach. iiij. Erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem, stipula &c. Huc conuenit etiam similitudo de fumo quem uentus dissipat, & de cæra fluente a facie ignis. Psalm. lxvij. Sicut deficit fumus, deficiant: & sicut cæra a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei &c. Hæ similitudines non frustra toties recitantur, sed uult spiritus sanctus proponere nobis horrendum iudiciũ Dei contra impios non solum uerbis, sed etiam externis rebus, quæ frequẽter in hoc mundo contingere solẽt. Non.n. potest singulis momentis publice in templo prædicari uerbum Dei, nec integrum est hominibus semper publicas audire conciones. Nonnunq; enim arandum, nonnunq; alio proficiscendum est, nonnunquam alia negocia sunt tractanda. Frequenter autẽ, dum uel domi sumus, uel in itinere, ponũtur nobis ob oculos hi rerũ casus, quod uel uẽtus dissipat puluerẽ terræ, uel ignis corripit stramina & stipulas, ac exurit eas. Quare cum talia uidemus, proponitur nobis cõcio de interitu impiorum, de quo per ista sic admoneamur, ut caueamus & fugiamus impietatem. Sed quid? dices. Num hæc peccata, quæ iam recensuit Propheta, uidelicet, Coniungere domum cum domo, studere auaricíæ, sectari conuiuia, pergere obstinate in malicia,

Impiorum interitus stipulæ & fumo comparatur.

ducere malum bonum, esse sapientem in oculis suis, dare operam compotationibus, & iustificare impium pro muneribus, tanti sunt momenti, quod propter ipsa sola Iudæi ita deuastentur, ut nunq̃ possint restitui in suum regnum? Dicit enim: Radix eorum erit sicut fauilla, hoc est, radicitus euellentur & funditus peribunt. An non designauerunt eadem peccata ante deuastationem Babylonicam, & tamen restituti sunt regno suo? An non eadem peccata uulgaria & usitata sunt in toto orbe terrarum, in omnibus regnis & principatibus? Quid igitur factum est de Iudeis, quod ipsi prorsus sint abiecti propter talia peccata? De hac re respõdet Propheta, & addit: Abiecerunt enim legem Domini, et eloquiũ sancti Israel blasphemauerunt. Dominus, & Sanctus Israelis, de quo Esaias loquitur, est Iesus Christus, uerus Dominus Deus noster. Lex autem & eloquium eius est doctrina seu Euangelion eius, quod ipse coram inter Iudæos prædicauit. Quod ergo Esaias dicit, habet hanc sentẽtiã. Iudæi designant magna & multa peccata aduersus Deum, quæ etsi tanta sunt, ut Deus puniat ipsa externis & æternis supplicijs, tamen si gens agit pœnitentiam horum peccatorum, & agnoscit uerum Messiam, tunc remittuntur clementer a Deo, & conseruatur gens. Iudæi autem non solum designarunt hæc peccata, sed fuerũt etiam impœnitentes, & abiecerunt Euangelion Christi, blasphemia affecerunt ipsum Christum, & crucifixerunt eum. Quare nullus amplius relinquitur eis locus salutis. Vbi enim Christus abñcitur, ibi tota salutis ratio abñcitur, nec potest recuperari nisi recuperato Christo. Quod Esaias hoc loco dixit, hoc idem sentit Christus cum ait: Hæc est condemnatio, quod lux uenit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras quam lucem. Accommodemus nũc ista nostro seculo. Varie & grauiter peccatum est a maioribus nostris, & quæ peccata nunc designantur, eadem, ac etiam grauiora & plura designata sunt in Germania ante centum & ducentos annos. Quid ergo accidit, quod his temporibus minantur pñ cõcionatores extremam internecionem Germaniæ? Hoc inde adeo accidit, quod apud maiores nostros lux Euangelij nondum illustris erat, nec cõtemnebant ipsi lucem, quippe quam nondum perspicue uidebant. Quod si tantus splẽdor Euangelij illuxisset ipsis, fortassis, sicut Niniuitæ, statim resipuissent. Quare Deus tolerauit eorũ iniquitates patienter. Nunc autem hoc tempore, lux Euangelij de Christo lucet clarissime, & nos non solum peccamus uetera & grauia peccata, sed additur insuper hoc peccatũ lõge omnium grauissimum, quod lex Domini abñcitur, & eloquium sancti Israel blasphematur. Euangelion enim de Christo alij persequuntur, alij extreme contemnunt. Quare in hoc tanto Euangelij contemptu,

Germaniæ perditio unde.

nulla

nulla ſpes Germaniæ relicta eſt, niſi conuertatur ad Chriſtum &c.

IDEO IRATVS EST FVROR DOMINI IN POPVLVM SVVM, ET EXTENDIT MANVM &c.

Propheta commemorauit non ſolum peccata Iudæorum, ſed etiam impœnitentiam eorum, & contemptū Euangelij Chriſti, quod eſt peccatum peccatorum. Quare uaticinatus eſt ipſos abijciendos a Deo, ne ſint amplius populus Dei, & terram eorum deuaſtādam. Nunc ergo recitat, quomodo, & per quos Iudæorum gēs ſit deuaſtanda & opprimenda: Furor Domini, inquiēs, iratus eſt in populum ſuum: Extēdit manū ſuam ſuper ipſum, percuſſit eum tam horribiliter, ut ſi rerū natura ferre poſſet, etiam mōtes contremiſcerēt. Nam morticina eorum facta ſunt quaſi ſtercus in medio plateaꝝ. Hæc eſt deſcriptio ſedicionis, quę excitata fuit Hieroſolymis inter Iudęos, priusq̄ Romani urbem obſediſſent. Triplex enim erat ſedicio Hieroſolymis, & unaquæuis pars in alteram ita graſſabatur, ut interim tamen concordi mente crudeliſsime in miſerum populum ſæuirent, ac proijcerent corpora inſepulta in plateas, nec permitterent, ut uel a cognatis ſepelirentur. De qua re legēdus eſt Ioſephus de bello Iudaico lib. v. ca. i. & ij. Et lib. vi. ca. i. His malis accedebat etiā tanta fames, ut prę ea non ſolum priuatæ domus, uerumetiam publicæ plateæ mortuis cadaueribus implerentur. Teſtis eſt Ioſephus de bello Iudaico lib. vi. cap. xi. xiiij. & lib. vij. ca. vij. &c. Quę Ioſephi ſcripta idcirco diligenter perlegenda ſunt, quod perſpicue explicent ea, quę Propheta hoc loco dicit: Facta ſunt morticina eorum, quaſi ſtercus in medio platearum. Sed quid? num his rebus finis erit malorum inter Iudæos? Nihil minus. Sequitur em̄. In his omnibus nō eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Deus enim ut eſt clementiſsimus in pœnitentes & pios, quos etſi nonnunquam affligit, tamen adhibet moderationem, & dat aduerſis finem, ita eſt ſeueriſsimus aduerſus impios & impœnitentes, quos ſi iudicare inceperit, non eſt nec modus nec finis ſupplicioꝝ, donec perpetuo intereant. Quare ſuſcipienda eſt pœnitentia, & agnoſcendus eſt Chriſtus, ut in ipſo habeamus ſalutem. Quid ergo præter mala illa ſedicionum, famis, & cadauerum in plateas proiectorum accideret? Eleuabit (inquit) Dominus ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ &c. Hoc eſt uaticinium de bello a Romanis cōtra Iudæos geſto. Iudæi enim poſtquam abiecerunt Chriſtum, uerum ſeruatorem, nō ſolum oppreſsi ſunt internis malis & ſedicionibus, ſed etiam externo bello a Romanis illato. Obſerua igitur hoc loco primum, quod Romani uicerint & oppreſſerint Iudæos diuina uocatione. Etſi enim Romani,

qui erant Ethnici, ignorauerũt eo tempore uerum Deum, & Christum eius, tamen Deus usus est opera eorum ad puniendam impietatem Iudæorum. Ideoq; dicuntur a Deo uocari sibilo, hoc est, excitari occulta Dei potentia, ut opprimerent Iudæos. Deinde considera, quam facile sit Deo excitare hostes. Sibilabit (inquit) ad eum. Non necesse habet Deus publicis mandatis uocare milites, aut armis eos cogere in militiam: sed si sibilauerit tantum, tunc repente exiliunt myriades militum. Pompeius dixit: Simul ac solum Italiæ pede pulsauero, exilient affatim equestres pedestresque copiæ: euẽtus autem non respondit gloriationi. Sed diuina gloriatio non potest esse uana, quæ si tantum sibilauerit, subito exiliunt innumeræ armatæ cohortes. Quod cum ita se habeat, non est fiducia fœderum, societatum, & conspirationum, quę cum finitimis habentur, aduersus Deum peccandum & secure stertendum. Potest enim Deus, uno saltem sibilo, non tantum dissoluere fœdera, uerumetiam hostes ab extremis terræ excitare. Ad hæc habes hoc loco insignem descriptionem Romanę militiæ, quam certe Esaias cognouit nec ex fama, nec ex ipsa rerum experientia, sed ex spiritu sancto, quippe quod quo tempore Esaias hæc concionatus est, Roma iam primum cœpta est condi, & regnauit apud Romanos Romulus, nõ nisi finitimis cognitus. Dicit ergo Propheta: Ecce festinus uelociter ueniet, Romanus uidelicet exercitus. Non est deficiens, neq; laborans, hoc est, fessus aut defatigatus in eo: non dormitabit neq; dormiet, neq; soluetur cingulum renũ eius est. His uerbis describit Esaias excellentem disciplinam rei militaris in Romano exercitu, quod milites sint ducibus suis obedientissimi, & ad capessenda arma promptissimi, quodq; non in bello tantum, sed etiam in pace exerceãt sese in armis. Hoc enim est, quod dicit: Cingulum eorum non solui, nec calceamenta eorũ rumpi, hoc est, sunt in cõtinuo usu armorum, siue in pace siue in bello. De disciplina militari apud Romanos nota sunt Gentiũ scripta. De qua disciplina uide etiã Iosephum libro tertio de bello Iudaico capite tertio. Quo loco Iosephus quasi commentario quodam explicat quod Esaias de Rõmanis uaticinatus est. Postremo describit fortitudinem & ferociam Romanorum aduersus Iudæos, & terræ eorum miserabilem deuastationẽ: Rugitus eius, inquit, ut Leonis &c. Et: Aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis &c. Sunt autem hæc scripta non propter Iudæos tantum, sed ad doctrinam totius orbis terrarum, ut exemplo Iudæorum cognoscamus insignem seueritatem Dei aduersus impœnitentes, & ut excitemur ad pœnitentiam ac ueram cognitionem & obedientiam Christi seruatoris nostri.

Disciplina militaris Romanorum.

CAPVT

CAPT VI.

IN ANNO QVO MORTVVS EST OZIAS &c.

In hoc sexto capite, breuis est Visio & Concio, sed insignis, & memorabilis. Primum enim ea est autoritas eius, ut mentionem eius faciant non solum omnes Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes, sed & Paulus semel & iterum eam alleget Actorum uigesimooctauo, & Romanorꝫ undecimo. Deinde sunt, qui sentiant Esaiam propter hãc uisionem & concionem in partes dissectum fuisse. Dicunt enim eum accusatum hæreseos, quod affirmauerit se Dominum Deum uidisse, suis oculis, cum tamẽ Moses scripserit, Deum nõ posse ab ullo homine uideri in hac uita. Etsi autem de hac re sentire potest quisꝙ quod libet, uerisimile tamẽ est, hanc uisiõnem & concionem fuisse iniquissimo animo a Iudæis acceptam, & pro mendacissima, ac hæreticissima habitam. Prædicatur eñ in ea manifeste & perspicue, de excęcatione & abiectione Iudæorum ex regno Messiæ seu Christi, & ex hæreditate omniũ cœlestium ac diuinorꝫ bonorꝫ. Quæ concio uidebatur de eo populo, qui dictus est populus Dei, non tantum absurda, sed etiam impia. Quare apparet Esaiam propter hanc uisionem & concionem non fuisse admodum humaniter inter Iudæos suos tractatum. Depingitur aũt initio in hac uisione, maiestas Christi & regni eius, & quod est maxime omnium obseruandum, habes in hoc loco manifestũ & irrefutabile testimonium diuinitatis Christi. Nam Euangelista Ioannes cap. duodecimo clare dicit, quod Propheta uiderit in hac uisione gloriam Christi. Allegans enim cõcionem huius capitis: Excæca cor populi huius &c. addit: Hæc dixit Esaias, quãdo uidit gloriã eius (uidelicet Christi: De hoc enim est sermo) & locutus est de eo. Nihil aũt certius est, q̃ quod Esaias affirmet se uidisse uerꝫ Dominum Deũ Zebaoth. Quare cum Euangelista testetur Esaiam uidisse gloriã Christi, perspicue docet, Christum esse uerum Dominum Deum Zebaoth. Porro hęc pictura gloriæ Christi eo spectat in hac uisione, ut doceat maiestatem Christi excæcaturam quidem Iudęos, sed illustraturam omnes alias gentes, & uulgandam in totũ orbem terræ. Perstringemus igitur hanc uisionẽ, ut cognoscamus, q̃ apte cohæreat concio, quæ post uisionem sequitur. Vidi, inquit, Dñm sedẽtem super thronũ excelsum & eleuatũ. Hęc pictura significat Iesum Christũ esse uere Deum regnantẽ, & gubernantem oĩa, ac maiestatem eius excelsiorem & augustiorem esse cœlo & terra. Cœlũ, inquit, mihi sedes est, & terra scabellũ pedũ meorꝫ. Hæc nõ

Visio Esaiæ.

Diuinitas Christi comprobatur.

sunt ocioſe audienda, ſed in uſum transferenda, uidelicet, ut ſemper reuereamur præſentem maieſtatem Chriſti, & ambulemus in timore & obedientia eius, utcꝫ in aduerſis confidamus clementia eius in Euangelio reuelata, & inuocemus nomen eius, quo conſeruemur. Deinde additur: Ea quę ſub ipſo erant. hoc eſt, oræ ſeu fimbriæ ueſtimentorum eius replebant templum. Veſtimentum Domini Dei noſtri eſt humanitas, quam filius Dei tanquam ueſtem induit. Cum autem fimbriæ addantur ueſtibus ornamenti & ſplendoris gratia, & Eſaias uiderit fimbrias ueſtimenti Dei impleuiſſe templum, ſignificat Chriſtum illuſtraturum templum Hieroſolymitanum, & eam regionẽ, in qua hoc templum conditum fuit, doctrina et miraculis ſuis, poſtquam eſſet aſſumpturus hominem. De hac gloria uaticinatus eſt etiam Agg. capite ſecundo: Maior, inquiens, erit gloria domus iſtius, quam prioris, dicit Dominus Zebaoth. Nulla enim eſt regio, nullus locus, nullum templum in terris, cui maior gloria & maieſtas accidit, quam regioni Iudęæ & templo Hieroſolymitano, propterea quod in ijs locis Ieſus Chriſtus uerus Deus Zebaoth ſuſceperit hominem, & prædicauerit Euangelium ſuum, ac ediderit miracula. Ad extremum etiam paſſus ſit pro peccatis, reſurrexerit, aſcẽderit in cœlum, & miſerit ſpiritum ſanctum ſuum. Aulæ Principum & Regum ſunt quidem illuſtriores in oculis humanis, ſed ſi recte iudicaueris, nulla unꝗ fuit aula regia, ad quam plus reſpexerit cœleſtis omnium ſanctorum cœtus, & e qua maiora beneficia in orbẽ terrarum peruenerint, quam ex ijs locis, in quibus Ieſus Chriſtus uerſatus eſt. Poſtea dicit Seraphim ſtetiſſe deſuper illo, ſeu circa illum, & ſingulos habuiſſe ſex alas, quarũ binis uelauerint ſuas facies, binis pedes, binis autem uolauerint. In Num. ca. uigeſimoprimo, uocãtur ſerpentes igniti Seraphim, a Seraph, quod eſt incendere. Sic autem uocantur, non quod fuerint ignei ſerpentes, ſed quod uenenato morſu & afflatu ſuo incẽderint ac interfecerint Iſraelitas. Sic & hoc loco Angeli aſtantes Chriſto dicũtur Seraphim, ab incẽdendo ſeu inflãmando, quod miniſterio ſuo accendant & inflamment pios ſpiritu ſancto. Significãt autem Apoſtolos, ſeu Apoſtolicum miniſterium, quo uulgatum eſt Euãgelion de Ieſu Chriſto, in totum orbem terræ. Singuli Apoſtoli ſeu miniſtri Euangelij habent ſex alas: Duabus uolant, quia Euangelion Chriſti non conſtitit in uno tãtum loco, ſed auolauit e Hieruſalem in totum orbem terræ, & peruaſit omnes regiones huius mundi. Duabus uelant facies, quia Euangelij prædicatio pudefacit homines, ne glorientur coram Deo de ſua iuſticia, ſed tantum confidant iuſticia Chriſti. Arguit enim omnia hominum opera, & commendat tantum iuſticiã Chriſti, ne ſimus impudenti facie, & ia

ctemus

Veſtimentum Dei.

Templi Hieroſolymitani gloria.

Seraphim die Brenner.

Seraphim ſignificant Apoſtolos & Euãgelij miniſtros.

ctemus noſtra opera in iudicio Dei, ſed agnoſcamus tantũ in Chriſto noſtram eſſe iuſticiam. Duabus uelant pedes. Pedes ſunt affectus & cogitationes humãni cordis, quibus ſolemus non totam tantum terram perambulare, uerumetiam nonnunquam uſq; in cœlũ conſcendere. Velant igitur Seraphim pedes ſuos, quia Euãgelion fide acceptum, affert remiſsionem peccatorum, qua impij affectus carni naturaliter propter peccatum originale inhærentes ita uelantur, ut coram Deo non imputentur. Etſi enim caro non poteſt legi Dei ſubdi, ſed ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum, tãmen ſi credimus Euangelio Chriſti, non imputatur nobis hæc concupiſcentia carnis, tantummodo ne uerſemur iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum, quemadmodum Paulus Roman. octauo docet. Quod autem Seraphim clamant, Sanctus Sanctus &c. ſignificat publicam confeſsionem Apoſtolici miniſterij de Ieſu Chriſto. Et eſt hic clamor Seraphim, epitome ac compendium totius Euangelij de Chriſto. Docet enim Ieſum Chriſtum eſſe Dominum Zebaoth, uerum ab æterno Deum, unius ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ, ac maieſtatis cũ Deo patre & ſpiritu ſancto, ut unus tãtum ſit natura uerus Deus: ſed in hac una diuina natura ſint tres perſonæ, Pater, filius & ſpiritus ſanctus, inter quas perſonas filius, qui eſt Ieſus Chriſtus, aſſumpſit hominem, & uulgauit gloriam ſuam in totum orbem terrarum per prædicationem Euangelij ſui. Vnde & ter dicitur Sanctus: & additur: Plena eſt omnis terra gloria eius, quia maieſtas Chriſti diuulgata eſt Euangelio in omnem terrã. Dicit em̃ Pſalmus: In omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Quid ergo ex hoc clamore factum eſt? Sequitur. Commota ſunt ſuperliminaria cardinum a uoce clamoris, & domus repleta eſt fumo. Hæc illa ſunt, quæ adumbrant eam concionem, quæ mox ſequitur, de abiectione & excæcatione Iudæorum. Nam quod è clamore Seraphim commota & cõfracta ſint ſuperliminaria templi, ſignificat ex prædicatione Euangelij abrogatũ eſſe regnum & ſacerdotium Leuiticum ſeu Iudaicum. Poſtquam enim Apoſtoli uulgarunt Euangelium in uniuerſum orbem, Iudæi ita oppreſsi & confracti ſunt, ut non ſolum amiſerint templum cum ſacris ſuis, uerumetiam amiſerint terrã & omnem dominationem ſuam in terra. Deinde, quod dicitur domum repletam eſſe fumo, ſignificat Iudæorum excæcationem. Fumus enim nocet oculis. Poſtquam igitur Ieſus Chriſtus miſit ſpiritum ſanctum ſuum, & reuelauit Euãgelium ſuum per Apoſtolos, ac Iudæi ãbnegarunt & reiecerunt Chriſtum cum Euangelio ſuo, tantus fumus obiectus eſt oculis eorum, ut nihil prorſus rerum diuinarum amplius uideant: ſed præ amentia, cæcitate & furore mentis palpant in meridie, ſicut ſolet palpare cæcus in tenebris,

Chriſtus uerus ab æterno Deus.

Fumus obiectus Iudæorum excæcatio.

ut scriptura loquitur. Etsi enim Christus est uera lux mundi, tamen quia Iudæi noluerunt hanc lucē agnoscere, tanto magis excæcati sunt, quanto hæc lux illustrior est. Obcæcati, inquit Paulus, sunt sensus illorum. Nam usq; in hodiernum diem idem uelamen in lectione ueteris Testamenti manet, nec tollitur uelum, quod per Christum aboletur.

ET DIXI, VÆ MIHI QVIA TACVI &c.

Vidimus antea Visionem Esaiæ, audiamus nunc expositionem ac interpretationem eius. Sed priusquam spiritus sanctus eam interpretetur, commemorat Propheta quid sibi ex hac uisione acciderit: Qua in re manifeste docemur, qui sint effectus reuelati Euangelij de Christo. Alij enim sunt effectus eius in hominibus pijs, qui Euangelion Christi fide accipiunt, alij in hominibus impijs, qui abijciunt Euangelium per incredulitatem. Pius est Esaias. Impij autem Iudæi. Videamus ergo primum de Esaia. Vidi, inquit, oculis meis Regem DOMINVM Zebaoth. Fatetur (sicut & Ioannes exponit) se uidisse gloriam Christi. Non enim uidit Esaias essentiam Dei, quam nullus hominum in hac terra uidere aut cognoscere potest, sed agnouit maiestatem Christi, qui est uerus Dominus Deus Zebaoth, reuelandam prædicatione Euangelij & miraculis in orbe terrarum. Ex hac igitur cognitione agnoscit primum magnitudinem peccati sui, & totius populi, ideoque exclamat: Væ mihi, quia tacui. Pro, Tacui, Hebræus habet, Perij, seu obmutui. Et additur: Pollutis labijs sum, & habito in populo habente polluta labia, hoc est: Agnosco tantum esse meum & totius populi peccatum, ut necesse habeamus corā iudicio Dei obmutescere. Nihil habemus, quo peccata nostra coram Deo defendamus. Labia nostra peccatis ita contaminata sunt, ut non audeamus ea coram tribunali Dei aperire. Nulla sunt opera nostra, quæ nos possunt iuuare. Omnis iusticia nostra est polluta & contaminata, ut non audeamus de ea coram tribunali Dei gloriari. Primus igitur effectus Euangelij de Christo, est reuelatio & agnitio magnitudinis peccati. Cum uenerit (inquit Christus) spiritus sanctus, arguet mundum de peccato, quia non credit in me. Et iterum: Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius POENITENTIAM. Vbi autem est pœnitentia, ibi necessario est agnitio peccati. Nec mirum, quod etsi Euangelion adnunciat magnitudinem gratiæ Dei, reuelet etiam peccati magnitudinem. Quanto magis enim commendas gratiam Dei erga homines, tanto plus accusas homines peccati. Et in Euangelio solus Christus adnunciatur, iusticia, & sanctitas nostra. Quare hoc ipso damnantur omnia hominum opera in iudicio Dei. Huc accedit, quod humana ratio

Euangelij reuelati effectus.

magis

magis cęca est, q̃ q̃ nouerit natura sua aliq̃d de Christo uero nostro seruatore. Euangelion aũt reuelat hanc naturalẽ humanæ rationis cæcitatem. Quare reuelat etiã humanę naturæ peccatum. Quid igitur dicemus? num omnes qui gloriãtur noĩe Euangelij, uere agnoscunt Euangeliũ? Nihil certe minus. Hi.n. qui nondum agnoscunt peccatum suum, nec detestantur ipsum, sed pergunt impudenter in carne ambulare & peccato seruire, nullam prorsus cognitionẽ Euãgelij aut fidem habere dicendi sunt: sed ut nõ sunt Christi, ita Deo minime placẽt &c. Deinde, cum Esaias agnosceret pctm̃ suũ, & ingemiscceret, ac trepidaret, uolat ad eũ unus de Seraphim, & accepto carbone de altari, tangit labia Esaiæ, ac mũdat eum a pctõ. Hoc spectaculo significatur, quod Esaias consecutus sit remissionẽ peccati per prędicationẽ Euangelij de Christo & sacrificio eius. Diximus enim supra, quod Seraphim significent Apostolos seu concionatores Euãgelij de Christo. Carbo aũt acceptus de altari adũbrat Christũ ipsum, seu sacrificiũ eius, quo expiauit pctã nostra. In altari.n. sacrificia offerebãtur, quę significabant sacrificiũ Christi, quod solum est expiatio pro pctis nostris coram Deo. Itaq; carbo ardẽs est uel prędicatio Euãgelij de Christo sacrificãto, uel Christus ipse p pctis sacrificatus. Vnus ergo ex Seraphim purgat labia Esaiæ carbone, ut emũdetur a pctis, quia Esaias accipit remissionem pctõrz per prędicationẽ Euãgelij de sacrificio Christi. Secũdus igitur effectus Euangelij in hoĩbus pijs est Remissio pctõrz propter Christũ per fidem. Nam spectaculũ carbonis ardẽtis & purgantis labia ab iniquitate, ut possint leuare uocem suã coram Dño, quod hoc loco ꝓponitur Esaię diuinitus, hoc in quauis cõcione Euangelij de Iesu Christo fieri solet in credentibus. Si.n. haberemus oculos spũales, uideremus in cõcione, qua explicatur Euãgelion de Christo, & de expiatione pctõrz, quæ per Christũ facta est, oĩm eorz, qui fide accipiunt Euangeliũ, labia tangi ardẽti carbone, & purgari ab iniquitate, ut cũ antea nemo ausus fuerit oculos suos ad cœlum tollere, & uoce sua ad Dñm clamare, nunc purgatis per Euangelion labijs, & accepta remissione pctõrz propter Christũ, accedamus hilari uultu ad thronũ Dei, & inuocemus eum, ut clemẽtiss. patrẽ nostrz. In Actis Apostolicis, cũ Petrus prędicaret Cornelio & alijs gẽtibus Euangeliũ de Christo, cecidit, adhuc eo loquente, spũs sanctus super oẽs qui audiebãt sermonẽ. Hoc certe erat carbonẽ de altari sumere, & tãgere ac purgare labia auditorz, quę etsi in alijs concionib. Euãgelij nõ fiunt externis miraculis, quẽadmodum in illa Petri cõcione, tñ semper fiunt corã Deo spũaliter, in oculis totius cœlestis cœtus. Quare aduertamus diligẽter & obedienter animũ ad concionẽ Euãgelij de Christo, ut & nostra labia ab iniquitate purgẽtur. Po-

Carbo ardẽs de altari sumptus.

ſtremo, cum Deus miſſurus erat concionatorem, qui impijs Iudæis adnunciaret abiectionẽ & dãnationem ipſorꝝ, Eſaias offert ſe prõptum & obedientem: En ego, inquiens, mitte me. Ac ante quidem, cum Eſaias agnoſceret peccatum ſuum, non auſus fuit enarrare, ut Pſal. loquitur, iuſticias Dñi, & aſſumere teſtamentum Dei per os ſuũ. Poſtq̃ aũt accepit remiſsionem pcti, & iuſtificatus eſt a pctõ, ſuſcipit uocationẽ Dei obedientiſsime. Detrectabat quõdam Moſes legationem ad Ægyptum, ad liberandos Iſraelitas, quia metuebat pericula, quæ ſibi imminere cogitabat. Hęc aũt legatio, qua Eſaias mittitur ad adnunciandam Iſraelitis, non liberationem, ſed captiuitatem, abiectionem, & damnationẽ, multo periculoſior, addõ etiam triſtior erat. Et tñ Eſaias uocationi Dei obſequitur. Qui em̃ renatus eſt per ſpiritum ſanctum, & accepit remiſsionẽ peccati ſui per fidẽ propter Chriſtum, teneri non poteſt, quin tradat ſe totũ, quantum in hac carne fieri poteſt, Deo obedientem. Tertius igitur effectus Euãgelij eſt, Obedientia. Qui em̃ ex Euangelio Chriſti agnoſcit peccatum, & conſequitur remiſsionem peccati propter Chriſtum, is etiã cauet, ne peccatum regnet in corpore ſuo: ſed in hoc ſtudium incumbit, ut accõmodet membra ſua Deo in arma iuſticię, ut Paulus ait. Quare, qui nõ obſequuntur diuinę uocationi, ſed ambulant in deſideriſs carnis ſuæ, nondum agnoſcunt nec peccatũ, nec Chriſtum, etiãſi de noīe Chriſti multum glorientur.

Obedientia.

VADE ET DICES POPVLO HVIC, AVDITE AVDIENTES &c.

Hæc eſt concio illa, cuius argumentum ante adumbratum eſt in uiſione, per commotionem cardinum ſuperliminarium, & per fumum quo totum templum impletum fuit. Ea quoq; cõcio eſt, quæ a ſingulis Euangeliſtis, & a Paulo diligẽtiſsime citatur. Nam cum Chriſtus prædicaret Euangelion ſuum inter Iudæos, & ederet tanta miracula, quanta nullus unq̃ hominum uel ediderat uel uiderat, Iudæi fuerunt tam pertinacis impietatis, ut non ſolũ nõ agnoſcerẽt Chriſtum, ſed etiam interficerẽt eum, ac poſtea etiam in Apoſtolis eius perſequerentur. Quare admirãtur Euangeliſtæ & Apoſtoli, qui fiat, quod gens illa a Deo electa, & cui ꝓmiſſus erat Chriſtus, non credat in Chriſtum. Sed huic admirationi obuiam eunt hac cõcione Eſaię, de excęcatione & abiectione Iudæorum. In hoc. n. loco Propheta uaticinatur primum, Iudæos cõñciendos eſſe ex prædicatione Euangelij in extremam cæcitatem, ut nec intelligant Euangelium nec reſipiſcant. Audite, inquit, audientes, & nolite intelligere &c. Et mox: Excęca cor populi huius et aures eius aggraua &c. hoc eſt, Iubeo te Prophetam adnunciare populo Iſraelitico, quod tantę ſit impietatis, ut poſtq̃ uenerit Chriſtus & prędicauerit Euãgelion ſuum,

Concio de excæcatione Iudæorum.

ſuũ,nõ ſit ei ullã fidẽ adhibiturus. Nõ audiẽt eum. Ac etiãſi audierint,tñ non intelligẽt Euangeliũ eius,nec credẽt ei. Quare fieri nõ poteſt ut reſipiſcãt,& conſequantur ſalutẽ. Deinde uaticinatur etiã de externo interitu populi Iſraelitici,& de ea deuaſtatione, quæ facta eſt a Romanis. Dixi,uſq; quo Dñe? Et dixit: Donec deſolẽtur ciuitates &c. hoc eſt,Excęcatio Iſraelis nõ durabit pauco tẽpore,nec manebit ſtatus rerũ eius in hac excęcatiõe incolumis: ſed excæcabũtur perpetuo, & regio eorũ ita deuaſtabitur, ut polite a eorũ nunq; ineternum in ea reſtauretur, nec ipſi unq; in terris dñationem habeant. Ad hęc,Propheta uaticinatur de electis in Iſrael. Etſi.n. gẽs ipſa abiſcietur a Dño & excęcabitur, ut nõ amplius cognoſcat ueram doctrinã ſalutis,tñ aliqui ex ea gente ſeruabuntur, quales ſunt Zacharias,Elizabeth,Simeon,Anna,pphetiſſa, Apoſtoli,diſcipuli, & multi aliĳ, q̃ poſt Pẽtecoſten ex Iudęis crediderunt in Chriſtum. Erit(inquit)in ea decimatio,hoc eſt, Reliquiæ quædam ſeruabuntur. Et ſicut in arbore etiãſi in hyeme decidant folia,tñ manet radix & truncus,ut ſuo tẽpore iterũ floreat,ita etiãſi populus Iſrael abiĳcietur a Dño, tñ conſeruabũtur Apoſtoli & reliqui diſcipuli Chriſti,qui tanq; radix & truncus uiridis, pferent ſuo tẽpore folia,& cõuertẽt multos filiorũ Iſrael ad Chriſtũ,quemadmodũ res ipſa declarat in Actis Apoſtolicis & epiſtolis Pauli. Cæterũ,quæ in hac concione de abiectione Iudæorũ & ſalute reliquiarum inter Iudæos dicuntur, ea Paulus copioſe interpretatur & deſcribit in Epiſtola ad Rom. cax. ix. x. & xi. quæ tria capita ſunt huius concionis cõmentarius. Et in cap. xi. facit diſerte mentionẽ huius cõcionis,cum ait: Dedit eis ſpũm cõpunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut non audiant,uſq; in hodiernũ diem. Dices aũt: Quid? num Deus pręcipit, ut excęcentur & nõ conuertantur? Ait enim: Excæca cor populi huius. Et additur: Ne forte uideat et intelligat,ac conuertatur. Hoc ſic dici uidetur, perinde ac ſi Deus nõ uellet ut Iſraelitæ agnoſcerẽt Chriſtum,& conſequerentur in ipſo ſalutẽ. Quid ergo ad hęc dicemus? An nõ Deus eſt miſericors,qui uult omnes homines ſaluos fieri? An nõ eſt iuſtus,qui nec uelit nec præcipiat peccatũ? Multo maius aũt peccatum eſt,hoĩem ita excæcare, ut non cognoſcat,nec conſequatur ueram ſalutem, q̃ hominem externa & corporali uita priuare. Quomodo igitur,ea quæ hic dicuntur,intelligẽda erunt? Rectiſsime dicitur, Deum eſſe miſericordẽ,qui uelit,ut oẽs homines ſalui fiant: & Iuſtum,qui nullũ peccatũ nec uelit nec pręcipiat. Sed addendum etiã eſt,quod ſit ſeuerus Iudex. Nã quod hoc loco præcipit,ut excæcentur Iudæi, & abiĳciantur in æternas tenebras,non præcipit,ut peccatũ, ſed ut ſupplicĳ peccati. Iudæi.n. ab initio ſemper reſtiterunt ſpiritui ſancto, & occiderũt eos,qui cõcionabantur de Chriſto. Poſtq; uero Chriſtus ipſe uenit,tantum abeſt,ut agnõ-

Excæcatiõis Iudæorum num Deus ſit cauſa.

uerint & susceperint eum, ut potius eum extremis malis affecerint. Quare cum lucem oblatam semper repulerint, & tantæ sint pertinaciæ, ut nulla spes sit eos lucem admissuros, merito conijciuntur in perpetuas tenebras. Et cum salutem propositam nunquam non reiecerint, nec ulla sit spes eos accepturos salutem, legitimum & iustissimum supplicium est, ut ab omni salute abijciantur. Hæc, inquit Christus, est condemnatio, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Nam quemadmodum gentes cum cognouissent Deum, non glorificassent autem ut Deum, iusto supplicio Dei traditæ sunt in reprobam mentem, ita Iudæi cum audirent & uiderent gloriam Christi in doctrina & miraculis eius, non uellent autem ipsum agnoscere, nec Euangelio eius credere, recto Dei consilio factum est, ut excæcarentur & abijcerentur in extremas tenebras. An non parentes solent etiam in pertinacibus liberis suis exemplum huius diuini supplicij præbere? Fingamus esse puerum, qui cum parens offerat ei pomum aut pyrum, non admodum magnum aut pulcrum, & tamen esui aptum, pertinaciter recusat, & postulat aliud illo maius aut pulcrius, parens autem monet ac iubet iterum atq; iterum, ut pomum accipiat & edat: sed is pergit non solum recusare, uerumetiam e manibus parentis excutere. Quid ergo fieri solet? Parens, si non est nimium indulgens, non solum auferta puero pomum, nec reddit ei, etiamsi iterum petere uideatur, uerumetiam punit seueriter uirga sua pertinaciam pueri. Eodem fere modo Deus proposuit pueris suis Israelitis filium suum cognoscendum & accipiendum. Hi autem tanta pertinacia repulerunt eum, ut etiam occiderint ipsum. Quare iustissimum est supplicium, ut non solum auferatur ab ipsis Christus, sed etiam puniantur propter impietatem seueriss[i]me. Quid igitur dicemus? num Deus simul cum impio abijcit etiam pium & iustum? Minime omnium. Decimatio (inquit) est in ea. Etsi impij, nolentes salutem accipere, abijciuntur, tamen hi, qui accipiunt salutem uolentes & obedientes, seruantur, ut patet in Apostolis, & reliquis discipulis Christi, qui etsi fuerunt & ipsi Iudæi, tamen quia crediderunt in Christum, consecuti sunt ueram salutem. Hoc eo pertinet, ut in publica gentis corruptione, non despondeamus animum de nostra salute, nec sectemur exempla impiorum ex desperatione, cogitantes, nos paucos non posse solos conseruare gentem, ideoq; abiecturos studium pietatis, sed potius suscipiamus studium pœnitentiæ, ut si nō possumus gentem seruare, saltem nos ipsos seruemus per Christum, uerum seruatorem nostrum.

CAPVT

CAPT VII.

ET FACTVM EST IN DIEBVS AHAZ FILII IOATHAN &c.

In principio huius capitis recitatur bellū quod rex Syriæ & rex Israel susceperunt gerendum aduersus Ahaz regem Iuda. De quo bello scriptum est in iiij. lib. Regum cap. xv. & xvi. Fit etiã mentio belli gesti a rege Syriæ & rege Israelis aduersus Ahazum, in secundo libro παραλειπομένων capite uicesimo octauo. Incertum autem est, num hoc bellū idem fuerit, cum eo, quod in quarto libro Regum, & in hoc Esaiæ loco describitur, an diuersum. Sed apparet bellum illud in Paralipomenis descriptum, gestum esse prius a rege Syriæ & rege Israel aduersus Ahazum, nõdum collatis uiribus, sed sigillatim: postea autem hos reges coniunxisse sua arma, & secundo intulisse bellum Ahazo, de quo bello in hoc septimo cap. Esaiæ & in quarto libro Regum scribitur. Commemorat autem Propheta hoc bellum, ut exponat, quæ fuerit occasio eius concionis, quæ ab hoc septimo capite usq; ad caput decimumtertiū describitur. Ac profecto memorabilis est cõcio, quæ his sex capitibus continetur. In hac em̃ de aduentu & regno Christi tã perspicue prędicatur, ut ueteres de Esaia dixerint, eum magis Euangelistam q̃ Prophetam appellandum. Ex hac concione concionatus est Angelus Gabriel Marię uirgini, & exposuit ei cœlesti mãdato, quod ipsa uirgo paritura sit uerum Messiam, filium Dei, cuius regni nullus sit futurus finis. Ex hac concione Petrus & Paulus, summi ac præcipui Apostoli, acceperunt præclara testimonia de Christo, & regno eius. Quare cum uersamur in explicatione huius concionis, sentiendum est, nos tractare cœlestem thesaurum. Initio aũt recitatur, ut diximus, historia belli, quod rex Israel & rex Syriæ aduersus Ahazum susceperunt gerendum. Hi enim reges ante bellarunt sigillatim contra Ahazum regem Iuda, idq; fœliciter, quemadmodũm testantur παραλειπόμενα. Quare coniungunt nunc arma sua, & statuunt se regnum Iuda omnino abolere, & alium regem p̃ suo arbitrio in Hierusalem creare. Dicunt enim: Ascendamus ad Iudam, suscitemus eum &c. Ponamus in eo regem filium Tabeel. De Tabeel grammatica est dissensio. Alij sentiunt esse nomen proprium, uel de Ephraim, uel de Beniamin. Fit etiam cuiusdam Tabeelis mentio in Esdra capite quarto. Alij putant Idolum sic uocari. Alij existimant esse nomen appellatiuũ, et iuxta Chaldæã paraphrasin significari (nobis gratũ) ut sit sensus. Creabimus regem in Hierusalē p̃ nostro arbitrio, qui nobis sit acceptus, et faciat nostra imperata. Hęc utcunq; se habeãt, certe rex Syrię & rex Israelis pro certo futurę putant, ut expugnent

urbem Hierusalē, & eligant in ea regem, deleta familia Dauidis, p. ipsorꝝ uoluntate. Quid aũt diuino oraculo contra hãc uanissimam presumptionē duorꝝ regum dictũ fuerit, & quē exitũ habuerit hoc propositum eorꝝ, postea sequetur. Nunc audiamus, quo aĩo Ahaz rex Iuda, & familia Dauidis hanc famã de cõfœderatione & institu to duorꝝ regum Syriæ & Israelis acceperint. Fama.n. uenit ad regē & cognatos ac subditos eius, quæ dicebat: Requieuit Syria super Ephraim: hoc est, Rex Israel & rex Syriæ, coniunxerunt sese quodã fœdere, & susceperunt iam arma, non tm̃ ut prędam abducant a regno Iuda, & abeãt, sicut antea, sed ut totã familiã Dauidis, cuius est regnum Iuda, radicitus extirpent, & regnum Iuda in aliam familiã transferãt. Hic talis est nuncius, qualis esset, si nostris temporibus, quod absit, certo adnunciaretur nobis Regem Gallorꝝ Pontificiæ superstitioni addictũ, & regē Turcarꝝ inn̄sse fœdus ad deuastandã Germaniã, ac prędertim eas urbes & principatus, in quibus prædicatur Euangelion Christi syncere, & ad dominandũ in Germania pro ipsorꝝ libidine. Quis ex tali nuncio nõ corriperetur metu? Eodem modo habuit sese status rerꝝ in Iuda, Israel & Syria. Nam rex Syrię fuit impius Ethnicus, sicut Turca impius est. Rex Israelis, etsi agnoscere uidebatur Deum Patriarcharꝝ, tamen in regno suo instituti erant duo uituli aurei, & multa alia impia sacra aduersus legem Dei, quemadmodum Põtifices Romani uidentur agnoscere Christum, pugnant tm̃ cum Christo & Euãgelio eius. Ahaz rex Iuda erat quidem ipse, quod ad suã personã attinet, impius, in regno aũt eius erat uerꝝ templum, uerum sacerdotiũ, & uera ac legitima sacra diuino uerbo constituta. Præterea erat ipse rex e familia Dauidis, cui Dauidi fuit regnũ perpetuo ꝓmissum. Cum igitur rex, cognati, & incolæ regni eius cognouissent institutum hostium suorꝝ, magno timore correpti sunt. Cõmotum est, inquit Esaias, cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarũ a facie uenti. Hic considerandum est, nõ esse nouum sed uetus odium Satanæ aduersus Ecclesiam Dei. Dictum est olim ad Satanam: Semen mulieris conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quare cum Satã sciat potentiam suam conteri per Christum, qui est illud mulieris semen, teneri non potest, quo minus aggrediatur omnes illos homines, in quibus inueniat Christum. Itaque multis malis afflixit Patriarchas, & meditatus est semper ipsorum internecionem, quia uidit ex familia eorum uenturum Christũ, & inuenit etiam in ipsis Christum per fidē. Ac postea excitauit Pharaonē, qui cogitabat totum Israelē opprimere. Deinde cum Israelitę tenerent terram Patriarchis promissam, excitauit oēs finitimas gētes, ut ad perdendos Israelitas, tanq̃ ad cõmune incendium extinguēdum accurrerent. Sic & hoc loco excitauit regē Syrię & regem Israelis, ut fœdere quodã sese

Satanæ odiũ aduersus Ecclesiam Dei.

sese ad delendã totam familiã Dauidis coniungant. Sciebat.n. promissum esse uenturũ e familia Dauidis Christum contritorẽ capitis sui. Quare nõ offendamur contradictionibus & persecutionibus, quę aduersus Christum & Euãgelion eius in hoc seculo oriuntur, sed cõfirmemus fidem nostrã ex uerbo Dñi, ut quãto crudelior est persecutio impiorũ cõtra Euãgelion Christi, tanto certius cognoscamus ueritatẽ eius. Quod Sãtã conatur aduersus Ecclesiã Christi publice, hoc idẽ conatur aduersus unũquodq; membrum Ecclesię priuatim, ut etiamsi nulla sit publica persecutio, tñ immittat unicuiq;, in quo inuenit Christũ per fidem, uarias afflictiones, ut excutiat ei Christum, et perdat in ipso Christũ. Sed animus noster firmandus est certitudine uerbi Dei, ut obuiã eamus conatui Satanę, & maneamus in Christo uero nostro seruatore &c. Describitur etiã hoc loco magnitudo metus eorũ, q in periculis & minis impiorũ nondũ sunt erecti uerbo Dñi. Commotũ est cor eius, inquit, & cor populi eius, sicut mouẽtur ligna syluarũ a facie uẽti. Nulla.n. est pax ijs, qui nõ habent aut nõ credũt uerbo Dei. In solo uerbo Dñi est pax & tranquillitas. Quare in aduersis confugiendũ est ad uerbũ Dñi.

Euangelij certitudo unde.

ET DIXIT DOMINVS AD ESAIAM: EGRE DERE IN OCCVRSVM AHAZ TVET &c.

Descripsit Propheta cõmotionem & metũ totius familię Dauid & populi in regno Iudá, describit nũc consolationẽ eius. Deus igitur cõsolaturus meticulosos, ac desperabũdos, quid obsecro facit? num mittit ad eos fortẽ ducem, cum ingẽti & ualido exercitu militũ atq; equitũ? Nihil certe minus: quin potius ꝓhibet, ne quęrant humana auxilia, quẽadmodum postea sequitur, sed mittit ad eos Prophetã Esaiã cum filio suo Sear Iasub, nõ ut adducerẽt regi milites, sed ut prędicarent ei uerbum Dei. Incertum aũt est, num is Sear Iasub fuerit uerus filius Esaię, an discipulus tm̃ eius. Dicuntur.n. discipuli, filij prophetarũ. Mittitur aũt una cũ Esaia, siue ut in ore duum aut trium stet oĩe testimonium, siue quia hic solus relictus fuerit, qui nõ defecerit cum alijs ad impietatẽ Achaz. Ac hi duo mittũtur ad extremum aquæ ductus piscinę superioris etc. Idẽ locus est, in quo colloquium instituerunt legati regis Sancherib cum legatis regis Ezechię, quẽadmodum scriptum est iiij. Reg. xviij. Apparet igitur hunc locum fuisse planicię, in qua magnus hoĩm cœtus congregari potuerit: ac eo tempore, quo missus est Esaias, regem Ahazum collegisse & conscripsisse milites in hoc loco aduersus duos reges Israẽlis & Syriæ: aut potius consilium inijsse, de mittendis legatis ad regem Assyriorum, cuius auxilio iuuetur, quemadmodum scriptura testatur quarto Regum decimosexto. Quare Dominus consolaturus Ahazũ & uniuersum populum eius, nõ mittit ad eos

Prophetarũ discipuli.

exercitum militum, sed mittit Prophetã, cum uerbo suo. In solo em̃ uerbo Dei uera est consolatio, ueraq; liberatio. Vtendum quidem est in bellis exercitu militũ, si recte & ordine fieri potest: sed si non habes uerbũ aut ꝓmissionem Dei, ac collocaueris fiduciã tuã in solo exercitus robore, pudefias necesse est. Maledictus.n. qui ponit carnẽ brachium suum. Quod de bello et incursione hostiũ dicitur, hoc sentiendũ est de oĩbus aduersis, & de q̊uis insultu Satanæ. Vti .n. licet externis & ordinarijs remedijs seu auxilijs, sed primum & maxime oĩm de uerbo Dñi inquirendũ est, quippe quod ex hoc solo possit peti uera cõsolatio, & liberatio per fidem. Audiamus aũt nũc concionẽ uerbi Dei, quã habuit Esaias corã rege Ahaz & toto populi cœtu, qui in cãpo piscinę congregatus erat. Vide, inquit, ut sileas. Cura, ut cõquiescas, ut tranquillus sis, nec cõuoces aliena auxilia, sed sis quietus, & non timeas minas hostiũ tuoꝝ, qui etsi minãtur se regnũ Iudę a familia Dauidis ablaturos, & uniuersam eam familiã excisuros, tñ nõ sunt nisi uanissimę minę: & quẽadmodum titio extinctus fumigat quidẽ adhuc, nõ aũt ardet amplius, ita isti reges magnã iram aduersus regnũ Iudę spirant, sed ea est uanissima. Dices. Hæc fortiter dicũtur a Propheta, sed quomõ trãqullus ero, cũ uideã tot hostes in me non satis munitũ ac pene inermẽ irruere? Sequitur ergo ratio huius propheticę cõsolationis. Hęc (inquiens) dicit Dñs Deus: Non erit istud & nõ stabit. Hoc est, Consilium & institutũ duoꝝ regũ nõ promouebit. Pręsumpserunt se deleturos familiã Dauidis, & redacturos regnũ Iuda in suam potestatẽ, ut in eo instituãt regem pro sua libidine. Hic conatus eoꝝ non ꝓcedet, sed caput Syrię Damascus, et caput Damasci, Rasin. hoc est, Regnũ Iuda non cõiungetur cũ regno Syrię, sed erũt duo distincta regna: & ut Damascus est metropolis regni Syriæ, & Rasin est rex eius, ita Hierusalẽ manebit metropolis regni Iudæ, & habebit regem ex familia Dauidis. Sic.n. diuinitus definiti sunt, hoc quidem tẽpore, termini hoꝝ duoꝝ regnoꝝ. Idem de regno Israel, seu Ephraim dicẽdum est. Metropolis eius est Samaria, Rex eius est Pekah filius Romaliæ. Hæc diuinitus ita definita sunt, ut Hierusalem, quæ est metropolis regni Iudæ, non possit adiungi ad regnum Israel, nec Pekah possit fieri rex in Hierusalem. Dicam, quod plus est. Regnũ Israel uidetur nunc potentissimũ, & minatur regno Iudę excidiũ. Sed res ita inuertetur, ut stante & permanente adhuc regno Iudæ, Ephraim seu regnum Israel desinat esse populus, aut regnum, idq; futurum est his sexagintaquinq; annis. Hic quæri solet, quo tempore computatio horum annorum incipiẽda sit. Certum enim est, quod ab hoc tempore, quo Esaias hæc concionatus est, non fuerint reliqui uiginti anni usque ad deuastationem regni Israel. Esa-

Computatio 65. annorum ad deuastationem regni Israel.

ias

ias enim concionatus est hæc, regnante in Iuda Ahaz, & ut non nulli sentiunt, quarto regni eius anno. Regnauit autem Ahaz sedecim annis, & post eum Ezechias, cuius sexto anno deuastatum est regnum Israel a Salmanesſare rege Assyriorum. Si ergo Esaias dixit hanc concionem quarto anno Ahaz, sequitur, quod ab hoc tempore usq; ad deuastationem regni Israelis fuerint tantum decem & octo anni. Vnde ergo incipiet computatio horum sexaginta quinq; annorum, de quibus hic dicit Esaias: Adhuc sexaginta quinq; anni, et Ephraim nõ erit populus? Sunt, qui hunc locũ ita uertunt: Intra sexaginta quinq; annos Ephraim desinet esse populus, ut sit sensus, quod regnum Israel nõ sit amplius duraturum sexaginta quinq; annos, sed intra hos deuastandum, sicut & factum est. Sed si spiritus sanctus hoc uoluisset, cur maluisset dicere intra sexaginta quinq; annos, quam intra ꝓximos triginta, aut uiginti? Rectius uidetur sentire Hieronymus, qui ex Hebræorũ trãslatione computat hos sexãginta quinque annos, non ab eo tempore, quo hæc Esaias concionatus est, sed quo Amos primus cœpit prophetare, sub rege Vsia, contra regnum Israel: Israel, inquiens, captiuus ducetur de terra sua: quo etiam tempore Esaias habuit exordium suæ prophetiæ. Itaq; is erit sensus huius dicti. Iubeo uos, o domus Dauid, bene confidere, ac minime omniũ metuere, ne rex Israel ejiciat uos e regno uestro. Tãtum abest, ut uos uestro regno exuat, ut potius regnum eius breui sit periturum. Dictum enim est iam ante quadraginta annos, per alios Prophetas, quo tempore & ego primum cœpi prophetare, quod regnum Israel sit deuastãdum adhuc in sexaginta quinq; annis. Hoc uaticinium iam olim dictum, uerissimũ est, ac omnino implebitur. Præterierunt modo plusquam quadraginta anni; Reliqui adhuc sunt alij de sexaginta quinq; annis, quibus certissime ueniet Israelis deuastatio. Hæc nisi credideritis, nõ permanebitis. Fide opus est: si credideritis, res uestra probe se habebit: si aũt non credideritis, non eritis constantes & firmi in uocatione Dei, & permanebit quidẽ ueritas Dei, ac regnum Iuda, uos aũt peribitis. Cæterꝝ, cum hæc ꝓmissio, qua Deus in tãtis periculis pollicetur uobis salutẽ & liberationẽ, uideatur simpliciter impossibilis, Deus tanta clementia uos cõplectitur, ut etiam uelit hanc promissionẽ magno aliquo miraculo, ꝓ uestra uoluntate, cõfirmare. Pete igitur tu Ahaz, signum aliquod, siue cœleste siue terrestre, & uidebis Deũ, nõ uerbis tm̃, sed etiã miraculo ueritatẽ dicti sui testificari. Ex his principio nobis animaduertendũ est, quod quẽadmodum Daniel dicit, Dñs cõstituat regna, & dñetur in regno hoĩm, & cuicũq; uoluerit det illud. Iuxta. n. uolũtatẽ suã facit tã in uirtutib. cœli, q̃m in habitatorib. terrꝝ. Voluit Dñs regnũ Iudæ & Hierusalẽ

esse distinctum regnum a regno Syriæ. Quare fieri non potuit, ut rex Syriæ, quamuis potentissimus, acciperet regnum Iudæ, & coniungeret cum regno Syriæ. Hoc idcirco est notandum, ut magistratus discat timorem Dei, & agnoscat Deum regni defensorem. Nisi enim Deus definiret terminos regnorum, & tueretur eos, frustra uigilaret homo, qui custodit eos. Quare in manum Dei respiciendum, & uocationi eius obediendum est. Huc pertinet exemplũ Nebucadnezaris in Daniele capite quarto, qui ob eam causam punitus fuit insania, ut disceret, quod excelsus dominetur super regnum hominum, & det illud cuicunq; uoluerit. Admonetur præterea magistratus, ne affectet iniquitate terminos dominij sui dilatare, & proferre. Hoc enim est obsistere Deo, qui unicuiq; regno suos terminos statuit. Quare qui eos contra Dominum transferre conatur, non habebit fœlicem euentum, sed potius amittet etiam suum regnũ. Deinde, cum Propheta definit ex spiritu sancto sexaginta quinq; annos regni Israel, significat Deum dare regnis sua spacia pœnitentiæ, quibus si resipiscant, conseruentur: si uero pergunt malitiam suam complere, certum immineat exitium. Sic dedit quondam toti orbi terrarum, centum uiginti annos. Sic regnis Canaan quadringẽtos annos. Sic regno Niniue quadraginta tantum dies. Alijs quidem regnis maiora spacia, alijs minora: alijs manifesta & certa, alijs occulta, & coram hominibus incerta. Tũc autem definire solet Deus spacia, cum reuelat ũerbum suum, & excitat cõcionatores, qui uocent populum ad pœnitentiam. Quare, cum hoc tempore Dominus excitauerit in Germania publicos concionatores Euangelij Christi, qui manifeste & perspicue commonefaciunt homines ad pœnitentiam, dubium non est, quin Dominus definierit terminum imperij Germanici, & det nobis spacium pœnitẽtiæ, ut si resipiscimus, conseruet hoc regnum, si autem pergamus Euangelium contẽnere, pereamus. Vnde in Amos dicitur: Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prędam? &c. Et Christus ait: Hæc est condemnatio quod lux uenerit in mundum, & homines magis dilexerint tenebras, quam lucem. Præterea, uides hoc loco impijs accidere, quod minantur pijs. Rex Israel & rex Syriæ minabantur regno Iudæ excidium. Sed hoc regnum manet firmum, cum interim illa duo regna pereant. Hoc illud est, quod in Psalmo de impij conatibus dicitur: Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueã, quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Hoc non de regibus tantum, sed etiam de priuatis hominibus intelligendum est, ut discamus timorem Dei, & non inferamus proximo nostro ullam iniuriam. Quid enim aliud facis, si per iniuriam affligis aliũ, quam quod teipsum affligas,

Pœnitentiæ spacia cur & quando definiat Deus.

Germania.

Impijs ea accidunt quæ pijs minantur.

&

multo grauioribus malis te obijcias, quam alium afficias? Deinde hoc dictum (Si non credideritis, non permanebitis) diligenter obseruandum est. Duo enim nos docet. Alterum est, quod ad accipiendas promissiones Dei necessaria sit fides. Non enim alia est uirtus, non aliud organon, quo possit promissio diuina accipi, præter fidem. Alterum est, quod etsi promissa Dei sunt certa & firma, ac seruant omnes credentes, tamen increduli & impij non fruantur rebus promissis. Vnde & Paulus ait: Si negabimus, & ille negabit nos. Hoc idcirco nobis exponitur, ut sciamus, quod in prædicatione Euangelij, ad consequendam gratiam Dei & salutem, & ad perseuerandum in obediẽtia uocationis Dei, necessaria nobis sit fides. Nisi enim credideritis, inquit, non permanebitis. hoc est, nec cõsequemini salutem, nec manebitis in recta Dei obedientia. Quod si uero defeceris ab obediẽtia, & recesseris pcto ac impietate a Deo, meritus quidem es internecionem, sed si reuersus fueris FIDE, manet Deus fidelis, seipsum negare nõ potest. Veritas enim Dei non fit irrita per hominum incredulitatem. Incredulus non fruitur quidem ueritate Dei, quamdiu mãnet incredulus, sed cum resipuerit, & iterum crediderit, inuenit adhuc firmam & certam Dei ueritatem. Quare siue recens accedas, siue postq; defeceris, reuertaris ad Deũ, semper necessaria est FIDES. Postremo habes & hoc loco usum signorum, aut miraculorum. Esaias promittit regi Ahazo diuinitus, ea quæ uidentur incredibilia & impossibilia. Iubet igitur eum petere signum, ut fides eius confirmetur. Quare docet, diuina miracula esse testimonia & signacula certitudinis ac ueritatis diuinarum promissionum. Cum aũt sciamus Euangelion de Iesu Christo, multis & magnis miraculis per Christũ & Apostolos eius confirmatum esse, non est nobis ulla alia doctrina, præter Euangelion Christi, de uera nostra salute, agnoscẽda, sed sentiamus hoc solum Euangelion esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

Fides Semper necessaria est.

Miraculorũ usus.

ET DIXIT AHAZ, NON PETAM ET NON TENTABO &c.

In incursione duorũ regum Israel & Syriæ, in regnum Iuda, promisit Deus per Esaiam regi Ahaz & incolis regni eius certam liberationem ab hostibus, ac iussit eos bene confidere. Cum aũt hæc liberatio uideretur incredibilis, recepit Deus se ueritatẽ sui promissi confirmare signo. Pete, inquiens, tibi signum a Dño Deo tuo siue in cœlo. siũe in terra, uidelicet, ut non solum uerbis, sed etiam miraculo testificetur Deus ueritatem suam. Quid ergo ad hæc rex Iuda, nomine Ahaz? Non agnoscit uerbũ Dei, nec adhibet fidem promissis eius, sed quærit auxilia ab Assyrijs. Mittebat (inquit scriptura iiij. Reg. xvi.) Ahaz nuncios ad Tiglatpileſſar regem Assyriorũ

dicens: Seruus tuus & filius tuus ego sum, Ascende & saluũ me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui cõsurrexerunt ad uersum me. Hæc fuit magna impietas regis Ahaz, quod maluerit petere auxilium a rege terreno, eoq; impio ac idolatra, cũ a rege cœlesti, & omnis salutis autore. Et tamen Ahaz, cælat hanc impietatẽ specie pietatis, & timoris Dei. Iussus. n. petere a Deo signum, ut cognoscat manifeste ueritatẽ promissi Dei, recusauit signum petere, prætexens legẽ Dñi. Non petam, inquiens, & non tentabo Dñm. Lex enim Dei est Deut. vi. Non tentabis Dñm Deum tuum. Habes igitur in Ahaz insigne exemplum impĩj hypocritæ. Ahaz eñ fuit reipsa corã Deo impĩjssimus. Nõ fecit, inquit scriptura, quod erat placitum in conspectu Dñi Dei sui, sicut pater eius Dauid, sed ambulauit in uia regum Israel. Consecrauit filium suum per ignẽ, immolauit uictimas in excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso: diruit altare Dñi in templo Hierosolymitano, & ædificauit ꝑ eo altare Damascenũ. Hæc omnia etsi erant impĩjssima & manifeste contra uerbum Dei, tamen prætexebat nomẽ Dei, & affirmabat se hæc facere in honorem Dei. Quid, quod in hoc loco Esaiæ nullã adhibet fidem promissioni diuinæ, sed quærit externa auxilia, & tñ uult uideri se facere non prudenter tm̃, sed etiam religiose. Quid, inquit? Tentarem ne Deum? An non uos Prophetæ semper occinitis nobis, uerbo Dei obsequendũ esse? An non uerbum Dei est, Non tẽtabis Dñm Deum tuum? Cur ergo tam temerarius essem, ut petendo miraculum tentarem Deum, & peccarẽ aduersus Deũ? Habes hypocritam. Primum igitur considera ingeniũ & mores hypocritarũ, quod cum sint corã Deo impĩjssimi, tñ uolunt uideri pĩjssimi, & Deo obsequentissimi. Deinde obserua Deum non respicere externã operis speciem, sed fidẽ & obedientiã. Ahaz multa instituebat sacra, quæ uidebãtur pia & religiosa. Sed nulla erat in Ahaz nec fides nec obediẽtia. Non. n. credebat diuinæ promissioni de semine Abrahæ & Dauidis, hoc est, de Christo, quia sperabat se cõsecuturum remissionem peccatorum suis ipsius meritis, & cõseruaturum regnum humanis uiribus. Nec obediuit Deo, quia relictis his sacris, quæ instituerat uerbum Dei, instituebat & sectabatur ea, quæ ipse excogitauerat. Vbi aũt nec est fides nec obedientia, quis possit esse respectus bonorũ operũ & sacrorum apud Deum? Postremo, quod Ahaz prætexit de tẽtatione Dei, uerũ quidẽ est, legẽ Dei exigere, ne Deus tẽtetur: sed cum Deus iubet aut miraculũ petere, aut periculũ suscipere, nõ est tẽtatio Dei, sed obedientia, quæ Deo debetur. Petĩt Gideon signum, non ut tentaret Deum, sed ut fidem suam cõfirmaret, & Deo obediret. Israelitæ ingressi sunt mare rubrum, non ad tentandum Deũ, sed ad obediendum uocationi

Ahaz exemplum hypocritæ.

Hypocritarũ mores.

Dei,

Dei. Quare cum Ahaz uocatus fuit diuinitus, ut peteret ſignum, & non quæreret aliena auxilia, non fuiſſet tentatio Dei, ſed obediẽtia, ſi petijſſet ſignum, & non uocaſſet regem Aſyriorꝝ in auxiliũ.

ET DIXIT: AVDITE ERGO DOMVS DAVID, NVNQVID PARVM VOBIS EST MOLESTOS ESSE HOMINIBVS &c.

In hoc loco recitatur inſignis illa prophecia de Chriſto, et de matre eius uirgine, ex qua prophecia Gabriel ad Mariam apud Lucã cõcionatur, & quaſi interpretatur eam, & quam Matthæus perſpicue de Chriſto & de matre eius uirgine exponit. Totum hoc factũ eſt, inquiens, ut perficeretur, quod dictum fuerat per Prophetam, ita loquentem: Ecce uirgo erit prægnans, & pariet filium &c. Audiamus ergo, qua occaſione Eſaias hanc de Chriſto concionem cõmemoret. Rex Iſrael & rex Syriç incurrebant magno exercitu in fines regni Iuda, in quo dominabatur familia Dauidis. Statuerãt autem ſecum, quod non ſolũ eſſent direpturi aliquot oppidula regni Iuda, uerumetiam uniuerſam familiã Dauidis deleturi, ut alium regem, quem uellent, in Hieruſalem inſtituerent. Aſcẽdamus, inquiunt, ad Iudam, ſuſcitemus eum, & euellamus ipſum, ac ponamus in eo regem filium Tabeel. Hanc famam, cum rex Iuda & familia Dauidis audirent, periclitabantur nõ ſolum de regno & dignitate, ſed etiam de ſalute ſua. Eſaias autem conſolatur eos ſpeciali & ſingulari promiſsione Dei, prohibens, ne quærant aliena auxilia, ſed ſint tranquilli, & bene confidant. Non erit, inquiens, iſtud, & non fiet conſilium hoſtium. Quin potius hoſtes ueſtri interibunt, uos autẽ permanebitis in regno ueſtro. Iubet præterea regem petere ſignũ, ut ueritas huius diuinæ promiſsionis miraculo confirmetur. Sed cum rex eſſet impius, ac mallet ex Aſyria, quam ex cœlo auxilium petere, pergit Eſaias iuxta uocationem ſuam, de firmitate & ſolidi-
tate regni Iuda concionari tam ex generali q̃ ex ſpeciali promiſsione Dei, ut qui pij ſunt, certo cognoſcant, Dominum ſeruaturꝝ promiſsiones ſuas, quę ad Dauidem de ſemine eius dictæ ſunt, nec fieri poſſe, ut inſtitutum duorum Regum Iſraelis & Syriæ promoueat. Ac inicio graũiter reprehendit impietatem regis Ahaz, & cognatorum eius. Audite (inquiens) domus Dauid, de qua dixit Deus: Stabiliam thronum regni eius uſqꝫ in ſempiternum. Et iterum. Fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſqꝫ in æternum ante faciem meam, & Thronus tuus erit firmus iugiter. Quid ergo audiat hæc domus? Sequitur. Nunquid parꝫ uobis eſt moleſtos eſſe hominibus &c. hoc eſt. Vos impietate ueſtra eſtis Deo & hominibus moleſti, cum tamen fide poſſetis tam uobis, q̃ alijs hominibus tranquillitatẽ parare, & Deo gratiſsimum cultum facere. Sed cum

Luce 1.

Matthæi 1.

non adhibeatis fidem diuinæ promissioni, considerate uos ipsi, quãtam uobis & alijs molestiam obtrudatis. Vos ipsi maximo metu perculsi estis. Mittitis legatos, trepida sollicitudine ad Assyrios. Itaq; magna ubiq; est inquietudo, tam in uestro, quam in Assyriaco regno, donec cõscribatur exercitus. Nec contenti estis excitare turbam in terra, etiam Deo ipsi estis molesti propter impietatem uestram. Contemnitis promissionem Dei. Iudicatis uanum esse auxilium Dei, ac quantum in uobis est, facitis Deum mẽdacem. Qua molestia, qua contumelia, quid posset horribilius dici? Hic mihi uide nihil esse turbulẽtius & sedicioſius impietate seu incredulitate. Homo incredulus, ut nullã in se habet requiẽ, ita tam Deo q̃ hominibus molestus est. Sume exemplũ de auaro impostore, aut de irato & uirulẽto iniuriarũ uindice. Extant. n. promissiones & mandata Dei, quibus deberent hi contineri in officio obediẽtiæ. Dictum enim est: Primum quærite regnum Dei & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Et iterum: Mea est uindicta & ego rependam. Impostor autem & irati uindices, non credunt his promissionibus. Quare nõ solum sibi ipsis, uerumetiam Deo & hominibus molesti sunt: loquuntur de Deo & uerbo eius ridicule & contumelioſe. Impostor omnium hoĩm opibus insidiatur. Iratus nihil pensi ducit, quid in quẽuis dicat, aut faciat. Sola fides & obediẽtia potuisset ipsos quietos et tranquillos intra se, & tam coram Deo q̃ coram hominibus reddere. Deinde recitat Esaias promissionem Dei, de firmitate regni domus Dauidis, de qua tamẽ firmitate rex & cognati eius iam pene desperauerant. Propter hoc, inquiens, dabit Dominus ipse uobis signum. Ecce uirgo concipiet & pariet &c. hoc est. Etiamsi uos contemnitis Deum & promissionem eius, tamen Deus manet fidelis, & seruabit Dauidi, quæ domui ac familię eius promisit. Iurauit Dñs Dauid ueritatẽ, & non frustrabitur eum. De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Et iterum: Suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliã regnum eius &c. Statuam eum in domo mea, & in regno meo in sempiternum, & Thronus eius erit firmissimus in perpetuum &c. His uerbis, si recte ea inspexeris, promisit Deus Dauidi, duo maxima beneficia. Alterum, quod uelit externum regnum Iudæ conseruare in posteritate Dauidis, donec uenerit filius eius Messias, quemadmodum etiam antea Patriarcha Iacob ũaticinatus erat. Alterum, quod uelit ei dare in sua posteritate semẽ seu filium, qui sit uerus Messias, seruator, cuius regnum sit perpetuum. Itaq; regnum nũquam auferetur a semine Dauidis. Postquam enim Dauid accepit regnum Israelis, & si post mortem eius multæ tribus Israelis defecerunt a familia Dauid, & regnum Iuda hactenus aliquoties infirmum fuit, ac deua-

stabitur

ſtabitur a Babylonijs, tamen ſemper manebit in familia Dauid aut regia aut principalis dignitas, in externa gubernatione, donec ueniant tempora aduentus Meſsiæ e familia Dauid, qui ſuſcipiet regnum ſpirituale & perpetuum. Quare, cum regnum aut principatus Iuda ſemper manſurus ſit iuxta promiſsionem Dei in familia Dauid, uſq; ad aduentum Meſsiæ, & Meſsias nondum aduenerit, fieri non poteſt, ut promoueat inſtitutum horum duorum regum Iſraelis & Syriæ, qui propoſuerunt familiam Dauidis ex hoc regno eijcere, & alienum regem inſtituere. Sed ut promiſsio Dei, de Meſsia e ſemine Dauidis uenturo uobis ſignificantius explicetur, & fides piorum clarius erudiatur ac illuſtretur, ecce prędico uobis, hunc filium Dauidis, qui erit uerus Meſsias, naſciturum nõ de quauis muliere, ſed de muliere Alma, hoc eſt, VIRGINE, quæ ſit a uiro incognita, & incorrupta. Et filius eius Meſsias, uocabitur Emanuel, & comedet butyrum ac mel, ut ſciat malum reprobare & bonum eligere, hoc eſt, Erit Deus & homo. Antequam autem hic puer ſciat malum reprobare ac bonum eligere, hoc eſt, priuſquam Meſsias naſcatur ac fiat homo, & adoleſcat, duo illi reges Iſraelis & Syriæ neceſſe habebunt turpiter deſerere hanc terram & regionem tuam, o Ahaz, quam tu exiſtimas prorſus abiectam, & finem regni eius iam inſtare. Quare hi hoſtes non ſunt metuendi, nec ſunt aliena auxilia uocanda: Sed confidendum eſt promiſsione Dei, ex qua ueniet nobis quidem certiſsima ſalus, hoſtibus autem repentinus interitus. Percurrimus παραφραστικῶς hæc uerba Eſaiæ de partu uirginis. Vides autem, quòd ante natiuitatem Chriſti, Iſraelitæ acceperunt propter ipſum, beneficia a Deo non ſolum ſpiritualia, uidelicet, remiſsionem peccati, iuſticiam, liberationem a morte, & uitam æternam, ſed etiam corporalia. Nam quemadmodum Iſraelitæ conſeruati ſunt in tyrannide Ægyptiaca, & liberati ex Ægypto, propter Chriſtum, ac data eſt eis terra Canaan propter ipſum, ut in ea terra conſeruaretur certa familia, ex qua Chriſtus promiſſus naſciturus erat, & inſtituerentur ſacra, quibus adumbraretur & doceretur Chriſtus: (Hic enim ſolus eſt ſalus hominum) ita conſeruatur ſub Ahaz regnum Iuda propter Chriſtum, quia Dauidi promiſſum erat, thronum eius fore perpetuum: fidelis, inquit, erit domus tua & regnum tuum uſque inæternum, ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Nam quo tempore Ahaz regnauit in Iuda, nondum natus erat Chriſtus, qui perpetuo eſſet regnaturus. Quare, ut promiſsio Dei firma conſtaret, non potuerunt duo reges Iſraelis & Syriæ regnum Dauidis abolere. Sicut nec poſtea Babylonij, & ſi uaſtarunt urbem Hieruſalem, & abduxerunt omne regium ſemen captiuum in Babylo-

nem, potuerunt totam familiam Dauidis delere, & aliud regnum in Hierusalem instituere, sed diuina prouidentia factum est, ut & Principes familiæ Dauidis conseruarentur in captiuitate, & reuerterentur ad thronum Dauidis, non quidem regia maiestate, sed quod satis erat, principali autoritate, donec tempus instaret, quo nasciturus erat Christus. Habes igitur, quod ante natiuitatem Christi, Iudæi perceperunt fructum eius, non solum spiritualiter per fidem, uerum etiam corporaliter in cõseruatione externi regni, & liberatione e captiuitatibus hostiũ. Sed, hic considera mihi summam Iudæorũ ingratitudinem. Acceperunt terrã propter Christũ. Acceperunt regnũ propter Christum, Liberati sunt e manibus hostium suorũ Syrorũ, Assyriorũ, & Babyloniorũ, ppter Christũ. Restituti sunt post captiuitatem Babylonicã patriæ suæ terræ, propter Christum, & tñ cum ueniret ad ipsos Christus, propter quẽ tot beneficia acceperant, ne tantum quidem terræ concesserunt ei possidendum, ut reclinaret caput suum. Vix licebat ei tuto publica uia ambulare, tantum abfuit, ut dedissent ei dominationem unius oppiduli, aut saltem uillulæ. In summa siti eius potauerunt ipsum aceto, tantum abfuit, ut dedissent ei decimas fructuum terræ, quam tamen totam beneficio eius possidebant. Et quod horribilius est, sustulerunt eum crudeliter de terra, indignissimum iudicantes, qui inter ipsos uel saltem longe omnium pauperrimus uitam ageret. Quid hac ingratitudine detestabilius? Sed hæc ingratitudo populi Dei erga suum Seruatorem uulgata est in omnia regna huius terræ. Quæ enim sunt regna in terris, ea diuinitus constituta sunt propter Christum et Ecclesiã eius, uidelicet, ut in regnis hominum sint hospitia Ecclesiæ Christi. Nisi enim reliqua esset uita post hanc uitam, quis esset usus regnorum huius terræ? Ad conseruandam (inquis) pacem, & tranquillitatem. Sed quid prodesset pax illa ciuilis, si in ea non cognoscenda esset pia doctrina, qua & Deus cognosceretur, & uia ad ueram ac perpetuam uitam patefieret? Nec hic mundus tamdiu duraret, si non amplius colligeret ex eo Christus Ecclesiam suam. Ergo, quod adhũc duret mundus, & constent regna huius mundi, acceptum ferendum est Christo & Ecclesiæ eius. Sed quid uicissim gratitudinis reportat Ecclesia ab his regnis? Alia quidem regna alijs sunt moderatiora & tolerabiliora. Sed magna ex parte reportat Ecclesia Christi ab ipsis contemptum, abiectionem, direptiones, uincula, fugam, exilia, cædes, & mortes. Quare iuste comparatum est, ut lapis ille Danielis, qui est IESVS CHRISTVS, statuam Nebucad Nezaris ita conterat & comminuat, ut redigatur in fauillam, & dispergatur uento, nullusque locus eius inueniatur. Deinde admirabitur fortas-

Ingratitudo erga Christũ & Ecclesiam insignis.

sis

sis quispiam, quod Esaias uocet partum Virginis, Signum, quod DOMINVS daturus sit domui Dauid auditoribus suis, cum tamen hoc signum uenturum esset post multos centenarios, quo tempore nullus eorum hominum, qui hanc concionem audiebant, in hac uita superstes futurus esset, ac præterea partus uirginis tam occultus fieret, ut ne Ioseph quidem ipse sponsus Mariæ cognouerit hoc, nisi reuelante & docente Angelo. Sed considera mihi, quod Esaias concionatur hæc de CHRISTO & matre eius, non tantum propter homines suæ ætatis, sed etiam propter uniuersam Ecclesiam omnium posteriorum temporum. Et hic est sensus huius concionis. Vos domus Dauid non uultis petere signum uestræ liberationis. Ecce igitur Deus ipse, qui promisit Dauidi & semini eius perpetuum regnum, conseruabit hoc tempore regnum Iuda, & implebit certissime eam promissionem, qua recepit se daturum Dauidi filium, qui sit inæternum regnaturus. In cuius rei signum, ut hanc promissionem paulo manifestius intelligatis, hic filius non nascetur ex muliere a uiro corrupta. sed ex Virgine. Quare si in hunc suo tempore ex uirgine nasciturum credideritis, non solum retinebitis regnum illud uestrum externum, sed etiam consequemini regnum cœleste, ac perpetuum. Amabimus igitur te, dicito nobis, unde Esaias cognouerit, matrem CHRISTI, Virginem parituram? Non certe aliunde quam e singulari reuelatione spiritus sancti. Sed spiritus sanctus habuit sua organa, quibus hoc mysterium reuelauit Esaiæ. Didicerat enim Esaias promissionem de Christo: Semen mulieris conteret caput serpentis. In his uerbis (Semen mulieris) cognouit Christum non nasciturum ex semine uiri, sed tantum ex muliere, hoc est, uirgine. Alioqui enim liberi non solent dici semen mulieris, sed semen uiri. Nouerat etiam promissionem de CHRISTO dictam ad Abrahamum: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Quod ante cognouerat ex semine mulieris, hoc postea cognoscit ex nomine benedictionis. Si enim Gentes consequuntur benedictionem per Christum, necesse est ipsum non nasci ex semine uiri. Omnes enim qui e uiris nascuntur, sunt maledictioni obnoxij, quippe quod in Adam omnes moriuntur. Sed nasci debet ex sola muliere a uiro incorrupta, hoc est, ex uirgine, ut sit quidem homo, expers autem humanæ maledictionis, quo possit esse perfectus autor & donator benedictionis. Habes personam matris Christi, uidelicet, quod sit VIRGO. Etsi enim Iudæi & Rabbini eorum alio torquent hunc locum Esaiæ, tamen nihil ad nos homines illi uanissimi, qui cum abiecti sint a DEO, non debent nobis tanti esse, ut agnoscamus eos sacræ

Maria Virgo

ſcripturę interpretes. Habemus Apoſtolos & Euangeliſtās, quos ſpiritus ſanctus propoſuit nobis interpretes propheticorum ſcriptorum, & cōfirmauit autoritatem eorum cœleſtibus teſtimonijs. Hi autem exponunt hunc locum Eſaiæ, quemadmodum ſupra indicauimus, de Chriſto, & de matre eius VIRGINE. Quare ſi nō ſolum Rabbini Iudæorum, uerumetiam angeli de cœlo docerent nos his contraria, habendi eſſent pro anathemate. Videamus autem nunc quomodo Propheta deſcribat etiam perſonam Chriſti. Ad cognoſcendum enim Chriſtum hęc omnia diuinitus ſunt inſtituta. Dicit ergo Propheta de hoc filio uirginis, hoc eſt, de Chriſto, quod uocandus ſit Emanuel, quod ſignificat, ſi interpreteris, Nobiſcum Deus. Hic iterum uociferantur Iudęi, quod Ieſus non poſſit eſſe uerus Chriſtus, propterea quod non uocatus ſit Emanuel, ſed Ieſus. Quid autē hi homines deploratæ cęcitatis, & qui hoc unum agunt, ut Ieſum Chriſtum non ſolum ignorent, uerumetiam ſummis contumelijs afficiant, in Propheticis ſcriptis recte cognoſcerent ac intelligerēt? Nam ſpiritus ſanctus non hoc uult docere, quod Chriſtus in uulgo hominum uocandus ſit nomine harum literarum & ſyllabarum: Im, ma, nu, el, quemadmodum inter nos alius uocatur uulgo Ioannes, alius Petrus, alius Nicolaus. Nam hic Propheta tribuit Chriſto alias alia nomina. In capite nono dicit: Vocabitur nomen eius Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Quid? num Chriſto tantus nominum aceruus, in circūciſione, (hoc enim tempore ſolent infantibus nomina tribui) imponetur? Sed Hieremias cap. uiceſimo tertio dicit eum uocandum, Dominus iuſtus noſter. Quid igitur faciēs? Si tribueris Chriſto nomina in Eſaia propoſita, conqueretur Hieremias quod non ſit ſuo uaticinio ſatisfactum. Si autem tribueris ei nomen in Hieremia ſcriptum, conqueretur de contemptu aut prævaricatione Eſaias. Quod ſi tribueris ei nomina tam in Eſaia quam in Hieremia ſcripta, quantus erit cumulus nominum, & quā to tempore indigebis, donec Chriſtum proprio ſuo nomine alloquaris? Sed faceſſant ineptiæ. Cum enim Prophetæ docent Chriſtum alijs atq; alijs nominibus uocandum, non ſignificant eum uulgo, iuxta hominum conſuetudinem ſic uocandum, ſed his uocabulis exponunt naturam & officium Chriſti. Nam, cūm Eſaias dicit nomen Chriſti eſſe Immanuel, quod ſignificat, Nobiſcū Deus, docet Chriſtum uerę Deum eſſe, & afferre ad homines ſua incarnatione oīa diuina bñficia, ut cum Chriſtum habemus nobiſcum, habeamus in pctō, iuſtitiā: in morbis ſanitatē: in infamia gloriam: in morte uitā: in doloribus inferni, cœlū: breuiter, in hoīe, Deum, ac oēm diuinorę bonorę hęreditatē. Eodē reſpiciūt & alia noīa, quę Eſaias

Emanuel,

alias

alias capite nono, & Hieremias capite uicesimotertio ei tribuunt. Quare sentiendum est angelum, qui apparuit Iosepho in somnis, & iussit Christo nomen Iesu imponere, Vocabis (inquiens) nomen eius Iesum, uere diuino spiritu hoc nomen Christo tribuisse, quo paucis literis ac syllabis, & hoc uno uocabulo comprehenderet omnia ea nomina, quæ antea tribuerũt ei Prophetæ. Iesus enim significat, SALVATOREM, quia is saluum (inquit) faciet populum suum a peccatis suis. Quo uno nomine, & qua una re continentur omnia ea, quæ a Prophetis de Christo prædicta & prædicata sunt. Nam qui a peccatis suis saluus factus est, is est acceptus Deo, reputatur iustus coram Deo, seruatur in afflictionibus, seruatur in morte, uincit mortem, & habet hæreditatem cœlestis ac æternæ uitæ. Hæc enim beneficia contingere hominibus per Christum, significant Prophetæ, cum ei tot nomina tribuunt. Deinde addit Esaias de persona Christi: Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Hæc est descriptio humanitatis Christi. Butyrum enim, seu lac & mel, sunt cibus infantiæ. Infantes autem idcirco fouentur & educantur, non ut discant helluationes, nec ut sectentur impietatem & iniquitatem, sed ut discant fugere malum, & facere bonum, ut discant cognoscere Deum, & sectari uocationem Dei. Hic est præcipuus finis educationis infantium. Cum igitur Esaias dicit filium uirginis comesturum butyrum & mel, ut more infantium foueatur, & educetur, atque in discendo timore Dei eruditur, perspicue docet eum uerum hominem assumpturum, qui proficiat, ut Lucas ait, sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines. Itaque hoc loco describit Esaias Christum, uerum Deum, ac uerum hominem, ut sciamus, quod cum Deus factus sit homo, fiat homo etiam deus per fidem propter Iesum Christum, uerum & unicum Seruatorem nostrum.

ADDVCET DOMINVS SVPER TE ET SVPER POPVLVM TVVM &c.

Hæc appendix, quæ ab hoc loco sequitur usq; ad finem huius septimi capitis, solet exponi ab aliis de incursione Saneherib regis Assyriorum in fines regni Iuda, & urbis Hierusalem, quæ facta est sub rege Ezechia: ab aliis aũt de captiuitate Babylonica, quæ facta est per Nebucad Nezarẽ. Sed quia Dñs minatur Ahazo ipsi, ac impijs eius Principibus suppliciũ, idcirco uidetur hæc appendix exponenda de ea calamitate, quæ accidit regi Ahazo & regno Iuda ab Assyrijs, quos Ahaz in auxiliũ suum uocauerat. In ij. enim lib. Παλειπομένων cap. xxviij. sic scribitur: Humiliauit Dñs Iudam propter Ahaz regem Iuda, eo quod nudasset eum auxilio, et contẽptui

habuisset Dominum, Adduxitq; contra eum Tiglatpilnæsar regem Asyriorum, qui AFFLIXIT eum, & non adiuuit eum, uel (ut alij legunt) obsedit eum, & non prævaluit ei. Nam Ahaz spoliata domo Domini & domo regum ac Principum dedit regi Asyriorum munera, & tamen nihil profuit ei. Ex his uides, quod Ahaz & regnum eius magna incommoda sustinuerint non solum a finitimis hostibus, Israelitis, Syris, Idumæis, & Philistinis, uerum etiam ab Asyrijs ipsis, quorum tamen auxilio Ahaz confisus fuerat. Concionatur & Ezechias, qui successit Ahazo, de clade accepta sub Ahazo. Concitatus est, inquiens, furor Domini super Iudam & Hierusalem. Tradiditq; eos in commotionem & in interitum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis uestris. En corruerunt patres nostri gladijs. Filij nostri, & filiæ nostræ, & coniuges captiuæ ductæ sunt propter hoc scelus &c. Quæ cum ita in regno Iuda acta sunt, postq; Ahaz contempsit concionem & admonitionem Esaiæ, & maluit sperare auxilium a rege Asyriorum, q; a rege Cœlorũ, Domino Deo nostro, res ipsa indicare uidetur, quod hæc appendex Esaiæ exponenda sit de afflictione, quæ Ahazo & regno eius ab Asyrijs accidit. Postquam em̃ Esaias promisit Ahazo & regno eius diuinam liberationem ab hostibus Israelitis & Syris, & docuit regnum Iuda firmũ fore per Emanuelem, potuisset quispiam obijcere. Quid? constabit ne regnum Iuda, etiam si rex & Principes ac populus eius fuerint impij? Quid? nullum ne erit supplicium impiorum? Semper ne fœliciter seruabuntur, & liberabuntur ab hostibus suis? Cogita mihi, obsecro, quam impius sit rex ipse Ahaz. Ambulat in uijs regum Israel, fundit statuas Baalim, adolet incensum in excelsis, in collibus, & sub omni ligno frondoso. Lustrat filios suos per ignem. His impietatibus non contentus, reijcit etiam nunc uerbum Domini, promittẽtis ei auxilium, & mauult ex Asyria, quam ex cœlo auxilium petere. Regis autẽ impietatem sequuntur Principes & populus. Dicemus ergo Deum tantam impietatem inultam laturum? Minime omnium. Dominus enim adducet super te regem Ahaz, & super populum tuum regni Iuda, & super domum seu familiam patris tui tam difficilia tempora, qualia nunquam fuerunt ab eo tempore, quo decem tribus Israel defecerunt a Iuda seu familia Dauidis, quod factum est post mortem Salomonis sub Rehabeam. Immittet autem Dominus has calamitates regno uestro, per Tiglatpilnæsar, regem Asyriorũ, cuius præsidio nunc magis confiditis, q; diuina promissone. Excitabit enim Dñs sibilo suo Muscã, quę est in littoribus ostiorũ Nili in Ægypto, & Apim, q; est in terra Assur, hoc est, milites Ægyptios & Asyrios. Ex his. n. collectus fuit exercitus regis Tiglat

*Paralip. 29

pilnæsaris.

pilnæſaris. Vocat autem μεταφορικῶς Ægyptios Muſcas, quod magna ſit muſcarum multitudo in littoribus Nili: Aſsyrios autē, Apim, quod Aſsyria abundet apibus & melle, uel quod Aſsyrij perſecuturi ſint incolas regni Iuda, quēadmodum ſolent apes perſequi, ut dicitur cap. i. Deut. & Pſal. cxvij. Circūdederunt me ſicut Apes. Quid ergo facient Ægyptij & Aſsyrij in terra Iuda? Perſeuerat Propheta in metaphora muſcarum & Apum, cum tamen loquatur de exercitu Aſsyriaco. Venient, inquit, & requieſcent oēs in torrentibus uallium & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in uniuerſis foraminibus, hoc eſt, quemadmodum uel muſcarum uel Apium examina ſolent turmatim in ea loca, quæ appetunt, irruere, ita exercitus Aſsyriacus incurret magna multitudine in ueſtram regionem. In tāto hoſtium incurſu quid fiet? Sequitur. Dñs radet nouacula mercenaria, per eos qui ſunt trans flumē (Euphratem) per regem Aſsyriorꝝ, caput, pilos pedū, & barbā uniuerſam, hoc eſt, quemadmodum pili capitis, barbę & pedum ſolēt acutis nouaculis ita abradi, ut nuda cutis appareat, ſic terra regni Iuda per Aſsyrios, quaſi mercede a Dño conductos, ita deuaſtabitur, ut nec arbores, nec frumenta, nec uillæ reliquæ uideātur. Vnde & rariſsimi erunt agricolæ, ſed qui reliqui ſupererunt, magis paſcēt boues & oues, ex quibus egeſtatem ſuam ſuſtentent, q̄ colent agros, ac uineas. Et uiuent potius ex butyro & melle illo ſylueſtri, q̄ ex uino & lautis dapibus. Nam tāta erit uaſtitas, ut ubi fuerint antea cultiſsimæ & precioſiſsimæ uineæ, ibi erunt ſpinæ & uepres. Et quo antea proficiſcebantur incolę cum uaſis ad legendas uuas, eo profiſcentur nunc cum ſagittis & arcu ad uenandas feras. Mōtes enim & colles, qui ubiuis in regno Iuda propter frequentiā hominum purgabantur ſarculis, & fodiebantur ligonibus, ut cultoribus multum uini ferrent, tam deſerti erunt, ut nulla amplius publica ſit ad eos uia. Naſcentur enim ibi horribiles ſpinæ ac uepres, & ſi quis uſus eorum erit, præbebunt magis paſcua pecoribus, q̄ uina habitatoribus. Hæc omnia impleta ſunt in regno Iuda, ſub rege Ahaz, quando Tiglatpilnęſar rex Aſsyriorum, in auxilium uocatus, intulit pro auxilio exitium, quemadmodum teſtatur ſcriptura ij. παλιπομένων capite uiceſimo octauo, & capite uiceſimo nono, in concione Ezechiæ. Obſeruabis igitur primum de ſibilo, quo Dominus dicit ſe excitaturum muſcam & apim, ſicut & ſupra capite quinto dictum eſt, quod tam facile ſit Deo excitare hoſtes, q̄ facile eſt homini ſibilo aut ſtrepitu ſuo excitare muſcam aut apim. Hoc idcirco cōſiderandum eſt, ut diſcamus timorem Dei & obedientiam, ne abutamur diuinis donis fiducia uirium noſtrarꝝ. Principes ſolent inflati eſſe & peccare, quod ſint fœderib. inter ſe ita cōiuncti, ut nullus

aduersarius uideatur audere contra ipsos hiscere. Diuites putãt se opulentia sua satis munitos esse aduersus quosuis uicinos, ideoq; contemnunt eos magno fastu, & peccant præfracte contra Deum & homines. Quis em̃ audeat ipsis obsistere? Sed audi tu quisquis fiducia uirium aut diuitiarum tuarum peccas, quid Esaias hic concionetur. Dicit, Dominũ excitare hostes sibilo. Non uides hoc tẽpore, qui tibi obsistere uel possint uel audeãt. Sed si pergas donis Dei abuti, & peccare, tanta est potentia Domini, ut queat uel e lapidibus excitare tibi aduersarios, qui te opprimant. Quare time Dominum, & ambula in uocatione & obedientia eius. Deinde etsi Esaias sua quadam ratione uocat exercitum Assyriacum, muscas & apes, quemadmodum supra indicauimus, tamen non inepte tribues hæc duo epitheta etiam militibus, qui hoc tempore militiam profitentur. Alij em̃ sunt uelut Muscæ, qui propter ignauiam non sunt idonei ad gerendum bellum, sed tantum ad fœdanda, contaminanda, & deuastanda quæuis loca, ad quæ proficiscuntur. Notum em̃ est quibus sceleribus & flagicijs sordidatum sit hoc genus militũ, qui passim ad uexãdos agricolas obambulant. Hos si Muscas dixeris, minus dices, q̃ meriti sunt, sed recte eos appellaueris, erucas, uespas, & crabrones. Alij sunt uelut Apes. Hi sunt strenui & fortes milites, qui suscipiunt militiam, non ut prædentur, & miseros opprimant, sed ut hostes a ceruicibus patriæ depellant, sicut Apes, fucos ignauum pecus a præsepibus arcent. Præterea, cum Propheta ante promiserit regi Ahazo firmitatem regni sui, & tamen nunc uaticinetur futuram regni uastitatem, quæ & adhuc uiuente rege euenit, docet Deum fidelem quidem esse in promissis suis, incredulos autem & impios non frui promissis beneficijs. Manst regnum Iuda firmum, ad suum usq; tempus, iuxta promissionem Dei, imo manet adhuc firmum, propter Christum e Dauidis semine natum, perpetuo regnantem, Ahaz autem nullum cœpit fructum huius regni, quia fuit impius & incredulus. In Euangelio promittitur in Christo remissio peccatorum, uictoria mortis, & inferni. Hęc sunt certissima & firmissima. Sed his fruuntur soli hi qui credunt Euangelio, reliqui autem omnes pereunt, non promissionis aut Euangelij uitio: nihil enim Euãgelio certius est, sed suæ impietatis & incredulitatis uitio. Quare in diuinis promissionibus opus est fide, ut promissis beneficijs fruamur. Adhæc notabis Regem Assyriũ, qui uocatus erat ab Ahazo cõtra uerbum Dei, in auxilium, esse uastatorem & direptorem eius. Idem accidit postea Iudæis, qui inuocabant auxilium Romanorum Præsidum aduersus Christum & Apostolos eius. Sed hi defensores fiebant postea Iudęorum deuoratores. Accidit idem Heraclio Imperatore Constantinopolitano, qui

Milites alij Muscæ, alij Apes.

Promißio requirit fidem.

Defensores cur fiant deuastatores.

qui non contentus suis, ijsq; Christianis militibus, usus est auxilio Arabum & Saracenorum aduersus Persas. Sed hi hospites facti sunt perniciosissimi hostes totius Romani Imperij. Multa sunt id genus alia exempla, ex quibus hęc regula colligenda est, quod qui contempto uerbo Dei, & legitimo auxilio, quærit auxilia uel ab hominibus, uel ab opibus, uel ab alijs rebus, inueniat pro auxilio, exitium, & quos sperat defensores, eos reipsa comperiat oppressores & deuoratores suos. Hoc tempore Pōtifices quærunt præsidium aduersus professores Euangelij Christi, à Principibus, idq; contra uerbum Dei. Officium enim Pontificum est Euangelion Christi tueri, non persequi. Quid ergo fiet? Quos sperant futuros suos defensores, hi erunt uere omnis Pontificiæ amplitudinis oppressores. Priuati homines solent sibi nugis, imposturis, & aliquoties peiurijs congregare opes, ut his in rerum penuria, aut corporis sui imbecillitate iuuentur: Sed tales opes iniurijs quæsitæ magis sunt autores penuriæ & calamitatis, quam salutis & incolumitatis. Quod enim peccato partum est, nullā potest afferre benedictionē. Vbi enim est peccatū, ibi est certissima maledictio. Quare sectanda est iusticia, & siquidem iuste potes consequi aliena auxilia & opes, licebit uti: si autem non potes ea iuste consequi, fugienda est iniusticia, ne tibi pro auxilijs & opibus, oppressionem & paupertatem, adeoq; internecionem accersas.

CAPVT VIII.

ET DIXIT DOMINVS AD ME, SVME TIBI LIBRVM GRANDEM &c.

In principio septimi capitis uidimus regem, Principes, & incolas regni Iuda in magno metu fuisse, propterea quod duo reges, uidelicet rex Israel, & rex Syriæ conspirassent, & decreuissent, se familiam Dauidis e throno regio deiecturos, & alium pro suo arbitrio regem in Hierusalem creaturos. Esaias autem iussit incolas regni Iuda bene confidere, & consolatus est eos promissione Emanuelis, hoc est, Christi, quod etsi is nascitурus sit post aliquot centenarios ex uirgine, tamē conseruet etiā hoc tempore regnū Iuda, ne ab his duobus hostibus aboleatur. Sequitur nūc octauū caput, in quo Esaias idem argumentum tractat, et consolatur iterum meticulosos & trepidos ciues suos, ne propter institutum & incursionem horum duorum regum animos suos de regno suo despondeant. Cor enim afflictum, & exterritum indiget copiosa consolatione. Iubet igitur spiritus sanctus Esaiam ad consolādos incolas regni Iuda primum scribere cognomina & epitheta Christi in charta, ut quot-

quot ea legerint, concipiant fiduciam de conseruando regno Iuda, & de interituris hostibus eius. Deinde Esaias explicat ea clarius, quæ scripta sunt in charta coram testibus fide dignis, ut quæ literis mandata sunt, etiam uerbis explicata extent. Dixit (inquiens) DOMINVS ad me, ut intelligas, hæc quæ sequuntur, non esse uana somnia carnis, sed certissimum uerbum Dei, & uerissimam sententiam spiritus sancti. Quid ergo dixit DOMINVS? Sume tibi librum, tabulam, seu chartam magnam, & scribe in ea charta stilo humano, uel (iuxta aliam significationem nominis מגרש) ualido, & duro, ut sit sensus. Scribe in charta magnas literas, quæ ab omnibus legi, & non facile deleri queant, quemadmodum scribi & proponi solent hominibus leges in æs incisæ, & publica regum edicta. Quid autē scribendum est? Scribe hęc uerba, Lemaher schalal, chasch baz, (hoc est) accelera ad spoliā dum, festina ad prædandum. Vel sic: Velox spoliator: festinus prędator. Hoc scriptum publice proponendū erat, ut quotquot legerent, confirmarent animū suum, & cognoscerent ex his uerbis, quę erant diuina oracula, & publica Dei edicta, quod Christus etsi nondum natus erat, tamen uelociter ac cito oppressurus esset, ueluti festinus prædo, duos Reges, hostes domus Dauidis, & conseruaturus regnum Iuda. Nam quod literis mandatum erat, hoc Propheta coram testibus fide dignis perspicue, ut ea ferebant tempora, exponit. Sequitur enim, Et adhibui mihi testes fide dignos, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. Non dubito, quin is sit Vrias, qui tempore Ahaz regis, & Esaiæ Prophetæ summo pontificatu functus est, cuius fit mentio in quarto Regum decimosexto, qui & si fuit impius Pontifex, quod morem gesserit impio regi Ahazo in destruendo altari dominico, & extruendo altari Damasceno, tamen quia fuit summus Pontifex, & in altissimo religionis gradu collocatus, apte & commode adhibetur in publicum testimonium diuini oraculi, quod literis mandatum & publice propositum erat. Zachariam autem, qui in testem cum Vria coniungitur, puto fuisse patrem uxoris Ahazi, matris regis Ezechiæ. In secundo enim libro παραλειπομένων capite uicesimonono sic scribitur: Nomen matris Ezechiæ Abia, filia Zachariæ. Vel Leuitam de filijs Asaph. Nam & huius fit mentio in eodem loco. Surrexerunt, inquit scriptura, Leuitæ de filijs Asaph Zacharias, & Mathanias &c. Quanquam autem tantum hi duo, Vrias & Zacharias, dicuntur in testimonium a Propheta adhibiti, uidelicet, ut iuxta legem: In ore duum stet omne testimonium, tamen non intelligas hos tantum duos, sed potius præter eos, aliquot millia hominum audiuisse concionem Esaiæ, quæ sequitur. Hi

Vrias.

Zacharias.

tantum

tantum duo uocantur ad concionem tanquam publici testes, sed quia tam testes, quam concionator fuerunt Principes populi, dubium non est, quin ad hanc concionem conuenerit maxima ciuium multitudo. Quid ergo est, quod Esaias testificari uoluit? Accessi inquit, ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Quid? Propheta ne honestissimus & sanctissimus accessit & dormiuit publice inspectantibus summis Principibus tanquam testibus, cum prophetissa uxore sua? Absit hoc longissime. Prophetissa enim hoc loco non significat uxorem Esaiæ, aut alterius Prophetæ, nec ullam mulierem, quæ eo tempore uitam in terris egit, sed significat beatam Mariam Virginem, de qua supra dictum est: Ecce uirgo concipiet & pariet filium &c. Et, Accedere hoc loco non significat cum muliere dormire, sed significat uaticinari de uirgine, quod spiritus sanctus sit ad eam accessurus, & quemadmodum angelus loquitur, superuenturus in eam, & uirtus altissimi obumbratura ipsi, ut fiat prægnans, & pariat Christum filium Dei. Maria enim uirgo uocatur Prophetissa, non tam hoc nomine, quod composuerit carmen Propheticum, dicens: Magnificat anima mea Dominum, quam quod more Prophetarum impleta sit spiritu sancto, ut quemadmodum illi de Christo e spiritu sancto uaticinati sunt, ita ipsa Christum e spiritu sancto conciperet. Quod igitur Esaias dicit: Accessi ad Prophetissam, & concepit & peperit filium &c. hanc habet sententiam. Postquam uocaui Vriam & Zachariam in testimonium meæ concionis, exposui clare, quid sibi uelit scriptura antea publice proposita, uidelicet, quod spiritus sanctus suo tempore impleturus sit uirginem Mariam, ut concipiat & pariat Christum, cui iubet Dominus tribuere epitheton seu cognomen uelocis prædatoris, & festini spoliatoris, propterea quod antequam sciat uocare patrem & matrem suam, hoc est, antequam nascatur, efficiet, ut hi duo reges, hostes uestri, spolientur & opprimantur per regem Assyriorum, & regnum uestrum ab incursionibus eorum liberetur. Nam antea uocatus est Christus cognomine suo Immanuel, quod significat, Nobiscum Deus, ut confirmetis fidem uestram, & cognoscatis eum diuina potentia præsto adesse, ut etiam hoc tempore uos & regnum uestrum conseruet. Nunc autem uocatur, Velox prædator, & festinus spoliator, ut iterum confirmetis fidem uestram, & cognoscatis, quod sicut regnum uestrum clementer conseruat, ita potenter acuelociter spoliaturus, prædaturus, & oppressurus sit hostes uestros. Quare nolite minas eorum metuere, sed confidite in uenturum Christum, qui nondum homo natus, tuebitur uos magna clementia & maiestate. Quod autem Esaias dixit futurum de rege Israelis, & rege Syriæ,

Prophetissa.

Maria uirgo uocatur Prophetissa.

impletum esse scribitur, quarto Regum decimosexto, & decimoseptimo: Porro, quia Esaias non concionatur tantum suæ ætati & suis ciuibus, sed etiam posteritati, & uniuersæ Ecclesiæ, idcirco diligenter consideranda nobis sunt epitheta & cognomina, quæ hic tribuuntur Christo Domino nostro. Hæc enim exponunt officium & beneficia Christi. Primum ergo, Supra Christus dictus est Immanuel, hoc est, Nobiscum Deus, ut hoc cognomine significetur, Christum semper diuina potentia pijs adesse, & tueri eos in omnibus aduersis. Defendit regnum Iuda, in quo erat populus Dei, ab hostibus, priusquam assumpsit hominem, quomodo ergo non defenderet nunc populum suum, in omnibus afflictionibus, in morte, in doloribus inferni, aduersus omnem incursionem Satanæ, postquam uenit in hunc mundum, & assumpto homine, uicit morte sua, mortem & infernum? Quare, cum obruimur aduersis, meminerimus huius epitheti Christi, Immanuel, ut ex eo confirmemus fidem, & perseueremus in uocatione Dei. Deinde tribuitur Christo cognomen uelocis prædatoris, & festini spoliatoris, quia sicut quondam adiuuit populum suum uelociter, & prædatus est cito hostes eorum, cuius rei exempla extant in Pharaone, in Philistinis, in Syris, & alijs populi Dei aduersarijs, ita & coram nobis, qui in ipsum credimus, est uelox prædator, & festinus spoliator, quia inuocatus ex fide potenter, ac etiam uelociter opprimit hostes nostros, peccatū, paupertatem, morbos, mortem, infernum, adeoque Satanam ipsum. Non uidetur quidem nobis aliquoties, quod uelociter nos adiuuet, præsertim si calamitates in nobis augeantur, attamen si de auxilio & salute eius iudicauerimus secundum propositum animi eius, & certitudinem clementiæ eius, nihil uelocius fieri solet, quam auxilium, quod Christus in pios suos confert. Nihil enim certius est, quam quod Christus credentes in ipsum seruet in omnibus malis, & tribuat eis cœlestia ac perpetua bona. Nam quod uideatur pro humano iudicio differre liberationem, non est tarditas, sed clementia, ut beneficium, quod differt, augeat, & cumulatius compenset. Quare, proponamus nobis ob oculos fidei nostræ hoc epitheton Christi, Velox prædator, festinus spoliator, ut confirmemus animum nostrū, & sciamus opem Christi nunquam nobis defuturam.

Christi epitheta.

ET ADIECIT DOMINVS LOQVI AD ME, DICENS: PRO EO QVOD ABIECIT POPVLVS ISTE &c.

Hunc locum alij aliter exponunt. Sunt, qui putant Prophetam loqui de defectione decem tribuum a regno Dauidis, quemadmodum scriptum est tertio Regum duodecimo, & de deuastatione earum,

rum, quæ facta est per Salmanessarem regem Assyriorum, de qua scriptum est quarto Regum decimoseptimo. Alij existimant hoc, quod de inundatione in Iudam dicitur, impletum esse per Senacharibum, de quo in quarto Regum decimooctauo, & decimonono. Sed quia Propheta uersatur adhuc in eo bello, quod duo reges, Israelis & Syriæ susceperunt aduersus regnum Iuda, idcirco uidetur etiam de ijs rebus loqui, quæ eo tempore sub rege Ahaz in regno Iuda contigerunt. Esaias enim concionatus est antea pijs, & hortatus est eos, ut fiducia Christi bene de incolumitate regni confidant, nec metuant hostes: ita nunc inuehitur in impios & seditiosos regni Iuda, qui malebant suscipere hostes in reges suos, quam agnoscere regem de familia Dauidis. Nam quemadmodum hoc tempore, cum de Turcico bello tractatur, alij quidem terrentur, & cupiunt rebus, etiam magnis suis periculis, consultum: alios autem inuenias, in uulgo, qui gaudent aduentu Turcæ, & palã uociferari audent, se malle Turcam habere dominum & regem, quam hunc magistratum, qui modo rerum in Imperio Romano potitur: quibus hominibus, quid potest dici sceleratius, ac magis impium? Ita apparet in eo bello, quod reges Israelis & Syriæ susceperunt aduersum regem Ahazum, & regnum Iuda, alios quidem desiderasse periculum, quoquo modo potuerint, propulsare: uulgum autem incolarum, ac præsertim agricolas regni Iuda optasse, ut eiecta familia Dauidis e regio throno, dominarentur rex Israelis & rex Syriæ. Pertæsi enim regiæ familiæ Dauidis, maluerunt hostibus quam domesticis regibus seruire. Quare Esaias inuehitur in eos grauiter, & uaticinatur futurum esse, ut cum non uelint æquo animo ferre tranquillum genus regum, necesse habeant a turbulentis hostibus, maximis procellis iactari. Pro eo, inquiens, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ fluunt cum silentio, uel occulte & abscondite &c. Hieronymus in Esaiam scribit Siloam fontem esse ad radices montis Zion, qui non iugibus aquis, sed in certis horis diebusq; ebulliat, & per terrarum concaua & antra saxi durissimi cum magno sonitu ueniat, dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus prouincia. Hactenus Hieronymus. Existimo autem hunc fontem esse, cuius etiam fit mẽtio Ioan. ix. & Lucæ xiij. Porro Propheta intelligit metaphora huius fontis familiam Dauidis, idq; apte admodum. Nam Siloa, etsi magno sonitu uenit, tamen non semper fluit, sed certis diebus & horis: et si quando ebullit, non inundat totam terram, nec uastat agros, sed continet se in terrarum concauis & antris, ut sine cuiusquam periculo, ac pene abscondite fluat. Sic est & familia Dauidis, quæ ad gubernandum regnum Iudæ diuinitus sanctificata est. Etsi enim magna est

Siloa fons.

regum Iudę dissimilitudo, & alius alio clementior, alius alio magis pius fuit, tamen fuerunt reges tolerabiles, nec fuerunt hactenus nimis graues populo suo, sed gesserunt se in administratione regni modeste & abstinenter. Et tamen uulgus ciuium atq; incolarum, nouarum rerum cupidum, maluit externos habere reges, qui hostes erant, quam indigenam familiam Dauidis, quæ diuinitus ad imperium Iudæ ordinata fuit. Quid ergo accidet uulgo? Pro eo, inquit, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ uadunt abscondite, & assumpsit magis Rezim & filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet aquas fluminis fortes & multas. Metaphora multarum & fortium aquarum intelligitur rex Assyriorum, quēadmodum Esaias ipse interpretatur. Videtur autem, ut supra dixi, non de Senacheribo, sed de Tiglatpilnæzare loqui, qui initio fuit auxilio regi Ahaz, sed postea magnum exitium intulit regioni Iudæ. Sic enim dicit scriptura secundo Paralip. uicesimooctauo: Adduxit Dominus contra Ahaz Tiglatpilnæzarem regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistēte uastauit. De hac afflictione loquitur Esaias, & confert eam cum magnis aquarum inundationibus. Contemnitis, inquit, aquas fontis fluentis sine periculo. Quare Dominus puniet uestram ingratitudinem ac inobedientiam, & efficiet, ut maxima flumina inundent uniuersam regionem uestram. Non enim continebunt se intra alueum suum, sed diffluent extra ripas in totam terram: nec peruenient altitudine sua tantum ad talos aut genua hominum, sed ascendent usq; ad colla ipsorum, & extendent alas seu brachia sua tam lōge, quam late patet terra tua, o Emanuel. Hæc est descriptio eius exitij, quod regno Iudæ intulit exercitus Assyriacus, quemadmodum paulo ante indicauimus. Vertit autem se per apostrophen ad Emanuelem. Extendet, inquiens, alas suas, ut impleat latitudinem terræ tuæ, o Emanuel. Est enim sentētia: Tu quidem, o Christe (notum enim est Christū uocari Emanuelē, defendis & tueris regnum Iuda, sed tanta est uulgi impietas & ingratitudo, ut etiamsi regnum a te conseruetur, tamen fieri non possit, quin grauissimis calamitatibus affligatur, & tota regio deuastetur. Monemur igitur hoc loco, ut non simus studiosi nouarum rerum, nec affectemus illegitimam mutationem imperij, sed contenti simus præsenti magistratu diuinitus ordinato, et obsequamur ei iuxta nostram uocationem, ac mandatum Dei. Etsi enim in præsenti rerum statu non sunt omnia perfecte salua, & integra, hæc tamen tolerabiliora sunt, quam ea quæ secum afferunt seditiosæ mutationes rerumpub. Hæ enim plerunq; solent esse δυσκαταφόροι. Et, Nota mala, optima. Huc etiam pertinet, quod Salomō ait Prouer. xvi. Melius est parum cum iusticia, q̄ multi fructus cum iniquitate.

iniquitate. Et cap. decimoseptimo. Melior est buccella sicca cũ gaudio, quam domus plena uictimis cum iurgio. Deinde uides hic regnum Iudę uocari terrã Emanuelis, hoc est, Christi, ꝓpterea quod hæc terra propter Christũ data sit Iudęis, & in ea institutum regnũ propter Christum, uidelicet, ut promissiones de Christo in eo conseruarentur & prædicarentur usq; ad aduentũ Christi. Præterea dicta est terra Christi, quod Christus regnum in ea defenderit & conseruauerit. Nunc ergo cogita mihi ingratitudinem Iudæorꝝ. Cum enim uenisset Christus, ne tantillũ quidem terrę concesserunt ei in hac regione, ut esset ipsi proprius locus, in quo caput reclinaret. Filius, inquit hoīs, non habet ubi caput reclinet. Et tñ non grassatus est ferro in Iudęos, sed tulit ingratitudinem eorum patientissime. Discamus igitur hoc exemplo Christi patientiam in sufferendis iniurijs, ut si cum Christo patimur, cum ipso etiam glorificemur.

CONGREGAMINI POPVLI, ET VINCEMINI: AVDITE &c.

Postꝙ Propheta cõmemorauit impijs & sedicioſis ciuibus ac incolis regni Iuda, quæ pœna & quod supplicium eos maneat, quod malint hostibus, q̃ legitimis suis regibus subijci, reuertitur nũc ad consolandos pios, & ad confirmãdam fidem eorum, ne in tanta hostium multitudine & potẽtia de incolumitate regni, & de salute sua desperent, ac una cum sedicioſis, sese hostibus subijciant. Facit aũt ἀποσροφὴν ad hostes, & hortatur eos, ut oẽs suas uires in unum conferãt, ad expugnandũ populum Dei, in regno Iuda. Hortatur aũt eos nõ hoc cõsilio, quod serio iubeat eos inuadere populũ Dei, sed εἰρωνικῶς, aut potius ἀρκαστικῶς, ut possit hac figura loquẽdi casum & interitũ hostiũ conueniẽtius describere. Agite, inquiens, uos duo reges, congregamini, conferte uires uestras in unum, attñ uincemini. Non loquor autem tm̃ uobiscum duobus, sed cum omnibus hostibus & aduersarijs nostris, siue ꝓpinquis siue lõginquis, Idumęis, Philistinis, Assyrijs et Babylonijs. Audite, agite, sitis fortes, coniũgite oẽm potentiam uestram, inite consilia, decernite & constituite uos expugnaturos & deleturos populũ Dei, attñ tm̃ abest, ut promoueat uestrę institutũ, ut potius uos ipsi necesse habeatis perire. Hac simplici loquẽdi figura sic diceretur: Etiãsi oẽs hostes populi Dei conferant in unũ suas uires, suã potentiã & prudentiã, non tñ oppriment populũ Dei. Ecquę, obsecro, ratio est, quod aduersarij & hostes non queãt populũ Dei extinguere & opprimere? Addit Propheta: Quia Immanuel. hoc est, supra dixi Christum uocari Immanuel, q̃d est, Nobiscũ Deus. Quare quoad Christus uiuit & regnat, (uiuit aũt & regnat perpetuo) fieri nõ potest, ut populus eius ab aduersarijs opprimatur. Cõplectitur, n. et tuetur populũ suum,

iuxta Immanuelis cognomen, diuina potentia. Quis autem hominum, quis rex, quis Monarcha, imo quis angelus, quis archangelus posset diuinam potentiam extinguere ac delere? Magna hęc est consolatio, non tantum ciuibus Hierosolymitanis & incolis regni Iuda, temporibus Esaiæ, uerumetiam uniuersæ Ecclesiæ Christi proposita. Ecclesia enim semper suos habet hostes & aduersarios, tam carnales, quam spirituales. Alij persequuntur Ecclesiam gladio, alij impia doctrina. Quondam Iudæi & Gentes ad delendam Ecclesiam, tanquam ad extinguendum commune incendium, concurrebant. Deinde excitati sunt Hæretici, qui sua impia doctrina meditabantur exitium Ecclesiæ. His temporibus Turca, Pontifices & Sectarij cooriuntur aduersus Ecclesiam Christi, & cupiunt eam extinctam. Quid ergo faciamus? Cantemus carmen Esaiæ nostri: Congregamini populi, & uincemini. Inite consilium, & dissipabitur. Loquimini uerbum, & non fiet. Quia Immanuel, Christus uerus Dominus ac Deus noster, nobiscum est, & seruabit nos diuina sua potentia in omnibus malis. Quod de Ecclesia per Immanuelem seruanda dicitur, hoc etiam intelligēdum est de unoquoq; priuato membro Ecclesiæ. Nam qui tenetur desiderio accipiendæ salutis & liberationis in omnibus suis afflictionibus, hoc unum curet, ut sit membrum Ecclesiæ Christi. Qui enim est Ecclesiæ membrum, is habet a parte sua Immanuelem, hoc est, Christum uerum Deum, defendentem ipsum cœlesti potentia. Ideoq; recte cum Dauide canit: Si ambulauero in medio umbrę mortis, non timebo mala, quoniā TV mecum es. Et cum Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Efficimur autem et sumus ac manemus membra Ecclesiæ Christi, si cognoscimus piam doctrinam Euangelij de Christo, & credimus in Christum, ac sectamur uocationem Christi, ut non ambulemus iuxta carnem, sed iuxta spiritum. Non sunt membra Ecclesiæ Christi hi, qui contemnunt Euangelion & Sacramenta eius, qui nullam certam & firmam sectantur religionem, sed aut in uniuersum omnes religiones damnāt, aut omnes indiscriminatim probant, aut e singulis colligunt, quę sibi commoda, & probabilia iuxta humanam rationē uidentur. Hi non habēt Immanuelē. Nec sunt membra Ecclesiæ hi, qui seruiunt cupiditati peccati, & uiuunt in carne, ac sectantur quęuis scelera carnis. Hi cum sint impœnitentes, nec ipsi habent Immanuelem, nec possunt in aduersis bene confidere, sed necesse habent perire, nisi resipiscant. Quare agnoscamus Euangelion Christi per fidem, & obsequamur diuinæ uocationi, ut facti membra Ecclesiæ, habeamus Immanuelem defensorem & seruatorem.

HÆC AIT DOMINVS AD ME, SICVT

CVT IN MANV FORTI ERVDIVIT ME, NE IREM IN &c.

Pergit Propheta, imo Dominus per Prophetam, reprehendere impios, & consolari meticulosos, ut confirment animum suum, & bene de salute sua sperent, nec offendantur uel potentia hostium, uel multitudine impiorum ciuium. Postquam enim ciues regni Iuda audiuerunt duos reges Israelis & Syriæ conspirasse & coniurasse in exitium regni Iuda, & coniunxisse uires suas ad ipsum opprimendum, fracti sunt & debilitati non solum metu, uerum etiam de speratione, hoc unum semper in ore habentes, potentissimos reges aduersus se conspirasse, & se plane perijsse. Quare Esaias monet pios, ut non offendantur his uociferationibus impiorum, & non metuant potentiam aduersariorum. Hæc, inquiens, dicit Dominus ad me, & quasi apprehensa manu mea, duxit me a moribus impij populi, ac docuit me, ne sequar impietatem et incredulitatem eius. Moneo igitur & uos auditores meos, quotquot amplectimini studium pietatis, ut sequamini meum exemplum, & non metuatis conspirationem hostium, nec terreamini uociferationibus impiorum hominum. Hi enim, audita coniuratione & conspiratione hostium, semper in ore habent: Coniuratio, hoc est, præter modum exterrentur, ac de diuino auxilio desperantes, humana auxilia quærunt. Dicunt enim: En, conspirarunt aduersus nos potentissimi reges. Quis nos in tantis malis defendet? Cur non iungimus et nos fœdera cum alijs regibus? cur non conspiramus cũ rege Assyriorum, ut uiribus eius adiuti seruemur? Vides igitur, impios ciues non metuisse Dominum Deum suum, nec inuocasse auxilium eius, sed tantum metuisse coniurationem ac fœdera hostium suorum, ac cogitasse de fœderibus iungendis cum externis regibus, quorum ope tuti sint ab hostibus. Quid ergo faciant pij? Timorem eius, inquit, ne timeatis, neque paueatis. hoc est, Nolite sic metuere hostes, quemadmodum impij, & humana auxilia quærere. Quid igitur faciamus? Sequitur. DOMINVM Zebaoth ipsum Sanctificate, & ipse pauor uester, & ipse terror uester, & erit uobis in sanctificationem &c. hoc est, Nulla prorsus fit inter impios ciues mentio Immanuelis, & inuocationis Domini Dei nostri: sed metuunt tantum hostes, & inuocant humana auxilia. Ego uero ostendã uobis, quem metuere, & quem inuocare debeatis, DOMINVM Zebaoth ipsum Sanctificate, seu inuocate, & ipse sit pauor uester etc. Ex hoc loco cõcionatur Symeõ ad Mariã uirginẽ, apud Lucã cap. ij. & interpretatur hunc locum de Iesu Christo: Ecce, inquiens, positus est hic in ruinã, et in resurrectionẽ multorũ in Israel, & in signũ cui contradicitur. Cõcionatur etiã ex hoc loco Pe

trus in priori sua epistola capite secundo, & exponit similiter eum de Iesu Christo. Hic cœpit, inquiens, esse caput anguli, lapis offensionis, & petra scandali &c. Manifestum autem est, quod Esaias loquatur hic de uero DOMINO Deo Zebaoth, quem dicit fore lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel. Quare manifestum etiam est, quod Iesus Christus, interpretibus Symeone & Petro, sit uerus DOMINVS Deus Zebaoth, & quod Esaias hoc loco de Iesu Christo, quem DOMINVM Zebaoth uocat, loquatur. Etsi enim impij Iudæi non assentiuntur huic interpretationi, & dicunt nullam hic mentionẽ Christi seu Messiæ fieri, tamen nugæ illorum nihil ad nos pertinent. Nam spiritus sanctus non proposuit nobis Rabinos Iudæorum, ut agnoscamus eos interpretes Propheticæ scripturæ, sed proposuit nobis Apostolos, Hi sunt ueri interpretes scripturæ. De his dictum est: Qui uos audit, me audit. De his dictum est: Paracletus, qui est spiritus sanctus, quẽ mittet Pater nomine meo, docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Cum igitur Apostolica scriptura interpretetur hunc Esaiæ locum de Christo, sentiamus hanc interpretationem esse sententiam spiritus sancti, nec ullam aliam, quamuis angelicam, nobis agnoscendam esse. Dicit ergo Esaias. Non est quod metuatis confœderationem duorum Regum, hostium uestrorum. Hi non afferent regno uestro perniciem, sed metuite Christum, Sanctificate Christum, Credite in Christum, celebrate nomen Christi, obedite uocationi Christi (his enim cultibus sanctificatur Christus) ut consequamini per ipsum sanctificationem. Hic enim is est, qui affert credentibus in ipsum, ueram sanctitatem, iusticiam & salutem. Incredulis autem est extrema pernicies. Nam ut probe cognoscatis, quid propter Christum posteris uestris futurum sit, audite quid spiritus sanctus dicat. Hic erit in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel, hoc est, toti populo tam regni Iudę quam regni Israelis. Et erit in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalem, ut plurimi ex ipsis offendantur, cadant, conterantur, irretiantur, & capiantur. Sunt autẽ hæc impleta eo tempore, quo Christus assumpsit hominem, & prędicauit Euangelium suum in terra, quod & postea uulgauit per Apostolos in uniuersum orbem terræ. Primum enim Iudæi propter impietatem suam excæcati & obdurati sunt, & abiecti, ne sint amplius populus Dei, & nullam habeant ueram cognitionẽ consequendę iusticię ac salutis. Deinde e terra & regione sua, quam Deus Patribus ipsorũ dederat, & ipsi tempore aduẽtus Christi adhuc possidebant, ita eiecti ac expulsi sunt, ut in æternum nõ possint amplius eam recuperare. Itaq;, quia noluerũt uerũ Christum agnoscere, sed

potius

potius persecuti sunt eum, obruti sunt extremis tam corporis q̃ animę calamitatibus, ac necesse habuerunt perpetuo perire. Quod cum Esaias futurum uidet, admonet ciues Hierusalem, & reliquos incolas regni Iudæ, ut non metuant hostium fœdera: Hostes enim non possunt hoc regnum delere: Sed metuant Christum, qui in præsentia tueatur quidem externum ipsorum regnum, sed futurum sit tempus, quo gens Iudæorum sit propter ipsum a Deo abiicienda, & regnum eorum delendum. Si uero sanctificauerint eum, & crediderint in ipsum, ac sectati fuerint sacra uere pia, tunc sicut defendit nunc externum eorum regnum, ita etiam afferat ipsis sanctificationem, ut propter ipsum reputentur coram Deo sancti ac iusti, & conseruentur in morte, atq; consequantur cœleste regnum. Ex his docemur, quod ut semper, ita præcipue in periculis & aduersis confugiendum sit ad diuinum auxilium per Iesum Christum Dominum nostrum. Non est metuendus Turca, sed Christus: non est metuenda fames, sed Christus: non est metuenda uel pestis uel mors, sed Christus. Hũc, inquit, sanctificate. Is sit pauor & terror uester. Hunc si sanctificaueritis, erit & ipse uobis in sanctificationem. Nam quemadmodum Iudæi non solum consecuti essent regnum cœleste, sed etiam conseruassent regnum suum terrestre, si Christum sanctificassent, & credidissent in eum, ac dedissent in regno suo locum Euãgelio Christi: ita & hoc tempore possent Principes Germaniæ non solum in Christo consequi iustitiam coram Deo, sed etiam conseruare politicam suam dominationẽ aduersus incursiones Turcicas, si sanctificarent Christum, & aperirent portas regionum suarũ Euangelio Christi. Nunc autem quia alii persequuntur Christum, alii ludibrio eum habent, alii non curant eum, interim uero metuunt aduersariorum fœdera, ineunt & ipsi inter se fœdera, colligunt de subditis pecuniam, conscribunt exercitus: aut ne hæc quidem faciunt, sed ocioſi & ignaui stertunt, uix optare, ne dum sperare possumus, Germaniæ statum diu saluum & incolumem fore. Sed nec hoc oscitanter est prætereũdum, quod Esaias Christum ita describat, ut dicat eum aliis esse sanctificationem, aliis autem lapidem offendiculi, petram scandali, ruinã, & laqueum &c. Hoc Petrus in priori sua epistola capite secundo interpretatur. Vobis, inquiẽs, precioſus est, qui CREDITIS: Sed iis, qui NON CREDVNT, Lapis est, quem reprobauerunt ædificantes, & tamen cœpit esse caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, his qui impingunt in sermonem, neq; credunt in id ad quod instituti fuerant. Hæc certe de Christo diligenter sunt cognoscẽda, nõ tm̃ hoc nomine, quod nostri officium sit, ut in hac tota corporali uita in id solũ studiũ incũbamus, quo uerã

Christus metuendus.

Christus quis hominibus.

Christi cognitionem adsequamur, quam quod ea, quæ Prophetæ de Christo concionantur, sunt præcipuus scopus Prophetarum, & quod cognitio Christi sit æterna uita. Hæc enim (inquit) est æterna uita, ut cognoscãt te uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Christus igitur, quemadmodum in hoc Esaiæ loco describitur, alijs est sanctificatio, alijs offendiculum, alijs contritio. Sunt enim tria hominum genera in terris, quorum singulis Christus ita propositus est, ut unumquodq; genus suam a Christo reportet retributionem. Vnum genus est piorum, seu credentium. Alterum, impiorum, sed honestorum. Tertium impiorum, sed inhonestorum, & sceleratorum. Nam quartũ hominum genus, uidelicet eorum, qui iactãt se recte credere, & tamen interim scelerate uiuunt, nullum habet locum, quippe quod impossibile sit recte credere, & in sceleribus uiuere. Dicamus ergo, quid Christus singulis fiat. Ac primo quidem generi hominum, hoc est, pijs & credentibus Christus est SANCTIFICATIO. Initio enim sanctificat credentes, propterea quod qui in ipsum credunt, fiant membra eius. Itaq; participant sanctitatem & iusticiam eius, ut propter ipsum reputentur corã Deo tam sancti & iusti, quam si totam legem perfecte impleuissent, quemadmodum Christus eam impleuit. Vnde & Paulus uidetur de Christo ex hoc loco ad Corinthios ita scripsisse. Iesus Christus factus est a Deo nobis sapientia, iusticiaq; & sanctificatio & redemptio, ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino (hoc est, in Christo, quod ipse solus sit sanctificatio eius) glorietur. Hoc incõparabile est beneficium, quo solo possumus constare in iudicio Dei, uincere mortem, euadere flammas inferni, & in cœleste regnum ingredi. Deinde est SANCTIFICATIO credentium, propterea quod tribuat credentibus spiritum sanctũ, quo etsi non possunt in hac uita facere opera legis perfecta, tñ faciunt opera Deo grata propter Christum, & in hoc studium incumbunt, ut accommodẽt omnia membra sua ad sanctum usum Dei. Faciunt & hypocritæ bona opera. Faciunt etiam prudẽtes & honesti huius seculi multas bonas uirtutes. Sed nec horum uirtutes nec illorum opera sunt uera & perfecta iusticia, & quia carent Christo, non possunt ipsi cum operibus aut uirtutibus suis Deo ita placere, ut agnoscat ipsos hæredes cœlestis regni. Soli autem pij, credentes in Christum, sunt sanctificati, per Christum, ut placeant Deo, & recipiant cœlestis regni hæreditatem propter Christum. Alterum genus hominum est impiorum, qui tamen honestam ducunt uitam, quales fuerunt inter Iudæos Scribæ, Pharisæi & hypocritæ, inter Christianos Monachi, sacrificuli, & alij religiosuli, aut politici, honesti homines: quanquam etiam inter Monachos

Hominum tria genera.

Christus qui bus sit sanctificatio.

nachos & ſacrificulos inuenias homines longe omnium ſceleratiſſimos. Nos autem nunc de honeſtis dicemus. Quid ergo his fit Chriſtus? Lapis, inquit, offenſionis, petra ſcandali, & ruina. Hi & ſi commendatione dignum eſt, quod ducant honeſtam uitam, tamen non conſequuntur ueram iuſticiam, & ſalutem. Nõ enim credunt in Ieſum Chriſtum, ſed offenduntur in eo, Primum, quia docet aliam iuſticiam, quam legis, Dicunt ergo: Quid? Si homines iuſtificantur tantum per fidem, quis deinceps dabit operam honeſtati uitæ, ſecundum legem Dei? Deinde, quia Chriſtus crucifigitur, & obijcit etiam credentes in ipſum cruci atq; afflictionibus, Dicũt ergo: Quid? Si hæc eſſet uera iuſticia, quę datur per fidem, quomodo eſſet tam afflicta, tam contempta in hoc mundo? Hoc eſt offendi in Chriſto & iuſticia eius. Et qui ita offenduntur, hi cadunt, ruunt, & conquaſſantur. Omnis enim, qui ceciderit, inquit Chriſtus, ſuper lapidem iſtum, confringetur et cõquaſſabitur, Non aſſequitur iuſticiam, non peruenit ad legem iuſticiæ. Propter quam cauſam? quia non ex fide, inquit Paulus, ſed tanquam ex operibus legis. Impingunt enim in lapidem offendiculi &c. Tertium genus hominum eſt, impiorum, eorumq; inhoneſtorum & ſceleratorum, quales multi fuerunt inter Iudęos & Ethnicos, & adhuc multi ſunt inter Chriſtianos. Quid ergo his fit Chriſtus? Laqueus quo capiãtur & irretiantur, & lapis, quo opprimuntur & cõteruntur. Super quem, inquit, ceciderit lapis, cõminuet illum, & conteretur. Sicut enim hypocritæ offenſi hoc lapide, cadunt ſuper illum, & cõquaſſantur: ita hic lapis cadit ſuper ſceleratos, et conterit ipſos. Chriſtus enim eſt horribilis Iudex aduerſus omnes impœnitẽtes ſceleratos, qui cum non requirunt Chriſtum, ſed pergunt præfracte in ſuis ſceléribus, nõ poſſunt grauitatem diuinæ irę ſuſtinere, ſed neceſſe habent ab ea opprimi & perire. Hæc de Chriſto diligenter ſunt cõſideranda, ut diſcamus ueram pietatem, & ueros Dei cultus facere. Primum enim, cum Chriſtus prædicatur eſſe Sanctificatio, confirmatur fides piorum, ut ſciant ſuam iuſticiam in ſolo Chriſto ſitam eſſe. Deinde admonentur & impij, ut diſcant Chriſtũ timere, et aut in ipſo ſolo quærãt ſanctificationẽ, aut ſciant ſe ab ipſo opprimendos & conterendos. Poſtremo hæc concio de Chriſto medetur offendiculo, quod ex paucitate credentium in Chriſtum, & multitudine impiorum oriri ſolet. Maxima enim eſt multitudo impiorum in hac terra, qui Chriſtum aut ignorant, aut contẽnunt, aut perſequũtur. Reliqui aũt, qui agnoſcũt Chriſtum pia fide, ſunt pauciſsimi, & abiectiſsimi, adde etiam afflictiſsimi & miſerrimi omnium hominum. Poſſet igitur rerum diuinarũ imperitus cogitare, quod is leſus non eſſet uerus Chriſtus, propterea quod tam pauci in ipſum

Matt. 21. Luc. 20.

Rom. 9.

credũt. Sed respondet Propheta, Christum esse quidem sanctificationem, sua natura, sed fieri duabus domibus Israel, & ciuibus Hierosolymitanis, hoc est, præstantissimis & sanctissimis hominibus offendiculum, & ruinã, propter ipsorum impietatem. Quare, cum uidemus multos & magnos homines contẽnere aut persequi Christum, nõ admiremur, nec offendamur, sed reuocemus in memoriam, quod Esaias de Christo concionatus est, esse uidelicet ipsum lapidem offensionis & petram scandali &c.

LIGA TESTIMONIVM, SIGNA LEGEM IN DISCIPVLIS MEIS &c.

Sicut epistola Petri docet ea, quæ præcedunt de Domino Zebaoth, qui sit in sanctificationẽ, et in lapidem offensionis ac petram scandali, intelligenda esse de Christo seruatore nostro, ita epistola ad Hebr. cap. ij. docet ea quæ mox sequũtur: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dñs &c. intelligenda esse ab ipsomet Christo de se & discipulis ac credentibus in ipsum dicta. Cum igitur in eodem sermonis contextu, & in eadem persona etiam hoc dicatur, Liga testimonium, signa legẽ in discipulis meis &c. sentiendũ est, quod & hęc necessario dicantur a Christo Dño nostro. Postq̃ em̃ Esaias cohortatus est auditores suos, ne timeãt duos reges, hostes suos, qui non possint delere regnum Iudæ, sed timeant potius Dñm Zebaoth, qui est Christus: Hic enim est lapis, quo posteri ipsorum propter incredulitatem ita offendẽtur & conterentur, ut tam terrestre q̃ cœleste regnum amittant: Erit, inq̃iens, in petram scandali duabus domibus Israel, & in laqueum & in ruinam habitantibus Hierusalem, Hæc, inquam, cum Esaias ciuibus Hierosolymitanis concionaretur, & cohortaretur eos ad fidem in Christũ, admiratur & cogitauit secum: Quis ergo suscipiet Christum fide sua, si est offendiculum Israelitis, & ruina ciuibus Hierosolymitanis? Sperauimus fore, ut cũ Christus adueniret, susciperetur obuia manu ab omnib. Israelitis, ac præcipue a ciuibus urbis Hierusalem, quæ est metropolis totius gentis, in qua est templũ Dei, atq̃ aula regia. Nunc aũt dicit spiritus sanctus, Christum fore his maxime oĩm offendiculo, ut cadant & conterantur. Quis ergo crediturus est in eum? Ad hoc respondet nunc Christus ipse. Et quia Christo oĩm tam cœlestium q̃ terrestrium genua flectenda sunt, idcirco Esaias audiens Christum ipsum loqui, cedit ei obedienter. Nã cũ Propheta antea hęc uerba: Dñm Zebaoth ipsum Sãctificate etc. quasi in sua persona de Christo recitauerit, nunc quasi de suggesto descendit, & dat Christo locum, ut concionem eius etiam ipse audiat. Quid ergo concionatur Christus? Liga, inquit, testimoniũ, signa legem &c. Hac concione exponit Christus, qui sint in ipsum crediturí. De hac enim re cogí

tauerat

tauerat Propheta. Per teſtimoniū autem (quo alias ſignificatur Decalogus, Exo. xxv. & xl.) & legem, non eſt hoc loco intelligenda lex Moſi, ſed Euangelion Chriſti, quemadmodum & ſupra cap. ij. per legis uocabulū intelligitur Euangelion. Etſi. n. maximum eſt diſcrimen inter Euangelion Chriſti, & legem Moſi, quod hæc operetur iram & occidat, illud aūt operetur gratiam & uiuificet, tñ quia temporibus Prophetarum nondum aduenerat Chriſtus, nec reuelatū erat Euangelion Chriſti, Prophetæ ſolent nomine teſtimonij ſeu Decalogi & legis ſignificare Euangelion Chriſti, ſicut & alias ſolent uerbis ſuorum temporum, & ſuorum mūdanorum regnorum deſcribere res Euangelij ac regni Chriſti. Quod ergo dicit Chriſtus hoc loco, habet hanc ſententiam. Etſi plurimi Iſraelitæ & ciues Hieroſolymitani offendentur in me, & cadēt, tamen reliqui erunt inter ipſos nonnulli pij, qui mei erunt diſcipuli, & in quibus teſtimonium & lex ligabitur & obſignabitur, hoc eſt, a quibus meum Euangelion recipietur, & in quibus ſigillo ſpiritus ſancti ita confirmabitur, ut magna fide ipſum amplectantur & toto corde ei adhæreant. Non eñ cogam quenquā uiolenta manu, ut in me credat, & Euangelion meum agnoſcat, non agam terrenum Monarcham, ut compellam homines externis uiribus ad præſtandā Euangelio meo obediētiam: ſed expectabo Dominum, qui minatur ſe abiecturum & excęcaturū Iſraelitas propter incredulitatem eorum, & præſtolabor eum, ut quoſcunqꝫ uel ex Iudæis, uel ex gentibus Deus Pater meus mihi adduxerit ſpiritu ſuo, & dederit mihi, eos recipiā & ſeruem ad æternam uitam. Hoc profecto plane illud eſt, quōd Chriſtus poſtea homo factus his uerbis apud Matthæum, cap. xi. dicit: Gratias ago tibi Pater Domine cœli & terrę, quod abſcōderis hęc a ſapientibus & prudētibus, & reuelaris ea paruulis. Et ca. xiij. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum. Hoc eſt plurimos ac præcipuos, uidelicet ſapientes & prudentes, offendi, & conteri: in diſcipulis autem, qui ſunt paruuli, pauci & abiecti, ligari ac ſignari. Et apud Ioannem ca. ſexto: Omne quod dat mihi Pater, ad me ueniet, & eum qui uenerit ad me nō eñcio foras, quia deſcendi de cœlo, ut faciam non quod ego uolo &c. Hoc prorſus illud eſt quod hic in Eſaia dicitur: Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam a domo Iacob. hoc eſt, qui excæcauit impios Iſraelitas: & præſtolabor, hoc eſt, non cogam auditores meos uiolenter pro more Monarcharum huius terræ, ut meo Euangelio obediant. Non enim deſcendi de cœlo, ut meam faciam uolūtatem, & ſuſcipiam regnum carnale, quale homines affectare ſolent, ſed expectabo & præſtolabor Dominum Patrem meum. Quos ille mihi dederit, & ſpiritu ſancto ſuo adduxerit, hos ſuſcipiam tuendos

Ecclesia conseruatur à Christo.

& conseruandos. Ex hoc loco docemur primum, quod & si maxima semper sit multitudo impiorꝝ, non tamen metuendum est, ne Christus non habeat & conseruet suam Ecclesiam. Non credũt in Christum multi potentes & prudentes, at credunt in eum pauci abiecti, & qui uidentur coram mundo imprudentes, Cuius rei exemplũ habes in iij. Reg. xix. Cum enim Elias existimaret se solum in terra de Ecclesia Dei superstitem esse, audit: Dereliqui mihi in Israel septẽ millia uirorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal. Vide etiam epistolam ad Rom. cap. xi. Hoc idcirco obseruandum est, ut non existimemus Ecclesiã Christi periisse, cum uidemus omnia externa populi Dei ornamenta diripi ac concidere. Fingamus, & si futurum minime speramus, fingamus tamen, Turcam nõ solum in Asiæ & Aphricæ, uerumetiam Europę, hoc est, totius terræ regionibus tyrannidem occupaturum. Quid? num periret Ecclesia? Minime omnium, Christus caput Ecclesiæ semper cõseruat sua membra, semperq; habet in hac terra Ecclesiam usq; ad nouissimum diem. Dixit enim: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Deinde non offendamur paucitate credẽtium in Christum, quemadmodum paulo ante diximus. Fieri enim non potest, quin hi qui sunt imbecilles in fide, offendãtur, & cogitent fortasis hunc Iesum non esse uerum Christum, cum considerauerint non solum multitudinem Iudæorum eum condemnasse, uerumetiam potentissimos & sapientissimos in toto orbe terrarum doctrinam eius persecutos esse, & adhuc persequi. Sed huic offendiculo medetur Christus ipse non solum in Euangelio suo, uerumetiã hoc loco in Propheta Esaia, in quo dicit plurimos offendi, in paucis autem suis discipulis Euangelion suum consignari diuinitus. Præterea, cũ Christus dicit, se expectare ac præstolari Dominũ, hoc est, se eos recipere, quos dederit ipsi pater cœlestis, partim docet regnum suum non esse de hoc mundo. Si enim externam dominationem in mundo exerceret, non expectaret, donec Dominus de cœlo adduceret ipsi hoĩes, sed cogeret eos externa sua potẽtia, quemadmodum reges mundani, ad obediẽtiam. Partim admonet nos, salutem nostrã non constare humana prudentia, sapientia, uirtutibus ac meritis, sed sola diuina clemẽtia. Non est, inquit, uolentis, nec currentis, sed miserentis Dei. Hęc idcirco nobis commemorantur, non ut peccemus, sed ut in agnitione peccatorum bene confidamus. Videmus enim nulla esse merita nostra. Quare confugiẽdum est ad solam misericordiam Dei, quę nobis in Iesu Christo filio Dei reuelata & commendata est.

Paucitatis offendiculũ.

ECCE EGO ET PVERI MEI, QVOS DEDIT &c.

Pergit Christus filius Dei concionari de discipulis suis. In hac autem

autem concionis parte, primum significat se hominem assumpturum. Epistola enim ad Hebræos, hunc locum tanto spiritus sancti acumine inspexit, ut perspicue doceat, Christum his uerbis concionari, se humanæ carnis participem fore. Sic enim scribit capite secundo. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Posteaquam igitur pueri commercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorūdem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Hoc autem non est ociose cogitandum, sed in usum trāsferendum, ut non solum sciamus a Prophetis prædictum esse, filium Dei suscepturum humanam carnem, uerumetiam collaturum eum cœlestia sua beneficia in oēs illos, qui credūt in ipsum, ut sicut ipse particeps est humanę carnis & sanguinis, ita qui humanam habēt carnem & sanguinē, & credūt in ipsum, participes fiāt uictoriæ eius, quam ex morte & Diabolo reportauit. Deinde, dicit discipulos suos fore inter homines signa & portenta. Hoc intelligendum est, partim de insigni maiestate Apostolorum, quam edendis miraculis in nomine Christi inter homines pios consecuti sunt, & qua omnibus fuerūt summæ admirationi: partim de summo odio, quo eos impij prosecuti & execrati sunt. Eritis, inquit, odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Et iterum: Veniet tempus ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Et Paulus: Spectaculum facti sumus mūdo & angelis & hominibus. Ac mox: Veluti piacula mūdi facti sumus, omnium reiectamentum ad hunc usque diem. Hoc certe stupendum est portētum ac miraculum, quod qui sunt uerę & perpetuę salutis ministri, habeātur autores omnis maledictionis in terra. Partim etiam intelligēdum est de paucitate credentium in Christum. Mirandum enim portentum est, quod cū Christus tam diligenter fuerit a Prophetis adnūciatus, & postq̄ ueniisset, tantis miraculis testatus sit suam maiestatem, tam pauci tamē in ipsum crediderint. Itaq̄ Propheta in alio loco nomine Apostolorum exclamat: Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Medetur & hoc uaticinium offendiculo, ne existimemus Iesum ideo non esse Christum, quod pauci Iudæi in eum crediderint. Nam si maxima Iudæorum multitudo agnouisset eum, nō fuissent signum & portentum. Hoc autem portentum est, quod tam pauci crediderunt in eum. Postremo prædicantur hoc loco perspicue tres personæ in una diuina natura. Sic enim habet textus: Ecce (hic sum) ego & pueri, quos dedit mihi Dominus ad signa & portenta in Israel, a DOMINO Zebaoth, qui habitat in monte Zion. Hæc enim uerba loquitur filius Dei, quemadmo-

Apostoli sunt signa & portenta.

Trinitatis testimonium.

dum docet epistola ad Hebræos, de quo ante dictum est, ut Petrus exponit, DOMINVM Zebaoth ipsum sanctificate, & erit uobis in sanctificationem &c. Habes igitur unam personam in diuina natura. Dicit autem filius Dei, quod dederit sibi pueros Dominus. Hęc est alia persona in diuina natura, uidelicet, Pater. Deus enim Pater dat filio suo homines. Omne, inquit, quod dat mihi Pater, ad me ueniet. Et iterꝝ: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Ad extremũ additur: A DOMINO, uel cũ DOMINO, uel per DOMINVM Zebaoth. Hæc est tertia persona in diuina natura, uidelicet spiritus sanctus. Quos em̃ Deus Pater dat filio suo, eos dat cum spiritu sancto. Hęc est perspicua concio de Trinitate, ut cognoscas, quod non solum Apostoli, uerumetiam Prophetæ clare de tribus personis in una diuina natura prædicauerint. Nam quod adijcitur: Qui habitat in Zion, significat unitatem diuinæ naturæ, in tribus personis. Pater enim habitauit in Zion, quia reuelauit se uerbo suo in propiciatorio, quod erat in Ziõ, & instituit illic sacra sua. Filius habitauit in Zion, quia adumbratus fuit sacris in Zion, & prædicatus fuit ibi promissionibus. Pręterea cum assumpsisset hominem, prædicauit ipse in Zion Euãgelium suum, & edidit in eo loco multa miracula. Spiritus sanctus habitauit in Zion, quia cum in Zion adnunciatę sint promissiones de Christo, & facta sint sacra adumbrantia Christum, fuit spiritus sanctus per hæc efficax in pijs. Accedit huc, quod & in Zion effusus sit spiritus sanctus super credentes in die Pentecostes. Quare recte dicitur in Zion habitasse.

ET CVM DIXERINT AD VOS, QVÆRITE A PYTHONIBVS &c.

Doctrina impia cauenda.

Cum Christus antea cõcionatus sit de discipulis suis, quod ipsi soli ac etiam pauci cognituri essent mysterium regni sui, & creditури Euangelio suo, nunc hortatur eos, ut caueant ab impia doctrina Scribarum & Pharisæorum. Vtitur autẽ uerbis & rebus, tempore Esaię, per quem hanc concionem habuit, consuetis, ad significãdos impios illos doctores, qui futuri erãt temporibus Christi & Apostolorum eius. Nam quibus temporibus Esaias docuit Ecclesiam Dei, nõdum notum erat uocabulum Pharisæorꝝ, sed Pythonũ, magorꝝ, ariolorꝝ, & diuinorꝝ, de quibus habetur Leuit. xix. Et Deut. xviij. Et quãta erat impietas doctrinæ Pythonum & magorꝝ, tanta etiã erat impietas doctrinæ Scribarꝝ & Pharisæorꝝ. Quare Scribæ & Pharisęi recte uocabulis Pythonũ & magorꝝ describuntur. Cum dixerint, inquit, ad uos, Quęrite a Pythonibus &c. Qui fuerint Pythones et diuini, exposuimus in Leuitico. Pythones enim sunt, qui uel afflati dęmone uaticinantur, quale fuit oraculum Delphicũ, uel

Pythones. Diuini.

excitant

excitãt mortuos, ut ab ipsis cognoscãt, quæ uolunt, qualis fuit mulier illa, quę in primo Samuelis libro cap. xxviij. dicitur Samuelem excitasse Sauli. Diuini autem, quos Hebræus Iideonim uocat, sunt qui uaticinãtur osse inter dentes accepto, uel qui e terra uocem oraculi edunt. Hos & alios magos multo plus consulebant uulgus Israelitarum, quam uerbum Dei, & horum monitis magis obsequebantur, quam prȩceptis Dei. Quare, cum hoc genus uaticiniorum sit impostura Satanę, lex Dei grauissime prohibet, ne quis ea sectetur, sed audiat Prophetã illum, quem Deus sit missurus, qui est uerus Messias, quemadmodum Deut. decimooctauo scriptũ est. Ex Messia ẽm petenda est omnis benedictio, non ex oraculis & respõsis Satanæ. His ergo uocabulis describit Christus impietatem doctrinæ Pharisaicæ, & hortatur discipulos suos, ut cum Principes & uulgus Iudæorum iubent ipsos sectari potius doctrinam Pharisaicam, quam doctrinam Euangelij, caueant diligentissime, ne obediant. Nam quod hic in Esaia dicitur: Cum dixerint ad uos, quærite a Pythonibus &c. prorsus illud est, quod Christus in Euangelio dicit: Cauete uobis a Pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium etc. Et iterum: Videte & cauete a fermento Pharisæorum & Saducęorũ. Ac rursus: Cauete a Scribis qui amant stolati obambulare &c. Sed si ab his cauendum est, ad quos est accedẽdum? & qui sunt audiendi? Sequitur. Nunquid non populus Deum suum requiret? Pro uiuis ne ad mortuos? Ad legem & testimoniũ. Cum Christus antea cœperit loqui de Pythonibus & diuinis, qui excitabant mortuos, & quęrebant ex ipsis oracula, pergit nunc in eodem genere sermonis, faciens mentionem mortuorum, quos illi de rebus interrogabãt, intelligit autem Scribas ac Pharisęos & doctrinam eorum. Et hæc est sententia eius. Vos discipuli non debetis audire & sectari doctrinã Pharisaicã, Sed audite Deũ ipsum. Necesse, n. est ut populus Dei Deum suum audiat. Quomodo, n. cõueniret, ut qui profitetur se cultorẽ ueri ac uiui Dei, audiat & sectetur potius mortuos, q̃ Deũ uiuũ? Deus aũt uiuus manifestauit se lege sua & testimonio (noĩe aũt Testimonij significatur Decalogus. Exo. xl. & xxv.) Quare qui uoluerit uera audire oracula, is audiat legẽ Dñi Dei sui. Sed quo remittit nos lex Dei? Docet quidẽ opera iustissima, sed quia nullus hoĩm potest ea implere, idcirco remittit nos ad Prophetã, q̃ est Messias. Prophetã, inqens, suscitabo eis, IPSVM audies. Is est Propheta ille, ĩ quẽ respiciũt Lex, Testimoniũ, Decalogus, cultus Leuiticus, & oĩa prophetica uaticinia. Quid aũt fiet ei, q̃ hũc Prophetã nõ audierit? Ego, inqt Dñs, ultor existã. Et in hoc Esaiæ loco: Si non dixerint uobis iuxta uerbũ hoc, nõ erit ei lux matutina, hoc est, si aliud uerbũ prędicauerit q̃ uerbũ

Vide Diodorum Siculum de origine Delphici oraculi.

Matt. 7.

Matt. 16.

Mar. 12.

Meſsiæ, nullam afferet lucem, nullam fœlicitatem, ſed conſciet auditorem in extremam cæcitatem, & horribiles tenebras. Tranſibit, inquiens, per eam. hoc eſt, uagabitur in terra, corruet, eſuriet, indignabitur, maledicet regi & Deo, ſuſpiciet ſurſum ac deorſum, nuſquam inueniet auxilium & liberationem, ſed ubiq; erunt tenebræ, anguſtiæ, afflictiones, ex quibus non liberabitur. Hęc omnia impleta ſunt, & adhuc implentur, in impijs ludæis, qui Chriſtum abiecerunt. Docemur autem ex hoc loco primum, non eſſe aliam ſalutis doctrinam, præter Euangelion Ieſu Chriſti. Ad hanc doctrinam uocant nos Patriarchæ, Lex & Prophetę. Quare fugienda eſt omnis doctrina Ethnica, hęretica, Mahumetica, Sophiſtica, Monaſtica & anabaptiſtica. Deinde monemur, ut fugiamus oracula & reſponſa mortuorum, & quos ita uocant, Spirituum. Inter ludęos fuerunt Pythoniſſæ, quę excitauerunt mortuos, ut reſponſa darent. Inter Chriſtianos ſunt coniuratores, qui adiurant ſpiritus uagantes & tumultuoſos. Et hi ſpiritus ſolent reſpondere, ſe eſſe animas hominum, ac mirifice torqueri igni purgatorio, poſſe autem redimi, ſi nomine ipſorum recitentur uiginti aut triginta Miſſæ pro peccatis. Hæc ſpiritum oracula ſunt fugienda. Etſi enim negari non poteſt, quin ſpiritus excitẽt aliquoties tumultum, & adiurati edant uocem, tamen hi ſpiritus non ſunt animæ hominum mortuorum. Nam ſi quis obdormiſcit in Chriſto, anima eius uiuit cum Chriſto in cœlis, & non uagatur in terra. Si autem quiſpiam mortuus fuerit in incredulitate, anima eius uincta eſt cum Satana, catenis nectis in Tartaro, uſq; ad nouiſsimum diem huius ſeculi. Cum enim impij ſint membra Satanæ, manifeſtum eſt, quod etiã una cum Satana reſeruẽtur in Tartaro ad iudicium. Quare non eſt ſentiendũ, quod animæ hominum obambulent poſt mortem in terris. Quid ergo ſunt ſpiritus illi tumultuoſi? Sunt mera Satanæ ſpectra, ideoque nec ſunt metuenda, nec reſponſis eorum fides habenda. Etſi enim Satan eſt potentiſsimus ſpiritus, tamen ſine uoluntate & permiſſu Dei ne pilum quidem de capite hominis mouere poteſt. In tertio libro Regum capite uiceſimo ſecundo non poteſt Satan decipere Prophetas Ahab, niſi ante accepta poteſtate a Deo. In Iobe, nihil detrimenti poteſt inferre uel facultatibus uel corpori Iobis, niſi impetrata a Deo poteſtate. In Euangelio non poteſt nocere porcis, niſi Chriſtus ei permittat. Ex quibus manifeſtum eſt, quod poteſtas Satanæ ſubiecta ſit diuinæ poteſtati. Quare non eſt metuendus Satan, ſed metuendus eſt DOMINVS Deus noſter, ut aut non ſinat Satanam in nos ſæuire, aut ſi ſuo quodam conſilio relaxauerit Satanæ frenos, defendat ac tueatur nos clementer. Nam quemadmodum ferus aper non eſt metuendus, ſi

Spirituum reſponſa fugienda &c.

1. Pet. 2.

Matt. 8.

coercitus

coercitus forti catena, teneatur ab homine uiribus prestantissimo, & qui possit fortitudine sua apri feritatem cohibere, metuendus aut conciliandus potius est homo ille, ne aprum liberum dimittat: ita & Satan continetur in manu ac potestate Domini Dei nostri lõge omnium fortissimi, adeoq; omnipotentis. Non est igitur timendum, ne Satan nobis noceat, sed curandum est, ut habeamus placatum & propicium Deum, quo protectore tuti sumus, ne uel grassetur Satan, uel si grassatur, non possit nocere. De responsis autem Satanæ manifestum est, quod non debeamus eis fidem adhibere. Satan enim mendax est, & pater mendacis. Et quanquam fieri possit, ut aliquam ueritatem recitet, tamen abutitur ea ad decipiendum & perdendum. Quare oracula eius omnino fugienda sunt. Præterea describitur in hoc loco pœna impietatis, ac supplicium, in quod falsa doctrina homines conijcit. Non erit, inquit, ei lux matutina. Prima enim pœna est cęcitas. Secunda, casus & ruina ex cæcitate in omnia genera flagitiorum. Tertia, esuries, seu fames, quia qui sectantur falsam doctrinam, indigent quidem uera iusticia, nõ possunt autem eam in sua falsa doctrina assequi. Quarta, indignatio. Cum enim impij non inueniunt ueram iusticiam, non possunt habere pacem conscientiæ, ideoq; excitantur ad iram & indignationem, ac fiunt blasphemi aduersus Deum & homines. Proscindunt conuicijs tam Deum quam regem, hoc est, nec diuinæ nec humanæ maiestati parcũt. Si ad Iudæos a Deo abiectos respexeris, non inuenies inter ipsos, nisi uirulenta conuitia aduersus Deum, & regem ipsorum, hoc est, aduersus Christum Dominum nostrũ. Si ad alios impios respexeris, & si non semper manifeste inuehuntur in Christi nomen, tamen ōdio habent eum in corde suo, & blasphemant eum cogitationibus suis. Quinta est, Desperatio. Suspiciet, inquit, sursum & deorsum, sed nusquam inueniet auxilium. Quare sequitur perpetuus interitus. Hæc est pœna, hoc est supplicium, in quod inducit homines falsa & impia doctrina. Nihil igitur maiori studio curandum est, quam ut fugiamus falsam doctrinam, & sectemur solam ueram doctrinam Euangelij Domini nostri Iesu Christi.

Doctrinæ falsæ pœna.

CAPT IX.

PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST TERRA ZABVLON &c.

Quæ ab eo loco, quo dictum est, Liga testimoniũ, signa legem in discipulis meis, commemorata sunt, usq; ad hæc uerba: Primo tempore alleuiata est &c. sunt concio Domini nostri Iesu Christi,

qua exposuit doctrinam Euangelij sui a paucis discipulis susci pien dam esse,& admonuit, ut nullam aliam doctrinam,præter Euange lion ipsius agnoscamus. Ad legem, inquiens, & ad testimonium. Lex autem nõ retinet homines apud se, sed ablegat eos ad Prophe tam, Messiam. Dicit enim: Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus Deus tuus, IPSVM AVDIES. Hic Propheta est Messias seu Christus Dominus noster. Quare non est alia doctri na,quæ nobis ueram affert salutẽ,prçter doctrinam Christi. Nunc autem succedit iterum Esaias in locum Christi,& suscipit concionẽ eius non iam Christi sed suis uerbis recitandam: ac perseuerat in eodem argumẽto,quod Christus ante tractandũ susceperat. Cum enim ante dictum sit,solam Christi doctrinam esse sectãdam,per/ git nunc exponere in qua regione Christus initio sit docturus Eu/ angelion suum, & quem fructum doctrina eius sit allatura. Pri/ mo,inquiens,tempore,alleuiata est terra Zabulon &c. Non igno ro,quid Hebræi interpretes de sententia horum uerborũ scribant. Etsi autem licebit aliquoties ex Hebræis interpretetibus significan tiam uocabulorum petere,quanquam & in hac re plurimum hallu cinari soleant,tamẽ spiritus sanctus non proposuit nobis Hebrços scriptores pro certis interpretibus ueræ sententiç sacræ scripturæ, sed proposuit Apostolica scripta: Hi sunt cõmentarij,ex quibus ue ra Prophetarum sententia petẽda est. Matthæus igitur Apostolus & Euãgelista, descripturus initium concionum & miraculorũ Iesu Christi,sic ait: Iesus secessit in Galilæam,& relicta Nazareth,pro/ fectus habitauit in Capernaũ,quæ est ciuitas maritima, in finibus Zabulõ & Neptalim,ut impleretur quod dictum fuerat per Esaiã Prophetam dicentem: Terra Zabulon et Neptalim iuxta uiam ma ris,ultra Iordanem,Galilæa gentium. Populus qui sedebat in tene bris &c. Hic perspicue uides,quod interprete Matthço,aut potius spiritu sancto,Esaias uaticinatus sit hoc loco,in qua regione Chri/ stus inchoaturus sit prædicationem Euangelij sui. Quod ergo hic dicitur,sic legendum est. Primo tempore contempta habita est ter/ ra Zabulon & terra Neptalim. Nouissimo autem tempore glorifi cata est uia maris trans Iordanem, Galilça seu confinium gentium. hoc est. Etsi regio maritima,quæ est trans Iordanem,in qua sita est ciuitas Capernaũ, initio multis tẽporibus reputata est uilissima & cõtemptissima,siue quod pateat incursionibus gẽtium incircunci/ sarç,quæ sunt ei finitimç,siue quod hoĩes illius regiõis imitati sint mores gẽtium propter uicinitatẽ: siue quod quemadmodũ hç duæ tribus Zabulõ & Neptalim fuerũt prç reliquis tribubus Israel ob scurç,ita regio earç habita est obscura et contẽpta: siue quod nullus unq̃ excellẽs Propheta ex ea regiõe exortus sit. Dicunt.n. Phariseí

ad

ad Nicodemum: Scrutare & uide quod a Galilæa Propheta non surrexit, attamen in nouissimis tẽporibus, cum aduenerit Messias, hæc regio illustrabitur maxima gloria, & fiet longe omniũ clarissima. Quomodo ergo hoc fiet? Sequitur: Populus, qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. hoc est, Incolę huius regionis fuerunt hactenus obruti magnis tenebris. Non uiderunt, qua sit eũdum ad iusticiam, & uitam. Postq̃ autem uenit Christus, primi omniũ fuerunt, qui uiderũt lucem Euangelij, & miraculorum eius. Christus enim inchoauit in ea regione prædicationem Euangelij sui, edidit in ea prima sua miracula, & selegit ibi Apostolos suos. Circumibat (inquit Mattheus) totam Galilæam, docens in Synagogis illorum, ac prædicans Euangelium regni, & curans omnem morbum, & omnem languorẽ in populo. Hic iterum uides, quanto spiritu Esaias illustratus fuerit, quod non solum cognouerit Christum uenturũ, & prædicaturum Euãgelion suum, sed etiã in qua regione, adeoq; etiam in qua parte regionis inchoaturus sit Euangelij sui prædicationem. Vnde putas eum hoc hausisse, nisi ex ipso spiritu sancto? Fortassis nõnihil adiutus fuit ex eo loco, qui est in Psal. lxvij. Principes Iuda, duces eorum, Principes Zabulon, & Principes Neptalim. Et Psalmo lxxxviij. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Sed indicare annis ante circiter septingẽtis, tam certam regionem, in qua Christus concionẽ Euãgelij sui & miracula sua inchoaturus sit, hoc demum uenit ex singulari & insigni spiritus sancti reuelatione. Hoc autem reuelatum est Prophetæ non tãtum propter suos auditores coætaneos, ut confirmarent fidem suam, ne in incursione duorum hostium regis Israelis & regis Syriæ desperarent de salute sua, & de aduentu Christi: Minabãtur enim hi reges, se famiIiam Dauidis, ex qua uenturus erat Christus, deleturos: uerumetiam reuelatum est ei propter nos ac uniuersam Ecclesiam Christi, ut cum uidemus etiam hac in parte impletum esse in Iesu filio Mariæ uirginis, quod Esaias prædixit, certo cognoscamus hũc solum esse uerum Messiam. Vnde existimo non sine diuina dispensatione factum esse, quod Iudæi ipsi testificati sint coram Pilato, Iesum exorsum esse prædicationem suam in Galilæa. Commouet, inquiunt, populum docens per uniuersam Iudęam, exorsus a Galilęa usq; ad hunc locum. Voluit enim Deus hoc clamore Iudęorum admonere pios huius prophetici dicti, ut sciant impiorũ etiam testimonio hoc uaticiniũ de Christo in Iesu impletũ esse. Deinde uides hic quæ sit uera regionũ salus. Galilęa fuit quidẽ tẽporibus Esaiæ obscura, & ab alijs Iudęis qui uel in Hierusalẽ, uel in finitimis locis habitabant contempta, temporibus autem Iesu Christi fuit illustris regno, & Matt. 4

multis atq; claris urbibus, & tamen incolæ eius dicuntur hoc loco ambulare in tenebris, & habitare in regione umbræ mortis, donec illustrantur luce Euangelij Christi. Nihil enim iuuãt regionem uel opes, uel muri, uel arces, uel regna, uel principatus, si caruerit luce Euangelij. Quod si uero hanc lucem habeat, nihil est quod possit ei deesse. Sola enim hæc lux est, qua homines fiunt coram Deo illustres, & consequuntur ueram fœlicitatem &c.

MVLTIPLICASTI GENTEM, NON MAGNIFICASTI LÆTICIAM &c.

Dixit doctrinam Christi, quæ uera lux est, exorituram initio in Galilæa, Nunc concionatur de successu huius doctrinæ: Multiplicasti gentem, non magnificasti læticiam, hoc est, Etsi Iudæorum gens multiplicata est diuinitus iuxta promissionem dictam ad Abrahamum, tamen cum uenturus est Christus, & prædicaturus Euangelion, paucissimi adhibebunt ei fidem. Gens est multa, sed nõ erit magna lætitia eorum, quia pauci credent Euangelio, & consequentur pacem ac læticiam conscientiæ suæ. Hoc significat Matthæus, cum scribit Christum exprobrasse ciuitatibus Galilææ, in quibus editq; fuerant plurimq; uirtutes ipsius, quod non pœnituisset eos scelerum &c. Visum autem est spiritui sancto, ut hoc prædiceret, quo muniret imbecilles aduersus offendiculum. Cum em̃ uenisset Iesus, & prædicaret Euangelion, pauci Iudæi crediderunt in ipsum constanter. Potuissent igitur imbecilles existimare, quod hic Iesus non esset uerus Christus, propterea quod tam pauci Iudæi susceperint Euangelion eius. Sed huic offendiculo medetur spiritus sanctus, cum per Prophetas suos testatur, multos quidem fore Iudæos in aduentu Christi, sed paucos agnituros Christum per fidem & consecuturos in ipso salutem. Quid ergo? num quia multitudo Iudæorum irritabitur magis ad uirulenta odia aduersus Christum, quam excitabitur ad læticiam, & gaudium conscientiæ, reliqui pauci, qui crediturí sunt, manebunt in tristicia sua, quam habẽt ex peccato, morte, & horroribus inferni? Minime omnium. Afficientur quidem tristicia impij, seu increduli, Pij autem, & credentes in Christum lætabũtur, inquit, coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant uictores &c. Hæ sunt duæ similitudines, quibus Esaias exponit gaudium, quod pij ex Euangelio Christi concipiũt. Vna est: Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Lætitia piorum est coram Domino, nõ coram hoc mundo. Non est carnalis lætitia sed spiritualis, & tamẽ adumbratur per eam læticiam, quam habent hi, qui colligunt messem. Hanc messis læticiam ignorant, qui ex certis uiuunt censibus ac redditibus, & consumunt totos dies ac noctes in conuiuijs. Hi ducunt uitam in carne securam,

Matt. 11.

Lætitia piorum.

nec

nec metuunt ulla pericula, propterea quod nec sudent, nec algeant ad consequenda alimenta, nec possit eis grando aut alia frugum calamitas ullum afferre incommodum. Qui autem necesse habent in sudore uultus sui, & ex agricultura parare sibi alimenta, hi initio multum suscipiunt laboris ad colēdos agros: deinde magno tenentur metu, ne fruges uel nimia siccitate, uel nimia humiditate, uel æstu, uel frigore, uel grandine, uel erugine, uel incursionibus hostium, uel alijs pestibus pereant. Cum igitur fruges, ueniente messe, euaserint omnia pericula, & congregātur in horreum, dici non potest, quanto gaudio afficiatur agricola, ut qui coram uideat, colligat, & secure reponat fructum laboris sui. Sic etiam lætantur pij, cum audiunt prędicationem Euangelij Christi. Senserunt enim hactenus in se grauissimum onus peccati, & metuerunt pericula mortis ac inferni. Postquam autem reuelatur eis Euāgelion Christi de remissione peccatorum, uidēt peccatum esse expiatum, & mortem uictam. Quare mirifice lætantur, ut qui intelligant se ex inferis ad cœlum emersisse. Vnde & Christus ipse reuelationē Euangelij sui uocat Messem. Messis, inquit, copiosa, operarij autem pauci. Et iterum: Ecce dico uobis, attollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem etc. Altera similitudo est: Sicut exultant uictores capta præda, quando diuidunt spolia. Est & uictorum ingens gaudium. Nam priusquam milites ineunt prœlium, & cum adhuc incertus est exitus belli, uersantur in summo periculo, & metuunt non suæ tantum uitæ, sed etiam saluti patriæ, coniugum, & liberorum. Postquam autem hostes uicti sunt, & uictoria parta est, ac uictores prædam diuidunt, tanto uicissim gaudio perfunduntur, quanto antea metu tenebantur, uidenturq; sibi non mortem tantum euasisse, uerum etiam maximam fœlicitatem consecuti esse. Sic exultant & hi, qui accipiunt Euangelion Christi per fidem. Habent enim potentissimum & astutissimum hostem, principem huius mundi, diabolum, qui pollicetur quidem his, qui tradunt se ipsi captiuos maximam fœlicitatem, meditatur autem in eos æternam captiuitatem, æternos carceres & cruciatus. Hoc est periculosissimū bellum, nō quidem, ut Paulus ait, aduersus carnē & sanguinē, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mūdi dominos &c. Cum aūt pij accipiunt Euangelion Christi per fidem, reipsa sentiunt diabolum uictum esse, & Christum duxisse de ipso triumphum. Quare maiori lætitia afficiuntur, coram Deo in conscientia sua, quam uerbis comprehendi aut explicari potest. Sed Propheta ipse addit causam, propter quam pij maximam lætitiam ex Euangelio Christi concipiunt: Quia superasti (inquit) iugum oneris eius, & uirgam humeri eius, & sceptrū exactoris eius,

ſicut in die Midian. Primum, manifeſtum eſt ex iſs quæ præcedũt, & quę ſequuntur, Eſaiam loqui de uictoria, non terreni cuiuſdam Monarchæ, ſed Meſsiæ ſeu Chriſti. Nã quæ antecedunt, de Chriſto dicta ſunt, quemadmodum indicauimus. Similiter & quæmox ſequuntur, non poſſunt niſi de Chriſto intelligi. Quare etiam hęc pericopa, quæ in medio continetur, de Chriſto intelligenda erit. *Fides una.*

Deinde, etſi temporibus Eſaiæ Chriſtus nondum aſſumpſerat hominem, tamen Eſaias utitur uerbis præteriti temporis, uidelicet: Non magnificaſti, Superaſti. Et paulo poſt: Paruulus natus eſt nobis &c. non tantum ut ſignificaret aduentum Chriſti eſſe certiſsimum, uerumetiam ut doceret uictoriam Chriſti, quæ ſemel in cruce & morte parta eſt, tàm pertinere ad eos, qui fuerunt ante aduentum eius in carnem, quam ad illos, qui ſunt poſt eius aduentum. Dauid enim, & Eſaias, & Ezechias, & alij pij, non minus ſalutis ex Chriſto acceperũt, quam Petrus, Ioannes, Paulus, & alij diſcipuli. Ideoq; Chriſtus fuit illis Patriarchis & pijs ante aduentum ſuum perinde ac ſi iam ueniſſet, & impleuiſſet ea, quæ promiſſa erãt. Credimus, inquit Petrus, nos ſaluos fore per gratiam Ieſu Chriſti, quẽadmodum & illi. Et Paulus: Biberũt omnes de ſpirituali petra, quę eos comitabatur, petra autem erat Chriſtus. Et: Abraham exultauit ut uideret diem meũ. Vidit & gauiſus eſt. Vna igitur eſt fides, una uia ſalutis, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrũ. Præterea, quia hic eſt ſermo de uictoria Chriſti, manifeſtum etiam eſt, quod non fiat ſermo de externa & carnali uictoria, qualem Alexander Magnus ex Dario, aut Scipio Aphricanus ex Hãnibale reportauit, ſed de ſpirituali & cœleſti uictoria, propterea quod regnum Chriſti non ſit de hoc mundo. Quare obſcurum iam non eſt, quod Iugum & uirga & Sceptrum hoc loco non ſint intelligẽda de corporali ſeruitute aut oppreſsione, qualis fuit Iſraelitarum in Ægypto, ſed de ſpirituali. Iugum enim oneris, de quo hic fit ſermo, eſt lex Moſi, ſicut & Petrus in concilio Hieroſolymitano ait: Neq; nos, neq; patres noſtri potuerũt portare iugum &c. Vocatur autem iugum oneroſum ſeu moleſtũ, & importabile, quod exigat ea, quę nos non poſſumus humanis noſtris uiribus præſtare. Exigit dilectionẽ Dei ex toto corde. Exigit dilectionem proximi, ſicut noſtri ipſorum. Nos autem natura propter peccatũ ita corrupti ſumus, ut non poſſimus his legibus perfecte ſatisfacere. Dicit enim Paulus: Affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deũ, quia legi Dei nõ ſubditur: Siquidem ne poteſt quidem. Lex igitur grauius onus eſt, quam quod ferre queamus. Ac ciuilia quidem onera, & ſeruilia iuga, nõnunquam duriſsima ſunt, tamen quia ſunt externa & corporalia, habent ſuum terminum, nec poſſunt animam deprimere uſque ad *Iugum.*

infernum,

infernum. Iugum autem & onus diuinæ legis est spirituale, & deprimit homines ad æternos cruciatus, quia ostendit peccatum, ostendit iram Dei, maledicit, occidit, & damnat omnes homines. Nihil igitur hoc onere grauius. Sed bene habet, Christus superauit hoc onerosum iugum, quia soluit legem Mosi a ceruicibus nostris, & abrogauit eam. Quomodo? num ita abrogauit eam, ut liceat nobis peccare? Nequaquam. Sed quia uidit nos non posse legem Mosi aut Decalogum seruare, donauit nobis suam iusticiam, & dat spiritum sanctum, ad mortificandam carnem, & ambulandum in uocatione Dei. Hæc est uera legis abrogatio, qua fit, ut lex nullam habeat amplius aduersus nos accusationẽ, quia si credimus in Christum, non sumus amplius sub lege, sed sub gratia. Non aũt debemus hæc tantum auribus haurire, sed multo magis memori mente tenere, ut sciamus his in grauissimis tentationibus uti, et per ea ueram nostram salutem in Christo datam conseruare. Ponamus quendam peruenisse ad agnitionem peccatorum suorum, uel ex positione legis, uel grauitate supplicij. Hic sistitur ad tribunal Dei, & accusatur, quod horribiliter peccauerit, & nunquam impleuerit legem Dei, ideoque dignissimus sit, qui tradatur æternæ morti & maledictioni. In his angustijs pio succurrit hæc concio Esaiæ, in qua prædicatur Christum superasse onerosum iugum legis. Refutat enim accusationem, quod etsi peccauit, & non impleuit legem, tamen non sit propterea tradendus morti & damnationi æternæ, quia Christus aboleuit legem, & donauit in locum iusticiæ legis, suam perfectam iusticiam, ut iam is qui credit in Christum, non sit sub lege, sed sub gratia, ideoq; lex nullum habeat ius accusandi ipsum & damnandi. Deinde sequitur Virga humeri, qua uidelicet humeri percutiuntur & dolore affliguntur. Hoc cognomine iterũ lex Mosi seu Decalogus significatur. Nam quemadmodum hi qui propter scelera sua merentur ejci e ciuitate, solent publice uirgis per plateas urbis usq; ad portas cẽdi & expelli: quo supplicio significatur eos indignos esse, qui habeãt in repub. illa locũ, ita Lex seu Decalogus, uirga est, qua homines ejciuntur e cœlesti ciuitate. Cum enim lex inueniat omnes homines obnoxios peccato, non solum flagellat ipsos, uerumetiã iudicat ipsos indignos, qui fruantur contubernio cœlestiũ ciuium. Nec ullus est hom̃, qui possit hanc uirgam ab humeris suis excutere: Omnes enim peccauerunt, nec est, qui possit peccata expiare sua ipsius iusticia. Quid ergo? num manendum nobis est perpetuo extra ciuitatem Dei? Siquidem respicias tuam ipsius iusticiam, non potes effugere uirgam, qua carnifex humeros tuos plectit: Sed si respicias Christum, perspicuum est ex hac concione Esaiæ, quod Christus superauerit uirgam hu-

Iugum Legis est spirituale

Virga huius meri.

meri. Aboleuit.n.legem, & ademit ei ius accusandi omnes eos, qui in ipsum credũt. Lex enim exaggerat quidem peccatum, Sed Christus expiauit peccatum. Minatur mortem & infernum, sed Christus uicit mortem, & penetrauit per infernum, ad perpetuã uitam & fœlicitatem. Quare si uirga legis affligit humeros nostros, & conatur nos eiicere e consortio cœlestium ciuium, appellandum est ad Christum per fidem, qui tantum abest, ut sinat credentes in ipsum iudicio legis e cœlesti regno expelli, ut potius legem ipsam abroget. Postremo additur, Sceptrum exactoris, quo uocabulo iterum significatur Lex Mosi aut Decalogus. Sceptrum enim exactoris est baculus, quo exactor utitur, ut impellat ignauos seruos ad perficienda opera sua. Lex autem congruenter dicitur baculus exactoris, quod exigat ab hominibus opera perfectæ iusticiæ, & si ea non præstiterint, infligit ipsis æternum dolorem, & impellit eos in ignem inferni. Hic baculus impendet omnium hominum cernicibus, quia nullus seruauit legem perfecte. Quare omnes homines impelluntur ad infernum, qui est perpetuus nexus sceleratorum. Ergo ne omnes sunt damnati? Recte: si seueritatem legis considéraueris. Sed gratia Domino Deo nostro, qui dedit nobis Christum filium suum, qui superauit hũc baculum exactoris. Christus enim suscepit hunc baculum in se, quia tradidit sese maledictionibus & supplicijs legis, ut baculum frangeret, ac pedibus conculcaret, quo non posset homines deinceps in infernum impellere. Sed quomodo, inquies, superauit Christus ista? & quomodo reportauit ab ipsis uictoriam? Sequitur: Sicut in die Midian. Nota est historia in libro Iudicum capite septimo, quomodo Gideon superauit Midianitas. Midian enim & Amalec, & omnes Orientales populi fusi iacebant in ualle, ut locustarum multitudo. Cameli autem innumerabiles erãt, sicut arena, quę iacet in littore maris. Et tamen Gideon reportauit ab ipsis insignem & admirabilem uictoriam, cum haberet secum trecentos tantum comites. Reportauit autem eam, non armis, non gladijs, non alabardis, Sed tantum buccinis & lampadibus. Sic etiam Christus superauit suos hostes, Satanam, Legem, Peccatum, Mortem & Infernum. Buccina enim est prædicatio Euangelij. Confractæ autem Lagenæ, & lampades, sunt passio, crux & mors Christi, post quæ secuta est resurrectio, & diuulgatio Euangelij eius in totum orbem terræ. Sicut enim lagenis confractis apparuerunt lampades, ita postquam Christus passus est, illustrata est maiestas eius per resurrectionem & diuulgationẽ Euãgelij. Hęc sunt arma, hi sunt gladij, quibus Christus superauit aduersarios suos. Hic non est humanus, sed diuinus modus uincendi hostes. Quare audiamus diligenter buccinam Euangelij,

Sceptrum exactoris.

Buccina Euangelij.

Iſi, & credamus Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, ac re ſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtri, ut uictoria eius perpetuo fruamur.

QVONIAM OMNIS VIOLENTA PRÆDATIO &c.

Deſcribitur aliud beneficium, quod Chriſtus in Eccleſiam ſuam confert. Omnis, inquiens, uiolenta prædatio, quæ fit tumultu, & ueſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtionem & cibum ignis. hoc eſt, Omne bellum finietur & abſumetur in aduentu Chriſti. Quod enim dicit, Violenta prædatio cum tumultu, & ueſtimentum mixtum ſanguine, periphraſis eſt belli, in quo ſolent fieri tumultuoſæ rapinæ, & cruenta prælia. Hæc erunt in combuſtionem cibi ignis, hoc eſt, redigentur in cinerem, ſeu accipient finem. Significat ergo Propheta, nullum amplius bellum, nullam rapinam, nullum cruentum prælium fore. Et addit cauſam, quia Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum eius. Hoc eſt unum è præcipuis dictis huius Prophetæ, quod & maiores noſtri tanti fecerunt, ut commendauerint ipſum Eccleſiæ publico carmine. In die enim feſto natalis DOMINI, cum Eccleſia conuenit ad audiendam hiſtoriam & beneficia natiuitatis CHRISTI, pueri & adoleſcentes ſolent Eccleſiam hoc carmine: Puer natus eſt nobis &c. magno gaudio excipere. Quare debemus hoc dictum amare & conſeruare. Ac initio, dubium non eſt, quin de CHRISTO dictum ſit. Quæ enim ſequuntur epitheta, nulli hominum poſſunt conuenire, præterquam Domino noſtro Ieſu Chriſto. Deinde Propheta ſic loquitur, perinde ac ſi concionatus eſſet de natiuitate Chriſti, in ipſo die eius natali, aut poſt eum diem. Non enim inquit, Puer naſcetur, ſed Puer natus eſt nobis, ut ſignificet nihil certius eſſe futurum, quam Chriſtum ſuo tempore naſciturum, & ut doceat, quod pij ante natiuitatem Chriſti, non minus beneficiorum a Chriſto acceperint, quam hi, qui ſunt poſt natiuitatem eius. Etſi enim Chriſtus nondum fuit carne natus temporibus Patriarcharum & Prophetarum, tamen fuit his natus promiſsionibus, fide, & fructu beneficiorum eius. Præterea, cum dicit, quod in aduentu & natiuitate huius pueri omne bellum finiendum ſit, recte intelligendum erit. Fuit quidem tanta externa pax temporibus natiuitatis Chriſti, ſub Octauiano Auguſto, ut Eccleſiaſtici ſcriptores expoſuerint hos & ſimiles locos de ea pace, quæ tunc fuit in uniuerſo pene Romano Imperio. Sed quia pax minime fuit diuturna, nec fuerunt per hanc pacem omnia in uniuerſum bella ſublata, idcirco, quod dicitur de

Pax temporibus natiuitatis Chriſti.

bellis finiendis tempore natiuitatis CHRISTI, intelligendum erit pro ratione regni CHRISTI. Perspicuum enim est, quod regnum CHRISTI non sit de hoc mundo. Quare perspicuum etiam est, quod non fiat præcipue sermo de mundano, sed de spirituali bello & pace. Nam quemadmodum alias dicitur, quod tempore CHRISTI non erit ultra in terra uastitas & contritio, nec erit ultra mors: Ero mors tua, inquit, o mors: nihilominus tamen homines adhuc moriuntur post natiuitatem CHRISTI, sicut antea mortui sunt. Quare quod de ablata uastitate & morte dicitur, intelligendum est de spirituali uictoria, quam CHRISTVS reportauit ex morte, ut omnis qui credit in ipsum non moriatur inæternum: ita hic dicitur, omne bellum finiendum natiuitate Christi, cum tamen post natiuitatem eius non minori insania & furore bella gerantur, quam antea: Sed sentiendum est Christum hoc modo sustulisse bella, quod non propaget regnum suum externo bello, sicut solent reges mundani sua imperia propagare: & quod sustulerit inter gentes & Iudæos natiuum dissidium, ut iam non sit amplius respectus apud Deum, uel circumcisionis, uel præpucij, quemadmodum Paulus docet Ephes. secundo: Ipse, inquiens, est pax nostra &c. quodque etiam reconciliauerit nos æterna pace, cum Deo Patre suo, ut quotquot in ipsum credunt, fruantur perpetuo beneficijs cœlestis pacis. Ante Christum enim cognitum, ac fide acceptum, homo semper gerit bellum cum Deo, habet hostilem animum erga Deum, odit Deum, & execratur eum, ac uicissim Deus est hostis hominis propter peccatum, quod maximo semper odio prosequitur. Postquam autem uenit Christus, omnia pacata sunt. Christus enim expiauit peccatum. Quare Deus tanto fauore complectitur hominem in Christum credentem, ut adoptet eum in filium. Hæc est summa pax, qua nihil potest homini iucundius accidere. Iustificati, inquit Paulus, ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Deinde pij interpretes adnotarunt & hoc, quod Propheta diserte addat NOBIS: Puer, inquiens, natus est NOBIS, & Filius datus est NOBIS, uidelicet significans Christum, non sibi tantum, sed Nobis natum esse, & nobis attulisse cœlestia beneficia. Multi sunt qui uerbis confitentur, Christum natum esse, sed non credunt, Sibi ipsis Christum esse natum, quia non quærunt in eo remissionem peccatorum, sed in meritis operum suorum. Alij non quærunt in ipso cœlestia bona, sed prergunt præfracte terrenis suis bonis ac uoluptatibus inhiare. Danda igitur est opera, ut Christum non tantum natum, sed etiam NOBIS natum esse credamus, ac beneficijs eius fruamur. Obseruatur & illud, quod dicitur

citur esse DATVS. Nos enim non sumus meriti Christum, sed datus est nobis ex gratuita Dei misericordia. Non quod nos, inquit Ioannes, dilexerimus eum. Sed ipse prior nos dilexit &c. Sed & hoc notatur, quod dicitur Puer & Filius, ut alterum referas ad humanitatem, alterum ad diuinitatem Christi. Christus enim non est tantum puer hominis, sed etiam filius Dei. Postremo, cum additur: Factus est principatus super humerum eius, distinguitur ab omnibus mundanis regibus & Monarchis. Nam mundani Monarchæ non gestant principatum super humeros suos, sed reiciunt onus gubernandi in humeros suorum seruorum, consiliariorum, & officialium, ipsi autem fruuntur honore, dant operam uenationi, aut alijs uoluptatibus. Quod si etiam inueniras pium & diligentem Monarcham, qui omnem curam & operam suam conferat ad iustam gubernationem, nec quicquam officiorum, quod in ipso est prætermittat, tamen regna politica & mundana non possunt per unum solum hominem administrari, sed necessarij sunt serui, & officiales, qui in ijs locis, in quibus reges non possunt esse præsentes, regijs officijs fungantur. Nec unus tantum homo potest bellum gerere aduersus hostes, sed necessaria est opera militum & equitum. Itaque principatus & administratio regni mundani, magis est imposita in humeros alienos, quam in proprios humeros regis. CHRISTVS autem talis est rex, quod principatus impositus sit super ipsius solius humeros. Ipse enim solus est, qui regit, gubernat & conseruat Ecclesiam suam. Ipse solus est, qui bellum gessit cum Satana, Morte & Inferno, & reportauit uictoriam. Ipse solus est, qui expiauit peccatum. Non habuit ullum adiutorem, sicut mundani Principes habere solent. Bellicas laudes (inquit Cicero) solent quidam extenuare uerbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriæ sint Imperatorum, & certe in armis, militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuuant. Gubernatio autem & Victoria CHRISTI cum nullo hominum communicari potest, nec quicquam rerum creatarum adiuuat ipsum. Habet quidem ministros, qui nomine eius adnunciant Euangelion, & quos Paulus uocat, cooperarios. Sed nisi ipse semper præsto adfuerit, & incrementum dederit, nihil est, neque qui plantat, neque qui rigat. Vnde & ait: Ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Non est igitur sentiendum quod CHRISTVS deseruerit Ecclesiam suam, & constituerit in locum suum, uicarium, Romanum Pontificem, sed sicut Propheta ait, Principatus eius est super humerum ipsius. So-

lus enim ipſe portat in humero ſuo, ſolus ipſe conſeruat & tuetur Eccleſiam ſuam perpetuo, a quo etiam ſolo omnis ſalus noſtra petenda eſt.

ET VOCABITVR NOMEN EIVS &c.

Commemorantur epitheta & cognomina Meſsiæ. Sicut enim Principibus mundanis ſui tribuuntur tituli, & epitheta, ut ex ipſis cognoſcantur maieſtas, & uirtutes eorum, ut Iuſtinianus Alemanicus Goticus, Francus Germanicus, Atticus &c. Et, Pius, fœlix, Inclytus, Victor ac Triumphator, & ſemper Auguſtus &c. ita & Meſsiæ ſui tribuuntur tituli, ut ſciamus ex ipſis, quanta ſit maieſtas, quantæ uirtutes eius. Ac mundanis quidem Principibus ſæpe tribui ſolent honoris gratia tituli, a quorum rebus longe ipſi abſunt. Vocantur aliquoties Aphrici aut Hieroſolymitani, cum in his terris ne tantillum quidem loci poſsideant, ubi pedem ponant. Vocantur piĳ, & inuicti, cum nonnunquam nullum pietatis ac uictoriæ eorum exemplum extet. Cum autem ſpiritus ſanctus tribuit Meſsiæ ſuos titulos ac ſua epitheta, ſentiendum eſt, quod non ſint nuda uocabula, Sed ea, quæ ſignificent res ipſas uere in Meſsia eſſe.

Primus igitur titulus Meſsiæ eſt, MIRABILIS, ſeu MIRIFICVS. Hoc cognomen tribuitur Meſsiæ per antitheſin mundanorum Principum. Hi enim non poſſunt mirifice ſuos iuuare & e periculis liberare. Iuuant eos nonnunquam, ſed pro more huius ſeculi, uel externis armis, uel auxiliĳs ſociorum. Meſsias autem iuuat & liberat ſuos mirifice, & nullo alio adiutore. Sunt autem duplicia miracula Meſsiæ, quibus populum ſuum iuuit. Alia ſunt corporalia. Reſtituit enim Cæcis uiſum, Leproſis mundiciem, Claudis ſanitatem, Surdis auditum, Mutis loquelam, Mortuis uitam. Sic nullus mundanus Monarcha ſuos adiuuare potuit. Alia ſunt ſpiritualia. Meſsias enim mirabiliter conſeruat ſuos in peccatis, ut reputentur iuſti: in morte, ut habeant uitam: in horroribus inferni, ut accipiant gaudium cœleſte. Tam mirabilis enim eſt adiutor & liberator, ut cum omnia humanitus uideantur perdita & deſperata, ipſe ſuo auxilio præſto adſit. Quare hoc epitheton reuocandum eſt nobis in memoriam, cum in aduerſis uidemus nullum humanum auxilium reliquum eſſe.

Secundus titulus eſt, CONSILIARIVS. Eſt & hoc epitheton antitheſis erga mundanos Principes. Hi enim non poſſunt omnibus ſuis populis dare conſilia in negocĳs eorum, ſed neceſſaria eſt eis opera Conſiliariorum. Habent multos Conſultores, qui iuuant ipſos in adminiſtratione regni. Et tamen nec Principes, nec Conſiliarĳ eorum poſſunt

ea

ea dare consilia populis, quibus ueram consequantur fœlicitatem. Messias autem ipse Consiliarius est, non indiget aliorum hominum consilio, sed solus ipse sufficit dandis consilijs, idque ad consequenda cœlestia bona. Consilium autem Messiæ est Euuangelion eius, quod qui sequitur, ueram uitam assequitur. Venit Nicodemus ad Messiam, & petijt consilium, quo possit intrare in regnum Dei. Messias igitur dedit ei consilium, ut regeneretur ex spiritu & aqua. Hoc consilium Nicodemus secutus, intrauit in regnum Dei. Legisperitus petijt consilium a Messia: Quid faciendo, inquiens, possidebo uitam æternam? Messias autem dedit ei tale consilium, quod si uere secutus esset, possedisset æternam uitam. Breuiter, si quæris consilium, quomodo consequaris ueras diuitias, ueram sanitatem, ueram potentiam, ueram gloriam, ueram & sempiternam uitam, non potes nec certius, nec rectius inuenire, quam in Messia, & Euangelio eius. Diuitiæ enim parantur non impostoris, sed fide, & obsequio fidei. Primum (inquit) quærite regnum Dei &c. Et, Mensuram conferam etc. Sic & gloria non paratur ambitione, sed fide in Christum, & obsequio fidei. Hæc erit gloria coram uniuerso cœlesti cœtu. Gaudium (inquit) erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente &c. Tertius titulus est, DEVS. Mundani Principes sunt tantum homines. Messias autem non est tantum homo, sed etiam Deus omnipotens, quæ est summa omnium maiestas. Sed de diuinitate Christi alias multa dicta sunt. Etsi enim אל quod hoc loco ponitur, possit pro Principe aut forti exponi, tamen cum alia Scripturæ loca manifeste doceant, Messiam esse uerum Deum, & אל significet etiam Deum, retinenda est eorum interpretatio, qui hoc loco El pro Deo exponunt. Quartus titulus, FORTIS, seu Heros aut Gigas. Mundani Principes, & si nonnunquam sunt excellenti fortitudine præditi, tamen aut non sunt Heroes, qui possint & audeant monomachiã cum aduersario suscipere, qualis Heros fuit Dauid aduersus Goliathen, aut si sunt corporales Heroes, non tamen sunt spirituales Heroes, qui audeant & possint monomachiam cum morte suscipere & uictoriam reportare. Solus Messias est Heros ille, qui singulare certamen inijt cum Morte & Inferno, ac etiam reportauit uictoriam, qua non solum ipse fruitur, uerum etiam quotquot in ipsum credunt. Quintus est, PATER ÆTERNVS. Alij Principes uocantur Patres patriæ, quod uel defendãt patriam ab hostili incursione, uel importent tempore famis magnam uim frumenti. Quæ beneficia, & si grato animo agnoscenda sunt, tamen non sunt perpetua: & Principes facile mutantur. CHRISTVS autem uocatur pater

Christus uerus Heros.

patriæ: Sed quod longe maius est, Pater ÆTERNVS. Primum igitur uocatur PATER, non persona sua in diuina natura: sic enim filius est, non pater, sed uocatur pater affectu. Semper enim habet paternum affectum erga suum populum, & in æternum nõ mutat hunc affectum. Esaiæ quadragesimonono: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego nõ obliuiscar tui. Et quinquagesimo quarto: Montes commouebuntur & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ nõ mouebitur. Cur ergo fatemur eum in symbolo fidei, esse iudicem uiuorum & mortuorum? An non Iudicis officium est sceleratos punire? An non Christus condemnabit impios æterno supplicio? Hiccine est affectus paternus? Respõdeo, Christus, quod ad se attinet, semper retinet paternum affectum, quo etiam ueniet ad extremum iudicium, iudicaturus uiuos & mortuos. Quod autem ad homines attinet, nõ omnes agnoscunt hunc affectum in Christo, non omnes recipiunt Christum per fidem. Nam qui credunt in eum, his Christus est æternus pater, & nunquam crudelis iudex. Defendit eos, non solum in hac uita, & in morte, uerumetiam coram tribunali Dei, ut perpetuam habeant salutem. Qui autem non credunt in eum, qui non agnoscunt eum fide, hi non capiunt fructum paterni affectus eius, sed iudicantur & pereunt sua ipsorum impietate. Ioannis tertio: Qui non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomẽ unigeniti filij Dei. Et Ioãnis duodecimo: Non ueni ut iudicem mundum, sed ut seruem mũdum. Qui reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quẽ locutus sum, ille iudicabit eũ in extremo die &c. Deinde dicitur etiã Pater Æternus, quod seruet populum suum non solũ in hac uita, uerumetiam in futura, & perpetua uita. Alij Principes possunt populũ suum in hac tm̃ uita, idq; corporalibus duntaxat beneficijs, & pauco admodum tempore seruare, Christus autem est Pater æternus, seruat in media morte, & resuscitat ad æternam uitam. Hæc est magna populi Dei consolatio, quod talem habeat Patrem seruatorem, qui conferat in ipsos æternam salutem & liberationem. Quare quicquid ipsis acciderit in hac misera & calamitosa uita, facile tolerari potest, quod certi simus nostrę seruatorem Christum esse æternum Patrẽ.

Christus cur uocetur Pater cum sit etiam iudex.

Sextus titulus est, PRINCEPS PACIS. Alij Principes solent plerunque esse autores bellorum, & multarum calamitatum. Et ut maxime inuenias Principem mundanum studiosum pacis, tamen non potest efficere, ut priuati quique homines inter se pacem conseruent, etiamsi nullum fuerit publicum bellum. Christus autem uere est Princeps pacis, ac merito nomina-

tur

tur Fridenrichus, quod Latine significat diuitem & plenum pace. Primum, quod pacificat Deum & homines. Maximum enim dissidium fuit inter Deum & homines: quia cum homo sit peccator, non potuit ei cum Deo conuenire. Christus autem reconciliauit eos, ut homines iustificati ex fide pacem habeant. Deinde Christus etiam autor est mutuæ pacis inter eos qui credunt in ipsum. Nam qui credit in Christum, seruat pacem quantum in ipso est cum omnibus hominibus. Fieri quidem non potest, ut pius semper externa trãquillitate in hoc seculo fruatur. Quemadmodum autem coniunx non difficulter fert extranea dissidia, si modo habeat cum suo coniuge domesticam pacem: ita qui habet pacem conscientiæ coram Deo, haud difficulter fert aduersa, quæ ipsi extrinsecus accidunt. Habes titulos Christi, qui commemorantur nobis, ut cognoscamus beneficia Christi, & confirmemus fidem nostram in omnibus casibus huius seculi. Nunc de regno eius uideamus. Sequitur enim: Multiplicationis imperij eius, & pacis non erit finis. hoc est: Imperium eius semper multiplicabitur, & semper inæternum erit tranquillum, securum, & omnibus bonis abundans. Hæc est manifesta antithesis erga reges mundanos & regna eorum. Reges enim mundani solent uocari, Sẽper Augusti, hoc est, ut uulgo exponi solet, dilatãtores & multiplicatores imperij. Etsi autẽ aliquoties multiplicantur regna eorum, tamen mox deficiunt, & ruunt. Sunt enim suæ terrenorum imperiorum μείοδοι. Nec ullum unquam imperium terrenum fuit, quod semper fuerit tranquillum & abundauerit omnibus bonis. Babylonicum regnum uocatur quidem aureum, nõ autem per se, quia habuit etiam ipsum multas & magnas calamitates, sed per collationem ad ea regna quæ sequebantur. Tolerabilius enim fuit regnũ Babylonicum, quam alia. Et tamen ipsum quoq; tandem a Medis & Persis deuastatum est. Regnum autem Christi nunquam deficiet, sed semper multiplicabitur, ideoq; competit ei mãxime omnium hic titulus, Semper Augustus: nec ullus erit in regno eius finis trãquillitatis, ac omniũ bonorũ. Quæramus igitur, quomodo hęc de regno Christi intelligenda sint, cum uideamus eas regiones, quæ quondam agnouerunt Christum, & fuerunt sub Christianis Imperatoribus, occupentur ab hostibus Christianæ religionis: præterea uideamus Ecclesiam Christi semper in hoc mundo aduersis & calamitatibus obnoxiam esse. Respondeo. Regnum Christi semper dicitur multiplicari, quia postq̃ Christus ascendit in cœlum, & misit spiritum sanctum, tunc uulgatum fuit Euangelion in toto orbe terrarũ, quo congregata est Ecclesia Christi non solum ex Iudæis, uerũ etiam ex gentibus. Hæc congregatio nunq̃ cessabit, quamdiu hic mundus steterit. Etsi, n, ruunt imperia

Christus uerè est princeps pacis.

Christi regnum.

mundi, tamen quamdiu mundus durat, congregabit Christus ex nationibus huius terrę suam Ecclesiam. Ecce, inquit, ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Si autem respiciamus ad ea, ut ita dicam, tempora, quę erunt post nouissimum diem, multiplicabitur & tũc imperium Christi, quia erit æternum. Nec unquam tam multum temporis, (sic enim docendi gratia loquendum est, cum in æternitate nullum sit tempus) præterijt, quin adhuc plus supersit, quia est imperium æternum. Sic etiam de pace dicendum erit. Pax enim non solum significat tranquillitatem, sed complectitur, more Hebręo, omnia genera beneficiorum. In regno igitur Christi, nullus erit finis pacis: Primum, quod pacificatio & reconciliatio, quam instituit Christus inter Deum & homines est perpetua. Deinde in imperio Christi nullus est nec finis, nec modus cœlestium beneficiorum. Hic est æterna iusticia, uita & fœlicitas. Quare danda est opera, ut simus ciues huius regni, id quod fit per fidem in Christum, ut bonis eius fruamur.

Pax.

SVPER SOLIVM DAVID ET SVPER REGNVM EIVS &c.

Descripsit hactenus Propheta Christum insignem Monarchã & heroa. Vbi ergo erit metropolis, & thronus regni eius? Super thronum, inquit, Dauidis, & super regnum eius. hoc est, Sedebit in throno Dauidis, & dominabitur in regno eius. Non est noua hæc prophetia, sed iam inde à temporibus Dauidis reuelata. Nam ad Dauidem dictum est de Christo: Suscitabo semen tuum post te &c. Et mox: Stabiliam thronum regni eius usq; in sempiternum. Et in Psal. cxxxi. Iurauit Dominus Dauid ueritatem & non frustrabitur eum. De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Porro hãc promissionem de Christo impletam esse in Iesu filio Mariæ uirginis testatur angelus Gabriel apud Lucam capite primo: Dabit illi Dñs Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob inæternum, & regni eius non erit finis. Quæramus ergo quæ fuerit sedes, quis thronus, & quæ metropolis Dauidis, ut & thronum ac metropolin Christi inueniamus. Nõ est autem obscurum, quod Dauidis thronus fuerit in urbe Hierusalẽ, & quod Deus elegerit eã urbẽ in metropolin populi sui. Elegi, inquit Dñs, Hierusalẽ, ut sit nomen meum in ea, & elegi Dauid, ut constituerem eum super populum meum Israel. Et ij. Regum v. Habitauit Dauid in arce Zion, & uocauit eam ciuitatẽ Dauid &c. Sed quomodo Christus sedit in hoc throno Dauidis, cum in urbe Hierusalem ne tantum quidem loci possederit, ubi reclinaret caput suum? ut nihil interim dicam de eo, quod regnum Christi non sit mundanum, sed cœleste? Hic considerandũ nobis est, quod quemadmodum regnũ

Dauidis metropolis &c.

2. Paralip. libro 6.

Christi

Christi non est mundanum, ita nec sedit in throno Dauidis mundano modo, sed spirituali & cœlesti modo. Primum enim docuit in Hierusalem, quæ erat thronus Dauidis, & metropolis populi Dei, Euangelion suum, & edidit in ea multa miracula. Itaq; habuit pro throno regio suggestum: & quia uenit in hunc mundum ut Ecclesiam suam Euangelio regeret, multo magis sedit coram Deo in Hierusalem in throno Dauidis DOCENDO, quam si illic sedisset mutus, ornatus tm̃ externo regum diademate. Deinde peregit in urbe Hierusalem sacrificium suum, & resurrexit ibi a morte, ut intraret in gloriam Patris sui, & sederet ad dextram Dei. Sacrificium autem Christi & resurrectio eius a morte, sunt uictoria qua liberauit Ecclesiã suam a peccatis & morte, ac fecit eam secum consedere in cœlestibus. Quare, cum hæc peracta sint in urbe Hierusalem, merito dicenda est thronus & sedes regni Christi. Postremo, misit in ea urbe discipulis suis spiritum sanctum, in die Pentecostes, & excitauit Apostolos, ut primum omnium adnunciarent Euangelium suum in Hierusalem, & ab eo loco diuulgarent in totum orbem terræ. Vnde Act. i. dicitur: Præcepit eis ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarẽt promissum patris. Ac mox: Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa &c. Cum igitur Hierusalem, in qua fuerat thronus regius Dauidis, ea sit urbs, in qua Euangelion, quo Christus regit, gubernat & tuetur Ecclesiam suam, primum omnium, post resurrectionem Christi, admirandis donis spiritus sancti in die Pentecostes reuelatum & confirmatum sit, atq; ab eo loco sparsum in uniuersam terram, recte dicitur Christus sedere in throno Dauidis, et in regno eius, sicut & supra dictum est cap. ij. De Zion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Etsi enim nec Christus dominatus est in Hierusalem regio more, nec Christiani tenent hoc tempore externum imperium urbis Hierusalem, tamẽ quamdiu Euangelion Apostolicum de Christo prædicatur in orbe terrarum (prædicabitur autem usq; ad nouissimum diem huius seculi) tamdiu dicitur Christus sedere in throno Dauidis, & regnare ab arce Ziõ & urbe Hierusalẽ. Sed quid faciet Christus, cum sessurus est in throno Dauidis, & quomodo administrabit regnum suum? Sequitur. Cõfirmabit seu parabit & corroborabit illud in iudicio & iustitia a modo, & usq; in sempiternum. hoc est: Administrabit regnum suum in Iudicio & in Iustitia, idq; non uiginti aut centum tantum annis, sed perpetuo. Vtitur autẽ Esaias hoc loco ijsdem uerbis, quibus Psalmus nonus describit maiestatẽ Domini Dei nostri. Parauit, inquiens, in iudicio thronũ suum, & ipse iudicabit orbẽ terræ in æquitate: Iudicabit populos in iustitia, ut intelligamus, quod & Psalmus

loquatur de Christo, & doceat Christum esse uerũ Dominum Deum nostrum. Porro, in descriptione administrationis regnorum fere coniungi solent Iudicium & Iusticia. ij. Reg. viij. Faciebat Dauid iudicium & iusticiam omni populo suo. Hier. xxij. dicitur ad regem & consiliarios eius: Facite iudicium & iusticiam, & liberate uiu oppressum &c. Amos v. Conuertitis iudicium in absynthium, & iusticiam in terra derelinquitis &c. Nam officium regum & magistratuum est, ut faciãt iudicium & iusticiam. Facere ergo iudicium, est defendere & seruare innocentem, ne a malis & sceleratis iniuria afficiatur ac opprimatur. Facere autem iusticiam, est benefacere innocenti, & honore eum afficere: adeoq; facere iudicium & iusticiã plane illud est, quod Paulus dicit de magistratu: Dei minister est, tibi in bonum. Et ultor est ad iram ei qui quod malum est fecerit. Et Petrus: Prẽsides mittuntur a rege, ad uindictam quidem nocentiũ (hoc est facere iudicium) laudem uero recte agẽtium (hoc est facere iusticiam. Videamus igitur nunc, quomodo Christus faciat in regno suo iudicium & iusticiam. Regnum autem Christi, lõge distat a regnis mundanis, ideoq; aliud est iudicium, alia est iusticia in regno Christi, quam in regnis mundanis. Nam iudicium in regnis mundanis est, cum innocentes & honesti hõmines defenduntur a latronibus, & cum latrones puniuntur. Et iusticia est, cum honestis & innocentibus hominibus ablata restituuntur, & honoribus fruuntur. In regno autem Christi iudicium est, cum Satan & mors opprimuntur, & pij defendũtur, ac seruantur, ne a morte & Satana absorbeantur. Iusticia autem est, cum credentes reputantur iusti propter Christum, & adoptantur in filios Dei, ut accipiant cœlestem hæreditatem. Vnde Ioannis decimosexto Christus ait: Cum uenerit Paracletus, arguet mundum de peccato, de Iusticia & Iudicio. De peccato, quia non credunt in me. de Iusticia, quia ad Patrem uado. de iudicio, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est. Quare Christus dicitur in suo regno facere iudicium & iusticiam, non quod administret externam politeã, & seruet pios externis auxilijs, quemadmodum Monarchæ suum populum defendunt: sed quod seruet pios in morte, & det eis æternam uitam. Et hoc regnũ exercet perpetuo, quia semper tuetur pios credentes in ipsum, quos etiam excitabit a mortuis, ut abolita morte habeant uitam, iusticiam & fœlicitatem sempiternam. Quare, cum Propheta dicit Christum regnaturum perpetuo, nõ solum significat ipsum a morte resurrecturum, sed etiam ipsum conseruaturum omnes pios, ne in morte pereant, sed ad æternam uitam excitentur.

Iudicium & iusticiam facere &c.

ZELVS DOMINI ZEBAOTH FACIET HOC.

Hæc est conclusio huius concionis, quæ descripta est ab initio

septimi

ſeptimi capitis. Quare, ut recte intelligamus concluſionem, repetendus erit ſtatus huius concionis. Rex & reliqui Principes de familia Dauidis uehementer metuebant, ne genus eorum e regno Iuda eijceretur. Hoſtes enim, rex Iſrael & rex Syriæ, minabãtur ſe familiam Dauidis prorſum deleturos, & alium regem in Iuda inſtituturos. Et erant reges potẽtiſsimi. Quare Principes regni Iuda deſperabant de ſalute ſuæ familię. Sed Propheta reprehendit puſillanimitatem ipſorum, & conſolatur eos promiſsionibus de Chriſto. Fieri enim non poteſt, ut cum promiſſus ſit Chriſtus de familia Dauid, & ſeſſurus ſit in throno Dauidis, in urbe Hieruſalem, ac nondum uenerit, hoſtes queant familiã Dauidis delere, ut non dñetur in regno Iuda. Omnino enim futurum eſt, ut Chriſtus ueniat, & accipiat thronum ac regnum Dauidis. Zelus Dei faciet iſtud, nõ eſt humanum meritum, non eſt humana potentia, ſed eſt Zelus Dei. Primum enim Deus tanto amore complectitur familiam Dauidis, ut nullo modo ferre queat, quod hoſtes iſti deleant eam, ſed tuebitur ipſam in regno Iuda propter promiſsionẽ Dauidi dictam. Deinde Deus tanto zelo adimplebit ueritatem promiſsionis ſuæ de Chriſto, ut citius ferret interitum cœli & terræ, quam uerbi ſui. Cum igitur Deus tanto zelo ardeat ad perficiẽdam promiſsionem ſuam de Chriſto, & Chriſtus nondum uenerit in carnem, non eſt uobis metuendum, ne hoſtes iſti, qui familiæ ueſtræ minantur internecionem, fiant uoti ſui compotes. Hæc eſt conſolatio de conſeruatione externi regni in poſteritate Dauidis. Etſi enim poſtea Hieruſalem deuaſtata eſt per regem Babylonis, tamẽ ſemper manſit regia familia Dauidis, & fuit in certa expectatione reſtaurandæ Hieruſalem, ac recuperandi principatus, quemadmodũ Prophetæ Hieremias & Ezechiel, excitati diuino ſpiritu, concionabantur. Quare, cum uerbum Dei polliceretur breui fore, ut Principes de familia Dauidis reſtituerentur dominationi throni Dauidis, ſentiendum eſt, quod etſi familia Dauidis fuit aliquot annis e principatu coram hominibus abiecta, ſemper tamen manſit in principatu coram Deo, donec ueniret ſemẽ promiſſum, quod erat expectatio & iuſtificatio gentium, iuxta uaticinium Patriarchæ Iacob. Deinde hæc concio Eſaiæ fuit etiam conſolatio piorum de conſeruatione regni ſpiritualis in Chriſto. Sicut enim hoſtes minabantur ſe deleturos familiam Dauidis, ne regnet amplius in Iuda, ita Satan minabatur pijs in eo regno, ſe effecturum, ne mitteretur Chriſtus, ac ſollicitabat etiam ipſos, ut exiſtimarent promiſsiones de Chriſto eſſe uaniſsimas nugas, ideoq; de ſalute ipſorum actum eſſe. Quare Eſaias inſtituit concionem de Chriſto & regno eius, ut pij certificentur de aduentu Chriſti, & confirment fidem ſuam de cœleſti ſalu-

teſua, quam habemus in Chriſto. Etſi autem nos non ſumus incolæ & ciues mundani regni Iudæ, ſumus tamen incolæ & ciues Eccleſiæ, quæ eſt ſpirituale regnum Chriſti. Quare hæc concio Eſaiæ plurimum etiam nobis prodeſt. Initio, quod cognoſcimus Ieſum filium Mariæ, quem colimus, eſſe uerum Meſsiam ſeu Chriſtum, Seruatorem noſtrum, propterea quod reipſa uidemus in eo completa eſſe, quæ Eſaias hoc loco de Chriſto uaticinatus eſt. Deinde diſcimus ex hac concione, quæ ſint beneficia Chriſti, ut ſciamus, quæ nobis in Chriſto ſperandâ & expectanda ſint, quemadmodum antea expoſuimus. Itaque ex hac concione Eſaiæ fiunt nobis nota, tam perſona, quam officium Chriſti filij Dei, & Seruatoris noſtri.

ALIA CONCIO.
VERBVM MISIT DOMINVS IN IACOB, &c.

Sequitur alia concio ab hoc loco, uſque ad caput decimum tertium, in qua Eſaias quemadmodum conſolatus eſt antea in priori concione Principes & ciues regni Iuda, ut non terrerentur minis hoſtium, uidelicet regis Iſrael & regis Syriæ, ita nunc conſolatur eos, ut non terreantur minis & incurſionibus Sanneherib regis Aſsyriorum. Regnum enim Iuda, in quo dominabatur familia Dauidis, cui promiſſus erat Chriſtus, nunquam fere tranquillum fuit, ſed ſuos ſemper habuit hoſtes, qui inſtinctu Satanæ, inſidiantis calcaneo Chriſti, interitum eius meditabantur. Nam poſtquam regnum Iſraeliticum & regnum Syriacum, quorum reges multa mala inferebant regno Iudæ deuaſtata eſſent per Aſsyrios, ſuſceperunt Aſsyrij bellum etiam contra regnum Iudæ, ut ſicut alia regna, ita & hoc delerēt, ac ſuo imperio ſubijcerent. Quod bellum poſtea capite trigeſimoſexto, & trigeſimoſeptimo copioſe deſcribetur. Quare Eſaias inſtituit hanc concionem, ut Principes & ciues ſuos confirmaret, ne in tantis periculis animum ſuum uel de conſeruatione regni ſui, uel de uera ſalute ſua deſponderent. Debet autem & hæc concio nobis eſſe acceptiſsima, propterea quod in ea exponitur non ſolum grauitas diuinæ iræ aduerſus impios & impœnitentes, uerumetiam magnitudo diuinæ clementiæ per Chriſtum ſeruatorem noſtrum erga pios: adeoque deſcribitur hic Chriſtus & regnum eius copioſe & perſpicue, capite duodecimo & tredecimo. Etſi autem plerique omnes interpretes ſentiunt hanc concionem dictam eſſe ante deuaſtationem Iſraelitici regni, quæ facta eſt a Salman Eſſare rege Aſsyriorum, de qua extat decimum ſeptimum caput in quarto libro Regum, ac putant in hac concione eſſe uaticinium de futura iſta deuaſtatione Iſraelis, attamen,

men, cum infra capite decimo rex Asyriorum iactet & glorietur, se sic deuastaturum Hierusalem, quemadmodum deuastauerit Samariam: Nunquid non, inquiens, sicut feci Samariæ & idolis eius, sic faciam Hierusalem & simulacris eius? existimo hanc concionem Esaiæ dictam esse sub Ezechia post deuastationem regni Israelis, eo præsertim tempore, cum Asyrius minaretur se aduersus Hierusalem ducturum exercitum suum, & non minus regnum Iuda deleturum, quam ante deleuerit regnum Israelis. In tanto igitur periculo procedit Esaias in medium, & suscipit concionem habendam, in qua initio recenset interitum regni Israelitici, & exponit causas propter quas interierit, ut hac occasione reuocet in memoriam Principibus & ciuibus regni Iudæ, quanta clementia Dei hactenus seruati sint, quod hi hostes, qui minabantur eis interitum, interierint ipsi miserrime &c. Deinde uaticinatur etiam interitum regis Asyriorum, qui erat grauissimus hostis regni Iudæ, ut animi eorum confirmarentur aduersus tantas difficultates, quæ ipsis imminebant. Postremo concionatur de Christo & regno eius, ut ex hoc concipiant fiduciam non solum de externa regni sui incolumitate, uerumetiam de perpetua ipsorum salute in Christo: Verbum, inquiens, misit DOMINVS in Iacob, & cecidit in Israel, hoc est: Deus excitauit multos Prophetas in regno Israel, qui sparserunt tanquam sementem Verbum DOMINI in tota terra Israelis, ac prædixerunt futuram ipsorum uastitatem, nisi resipiscerent. Hi Prophetæ fuerunt Oseas, Amos, Michæas & alij. Sed Israelitæ contempserunt Verbum DOMINI, & irriserunt Prophetas. Quare Deus initio afflixit Israelitas per hostes regis Syriæ, hoc est, per Asyrios, ab Oriente: & per Philistinos ab occidente. Hoc uidetur factum esse eo tempore, quo rex Asyriorum expugnauit Damascum, & interfecit Rezin regem Syriæ. Tunc enim, quia socius regni Israelis interfectus fuit, necesse habuit & regnum Israelis multis aduersis affligi. De qua re uide quarto Regum decimosexto. Sed quid? num ciues regni Israelis excitati sunt ex hac afflictione ad resipiscentiam? Nihil certe minus. Non sunt reuersi ad percutientem se, DOMINVM Zebaoth, nec inquisierunt eum, sed potius perrexerunt in sua impietate, & inflati suis uiribus iactarunt se regnum suum longe magis confirmaturos, quam amissuros. Lateres, inquit, ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. hoc est, Asyrij afflixerunt nos quibusdam cladibus, & deuastarunt nonnullos uiculos regni nostri. Sed nos ea quæ ante latericia fuerunt, reædificabimus quadris lapidibus: & ubi hostes aliquid damni dederunt, hoc nos re-

farciemus monumentis perpetuo duraturis. Ex hoc loco primum discendum nobis est, quam ob causam Deus soleat populo suo afflictiones immittere. Populus, inquit, non est reuersus ad percutientem se, & Dominũ Zebaoth non inquisierunt. Hoc dicto significat Propheta, quod Deus afflixerit Israelitas, non ut perderet ipsos, sed ut excitaret ipsos ad pœnitentiam, & ad conuertendum se ad Dominum. Sicut enim parens punit dilectum filium, non ut filius pereat, sed ne pereat. Et punit eum, non ut aufugiat, sed ut obedientius sese cum patre coniungat: ita & Deus percutit populum suũ, non ut opprimat, sed ut seruet ipsum. In Ezechiele dicitur: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Hoc Dei cõsilium in afflictione diligenter est cognoscendum, ut de auxilio Dei bene confidamus, & diuino iudicio patienter obediamus. Nam quemadmodum is qui habet putridũ pedem, præbet eum obedienter medico secandum, quod sciat medicum hoc consilio suscipere pedem abscindendum, non ut homo interficiatur, sed ut conseruetur: ita cum recte cognouerimus consilium Dei in afflictione, quod nõ meditetur nostram internecionem sed salutem, fieri non potest, quin tradamus nos obedientes in manum eius, & sufferamus patienter, quod ille immittit. Sed quomodo cognoscendum est consilium Dei? Cognoscendũ est, ex uerbo, ex promissionibus eius, Item ex piorꝝ exemplis. Promissio est, ut supra recitauimus: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris &c. Et: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Extant etiam exempla. Israelitæ in Ægypto grauiter afflicti sunt. Hoc permisit Deus, nõ ut interirent, sed ut liberarẽtur. Percurre libros Iudicum, & manifeste uidebis Deum immisisse uarias afflictiones Israelitis, qui erant populus Dei, non ut opprimeret eos, sed ut seruaret ipsos. Quid ergo dicemus? num afflictionẽ ferre tanti est meriti, ut Deus propter eam seruet populum quãuis impium & impœnitentem? Nequaq̃. Etsi enim Deus solet etiam impio benefacere, ut inuitet eum ad pœnitentiam, tamen non benefacit, nec seruat eum perpetuo, si manserit in impietate, & impœnitens. Immittit enim afflictiones, ut agnoscatur impietas, & corrigatur. Sed quid fit? Fieri quidem solet, ut impij nonnunquam aduersis eruditi agnoscant suam impietatem, & conuertantur ad Dominum, ut Israelitæ Iudic. decimo, & primo Reg. septimo. Exemplum est etiam rex Manasses ij. Paralip. xxxiij. maxima autem pars impiorum fiunt subinde ex afflictionibus peiores, tantum abest, ut conuertantur ad Dominum, & resipiscant. Dicunt, quod Esaias hoc loco recitat: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus, hoc est, pergemus in impietate nostra, & muniemus nos quoquo modo

Afflictionum ratio quæ.

modo possumus, etiã aduersus diuinã potẽtiam. Non si Deus ipse coram mandaret, deseremus institutum nostrę. Sicut & ad Ieremiã dicunt: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Dei, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne uerbũ, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli &c. Quid ergo de horum impœnitentium afflictionibus sentiendum est? Num Deus etiã hos seruat per afflictiones? Meditatur quidem salutem, sed impij reijciunt consilium Dei sua duricia & impœnitentia. Quare afflictiones in impœnitentibus non sunt organa salutis, sed initia dolorum. Exemplum petendum est a regno Israel. Ciues enim huius regni dabant operam idolatrię. Quare Dominus afflixit eos uarijs calamitatibus ab eo tempore, quo Zacharias filius Hierobeam regnauit in Israel. Sperabat autem Dominus se his calamitatibus excitaturum ipsos, ut agerent pœnitentiam, & seruarentur. Sed ecce populus, ut Propheta inquit, non est reuersus ad percutientem se, & DOMINVM Zebaoth non inquisierunt. Non est igitur furor Domini his calamitatibus auersus, sed adhuc manus eius extenta, hoc est, hæ calamitates non fuerunt organa salutis, sed initia internecionis, quæ & paulo post secuta est. Ex hoc exemplo discamus etiam, quid de nobis Christianis futurum sit. Dedimus operam multis annis idolatriæ Missarum, inuocationis sanctorum, & aliarum Papisticarum impietatum. Interim reuelatum est uerbum Domini, quo idolatria cognoscatur. Prædicatur enim in Ecclesia syncerum Euangelion Christi, ex quo indicatur nobis abominatio idolatriæ, & uera uia salutis per Christum. Præterea immittit Deus uarias afflictiones, publicas & priuatas. Cõniuet Turcę, ut aliquot regna Christianorum in nostris finibus diripiat. Diuturna est rerum omnium caritas. Quid sibi hæc uolunt? Certe Deus hoc agit, ut agnita idolatria resipiscamus & seruemur. Quid autem contra faciendum suscipimus? Si Turca oppresserit nostros aliqua ex parte, non hoc agimus, ut impias Missas & inuocationes sanctorum abrogemus, & solum Deum Patrem per Iesum Christum inuocemus: sed potius augemus impietatem: cumulamus Missas & litanias, quibus speramus nos superaturos Turcam. Interim conferuntur consilia de augendo exercitu aduersus Turcam, ac pene eadem uerba dicimus, quæ commemorat Esaias: Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Si rerum penuria premit nos grauitate sua, non hoc agitur, ut charitate nos inuicem complectamur, & curam sectandæ ueræ pietatis suscipiamus, Sed ut instituantur ordinationes, quibus fiat, ut frumentum uili precio ematur. Ac debent quidem Principes hoc officium Reipublicæ, ut conscribant exercitum aduer-

Hier. 44.

Afflictiones impœnitentium, initia dolorum.

Christiani impœnitentes.

sus hostes,& instituant ordinationes ciuiles,quibus auarorum crudelitati obsistatur: Sed hæc ita agere, ut nulla prorsus habeatur cura & studium resipiscentiæ, hoc demum efficiet, ut calamitates istæ,quæ incipiunt in Germaniam irruere, non sint organa liberationis, sed initia captiuitatis, & internecionis. Quare excitemur præsentibus calamitatibus,ut resipiscamus,& futuras ac perpetuas calamitates effugiamus.

DISPERDET DOMINVS AB ISRAEL CAPVT ET CAVDAM &c.

Dixi supra, uerisimilius esse, quod Esaias habuerit hanc concionem post deuastationem regni Israelitici, quam ante eam. Quare uerba futuri temporis exponenda sunt more Hebræo, per uerba præteriti temporis. Ac postquam Esaias antea recensuit suis ciuibus in regno Iudæ initia suppliciorum, quæ Deus immisit regno Israelis, nunc recenset ipsis deuastationem eius, quæ facta est per Salmanessarem regem Assyriorum, & addit etiam causam propter quam post quædam singularia supplicia secuta est publica totius regni internecio. Populus (inquit) non est reuersus ad percutientem se, & DOMINVM Zebaoth non inquisierunt. Deus percussit eos initio tolerabilibus supplicijs, ut his admoniti, agnoscerent impietatem suam, & resipiscerent. Sed quo magis percutiebantur, eo magis impij fiebant. Tantum abest ut resipiscerent. Percurramus igitur impietatem ciuium regni Israelis. Primum: Propheta, (inquit) docens mendacium. Et: Erunt, qui beatificant populum istum &c. Ex hoc manifestum est,quod habuerint impios doctores, qui pollicebantur ciuibus suis incolumitatem regni propter cultum aureorum uitulorum, & propter alias impietates, ac persequebantur ueros doctores piæ doctrinæ. Exemplum habes Amos capite septimo. Deinde, cum ex impijs doctoribus fiant etiam auditores impij, secuta est hypocrisis in uniuerso populo Israel. Omnis (inquit) hypocrita est & nequam, & uniuersum os locutum est stulticiam. hoc est, nulla est uera pietas, nulla uera inuocatio Dei, sed omnia plena sunt impietate. Colunt Deum, sed cultibus a Deo prohibitis. Hæc est inobedientia. Inuocant Deum, non autem propter promissum Messiam, sed propter merita suorum sacrorũ, & aliorum operũ. Hæc est idolatria. Oportet autem Deum adorare, ut Christus ait, spiritu & ueritate: quod quid sit, explicuimus in Ioanne. Præterea, extincta est caritas. Vir, inquit, nõ parcet fratri suo. Declinabit ad dextrã, & esuriet. Comedet ad sinistram, & non saturabitur. hoc est: quocunq; diuertebas siue ad cognatos siue ad alienos, nusquam reperiebas tutam fidem. Cum quocunq; siue amico & ciue, siue extraneo & alieno suscepe-

Impietas Israelitarum.

ras

ras negociationem, deprehendebas fraudes & impoſturas. Vnde & ſequitur: Vnuſquiſque carnem brachij ſui uorabit, hoc eſt, Etiam fratres, cognati & amici mutuo ſeſe dilaniauerunt, Manaſſes Ephraim, Ephraim Manaſſen, & hi duo dilaniauerunt Iudam. Quid plura? Succenſa fuit, quaſi ignis, impietas. Vepres & ſpinã uorauit &c. hoc eſt: Impietas aduerſus Deum et proximũ in regno Iſrael ita inundauerat, ut nullo modo cohiberi potuerit. Quemadmodum enim ignis non poteſt extingui ſi corripuerit uepres & ſpinas, ac inuaſerit aridam ſyluam uoracibus flammis, ita impietas in regno Iſrael ſic incenſa fuit, ut non potuerit amplius extingui. Deus enim contulit magna beneficia in regnum Iſrael tempore Hierobeami filij Ioas, ut inuitaret eos ad pœnitentiam. Sed cum non reſipiſcerent, affecit eos ſupplicijs, ſi uel hoc modo redirent ad ſanitatem & pietatem, ad quam etiam publica uoce Prophetarum uocabantur, Sed fiebant tam beneficijs quam ſupplicijs peiores. Quid ergo factum eſt? Res ipſa declarat. Cum nulla amplius eſſet ſpes reſipiſcentiæ, Deus aboleuit regnum eorum. In ira, inquit, DOMINI Zebaoth conturbata eſt terra, & populus factus eſt quaſi eſca ignis. Diſperdidit enim ab Iſrael caput & caudam, hoc eſt, Principes & impios doctores, uno die. Neceſſe habuerunt ſimul impij doctores & auditores perire. Non miſertus eſt Dominus nec adoleſcentum nec uiduarum regni eius: ſed alij quidem interierunt gladio, alij abducti ſunt in perpetuam ſeruitutem. Hæc in regno Iſrael impleta eſſe per Salmaneſſarem, perſpicue teſtatur ſcriptura quarto Regum decimoſeptimo. Quid autem nobis hæc Iudaica commemorantur? Putas ne fruſtra? Minime omnium. Quæcunque, inquit Paulus, ſcripta ſunt, in noſtri doctrinam ſcripta ſunt. Et: Hæc ſcripta ſunt propter admonitionem noſtri, in quos termini ætatum inciderunt. Conferamus igitur noſtra tempora, cum duobus regnis Iſrael & Iuda. Nam Romanum Imperium fuit diuiſum in duas partes. Altera pars agnouit Imperatorem Conſtantinopolitanum, altera Romanum, ſeu Germanicum. In his duobus regnis fuit magna impietas Miſſarum & Inuocationis ſanctorum, ac aliarum idolatriarum. Et tamen Dominus benefecit eis, quia auxit ea, & dedit multas uictorias ſuper hoſtes. Non tamen ſecuta eſt reſipiſcentia. Poſtea Deus incepit ea ſupplicijs afficere. Ac initio minuit uires regni Conſtantinopolitani, donec prorſus oppreſſum eſt a Turcis. Quo ſupplicio monuit alteram partem, ut impietatem ſuam agnoſcat. Sed ea potius aucta eſt. Quare Deus incepit his tẽporibus etiã huius regni uires imminuere. Turca enim nunc in has nũc in illas regiones Chriſtianorũ graſſatur. Quid aũt facimus? Num redimus ad pietatẽ? Imo, ſi

cut Propheta ait, impietas ſuccenſa eſt quaſi ignis, ut uix uideatur poſſe extingui. Si expoſueris grauitatem idolatriæ, quæ deſignatur celebrandis Miſsis Papiſticis, & inuocandis mortuis, ſi expli-

Germaniæ internecio cur ſit in propinquo.

cueris magnitudinem peccati ebrietatis, impoſturę, execrationum, abuſuum nominis diuini, ſcortationum, & aliorum ſcelerum, & admonueris auditores, ūt ab his peccatis reſipiſcant, tanta eſt impudentia eorum, ut audeant publice iactare, ſe iamprimum hæc ſcelera ſectaturos, quod intelligant ea diſplicere ſacrificulis (ſic enim uocant etiam ueros Euangeliį miniſtros). Et corrumpitur iuuentus peſsimis exemplis maiorum, adeoq; diſcit a maioribus non tantum externa ſcelera, uerumetiam contemptum uerbi Dei. Itaq; ardet impietas, & uix eſt uel inter ſeniores uel inter iuniores, qui ſe ab impietate & ſceleribus retrahi ſinat. Cum igitur Deus nullam uideat reſipiſcentiam, non ſedatur furor eius, uel prioribus ſupplicijs, ūel alijs noſtris conſilijs & conatibus, ſed adhuc manus eius eſt extenta, & niſi uel tandem conuertamur ad Dominum obedienti fide, non ceſſabit ab inferēdis ſupplicijs, dōnec & hanc adhuc reliquam partem Romani Imperij internecione deleat. Sed dices. Semper fuit impietas, & iniquitas in orbe terrarum, atque etiam in Germania. Quid igitur eſt, quod hoc primum tempore dicitur imminere gentis internecio? Verum dicis, Semper fuiſſe impietatem in Germania, nō ſemper autem fuit in ea reuelatum uerbum Dei, nec ſemper fuit in ea manifeſtus contemptus uerbi Dei. Poſtquam igitur inter tot impietatis & iniquitatis genera publice prædicatur Euangelion Chriſti, & uocantur homines manifeſte ad ueram pœnitentiam, interim autem homines non tantum non reſipiſcunt, ſed etiam contemnunt & damnant doctrinam ueræ pœnitentiæ, non aliud reliquum uidetur, quam quod in propinquo ſit internecio Germaniæ. Hæc enim eſt, inquit Chriſtus, condemnatio, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras q̄ lucem.

CAPVT X.

VÆ QVI CONDVNT LEGES INIQVAS &c.

Perſeuerat Propheta adhuc in ea concione, quam in priori capite, ab eo loco, Verbum miſit Dominus in Iacob &c. incepit. Et cum ante cōmemorauerit ſuis ciuibus Hieroſolymitanis quāta ſupplicij grauitate Deus uiſitauerit Iſraelitas hoſtes ipſorę, qui meditabantur exitium familiæ Dauid, & regni Iudę, ut cōſolaretur eos in incurſu Sancherib regis Aſsyriorę, & agnoſcerent preſentem manum

num atq; clementiam Dei erga familiam Dauid, quod cum Deus horribiliter punierit regem Syriæ & regem Israelis, qui conabantur regnum Iuda diuinitus constitutum delere, non parsurus sit etiam regi Assyriorum Sanneherib, qui & ipse deliberet de delenda familia & regno Dauidis. Hæc, inquam, cum Propheta antea significauerit, reprehendit nũc etiam suorum ciuium iniquitatem & crudelitatem, priusquam recitet supplicium, quod uenturum est in Sãneherib regem Assyriorum. Reprehendit autem eos hoc consilio, ut cum audiunt hostium suorum interitum, non existiment se esse prorsus innocentes, & fiant securi. Hoc enim est ingenium humanæ naturæ, cum audit reprehensionem alienorum scelerum, & uidet supplicia aliorum hominum, existimat se esse innocentem, & applaudit sibi in sua, quam fingit, iusticia. In Euangelista Luca, capite decimotertio, nunciant quidam Christo interitum Galilæorũ, perinde ac si ipsi essent innocentes, sed audiunt uicissim a Christo: Putatis quod hi Galilæi soli fuerint peccatores? Non, dico uobis. Nisi egeritis pœnitentiam, omnes peribitis. Sic & hoc loco, cum Propheta exposuisset suis ciuibus supplicia regni Israelis, uertit se ad ipsos, quasi ita dicturus: Recensui uobis nunc, quanta calamitate perierint hostes uestri Israelitæ. Sed quid? num existimatis illos solos fuisse peccatores? Minime omnium. Dico enim uobis, quod tanta scelera a uobis designentur, ut nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Admoneamur & nos, & excitemur ad resipiscentiam alienis exemplis. Audimus nonnunquam, Turcas crudelissime sæuire in regiones Christianorum. Videmus quosdam sceleratos publicis supplicijs, uel cruce, uel gladio, uel suffocatione, uel igne affici. Videmus item quosdam horribilibus morbis affligi. Quid? Putamusne hos solos peccasse? Minime omnium. Peccauimus eñ & nos, idq; non minori grauitate. Quare nisi resipiscamus, idẽ aut longe grauior manet nos interitus. Sed redeundum est ad propositũ. Propheta reprehendit auditores suos tã principes, q̃ priuatos, quod iniquis legibus, & grauibus oneribus opprimerent pauperes, & degluberent uiduas ac pupillos. Multa quidem erant scelera, quæ Hierosolymis tam a Principibus quam a priuatis designabantur, sed Propheta contentus est nunc unum genus sceleris commemorasse, ut excutiat eis opinionem suæ innocentiæ. Væ, inquiens, his qui statuunt statuta iniqua, & conscribunt literas (contractus) molestas, ut peruertant causam miserorum, & diripiant ius pauperum populi mei, ut sint uiduæ præda eorum, & diripiant pupillos. Putatis ne, quod Deus his iniquitatibus parsurus sit? Certe nisi resipiscatis, uisitabit uos DOMINVS uel tandem grauissimis calamitatibus. Nec ullum reliquum erit uo-

Pœnitentia omnibus necessaria.

bis asylum,nec quisq̃ erit,qui uos conseruaturus sit,ne uel captiui abducamini,uel crudeliter interficiamini. Deus.n. cũ inceperit impietatem punire, non mitigatur nec exatiatur supplicijs, sed dum pergunt homines impudenter peccare, pergit ipse seueriter affligere,donec impœnitentes omnino deleat. Hæc pars concionis pertinet ad ciues Hierosolymitanos,quos & alij Prophetę accusant crudelitatis in miseros. Principes enim & Iudices uarie peccabant in homines pauperes & abiectos. Alias enim legibus & statutis suis hoc agebant,non ut paupertati ciuium consuleretur,sed ut fiscus ipsorum augeretur,& ipsi uitam suam in luxu transigerent:alias accipiebant personas in iudicio. Qui numerabat aliquid,iudicabatur bonam habere causam. Qui pauper erat, reddebatur iudicijs pauperior,etiamsi iustissimam haberet causam. Et quia uiduæ & pupilli non habebant tutores, patebant prædæ & direptioni potentiorum. Priuati autem homines contrahebãt inter se emptione & uenditione fraudulenter. Conscribebant chirographa astute,& captiose, quibus postea alter alteri in iudicijs graues erant. Hiere. capite quinto dicit: Causam uiduæ non iudicauerunt,causam pupilli nõ direxerunt,& iudicium pauperum non iudicauerunt &c. Et Ezechiel capite uicesimosecũdo: Aduenam calumniati sunt in medio tui, pupillum & uiduam contristauerunt apud te. Et mox: Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem,usuram & superabũdantiã accepisti,& auare proximos tuos calũniabaris &c. Habes igitur in his Esaiæ & aliorũ Prophetarum locis, quibus rebus uel conseruetur uel amittatur gloria & maiestas alicuius regni aut ciuitatis. Sunt enim,qui putant se tũc tueri regnum aut ciuitatem, cum curant ut conseruentur muri & fossæ. Atq; hæc quidem cura non omitti debet,sed non debet esse præcipua,& maxima omnium. Ciuitas enim conseruatur pietate & obedientia uerbi Dei. Perit autẽ impietate & inobedientia uerbi Dei. Inter impietatis autem genera & hoc unum est, cum nulla habetur ratio miserorum & pauperum,ac uiduarum & pupillorum. Hi enim, & si uidentur ab hominibus deserti, non tamen sunt deserti a Deo, quia Deus uocat se Iudicem uiduarum & patrem pupillorum. Et quo quis afflictior est,eo magis Deus eum respicit. Habitat Deus in altis,& humilia a longe cognoscit. In Deut. decimoquinto, clamor pauperis contempti penetrat ad Deum &c. Et Prouerb. uicesimotertio dicitur: Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne intro eas. Propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum. Quare quicquid uel boni uel mali feceris homini misero, uiduæ aut pupillo, hoc Deus sibi ipsi factum iudicat. An nõ solemus nos in eorum amicitiam insinuare, quos uidemus esse

Regna & ciuitates quibus conseruentur.

proximos

proximos principibus, & proceribus regni aut Reip. si forte per ipsos impetremus a Principibus beneficia: ac sollicite cauemus, ne offendamus ipsos, ut si nō petimus, quo nobis prosint, saltem prouideamus, ne nobis obsint. Inter homines autem huius terrę proximi Deo sunt pauperes, uiduae & pupilli, quia Deus dixit, se hos respicere, se horum esse patrem, iudicem & propinquum. Quare debemus his benefacere, ut loquantur pro nobis coram Deo bona, et conseruetur Respub. incolumis &c.

VÆ ASSVR, VIRGA FVRORIS &c.

Accedit Propheta ad principale institutum huius concionis. Suscepit enim consolandum populum suum, cum fama uenisset ad incolas regni Iudæ, & ciues Hierosolymitanos, quod rex Assyriorū post deuastatam Samariam susceptus esset bellum aduersus regnum Iudæ, & deleturus esset hoc regnum sicut regnum Samariæ, Itaq; Principes familiæ Dauidis, & ciues magno metu contremiscebant. Monarchia enim totius terrae erat ea tempestate apud Assyrios. Nec ullus rex erat hoc Monarcha potentior. Niniue fuit metropolis eius, cuius ciuitatis ambitus complectebatur quadringenta octoginta stadia, quę faciunt quindecim milliaria Germanica. Vnde & in Iona dicitur habere iter trium dierę. Preterea Deus uidebatur deseruisse Iudæos & elegisse Assyrios seu Niniuitas. Miserat enim superioribus annis ad eos Prophetam Ionā, & cum egissent pœnitentiam, recepit ipsos in gratiam, quemadmodum testatur liber Ionæ. Adhæc concesserat eis prosperrimos successus in bellis aduersus alias gentes, quēadmodum postea sequitur. Quare Principes & ciues regni Iudæ uehementer metuebant in incursu tanti Monarchæ de salute regni sui. Sed Propheta iubet eos in hac concione bono animo esse. Ac dicit: Assyrium excitatum quidem diuinitus, ut affligat ipsos, non autem permissum esse ei a Deo, ut regnum Iudæ deleat, quin potius fore, ut ipse turpissime intereat. De qua re postea pluribus. Nunc, quod in hoc loco primum est, exponit Propheta Assyrium seu regem Sancherib excitatū esse a Deo, ut Principes & ciues regni Iudæ affligat. Virga, inquiens, furoris mei, & indignatio mea, est uirga in manu eorum. Mittam eum ad gentem pollutam seu hypocriticam &c. Etsi enim incolæ regni Iudæ habebant ueros cultus Dei, qui abrogatis impijs sacris, restituebantur iam per pium regem Ezechiam, tamen mores eorum erant corruptissimi. Non resipiscebant ex animo, sed maiorē habebant curam uentris quam pietatis. Quare Deus suscepit eos per Assyrium affligendos, non aūt prorsum perdendos. Itaque permittit, ut Assyrius deuastet totam regionem eorū, ut ciues regni in maximo omnium essent metu salutis suæ, sicut tradit historia Ezechiæ. Hic

ergo perſpicue docetur, quæ ſit uera ratio afflictionis, quam Deus mittit populo ſuo, habenti quidem ueram pietatem, ſed interim non ſatis diligenter & ſollicite cauenti peccata. Primum enim, Propheta dicit, quod Deus ipſe miſſurus ſit Aſsyrium, & mandaturus ei, ut ſpoliet regnum Iudæ: Ego (inquit Deus) MITTAM eum, & MANDABO illi &c. Quo ſignificatur, quod hoſtes, aut aliæ calamitates, nihil mali poſsint inferre populo Dei ſeu pijs, niſi Deo iubente & mandante, ſeu ut nos loqui ſolemus, permittente. Hoc non eſt oſcitanter conſiderandum. Nam homines, cum affliguntur, ſolent præcipuam cauſam afflictionis in ſolum Satanam, aut in malos homines conferre, & non reſpicere in Deum autorem. Vociferantur, ſe non diuina adminiſtratione, ſed aut Satanica, aut humana malicia affligi. Ideoq; deſerto Deo, & abiecta in uocatione Dei, quærunt aliena præſidia. Sed hic diſcendum eſt, quod Deus iubeat & mandet hoſti, ut affligat populum ſuum. MITTAM, inquit, & MANDABO &c. In Threnis Hieremiæ capite tertio dicitur: Quis eſt iſte, qui dixit, ut fieret Domino non iubente? Ex ore altiſsimi non egredientur nec bona nec mala? In Euangelio dicit Chriſtus: Non cadit capillus, non cadit paſſer in terram ſine uoluntate Dei &c. Et Danielis nono, fatetur palam Daniel, quod Deus ipſe eiecerit Iudæos in exilium, cum tamen eiecti erant per Nebucad Nezarem. Deus (inquit) ſuperinduxit in nos malum magnum, quale nunquam fuit ſub omni cœlo etc. Et mox: Vigilauit Dominus ſuper malicia, & adduxit eam ſuper nos &c. In ſecundo Reg. cap. decimoſexto ait Dauid: Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret Dauid &c. Hoc autem ideo eſt conſiderandum, ut exortis afflictionibus, non conuertamur ad execrationes, ad uirulētiam, aut ad impia auxilia, ſed conuertamur ad Deum autorem afflictionis, & inuocemus ipſum, quo nos ſeruet. Deinde, non ſufficit cognoſcere afflictiones eſſe a Deo, niſi ſciamus etiam uoluntatem & cōſilium Dei in afflictionibus. Vnde & hoc loco, cum Eſaias recenſeret incurſionem hoſtis, uocat hoſtem, Virgā, & Baculum. Non uocat eum Gladium, aut Rotā. Nam Schebet, quod pro uirga ponitur, ſignificat tam uirgam, quam ſceptrum. Vtuntur quidem parentes aliquoties uirga ad caſtigandos pueros, is tamen non eſt principalis uſus uirgæ: ſed etiā pro ſceptro, quo populi reguntur, uſurpari ſolet. Qua re, cum ſpiritus ſanctus in recenſendo ſupplicio Dei utitur nomine uirgæ, haud obſcure ſignificat ſupplicium, quo populus Dei afficitur, non eſſe perditionem, ſed potius diſciplinam, qua Deus populum ſuum regat, & in officio contineat. Idem de baculo dicendum eſt, qui uſurpatur quidem nonnunquam ad percutiendum delinquentes,

Afflictionum uera ratio.

Oſe. vi. Conuerſum eſt in me cor meū. Non faciam furorem iræ meæ, &c.

delinquentes, sed proprius usus eius est, ut eo innitaris. Sic & supplicia, quæ immittuntur populo Dei, magis sunt adiumenta quam detrimenta eius. Vnde Paulus dicit: Scimus, quod omnia adiumento sunt in bonum his qui diligunt Deum. Itaque spiritus sanctus ex his supplicíorum uocabulis palam significat, Deum non uelle suos in afflictionibus perdere sed seruare. Accedit & hoc, quod Propheta commemoraturus supplicium inferendum populo Dei per Assyrium, statim ab initio inuehitur in ipsum Assyrium: Væ, inquiens, Assur. Quo certe significat hostes affligendo populum Dei, seipsos magis quam populum Dei perdere. Rex Assyriorum Sancherib nunquam tam turpiter periisset, si non tam tam cladem intulisset regno Iudæ. Sic Iudæi seipsos perdiderunt, quia conabantur Christum & Apostolos, ac totam Ecclesiam Christi perdere. Sic mors & inferni dolores seipsos afflixerunt, quia affligebant Christum. Hæc magna est consolatio piorum in afflictionibus, quod certi sunt, hostes ipsorum perire, dum ipsi perire uidentur. Quare non est insaniendum in aduersis, sed respiciendum est in manum Domini, ut qui cœpit percutere, etiam sanet.

IPSE AVTEM NON SIC ARBITRABITVR, ET COR EIVS &c.

Exposuit Esaias uocationem regis Assyriorum, qua diuinitus fuit ordinatus, ut affligeret ciues & incolas regni Iudæ. Virga, inquit, furoris mei, & baculus ipse est. Et mox: Ad gentem fallacem mittam eum &c. Nunc autem exponit impietatem & crudelitatem qua rex Assyriorum Sancherib abusus est uocatione & felicitate sua. Deus enim uocauit Sancheribum, ut mediocriter affligeret regnum Iudæ: ipse autem cogitauit hoc regnum radicitus extirpare & delere. Deus dedit Sancheribo multas præclaras uictorias, ut inuitaret eum beneficijs ad cognitionem ueri Dei, ipse autem abusus est his beneficijs ad contemptum Dei, ad tyrannidem, ad arrogantiam & superbiam. Describitur ergo hoc loco in Sancheribo exemplum τοῦ ἐναντίου impij magistratus, qui solet potentia sua abuti ad impietatem & tyrannidem. Ac primum dicit Dominus: Mandabo illi ut auferat spolia &c. Ipse autem non cogitabit sic. hoc est, Ego cogitaui meum populũ in regno Iudæ tolerbilter affligere, & selegi in hũc usum Sancheribum regem Assyriorum, ut esset mea uirga & meus baculus. Ipse autem accepta a me potestate sic abutitur, ut nõ meditetur nisi internecionem totius populi mei. Hoc est ingenium, hi sunt mores impij magistratus. Vocatur enim magistratus diuinitus ad puniendum malos, quo contineantur in officio. Sed si magistratus fuerit impius, existimat potestatem sibi datam pro sua libidine in quosuis grassandi: ideoque fieri solet, ut aud

nimis crudeliter sæuiat in subiectos, aut nimis indulgenter & ignauiter eos habeat. De rege Babylonis conqueritur alias Esaias capite quadragesimoseptimo: Iratus fui, inquit Dominus, super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in manu tua. Non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum ualde &c. Et Zachariæ primo: Zelo magno zelatus sum Hierusalem & Zion, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum. Econtra habes exemplum in Saule, & Ahabo, qui eos, ad quos puniendos uocati erant, nimis clementer tractauerunt. Ad Saulem dicitur: Percute Amalec, & demolire uniuersa eius. Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus eius aliquid, sed interfice a uiro usque ad mulierem &c. Saul uero pepercit ouibus & bobus, adeoq; regi ipsi Amalec, &c. Item iij. Reg. xx. dedit Deus regi Ahabo uictoriam super hostem Benadab regem Syriæ, ac debuisset Ahab ex diuina uocatione interfeciſſe impium tyrannum Benadabū, Sed Ahab pepercit ei, & iunxit cum ipso fœdera amicitiæ. Quid ergo dicemus? num reprehendenda est regis clementia? Per se quidem laudanda est uirtus clementiæ. Est & ipsa seueritas uirtus commendatione digna. Sed clementia aduersus uocationem Domini est ignauia, Seueritas autem est crudelitas. Deus enim exigit, ut magistratus sectetur in puniendo & ignoscendo non libidinem animi sui, sed uocationem Domini, & rectitudinem officij. Non enim ferre potest in magistratu, ut pro priuato suo affectu nocentes uel puniat uel absoluat, sed ut iusticiam & iudicium obseruet. Extat uetus uersiculus: Dat ueniam coruis, uexat censura columbas. Et leges dicuntur similes telis aranearum. Hæc certe Deus abominatur. Et punit hanc iniquitatem grauissime. Saneherib, & NebucadNezar fuerunt nimis crudeles contra officium in Israelitas. Quare Deus deiecit ipsos a regia ipsorum maiestate. Saul fuit nimis clemens in Amalec, ideo audit: Pro eo quod abieciſti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Ahab audit: Quia dimisisti uirum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Et Ieremiæ quadragesimooctauo, de puniendis Moabitis dicitur: Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, & maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. Hæc magistratui diligenter obseruanda sunt, ut sciat nō licere ipsi, ut pro suo arbitrio iudicet unum & idem peccatum alteri esse ueniale, propter personæ dignitatem ac excellentiam, alteri esse capitale, propter personæ humilitatem & abiectionem. Nam qui sic inique iudicat, is sciat seipsum suo iudicio extremis malis obijcere, &c. Deinde commemorat

memorat Esaias iactantiam regis Assyriorum de sua potentia, & uictoriis. Nunquid non Principes mei sunt reges? Nunquid non ut Carcamis, sic Calanna? &c. Calannæ urbis mentio fit Genesis decimo, & Amos sexto. Eodem loco Amos fit etiam mentio Emath, quam putant Antiochiam esse. Fit & huius Emath, similiter & Arphad mentio infra Esaiæ cap. trigesimoseptimo. De Carcamis nihil certi constat, nisi quod res ipsa significat fuisse urbem in uicinia harum urbium quæ hic commemorantur. Vides autem iactantiam regis Sancherib, sicut & postea capite trigesimoseptimo dicit: Tu audiuisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum, omnibus terris, quas subuerterunt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij gentium &c. Habes ergo iterum ingenium & mores impiorum, quod abutantur donis Dei ad impietatem, & contemptum Dei. Dominus enim Deus noster tantę est clementiæ, ut sinat solem suum oriri non solum super iustos, sed etiam super iniustos, et conferat uictoriam non tantũ in pios, sed etiam in impios reges, qualis fuit Sancherib. Confert autem in impios beneficia sua, ut inuitet eos ad pœnitentiam, & ad ueram agnitionem Dei. Nam Deus dedit tot illustres uictorias, quæ hic recensentur, impio regi Sancherib, hoc consilio, ut sicut maiores eius conseruarunt urbem Niniue pœnitentia sua, quam ex prædicatione Ionæ susceperunt, ita ipse agnoscat nunc clementiam ueri Dei erga se, & propaget cognitionem eius Dei inter gentes, quas superauit. Sancherib autem tam impie abutitur uictoriis suis, ut potius indurętur in idolatria sua, & contemnat uerum Deum, ac populum eius. Idem ingenium est in Pontificibus Romanis, in Turca, & in priuatis quibuscũ impijs, qui cum accipiunt diuina beneficia, non assurgunt ex ipsis ad agnoscendum uerum Deum, & ad agẽdum ei gratias, sed incipiunt magis fauere suæ impietati, cui & adscribunt suam, quam habent, fortunam, præ qua etiam impietate rident, contemnunt, & blasphemant uerum Deum, ac ostendunt ei medium digitum. Quid ergo sequitur? Cum compleuerit (inquit) Dominus cuncta opera sua in monte Zion & in Hierusalem, uisitabo super fructum &c. Deus enim tantum abusum & contemptum non fert impune, sed animaduertit in eum seueriſsime. Ignoras, inquit Paulus, quod bonitas Dei inuitat te ad pœnitentiam? Sed iuxta duriciam tuam & cor pœnitere nescium colligis tibijpsi iram, &c. Exemplum habes in Sancherib, de cuius fœdissimo interitu Propheta postea capite trigesimoseptimo concionabitur. Prętera Sancherib abutitur potentia sua ad arrogantiam & elationem animi. Gloriam enim uictoriarum non fert acceptam Domino, sed suis uirtutibus. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci &c. In

Impiorum mores.

uenit manus mea fortitudinem populorum, tanquam nidum ouorum gallinarum &c. hoc est, ego mea sapientia & fortitudine subieci mihi omnes nationes facillime, & nullo audente mihi resistere. Eandem arrogantiam habes in Nebucad Nezare, Esaiæ decimoquarto, & quadragesimoseptimo: & Danielis quarto. Similiter in principe Tyri Ezechie. uigesimooctauo. Extat etiam arrogantia Herodis Actorum duodecimo. Hæc arrogantia est blasphemia aduersus Deum. Detrahit enim maiestatem, quæ debetur Deo & adscribit eam humanis uiribus. Sed ut hæc arrogantia uulgaris est in impijs, ita uulgare est Domino, ut pudefaciat arrogantes, & puniat eos grauissime. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hæc idcirco nobis cognoscenda proponuntur, ut humiliemus nos coram Domino, & feramus ei accepta beneficia, ac bene utamur ipsis, ne una cum arrogantibus & superbis opprimamur.

NVNQVID GLORIABITVR SECVRIS CONTRA EVM QVI SECAT, &c.

Audiuimus antea arrogantiam & iactantiam Sancheribi regis Assyriorum, audiamus nunc diuinam reprehensionem, & supplicium eius. Nunquid gloriabitur, inquit, securis contra eum, qui secat in ea? aut gloriabitur serra, aduersus eum, a quo trahitur? Quasi uero uirga moueret etiam eum, qui eleuat ipsam: quasi eleuaret se baculus, nec esset lignum. hoc est, Rex Assyriorum est uelut securis, serra, uirga & baculus, quæ certe suis uiribus per se nihil efficere possunt, sed sunt tantum organa & instrumenta, quibus opifices & alij homines ad conficienda opera sua utuntur: ita rex Assyriorum nihil potuisset aduersus regnum Iudæ efficere, nisi Dominus Deus usus esset ipso pro instrumento. Quid ergo sibi uult hæc uanitas, quod glorietur, quasi effeciisset aliquid sua ipsius uirtute, fortitudine & sapientia? Sed non impune feret hanc superbiam, & arrogantiam. Mittet (inquit Propheta) Dominus tenuitatem, seu maciem in pingues eius: hoc est, pauciores & impotentiores faciet Principes eius. Et subtus gloria eius succensa ardebit quasi combustio ignis: hoc est, maiestas eius deijcietur, & consummabitur quasi ab igne. Lumen Israelis (quod est, Deus ipse, cuius ignis & lucerne ardent continenter in tẽplo Hierosolymitano) erit in ignem, & Sanctus eius in flammam: quia & si Dominus est lux pijs, ut seruentur in omnibus tenebris afflictionum, tamen erit impio regi Assyriorum, & exercitui eius, ignis & flamma comburens & deuorans, quia succendetur & deuorabitur spina eius, &

uepres

uepres in die una. Cum Propheta fecerit mentionem ignis, quo solent in agris spinæ & uepres succendi & comburi, utitur spinarum & ueprium metaphora, ad significandum celerem interitum regis Assyriorum. Vnde & in eadem metaphora pergit: Gloria saltus eius, & Carmeli, hoc est, campi syluestris, (Interpres enim usus est proprio nomine montis, pro appellatiuo) consumetur ab anima usque ad carnem: hoc est, ab animatis usque ad inanimata: Consumentur tam uolucres & feræ syluestres quam arbores. Et erit (sylua) quasi subito euanescens. Ac reliquiæ arborum eius syluę tam paucæ remanebunt, ut puer paruulus, qui uix numerare sciat, possit eas notis, aut, ut uocant, ziphris consignare. Sunt & hæc de interitu regis Assyriorum intelligenda. Non est autem obscurum, quanta clade rex Assyriorum in Iudæa oppressus sit, & quam turpiter ex Iudæa fugerit. De qua re uide infra capite trigesimoseptimo, & quarto Regum decimonono. Sed quid hoc est? inquies. Nos uocamur seueriter ad lectionem sacræ scripturæ, & ad audiendum uerbum Dei, ac nisi pareamus, grauissime reprehendimur. Ecce autem, cum posthabitis omnibus alijs negocijs, uenimus audituri uerbum Dei, commemorantur nobis ex Esaia aut alio Propheta, nescio quæ, de rege Assyriorum, & de Iudæis, quæ iam ante duo millia annorum gesta sunt. Quid ad nos illa Assyriaca & Iudaica? Hæccine tanti momenti sunt, ut ad cognoscenda ea intermittamus alia negocia, & algeamus ac esuriamus? Hæc solent ab ignauis & mente cogitari & uerbis dici. Sed hi sciant uniuersam scripturam in nostri doctrinam literis mandatam esse. Quare discamus nunc usum huius concionis, quam ex Esaia de rege Assyriorum & interitu eius recitauimus. Nam præcipui cultus, quos debemus DOMINO Deo nostro præstare, hi sunt, Fides, Inuocatio, Timor, Humilitas, & Obedientia. Hæc sacra placent Deo. Hæc sacra discenda & peragenda sunt. Quæ autem dicta sunt de rege Assyriorum, de arrogantia & supplicio eius, primum docent nos Timorem Dei & humilitatem. Vocatur enim rex a spiritu sancto, Securis, Serra, Virga, Baculus, quibus epithetis significatur, ipsum cum omni potentia sua, (erat autem suo tempore potentissimus omnium Monarcha) non esse nisi mortuum instrumentum, quod efficit quidem aliquid, si in manus artificis sumatur: iacet autem omnium uirium expers, si non suscipiatur ab artifice. Ac Securis nocere quidem potest, si quis incautus pedem in eam iacentem figat: Prodesse autem non potest, nisi ab artifice directa. Si hoc est Rex longe omnium potentissimus, quanto magis hoc sunt omnes alij homines. Cor Regis, inquit Salomon, in manu DEI

est, sicut flumina aquarum, quorsum uolet, inclinabit. Si cor regis nihil potest, nisi quo Dominus duxerit, quid dicemus de aliis hominibus? Ac profecto homines natura sua tales sunt, ut per se quidem nihil queant, nisi peccare. Quod si autem aliquid boni efficiendum est, necesse habent manu artificis Dei accipi. Iactant nonnulli naturales uires liberi arbitrij. Iactant alij merita operum suæ iusticiæ. Sed horum iactantia compescenda est his epithetis. Habemus natura arbitrium, sed propter peccatum originis ita corruptum, ut per se non possit, nisi male agere. Ad facienda autem uere bona coram Deo, non magis ualet, quam securis, aut serra, aut uirga, aut baculus seipsum de terra sustollere, & aliquid efficere ualeat. Accedit ad hæc epitheta, etiam lutum figuli, de quo alias Esaias & Hieremias concionantur. Ecce (inquit Hieremias) sicut lutum in manu figuli, sic uos domus Israel in manu mea, dicit Dominus. Et Paulus Romanorum nono: Num dicet figmentum ei, qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum? &c. In hæc Prophetarum & Apostolorum dicta intuendum est, ut discamus Deum timere, de nobis humiliter sentire, & Deo omnem bonorum gloriam dare. Deinde excitamur ad obedientiam Deo præstandam. Cum enim audimus nos esse Dei instrumenta, debemus nos Deo præbere aptos & paratos, sicut instrumenta sese artifici præbent, ut opus suum per nos efficiat. Securis non pugnat cum artifice, sed secat ea, ad quæ secanda ab artifice dirigitur: ita & nos non debemus repugnare uoluntati Dei, sed ei obedire. Paulus Romanorum sexto ait: Quemadmodum præbuistis membra uestra, seruta immundiciæ & iniquitati ad aliam atque aliam iniquitatem, Sic & nunc præbete membra uestra serua iusticiæ ad sanctificationem, &c. Nec est, quod causseris, te paratum quidem esse instrumentum Dei, Deum autē non sustollere te, nec uti tua opera. Hoc uere obijcere non potes, quia Deus semper uerbo suo præsto adest, & cupit te in manum accipere, ac te uti. Maxima autem hominum pars tam mali sunt, ut nolint se artifici præbere obsequentes, sed repugnent ei quibus modis possunt. Hi pereunt suo ipsorum malo. Nam qui se obsequentes præbent, his Deus utitur ad perficiēda cœlestia opera. Est & illud in hoc loco considerandum, quod Esaias dicit: Deum sanctum Israelis, fore Lumen (hoc est) Deum Israelis esse ignem & flammam regis Assyriorum. Docet enim impios affligi propter pios. Etsi enim populus Dei meretur aliquoties supplicīū, & punitur per impios, tamen nihil certius est, quam quod seruatis pijs, impij tandem pereant, non solum quod designauerint secum magna & immania peccata, sed maxime omnium, quod fuerint crudeles in pios. Itaque propter pios uni-

Liberum arbitrium.

uersa

uersa impiorum regna subuertuntur. Hoc idcirco cognoscendum est, ut non patiamur nos abduci furore impiorum a uera in Deum pietate, sed constanter sectemur piam doctrinam, certissimi, quod perpetuo seruemur, etiamsi in hoc mundo perire uideamur.

ET ERIT IN DIE ILLA, NON ADIICIET RESIDVVM ISRAEL, ET HI QVI SVPERERINT DE DOMO IACOB, &c.

Concludit Propheta more suo priorem partem huius concionis uaticinio de regno Christi. Dixi Lumen Israelis fore ignem regi Assyriorum, & combustur̃ ipsum, tanquam ligna syluarum, ut uix reliquiæ superstites maneant. Quid igitur fiet de populo Israel, cuius pars abducta nunc est in captiuitatem Assyriacam, pars obruitur magnis calamitatibus in regno Iudæ? Num & huius populi regna peribunt, sicut & alia regna huius seculi? num & hic populus delebitur, sicut & alij populi? Ad hoc respondet Propheta. In die illa, inquiens, non adijciet residuum Israel &c. hoc est, Israelitæ non sic peribunt, quemadmodum populus aliarum gentium, sed semper in maximo erunt numero, sicut arena maris, usq; ad aduentum Christi, qui per Prophetas promissus est. Eo igitur tempore, quo Christus in hunc mundum uenit, Israelitæ non amplius confident externis regum auxilijs, quibus in necessitatibus suis pudefiunt, sed confident Domino sancto Israelis, qui est Christus Dominus noster, & conuertentur uere in fide ad Deum fortem, hoc est, agnoscent Christum, qui est Deus fortis, conseruans omnes credentes in ipsum, ad æternam uitam. Quid? Omnes ne Israelitæ conuertentur & agnoscent Christum? Minime, Sed residuum tantum Israelitarum, & reliquiæ, hoc est, pauciss imi. Etsi enim numerus Israelitarum multiplicabitur iuxta promissionem Dei sicut arena maris, tamen cum uenerit Christus, reliquiæ tantum, hoc est, pauci admodum, qui reliquis uidentur abiectiores, cõuertentur ad Christum & agnoscent eum. Consummatio abbreuiata inundabit iusticiam. Consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum facit in medio omnis terræ. Hoc sic transferri debet: Consummatio (seu deuastatio) demandatur executioni. Inundabit iusticia, quia consummationem & executionem facit Dominus &c. Nam ubi uulgata tralatio habet Abbreuiata & Abbreuiationem, Hebræus habet חרוצה & חרון. Quod uerbum non significat proprie sententiam definire, sed significat definitam sententiam exequi & opere complere, ut sit sensus. Cum uenerit Christus & reuelatum fuerit Euangelium, tunc fiet cõsummatio gentis Israeliticæ, & ea deuastatio seu abiectio, quę iamdudũ

definita est, ὁpere complebitur. Interim tamen iusticia inundabit, hoc est, prædicabitur Euangelion, quo reuelatur Christus, qui affert omnibus credentibus in ipsum, siue Iudæis siue gentibus abundantem iusticiam. Quod autem hic locus intelligendus sit de abiectione Iudaicæ gentis, & electione tantum reliquiarum eius, hoc est, paucissimorum ex Israel, perspicue exponit Paulus ad Romanos capite nono. Quo in loco etsi Paulus utitur tralatione septuaginta interpretum, tamen manifeste significat eam esse sententiam huius loci, quam supra exposuimus. Nam compositionem harum duarum dictionum, (Consummationem, & Abbreuiationem) ac phrasin earum habes etiam postea capite uicesimooctauo, cum dicitur: Consummationem & abbreuiationem audiui a Domino. Et Danielis nono: Vsq; ad consummationem & finem, &c. Et capite undecimo: Donec compleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio. Ex his locis licebit etiam de dicto Esaię, quod hic recensetur, iudicare. Nam חרץ significare sententiæ executionem, & operis definiti completionem, clare notatur ex dictis Salomonis Prouerb. decimo: Manus חרוצים haruzim, hoc est, sedulorum, uidelicet eorum qui definitum suum opus diligenter complent, diuitias parat. Et capite uicesimoprimo: Cogitationes חרוץ haruz, hoc est, diligenter exequentis & explentis suam functionem, semper in abundantia. Et capite xiij. Anima חרוצים haruzim, hoc est, operantium seu explentium suum definitum officium, impinguabitur. Quæ autem Esaias hic conionatur de implectione abiectionis Iudæorum, hoc idem Ioannes Baptista postea clare concionatus est: Securis, inquiens, ad radicem arboris posita est &c. Et: Ventilabrum in manu eius, & repurgabit aream suam &c. Et Christus: Multi uocati, pauci electi. Ac rursus. Auferetur a uobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius &c. Sed ex hac concione Esaiæ primum admonemur, ne confidamus humanis uel auxilijs uel opibus, sed tantum Domino nostro Iesu Christo, qui est Deus fortis, auxiliator in necessitatibus. Magna est hominum impietas, qui non contenti uel uiribus uel opibus a Deo donatis, quærunt contra mandatum Dei alienas uires, & opes, ut libidini suæ satisfaciant. Sed hoc est iudicium diuinum de his uiribus & opibus, quod quæ existimabãtur fore nobis præsidio, hæ fiunt maximum exitium, & afferunt sectatoribus suis certissimam internecionem. Sic Iudæi confidebant auxilio Ægyptiorum, & Assyriorum, ac postremo etiam Romanorum, sed quos sperabant seruatores hos reipsa sentiebant oppressores. Sic & de diuitijs ait Salomon, Prouerbiorum undecimo. Non proderunt diuitiæ in die ultionis. Et mox: Qui confidit diuitijs suis, corruet.

Et

Et capite uicesimosecundo: Qui calumniatur egentem, ut augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. Et Ecclesiast. quinto: Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Cum igitur aliena auxilia & opes afferant his, qui ea contra uerbum Domini quærunt, exitium, non hoc nobis agendum est, ut ineamus fœdera cum potentibus, quo possimus nos ulcisci de aduersarijs nostris, & tuti dominationem pro nostra libidine administrare: nec congregemus opes impostur is & calumnijs, quibus confisi proximos nostros fastidiamus, sed quæramus Dominum nostrum Iesum Christum, cui et innitamur, ut perpetuo seruemur. Deinde quod Esaias dicit, Reliquias tantum Israelis saluas fore, medetur offendiculo, quod obijcitur nobis ex paucitate Iudæorum, ac aliorum hominum credentium in Christum. Cum enim imbecilles uident paucissimos Iudæos, quibus tamen promissus erat Christus, credere in Christum, sollicitantur putare, hunc Iesum non esse uerum Christum. Adhæc, cum uidemus maximam hominum partem contemnere Christum, solemus existimare Christum non regnare ad dextram Dei Patris sui. Sed hoc offendiculum tollit spiritus sanctus, dum tanto tempore ante aduentum eius concionatur fore, ut paucissimi Iudei sint Christum accepturi. Ac in hoc mundo semper uerum est, quod in Euãgelio dicitur: Multi uocati, pauci electi. Quare nõ offendamur paucitate credentium, sed potius demus operam, ut & nos inter paucos illos coram Deo numeremur. Est & hoc diligentissime obseruandum, quod Esaias dicit tempore aduentus Christi inundaturam iusticiam. Nam Christus attulit secum perfectam iusticiam, quia ipse iustus est Deus, & suscepto homine, impleuit omnem iusticiam legis. Peccatum enim nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hæc Christi iusticia nõ est parua aut mediocris, sed est affluens & abundans. Nec sibi tantum eam retinet, sed communicat eam cum omnibus ijs, qui credunt in ipsum. Quotquot enim accipiunt ipsum per fidem, his omnem suam iusticiam donat, ut nõ sufficientem tantum, sed etiam abundantem iusticiam in cõspectu Dei habeant. Pollicebatur & lex Mosi iusticiam, sed nullus hominum potuit eam assequi. Pollicebantur & Monachi iusticiam, quia sentiebant se suis operibus non sibi tantum mereri remissionem peccatorum & uitam æternam, sed etiam his, qui sese traderent in suas fraternitates, & cõmunionem suorum ordinum. Itaq; sentiebant apud se abundantem esse iusticiam. Sed hæ sunt impiæ nugæ. Non est abundans iusticia, nisi in solo Iesu Christo, quæ nobis per Euangelium donatur, & per fidem accipitur. Hæc autem accepta iusticia, declaranda erit nobis obedientia, & pietate uitæ, ut Christo grati simus.

Paucitatis offendiculo quomodo occurrendum.

PROPTER HOC, HÆC DICIT DOMINVS EXERCITVVM, NOLI TIMERE &c.

Hæc est altera pars huius concionis, & eiusdem argumenti cum priori parte. Cõsolatur enim ciues Hierosolymitanos, ne in incursu regis Assyriorum de incolumitate regni sui desperent, & uaticinatur interitum quidem regis Assyriorum, ortum autem & incrementum regni Christi, ut pij cognoscant, quod & si cadunt & ruũt potentissima regna huius seculi, exurgat tamen, & in æternum perduret regnum Christi, in quo solo salus piorum collocata est. Noli te, inquit, uobis, ciues Zionis, ab incursu regis Assyriorum metuere. Affliget quidem uestrum regnum, hæc autem afflictio non erit gladius carnificis, sed uirga & baculus parentis, ut peccatum uestrum aliquo modo castigetur. Ac talis erit afflictio, qualis contigit maioribus uestris in Ægypto, quę afflictio etsi fuit durissima, tamen non fuit eorum interitus. Seruati enim & liberati sunt magnis miraculis. Sic & uos nunc liberabimini. Permittam enim, ut propter peccata uestra, hostis inferat uobis bellum, & deuastet regionem uestram, non autem conniuebo ei, ut diu uos affligat & urbem Hierusalem expugnet, sed immittam ei repentinum terrorem, ut fœdissima fuga sibi salutem quærat. Et quemadmodum quondam Midianitæ, cum infudissent se innumerabili copia exercitus in terram Israeliticam, tanto metu ex buccinis & confractis lagenis
Iudi. 7. Gideonis admirabiliter concussi sunt, ut turbatis omnibus castris ipsorum, misere uociferati sint, ac eiulãtes fugerint, ita efficiet DOMINVS Zebaoth, ut & exercitus Sancherib repentino timore sic corripiatur, ut teneri non possit, quin sese turpiter in pedes conijciat. Ac sicut transeuntibus Israelitis per mare rubrum, & persequentibus eos Ægyptijs, Dominus iussit Mosen manum cum uir
Exod. 14. ga extẽdere, ut reuersis in alueum suum aquis, Ægyptij subito omnes præter expectationem in mari perirent: ita & hoc tempore immittet tantam pestem in exercitum Sancherib, ut una nocte cẽtum octoginta quinq; millia hoim pereant, reliqui aũt ijq; pauci statim sese fuga in suam regionem proripiant. Itaq; auferetur iugum, & onus eius a uestris ceruicibus, ut liberati e seruitute eius, consequamini pristinam libertatem. Ac hostis ueniet quidem in Aiath, quã ciuitatem putant alias Hai dictam, postea proficiscetur in Migron, cuius loci fit mentio in primo Regum decimoquarto: Nam ubi uetus tralatio habet, Sub malo granato, quę erat in agro Gabaa, pro, In agro Gabaa, apud Hebræos est, In Migron. Deinde recensebit arma bellica sua, apud Michmas, cuius fit mentio primo Reg. decimotertio & decimoquarto. Postea migrabunt hostes ad stationem Geba (quæ in Iosua cap. decimoquinto, numeratur in tribu Iuda)

quo

q̄uo in loco pernoctabunt. Porro ad hanc profectionem hostis, ciues Rama obstupescent. Ciues Gibeath, quæ cognominatur Saulis, quærent sibi salutem fuga. Et tantus erit terror, ut habitatores urbis Gallim (de qua est in primo Reg. uigesimoquinto,) horribiliter uociferentur, & clamor eorum perueniet usq; ad Laisa, & miseram Anathot. De Laisa habes Iudic. decimooctauo, quam uocāt alias Dan & Lesem. Anathot autem nobilis est ciue Hieremia Prophetæ. Nondum autem est finis terrorum. Nam & ciues urbis Medimna (Iosue xv.) fugient, & ciues Gebim cōgregabunt se, ut simul fugam capessant. Ac fama sparget, hostē breui mansurum in Nob, (de qua ij. Reg. xxi. & xxij.) ac mox profecturum aduersus Zion & Hierusalem. Sed audi tu miranda. Dominus Deus hunc hostem, qui se, ut cedri Libani, exaltat, ita opprimet, ut quemadmodum altissimę arbores syluæ securi excidūtur, sic & ipse e sublimitate & maiestate sua potenter deijciatur. Habes sententiam Prophetæ, nunc paucis perstringemus, in quem usum hæc & rebus acta, & literis mādata sunt. Voluit enim Dominus hac admirabili liberatione illustrare ciuibus Hierosolymitanis clementiam suam, qua populum suum amplecteretur, ut ea admoniti & excitati fidem confirmarent, & in uera pietate ambularent, ad consequendam æternam liberationem. Nobis aūt primum omnium obseruādum est in hoc loco, quanta sit seueritas Dei erga peccata, ut uerę timorē Dei discamus. Dicit. n. Propheta Dñm indignatum propter peccata ciuiū. Consummabitur (inquiēs) indignatio mea, et furor meus super sceIus eorum. Et tñ hi ciues erant electus populus Dei. Vides igitur, quod Deus intm̄ irascatur peccatis, ut & electum populū suū propter peccata affligat. Exemplo est Dauid, de quo extat elogiū Dei, quod sit uir secundum cor Dei electus. Et tamē cum peccasset adulterio & homicidio, Deus puniuit eum tāta seueritate, ut & e regno eijceretur, & uxores eius publice a suo ipsius filio uitiarentur. Exemplo item est Christus unigenitus filius Dei, qui &si peccatum nunquam fecit, tamen cum suscepisset in se omnium peccatorę culpam, subijt etiam diuino iudicio pœnam peccatorum, & obiectus est horribili ac turpissimæ morti. Hoc idcirco nobis cognoscendum proponitur, ut non existimemus Deum nullam habere rationem peccatorum, nec magnopere ea requirere. Sic enim uulgus de Deo iudicat, quod in cœlo curet cœlestia, & nō obseruet in terris, quid & quantum homines peccent. Sed hic uidemus curam & seueritatem Dei erga peccata. Deus enim tam diligenter obseruat peccata, ut etiam impias cordis cogitationes numeret, & tam seueriter animaduertit in ea, ut nē electo quidem populo suo ad ipsa conniueat, sed horribiliter ea puniat. Quare timenda est seueritas Dei,

Seueritas Dei erga peccata.

ut caueamus a peccatis, & ambulemus in uia iusticiæ. Deinde, discendum est hic, quam rationem habeat supplicium, quod diuinitus infertur pijs, hoc est, ijs qui &si peccauerunt, tamen supplicio admoniti, resipiscunt, & cõuertuntur ad Dominum. Adhuc paulum, inquit, modicumq;, & consummabitur indignatio mea, & furor meus super scelus eorum. Et mox: In die illa auferetur onus eius de humero tuo &c. Sic & infra capite liiij. dicitur: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Itaq; etsi pij, qui resipiscunt, affliguntur diuinitus, tamen afflictio non est perpetua, sed liberabuntur: Impiorum autem, seu impœnitentium afflictio perpetua est. Quare si quis propter peccata affligitur, agnoscat Dominum, conuertatur ad Dominum, ut pœna, quam sustinet, aut statim auferatur, aut saltem mitigetur. Nam si afflictus addat peccata peccatis, tantum abest ut effugiat afflictionem, ut corporalis afflictio sit initium perpetuæ infœlicitatis. Præterea discamus hoc loco quam rationem habeat prospera fortuna impiorum. Sane herib rex Assyriorũ usus est magna fœlicitate in expugnandis uiculis & ciuitatibus regni Iudæ, ideoq; concepit certissimam spem, se etiam urbem Hierusalem metropolin regni, sine ullo negocio expugnaturum. Sed ecce in hac media spe turpissime confunditur. Exercitus eius inopinato malo perit. Fugit rex fœdissime, & domi interficitur a suis ipsius liberis. Hæc est spes & fortuna impiorum. Vidi impium, inquit Psalmus, superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui & ecce non erat &c. Quare admonemur, ut non offendamur fœlicitate impiorum, sed ut proposito nobis ob oculos repentino eorum interitu, maneamus in officio pietatis, etiamsi hoc uideatur nobis aliquandiu infœlix & infortunatum. Iam & hoc considerãdum est, quod Propheta recitet iter regis Assyriorum quo uenit ad expugnandam Hierusalem, & cõmoret quos uicos, quas ciuitatulas regni Iuda in hac sua profectione expugnauerit. Hæc autem ita recenset, perinde ac si res iam gesta esset, cum tamen eo tempore, quo hęc concio dicta est, rex Assyriorum nondum incurrisset in fines regni Iudæ. Sed uoluit spiritus sanctus hęc ciuibus Hierosolymitanis antea nota esse, ut cognoscerent, quod nihil aduersi accidat ipsis, ignorante Deo, sed omnia probe sciente, ac etiam pro suo diuino consilio administrante. Deus autem tam bonus est, ut nihil mali permittat populo suo accidere, nisi magno ipsorum bono & commodo. Bene igitur confidant. Deus populum suum non tentabit plus quam ferre ualeant. In Euangelio dicitur, quod Deus etiam capillos capitis nostri numerauerit.

rit. Hoc plane conuenit cum eo, quod ſpiritus numerat hic uiculos & ciuitatulas, quas Aſsyrius ſit expugnaturus, ut ſciamus nulla aduerſa nobis accidere, niſi quæ antea a Deo numerata ſint. Hæc ſi diligenter conſiderantur, compeſcunt motus animi, & reducunt nos ad tranquillitatem in ferendis aduerſis. Si enim Deus ea numeraſſe, & eſt nobis propter Chriſtum propicius, certe erunt nobis utilia & commoda, ut quanto grauiora ſint aduerſa, tanto admirabilior & gratior contingat nobis liberatio.

CAPVT XI.

ET EGREDIETVR VIRGA DE RADICE, &c.

Propheta deſcripſit in fine ſuperioris capitis interitum regis Aſsyriorum, ſumpta metaphora ab arboribus ſyluæ: Subuertentur, inquiens, condenſa ſaltus eius, & Libanus, hoc eſt, excelſæ arbores, ſicut cedri in Libano, cadent per potentem. Qua metaphora intelliguntur fortes ac potentes Principes regis Aſsyriaci. In hoc autem undecimo capite concionatur Eſaias, ſeruata initio eadem metaphora arborum, de Chriſto & regno eius. Arbores (inquit) regni Aſsyriaci excidentur: ſed exorietur uirga e trunco Iſai, hoc eſt, e familia Dauidis, & ſurculus de radicibus eius fructum afferet. Hoc eſt manifeſtum uaticinium de Chriſto, teſtantibus non noſtris tantum, uerumetiam Hebræis interpretibus. Vocat autem Propheta familiam Dauid, cui promiſſus erat Chriſtus, Truncum Iſai, ut ſignificet Chriſtum tunc naſciturum, cum iuxta prophetiam Patriarchæ Iacob, ſceptrum ablatum ſit a Iuda, ac familia Dauidis filij Iſai, uideatur, ſicut truncus arboris, prorſus exaruiſſe. De Dauide et familia eius contemptim quondam dictum eſt ab Iſraelitis: Quæ nobis pars in Dauid? uel quæ hæreditas in filio Iſai? Quare Propheta facit nunc mentionē Iſai Patris Dauid, ut ſignificet Chriſtum tunc naſciturum hominem, cum poſteritas Dauidis plane cōtempta & abiecta uideatur. Sed quo conſilio, aut qua conuenientia Eſaias ſtatim poſt uaticinium de interitu regis Aſsyriorum, concionatur de exortu Chriſti & regni eius, cum tamen inter occubitum Sancherib regis Aſsyriaci, & Chriſtum hominem factum magnum ſit temporis interuallum, quo interea fuerunt in terris quatuor potentiſsimæ Monarchiæ, quas Daniel recenſet, uidelicet, Babyloniorum, Perſarum, Alexandri, & Græcorum ac Romanorum? Non eſt ſentiendum, quod Propheta temere inciderit in mentionem Chriſti & regni eius, Sed addit hanc concionem con-

Truncus Iſai.

3. Reg. 12.

uenientissimo ordine. Supra enim dixit: In die illa non adijciet residuum Israel, & hi qui fugerint de domo Iacob innixi super eo qui percutit ipsos: sed innitentur super DOMINVM sanctum Israel. Nunc igitur explicat copiosius, quis sit ille DOMINVS sanctus Israel, quo solo est fidendum, nimirum Christus, qui nascetur homo ex emortua pene stirpe Dauidis. Nã Israelitę ea erant impietate, ut deserto Domino, quæsiuerint præsidia in externis regibus aduersus hostes suos, ac præsertim in rege Assyriorum, postea etiam in alijs Principibus, uel Ægypti, uel Syriæ, uel etiam Romanorum. Præterea Israelitæ cogitabant se satis tutos, iustos & fœlices esse, si modo externa fruerentur tranquillitate in corporalibus huius terræ regnis. Esaias autem uaticinatur regnum Assyriacum, quamuis potentissimum, interiturum tamen, nec posse uel se uel alios populos seruare: interim haud obscure significans, etiam alia terrena regna, quæ sequentur, casura, & quod Daniel postea perspicue explicuit lapidem de monte abscissum, contriturum statuam, quæ adumbrabat terrena regna ante aduẽtum Christi: & bestiam, quæ & ipsa erat typus regnorum huius mundi, interficiendam, corpusque eius igni tradendum, hoc idem Esaias generali sententia hoc loco significat, cum ait: Excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur. Cum igitur nullum regnum mundanum constet, nec afferat ueram tranquillitatem & fœlicitatem, suscipit Esaias describendum Christum, & regnum eius, ut admoneat non solum suam ætatem, sed etiam posteritatem, ac uniuersam Ecclesiam, quo non collocet fiduciam in prę sidio humano, nec quęrat fœlicitatem suam in regnis mundanis, sed in solo Iesu Christo, & regno eius. Videamus igitur qualis rex sit Christus, & quale regnum eius. Requiescet, inquit, super eum spiritus Domini. Quæ Esaias Christo regi tribuit, hæc intelligenda sunt per antithesin ad reges huius mundi. Cum ergo dicit, Spiritum Domini requiescere super eum, opponit Christum mundanis regibus, & distinguit eum ab omnibus huius terræ Monarchis. Nam multi quidem fuerunt reges & Monarchæ in terris, sed super hos omnes requieuit spiritus Satanæ. Etsi enim nonnulli fuerunt pij, ut Dauid, Iosaphat, & alij, tamen non fuerunt natura pij, sed in peccatis concepti & nati, ideoq; spiritui Satanæ obnoxij, quantum quidem ad naturam ipsorum attinebat. Solus autem Christus natura habet spiritum sanctum Domini. Nam si diuinitatem eius consideras, unus est Deus cum spiritu sancto. Si consideras humanitatem, conceptus est de spiritu sancto, & præditus omnibus donis spiritus sancti. Porro autem, quod Esaias generaliter dixit, Spiritum DOMINI requiescere super Christum, hoc mox in partes diducit,

Daniel. 2.

Daniel. 7.

Christus qualis Rex sit.

ut

ut non tam copiosior fiat oratio, quam Christi maiestas apertius explicetur. Quis ergo est ille spiritus DOMINI, aut quæ sunt illa dona spiritus in Christo quiescentis? Primum, Requiescit super eum spiritus sapientiæ & intellectus. Etsi hæc duo uocabula suum habent discrimen, tamen ne nimia & morosa uocabulorum expositione molesti simus auditori, sumemus hæc duo pro eodem. Requiescet super Christum Spiritus sapientiæ & intellectus: hoc est, Christus erit rex sapiens, & intelligens. Hoc dicitur per antithesin ad mundanos reges. Hi enim aut sunt natura stulti, aut sunt sapientes tantum & intelligentes in administranda externa & ciuili Republica. Nebucad Nezar fuit sapiens, non solum in tuendo, uerumetiam dilatando Imperio suo. Salomon fuit sapiens, in administrando regno, & iudicandis controuersijs subditorum suorum. Sed nullus mundanorum regum fuit tam sapiens, qui potuerit excogitare modum, quo subditi sui liberarentur peccatis, uinculis Satanæ, morte & inferno: Solus autem Iesus Christus tam sapiens & intelligens est, qui inuenit pro sua sapientia modum expiandi peccati, & liberandi populi sui ex morte. Suscepit enim in se culpã omnium peccatorum, suscepit etiam mortem, quibus rebus sapientissime effecit, ut & peccata expiarentur, & mors uinceretur. Quare non est fidendum sapientiæ mundanorum regum, sed tantum Iesu Christi, cuius sapiẽtia nobis in Euangelio reuelata est. Deinde requiescet super eum Spiritus consilij & fortitudinis, hoc est, Christus erit rex prudens, qui multum consilijs ualeat, & uigeat. Nam alij Principes aut indigent alienis consilijs, aut si ipsi uigent prudentia, non nisi de rebus mundanis & caducis consulunt suis populis. Non enim possunt eis consilia dare, quibus effugiant mortem & perpetuum interitum. Solus autem Iesus Christus ita ualet & uiget consilio, ut optimam & compendiariam uiam demonstret, qua effugiamus mortem, & consequamur æternam uitam. Sicut Moses, (inquit) exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis credit in ipsum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Et iterum: Ego sum resurrectio & uita, Omnis qui in me credit, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, &c. Hoc est optimum consilium ad euadendam mortem, & consequendam æternam uitam. Quare in deliberatione, quam de salute nostra suscipimus, adhibeamus Iesum Christum in consilium, ut ueram rationem consequendæ salutis cognoscamus. Præterea, Requiescet super eum Spiritus scientiæ & timoris DOMINI. hoc est, Christus uere cognoscet DOMINVM Deum nostrum. Mundani reges nullam habent ex se ueram cognitionem Dei. Etsi enim naturalis ratio quædam de Deo cognoscit, & non-

nulli pij reges consecuti sunt quandam noticiam misericordiæ Dei, tamen naturalis ratio non satis cognoscit Deum, & quæcunque pij de Deo cognouerunt, beneficio Christi cognouerunt. Nam solus Christus is est, qui uere Deum cognoscit, & patefacit, Deum nemo uidit unquam, Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et iterum: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uoluerit filius reuelare. Quare qui petit ueram noticiam Dei, necesse habet in CHRISTVM credere, & Euangelium eius cognoscere, ex quo clementia & misericordia Dei nobis perspicue reuelatur.

ET REPLEBIT EVM SPIRITVS TIMORIS DOMINI, VT NON SECVNDVM VISIONEM &c.

Sunt & hæc dicta per antithesin mundanorum regum. Hi enim natura sua non sunt tam iusti & tam timentes Dei, ut si proposita fuerit magna spes lucri, aut obiectum aliquod magnum periculum, non declinent a rectitudine iudicij, & non respiciant personas: nec sunt tam perspicaces in iudicandis controuersijs, ut possint hominum corda intueri: sed necesse habent iudicare secundum ea quæ allegantur, & probantur. Nam secundum uisionem oculorum iudicare, est respicere personas, hoc est, eum qui habet iustam causam damnare, quod uel sit pauper, uel inimicus: eum autem qui habet iniustam causam, absoluere, quod sit uel diues, uel amicus. Hæc solent frequenter fieri in humanis iudicijs. Arguere autem secundum auditum aurium, est uel audita una tantum parte sententiam pronunciare, uel iuxta publicam tantum famam, re non diligenter perspecta, iudicare, quod & si est iniquissimum, tamen solet etiam ipsum sæpe ac multum in iudicijs ciuilibus fieri. Præterea, Iudicare secundum uisionem oculorum & auditum aurium, est etiam iudicare secundum allegata & probata, ut isti loquuntur. Hoc iudices, cum sint homines, qui non possint intueri litigantium corda, nec abscondita cognoscere, necesse habent in discernendis controuersijs sequi. CHRISTVS autem longe alius est Iudex. Primum enim non est acceptor personarum in suo iudicio, seu in regno suo. Non abijcit pauperem & miserum propter paupertatem & miseriam, sed potius tuetur & conseruat eum summa iusticia. Non damnabit afflictos, propter afflictiones ipsorum: sed potius arguet in æquitate pro afflictis terræ, hoc est, dicet sententiam pro afflictis contra affligentes & opprimentes. Nihil fuit Paulo, postquam conuersus est ad Christum, in hoc mundo coram Iudæis & Gentibus abiectius. Nihil

Christus est iustus Iudex.

erat

erat tunc illustrius & potentius, quam Iudæi & Gentes. Et tamen CHRISTVS suscepit Paulum tuendum contra omnes persecutores. Sic & Ecclesia ipsa CHRISTI est in hoc mundo contempta, paupercula & afflicta. CHRISTVS autem non iudicat secundum uisionem oculorum, non abijcit miseram propter miseriam, sed potius tuetur eam. Deinde CHRISTVS non arguit, (hoc est) non dicit sententiam, non administrat regnum suum, non regit subditos suos, secundum auditum aurium, secundum publicam famam hominum, sed secundum ueritatem. Apostoli cum prædicauerunt Euangelium CHRISTI, fuerunt in magno & publico odio omnium fere hominum. Eritis (inquit) odio omnibus hominibus. Et audiebant palam impij, contumelioſi in Deum, seductores hominum, & sedicioſi. Hic fuit auditus aurium, hæc fuit publica fama de Apostolis. Si ergo CHRISTVS esset talis rex, qui iudicaret secundum auditum aurium, certe condemnasset & abiecisset Apostolos. Sed est rex, qui iudicet iuste & recte, ideoque defendit Apostolos, & conseruauit eos etiam in media morte. Cum Euangelion passim acciperetur a Gentibus, & nonnulli inter gentes agnoscerent CHRISTVM, hi in tanto fuerunt uulgi odio, ut quoties incideret publica aliqua calamitas, Ethnici uociferarentur, Christianus ad Leonem. Existimabat enim uulgus quod Christiani essent autores omnium publicorum & priuatorum malorum. Hic si CHRISTVS iudicasset secundum auditum aurium, an non condemnasset etiam ipse Christianos? Sed CHRISTVS iudicat iuste, & agnoscit ac seruat suos in omnibus aduersis. Adhæc, CHRISTVS non necesse habet, more mundani regis, audire, quæ ab alijs allegantur, & probantur, sed intuetur corda hominum, & cognoscit omnia abscondita eorum. Quare nullus uel actor uel testis potest eum decipere, sed omnia, quæ acta sunt, ita ei patent, ut possit de uniuerso hominum genere uerissimam & iustissimam sententiam pronunciare. Dices autem. Si hæc ita se de Christo habent, quis, obsecro, in iudicio eius constabit? Quis enim potest dicere, Mundum est cor meum? An non omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt? Quare si Christus cognoscit corda hominum, & iudicat secundum ea iuste, fieri non potest, quin omnes homines condemnentur. Quo nos uertemus? Non certe alio, quam ad ipsum Christi Euangelion. Quod enim Propheta hoc loco de Christo scribit, hoc ex Christi Euangelio est interpretandum. Christus enim dicit. Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Et iterum: Hæc est uoluntas eius, qui misit me Patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit &c. Quid autem

opus est pluribus? Totum Euangelion Christi hoc respicit, quod in Christo sit remissio peccatorum, iustitia, salus & uita. Et quod qui credit in eum, non pereat, sed seruetur. Quare cum Propheta dicit Christum esse cordium cognitorem & iustum Iudicem, sentit eum iudicare credentes in ipsum, non secundum ipsorum peccata, sed secundum suum Euangelion. Hoc est iudicium, inquit, quod Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ergo hæc est salus, si homines diligant Lucem, quæ est CHRISTVS, & credant in CHRISTVM. Sic enim iudicabuntur secundum iustitiam CHRISTI, quam per fidem acceperunt.

PERCVTIET TERRAM VIRGA ORIS SVI, &c.

Alij reges, accepturi terrenà regna, percutiunt ea gladijs & lanceis, ac subijciunt sibi homines aduersarios uiolenta manu: Christus autem non subijciet sibi terram gladijs, sed uirga oris sui: nec interficiet impios seu aduersarios lanceis, sed spiritu labiorum suorum. Virga autem oris Christi, & spiritus labiorum eius, est Euuangelion, quod uulgauit per Apostolos in orbem terræ, & quo collegit Ecclesiam suam ex omnibus nationibus terræ. Vnde & in Psalmo dicitur: In omnem terram exiuit sonus eorum &c. Et iterum: Virgam uirtutis suæ emittet Dominus ex Zion, &c.

ET ERIT IVSTICIA CINGVLVM LVMBORVM, &c.

Est & hæc antithesis regum mundanorum. Nam in regnis huius mundi sæpe ac multum fieri solet, ut nec reges nec subditi seruent fidem & pacta atque conuenta sua, etiamsi fuerint literis, sigillis, adeoque etiam iuramentis confirmata. Principes solent ius suum in armis ferre, quibus etiam perrumpunt pacta & conuenta. Priuati, quod non possunt efficere ui, hoc studeant efficere dolo & fraudibus. Itaque nusquam fere in regnis huius mundi inuenies tutam fidem. Christus autem rex est, qui fidem suam semel datam, iustissime & firmissime seruat. Quicquid promisit, quicquid pepigit, hoc præstat constantissime & certissime: ideoque recte dicitur, iusticiam & fidem esse cinctorium renum, & cingulum lumborum eius: quia tam firmiter accinctus est constantia seruandæ fidei & promissionum suarum, ut nulla creatura possit eam soluere, & infirmam reddere. Fides autem CHRISTI, quam hominibus dedit, & quam sanguine ac morte sua confirmauit, hæc est, quod qui crediderit in ipsum, non pereat, sed seruetur, & consequatur cœlestem hæreditatem.

Fides à Christo constantiß. seruatur.

Quare

Quare, si tentamur de nostro interitu propter peccata, aut grauitatem doloris, reuocandum nobis est in mentem, iusticiam & fidē esse cinctorium renum Christi, quod certe tam firmiter adhæret lumbis eius, ut mors ipsa non possit illud soluere, & efficere, quo credens in ipsum periret.

HABITABIT LVPVS CVM AGNO &c.

Pergit Propheta describere regnum Christi & conditiones eius regni: Habitabit, inquiens, Lupus cum agno. Tanta erit rerum mutatio in regno Christi, & Euangelio eius in orbem terræ uulgato, ut omnes efferæ & syluestres bestiæ cicurentur, & habitaturæ sint familiariter cum domesticis. Vnus erit grex ouium & leonum, uitulorum & ursorum. Tanta erit immitium bestiarum mansuetudo, ut paruulus puer queat eas ad pascua minare. Sed & serpentum natura mansuescet. Puelli ludent cum aspidibus & serpentibus. Quid multa? In uniuerso sancto monte, hoc est, in uniuersa Ecclesia & regno Christi, nulla erit bestia, quæ damnum aut nocumentum alicui inferat. Sed quæ erit tantæ tranquillitatis & securitatis causa? Additur: Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua māris. hoc est, quia Euangelion de Christo sparsum est in totum orbem terræ, quo Euangelio cognoscitur uerus Deus Pater, per Iesum Christum filium eius. Hic nunc uideamus quid sibi hęc uelint, & quomodo impleantur in regno Christi. Iudæi ex hoc, & similibus locis plurimum offenduntur, & uociferantur Iesum non posse esse uerum Christum seu Messiam, nec Euangelion eius ueram esse doctrinam cœlestem, propterea quod in aduentu Iesu, & reuelato Euangelio eius, feræ syluestres non sint factæ cicures. Existimant enim uanissimi homines, quod in aduentu Messiæ sui, quem expectant mundanum regem, bestiarum feritas mutanda sit in mansuetudinem, quemadmodum & supra capite secundo, cum dicitur, Gentem non leuaturam gladium super gentem, intelligunt tempore Messię sui, omnia externa bella desitura. Sed quid isti excęcati homines intelligerent de regno Messiæ, qui nihil nisi carnalia sapiunt? Nulla enim erit externæ naturæ rerum mutatio usq; ad extremum diem. In nouissimo quidem die fiet nouum cœlum & noua terra. Interea autem temporis omnia permanebunt iuxta primam creationem in rebus naturalibus, & iuxta confusionem quæ secuta est peccatum. Cunctis diebus terræ, inquit, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent, Sic etiam permanebit in bestijs sua feritas & immanitas etc. Quid ergo est, quod Propheta hoc loco de mutatione feritatis bestiarum uaticinatur? Nostri interpretes exponunt ἀναγωγικῶς de cōcordia Iudæorę et gentiū, qui ad Christum conuertuntur. Christus

Bestiarum feritas quomodo mutata.

Iudæorum uanitas.

Vide Hiero. in uita Pauli Eremitæ & Malchi.

enim pax noſtra eſt, qui fecit ex utriſque unum, & interſtitium ſepis diruit &c. Alij etiam hoc addunt, quod martyres ſæpenume ro illæſi inter immaniſsimas beſtias mãſerint, ac euaſerint. Hæc eſt ſententia minime contemnenda. Sed nos ſimplicem huius textus ſententiam ſequemur. Concionatur enim Propheta de mutatione maledictionis in benedictionem per Chriſtum. Nam poſtquam homo peccauit, conſtitutæ ſunt in ſupplicium peccati, non ſolum ſpinæ & ſentes, uerumetiam immanes beſtiæ & feræ ſyluarum. Leuit. uigeſimoſexto: Emittam in uos beſtias agri, quæ conſumant uos, & pecora ueſtra, & ad paucitatem cuncta redigant. Et Deuteronomij trigeſimoſecundo: Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium & ſerpentium ſuper terram. Ezechielis quinto: Immittam in uos famem, & beſtias peſsimas uſq; ad interneciones. Ex his & alijs ſcripturæ locis manifeſtum eſt, quod malæ beſtiæ ſint maledictio & ſupplicium peccati. Poſtquam autem uenit Chriſtus, expiauit peccatum, & reconciliauit nos Deo patri ſuo, atq; impetrauit nobis apud Patrem hæreditatem omnium cœleſtium bonorum, ut non ſolum non pereamus in morte, ſed etiam conſequamur æternam uitam in cœlis. Expiato autem peccato, & recõciliato Deo, nullus eſt amplius locus maledictioni & ſupplicio peccati. Quare, etſi beſtiæ adhuc retinent ſuam feritatem & immanitatem, tamen quia peccatum eſt expiatum, non poſſunt eſſe maledictio, aut nocumentum inferre his, qui ſunt Ieſu Chriſti per fidem. Nam ſi beſtiæ nos momorderint corpore, manet tamen Chriſtus ipſe, quem per fidem poſsidemus, illæſus, manet & illæſa ſalus noſtra in Chriſto. Si beſtiæ infecerint nos ueneno, Chriſtus conſeruat nos ſua medicina. Si beſtiæ occiderint nos, Chriſtus eſt uita noſtrã. Itaque recte dictum eſt a Propheta: Non nocebunt, & non occident in uniuerſo monte meo. Ignatius martyr ad beſtias damnatus, cum audiret Leones rugientes: Frumentum Chriſti ſum (inquit) dentibus beſtiarum molar, ut panis mũdus inueniar. An non hoc illud eſt, quod Propheta ait: Vitulus & Leo & ouis ſimul morabuntur. Et: Non nocebunt? Eadem concionatur etiam Oſeas capite ſecundo: Percutiam eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & cum uolucre cœli, & cum reptili terræ &c. Et Ezechielis trigeſimoquarto: Faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam peſsimas beſtias de terra, & qui habitant in deſerto ſecuri dormient in ſaltibus &c. Sed unde contingat hominibus tanta benedictio, docet Eſaias, cum addit: Quia repleta eſt terra ſcientia Dei, ſicut aqua maris, hoc eſt, abundantiſsime. Poſtquam enim Chriſtus aſcendit in cœlum, Euãgelion eius uulgatum eſt in uniuerſum mundum. Per Euangelion autem cognoſcitur

Ignatius martyr.

Chriſtus

Christus filius Dei. Cognito filio Dei per fidem, cognoscitur etiam uerus Deus, seruator noster. Vbi autem est uera Dei cognitio, ibi est uita æterna, & summa fœlicitas. Hæc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Quare si incurrunt in nos lupi, aut serpentes, aut alia genera bestiarum, reuocemus in mentem hanc concionem Esaiæ de regno Christi, & confirmemus ex ea fidem nostram, ut etiamsi uideamur extrinsecus lædi ac offendi, tamen certi simus de salute nostra in Christo Iesu. Non nocebunt, inquit, & non occident in uniuerso monte sancto meo, qui est Ecclesia Christi. Maneamus igitur per fidem, in Ecclesia, ut nulla creatura nec supera nec infera queat nos a dilectione, qua nos Deus complectitur, separare.

IN DIE ILLA RADIX IESSE &c.

Etsi e superioribus satis perspicuum est, quod Esaias in hoc capite concionetur de Christo & regno eius, tamen cum Paulus ad Rom. capite decimoquinto scribens, alleget hunc locum de Christo & uocatione gentium, manifestum est testimonium spiritus sancti, quod hic locus non nisi de Christo sit intelligendus. Cæterum, cum ante dictum sit, quæ futura sit conditio bestiarum & ferarum syluestrium in regno Christi, nunc describit Propheta quæ in eo regno futura sit conditio hominum, tam Iudæorum, quam gentiũ. Vtitur autem usque ad finem huius capitis metaphora ducta a rebus bellicis ac militaribus, qua describit diuulgationem Euangelij in totum orbem terræ per Apostolos, & uocationem Iudæorum ac gentium ad obedientiam Euangelij Christi. Atque adeo hic locus usq; ad finem huius capitis, non est nisi descriptio earum rerum, quæ in die Pentecostes misso spiritu sancto geri cœperunt, & adhuc in Ecclesia usq; ad nouissimum diem geruntur. In die illo, hoc est, Tempore aduentus Christi, & diuulgationis Euangelij eius in orbẽ terræ, radix Isai, (quæ est Christus, e familia Dauidis filij Isai natus) constituetur in signum militare seu uexillum populorũ, hoc est, Iudæorũ, quod signum inquirent etiam gentes. Et erit sepulcrũ eius glorioſum. Pro sepulcro, hebræus habet מנחת Memhath, qđ ut seruetur cœpta metaphora Radicis, non p sepulcro, sed p loco, in quo radix fixa est (Nã נחת Nahath significat infigere, & collocare) interpretandũ est. Sensus enim est. Magna erit gloria eius loci, in quo radix Isai, pro uexillo instituta, firmata, et fundata erit, quia confluent ad hoc uexillum non Iudæi tantum, uerumetiam gentes, ut sub hoc uexillo defendantur ab omnibus hostibus suis, & consequantur ueram pacem & fœlicitatem. Est autem idem uaticinium cum eo, quod supra capite secundo commemoratum est. In nouissimis diebus erit mons domus Domini preparatus in uer

ticem montium, & eleuabitur ſuper colles &c. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Ac mox: De Zion exibit lex, & uerbum Domini de Hieruſalem. Sed pergit Eſaias copioſe deſcribere, de Iudæis & gentibus, qui ex prædicatione Euãgelij Chriſtum agnoſcent. In die illa, inquiens, adijciet Dominus ſecũdo manum ſuam ad poſsidendum reſiduum populi ſui. Nam primum omnium liberati ſunt Iſraelitæ e tyrannide Pharaonis, & educti ex Ægypto, ac reſtituti in libertatẽ, ut eſsent poſſeſsio & κειμήλιον Domini. Nunc autem, poſtquam diſpergentur in omnes gentes, captiuitate Aſsyriaca, & Babylonica, ſuſcipiet Dominus ſecũdo, & altera uice liberandas reliquias eorũ ab Aſsyrijs, ab Ægyptijs, a Phetros, hoc eſt, Arabibus, qui Petræi dicti ſunt, ab Æthiopibus, ab Elamitis, hoc eſt, Medis, a Sinear, hoc eſt, Babylonijs, ab Emath, hoc eſt, Antiochia, & Cilicia, & ab inſulis maris, hoc eſt, a Græcis, & tota occidentali parte mundi. Ad hæc enim loca diſperſi fuerunt Iudæi partim captiuitate Aſsyriaca, partim captiuitate Babylonica, partim perſecutione Antiochi Epiphanis, partim alijs calamitatibus, quę ipſis poſt ingreſſum in terram Canaan a finitimis populis acciderunt. Non loquitur autem Propheta hoc loco de ea liberatione, quæ facta eſt ſub Cyro, e captiuitate Babylonica. Hac enim liberatione pauci redierunt in terram Canaan, & fuit tantum externa quædam liberatio, imo ne liberatio quidem, quippe quod manſerint in ſeruitute regni Perſici, & fuerint poſtea miſere a finitimis regibus oppreſsi: Sed loquitur Prōpheta de liberatione facta per Chriſtum, & de congregatione piorum Iudæorum, facta per Euangelion uulgatum in totum orbem terræ. Vnde ſequitur: Leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael. Hoc ſignum ſeu uexillum, (perſeuerat enim Propheta in cœpta metaphora) eſt Chriſtus, qui per diuulgationem Euangelij conſpicuus factus eſt inter nationes, in toto orbe terrarum. Itaq; uulgato Euangelio congregati ſunt profugi Iſraelis, & collecti ſunt diſperſi Iudæi a quatuor plagis terræ. Collecti autem ſunt, non quidem in unum externum locum Zionis aut urbis Hieruſalem, ſed in unam Eccleſiam Chriſti, ſicut & Ioãnes capite undecimo dicit: Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Porro Chriſtus non ſolum congregabit diuulgatione Euangelij ſui Iſraelitas in unam Eccleſiam, uerũ etiam auferet zelum ſeu odium & æmulationem, quæ eſt inter Ephraim & Iudam. Nam poſtquam diuiſum eſt regnum Salomonis in duo regna, quorum alterum dictum eſt Iſrael ſeu Ephraim, alterum Iuda, perpetua fuit æmulatio, perpetuum odium inter hęc duo regna, quemadmodum teſtatur hiſtoria Regum Iſraelis & Iudæ.

Chriſtus, uexillum.

Cum

Cum autem Euangelion Christi diuulgabitur, auferetur, (inquit) zelus Ephraim, & hostes Iudæ peribunt, hoc est, quemadmodum sequitur, Ephraim non amplius æmulabitur seu odio habebit Iudam, nec Iudas pugnabit contra Ephraim. Hæc intelligenda sunt de pace & concordia eorum Iudæorum, qui ex Euangelio agnoscent Christum. Inter hos erit summa pax & concordia. Omnes, inquit Lucas, qui credebant, erant coniuncti, & habebant omnia communia. Et paulo ante: Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis & orationibus &c. Sed quid? num soli Iudæi agnoscent Christum per Euangelium? Minime omnium. Sequitur enim: Volabũt in humeros Philistijm ad mare seu occidentem, et prædabũtur filios orientis. Sunt & hæc quasi de militia & bello dicta, in quo uictor inuolat in humeros uicti, & diripit ab ipso onera ac uestimẽta eius. Sed intelligenda sunt de prædicatione Euangelij, qua Philistini ad mare occidentale, respectu urbis Hierusalem, habitantes, uocati sunt per Apostolos ad communionem regni Christi, & erepti e faucibus Diaboli. Lege Acta Apostolica cap. octauo. Philippus, postquam abreptus fuit per spiritum ab eunucho Æthiopico, inuentus est in Azoto (quæ est urbs Philistijm) & pertransiens Euangelizabat ciuitatibus cunctis donec ueniret Cæsaream. Hic ergo Philippus cœpit implere, quod Esaias hoc loco uaticinatus est. Inuolauit enim in humeros Philistijm, & deprædatus est eos, nõ hostili, sed Euangelico more. Prædicauit enim eis Euãgelion, quo multos ex Philistijm abduxit ab impia idolatria, & a captiuitate Satanæ, ac subiecit eos Christo Domino nostro. Sequitur: Simul prędabuntur filios orientis. hoc est, Ammonitas & Moabitas, qui respectu Hierusalem habitarũt ad orientem. Vnde & sequitur: Idumęa & Moab submissio seu extensio manuum ipsorum: Et filij Ammon obedientia eorum. hoc est, Idumæi & Moabitæ extendent manus suas erga Apostolos, & tradent se ipsis captiuos: submittent sese potestati eorum. Similiter Ammonitæ subijcient se ad obediendum Apostolis. Hæc omnia intelligenda sunt de obedientia fidei, qua Idumęi, Moabitę & Ammonitæ tradiderunt sese Christo, ad prędicationem Apostolicam. Porro, cum supra dixit, Dominum collecturum reliquias populi sui, & gentes ad erectum uexillum uenturas, exponit in fine huius capitis, quantis id miraculis fiat: Desolabit, inquiens, Dominus linguam maris Ægypti, hoc est, ostium Nili, ut est Ioſuæ capite decimoquinto. Et leuabit manum suam super flumẽ, hoc est, Euphraten Mesopotamiæ, in fortitudine spiritus sui, seu uehementi uento. Et percutiet seu exiccabit hoc flumen in septem riuis, hoc est, in multis locis ac brachijs eius, ut possit uadari, & quasi sicco pede

transiri. Itaq; fiet, ut reliquiæ populi mei possint sine ullo obstaculo ab Assyrijs redire in suam regionem, sicut olim ascenderunt de terra Ægypti per mare rubrum sine ullo impedimento. Hæc omnia sic dici uidentur, perinde ac si externa fieret fluminum exiccatio, & externa liberatio, sicut olim facta est in egressu filiorum Israel ex Ægypto. Sed tantum est descriptio liberationis spiritualis, quæ facta est per Christum, & reuelata per Apostolicam prædicationem Euangelij. Sensus enim est, quod postquam diuulgabitur Euãgelion in Ægypto & Assyria, tunc erunt in Ægypto & Assyria multi, qui agnoscent Christum, & seruabuntur per eum. Hoc uere est redire e captiuitate ad terrã Israel per exiccata flumina. Habes textus expositionẽ. Nunc usum huius textus uideamus. Ac initio, cum perspicuum sit, quod hæc impleta sint in Iesu Christo, per diuulgationem Euangelij eius in totum orbem terræ, perspicuum etiam est, quod non sit alius Messias expectandus: sed hic Iesus, qui in die Pentecostes misit Spiritum sanctum Apostolis suis, solus pro Messia agnoscendus & adorandus est. Deinde Iesus Christus uocatur hoc loco Signum militare seu uexillum, quod est inter nationes erectum & institutum, per diuulgationem Euangelij.

Christus uexillum.

Ad signa autem militaria solent milites congregari, & dum hęc signa constant, salua adhuc res est exercitus. Ad hæc etiam signa qui confugiunt, tuti sunt, quia optimum robur exercitus circa hæc signa collocari solet. Cum igitur Christus dicitur signum militare seu uexillum, eleuatum prædicatione Euangelij, docemur, Christum & Euangelion eius esse asylum nostrum in omnibus malis, & admonemur, ut siue in paupertate, siue in morbis, siue in iudicio peccatorum, siue in morte, confugiamus ad hoc uexillum, & recipiamus nos ad hoc asylum, quo tuti simus ab omnibus aduersis. Maiores nostri usi sunt uexillis in processionibus suis. Ac nisi fallor, hic Esaiæ locus dedit eis occasionem instituendorum in Ecclesia uexillorum. Sed hæc sunt humana instituta. In externa militia suus est usus externorum uexillorum. In Ecclesiastica autem militia non agnoscimus aliud uexillum, præter Dominum nostrum Iesum Christum, & Euangelion eius. Quare si uoluerimus esse tuti ab aduersarijs dæmonibus, & reportare uictoriam a peccatis & morte, necesse habemus nos recipere per fidem ad Christum ipsum, tanquam ad uexillum, quo perpetuo tuti erimus. Docemur etiam ex hoc loco, quod Ecclesia Christi non sit unus tantum locus in terris, sed dispersa est in toto orbe terrarum. Et ex omnibus terræ locis introitus est in Ecclesiam, & ascensus in cœlum, ubicunque prædicatur Euangelion Christi, hoc est, eleuatur uexillum salutis nostræ. Quare impie errant, qui alligant Ecclesiam ad certas

quasdam

quasdam personas Episcoporum, aut Conciliorum. Ecclesia enim alligata est tantum ad Christum, & Euangelion eius. Hoc est uexillum, ad quod Christiani milites congregari debent. Præterea, cum dicit Propheta zelum Ephraim auferendum, docet Euangelij prædicationem reddere ex inimicis, amicos, & efficere inter discordes, concordiam. Quare qui postquam audiunt Euangelion Christi, adhuc manent inter se inimici & hostes, hi non uere credunt Euangelio, nec uere agnoscunt Christum. Quid igitur fiet eis? Nisi resipiscant, & charitatem propter Christum sectentur, necesse habent perpetuo cum suis inimicitijs perire. Est & hoc obseruandum, quod cum dicit, flumina exiccanda, ut populus Dei possit libere ad suam patriam reuerti, significat per prædicationem Euangelij tolli omnia impedimenta ad ingressum in regnum cœleste. Nam ab hoc ingressu antea remorabatur nos peccatum, & mors. Per Euangelion autem ostenditur nobis peccatum esse expiatum, & mortem esse uictam. Hæc fuerunt profundissima flumina, quæ nemo potuit trajicere. Sed postquam uenit Christus, & sparsit Euangelium suum in uniuersum orbem, exiccata sunt hæc flumina, ut nunc pateat liber accessus ad regnum cœleste. Quare non negligamus salutem nostram, non ponamus nobis ipsis obstacula, sed suscipiamus hoc iter expedite, ut ad optatū portum perueniamus &c.

CAPVT XII.

ET DICES IN DIE ILLA, CONFITEBOR TIBI DOMINE &c.

In fine noni capitis, & in decimo capite, commemorauit Esaias multas & magnas afflictiones populi Israelis, & graues incursiones hostium in terram eius. Deinde in capite undecimo addidit concionem de Christo & regno ac beneficijs eius, ut consolaretur populum suum Israel, ac doceret, quod omnia quidem regna mundana interitura sint, quasi si quis deijceret securi excelsas cedros Libani, sola autem radix Isai ita sit germinatura, ut ex ea producatur arbor, quæ perpetuo uireat, & fructu suo totam terram impleat. Hic est Christus, & regnum eius, quod ut est perpetuum, ita affert perpetua beneficia pacis, iusticiæ, tranquillitatis & fœlicitatis. Cum igitur beneficia regni Christi maiora sint, quam quæ humanis uerbis satis digne explicari queant, & tamen faciendum est, quod possumus, erumpit nunc Propheta in carmen gratulatorium, & exhortatorium, quo & se gratum erga Deum pro tantis beneficijs, quæ per Christum conferuntur, aliquo modo agnoscat,

& uniuersam Ecclesiam Christi ad gratitudinem, & ad laudandam diuinam benignitatem excitet. Solēne enim est tam in politea quam in Ecclesia Dei, ut insignes uictoriæ, & alia illustria facta publicis carminibus celebrentur, ac memoriæ hominum commendentur. Sic Moses consecrauit carmine liberationem ex Ægypto, & euasionem e mari rubro, Exod. decimoquinto. Sic Debora commendauit posteritati carmine uictoriam, quam reportauit e Sisſera, Iudic. quinto: Tales sunt multi admodum Psalmi priorum ueteris Testamenti, & præsertim Dauidis. Extant & in nouo Testamento carmina Zachariæ, Mariæ, & Symeonis. Et Paulus iubet, ut loquamur nobismetipsis per psalmos & hymnos & cantiones spirituales, quo impleamur spiritu, & gratias agamus semper Deo, uidelicet, non solum, cum sumus in publica Ecclesiæ congregatione, uerumetiam cum priuatim sua quisque negocia uel domestica uel rustica peragit: Ad quam rem carmina aptissima sunt. Quare postquam Esaias commemorauit maiestatem regni Christi, & summa eius beneficia, addit carmen, breue quidem, sed maximo spiritus ardore, quo carmine complectitur paucis beneficia regni Christi, ut omnes homines ad laudādum Deum, ad obediendum uocationi Dei, ad amplectendum Christum filium Dei excitentur. Constat autem hoc carmen sex tantum uersiculis. Et status eius uno uerbo significatur. Dicit enim: Confitebor tibi DOMINE, hoc est, Laudabo te, uel: Gratias ago tibi. Est enim carmen, quod recitatur ad agendas Deo gratias pro beneficijs suis. Quæ ergo sunt illa beneficia? Sequitur. Etsi tu DOMINE iratus eras mihi, tamen conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Hæc est uox & confessio totius Ecclesiæ Dei. Videamus igitur de ira Dei, ut & consolationem eius recte intelligamus. Ac primum Deus iratus fuit populo suo, & tradidit eos affligendos Ægyptijs, finitimis populis, Assyrijs, Babylonijs, Antiocho, Romanis, & alijs externis hostibus. Sed iterum consolatus est eos, quia & sæpe liberauit eos magnis miraculis, & tandem misit Christum promissum, ex gente Israelitica, qui dilatauit regnum suum in totum orbem terræ. Itaque pereuntibus regnis mundanis, manet tamē semper regnum Israelis, hoc est, Christi e semine Dauid. Deinde Propheta concionatur de grauiori ira Dei, quam fuit illa externa. Deus enim iratus est toti humano generi propter peccatum, & maledixit hominem non solum omnibus corporalibus & externis afflictionibus, uerumetiam æterna & perpetua damnatione. Hæc est grauissima ira, quæ inundauit in omnem terram, super totum humanum genus. Homo enim non est creatus, ut esuriret, doleret, affligeretur, moreretur & damnaretur; sed potius ut perpetuo

Carmina.

Ira Dei grauissima.

perpetuo in ſumma fœlicitate uiueret. Cum autem peccaſſet, Deus intantum iratus eſt, ut condemnauerit eum temporalibus & perpetuis ſupplicijs. Quid igitur? Num Deus ſemper continuit ſecum hanc iram? Nunquam ne amplius eam erat dimiſſurus? Nequaquam. Conuerſus eſt, inquit, furor tuus & conſolatus es me. Quomodo? Initio promiſit Deus ſemen mulieris, quod eſt filius uirginis, quod contriturum eſſet caput ſerpentis. Deinde expoſuit hanc promiſsionem Patriarchis de ſemine Abrahæ, poſtea expoſuit eam per Prophetas de ſemine Dauidis, & de Meſsia, ac perſpicue ſignificauit, ſe miſſurum unigenitum filium ſuum ex ſemine Dauid, qui ſit peccatum expiaturus, & mundum ex poteſtate Satanæ & inferni liberaturus. Poſtremo, quem promiſerat, miſit natum ex Maria uirgine Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hæc eſt illa Eccleſiæ conſolatio, quam hoc loco Eſaias commemorat. Vnde & ſequitur: Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, non timebo, quia DOMINVS fortitudo mea & laus mea, & factus eſt mihi in ſalutem. Eſt & hæc uox totius Eccleſiæ, quæ palam fatetur, ſe nunc ſecuriſsimam eſſe, nec timere amplius ullum inſultum hoſtium: Fiduciáliter, inquiens, agam, & non timebo. Quamobrem? quia Deus ſaluator meus, & DOMINVS fortitudo mea & laus mea, & factus eſt mihi in ſalutem. Vbi noſtra translatio habet, Saluator, & Salus, ibi hebræis eſt Ieſchua: quo nomine dictus eſt ab Angelo Chriſtus Dominus noſter. Iucundiſsimum igitur eſt, quod Diuus Hieronymus in hoc loco obſeruauit. Quem ſupra, inquiens, Emmanuel, deinde, ſpolia detrahe, feſtina prædari, & reliquis appellarat nominibus, ne uideretur alter eſſe, præter eum, quem Gabriel Virgini nunciauit dicens: Et uocabis nomen eius Ieſum, Nunc uocat Saluatorem, & de eius fontibus aquas prædicat hauriendas, nequaquam de aquis fluminis Ægypti, quæ percuſſæ ſunt, nec de aquis fluminis Raſim, ſed de fontibus IESV. Hoc enim hebræorum lingua Saluator exprimitur. Sentiamus igitur Prophetam hoc loco Chriſtum uocare Ieſum, hoc eſt, Saluatorem, ac uerum Deum ac DOMINVM Iehoua, ut cognoſcamus & qualis perſona ſit Chriſtus, & quanta beneficia contingant per ipſum humano generi. Ecce, inquit, Deus, ſaluator meus, Et fortitudo mea, laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Hoc quid aliud eſt, quam ſi nos pro noſtro more diceremus. Chriſtus ille, qui promiſſus eſt, uere uocandus erit, Ieſus, hoc eſt, Saluator, & uerus eſt Dominus Deus noſter. Hactenus miſsi fuerunt multi homines diuinitus, Patriarchæ, Reges & Prophetæ, qui multa quidem beneficia contulerunt in Eccleſiam Dei, non potuerunt autem eam uere liberare. In Abrahamo, Iſaaco, &

Iacobo, quid desideras? Fuerunt Patriarchæ sanctissimi, & studuerunt propagare ueram doctrinam religionis ad omnem posteritatem suam. Moses eduxit Israelitas ex Ægypto & per mare rubrum illæsos. Pauit eos in deserto. Iosue accepit regna Canaan, & deletis incolis diuisit ea inter tribus Israel. Alij heroes qui successerunt Iosuæ reportarunt sæpe illustres uictorias a suis hostibus. Dauid stabiliuit & confirmauit regnum Israelis. Secuti sunt Dauidem multi alij reges & Principes, qui maxima beneficia contulerunt in populum Dei. Nullus tamen eorum potuit uere populum liberare. Etsi enim populus beneficio heroum ac Regum fruebatur aliquoties externa pace, tamen adhuc obnoxij erat peccato, morti & inferno. Ab his qui liberaret, nullus erat. Venit igitur tandem in has terras Deus, & DOMINVS ipse Iesus Christus uerus & æternus filius Dei, consubstantialis Deo Patri suo. Is primum expiauit peccatum, & reconciliauit humanum genus cum Deo Patre suo. Deinde uicit mortem & infernum, acimpetrauit, ut quotquot in ipsum credunt, non pereant in morte, sed habeant æternam uitam & fœlicitatem. Cur igitur nunc non fiducialiter agerem, aut quid timerem? Non enim nudus quispiam homo, non Angelus, sed Dominus Deus ipse præsto adest. Induit meam carnem, suscepit in se omnes meas infirmitates, & expiauit peccatum meum, ac fecit me suum cohæredem in cœlesti regno. Hoc est uere esse Iesum (hoc est) Saluatorem. Quis autem tanto benefactori non ageret gratias? quis non de eo carmina componeret? quis ipsum Psalmis & canticis non laudaret, non celebraret, ex omnibus uiribus, ex tota fortitudine sua? Sed pergit Propheta in carmine suo exponere beneficia, quæ contingent hominibus in aduentu Christi, & in regno eius. Haurietis, inquit, in gaudio aquàs de fontibus saluatoris, &c. hoc est, Cum aduenerit Christus, & instituet regnum suum, tunc non amplius necesse habebunt homines bibere tristiciam de lacunis & cisternis, sed bibent maxima uoluptate de uiuis fontibus saluatoris. Lacunæ & cisternæ sunt impiæ doctrinæ Scribarum & Pharisæorum, quæ non possunt conscientiam reddere tranquillam & hilarem, sed conijciunt eam in æternam tristiciam & dolorem. Fontes autem Saluatoris sunt Euangelion Domini nostri Iesu Christi, aut prædicatio ipsa Christi. Hæc est purissima & saluberrima aqua. Omnis, inquit Christus ipse, qui biberit ex aqua ista Samaritana, sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet inæternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Vide ergo mihi, quanta beneficia Apostolis & reliquis discipulis CHRISTI, qui audiue-

runt

runt CHRISTVM ipsum prædicare Euangelium suum, præ aliis hominibus, qui ante ipsos fuerunt, contigerint. Nam alij, & si uiderunt & audiuerunt Patriarchas aut Prophetas, audiuerunt tamen homines tantum, & doctrina eorum non potuit auditores saluos facere, nisi quatenus CHRISTVM adnunciaret. Apostoli autem & reliqui discipuli Iesu, audiuerunt loquentem & concionantem Dominum ipsum uerum Deum, cuius solius doctrina salutem consequi possumus. Vnde dicitur ad eos: Vestri beati sunt oculi, quia uident, & aures uestræ quia audiunt. Amen amen dico uobis, quod multi Prophetæ & iusti desiderauerunt uidere, quæ uidetis &c. Sed quid deinde fiet, postquam DOMINVS ipse aperuerit fontem prædicationis suæ, ut ex eo aqua cœlestis doctrinæ hauriatur? Additur. Dicetis in die illo: Confitemini, seu gratias agite Domino, & inuocate nomen eius. Notas facite in populis &c. hoc est. Postquam Christus DOMINVS Deus noster compleuerit cursum suum in his terris, uulgabitur nomen & Euangelion eius in totum orbem terræ, ut non solum Iudæi, sed & gentes agnoscant Christum uerum Deum, & laudent eum, quod tam magnifica & præclara beneficia ipsis præstiterit. Expiauit enim peccatum, Placauit Deum Patrem, adoptauit credentes in filios et heredes Dei. Vicit mortem, uicit infernum, aperuit cœlum, & ducit secum omnes credentes in cœlestem & perpetuam fœlicitatem. Hæc sunt quæ Christus uerus Deus magnifice fecit. Quare, cum Sanctus Israel, qui est Iesus Christus DOMINVS noster tanta & tam magna fecerit, ex quibus etiam ipse declaratus est magnus in medio populi sui, in toto orbe terrarum, per diuulgationem Euangelij sui, reliquum est, ut habitatio Zion, hoc est, omnes incolæ ueræ Ecclesiæ Dei exultent, iubilẽt, ac laudent Deum, & gratias ei pro tantis beneficijs agant, quo his fruantur perpetuo propter CHRISTVM filium Dei. Ex hoc carmine primum obserua de persona Iesu Christi, quod prædicetur non tantum homo, sed etiam uerus ab æterno Deus, & DOMINVS noster. Deinde de beneficijs eius, quod afferat consolationem, gaudium, & exultationem in populo suo. Nulla autem est firma consolatio, nullum firmum gaudium, nisi Mors fuerit deuicta, & æterna uita reuelata ac tradita. Quare Christus uicit mortem & dedit æternam uitam, ut uere suum populum exhilararet. Postremo obserua etiã, quod cum spiritus sanctus hortatur nos ad gratiarum actionem & ad laudãdum Deum, non hortetur nos tantum ad proferenda uerba, sed ad pias actiones, ad obedientiam diuinę uocationis. Laudas Deum pro beneficijs, cum ducis sobriam & pudicam uitam. Agis Deo gratias,

cum benefacis proximo, cum remittis iram, cum misereris pauperis, Ac breuiter, omnia opera diuinitus præcepta sunt nobis proposita, ut his faciendis laudemus Deum, & agamus ei gratias pro beneficijs in Christo exhibitis.

CAPVT XIII.

ONVS BABYLONIS, QVOD VIDIT, &c.

Quas conciones hactenus audiuimus, habuit Esaias in Ecclesia populi sui, de sua ipsius gente, & de regno Israelitarum. Meminit etiam in illis concionibus liberationis Israelitarum a Syris & Assyrijs, quemadmodum scriptum est supra capite septimo & decimo. Præcipue autem concionatus est de regno Christi, quod perpetuo duraturum est. Nunc uertit se ad gentes tam finitimas, quam procul remotas, & concionatur in sui quidem populi Ecclesia, sed de excidio & interitu aliarum gentium ac regnorum, hostium uidelicet populi Israelitici. Vnde & uocat conciones suas, Onera, hoc est, graues cõciones aduersus regna gentium, de internecione eorum. Terra enim Israelitarum sic inter finitimas gentes sita erat, quemadmodum ouile in medio luporum. Satã enim excitabat aduersus Israeliticum populum nunc Philistinos, nunc Ammonitas, nunc Moabitas, nunc Ægyptios, nunc etiam Assyrios & Chaldæos. Et cum hi conspirarent in exitium Israelitarum, ac concurrerent, tanquam ad commune incendium extinguendum, uidebatur regnum Israeliticum haudquaquam cõstare posse, præsertim cum postremo Chaldæi Monarchiam mundi consequerentur, & minarẽtur regno Iudæ excidium, quemadmodum antea regnum Israelis deuastatum erat per Assyrios. In tanto igitur metu populi Dei excitat spiritus sanctus Esaiam, ut suscipiat habẽdam concionem de regno Chaldæorum, seu Babyloniorẽ, & de interitu eius regni, quãuis potentissimi, ut consoletur Ecclesiã Dei, & confirmet fidem eorum in expectatione uenturi Messiæ ueri seruatoris nostri. Etsi autẽ sequitur paulo post concio aduersus Philistinos, quę habita est, eo anno quo mortuus est Ahaz, tamen uerisimile est hanc concionem de Babylone habitã fuisse sub Ezechia, cum iam multis annis regnasset, & Monarchia Assyriorum translata esset ad Babylonem. Porro, ut quę sequuntur in concione Esaię rectius intelligantur, non importunum uidetur prius recensere, quæ scriptores de magnitudine & potentia Babylonis tradiderunt. Non recensebo iam, quæ sacræ literæ testantur de origine Babylonis. Ea satis perspicue extant in Gene. capite undecimo. Etsi autem impietas &

arrogantia

arrogantia hominum in Babylone diuino supplicio, linguarum uidelicet confusione, (Vnde & nomen habet. Babel enim confusionem significat) punita est, tamen homines eo loco præ alijs plurimum delectati fuerunt. Itaq; ciuitas Babylon in tantam magnitudinem excreuit, ut Aristoteles sentiat eam potius regionem, quam ciuitatem dicendam. Τοιαύτη δ' ἴσως ἡ Βαβυλὼν, καὶ πᾶσα ἥτις ἔχει τοῦ γραφὴν, μᾶλλον ἔθνους ἢ πόλεως. ὅσα φασὶν ἑαλωκυίας, τετάρτην ἡμέραν οὐκ ἀφεῖσθαί τι μέρος τῆς πόλεως. Qualis (inquit) fortalsis est Babylon, & quæcunque, quæ gentis magis quam ciuitatis ambitum habet. Ac ferunt, cum capta esset Babylon ab hostibus, partem quandam ciuitatis tertio die id nondum sensisse. Herodotus ait: Cum a Persis capti essent hi Babylonij, qui media urbis incolebant, propter eius tamen magnitudinem non sentiebantur, ut fertur, ab his qui circa extrema habitabant. Sed forte quoniam dies festus eius esset, exercendis choreis atque oblectationibus opera dabatur, donec plane rem animaduerterunt. Et iterum: Babylon in ingenti planicie sita est, forma quadrata, magnitudine quoquo uersus centenum uicenum stadiorum. In summa quadringentorum octoginta in circuitu quatuor laterum urbis. Tanta est Babylonicæ urbis magnitudo. Quod ita exornatum est, ut aliud nullum eorum, quæ nos nouimus. Ambit autem eam primum fossa alta atq; lata aquæ plena. Deinde murus quinquaginta cubitorum regiorum crassitudine, ducentorum celsitudine. Hactenus Herodotus. Audiamus & Diodorum Siculum, qui de Babylonis magnitudine ita scribit. Vrbs ab utroque latere Euphratis, ut medius interfluat, ædificata, cuius mœnia ambitu stadia trecenta & sexaginta complectebantur, frequentibus turribus & magnis. Erat tanta ὄperum magnificentia, ut in muri latitudine sex equorum currus una prodire possent. Altitudo incredibilis audientibus, ut Ctesias Gnidius ait. Vt autem Clitarchus, & qui cum Alexandro in Asiam profecti sunt, scripsere, pedum trecentorum sexaginta quinq;. Addiderunt etiam quolibet anni die stadium muri absolutum, ut tot sit stadiorum circuitus, quot dies annum conficiunt. Mœnia ex lateribus & Asphalto facta, quorum altitudo, ut Ctesias tradit, est passuum quinquaginta, ut quidam posteriores scribunt, cubitorum quinquaginta, latitudo amplior, q̃ qua duo currus ueherent. Adde his autoribus etiam Plinium, qui ita scribit. Babylon Chaldaicarum gẽtium caput, diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ, Assyriæq; Babylonia appellata est. LX. M. P. amplexa muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore quam nostra, interfluo Eu- Babylon.

phrate mirabili opere utroque. Hi autores teſtantur de magnitu-
dine urbis Babylonis. Ac Diodorus dicit: Mœnia eius complexa eſſe trecenta & ſexaginta ſtadia, quæ faciunt duodecim pene miliaria Germanica. Herodotus autem & Plinius numerant ſtadia cccclxxx. hoc eſt, miliaria Italica ſexaginta, quæ faciunt quindecim Germanica. Cum igitur maieſtas huius urbis intantum creſceret, ut etiam ſubijceret ſibi omnia alia regna terræ, non minabatur ſolum regno Iuda, cui promiſſus erat Chriſtus, interitum, ſed etiam putabatur in æternum ſtatura, ut nullus plane locus regno Chriſti relictus uideretur. Ac nobis quidem, qui ex hiſtorijs populorum interitum multarum & maximarum urbium cognoſcimus, non mirandum apparet, quod & Babylon interierit. Iudæis autem & alijs populis, qui eo tempore fuerunt, quo Babylon adhuc ſtetit & regnauit, uidebatur haudquaquam fieri poſſe, ut tanta maieſtas & potentia ſubuerteretur. Quare facile iudicari poteſt, quanto metu contremuerint pij in regno Iuda, cum cogitarunt magnitudinem & ſucceſſum Babylonici Imperij. Quanto enim maior erat potentia Babyloniorum, tanto plus metuebant Iudæi, ne non ſolum ipſi opprimerentur, uerumetiam promiſſum regnum Chriſti nullum in terris locum præ Babylonio Imperio habiturum eſſet. In tanta igitur animi trepidatione Eſaias ſpiritu ſancto excitatus ſuſcipit concionem habendam de euerſione Babylonis & Imperij eius, ut confirmet animos piorum, & doceat Regnum Chriſti, non Babyloniorum, perpetuo duraturum. Orditur autem concionem ſuam in perſona Dei, quaſi Deus ipſe conuocet exercitum ad deuaſtandam urbem & Imperium Babylonicum, ut ſignificet Babylonem non humana, ſed diuina potentia perituram. Leuate, inquiens, ſignum ſeu uexillum, in excelſo monte, exaltate uocem, leuate manus, ut ingrediantur portas Principum, uidelicet Babyloniorum. Hæc eſt uox Dei congregantis, & uocantis exercitum militarem Perſarum & Medorum, ut irrumpant in Babylonem, & diripiãt eam. Nam quemadmodum doryphori ſolent noſtro more ad militiam ſono buccinæ aut tympani excitari & uocari, ita Deus ſuſcepturus bellum aduerſus Babylonem iubet inſtituere uexillum in alto monte, & alta uoce clamare, adeoque manibus etiam ſignificare, ut homines ad militiam ueniant, & exercitus conſcribatur ad diripiendam urbem Babylonem. Sed quis, inquies, audebit nomen ſuũ dare in militiam aduerſus Babylonem, tantã urbem & tanta potentia munitam? Reſpondet Deus: Hæc mihi curæ erunt. Vos ueſtrũ facite officium. Inſtituite uexillum, uocate hoĩes ad militiam tam uoce q̃ manuum ſignificatione, & quoquomodo poteſtis. Nec dubitetis de aduentu & concurſu militũ. Ego enim ſancti

ficaui,

ficaui, hoc est, elegi, & ordinaui Heroes, (Medos, & Persas) ut sint organa iræ meæ, quam concepi aduersus Babylonem, & fiant illustres mea maiestate, qua Babylonium Imperium deijciam. His sanctificatis, electis & uocatis heroibus præcepi, ut meæ uocationi obsequantur. Quare mox ut uiderint uexillum, & audierint sonitum buccinæ, præsto aderunt, & conficient ea, quæ mandaui. Etsi autem bellum aduersus Babylonem ab hac Esaiæ concione futurum erat post ducentos pene annos, tamen spiritus in Esaia uidet & audit iam apparatum & tumultum eorum, qui suscepturi erãt bellum contra Babylonem. Idcirco quasi obstupescens: Vox, inquit, multitudinis in montibus &c. hoc est, Etsi, quæ uaticinor, post multos annos uentura sint, tamen hoc ipso momento temporis uideor mihi audire e montanis uociferationem & clamorem quasi innumerabilium populorum, ac etiam Regnorum, quæ in unum conueniunt, ut aduersus Babylonem, Deo ipso duce & Imperatore, bellum gerant. Intelligo enim diuino spiritus sancti afflatu, quod Deus ipse, qui hoc titulo ornatur, DOMINVS Zebaoth, hoc est, exercituum, seu militiarum, conuocet in militiam, exercitum multorum populorum & Regum, non ex uicinia, sed a finibus cœli, hoc est, de longinquis terris, quæ ultra horizontem Babylonis sitæ sunt, aut quæ ab æquinoctiali recedunt ad polum Arcticum. (Vnde in Hieremia dicitur: Ascendet contra eum Gens ab Aquilone &c.) Et ut rectius loquar, DOMINVS ipse proficiscetur in bellum, una cum externis illis Gentibus, quibus pro organis, ad explendam iram suam, & ad deuastandam uniuersam terram Babyloniorum, utetur. Quid igitur fiet, cum uenerit horribilis ille dies DOMINI, quo maiestas Babyloniorum ab omnipotente Deo deijcietur? Quid aliud fieret, quam quod in captis urbibus fieri solet? Victi homines ululabunt, & uociferabuntur: manus omnium dissoluentur: corda eorum liquefient, & obstupescent. Torsiones & dolores inuadent eos: sicut parturiens parturient. Alter ad alterius conspectum expauescent, ac ita erubescent, ut ipso uultus ardore confusionem suam prodituri sint. Nec id mirandum. Supplicium enim Domini, quod in ipsos ueniet, horrendum est, & grauissimum, ac deuastabit totam regionem, & excindet de ea sceleratos. Stellæ cœli non amplius lucebunt. Orion non amplius tam clare splendebit. Sol orietur obscuratus, & Luna non habebit splendidum fulgorem. hoc est: Omnis Babyloniorum fœlicitas peribit. Nullam habebunt prosperam fortunam. Sed omnia erũt calamitate pleniſsima. Eadem de interitu Babylonis cõcionatus est Hiere. ca. 1. & li. quæ & reipsa impleta sunt per Medos, Persas, ac postea per Alexandrum Magnum, & alios.

Sed de his pōstea. Dices autem: Quid nobis utilitatis hęc afferunt? Præterierunt iam pene bis mille anni, quibus hæc & prædicta & facta sunt. Cur ergo hoc tempore nobis ea obtruduntur? Profecto afferunt nobis maximam utilitatem. Nihil dicam iam de Israelitis, quibus ad crescentem magnitudinem Babylonici Imperij trepidantibus, & metuentibus regno Christi, hæc concio de interitu Babylonis necessaria fuit, quemadmodum antea indicauimus. De nostri, in quos termini ętatum inciderunt, utilitate dicam. Primum enim habemus ex hoc scripto testimonium ueritatis sacræ scripturæ, & autoritatis Prophetarum. Si enim reipsa euenit, quod Prophetæ certo euenturum prædixerūt, manifestum testimonium est, uaticinia eorum non fuisse humana somnia, sed diuina oracula. Quod si euenerunt ea quæ uaticinati sunt de regnis huius mundi, certe euenient etiam ea, quæ prædixerunt de regno Dei & iudicio eius. Deinde admonemur, ut non quæramus firmam sedem in regnis huius seculi, sed tantum in regno Christi. Si enim regnum Babylonicum interijt, si & alia regna mundi interierunt, & interibūt, non alio nos uertere possumus, quam ad regnum Christi, quod est perpetuo duraturum. An non, si tibi sedes mutanda esset, ad eam potius regionem te conferres, quam scires tranquillam fore centum annis, quam in illam, quæ tantum uiginti annis tranquilla futura esset? In his terris autem nihil est firmū, nihil stabile, nec possumus nobis tranquillitatem uel unius anni polliceri. In regno Christi omnia sunt certa, firma & fixa, non centum tantū annis, sed perpetuis temporibus. Quare non collocemus spem nostræ salutis in regnis terræ, sed festinemus ad regnum Christi &c.

ET VISITABO SVPER ORBEM MALICIAM, &c.

Deus excitabit hostes aduersus Babylonem, ut deuastent eam. Quæ ergo causa illa est, aut quod meritum Babyloniorum, propter quod Deus intantum eis irascitur, ut tradat eos in interitum? De hac re nūc concionatur Propheta, Et dicit: Visitabo orbem Babylonicum deuastatione propter maliciam ipsorum, & perdam impios Babylonios propter iniquitatem ipsorum. Videamus igitur quæ sunt impietates & iniquitates Babyloniorum, propter quas perierunt, ut cognoscamus causas ruinæ imperiorum. Ac manifesta est idolatria Babylonis, quēadmodum postea capite quadragesimoquarto & quadragesimosexto sequitur: Et Danie. tertio: Sunt qui existimāt publicam idolatriam a Babylonijs initio institutam. Scriptores testantur Babylonios coluisse Iouem nomine Belis. Deinde non simpliciter abiecerunt cognitionem & cultum ueri Dei, & coluerunt idola, sed etiam defenderunt idolatriam, & persecuti sunt

Babyloniorū impietates.

sunt ueram religionem, ac irriserũt uerum Deum Israel. Exemplũ habes in Daniele capite tertio, de Nabuchodonosore, qui coniecit tres adolescentes in ignem, quod nollent adorare statuam. Et Daniel. quinto, Balthasar laudauit, contempto Deo Israel, deos suos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos. Huc confer nunc religionem Romani Imperij. In hoc enim sua est, eaq; maxima Idolatria. Idola enim sunt omnia sacrificia Missarum Papisticarum. Idola sunt omnes ordines Monastici. Idola sunt omnis cultus sanctorum. Idola sunt omnes statuæ sanctorum, ad quas suscipiuntur peregrinationes. Et hæc idola non solum coluntur in Romano Imperio, uerumetiam defenduntur. Et interim pia doctrina, & rectus Dei cultus quoquo modo fieri potest, opprimũtur. Etsi enim homines non trucidantur singulis diebus propter pietatem in conspectu hominum, tamen trucidantur semper in conspectu Dei. Nã edita sunt tam a Pontificibus, q̃ ab alijs horrenda Edicta aduersus ueram doctrinam Euangelij: quæ edicta suum adhuc robur & autoritatem habent. Quare sentiendum est, quod in conspectu Dei tantisper pia doctrina damnatur, & pij homines trucidantur, dum ista edicta non abolentur. Quid autem fauoris, quid auxilij, quid salutis conferret Deus in Romanum Imperium, cum de cœlo prospicit in tam dira & crudelia edicta, instituta aduersus piam doctrinam filij sui, & Ecclesiã suã? Sed reuertemur ad Babylonios. Hi. n. non solum simplici Idolatria, sed etiã defensione idolatriæ, & persecutione ueræ religionis peccauerunt, ideoq; necesse habuerunt perire. Deinde peccauerunt etiam Magia, & diuinationibus. Vnde & Magos uocant Chaldæos. Et Daniel. secundo conuocãtur arioli & aruspices, ut exponãt regi somnium. Quid autem fit in Romano imperio? Maior est tam inter Principes quam in uulgo Magia, quam publice nota sit. Coniurationes & quas uocant benedictiones tam uulgares sunt, ut uix inuenias uel agricolam uel opificem, uel pastorem, qui non habeat propriam quandam, eamq; magicam benedictionem. Et quia benedictiones alicubi pijs uerbis constant, existimant non esse peccatũ ijs uti pro remedijs aduersus omnia afflictionũ genera. Adhæc totum Pontificium regnum constat Magia. Cõsecrationes enim eorum, quibus utuntur ad sanctificandum panem, uinum, aquam, salem, palmas, poma, pyra, puerperas, & id genus alia, prorsus magicæ sunt. Quare dum hæc in Romano Imperio constiterint, non potest incolumitas eius sperari. Alia iniquitas Babyloniorum hæc est, quod cum Deus tradidisset eis puniendum populum suum Israel, tractarunt ipsum crudelissime & immanissime. Esa. quadragesimo septimo: Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in

Collatio Babyloniorũ et Põtificiorũ.

manu tua. Non posuisti eis misericordias. Et Zachar. primo: Zelatus sum Hierusalem & Zion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum &c. Quid autem Germanici milites? quãta sit crudelitas eorum, omnes finitimæ nationes nouerunt, ideoq; sentiunt nullam esse gentem Germanis magis Barbaram. Præterea, accusantur Babylonij superbiæ & arrogantiæ. Requiescere, inquit, faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Vide arrogantiam & fastum regis Babyloniorum apud Danielem, capite quarto. Arrogantiæ autem supplicium est deiectio. Eodem uitio laborant non solum Principes, sed abiectissimi quiq; homines in Romano Imperio. In comicijs quę contentiones fere maiores esse solẽt, quam de sessionibus? Aiunt in curia Imperatoria & Regia non esse prope plura & maiora negocia, quam de uendendo iure Nobilitatis. Etiam cerdones affectant nobilitatem, &c. Reliquum igitur est, quod cum eodem uitio cum Babylonijs laboremus, idem etiam supplicium sustinere cogamur.

PRECIOSIOR ERIT VIR AVRO &c.

Expossuit Propheta causam deuastationis Babylonicę, nũc proponit deuastationis hypotyposin. Precioſior, inquiens, erit uir auro &c. hoc est, tanta erit uastitas, ut uix inuenias uirum aut hominem. Tanta erit clades, ut pauciſsimi uiri superstites mansuri sint. Ac inuenies citius optimum aurum, quam uirum quendam Babylonium. Deus enim tanta ira aduersus Babylonios accensus & inflammatus est, ut excitaturus sit aduersus eos cœlum & terram. Turbabo, inquit, super hoc, cœlũ, & mouebitur terra de loco suo: hoc est, tanta erit in Babylone rerum mutatio, & commotio, ut cœlum ipsum & terra casura uideantur. Ideoq; Babylonij ita exterrebuntur, ut quo quiq; poterit, fugiat, quasi damula, & quasi oues dispersæ, amisso pastore. Adhæc deserent ipsos copiæ auxiliares. Vnusquisq; qui in auxilium Babyloniorum uenit, fugiet in suam terram, deserta Babylone. Quæ enim humana auxilia constarent, iudicante Domino? Et quis tantam hostium crudelitatem expectaret? Ea enim erit hostium immanitas, ut trucident, quemcunq; assecuti fuerint. Quin etiam uiolabunt uxores eorum, & allidẽt infantes ipsorum ad petras. Hic nulli nec sexui nec ætati parcetur. Quis ergo a facie tantæ calamitatis non fugeret? De hac Babyloniorum calamitate canit etiam Psalmus cxxxvi. Filia Babylonis misera. Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet paruulos tuos ad petram. Rem horrendam. Hi iudicantur beati, qui crudeliter sęuiunt & grassantur in Babylonios & infantes eorum. Iudicantur autem beati non quidem

æterna fœlicitate: quomodo enim Medi, qui & ipſi impij fuerunt, meriti eſſent cœleſtem beatitudinẽ cædibus & crudelitate? ſed beati mundana fœlicitate, quia Deus reddet Medis & Perſis præmia quædam corporalia pro nauata opera in puniendis Babylonijs. Quanta, obſecro, hæc eſt ira Dei? Sed hæc nobis præſcripta ſunt, ut fruamur aliena inſania, & in tempore reſipiſcamus, ne noſtra impietate & iniquitate fiat, ut Turcæ beati dicantur, ſi in nos crudeliter ſæuierint.

ECCE EGO SVSCITABO SVPER EOS MEDOS, &c.

Vel tandem exponit Propheta diſerte nomen eorum hoſtium, qui deuaſtaturi ſunt Babylonem. Suſcitabo, inquit, MEDOS aduerſus Babylonios. Cum hoc Propheta conſentit etiam Hieremias capite quinquageſimo & quinquageſimoprimo. Suſcitauit, inquiens, Dominus ſpiritum Regum Medorum, & contra Babylonem mens eius eſt, ut perdat eam. Et mox: Sanctificate contra eam gentes, reges Mediæ, Duces eius &c. Et Daniel capite quinto: Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis ac Perſis. Quod autem hi Prophetæ uaticinati ſunt, hoc impletum eſſe teſtãtur non ſolum ſacræ, uerumetiam prophanæ literæ. Daniel ait: Interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſsit in regnum annos natus ſexaginta duos. Porro cum Dario Medo ſuſcepit regnum Babylonium etiam Cyrus Perſa, qui & mox ſolus, Dario mortuo, regnauit. Vnde & Herodotus libro primo, expugnationem Babylonis ſoli Cyro Perſæ adſcribit. Deſcribit autem Herodotus copioſe expugnationem Babylonis. Quare etiam hic autor, quamuis Ethnicus, teſtis eſt propheticæ ueritatis. Fieri autem non potuit, ut Eſaias carnali quodam iudicio cognouerit, Medos futuros eſſe deuaſtatores Babylonis, ſed ad huius rei cognitionem neceſſaria fuit ſingularis reuelatio ſpiritus ſancti. Nam quo tempore Eſaias hæc uaticinatus eſt, Medi nondum erant illuſtri aliqua potentia prædiți. Etſi enim hiſtoriæ Gentium tradunt Arbacem uicto Sardanapalo rege Aſsyriorum, tranſtuliſſe imperium ab Aſsyrijs ad Medos. (Circa hæc autem tempora prophetauit in Iuda Eſaias, & Prophetæ σύγχρονοι) tamen liber Regum teſtatur captiuitate Iſraelis Medos fuiſſe ſubiectos Aſsyrijs. Iſraelitæ enim translati ſunt ab Aſsyrijs uictoribus in ciuitates Medorum, quarto Regum decimoſeptimo. Ac ſtatim poſt Aſsyrios commemoratur in ſacra ſcriptura potentia & maieſtas Babyloniorum, ut uides in legatione Babyloniorum, quæ deſcripta eſt quarto Regum uigeſimo, & in ijs rebus geſtis, quæ poſt illa, quæ ſacra ſcriptura commemorat, ſequuntur. Quare nemo potuit eo tempore, quo Eſaias hæc con-

cionatus est, humano iudicio futurum conijcere, quòd Medi essent superaturi & deuastaturi Babylonem. Esaias autem non solum nomen hostium Babylonis recenset, uerumetiam exponit sæuitiam & crudelitatem eorum aduersus Babylonem. Non quærent, inquit, argentum, nec aurum: hoc est, nullam accipient pecuniam pro redemptione Babyloniorum, sed interficient omnes, quoscunque assecuti fuerint. Non parcēt paruulis, non infantibus, non prægnātibus mulieribus. Sic & in Hieremia capite quinquagesimoprimo dicitur: Collidam in te senem & puerum iuuenem & uirginem etc. In Psalmo Beatus pronunciatur, qui in hac expugnatione Babylonis allidit infantes Babylonios ad petras. Et supra, uocántur Sanctificati. Quid ergo hoc est, inquies? Num beatitudo est & sanctificatio, si quis crudeliter & immaniter trucidauerit, conculcauerit, protriuerit, ac allisérit infantes? Quid cōmeruere miseri infantes?

Cultus Dei debet habere uerbum Dei.

Hic admonendi sumus, quod in præstando cultu Dei, non debeamus consulere humanum iudicium, sed diuinum uerbum. Nam quod iusserit uerbum Dei, hoc Deo placet, & est uerus Dei cultus, si ex fide obedienter peragatur, etiamsi humana ratio contradixerit. Porro, generale quidem uerbum Dei est, ut unusquisq; diligat proximum suum sicut seipsum, & ut etiam inimicis benefaciamus. Sed si personale præceptum a Deo datum fuerit, ut inimici trucidentur, non iam erit immanitas, hominem occidere, sed obedientia, officium, & cultus Dei. Personale autem & singulare præceptum Dei erat, ut Medi & Persæ opprimerent ac trucidarent Babylonios, quemadmodum testantur Prophetæ Esaias, & Hieremias, & Psalmus cxxxvi. Filia Babylonis misera, Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Quare, cum Medi grassarentur in Babylonios, obedierunt uocationi Dei. Et siquidem habuissent ueram fidem & cognitionem Dei, præstitissent Deo hac crudelitate cultum tam gratum, ut non tantum corporalia, uerumetiam cœlestia prēmia eis reddidisset. In Exodo Leuitæ immaniter sæuiunt ex mandato Domini in liberos & cognatos suos Idolatras, & audiunt: Consecrastis manus uestras hodie Domino unusquisque in filio & fratre suo, ut detur uobis benedictio. In priori libro Samuelis præcipitur Sauli, ut percutiat Amalecitas, nec parcat eis, sed interficiat a uiro usq; ad mulierem, & paruulum & lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. Sed cum Saul parceret regi Amalecitarum, & bobus ac ouibus, idq; pio, ut uidebatur, prętextu, uidelicet ut boues sacrificaret Domino, audit: Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Et additur grauissima sententia: Melior est obedientia quam uictima, & auscultare,

auſcultare,magis quam offerre adipem arietum &c. In Hieremia capite quadrageſimooctauo,hoſtes Moabitarum maledicuntur, ſi prohibuerint gladium ſuum a ſanguine. Itaq; obedientia & cultus Dei eſt, ac meretur benedictionem, ſi quis ex mandato Dei,ex mandato,inquam, Dei, non ex ſua ipſius libidine aut furore, hoſtes opprimat. Porro talis obedientia uocatur ſanctificatio & beatitudo,non quod mereamur æternam fœlicitatem cædibus & immanitate, ſed quod cum ſit mandatum Dei, placeat Deo, & compenſetur diuinitus magnis premijs, externis quidem & terrenis,ſi homines,qui hanc præſtant,alioqui impij fuerint,ſpiritualibus autem & cœleſtibus etiam, ſi homines alioqui pij fuerint. Quid autem eſt,quod Deus,qui eſt clementiſsimus, tam immania mandare nonnunquam ſoleat, ut etiam infantes allidi debeant ad petras? Deus non mandat iſta generaliter, quia cum ipſe ſit miſericors, placet ei etiam in hominibus miſericordia, Sed mandat ea aliquoties perſonaliter,& ſingulari quodam conſilio, uidelicet, ut declaret magnitudinem iræ ſuæ aduerſus humanam impietatem. Natura enim tam cæci & indurati ſumus, ut nec grauitatem naturalis noſtræ maliciæ,& magnitudinem ſceleratarum noſtrarum actionum agnoſcamus. Et quæ nobis de ſeueritate iræ diuinæ aduerſus peccata uerbis commemorantur, iudicamus eſſe ridicula,ac ſolemus contemptim dicere, Inferni ignem non eſſe tam feruidum, quam ſermone narratur. Quare Deus mandat aliquoties immanitatem etiam erga infantes exercendam, ut manifeſto exemplo doceat, quanta ſit ſeueritas iræ eius non tantum contra externa ſcelera,ſed etiam contra naturalem noſtram impietatem,& ut excitet nos ad timorem,fidem ac obedientiam fidei &c.

ERIT BABYLON ILLA CIVITAS GLORIOSA IN REGNIS INCLYTA&c.

Poſtquam Propheta deſcripſit hoſtes Babylonis,& immanitatem eorum, deſcribit nunc fortunam urbis Babylonis. Babylon, inquiens,celeberrima illa urbs in toto orbe terrarum, & longe omnium illuſtriſsima,ſubuertetur ſicut Zodoma & Gomorrha. Non habitabitur deinceps, nec commorabitur ibi quiſquam. Ac tam horribilis erit ſolitudo, ut nec Arabes, qui alioqui ſolitudinibus delectantur, ibi tentoria ſua figerent, nec paſtores, qui ad deſerta gregem minare ſolent,ibi mapalia ſua conſtituerent. Hic enim locus replebitur tam immanibus& horribilibus beſtijs,ut nullus hominum eo accedere,& ibi habitare audeat. Munitiſsima loca Babylonis deijcientur. Amœniſsima uertentur in extremam abominationem. Et hæc fient non poſt multos centenarios, ſed in propin-

quo est tempus deuastationis tam illustris urbis. Hæc autem, quæ commemorantur hoc loco de deuastatione urbis Babylonis, non sic intelligenda sunt, quod Babylon tota sit delenda in ea expugnatione, quæ a Medis & Persis facta est, sed quod ita sit delenda, ut pristinum splendorem prorsus amittat, nec unquam amplius recuperare queat. Strabo de Babylone scribit: Vrbis partem Persæ diruerunt, partem tempus consumpsit, & Macedonum negligentia, præsertim ubi Seleucus Nycanor Seleuciam ad Tigrim condidit, ad stadia trecenta Babyloni proximam. Nam & ille & posteri omnes circa hanc urbem (Seleuciam) maximopere studuerunt, & regni caput effecerunt, & nunc Babylone maior est, quanquam magna ex parte deserta, ut id facile de ea dici possit, quod de magnis urbibus, quæ in Arcadia erant, a quodã dictum est: Magna ciuitas, magna solitudo est. Hactenus Strabo. Ex quibus intelligis, quod & si & nomen & aliqua pars urbis Babylonis post expugnationem Persicam remanserunt, tamen ita deuastata fuerit, ut postea Seleucia urbs non ita magna, & etiam multa ex parte tunc deserta, superauerit magnitudine sua Babylonem. Nam cum Babylon tantæ fuerit magnitudinis ante Persicam expugnationem, ut ambitus muri complexus sit quindecim miliaria Germanica, quemadmodum supra ostensum est, mirandum non est, quod post expugnationem & direptionem, in tanto terræ spacio, nonnulla loca manserint inculta & horrida, & in alijs locis conditæ sint aliæ ciuitates, quæ non Babylonis nomen retinuerint, sed alijs nominibus uocatæ fuerint. Itaq; dicitur Babylon submersa sicut Zodoma & Gomorrha, quod in summa sua securitate expugnata sit a Medis & Persis, & quod in tanto terrarum spacio multa loca manserint tam inculta, & facta sint tam horrenda, ut præ bestijs nullus hominum ibi habitare ausus fuerit. Deinde, quod Propheta dicit tẽpus deuastationis Babylonis in propinquo esse, Prope est, inquiens, ut ueniat tempus eius, & dies eius non elongabũtur, non intelligas conferri hoc tempus ad illud, quo Propheta hæc concionatus est. Nam a tempore huius concionis usque ad expugnationem Babylonis a Medis & Persis factam, sunt anni pene ducenti. Sed intelligas conferri hoc tempus cum eo, quo Iudæi abducti sunt in captiuitatem Babylonicam. In libro enim quarto Regum, capite uigesimo, uaticinatur Esaias de abducendis Iudæis in Babylonem. Et cum hoc uaticinio consentiebant & alij Prophetæ σύγχρονοι Esaiæ. Ex tanto Prophetarum consensu uehementer terrebantur pij in regno Iuda, & sollicitabantur putare captiuitatem Iudæ perpetuam fore,

Strabo Geogra. lib. 16.

fore, & Christum oppressa gente Iudaica, nunquam uenturum. Hos igitur consolatur Esaias, & iubet eos bono animo esse, quod & si Iudæi abducendi sunt captiui in Babylonem, & tanta uidetur Babylonis potentia, ut nulla spes libertatis Iudæis appareat, tamen ab eo tempore, quo abducuntur, breui futurum sit, ut Babylon expugnetur, & ipsi liberentur, ac redeant in terram suam. Discamus igitur in Babylone seueritatem diuinæ iræ aduersus humanam impietatem & maliciam. Primum enim Babylon fuit urbs munitissima, non solum hominibus & muris, uerumetiam flumine Euphrate, qui mediam Babylonem interfluebat. Attamen cum ciues essent impij ac scelerati, nec peccarent tantum idolatria, & alijs flagicijs, sed etiam contemnerent uerum Deum Israelis, & blasphemia eum afficerent, nihil iuuerunt eos urbis munimenta. Quare non est nobis hoc præcipue agendum, ut urbes sint muris bene munitæ, sed ut Respublica recte administretur, & ciues piam doctrinam obedienter sectentur. Satis munita est ciuitas, quæ habet DEVM protectorem. Tunc autem DEVS protegit ciuitatem, cum uerbum eius locum in ea habet, & nomen ipsius fide, inuocatione, ac obedientia glorificatur. Deinde Babylon fuit urbs amœnissima: habuit ædificia magnificentissima, habuit hortos omni genere amœnitatis plenos. Et tamen cum ciues impiam & sceleratam uitam ducerent, & uisitarentur diuino supplicio, nullam potuerunt ex tanta amœnitate uoluptatem capere. Quare in hoc studium incumbamus, non ut paremus nobis amœna loca iniquitatibus & impostoris, sed ut piam & honestam uitam ducamus, quo conseruemus bonam coram Deo conscientiam. Hanc si habemus, omnia etiam sordida loca erunt nobis amœna. Hac si careamus, nulla loca erunt nobis satis amœna, etiamsi Paradiso similia essent. Nam quemadmodum si quis gestet in pede infixam spinam, quocunque incesserit, sentit dolorem, etiamsi calciatus sit serico calceo: ita quocunque tecum tuleris malam conscientiam, ex peccato, nullam inuenies amœnitatem. Demus igitur operam fide & obedientia fidei, ut habeamus tranquillam conscientiam, & sicut Paulus loquitur, pacem cum Domino Deo nostro, quo fiet, ut omnia nobis sint amœna.

Vide Herodotum in Clio.

MISEREBITVR ENIM DOMINVS IACOB, ET ELIGET ADHVC DE ISRAEL, &c.

Supra dixit Propheta Dominum uisitaturum orbem Babylo-

nicum propter maliciam, impietatem, ſuperbiam & arrogantiam eius. Sed quid? An non & Medi & Perſæ, Babyloniorum uictores, erant homines mali, impij, & arrogantes? Certe ſi peccata Babyloniorum & Medorum inter ſe conferas, deprehendes alios alijs, ne titiuilitio quidem meliores eſſe. Quid ergo eſt, quod Babylonij uiſitantur diuinitus & non Medi? Non minus quidem impij fuerunt Medi quam Babylonij, ſed hos uiſitauit Dominus, non tam quod peccauerunt per ſe, quam quod peccauerunt aduerſus populum Dei electum. Cum enim alioqui impijſsimi & ſceleratiſsimi eſſent, in hoc tamen compleuerunt iniquitatem ſuam, quod non ſolum adorauerunt idola ſua, ſed etiam præ ſuis idolis blaſphemia affecerunt uerum Deum Iſraelis, & graſſati ſunt crudelius, quam Deus iuſſerat in populum Dei, adeoque ſtatuerant ſe nunquam reſtituturos libertati ſuæ gentem Iſraelis, hoc eſt, Eccleſiam Domini. Quare Deus excitauit Medos, ut opprimerent Babylonios, quo non ſolum peccata Babyloniorum punirentur, ſed etiam populus Dei liberaretur, & ad reſtaurandam ſuam politeam in terra Canaan ex Babylonica captiuitate dimitteretur. Sed quid? num Iſrael debuit libertati & regioni ſuæ ad hunc uſum & finem reſtitui, ut iucundam, & uoluptuariam uitam corporis in ea regione uiueret, et delicijs ſtuderet? Nihil minus, Sed ut certa eſſet politea, in qua Chriſtus filius Dei naſceretur, & Euangelion ſuum prædicaret, & ex qua mitteret Apoſtolos ſuos in totum orbem terræ, ad cõgregandam Eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus. Quare quod Eſaias hoc loco dicit Dominum miſerturum Iacob, & electurum ad huc Iſraelem, nõ reſpicit principaliter ad liberationem carnalis Iſraelis e captiuitate Babylonica, Sed ad ſpiritualem liberationem per Chriſtum filium Dei, tunc quidem exhibendum, nunc autem exhibitum, & ad diuulgationem Euãgelij inter omnes gentes. Miſerebitur, inquit, Dominus, Iacob, hoc eſt, Babylonicum regnum opprimetur, ut Iacob, ſeu Eccleſia Dei liberetur. Etſi enim Deus permiſit, ut Iſraelitæ affligerẽtur per Babylonios, & abducerentur captiui in Babylonem, tamen non eſt oblitus promiſsionum ſuarum de miſericordia in Chriſto filio ſuo præſtanda. Dixit ſe iudicaturum populum ſuum, & miſerturum ſeruorum ſuorum Deut. trigeſimoſecundo. Dixit, Ego ſum DOMINVS Deus eorum, & recordabor fœderis mei priſtini, quod pepigi cum Iacob, Iſaac & Abraham, Leuitici uigeſimoſexto. Dixit, Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram, Deuteronomij ſeptimo. Harum & ſimilium promiſsionum non eſt oblitus Deus. Quare ut compleat

eas,

eas, efficiet, ut deuastetur regnum Babylonicum, & restituatur politea Israelitica, in qua Christus promissus nascatur, & ex qua Euangelion Christi uulgetur in uniuersum orbem, uocenturq; non tantum hi qui ex Israelitis dispersi sunt inter nationes, uerum etiam gentes incircuncisæ, ad cõmunionem cœlestium bonorũ. Faciet DOMINVS Israelitas requiescere super humum suam, non tunc solum, cum redierint e captiuitate Babylonica. Minima enim pars Iudæorum seu Israelitarum redierunt ad auitam suam terram, Sed multo magis dicuntur requieuisse super humum suam, cum uenit Christus, & impletę sunt promissiones de Christo, quę prædicatione Prophetarum, & aliorum doctorum, conseruatæ erant in terra Iudaica. Et sequitur: Adiungetur ad eos aduena, & adhærebit domui Iacob, &c. Nec hoc principaliter pertinet ad reditum e Babylone, sed ad uocationem gentium, quæ per Apostolos facta est. Nam cum Apostoli mandato Christi uulgauerunt Euangelion in orbem terræ, agnouerunt Christum non solum Iudæi, hinc inde dispersi, sed etiam Gentes. Hæ adiunxerunt se, & adhęserunt domui Iacob, cum acceperunt Euangelion Christi, & crediderunt in Christum. Hi etiam sunt populi, qui tenuerunt Israelitas, & adduxerunt eos in suum locum, quia gentes coniunxerunt se cum Apostolis, exceperunt eos obedientissime, & contulerunt omnem operam suam, ut Euangelion uulgaretur, & fines regni Christi dilatarentur. Vide Acta Apostolorum, & epistolas Pauli. Hæc enim testantur palam, quanto gaudio gentes Euangelion exceperint, ac impleuerint etiam id, quod sequitur: Possidebit eos domus Israel super terram Domini in seruos & ancillas, & erunt capientes eos, qui se ceperant, & subijcient exactores suos. Nam ante Israelitæ fuerunt facti serui & ancillæ Gentium, & necesse habebant gentibus esse subiecti. Postquam autem Apostoli, qui erant Israelitæ, prædicauerunt Euangelion in gentibus, tunc gentes factæ sunt ancillæ & serui Israelitarum, quia agnouerunt prædicationem Apostolorum, exceperunt eam obuijs, quod aiunt, ulnis, subiecerunt se Apostolicis mandatis, ac tradiderunt se captiuos Christo Israelitæ, & Apostolis eius, qui & ipsi erant Israelitæ. Sic Petrus subiecit exactores suos, cum uenit ad Cornelium & reliquos Ethnicos, & adduxit eos in obedientiam Christi Actorum decimo. Sic Paulus cepit eos, qui ante ceperant Israelitas, cum de Ephesijs & alijs scribit, quod fuerint quondam alieni a Republica Israelis, & sine Deo in hoc mundo, nunc autem facti sint prope in sanguine CHRISTI, &c. Habes igitur ex hoc loco, quanti Deus faciat suam Ecclesiam. Nihil fuit in terris potentius & magnificentius regno Babylonico. Nihil erat tunc abiecti-

Gentes Israelitarum serui & ancillæ.

us & contemptius populo seu Ecclesia Dei. Et tamen cum regnum Babylonicum non amplius usui esset Ecclesiæ Dei, necesse habuit perire. Sic & Pharao, potentissimus sui temporis Rex, necesse habuit aquis obrui, cum impedimento esset Ecclesiæ, ne obsequeretur uocationi Dei. Sic Psalmus ciiij. Corripuit pro eis reges. Deus enim uocat Ecclesiam κειμήλιον, seu peculium suum. Nihil autem homini inter omnes suas ōpes gratius est suo κειμηλίῳ. Et sicut mater inter mille alienos pueros, meminit maxime omnium sui infantis, de suo infante præcipue cogitat, suum infantem pulcherrimum omnium iudicat: ita Deus inter omnes alias gentes suam præcipue Ecclesiam curat, propter quam & creauit hunc mundum, propter quam conseruat mundum, propter quam instituit regna huius mūdi & iterum destruit. Etsi enim reges terræ sæpenumero nihil minus cogitant, quam de Christo & Ecclesia eius, tamen quodcunq; regnum non seruierit Ecclesiæ, uel nesciens, uel sciens, non potest diu durare. Hoc autem multis de causis diligenter cognoscendum est. Primum, ut Principes & magistratus sciant quod sit officium ipsorum, & in quem præcipue usum a Deo instituti sint, uidelicet, non ut pro libidine sua dominentur, sed ut Ecclesiæ Christi seruiant, & gloriam nominis Dei pro uirili adiuuent. Deinde ut priuati quiq; admoneantur, cui præcipue regno sese subiicere debeant. Nullum enim terrenum regnum firmum et stabile est. Nec in ullo potest inueniri uera & certa fœlicitas. Solum regnū Christi, quod est Ecclesia, firmum est, & in sola Ecclesia Christi inuenitur certa salus & firma fœlicitas. Etsi enim affligitur Ecclesia in hoc mundo, tamen perpetuo conseruatur, & necesse habent omnia alia regna, quę afflixerunt eam, perire. Quare in hoc studium unicuiq; incumbendum est, ut posthabitis alijs regnis, conferat sese in regnum seu Ecclesiam Christi. Docet etiam nos hic locus timorem Domini, & humanitatem erga quemuis Christi confessorem, & cum Ecclesia CHRISTI coniunctum, uidelicet, ne uel abiectissimum Christianum contemnamus, aut ei malefaciamus. Si enim Deus non pepercit opulentissimis & potentissimis regnis, cum malefacerent Ecclesiæ Dei, haudquaquam parcet priuato homini, qui membro Ecclesiæ male facit. Et si Filius Dei abiectum hominem tanti æstimauit, ut propter ipsum descenderit de cœlo, & susceperit mortem, certe debemus & nos eum omni honore & auxilio dignum iudicare. Postremo considera & hic dignitatem & maiestatem Ecclesiæ Dei, hoc est, uniuscuiusque hominis pij. Possidebit, inquit, eos, domus Israel in seruos & ancillas, & subijcient sibi exactores suos. Domus Israel est Ecclesia CHRISTI. Quisquis igitur fit per fidem membrum Ecclesiæ, fit etiam

Ecclesia est κειμήλιον Dei

pars

pars domus Israelis. Hæc est autem prærogatiua domus Israelis, ut omnes alij homines sint serui & ancillæ eius, & subijciat sibi omnes hostes & aduersarios suos. Hoc non intelligendum est de corporali seruitute, cum pij soleant fere esse aliorum serui, sed de spirituali, quia quotquot sunt in Christo, his omnia sunt adiumento in bonum, his omnes hómines seruiunt, omnes etiam afflictiones. Malefactor seruit pio, quia exercet eum ad patientiam & obedientiam Dei. Tyrannus seruit pio, quia pius oppressus tyrannide diligentius inuocat Deum, & maiora beneficia a Deo consequitur. Morbi seruiunt pio, quia mortificant carnem, ut uiuat spiritus. Ac tandem fiet, ut omnia etiam extrinsecus subijciantur pio, quia una cum Christo suo dominabitur in cœlo & in terra.

CAPVT XIIII.

ET ERIT IN DIE ILLA CVM REQVIEM TIBI DEDERIT DEVS A LABORE TVO, &c.

Quæ sequuntur, non continent aliud argumẽtum, quam quod in superiori cap. de ruina & interitu regni Babylonici dictum est, Sed proponunt hanc ruinam alia orationis forma. Initio enim Esaias sub Ezechia rege Iudæ uaticinatus est Babylonios fore deuastatores urbis Hierusalẽ & regni Iudæ. Hoc uaticinium scriptum est in quarto Reg. uigesimo. Dicit em̃ Esaias ad Ezechiã: Audi sermonem Domini. Ecce dies uenient, & auferuntur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usq; ad diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quicquam, ait Dominus. Sed et de filijs tuis &c. Cũ hoc uaticinio consentiebant & alij Prophetæ, qui erãt σύγχρονοι Esaiæ. Pij aũt Israelitæ hoc uaticinio territi, uehemẽter metuebãt, ne deuastatione urbis Hierusalem in tantã seruitutem cõijcerentur, ut nunq̃ restituerentur libertati, nec instauraretur Resp. ipsorũ, quo Christus promissus nasci, & officio suo fungi posset. Non enim tam libertatem carnalem, quam aduentum Christi, & prædicationem eius suspirabant. Quare Esaias consolatur pios, & promittit fore, ut etiamsi ruat regnum Iudæ, tamẽ ruiturum etiam sit regnum Babylonicum, quo ipsi non solum restituantur libertati, sed etiam uicissim capiant eos, qui prius ipsos ceperant, & subijciant sibi exactores suos. Ac ante quidẽ uaticinatus est de ruina Imperij Babylonici, in modũ solennis cõcionis: Nũc aũt quo tenacius auditori inhæreat, & diligẽtius cõseruetur, proponit eã ruinã parabola, hoc est, figurata oratiõe, quasi uel publico rythmo recitandã, uel publico carmine decantandã. Pingit aũt poetico more, nõ solũ

populum huius terrę a Babylonijs antea oppreſſum, in ruina Babylonici Imperij lætari, uerumetiam populum inferni occurrere regi Babylonio, & inſultare ei, quod cum omnes alios reges oppreſſerit, tandem & ipſe neceſſe habuerit interire. Ac profecto Eſaias in hac oratione tam ſalſe, tam argute, tam facete ridet caſum et ruinam regni tam excelſi, tam imperioſi, & tam arrogantis, ut appareat eum fuiſſe uirę non ſolum ſumma grauitate, ſed etiã inſigni urbanitate præditum. Fiet, (inquit) ut quo tẽpore Deus dederit tibi requiẽ, & reſtituerit te libertati, ſumas parabolam iſtam contra regem Babylonis. Recitabis quaſi rythmo, aut decantabis carmine ruinam Babylonis. Dices: Quid hoc eſt? An non tu Babylon opprimebas õmnes gentes? an nõ reges omnes perſoluebant tibi tributũ? Quid ergo factum eſt, quod & tu oppreſſa iam ita iaces, ut nulla amplius ſpes ſit te aliquando caput leuaturã? Sed hoc eſt iudicium Domini. Tu eras baculus, eras uirga, qua grauiſsime percutiebantur & crudeliſsime diſcerpebantur omnes gentes. Tu eras flagellum Dei. Nunc autem ô fœlicem diem, hic baculus & hæc uirga coniecta ſunt in ignem. Hoc factum eſt iuſtiſsimo iudicio Dei. Quare, poſt quam tu interijſti, conſecuta eſt in tota terra omnis tranquillitas, & lætitia. Primum enim conquieſcit & in ſinu ſuo lætatur uulgus hominum, qui te adhuc dominante neceſſe habebant grauiſsima onera ferre. Deinde lætantur etiam abietes & cedri Libani, quæ ſibi applaudunt, quod poſtquam tu rex Babylonis deiectus es, nullus amplius ſit, qui ipſas excidat. Per abietes autem & cedros intelligẽdi ſunt illuſtres & potẽtes Principes ac reges huius terræ, qui a Babylonijs afflicti & oppreſsi fuerunt. Poſtremo, etiam Infernus (inquit) ſubter te conturbatus eſt in occurſum aduentus tui &c. Hoc loco pingit Propheta Infernum, quaſi corporalem mundũ, & Mortuos Reges, quaſi adhuc corporaliter in eo mundo uiuentes, & colloquentes. Non ſunt autem in inferno tam craſſæ actiones & tam carnalia ſpectacula, quam hoc loco deſcribuntur, ſed finguntur talia prudentiſsimo ſpiritus conſilio, ut ſignificetur aliquo modo, quanto contemptu laborent tam coram Deo, quam corã omnibus creaturis cœleſtibus, terrenis, & infernis ſuperbi & arrogantes tyranni, qui tamẽ putant ſe ſolos eſſe cœli, terrę, & inferni dominos. Proponitur autẽ hoc loco Inferni quaſi Monarcha quidam, qui in aduentu regis Babylonici excitet Principes & Reges, quos hircos uocat, ut regi Babylonico obuiam procedant, & riſu ac ſcommatis eum excipiant. Vnde, quæſo, inquit, aduenis? Quis in te tantum nefas committere auſus eſt? Siccine & tu uulneratus es, ſicut nos? Siccine & tu noſtri ſimilis factus es? En concidit uel tandem tua iſta arrogantiſsima ſuperbia, qua nos omnes quondam affligebas.

Concidit

Concidit strepitus & tumultus uel psalteriorum aut gaudiorum & conuiuiorum tuorum, uel inundationum tuarum, quibus tota terra obruebatur. Certe uidemus quod quemadmodum aliorum hominum, ita & tuum cubile sint Tineæ, & tegumenta tua sint uermes: hoc est, etiam tu factus es esca uermibus & cibus tineis. Sed priusquam ad ea, quæ in Propheta sequuntur, progrediamur, cõsiderandum est, quid sibi uelit Propheta, quod hac parabola aduersus regem Babylonis instituat ἐπινίκιον ante uictoriam. Regnum Iudæ nõdum erat oppressum a Babylonijs, Babylonij ad summam in toto orbe terrarum potentiam aspirabant, & maiestas eorum uidebatur inæternum duratura. Nondum deuicti erant Babylonij. Quid ergo? An non magna est impudentia canere encomium ante uictoriam? Deinde, An non crudele est, insultare misero, & exprobrare ei miseriam suam? Supra dixit, Non solum Babylonios uiros, uerumetiam infantes trucidandos, imo allidendos esse ad petras. Hæc magna est immanitas. In tanta autem immanitate ridere, & calamitoso insultare, quid potest dici immanius? Et quid? An magistratus non est honore afficiendus? Cur igitur Esaias tanto cõtemptu despicit Babylonium magistratum, qui eo tempore summus ac potẽtissimus in toto orbe terrarum erat? De his rebus pauca quædam percurremus. Initio enim, periculosum & temerarium est encomium canere ante uictoriam, in ijs quidem rebus, de quibus nulla extat diuina promissio, & quarum euentus incertus est. Huius gloriationis supplicium dignum est, Confusio, seu pudefactio. In quibus autem rebus diuina extat promissio, earum euentus est certissimus. Quare fidei est, non temeritatis, in ijs canere ἐπινίκιον ante uictoriam. De Babylonis autem interitu, & Israelitarum liberatione manifestę erant iam spiritus sancti reuelationes, & perspicuæ erant Dei promissiones. Esaias igitur cum hoc loco docet parabolam de interitu Babylonici regni recitãdam, non docet temeritatem, sed confessionem fidei, & obedientiam diuinæ uocationis. Sed quid? Num liberatio Israelitarum e Babylonica tyrannide fuit uera illa requies, qua licuit liberatis, hanc parabolam tota animi lætitia commemorare? Non dubium quidem est, quin hæc externa liberatio fuerit miseris & captiuis Iudæis gratissima, attamen uix habet umbram ueræ & cœlestis liberationis. Etsi enim Iudæi redierunt ad suam regionem, e qua ante eiecti erant, & facti sunt aliquo modo αὐτόνομοι, tamen, ut non recenseam hic communes humani generis afflictiones, quibus Iudæi etiam in sua regione obnoxij manserunt, grauissimas pertulerunt afflictiones a populis finitimis, & necesse habuerũt Persarum Imperio subiecti esse, ltaq; postquam Persæ expugnarunt Babylonem, & remiserunt

Iudæos ad suam regionem, Iudæi non sunt consecuti tantam libertatem, ut non essent subiecti alienæ dominationi, sed tantum mutauerunt dominos. Quare non potuerunt eo tempore, tota animi lætitia, & gaudio ex omni parte syncero hãc parabolam recitare. Sed ea demum est uera liberatio, & perfecta quies, quam nobis sanguine & morte sua acquisiuit filius Dei Iesus Christus seruator noster, de qua etiam præcipue spiritus sanctus per Esaiam concionatur. Hic enim Christus filius Dei uere nos liberauit a labore, à confusione, & a durissima nostra seruitute, qua subiecti eramus Satanæ, peccato, morti & inferno, ac restituit nos cœlesti libertati, quia reconciliauit nos cum Deo Patre suo, & expiauit peccata nostra, ac donauit nobis suam iusticiam, ut hac confisi uincamus in ipso Satanam, mortem & infernum. Quare credentes in Christum uere nũc cantare possumus parabolam istam: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Et tamen quia adhuc uersamur in hac carne, & conflictandum nobis est cum aduersarijs potestatibus, donec mortificata carne, iterum resurgamus, idcirco parabolam, quam in hoc mundo per fidem cantare incipimus, tunc pleno & perfecto cordis gaudio cantabimus, cum excitati a mortuis, fœlicẽ uitam cum Christo & omnibus sanctis eius perpetuo transigemus. In mundo, inquit Christus, afflictionem habebitis. Sed bono animo sitis, ego uici mundum. Hic iubet Christus ipse cantare encomium ante uictoriam. Significat autem duo. Alterũ, Afflictiones adhuc nos in hoc mundo manere. Alterum, uictoriã esse certissimam. Quare & si iactamur in hoc mundo uarijs casibus, tamen propter uictoriæ certitudinem in Christo, etiam hic nobis ex animo gaudendum est, ut plenum gaudium in futuro possideamus &c. Deinde, quod ad miseros attinet, crũdele quidem est insultare misero, si id pro carnali tua libidine feceris, & humano, hoc est, inuido & uirulento animi affectu. Sic insultarunt Ammonitæ miseris Iudæis, a Nabuchodonosore oppressis. Dicebant enim de sanctuario, Euge euge, pollutum est: De terra Israel, Desolata est: De domo Iuda, Ducti sunt in captiuitatem. Insultare autem spirituali affectu hosti Dei, in miseriam diuinitus coniecto, & ad deridendum ac contemnẽdum proposito, non est crudelitas sed pietas, non est abnegatio, sed confessio ueræ fidei, & officium, quod pij Domino Deo seruatori suo ad testificandam gratitudinem suam debent. In Psalmo 51. dicitur de interitu impij: Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Et in Prouerb. Sapientia ait de internecione contemptorum uerbi Dei: Ego in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cum uobis id quod timebatis aduenerit. Eadem dicenda sunt de Magistratu, de Regi-

Ezech. 25.

bus

bus & Principibus, qui etsi sunt legitimo suo honore prosequendi, & Deo precibus commendandi, ac pro beneficio eorum gratiæ agendæ, tamẽ piorum hominum est insultare eis, non quidem pro sedicioſorum more, sed pro pietatis ingenio. Primum enim pij nõ confidunt potentia regum, aut terrenis regnis. Deinde non obsequuntur impijs regum mandatis. Præterea cum manifesto Dei iudicio deijciuntur & opprimuntur Tyranni, agunt pij Deo gratias pro liberatione miseri populi, & concipiunt etiam ipsi timorem Dei, ut cum uidẽt Deum ne potentibus quidem Monarchis, si impij & crudeles fuerint, parcere, quantominus sit ipsis, hominibus abiectis parsurus, si non pergant in uocatione Dei ambulare. Hoc est spiritualiter regibus & Principibus insultare. Sic insultarunt Israelitæ Pharaoni, postquam euasissent tyrannidem eius, & ipse suffocatus esset in mari, Exod. decimoquinto. Sic Debora & Barac insultarunt suis hostibus iam oppressis, Iudi. quinto. Porro, cum hic reges & Principes terræ describantur habitare in inferno (Dicit enim: Infernus suscitauit tibi hircos, hoc est, potentes Principes & reges,) manifeste concionatur spiritus sanctus, quod regna huius mundi nec sint firma nec stabilia, & quod reges huius seculi non habitent in cœlo, sed in inferno, hoc est, non sint perpetui domini terræ, sed obnoxij ruinæ. In Ezechie. capite trigesimosecundo, Reges & Principes descendunt in lacum & in infernum. In Daniele capite secundo, Lapis qui cadit de monte, comminuit & consumit uniuersa regna. Quód cum ita se habet, Regum & Principum officium est, ut cum non queant efficere, quo sua mundana regna perpetuo in hac terra conseruentur, summam operam dent, quo in regnis suis locum habeat cœleste regnum Christi, quod ut perpetuo manet, ita conseruat perpetuo omnes, qui Christo Regi ex fide seruiunt.

QVOMODO CECIDISTI DE COELO LVCIFER, QVI MANE ORIEBARIS? &c.

Commoratur adhuc spiritus sanctus in illudenda, et scõmatis ac ἐκκαυμοῖς exagitanda ruina Regni Babylonici & regum eius. Eras, inquit, uelut ἑωσφόρος in cœlo. Hanc stellam uocant stellam Veneris, quæ post Solem & Lunam longe omnium pulcherrima & splẽdidissima est. Quemadmodum igitur in cœlo lucet ἑωσφόρος, ita in terrenis regnis eminebas tu Babylon. Sed quid factum est? Corruisti in terram, & tam obscura facta es, ut intuentibus sis horror. Nec tantum dignitate superasti alia regna, uerumetiam oppressisti ea tua tyrannide. Non fuisti contenta dominatione in Reges Ethnicos, sed uoluisti etiam dominari in regem populi Dei. Cogitasti & præsumpsisti in animo tuo, te prolaturum fines Imperij

tui uſq; ad cœlum, & exaltaturum thronum tuum ſupra aſtra, hoc eſt, dominaturum in electum populũ Dei, in Iudæos, qui, cum ſint populus ex omnibus gentibus a Deo electus, ſunt uelut luminaria in terris, & cœleſtis cœtus. Vnde & additur: Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Hæc eſt periphraſis montis Zion, & urbis Hieruſalem. Pſalm. xlvij. Fundatur exultatione uniuerſæ terræ mons Zion, Latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Cum igitur rex Babylonius cogitaret non ſolum inuadere regnum Iuda, & occupare templum, & ciuitatem Hieruſalem, uerumetiã populum Dei pro ſua libidine opprimere, & ueram ipſorum religionem abolere, adeoq; in religione pro ſuo arbitrio dominari, dicitur hoc loco aſcẽdere ſuper altitudinem nubium, & affectare Deo, qui ſolus eſt uerus rex populi ſui, & ſolus ueram docet ſpiritu ſancto ſuo religionem, ſimilis eſſe. Cęterum, maiores noſtri abuſi ſunt hoc loco Eſaiæ ad deſcribendum & docendum peccatum & caſum Satanæ de cœlo in infernũ. Nec; id inepte. Etſi eñ manifeſtũ eſt, quod hic locus intelligẽdus ſit κατὰ ϑεωρίαν de caſu & ruina regni Babylonici, tñ ut artis eſt in oratione hypotheſin trãsferre ad theſin, ita maiores noſtri magna ſpũs induſtria obſeruarũt in caſu Babylonis, caſum Satanæ. Niſi. n. ante deiectus fuiſſet Satã e cœlo in infernũ, non ſecutus eſſet caſus Babylonis & regũ eius in terris. Primũ igitur, perſpicuũ eſt, quod Satan initio bonus quidẽ a Deo creatus ſit, ſed poſtea defecerit ſuo ipſius arbitrio ab hac bonitate, & peccauerit. In ueritate, inquit Chriſtus, non ſtetit, quia ueritas in eo non eſt. Teſtatur & Petrus angelos peccaſſe: Deus, inquiens, angelis, qui peccauerant, nõ pepercit. Deinde perſpicuum & hoc eſt, quod Satan cum angelis ſuis deturbati ſint e cœlo in infernum. Videbã, inquit Chriſtus, Satanam ſicut fulgur de cœlo cadẽtem. Et Petrus: Deus angelis, qui peccauerant, non pepercit, ſed catenis noctis in Tartarum præcipitatos, tradidit ſeruatos in iudicium. Quęrẽdum ergo eſt, quod fuerit illud peccati genus, propter quod Satan præcipitatus eſt cum angelis ſuis de cœlo in Tartarũ. Accuſantur quidem in Ioanne mendacium & homicidium, ſed priuſq; Satan hæc erga hominem deſignauit, deiectus iam erat propter peccatũ e cœlo. Facile autem colligi poteſt ex ingenio & moribus Satanæ, inter homines, quod genus peccati ab initio fecerit, priuſquam hominem ſeduxit. Satan enim ſemper perſecutus eſt, & adhuc perſequitur Chriſtum filium Dei, & hoc præcipue agit, ut homines ipſius mandatis obſequantur, hoc eſt, ut abiecto uerbo Dei, ipſe habeatur Deus, & ſeruator. Ad mulierem dicit: Quocunq; die comederitis ex hoc fructu, aperiẽtur oculi ueſtri, & eritis ſicut Dij ſciẽtes bonum & malum, hoc eſt, Exiſtimatis hunc fructum afferre uobis exitium,

Satanæ caſus

Satanæ peccatum.

tium, sed Mihi credite, ego docebo, quod uerum est, ego uos seruabo, ego uos beatificabo, ego uos deos faciam, si modo obsecuti fueritis meo mandato, & comederitis hunc fructum. Ad Christum ipsum dicit: Si prostratus adorauerit me, dabo tibi omnia regna mundi. Ex his & similibus locis scripturæ manifestum est, quod Satan non contentus sua dignitate, quam habuit ex diuina creatione, affectauerit esse Deus, & conatus sit filium Dei e sua maiestate deturbare. Quare diuino iudicio factum est, ut non solum non sit assecutus, quod uoluit, uerumetiam præcipitatus sit e cœlo in infernum, & e summa dignitate, ad extremã ignominiã & infœlicitatẽ. Cum autem postea idem in terris contigerit regno Babylonio, & regibus eius, quod antea contigisset Satanæ & angelis eius in cœlo, opportune admonemur, ut exemplo ruinæ regni Babylonici consideremus casum & deiectionem Satanæ e cœlo. Hæc enim consideratio ualde nobis utilis est ad concipiendum timorem Dei, ad compescendam animi elationem, & retinendos nos in officio uocationis nostrę. Nihil enim humano animo arrogãtius, nihil elatius est. Nam cum homo sit mancipiũ Satanæ, accõmodat etiã sese ingenio eius. Primũ, quod ad spiritualia attinet, affectat homo ipse esse Deus, & suiipsius seruator. Cum enim uidet peccata sua, quærit opera, quibus seipsum iustificet. Cum uidet se morti obnoxium, quærit merita ex seipso, quibus consequatur uitam in cœlo. Christum autem filium Dei, qui solus est iusticia & meritum uitæ, cõtemnit, ne uideatur esse mendicus, & alienæ opis indigus. Hæc est execrabilis arrogãtia, cui obnoxij sunt omnes homines natura sua: dominatur autẽ in impijs, uidelicet, Hypocritis, Iudæis, Turcis, &c. Sed compescenda est consideratione exempli Satanæ & Babylonici regni. Satan uoluit in cœlo esse Deus, et contempsit filium Dei, Ideo coniectus est in infernum. Regnum Babylonicum uoluit esse Deus in terris, & contriuit populum Dei, ideo coniectum est in extremam internecionem. Quare abijciamus animi arrogantiã, & subijciamus nos Christo filio Dei, quo solo fiet, ut cõsequamur ueram diuinitatem. Per Christum enim adoptamur in filios Dei, ut fiamus etiam hæredes omnium cœlestium bonorum. Deinde, quod ad corporalia attinet, iactare solent homines suas nobilitates in terris, & affectant alij aliorum esse domini. Itaq; solent fiducia suæ nobilitatis & potentiæ non solum alios præ se contemnere, sed etiam in quosuis iniurij esse. Ponenda igitur sunt ob oculos exempla Satanæ & Babylonis. Satan fuit nobilissima creatura in cœlo. Sed cũ arrogaret sibi maiestatem Dei, & esset in filium Dei iniurius, proturbatus est in obscurissimas inferni tenebras. Babylon fuit nobilissimum & illustrissimum regnum in terris, Sed cum esset iniuri-

um in proximos quoſq; præcipitatum eſt in tantam ignominiã, ut etiam pueri rideant ac contemnãt nobilitatem eius. Meminerimus igitur, quod Euãgelica πρόμη dicit: Qui ſe exaltat, humiliabitur. Et: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. QVI TE VIDERINT, AD TE INCLINABVNTVR etc.

Pergit Propheta in cõmemorãdis ſcommatis aduerſus reges & regnum Babyloniũ. Quid plura? inquit. Non tm̃ hi, qui ſunt mortui in inferno, uerumetiam uiuentes, quoties ueniet ipſis in mentẽ regni Babylonis, illudent ei, et ridebunt interitum eius. Nunquid iſte eſt uir, qui conturbauit terram, qui oppreſsit uniuerſum orbẽ &c. Recenſentur aũt duo prẽcipua ſcelera Babylonicæ tyrannidis. Vnum eſt, quod Babylonij non contenti ſuo regno, quod erat ampliſsimũm, inuaſerint etiam aliena regna, & deuaſtauerint bellis ſuis multas regiones & urbes, quoſq; deuiciſſent, nunq; reſtituerint libertati, ſed oppreſſerint eos perpetua ſeruitute. Poſuit, (inquit) orbem in deſertum, & urbes eius deſtruxit, uinctis eius nõ aperuit carcerem. Alterum eſt, quod non tantum in externos, ſed etiam in ſuos magna crudelitate graſſati fuerint. Tu, inquit, terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti. Habes tyrannidem regum Babyloniorum. Nunc uideamus ſupplicia huius tyrannidis. Deus enim non ſinit crudelem tyrannidem eſſe diuturnã. Commemorat autem parabola tria genera ſuppliciorum, quibus reges Babylonij diuinitus afflicti ſunt. Vnum eſt, quod immiſſum fuit ipſis regum perſonis. Alterum, quod in liberis & poſteris eorum accidit. Tertium, quõd urbi & regioni ipſorum accidit. De ſupplicio quod regi ipſi immiſſum eſt, dicit, Omnes reges gentium uniuerſi dormierũt in gloria, uir in domo ſua. Tu autem proiectus es &c. hoc eſt, Alij reges habent honeſtas & regias ſepulturas. Ac hoſtes etiam ſolent regum ſepulturis, quas inter uictas gẽtes inuenerint, parcere. Rex autẽ Babylonius tam miſere periit, ut ab hoſtibus interfectus, proiectus ſit, quaſi cadauer putridum. Nec ſolũ ultimus ille rex Babylonius caruit honeſta ſepultura, uerumetiam ſepulchra maiorũ ſuorum ab hoſtibus diruta ſunt. Legamus Danielem, cap. quinto, qui refert Balthaſarem regem Babylonium interfectum eſſe a Medis, & Perſis. Is autem Balthaſar uidetur ab Herodoto dici Labynetus. Scribit enim Herodotus Labynetum tũc in Babylone regnaſſe, cum Cyrus ſuſcepit bellum aduerſus Babylonem, et expugnauit eam. De deſtructione autem regiorum ſepulcrorum libet ea hic commemorare, quæ Herodotus ſcribit. Regina Nitocris (mater uidelicet Labyneti ſeu Balthaſaris) hunc dolum machinata eſt. Supra portas urbis celeberrimas in loco edito, atq; conſpicuo, ſepulchrum ſibi conſtruxit, idq; his literis inſcripſit. τῶν πρὸς ἑμεῦ ὕστερον γενο

μένων

μένων βαβυλῶνος βασιλέων, ἢν ἀπανίσῃ χρημάτων, ἀνοίξας ἂν τάφον, λαβέτω ὁκόσα βούλεται χρήματα. μὴ μένοντι μὴ ἀπανίσας γε, ἄλλως ἀνοίξῃ. οὐ γὰρ ἄμεινον. hoc est: Si cui eorum regum Babylonis, qui post me futuri sunt, defuerit pecunia, sumat, aperto sepulcro, quantum libet. Quod si uero non deest ei pecunia, melius fuerit, ut non aperiat. Hoc sepulchrum tamdiu immotum fuit, dum regnum peruenit ad Darium. Is indignum esse ratus, se neq; uti his portis (Ideo autem non utebatur, quod supra caput ipsius transeuntis mortuus situs esset) neq; sumere pecuniam repositam. Itaque pecunia prouocatus aperuit monumentum, in quo non quidem inuenit pecuniam, sed mortuum, & literas ita dicentes. εἰ μὴ ἄπληστός τε εἶεις χρημάτων, καὶ αἰσχροκερδὴς, οὐκ ἂν νέκρων θήκας ἀνέῳξας. hoc est, nisi pecunia esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuisses urnas defunctorum. Et si autem Herodotus commemorat hic unius tantum reginæ sepulchrum destructum, tamen ex parabola Prophetæ nostri Esaiæ perspicue intelligi potest, quod in expugnatione Babylonis, Persę, ne reliquis quidem sepulchris Regum Babyloniorum pepercerint, cum tamen mortuorum sepulchra in alijs uictorijs soleant manere inuiolata. Verumẽ uero per se quidem cõram Deo nihil refert, humi ne quis, an in aqua, aut aere putrescat, nec magnificentia sepulturæ mortuum quicquam iuuat. Domini est terra, inquit Psal. & plenitudo eius. Sed inhoneste abijci, et insepultus, a coruis aut feris aut auibus dilaniari, magna est coram hominibus maledictio, & est argumẽtum grauissimæ iræ Dei. De Isabella uxore regis Ahab, & de Ahab ipso dicitur iij. Reg. xxi. Canes comedent Isabellã in agro Iezrael. Si mortuus fuerit Ahab in ciuitate, comedent eum canes. Si autem mortuus fuerit in agro, comedẽt eum uolucres cœli. Et Iere. viij. Ejcient ossa regis Iuda, & ossa Principũ eius, & ossa sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum qui habitauerunt Hierosolymis, de sepulchris suis &c. Et cap. xxij. de rege Ioachim: Sepultura asini sepelietur, putrefactus & ejectus extra portas Hierusalem. Non affligũtur quidẽ mortui, si ossa ipsorũ ejciuntur e sepulchris hostiliter, sed affligũtur uiuẽtes, qui sunt eius rei spectatores, & admonẽtur de grauitate diuinæ iræ aduersus impios. Ac fieri quidem potest, ut & pij abijciãtur insepulti. Non. n. est ullum calamitatis genus, quod non etiam pijs accidat. Sed ut mors piorum cedit ipsis ad fœlicitatem, ita & inhoneſta abiectio exuuiarum ipsorum, cedit eis in gloriam. Sola impietas est, quæ facit ut & mors & sepulturæ inhoneſtas sint exitio. Quare ab impietate resipiscendum est, & pietati studendum, ut quicquid aduersi acciderit, adiumento sit in bonum. Hactenus diximus de primo supplicio, quod personis ipsis regum Babyloniorum illatum est. Sequitur

secundum supplicium, quod contigit eis in liberis & posteris ipsorum. Non uocabitur (inquit) inæternum semen pessimorum. hoc est, posteri Babyloniorum tyrannorum non ita perpetuo succedent maioribus suis in regno, ut nūc fieri solet. Præparate filios eius occisioni. hoc est, filij regum Babyloniorum occidentur, propter iniquitatem patrum eorum. Non consurgent, nec hæreditabunt terram, nec implebunt terram ciuitatibus. Et consurgam super eos, dicit DOMINVS Zebaoth, & abolebo Babylonis nomē. hoc est, gloriam & maiestatem: excindam reliquias cū filijs & nepotibus, dicit Dominus. Quod Esaias uaticinatus est, hoc etiam reipsa completum est in posteritate Balthasaris. Liberi enim & nepotes eius non regnauerunt in Babylone, sed regnum translatum est ad Medos & Persas. Hoc est solenne supplicium tyrannorum, quod cum studeant crudelitate regnum suum munire & ad posteros propagare, coniiciant posteros etiam in uitæ discrimen, tantum abest, ut regnum eis tradant. Exemplo sunt Cain, Saul & alij &c. Quod Tyrannis accidit, idem etiam accidit hominibus priuatis, qui posteris suis congregant opes calumnijs, nugis, impostur is, & alijs malis artibus. De his concionatur Ecclesiastes Salomonis. Diuitiæ congregatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictiõe pessima. Generauit filium, qui in summa egestate erit &c. Quare maiores & parentes tum demum consulunt posteris suis, si dederint operam pietati & honestati, nõ si congregauerint multas opes iniquitate. Tertium supplicium, immissum est urbi & regioni Babyloniorum. Ponam eam in possessionem Ericij, in paludes aquarę, & uerram eam scopa uastatrice dicit Dñs Zebaoth. Etsi aūt urbs Babylon non est tota uno tẽpore deuastata, tñ procedente tempore ita deserta facta est, ut nūc Babylonẽ in ipsa Babylõe quæras. Vide aūt mihi, quod Deus etiam locum & regionem odio habeat, propter impietatem, quam habitatores designant. Maledicta, inquit, terra in opere tuo. Et iterum: Si non audieris uocẽ Domini Dei tui, disperdam terrā uestram, & stupebunt super eam inimici uestri &c. Fugiamus igitur impietatẽ peccati, ne & locus habitationis nostræ maledicatur, sectemur autem pietatem, ut omnia nobis sint benedicta. Hæc em̃ non fiunt benedicta herbis, consecrationibus, seu adiurationibus, sed pietate, qua etiam mors ipsa benedicitur. Puris, inquit Paulus, omnia sunt pura. Pollutis autẽ & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorum mens & conscientia.

Tyrãnorum supplicium.

SEQVITVR ALIA CONCIO ESAIAE DE *interitu exercitus Sancherib regis Assyriorum.*

IVRAVIT DOMINVS ZEBAOTH, SI NON VT COGITAVI, ITA ERIT &c.

Hæc

Hæc concio nõ pertinet ad superiorẽ illam de rege Babylonis, sed est alia concio de interitu exercitus Saneherib in incursione in terram Iuda. Videtur autem Monarchia Assyriorum & Babyloniorũ una & eadem fuisse, quia scriptura sacra subiicit Assyrijs Babylonem. iiij. Reg. xvij. Adduxit rex Assyriorum uiros de Babylone &c. Et ij. Paralip. xxxiij. Principes regis Assyriorum ceperunt Manassen, & uinctum catenis atq; compedibus duxerunt in Babylonem &c. Ac initio quidẽ dicta est hæc Monarchia Regnum Assyriorum, dum aula regia fuit in Niniue. Deinde dicta est regnum Babyloniorum, cum aula regia trãslata est in urbem Babylonem. Cum igitur reges Assyriorum seu Babyloniorũ adhuc habitarent in Niniue, eo tempore, quo in Iuda regnauit Ezechias, mouit Saneherib rex Assyriorum bellum aduersus Ezechiã, & incurrit eximprouiso, maximo exercitu in fines regni Iudæ, ac minatus est deuastationem non solum regionis Iudæ, uerumetiam urbis Hierusalem, quæ erat eius regni metropolis, & in qua erat templum Dñi, & regis aula. De hoc bello Esaias etiam supra cap. x. cõcionatus est. Et describitur infra cap. xxxvi. & xxxvij. Similiter iiij. Reg. xviij. & xix. Item ij. Paralip. xxxij. Quare, etsi cõcio quæ hoc loco recitatur, descripta est post concionem illã de interitu regni Babylonij, quã audiuimus cap. xiij. & xiiij. tamen apparet Esaiam habuisse eam ante illam, de Babylone, eo uidelicet tempore, quo nunciatum est Ezechiæ & ciuibus Hierosolymitanis, Saneheribum non solum deuastare regionem Iudæ, uerumetiam oppugnaturum urbem Hierusalem, et aboliturum totum regnum. Etenim, cum Saneherib pararet arma & susciperet bellum aduersus regnum Iudæ, Esaias excitatus spiritu prophetico iussit ciues suos bene sperare, & prædixit fore, ut etsi Saneherib afferat aliquam cladem regioni, tamen necesse habeat urbem Hierusalem incolumem dimittere, & maxima infamia aufugere. Noli, inquiens, timere populus meus habitator Zion ab Assur. In uirga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in uia Ægypti. Sed adhuc paululum modicumq; consummabitur indignatio mea, et furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum DOMINVS Zebaoth iuxta plagam Midian &c. Hæc concio descripta est supra capite decimo, qua Deus pollicetur per Esaiam, se defensurum urbem Hierusalem, & oppressurum exercitum Saneherib regis Assyriorum. Sed quid factum est? Ciues Hierosolymitani acceperunt quidem ex hac concione & promissione magnam consolationem, priusquam reipsa senserunt cladem. Postquam autem uiderunt regem Assyriorum non solum deuastare regionem Iudæ, sed etiam capere munitas urbes eius, atq; appropinquare ad oppugnãdam urbem Hierusalem, ibi tum

Monarchia Assyriorum & Babyloniorum una & eadem.

ceperunt magno metu contremiſcere, & de ſalute regni ſui tantum non deſperare. Saneherib enim rex Aſsyriorum erat Monarcha terræ, ducebat ſecum exercitum longe omnium potentiſsimum, & copias ualidiſsimas, & illuſtris erat multis & uarijs uictorijs, quas etiam poſtea capite trigeſimoſexto commemorat. Accedebat & hoc, quod obijciebat Ezechiæ & ciuibus eius hæreſin & defectionem a Deo ſuo. Nam Ezechias inſtauraverat piam doctrinam, & legitima ſacra, atq; reformauerat Eccleſiam iuxta uerbum Domini. Quod cum Saneherib comperiſſet, exprobrat Ezechiæ, quod deſeruerit auitam ſuam religionem, & excogitauerit nouam hæreſin: quale quid & obijci ſolet pijs Principibus & ciuitatibus, qui hoc tempore aperuerunt portas ſuas ſyncero Euangelio Chriſti. Sic autem uociferatur Saneherib: In quo habetis fiduciam? ſedetis obſeſsi in Hieruſalem? Num Ezechias decepit uos, ut tradat morti in fame et ſiti, affirmans quod Dominus Deus ueſter liberet uos de manu regis Aſsyriorum? Nunquid non iſte eſt Ezechias, qui deſtruxit excelſa illius & altaria, & præcepit Iudæ & Hieruſalem dicēs: Coram altari uno adorabitis, & in ipſo comburetis incenſum? Hoc certe eſt abijcere hæreſin, & exprobrare defectionem a ueteri ſua religione. Præterea accedebant etiam aliæ horribiles blaſphemiæ, quas euomebat Saneherib magna impietate non ſolum aduerſus uerum Dominum Deum Iſrael, ſed etiam aduerſus deos gētium ſuarum. Quis, inquiens, eſt de uniuerſis dijs gentium, quas deuaſtauerunt patres mei, qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea, ut poſsit etiam Deus ueſter eruere uos de hac manu? Et iterum: Nunquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, ut diſperderem eam? imo Dominus dixit ad me: Aſcende ſuper terram iſtā, & diſperde eam. Hæc & id genus alia uehementiſsime concutiebāt & perterrebant ciues & incolas urbis Hieruſalem, ut exiſtimarent de ſalute ipſorum actum eſſe. Primum igitur conſolatur eos rex ipſe Ezechias publica concione ſecundo Paralip. trigeſimoſecundo. Nolite, inquiens, timere, nec paueatis regem Aſsyriorum, & uniuerſam multitudinem quæ eſt cum eo. Multo ēm plures nobiſcum ſunt, cq; cum illo. Cum illo eſt carneum brachium, Nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatq; pro nobis. Deinde conſolatur & confirmat eos Propheta Eſaias hac cōcione, quæ in hoc decimoquarto capite deſcripta eſt. Vrget autem in ea ueritatem & certitudinem diuinæ promiſsionis. Iurauit, inquiens, Dominus, ſi non, ut conſtitui, ita erit &c. Promiſi antea me defenſurum urbem Hieruſalem, & oppreſſurum exercitum regis Saneherib (quemadmodum ſupra dictum eſt capite decimo) in ipſa mea regione, & in meis montibus, hoc eſt, in Iudea, ut auferatur iugum

eius

eius a uobis,& tollatur onus eius ab humeris uestris, ut liberemini a tyrannide & crudelitate eius. Hoc promisi, hoc decreui, hoc cõstitui, hoc certo perficiendum suscepi, non solum aduersus unum regem Sancheribum, uerumetiam aduersus omnes hostes populi mei, & aduersus omnes gentes conantes populum meum delere. Quis autem poterit decretum DOMINI Zebaoth irritum facere? quis poterit extentam manum eius auertere? Hęc concio diligentissime obseruanda est, de certitudine & ueritate diuinarũ promissionum, ut confirmemur in fide in omnibus aduersis & calamitatibus. Nam si aduersa, qualiacunq;, & cuiuscũq; generis fuerint, minantur nobis exitium & internecionem, primum omnium resipiscendum est & cogitandum, quod simus cum Deo reconciliati propter Christum, & quod Deus sit nobis propter Christum, in quem credimus, propicius. Deinde perquirendæ sunt promissiones, quibus Deus recepit se nos in calamitatibus adiuturum & cõseruaturum. Sunt autem diuersæ promissiones. Aliæ sunt generales, aliæ personales. Aliæ sunt de rebus spiritualibus, aliæ de rebus corporalibus. In his suum discrimen obseruandum est, & ex his cognoscimus uoluntatem Dei. Postremo cogitãdum est de ueritate & firmitate uerbi Dei, ac de potentia eius. Testatur autẽ Deus ueritatem, certitudinem & firmitatem uerbi sui, Iureiurando, & exemplis. Iurauit (inquit) Dominus Zebaoth, si nõ ut cogitaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, sic eueniet &c. Quod autem iurauit, hoc reipsa præstitit & seruauit. Etsi enim Sancherib habuit innumerabiles copias, quibus uisus fuit expugnare posse uniuersum orbem terræ, & ad cuius uires collatus Ezechias, cum regno suo, uix præfectus pagi uidebatur, tamen exercitus eius ab uno angelo in una nocte ita oppressus est, ut amitteret centũ octoginta quinq; millia militum, & ipse sese turpissima fuga in suam ciuitatem Nini uen receperit. Dominus enim Zebaoth decreuerat urbem Hierusalẽ defendere, Quis ergo poterat hoc decretũ Domini irritum facere? Et Dominus Zebaoth extenderat manum super exercitũ Sancherib, Quis ergo poterat eam auertere? Puniuit & alias Deus blasphemiã Sancheribi, qua non solum in uerum Deum, sed etiã in deos gentium debacchabatur. Apparet.n. eum fuisse cõtemptorem omnis religionis. Scribit Herodotus Sancheribum, cum suscepisset bellum aduersus Sethonẽ regem Ægypti, qui ex sacerdote rex creatus fuerat, a muribus ex Ægypto fugatum esse. Et testãtur sacræ literæ, quod sit a suis ipsius filijs in tẽplo Dei sui trucidatus, iiij. Reg. xix. Talem uitę finem accepit rex in uerum Deum blasphemus, & in populũ Dei crudelis. Extãt et innumera alia exẽpla, quibus Deus probauit certitudinẽ & ueritatẽ promissionũ suarũ. Pro

In Euterpe.

miserat Deus se liberaturum Israelem ex Ægypto, & introducturum in terrã Canaan. Hoc decretum Dei non potuit irritum facere, nec rex Pharao, quamuis potentissimus, nec mare rubrum, quod proficiscentibus Israelitis obstabat, nec deserti uastitas, nec multitudo hostium insurgentium aduersus Israelem. Promiserat Deus se reducturum Iudæos e captiuitate Babylonica ad suam terram. Hoc consilium & decretum Dei non potuit irritum facere potentissima omniũ Monarchia Babylonica, sed necesse habuit interire, ut promoueret decretum Dei &c. Sic etiam Deus promisit suum auxiliũ omnibus pijs Principibus, qui aperiunt portas suas regi gloriæ & Euangelio eius. Dicit enim: Nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Et addit: Beati omnes qui confidunt in eo. Quare si Principes dederint Euangelio Christi locum in suis regionibus, & fecerint suum officium, nulla est humana potentia quę possit manum Domini ab auxilio ipsis conferendo auertere. Sic & Deus promisit omnibus credentibus in Christum, remissionem peccatorum, & uitam æternam. Hoc decretum Dei, nulla mors, nullus Satan, quamuis horribilis, potest irritum facere &c.

ALIA CONCIO ADVERSVS PALESTINOS.

IN ANNO QVO MORTVVS EST REX AHAZ, &c.

Sequitur alia concio, instituta contra Philistijm seu Palestinos, qui habitarunt ciuibus Hierosolymitanis ad occidẽtem uersus Meridiem. Hypothesis autem huius concionis hæc est. Inter Iudæos & Philistijm iam inde ab ingressu Israelitarum in terram Canaan perpetuum fuit odium, & affligebant sese mutuo uarijs cladibus, quemadmodum testantur liber Iudicum, & libri Regum. Ac ante hæc quidem tempora, quibus Esaias hanc concionem habuit, rex Vsias, proauus Ezechiæ, multum fregerat uires Palestinorum. Egressus est, (inquit scriptura secundo Paralip. uigesimosexto) & pugnauit contra Philistijm, & destruxit muros Gath, & murum Iabniæ, murumq; Azoti. Ædificauit quoq; oppida in Azoto & in Philistijm, & adiuuit eum Deus contra Philistijm & Arabas &c. Paulopost autem, regnante Ahaz nepote Vsię, Philistijm iterum ceperunt emergere, & suum imperium proferre. Philistijm, (inquit scriptura secundo Paralip. uigesimooctauo) diffusi sunt per urbes campestres & ad Meridiem Iuda, ceperuntq; Bethsames & Ahilon &c. Sed ex hac concione Esaiæ, apparet Ahazum uicissim afflixisse Palestinos hostili incursione, & impetum eorum fregisse, ne pro libidine sua opprimerent regnum Iudæ. Esaias enim uocat Ahazum, Virgã percutiẽtem Palestinos. Cum igitur Ahaz morte

extinctus

extinctus esset, conceperunt Palestini maximam spem, se non solũ recuperaturos urbes suas bello amissas, uerumetiam oppressuros totum regnum Iudæ, & afficiuntur ingenti gaudio de calamitate, quam putant uenturam in Iudæos. Sed Propheta excitatus spiritu sancto habet hanc cõcionem, qua obiurgat Palestinos de intempestiua ipsorum lętitia, & uaticinatur breui fore, ut ipsi a filio Ahaz, Ezechia, opprimãtur. Ne lęteris, inquit, Philistæa omnis tu, quod comminuta sit uirga percussoris tui, quod mortuus sit rex Ahaz, qui uos Palestinos uicissim grauiter afflixit. Nã de radice colubri (hoc est) Ahaz, egredietur Basiliscus, quo nomine significatur Ezechias, qui etsi fuit rex pius, tñ noĩe Basiliści, q est uenenatarũ bestiarũ nocentissimus, uocatur, quod multò magis afflicturus sit Palestinos quam Ahaz. Sicut & Christus ipse uocatur mors & pestis, non in se & erga pios, sed erga mortem et infernum. Ero mors tua, inquit Propheta, & pestis tua inferne. Sequitur: Et semen eius absorbens uolucrem, pro quo hebræa ueritas sic habet: Fœtus eius erit draco uolans, sed serpẽs ignitus, hoc est, Mortuus quidem est Ahaz, qui uos afflixit, sed sequetur nũc eum alius rex in Iuda, qui erit uobis quasi serpens ignitus, & quod Ahaz ante reliquit illæsum, hoc ille totum conculcabit & deuastabit. De Ezechia autem qui post Ahazum in Iuda regnauit, sic dicit scriptura quarto Reg. decimooctauo: Ipse percussit Philistæos usq; ad Gazam, & omnes terminos eorum, a turre custodum usq; ad ciuitatem munitam. Ac hostibus quidem Palestinis Ezechias erit serpens ignitus, & draco uolans, Suis autem ciuibus, & incolis regni Iuda erit rex clementissimus. Vnde additur: Pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescẽt, hoc est, subditi regni Iudæ, quorum maxima pars constat e miseris & pauperibus hominibus (qui & ipsi pauperes sunt, & e parentibus pauperibus nati sunt, & hanc solam prærogatiuam habent quod sint pauperes, unde & primogeniti pauperum uocantur) fruentur sub rege suo Ezechia bona pace & tranquillitate, ut possint agriculturæ & negociationi suæ operam dare, & sufficientia alimenta cõsequi. Atq; hæc quidem contingẽt incolis regni Iudæ. Quid autem fiet de Palestinis? Interire faciam radicem tuam fame, & reliquias tuas interficiam. In regno Iudæ pauperes seu subditi satis fœliciter & in bona rerum ubertate uiuent. Inter Palestinos autem erit rerum penuria, subditi eorum opprimentur & interficiẽtur. Deinde Propheta facit apostrophen ad urbes Palestinorum, ut hac figura loquendi calamitatem earum clarius ob oculos ponat. Vlula, inquiens, porta, clama ciuitas. Nunc quidem uos ciues Palestini ridetis: sed uenit tempus lugendi & ululandi. Nunc audaces & inflati estis: sed ueniet tempus quo tota

Philiſtæa amittet omnem ſpem ſuam, ac metu contremiſcet. Veniet enim fumus ab Aquilone, hoc eſt, ab urbe Hieruſalem, quæ magnæ parti regionis Paleſtinorũ ſita eſt ad ſeptentrionem, ueniet calamitas in Paleſtinos. Ezechias enim, ut ſupra dictum eſt, percuſsit Paleſtinos uſq; ad Gazam urbem Paleſtinorũ, & habuit in eo bello ſecũ milites tanto animo prẽditos, ut nullus eorum fugerit. Alij referunt hoc, quod dicitur: Non eſt qui effugiet agmen eius, ad Paleſtinos, quod nullus poſsit ſibi fuga ſalutem quærere. Omnes eñ trucidabuntur. Quid ergo poſt hanc uictoriam, quam Ezechias reportabit a Paleſtinis, fiet? Quid reſpondebitur (inquit) nunciis gentium? hoc eſt, cum fama diuulgauerit uictoriam Ezechiæ inter gentes, quid aliud fieret, q̃ quod gentes palam cognoſcent, & confitebuntur Deum tueri Zionem ſeu urbem Hieruſalem, & pauperes ſeu ſubditos regni Iudę habere, Deo protectore, firmum prẽſidiũ, in urbe Hieruſalem, quæ eſt ſedes piæ doctrinæ, & in qua inſtauratus eſt uerus Dei cultus. Hæc tota concio Eſaiæ collatio eſt Philiſtinorum & populi Dei in regno Iudę. Concionatur enim Philiſtinos interituros, regnum autem populi Dei manſurum. Eodem argumento conſtant etiam aliæ conciones, quæ de incircunciſis gentibus & hoſtibus populi Dei ſequũtur. Nihil enim certius, nihil uerius eſt, quam Eccleſiam Dei, oppreſſa impiorum potentia, regnaturam. Ac ante aduentũ quidem Chriſti, cum Zion ſeu urbs Hieruſalem conſtituta eſſet diuinitus ſedes piæ doctrinæ, & hoſpitiũ ueri cultus Dei, donec ueniret Chriſtus, & exiret de Zion Euangelion in totum orbẽ terræ, nulla gens, nulla Monarchia potuit Zionem, Hieruſalem, aut regnũ eius ita delere, ut non uel reliquiæ manerent, ex quibus inſtauraretur. Nõ auferetur, inquit, ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat Sílo. Poſt aduẽtum autem Chriſti, etſi corporale regnum urbis Hieruſalem deletum eſt, tamen ſpirituale eius regnum perpetuo durat. Chriſtus enim, qui eſt filius Dauidis, illuſtrauit Euangelion ſuum in Zione & Hieruſalem, in die Pẽtecoſtes, & ab eo loco miſit Apoſtolos ſuos, qui & ipſi erant Iudæi, in totum orbem terrę, & congregauit ex oĩbus gẽtibus Eccleſiã, in qua perpetuo regnat, nec ullus erit huius regni finis. Dominabitur, inquit, a mari uſq; ad mare, & a flumine uſq; ad terminos orbis terrarũ. Ac mox: Adorabunt eum oẽs reges, omnes gentes ſeruient ei. Et iterum. Virgam uirtutis tuæ emittet Dñs ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et Eſaias: Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia a modo & uſq; in ſempiternum. Quare, quemadmodum ante aduentum Chriſti hoſtes potuerunt quidem affligere externum regnum Iudę, & deuaſtare, non potũerunt

autem

autem ita delere, ut non supereſſent reliquiæ, ex quibus uel aliqua ex parte reſtitueretur: ita poſt aduentum Chriſti, impij poſſunt qui dem Eccleſiam, quæ eſt ſpirituale regnum Chriſti, uarijs afflictio nibus concutere, nõ poſſunt autem eam abolere, ac prorſus e terra tollere, ſed potius Eccleſia Chriſti cõculcatis & protritis omnibus impijs, perpetuo regnabit. Quid ergo dicemus? Num ſi hoc tẽpo re impius quiſpiam rex aut Princeps, faceret bellum pio Principi, quod præbuiſſet Eccleſiæ & Euangelio Chriſti hoſpitiũ in ſua di tione, non liceret huic armis ſe defendere, nec externam uictoriam ſperare, propterea quod regnum Chriſti non ſit corporale ſed ſpi rituale? Profecto talis defenſio eſt licita, & ſunt etiam ſuæ promiſ ſiones uictoriæ. Primum enim Princeps non geſtat gladiũ fruſtra, ſed ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit. Malum aũt facit impius hoſtis, quod graſſetur bello in ditionem pij Principis, propter do ctrinam Euangelij. Quare, quemadmodum officium Principis exi git, ut unum aliquem latronem ſæuientem in ſubditos ſuos armis coerceat, ita officium eius exigit, ut conatibus totius exercitus, hoc eſt, multorum latronũ, quibus poſsit uiribus, obſiſtat, & ſuos ſub ditos defendat. Deinde ſpiritus ſanctus requirit a Principibus, ut aperiant portas ſuas regi gloriæ, & ſint nutricij Eccleſiæ. Nunc, ſi impius quiſpiam hoſtis tam furioſus eſſet, ut inferret bellum Prin cipi ob hãc cauſam, quod ius diceret, & in iudicio ſuo nocentem dã naret, innocentem aũt abſolueret, quis nõ ſentiret, hoſti tam impio & crudeli haudquaquam cedendũ eſſe, ſed eum, quoquo modo fie ri poteſt, repellendũ? multo magis is hoſtis repellendus eſt, qui in fert arma, quod iuxta officium tuum dederis locum pię doctrinæ in ditione tua. Nec dubitandum eſt de uictoria etiam externa, quippe quod facientibus ſuum officiũ, hoc eſt, ambulantibus in diuina uo catione ex fide promiſſum eſt diuinum & cœleſte auxilium. Etſi e nim aliquoties fieri ſolet, ut etiã iuſtus Princeps in cauſa iuſta bel lo cadat. Quæ enim impijs in hoc mũdo accidunt, ea etiam pijs ſuo quodam Dei conſilio accidere poſſunt, tamen firma ſemper manet generalis promiſsio diuini auxilij, his, qui ambulant & perſeuerãt ex fide in uocatione Dei. Aliud eſt, ſi cui priuato, cui non eſt publi ca autoritas geſtandi gladij, inferantur arma a magiſtratu, propter profeſsionem pietatis. Hic enim priuatus, ut nõ habet poteſtatem gladij, ita non habet promiſsionem diuini auxilij ad conſequendã externam uictoriam. Et tamen promiſſa ei eſt ſua uictoria, hoc eſt, ſpiritualis in morte ipſa, ſi perſecutionem fide ſuſtinuerit. Sed de hac re hactenus. Videamus & alia, quæ in hac concione aduer ſus Paleſtinos inſtituta, obſeruanda ueniunt. Eſaias reprehendit Paleſtinos, quod lætentur de calamitate uicini populi Dei. Ne læ

teris, inquit, uniuersa Philistæa tu. Magna enim est crudelitas, in afflictione proximi gaudere. Nec impune fertur. Prouerbiorum decimoseptimo: Qui lætatur in ruina alterius, non erit impunitus. Et Prouerbiorum uigesimoquarto: Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte uideat Dominus & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam, hoc est, in te trãsferat iram & supplicium. Quid ergo dicemus ad Psalmum sexagesimumseptimum: Lętabitur iustus, cum uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris? Et ad Sopho. capite tertio: Lætare & exulta in omni corde filia Hierusalem, quia ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo? Hic considerandum erit duplicem esse lætitiam in ruina inimicorum. Vna est piorum, in ruina impiorum. Hæc lætitia est e spiritu sancto. Pij enim idcirco gaudent, quod ex casu impiorum illustratur nomen Dei, & comprobatur ueritas iudiciorum ac promissionum Dei. Non enim prosequũtur odio homines, quos cupiunt esse saluos, sed prosequuntur odio impietatem, quam gaudent esse infœlicem. Sicut & orandum est, ut impietas non promoueat. Alia est lætitia impiorum in afflictione uel piorum, uel aliorum quos odio habent. Hæc lætitia est crudelis, & habet sua supplicia. Fons enim eius est impius, impotens & crudelis affectus erga proximum suum ac etiam erga Deum, quem non solum contemnunt, uerumetiam uirulentissimo odio persequuntur. Deinde, nec hoc prætereundum est, quod Philistini lætantur, mortuo Ahazo, & putant gloriam gentis Iudææ una cum hoc rege concidisse, & tamen Deus meliorem regem post Ahazum excitat, uidelicet, Ezechiam, qui non tantum impios Philistinos grauissime affligit, sed etiam piam doctrinam in regno suo instaurat, & imperat suis summa æquitate & moderatione. Hic ergo uide mihi, quod Deus non fundat salutem populi sui super hominum personas, sed super suam ipsius potentiam & misericordiam. Iudæi amiserunt morte regem suum Ahazum. Quid ergo? num una cum rege, etiam salus eorum mortua fuit? Hoc quidem putarunt Philistini. Sed & si rex eorum mortuus est, tamen Deus eorum non fuit mortuus. Fingamus Ahazum ęquasse aut etiam superasse Dauidem pietate & fortitudine, tamen populi salus fundata Dei potentia, non concidisset in morte eius. Ac omni quidem honore prosequendi sunt heroes, quos Deus ad defendendum populum suum, & ad tuendam Rempub. excitat, & declaranda est ergo ipsos quo quo modo fieri potest, gratitudo nostra, in occubitu autem eorum non est despondendus animus. Magna quidem dona sunt, heroes, non tamen Deus ipse sunt. Quare occubitus eorum ita deplorandus est, ut tamen spem erga Dominum

Lætitia duplex.

num Deum noſtrum retineamus. Vides etiam hoc loco, in humanis rebus non ſemper ſequi deteriora, ſed etiam meliora. Ahaz erat rex impius, & erat autor tantæ infœlicitatis in regno ſuo, ut uix meliorum temporum ſpes relicta eſſet. Sequuntur tamen longe meliora tempora ſub Ezechia, quam quis ſperare auſus fuerat. Ac profecto in nobis ſitum eſt, ut poſt præſentia mala uel meliora uel deteriora ſequantur. Nam ſi reſipiſcimus ab iniquitate, & ſectamur uocationem Dei ex fide, ſequuntur certo meliora tempora, ſi non publice omnibus, certe priuatim nobis ipſis, & ſi non in hoc ſeculo, certe in futuro, in quo erit perpetua fœlicitas. Si autem quiſpiã in impietate perrexerit, huic ſubinde ſemper deteriora expectanda ſunt, donec in æternum exitium conĳciatur.

CAPVT XV. ET XVI.

DE MOAB.

ALia concio aduerſus Moabitas, qui urbi Hieruſalem habitarunt ad Oriẽtem uerſus Meridiem. Porro, qui fuerint Moabitæ, & unde originem ſuam duxerint, notius eſt e ſcriptura, quam quod hoc loco commemorari debeat. Argumentum autem huius concionis plane idem eſt, cum priori concione, quam Eſaias habuit aduerſus Philiſtinos. Vaticinatur enim Moabitas hoſtes populi Dei in luctu & ſqualore futuros, & regionem eorum deuaſtandam, regnum autem populi Dei perpetuo manſurum. Percurremus igitur principio textum huius cõcionis qualicunque ſeu paraphraſi, ſeu expoſitione: deinde adĳciemus, quæ uidebuntur in ea obſeruanda. Nocte, inquit, uaſtata eſt Ar Moab. Moabitæ exiſtimant ſe perpetuo fore in terra ſua fœlices. Et cum Moab non ſit transfuſus de uaſe in uas, nec abierit unquam in tranſmigrationem, exiſtimat fieri non poſſe, ut e ſua regione eĳciatur. Sed ſpe ſua fruſtrabitur & pudefiet. Ar enim (quæ eſt ciuitas Moabitarum, Deuteronomĳ ſecundo) noctu, hoc eſt, repentino & inopinato interitu ita deuaſtabitur, ut prorſus excindatur. Idem accidet alteri ciuitati, cui nomen eſt Kir, niſi forte ſentias Kir non eſſe proprium nomen urbis, ſed appellatiuum, Kir enim appellatiue ſignificat murum, ſicut uulgata editio habet. Cum igitur Moabitæ ſenſerint ſibi imminere calamitatem, mox properabũt ad ſua ſacra, aſcen

dent ad Baith & ad Dibon, (Est autem Dibon sita in ea regione, quæ assignata fuit tribui Rubē, Iosuæ decimotertio) in quibus locis fuerunt excelsa, seu templa Chamos dei Moabitarum, ut illic deflent suas calamitates, & inuocēt nomina idolorum suorum, quo e tantis malis liberentur. Sed non erit nisi uanus fletus & ululatus. Oratio enim impiorum, seu idolatrarum non uenit in conspectum Dei. Porro non solum Ar & Kir deuastabuntur, sed etiam duæ illæ ciuitates Moabitarum, Nebo (cuius mentionem facit etiam Hieremias capite quadragesimooctauo) & Medba, (quæ fuit sita in regione tribus Ruben) sic affligentur, ut nomine earum etiam alij Moabitæ in magnos luctus incidant. Sed quid de unius aut alterius tantum ciuitatis Moabitarum luctu dico, In omnibus capitibus erit caluicium, & omnis barba radetur, hoc est, omnes Moabitæ lugebunt. Gentium enim mos est, ἅμα κείρῃ κεκαρῆσθαι τὰς κεφαλάς, In luctu tondere capita, ut inquit Herodotus. Coma enim & barba ornatus est uirilis. In luctu autem ornatum deponendum esse censebant. Vnde & in Esaia hoc loco sequitur: In plateis incedunt induti saccis. In tectis & uijs uociferantur uniuersi, & descendunt e tectis misero fletu. Hæc sunt magnæ calamitatis argumenta. Et ut intelligas non mediocrem afflictionem uenturam in Moabitas, ciues harum duarum urbium Hesbon & Eleale (quarum etiam Hieremias meminit) tantum clamorem & ululatum præ malis suis extollent, ut uox eorum audiatur in uicina urbe Iahza, quæ & ipsa sita fuit in tribu Rubē, Iosuæ xiij. Eadem etiam Hieremias postea ex hoc Propheta concionatur. Clamor, inquiens, Hesbon peruenit usq; ad Eleale, & usq; ad Iahza. Potest & hæc esse sententia. Qui fugient ex Hesbon & Eleale non cessabunt flere & lamentari donec uenerint usq; ad Iahza. Quare cum tanta sint mala, non uulgus tantum inerme, uerumetiā armati in Moab terrebuntur & præ dolore exclamabunt. Iudicante enim & affligente Domino, nulla arma possunt hominem quamuis fortem animare & defendere. Porro, ut intelligas magnitudinē afflictionis uenturæ super Moabitas, nondum digrediar a descriptione calamitatis eius. Video enim ea mala imminere Moabitis, ut præ ijs cogar flebilem uocem ex corde emittere, & miseriam eorum deplorare. Moabitæ enim fuerunt hactenus ueluti uitula triennis, quæ cum sit succulenta, solet præ lasciuia saltare & calcitrare: ita Moabitarum res fuerunt in statu fœliciſsimo. Fertilis fuit Moab, inquit Hieremias, ab adolescentia sua, & requieuit in fecibus suis. Nec transfusus est de uase in uas, & in transmigrationem non abijt. Idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus. Et paulo post,

etiam

etiam Hieremias uocat Moabitas, uitulam trimam. A Zoar, inquiens, usque ad Horonaim uitula trima. Existimo autem quod quemadmodum nostro more, hi quibus res fœliciter succedunt, dicuntur Capræ molliter stantes, luxta uulgatū dictum: Cum capra molliter stat, solet pedibus pauimentum uerrere, hoc est, Qui fœlicem rerum suarum successum in hac terra habent, solent fœlicitate sua abuti: ita & Moabitę hebręo more dicti sint Vitula trima, quod cū secundæ ipsorum res essent, abusi sint ijs ad impietatem & arrogantiam. Dicit ergo Esaias, & post eum Hieremias: Moabitæ fuerunt hactenus fœlices, & sicut uitula triennis succulenti. Nūc autem futurum est, ut prę metu fugiant usqꝫ ad Zoar, & a Zoar usqꝫ ad Horonaim, hoc est, fugient de ciuitate in ciuitatem, & tamen ne sic quidem effugient calamitatem. Per ascensum Luith flens ascendet, & in uia Horonaim clamorem contritionis leuabunt. Moabitæ fugient per cliuum Luith, miserabili eiulatu, & in uia, quę ducit ad Horonaim (quæ & ipsa est urbs Moabitarum) ualde uociferabuntur præ calamitate, qua conterentur. Aquæ etiam Nimrim, quibus terra Moabitica irrigatur, exiccabuntur, ut exaresçat quicquid est uiride, deficiant herbæ, ac nullum olus reliquum fiat. Hac metaphora significatur deuastatio terræ Moabitarum, quod quemadmodum nimia siccitate, ita & graui hostium incursione omnis fructus terræ perit. Et quia nihil tutū erit in uniuersa regione Moab, idcirco deferent reliquas opes suas, quas sibi parauerunt, & diuitias, quas reposuerunt, super torrentem, quem uocant, Arabim, hoc est, Salicum, ut eas in tuto loco collocent. Potest & hic locus intelligi, quod hostes auexerint opes Moabitarum in prædam. Nam quod uulgata tralatio habet: Secundum magnitudinem operis & uisitatio eorum, manifestus error est. Interpres enim, pro lithra יתרת legit יתבת lirba. Etsi autem Propheta satis perspicue hactenus exposuit uociferationem Moabitarum, futuram in hostili incursione, tamen ut seueritatem diuini iudicij aduersus Moabitas hominum memoriæ diligenter tradat, redit ad commemorationem clamoris & ululatus Moabitarum in hostium incursione. Clamor, inquit, pertransibit terminos Moabiticos. Vbique erit miserabilis eiulatus in omnibus terminis Moabitarum. Vlulatus eorum perueniet usque ad Eglaim, & usque ad fontem Elim. Puto autem Eglaim & Elim fuisse terminos terræ Moabiticæ. Nec mirum, quod futurus sit magnus eiulatus in terra Moab, quia tanta erit cædes in ea, ut aquæ Dimon fiant sanguineæ præ multitudine interfectorum. Quæ & si grauia sunt, tamen ego DOMINVS ponam addita menta

Wan die geiß wol steet / so schart sie.

ſuper Dimõ, Leoni ſeruato in Moab, & reliquijs terræ: hoc eſt, im mittam poſtea tam Principibus, quos Leones uocat, quam uulgo, quem reliquias uocat, Moabitarum, qui euaſerint proximam cala mitatem, multo maiora mala, quam tunc accidant, cum aquæ Di mõ fient ſanguineę. Nam prior deuaſtatio Moabiticæ regionis fa cta eſt per Aſsyrium, tribus annis poſt hanc concionem Eſaiæ, quemadmodũ ſequitur in fine huius concionis. Qua deuaſtatione & ſi Moabitæ plurimum afflicti fuerunt, tamen non ſunt eiecti in exilium, ſed retinuerunt ſuam regionem. Poſterior deuaſtatio fa cta eſt per Babylonium, de qua poſtea concionatus eſt Hieremias capite quadrageſimooctauo. Hac deuaſtatione Moabitæ non ſo lum afflicti fuerunt in ſua regione, uerumetiam regio fuit eis adem pta, & eiecti ſunt ipſi in exilium. Ac manifeſtum eſt ex concione Hieremiæ, in qua maledicit hoſtibus, ſi non crudeliter ſæuierint in Moabitas, quod Babyloniį immaniſsime in eos ſint graſſati. De qua immanitate etiam Eſaias hoc loco concionatur, cum dicit, gra uiora mala imminere Moabitis in poſteriori deuaſtatione quam priori. Obſerua aũt hoc loco, num pro אריה Arie, q̃d Leonem ſi gnificat, ſcriptũ fuerit ארץ Erez quod terram ſignificat, quia ſequi tur ארמה Adama, ut ſit ſenſus. Addam maiora mala his qui in ter ra Moab ſeruabuntur, & ijs qui reliqui erunt in humo ſeu regione eius, ex priori deuaſtatiõe. Porro, ut propheta adhuc diutius teneat auditorem in conſideratione Moabiticę calamitatis, facit collationẽ temporum, quibus Moabitæ antea pependerunt Iſraelitis tribu tum, & quibus nunc ab alijs hoſtibus opprimẽtur. Mittite, inquit, agnum dominatori terræ de Sela deſerti ad montem filiæ Zion, hoc eſt, Tanta obruet uos afflictio, ut nunc magna animi propen ſione mitteretis agnos pro tributo regibus Iudæ, ſi modo uobis per hoſtes id liceret, & tuto in regione ueſtra habitare poſſetis. Moa bitæ enim pependerunt quondam Dauidi dominatori terræ Iſrael tributum, ſecundo Regum octauo. Non eſt autem obſcurum, ex quarto Regum tertio, quod Moabitæ ſoleant pro tributo pendere agnos & arietes. Sed poſtea excuſſerunt iugum, nec ſoluerunt tri butum uel regibus Iuda, uel regibus Iſrael. Quod ergo Eſaias hoc loco dicit, habet hanc ſententiam. Miſiſtis quondam agnos pro tri buto Regi Dauid de ueſtra urbe Sela, ad urbem Hieruſalem, & po ſtea excuſsiſtis ſeruitutẽ. Miſiſtis etiam agnos Ahabo regi Iſrael, Sed & hoc iugum excuſsiſtis. Nunc autem tanta mala uobis im minent, ut magna uoluntate mitteretis Regi noſtro agnos pro tributo, ſi ſaltem tantum opis uobis relictum eſſet, & ſperaretis uos ab hoſtibus ueſtris tutos fore. Nunc libenter eſſetis ſerui

noſtri

noſtri regis, ſi ſaltem concederetur uobis tranquille in regione ueſtra habitare. Sed quid fiet? quid accidet uobis? Sicut auis errans, diſsipato nido, Sic erunt filiæ Moab in traiectu Arnon. Eſt autem Arnon fluuius Moabitarum. Filiæ uero Moab ſunt urbes & pagi in regione Moab. Sicut ergo aues, ſi nidi earum diripiuntur & diſsipantur, temere circumuolitare & errare ſolent, incertæ quo ſe prorípiant, ita deuaſtabuntur ciuitates, quæ ad fluuium Arnon ſitæ ſunt, & quæ ſunt hominum nidi, ut habitatores earum eiecti & ſpoliati hinc inde temere incertis ſedibus uagentur. Ex hoc loco etiam Hieremias concionatur de Moabitis. Nam ubi uulgata editio habet, Date florem Moab &c. ibi iuxta hebręam ueritatem ita legendum eſt: Date alas ipſi Moab, ut cito auolet, quia ciuitates eorum deſertæ erunt & inhabitabiles. Sed redeamus ad Eſaiam. Nec quicquam, inquit, proderit uobis Moabitis aduerſus hæc mala, etiamſi inſtitueritis Conſilia & Iudicia, ac ſuſceperitis ueſtrum regnum nouis Ordinationibus reformandum. Ini conſilium, coge iudicium ſeu Senatum, inſtitue nouam reformationem in tua regione, non tamen efficies, quo minus ueniat calamitas. Pone umbram tuam in meridie quaſi noctem. hoc eſt, Para tibi in tanto æſtu calamitatum quęcunque potes umbracula, præſidia & munimenta, & tamen ne ſic quidem euades. Non proderunt tibi nec ſapientia nec fortitudo tua. Non iuuabunt te uel curiæ ſenatoriæ tuæ, uel munitiones tuæ. Præterea, ſæpe gloriatus es de commoditate habitationis in tua regione. Sæpe iactaſti te poſſe exulibus & eiectis e ſuis regionibus tutum aſylum præbere, ut apud te ſecure lateant. Age ergo, o Moab, excipe nunc fugientes Iſraelitas, ſine ut apud te exules & profugi noſtri tuto habitent, donec ceſſet expilator populi, pereat deuaſtator, & eijciatur conculcator e terra. Sed quid? Tu ne noſtros exules defendes, qui teipſum defendere non potes? Tu ne noſtris profugis concedes latebras, qui ne ipſe quidem locum inuenis, quo te in tantis miſerijs conferas? Apage igitur cum tua iſta uaniſsima iactantia de firmitate regni tui, & ſecuritate eorum qui in eo habitant. Neque enim Moabiticum regnum, neque ullum aliud mundanum regnum tantæ potentiæ eſt, ut queat ſubditos & incolas eius uere defendere, & tueri, ac tale latibulum præbere, ut qui eo confugiunt, ſeruentur a uaſtatore, prædatore, & conculcatore terræ. Regnum enim, in quo homines tuti ab omnibus afflictionibus habitent, in nulla gente huius terræ, ſed in ſolo tabernaculo Dauidis inuenitur. Præparabitur enim, ſeu inſtituetur ſolium aut thronus regius, in tabernaculo, in familia Dauidis, in quo throno regnabit rex longe oĩm iuſtiſsimus. Nam in omnibus alijs mundanis reg

nis magna est iniusticia, miseria, calamitas, pauperum oppressio, & reges non diligenter dicunt ius, non faciunt uere iudicium & iusticiam: in hoc autem regno summa erit iusticia & fœlicitas, & rex faciet iudicium & iusticiam rectissime. Hæc intelligenda sunt, non de Ezechia, qui etsi fuit pius rex, tamen administratio regni eius non respondet tantæ promissioni, sed de Christo Domino nostro & regno eius. Nullum enim mundanum regnum potest nos tueri a deuastatore & conculcatore Satana, peccato, morte, & inferno. Solum regnum Christi in hoc institutum est, ut in eo tuti simus propter Christum ab omnibus malis, & seruemur etiam in morte ipsa. Hactenus perstrinximus breui expositione priorem partem concionis Esaiæ de Moabitis. Priusquam autem alteram partem percurramus, colligemus tam ex Esaia, quam ex alijs Prophetis causas, propter quas Moabitæ diuinitus afflicti & deuastati sunt. Non enim solus Esaias, sed & alij Prophetæ, Amos, Sophonias, Hieremias & Ezechiel concionati sunt aduersus Moabitas. Interim etiam attingemus præcipuos locos, qui in hac parte concionis obseruandi ueniunt. Prima igitur causa deuastationis Moabitarum, est impietas & idolatria. Quæ causa communis est cum omnibus impijs gentibus. Moabitæ enim non seruauerunt piam doctrinam de Deo, traditam a Patriarcha ipsorum Loth, ideoque non habuerunt ueram cognitionem Dei, sed commenti sunt noua sacra, & sectati sunt cultum ficticiorum deorum. In tertio libro Regum capite undecimo, commemoratur Chamos Deus Moabitarum. Hic autem in Esaia dicitur, quod Moabitæ in luctu & calamitate sua ascendant in Baith & Dibon, ad excelsa, ad templa, in quibus uidebantur quidem Deum colere, sed sacra erant impia. Et in Hieremia cap. quadragesimooctauo dicitur: Cõfundetur Moab a Chamos, sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fiduciam. Porro, Regna & Politeiæ diuinitus in hũc præcipue usum constituta & ordinata sunt, ut sint sedes piæ doctrinæ, & hospitia Ecclesiæ Dei. Iubet enim Psalmus, ut reges seruiant Domino in timore & tremore. Iubet ut osculentur filium Dei, ut aperiant portas suas, quo ingrediatur rex gloriæ. Iubet item ut omnes gentes laudent DOMINVM, & ut omnes populi laudent nomen Domini. Quare in quo regno aut populo nullus est locus Ecclesiæ Dei, & piæ doctrinæ, ut Deus nec uere cognoscatur, nec recte colatur, ibi imperium non potest esse diuturnum, nec incolumitas eius durabilis est. Regnum, inquit Esaias, & gens, quæ non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabuntur. Cum igitur Moabitæ impietati ita dediti fuerint, ut non potuerint ab ea auelli, digni fuerunt deuastatione regni sui: & cum nesi c

quidem

quidem resipiscerent ab impietate sua, factum est tandem, ut regio ipsorum non solum deuastaretur, uerumetiam inculta, eiectis pristinis habitatoribus iaceret. Quid enim Deus ad abrogandam impietatem in politicis regnis aliud faceret? Regna constituuntur, ut ante dictum est, ad concedendam sedem piæ doctrinæ. Cum autem reges & populi sectãtur, neglecta pia doctrina, idolatrian, non solet Deus statim regnum abolere, Sed initio reprehendit impietatẽ reuelatione uerbi sui, uel in ipso regno, uel in uicinia eius, ut homines excitentur ad ueram cognitionem Dei. Deinde inuitat eos beneficijs, dat uel uictoriã hostium, uel tempora fructifera, si uel his admoneantur, ut tollant uultus suos, & discant eum, a quo tot beneficijs afficiuntur, uere cognoscere & colere. Quod si autem beneficia non mouent homines ad resipiscentiam, immittere solet supplicia, sed ea, quibus nondum regnum adimitur. Qualia sunt, Repentinæ incursiones hostium, Mortalitas, fames aut rerum penuria. Sed obsecro te, quomodo excæcati & indurati impij in his sese gerere solent? Tantum abest, ut impietatem deserãt, ut potius eam cumulent. Persequuntur enim piam doctrinam, & siquidem afficiuntur beneficijs, ferunt ea accepta impijs suis sacris. Si autem afflictionibus obruuntur, cumulant uetera impia sacra, nouis sacris, & sperant se ijs expiaturos iram Dei. Quid ergo faciat Deus? Certe nihil aliud reliquum in hac quidem terra uidetur, quam ut tam impio regno bellum immittatur, quo regio ita deuastetur, ut & templa diruantur, & homines partim trucidentur, partim in exilium & perpetuam seruitutem abducantur, quo nullus eis locus impietatis publicæ exercendæ relinquatur. Exemplo sunt decem tribus Israelitarum. Hi defecerunt a uera cognitione Dei, ad impiam doctrinam de cultibus in Dan & Bethel. Sed non sunt cõfestim in exilium eiecti. Deus enim initio misit ad eos Prophetas, qui explicatione ueræ doctrinę de Deo, & sacris eius, reuocarent populum ad resipiscentiam. Deinde dedit eis multas uictorias finitimorum hostium. Immisit aliquoties in regionem eorum latrones, pestem, famẽ, & id genus alia supplicia. Hi autem nec uerbo Dei, nec domesticis uel beneficijs uel supplicijs excitabantur ad ueram pietatẽ, sed potius persequebantur & occidebant Prophetas, & ueterem impietatem noua augebant. Quare iusto Dei iudicio factum est, ut Assyrij deuastarent regnum eorum, & abducerent ipsos in perpetuam seruitutem. Hac enim ratione abrogabantur publice impia sacra, quæ prius nullo modo præ incolarum induratione abrogari poterant. Exemplo item est regnum Iudæ, de quo scriptura ait: Mittebat Dñs Deus patrum suorũ ad illos per manum nunciorũ suorum de nocte consurgẽs, & quotidie cõmonens, eo q̃ parceret populo

Idolatrian et impiam doctrinam quo modo Deus soleat punire &c.

& habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantq; Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius, & nulla eſſet curatio. Adduxit enim ſuper eos regem Chaldæorum &c. Exemplo etiam ſunt regiones Aſiæ, in quibus prædicatum eſt quondam Euangelion ab Apoſtolis ipſis, & pijs eorum ſucceſſoribus. Sed poſtea defecerũt ad impietates Arrianas, & alias uarias hæreſes, item ad culturam & inuocationem mortuorum, ad ſacrificia Miſſæ. Etſi autem uera doctrina Euãgelij de Chriſto perſpicue extat in ſcriptis Apoſtolicis, tamen illi cumulauerunt impietatẽ impietate. Quare coniecti ſunt in grauiſsimam ſeruitutem Sarracenicam & Turcicam. Nec dubitandum eſt, quin non minus graue ſupplicium immineat his regionibus Europæ, quæ Romanum Pontificem & impiam eius doctrinam adhuc agnoſcunt. Euangelion enim Chriſti hoc tempore, diuina clementia ita illuſtratum eſt, ut ex eo perſpicue cognoſcere liceat, quæ ſit uera noſtra iuſticia, qua ad perpetuam ſalutem perueniamus. Interim Deus nunc beneficijs inuitat impios Pontifices & ſectatores eorum ad pœnitentiam, nunc ſupplicijs eos excitat. Sed illi nec proſperis nec aduerſis mouentur, ut Euangelion Chriſti agnoſcant, quin potius perſequuntur Euangelion omni genere crudelitatis, & augent impia ſua ſacra, tantum abeſt, ut agant pœnitentiam, & abrogent ea. Reliquum igitur eſt, ut cum nec prædicatione Euangelij, nec beneficijs, nec ſupplicijs eo adduci poſsint, ut impia ſua ſacra aboleant, Deus regnum ipſorum ita deijciat, & opprimat, ut & monaſteria & collegia eorum deſtruantur, & ipſi una cum ſacris ſuis perpetuo intereant. Sed hæc in præſentia ſufficiant de prima cauſa, propter quam Moabitarum regio deuaſtãda prædicitur. Secũda cauſa deuaſtationis eorũ eſt, quod nõ fuerint ſimpliciter impij & idolatrę, ſed impietatẽ & idolatriam ſuam ita mordicus tenuerint, & defenderint, ut fuerint contumelioſi in uerum Deum Iſraelis, & in populũ eius. Impia ſacra ſua tam pertinaciter ſectati ſunt, ut interim tam uera ſacra, quam cultores eorum magno contemptu deriſerint, ac perſecuti ſint. Sic Hieremias cap. quadrageſimooctauo dicit: Moab ceſſãbit eſſe populus, quia cõtra Dominum gloriatus eſt. Et iterum. Inebriate eum, quia contra Dominum erectus eſt, Et allidet manum Moab, in uomitu ſuo, & erit in deriſum etiã ipſe. Fuit enim in deriſum tibi, Iſrael, quaſi inter fures reperiſſes eum. Ac Sophon. ij. Audiui opprobrium Moab, & blaſphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati ſunt ſuper terminos eorum. Propterea uiuo ego dicit Dominus exercituũ Deus Iſrael, quia Moab, ut Zodoma erit, & filij Ammõ quaſi Gomorra. Sunt & hæc uerba contemptus, quæ Ezechiel capite

pite uigesimoquinto de Moabitis recitat. Dixerunt Moab & Seir, Ecce sicut omnes gētes, sic & domus Iuda &c. Habes Moabitas nō solum non agnouisse uerum Deum, sed etiam blasphemia eum afeciſſe, & in populum, cultorem eius contumelioſos ac iniurios fuiſſe. Quo peccato nihil est grauius, nihil horribilius. Etsi enim impium est, impietatē sectari, tamen si hoc fit sine manifesta contumelia ueri Dei, & sine persecutione populi Dei, aliquandiu tolerabile uidetur. Sed si impietas coniuncta fuerit cum manifesta blasphemia nominis Dei, & cum iniuria in populum eius, id demum intolerabile est. Quare Moabitæ oppressi, & postea exauitis suis sedibus expulsi nihil habuerunt, quod aduersus Deum cōqueri potuerunt, sed acceperunt dignum factis suis supplicium. Tertia causa deuastationis eorum est insolentissima & arrogantissima ipsorum superbia. De qua, quia Esaias mox in posteriori huius concionis parte dicet, recitabimus nunc alias causas. Quarta igitur est, quod Moabitæ confisi sint suis munitis urbibus & arcibus. Sic Hieremias ait: Pro eo quod habuisti fiduciā in munitionibus tuis & in thesauris tuis, tu quoq; capieris. Maledictus autem, qui ponit carnem, brachium suum. Iuste igitur factum est, quod cum Moabitæ impie & contumelioſe agerent aduersus Deum & populum eius, & collocauerint spem suā in ciuitatibus suis bene munitis, ita pudefacti sint, ut nec regionem suam retinuerint. Quale iudicium Dei manet etiam impios Pontifices & sacrificulos. Hi enim pergunt præfracte sua impietate & crudelitate aduersum Euangelion Christi pugnare, & interim cōfidunt potentia Monarcharum & Principum, qui susceperunt ipsos defendendos. Sed cum maledictus sit, qui confidit in hominem, necessario sequitur, etiam illos maledictioni obnoxios esse, nec fieri posse, ut in impia sua fiducia non pudefiant, & pereant. Postremo commemorat Amos capite secundo crudelitatem Moabitarum, quam & ipsam dicit causam fuisse deuastationis eorum. Super tribus, inquit, sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumææ usq; ad cinerem mittam ignem in Moab & deuorabit ędes &c. Etsi autem rex Idumææ fuit etiam impius, tamen uides ex hoc loco, quod Deus tanto odio prosequitur impiam crudelitatem, ut eam etiam in impium hominem designatam, non impunitam dimittat. Commemorauimus precipuas causas deuastationis Moabitarum. Nunc indicabimus breuiter locos in hac concionis parte obseruādos, & si supra in expositione textus eos attigimus. Initio, cum Esaias dicit Moabitas in afflictione sua frustra properaturos ad sua excelsa, seu templa, significat preces impiorum & impœnitentium uanas & irritas esse, & non respici a Deo. Nec mirum, cum Psalmus

dicat eas preces non ſolum non exaudiri a Deo, ſed etiam pro peccato imputari. Oratio eius, inquit, fiat in peccatum. Quare in ſuſcipiendis precibus ad Dominum, prima omnium cura ſit, ut pij ſimus, hoc eſt, ut agnitis peccatis credamus Deum nobis placatum eſſe propter Ieſum Chriſtum, & ambulemus ex fide in uocatione Dei. Deinde dicit Propheta, non ſolum uulgum inermem, ſed etiam expeditos ſeu armatos in Moab ululaturos. Docet igitur arma corporalia non poſſe nos tueri in iudicio Dei. Quid ergo? An in periculis non eſt armis utendum? Vtendum quidem eſt, ſed non confidendum armis. In periculis enim præcipua cura eſſe debet, ut Deus ſit nobis propicius. Hoc autem tum fiet, cum credimus Deum fauere nobis propter Chriſtum filium ſuum, & cõfidimus Deum nos in periculis, quæ in uocatione eius ſuſtinenda ſunt, ſeruaturum. Ex hac fide ſi quis armis legitime utitur, recte utitur, cum Dauide interim cantans: Benedictus DOMINVS Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Præterea, cum Eſaias ait Moabitas fugere a Zoar ad Horonaim, & per cliuum Luith, de ciuitate in ciuitatem, de monte in uallem, ſignificat impios, iudicante Domino, ubicq; præſidia quærere, nuſquam tamen ea reperire, nec euadere poſſe. In Amos de impijs dicitur: Non erit fuga eis, & qui fugerit ex eis non ſaluabitur. Si deſcenderint uſq; ad infernum, inde manus mea educet eos. Et ſi aſcenderint uſq; ad cœlum, inde detraham eos &c. Quid ergo faciamus? Non fugiamus in periculis a Domino, ſed ad Dominum. Non enim erit ullum tutum aſylum niſi in miſericordia Domini, quam fide in Chriſtum agnoſcimus. Deinde Eſaias confert Moabitas cum auibus eiectis e nidis ſuis, & temere circumuolitãtibus, qua collatione pulchre pingit impiorum perturbationem, poſtq; ſpe ſua carnali deſtituti fuerint. Vnde & alias capite quinquageſimo ſeptimo dicit: Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impijs, dicit Dominus Deus. Hoc autem recitatur nobis, non tantum ut ſciamus, ſed ut admoniti infœliciſſimo impietatis euentu, doctrinam uere piam ſectemur, & ſubijciamus nos Deo Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti tam fide, quam obedientia fidei. Poſtremo addit Eſaias uaticinium de regno Chriſti, & dicit regem Chriſtum uere facere iudicium & iuſticiam, id quod reges huius terræ non ſolent facere. Hac concione Eſaias cohortatur pios, ut ueram ſuam tranquillitatem non quærant in regnis huius mundi, & bonis eorum, ſed tantum in regno Chriſti. In regnis enim huius mundi nulla eſt certa, firma & uera tranquillitas, & fœlicitas. Omnia ſunt fluxa & caduca. In ſolo regno Chriſti certa & firma eſt fœlicitas,

licitas, quia Christus placauit nobis Deum Patrem suum, & impetrauit, ut nos qui in ipsum credimus adoptemur in filios Dei, & heredes omnium bonorum eius, ac seruemur in morte ad æternam uitam. Siue igitur terra moueatur, siue cœlū ruat, & fractus illabatur orbis, nihil internecionis potest accidere ei, qui est in CHRISTO per fidem. Hæc est uera & firma tranquillitas, atque fœlicitas.

AVDIVIMVS SVPERBIAM MOAB. SVPERBVS EST VALDE &c.

Hæc est altera pars concionis de deuastatione Moabitarum. In hac parte recitat Esaias initio unā e præcipuis causis, propter quas Moabitarum regio uastanda & diripienda erat. Sed percurremus & hanc partem breui expositione, postea adijciemus, quæ in ea nobis præcipue obseruanda uidebuntur. Audiuimus, inquit, superbiam Moab. Magna est arrogantia Moabitarum, adeoq; superbia & arrogantia, qua sese efferunt ultra omnes finitimas gentes, & indignatio, quam conceperūt ad opprimendos omnes uicinos suos, ac præcipue populum regni Iudæ, multo maior est, quam uires & potentia eorum. Animo sic inflati sunt, ut etsi uix possunt sua tueri, tamen sperant se dominationem reliquarū circa se gentium consecuturos. Quid ergo accidet eis? quid aliud accideret, quam iusta & digna superborum atq; arrogantium pœna. Nunc graues minas aduersus alios spirant, & ingenti lætitia sese efferunt, sed breui fiet, ut magno luctu compleantur. Nullus erit Moabitarum, qui non defleat calamitatem patriæ suæ. Vrbs Kir Hareseth funditus euertetur. Quare futurum est, ut hi qui percussi & uulnerati sunt, non suo tantum malo, sed etiam interitu tam inclytæ urbis ingemiscant. Diruetur ac solo æquabitur etiam Hesbon, quæ & ipsa est urbs Moabitarum, assignata quondam tribui Ruben, Iosuæ decimotertio. Domini gentium, qui sunt Assyrij & Babylonij, non tantum ciuitates uastabunt, sed etiam populabuntur agros & uineas. Excident uites, quæ sunt in Sibma, cuius Sibma etiam Hieremias facit mentionem, & assignata fuit tribui Ruben, Iosuæ decimotertio. Confringent propagines, quæ & absumentur usq; ad Iaeser (cuius etiam meminit Hieremias) & proijcientur in desertum. Surculi eius eradicabuntur, & auehentur per mare. Non igitur aliud reliquum est, quam ut deploranda sit urbs Iaeser, & uineæ in Sibma. Sed & uos O Hesbon & Eleale multis lacrymis deflendæ estis, propterea quod nec tempore Messis, nec tēpore Vindemiæ audiantur amplius in agris solennia messorum & uindemiatorum carmina, sed pro ijs irruat insanus & horribilis clamor hostium. Nec reliqui sunt botri, qui in torculari exprimantur. Omnia enim

hostis uastat. Quare nec pij, qui tantam Moabitarum, & urbium eorum calamitatem uident, teneri possunt, quin uicem ipsorum ex animo doleant: & quemadmodum cithara, & si organon est excitandæ lætitiæ, tamen pulsata quasi gemere uidetur: ita nos, qui uidemus futurum uestrum & præcipue urbis uestræ Kir Heres, o Moabitæ, tam horribile excidium, committere non possumus, quin lugeamus & ingemiscamus. Ac Moabitæ hoc quidem tempore, quo adhuc incolumes stare uidentur, non intelligunt suam impietatem, nec putant futurum, ut confundantur in sacris suis, quæ existimant esse pijssima & diuinissima, & propter quæ pollicentur sibi non solum incolumitatem sui regni, uerumetiam dominationem aliarum regionum. Sed cum reuelabitur iudicium Dei aduersus ipsos, tunc reipsa comperient se frustra faciendis impijs suis sacris tamdiu defatigatos esse: & quanquam ad depellenda mala frequentissime templa sua uisitent, ac Deum inuocare uideantur, tamen manifestum erit, preces ipsorum esse uanissimas. Tanta enim est impietas & arrogantia eorum, ut fieri non possit, quin excidio gentis suæ puniantur. Atque hoc quidem excidium Moabitarum, non iam recens a me excogitatum est, sed iam ante prædictum fuit, non solum a collegis meis, qui hoc tempore uiuunt, uerumetiam olim a Bileamo, quem rex Moabitarum ad maledicendum Israelitis conduxerat. In Numeris enim capite uigesimoquarto dixit Bileam: Orietur stella ex Iacob, & consurget uirga de Israel, & percutiet duces Moab, uastabitq; omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio eius. Hoc est, Regnum Israelis manebit perpetuo, Regnum autem Moabitarum excidetur, & uastabitur. Quod ergo de excidio totius Moabiticæ gentis prædictum fuit, tam ab Esaia quam ab alijs Prophetis, hoc impletum est per Nebucad Nezarem regem Babyloniæ, postquam Hierusalem uastata esset. Sic enim scribit Iosephus, Antiquita. libro decimo. Quinto anno, inquiens, captiuitatis Hierosolymorum, Nebucad Nezar castrametatus est in inferiori Syria, eamq; detinens, expugnauit Ammonitas, & Moabitas. Quid ergo dicemus? Num interea temporis a prædicatione Esaiæ usque ad deuastationem urbis Hierusalem nihil mali accidit Moabitis? Nam ab Esaia usque ad excidium Hierosolymitanum numerantur plusquam centum anni. In his ne centum annis nihil aduersi contigit Moabitis? Certe breui post hanc concionem Esaiæ contigerunt eis multa aduersa. Sic enim sequitur in Esaia: Nunc locutus est DOMINVS dicens. In tribus annis, quasi annis mercenarij, &c. hoc est. Futurum quidem est, ut deuastata urbe Hierusalem, etiam Moabitæ deuastentur, quemadmodum ab alijs quoque Prophetis prædictum fuit. Sed priusquam excidium

dium totius gentis uenerit, interea temporis, uidelicet adhuc in tribus annis, magna calamitate afficietur. Nam quemadmodum mercenarius habet suum definitum tempus, aut horarum aut dierum, quo conficiat laborem suum, ita & definiuit Deus Moabitis adhuc tres annos, quibus completis, etsi nondum penitus deuastabuntur, tamen gloria regni eorum plurimum minuetur, & reliquiae ipsorum paucissimae erunt. Vide autem, num tres illi anni sint, quorum fit mentio in quarto Regũ decimooctauo. Anno enim quarto Ezechiae Salman Assar rex Assyriorum ascendit contra Samariam, & oppugnauit eam, & cepit eam post tres annos, sexto uidelicet anno Ezechiae. Existimo igitur Salman Assarem regem Assyriorum, capta Samaria, post tres annos coeptae oppugnationis, intulisse etiam Moabitis bellum, & relictis paucis incolis in ea regione, domum redijsse. Quae cum ita se habent, attingamus nunc praecipuos locos, qui in hac parte concionis de Moabitis continentur. Recitauimus autem antea causas, cur regnum Moabitarum sit uastatum. Inter quas una est, Superbia & Arrogantia Moabitarum, qua hi omnes alias gentes prae se contempserunt & fastidierunt. Audiuimus, inquit Esaias, superbiam Moab. Superbus est ualde. Et Hieremias: Sublimitatem eius & arrogantiam & superbiam & altitudinem cordis eius ego scio, ait Dominus. Superbia autem seu arrogantia est horribile scelus in conspectu Dei. Nec est simplex peccatum, sed autor multorum & magnorum peccatorum. Ecclesiasticus ait: Initium omnis peccati superbia. Et Salomon: Inter superbos semper iurgia. Ac rursus: Vbi est superbia, ibi erit & contumelia. Nec fere ullum aliud peccatum est, quod Deus minus in ultum ferre potest, quam arrogantiam, propterea quod alia peccata, & si grauiter offendunt Deum, tamen non deijciunt maiestatem Dei: hoc autem peccatum conatur, quantum in ipso est, Deum e throno suae maiestatis proturbare. De qua re alias copiose diximus. Quare cum Moabitae fuerint superbia sua non solum contumelioſi in reliquas gentes, ac praesertim in populum Dei, uerum etiam blasphemi in uerum Deum, iusto iudicio Dei, qui resistit superbis, factum est, ut de sua sublimitate detraherentur, & hostibus diripiendi obijcerentur. Quo exemplo etiam nos admonemur, ut non superbiamus, nec efferamus nos aduersus proximum. Cogitemus humanum genus, unam esse massam peccatorum, & alium hominem, quod ad naturam nostram attinet, non esse alio, uel tituli ritio meliorem. Quae autem dona habemus, ea non sunt nostra, sed Dei, nec data nobis sunt propter nostra merita, Sed contigerunt nobis diuina, eaq; gratuita clementia. Quid habes, inquit

Superbia.

Paulus, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Deinde Propheta dicit, quod Dominus missurus sit horribilem clamorem hostium in agros & uineas Moabitarum pro solenni cantu gaudij, & ꝙ non inueniantur reliqui botri in uineis, qui in torcularibus exprimantur. Hoc autem plane uult Propheta dicere, quod Deut. uigesimooctauo scribitur: Fructum terræ tuæ, & omnes labores tuos comedet populus, quem ignoras. Et mox: Vineam plantabis & fodies, & non bibes uinum eius. Hoc enim est supplicium impiorum, & eorum qui contempto Deo, student tantum terrenis bonis, ut faciant sementem, sed alius accipiat fructum, & ut plantẽt uineam, alius autẽ bibat uinum. Magna hæc est, & grauis afflictio. Sed quomodo uel cauebimus, uel effugiemus eam? Primum effugiemus eam, uera Dei agnitiõe, per fidem, in Iesum Christũ filium eius, uidelicet, ut cognoscamus Deum nobis esse propicium propter filium suum, & fructus terræ contingere nobis, non nostro merito, sed diuina tantum clementia & liberalitate. Terra enim maledicta est propter peccatum, ut non deberet ferre nisi spinas & tribulos. Sed quia profert fructum nobis commodum, sola clementia Dei est, qui per Iesum Christum humano generi ita placatus est, ut sit ei curæ etiam uita ipsorum corporalis. Deinde effugiemus hanc afflictionem seu maledictionem iusticia contractuum, & liberalitate erga egenos. Hanc enim sequitur benedictio, non maledictio. Quando messueris, inquit, segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris ut tollas eum, sed aduenam, pupillum & uiduam auferre patieris, ut BENEDICAT tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Quod si uero iuste & liberaliter agenti, ac iuxta uocationẽ Dei ambulanti contigerit direptio uineæ, & uastatio agri, tunc nihil certius est, quam Deum compensaturũ ea quæ ablata sunt, centuplum. Quæ enim auferuntur ambulanti in uocatione Dei, ea reconduntur in manum Dei, ut non pereant, sed restituantur cum maximo fœnore. Præterea, Esaias dicit Moabitas reipsa comperturos, quod frustra inuocauerint & coluerint Deum impijs suis sacris. Hæc enim omnia incursione hostium delebuntur, & ipsi aut trucidabuntur, aut in exilium ejcientur. Diuinum hoc est iudicium aduersus omnia impia sacra, quæ instituuntur ad cultum Dei, sine uerbo Dei. Non possunt seruare cultores suos, sed ducunt eos, nisi resipiscant, in perpetuum exitium. Talia fuerunt sacra Israelitarum in Dan & Bethel. Talia sunt sacra Pontificia, Missæ pro peccatis uiuorum & mortuorum, adorationes statuarum, Inuocationes mortuorum, & alia. Quid ergo faciendum, ne in cultu nostro

Afflictiones graues quo modo effugiendæ &c.

Impia sacra quod maneat iudicium.

ſtro diuino pudefiamus & pereámus? Sectandum eſt uerbum Dómini. Cognoſcendus eſt uerus Deus per Ieſum Chriſtum filium eius. Et inuocandus eſt, non fiducia noſtrorum meritorum, ſed fiducia iuſticiæ Ieſu CHRISTI. Deinde colendus eſt his operibus, quæ ipſe uerbo ſuo exigit. Et hæc opera facienda ſunt ea fide, quam Euangelion docet, uidelicet, ut non quæramus remiſsionem peccatorum meritis noſtrorum operum, ſed tantum fiducia meritorum ſolius Ieſu Chriſti filij Dei. Poſtremo habes hic exemplum longanimitatis Dei. Moabitæ enim meriti erant ſua impietate repentinum excidium. Sed Deus dat eis ſpacium pœnitentiæ, tribus annis. Non enim dubito, quin hæc concio, quam Eſaias de Moabitis publice in Hieruſalem habuit, diuulgata ſit ad Moabitas. Sed hi maluerunt eam ridere, quam ad pœnitentiam excitari. Quare collegerunt ſibijpſis iram in die iræ, ut Paulus loquitur. Fruamur ergo nos aliena inſania, & cum Deus dat nobis, reuelato Euangelio ſuo, ſpacium pœnitentiæ, non contemnamus diuitias bonitatis eius, ſed cogitemus bonitatem eius inuitare nos ad pœnitentiam, ut obtemperantes ueritati, honorem & immortalitatem conſequamur.

CAPVT XVII.

ONVS DAMASCI. ECCE DAMASCVS &c.

A Moabitis digreditur Propheta concione ſua ad Damaſcum, ſeu regnum Syriæ. Nam Damaſcus fuit metropolis in Syria. Caput Syriæ, inquit Eſaias capite ſeptimo, Damaſcus, & caput Damaſci Rezin. Eſt & hæc ciuitas nobilis a negociatione. Vnde Ezechiel capite uigeſimoſeptimo dicit: Damaſcenus negociator tuus, in multitudine operum tuorum, in copia diuerſarum opum, in uino pingui, in lanis coloris optimi. Et extat adhuc hodie genus ſerici panni, quod ab hac urbe, Damaſcum, ſeu Damaſcenum uocant. Nobilis etiam hæc urbs eſt profectione & conuerſione Pauli Apoſtoli, Actorum nono. Contra hanc igitur urbem, & uniuerſum regnum Syriæ cõcionatur Eſaias, pauca quidẽ, ſed grauiſsima. Ecce Damaſcus (inquit) deſinet eſſe ciuitas. Sic uaſtabitur, ut fiat ex ruina aceruus lapidum & lignorꝫ. Ciuitates eius, quę ſitę ſunt in cãpo Aroer (quod alias ciuitatis nomen eſt, ſed hoc loco apparet eſſe nomẽ appellatiuũ, et ſignificare campũ, in quo naſcitur Aroer, hoc eſt, myrica) ſic deſtruentur, et deſerẽtur a ciuibus,

Damaſcus.

ut fiant cubilia gregum, qui & ibi nulla trepidatione uagabuntur & conquiescent. Nec conferet deinceps regnum Israel auxilium Syris aut Damascenis, sicut antea, propterea quod Damascus desinet esse regnum: & quemadmodum regnum Israel, quod hoc tempore uidetur adhuc gloriosum, & insigne, breui uastabitur, & paucissimi in ea terra, reliquis incolis aut occisis aut in perpetuam seruitutem abductis, remanebunt: ita continget etiam regno Syriæ, seu Damasco, ut multitudine incolarum seu trucidata seu in exilium abducta, paucissimi reliqui fiant. Hoc autem quod nūc de Damasco recitaui, non est humanum somnium, sed diuinum uerbum. Hæc dicit, (inquit Esaias) DOMINVS Zebaoth. Quare fieri non potest, quin cum Damasceni sint impœnitentes, hoc uaticinium certo sit euenturum. Declarauit autem postea euentus uerita tem huius uaticinij. Nam cum regnaret Ahaz in regno Iudæ, expugnauit Damascum, & regnum Syriæ rex Assyriorum Tiglatpilnesar. Sic enim scriptum est quarto Regum decimosexto: Ascendit rex Assyriorum in Damascum, & VASTAVIT eam, & transtulit habitatores eius Cyrenen. Rezin autem interfecit. Cum igitur uastatio Damasci facta sit regnante Ahaz in Iuda, obscurum non est, quod Esaias habuerit hanc concionem non sub Ezechia, Sed sub Ahaz, ante Damasci uastationem. Ac fortassis pars est eius concionis, quæ supra capite septimo descripta est, sed a scribis in hunc locum tralata. Posteriori autem tempore Damascus iterum restituta est, Sed secundo uastatur a Nebucad Nezare, de qua uastatione concionatus est Hieremias capite quadragesimonono. Deinde tertio restituta, nunc huic, nunc illi regi seruit, ut sunt in hac terra uariæ regnorum mutationes. Quæramus igitur causam uastationis tam inclytæ ciuitatis & regni, quæ causa diligenter nobis consideranda est, ut ex ea cognoscamus, quæ utilitas huius uaticinij ad nos redeat. Non recitabimus iam generalē causam, & cōmunem cum omnibus impijs gentibus, uidelicet, Idolatrian. (Fuerunt enim Damasceni, gens impia & idolatra) Sed speciales causæ obseruandæ sunt. Vnam commemorat Amos σύγχρονος Esaię capite primo: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eam, eo quod triturauerunt in plaustris ferreis Gilead. Ideo mittam ignem in domum Azahel, & deuorabit domos Benadab &c. Quæ autem sit hæc trituratio, qua Damasceni afflixerunt Israelitas, exponit Elizeus quarto Regum octauo. Dicit enim ad Azahelem futurum regem Syriæ: Scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides,

Damascenorum scelera.

&

& prægnantes diuides. Hoc impletum esse postea testatur scriptura ipsa, quarto Regum decimotertio. Interfecerat (inquit) eos rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in tritura areæ, &c. Alteram causam commemorauit Esaias supra capite septimo. Rex enim Syriæ coniunxit se cum rege Israel ad delendum regnum Iuda, in quo erat uerus Dei populus, & uerus cultus Dei. Cum igitur Damasceni tanta mala intulerint populo Dei, ut non solum eos afflixerint uulgari modo, sed etiam meditati sint extremam eorum internecionem, iusto Dei iudicio factum est, quod ipsi turpissime interierint. Quo exemplo iterum uides, quanto amore Deus complectatur Ecclesiam populi sui. Non potest ferre, ut aliæ gentes affligant eam. Etsi enim sæpe permittit, ut propter peccata Ecclesiæ, hostes in eam incurrant, & crudeliter eam tractent, tamen opprimit uel tandem hostes, seruata interim & liberata Ecclesia sua. Sola enim Ecclesia, pulcherrima illa & uenustissima filia est, quam Deus pater præ omnibus aliorum populorum nationibus respicit, quam, quia inuenit in ea dilectum filium suum Iesum Christum, teneri non potest, quin prosequatur summa caritate, & aduersarios eius grauissime puniat. Non reliquit, inquit Psalmus, hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Et Zachariæ primo: Zelatus sum Hierusalem & Zion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum. Et capite secundo: Qui tetigerit uos, tangit pupillam oculi sui. Hæc commemorantur nobis, non ut blandiamur nobis in peccatis nostris, sed ut summam curam adhibeamus, quo simus membra Ecclesiæ tantopere a Deo dilectæ. Hoc autem fit per fidem in Iesum Christum filium Dei. Deinde, ut uicissim diligamus Deum, ac seruiamus ei, & declaremus nos gratos nostra obedientia. Postremo, ut in aduersis bene confidamus, & auxilium Dei per Christum certa fiducia petamus. Nihil enim certius est, quam aduersarios & hostes Ecclesiæ perituros, nos autem, qui membra sumus Ecclesiæ, seruandos. Nam quicquid acciderit nobis, siue mors, siue uita, DOMINI sumus, & reportamus cœlestia commoda. Mihi uita, inquit Paulus, Christus est, & mors, lucrum. Sed agite, consolemur & nos ipsos hoc exemplo in omnibus periculis, quæ hostes piæ doctrinæ minantur Ecclesijs, in quibus uera uox Euangelij Christi sonat. Non enim adultis tantum, sed & pueris exitium minantur. Ac plane id conantur, quod quondam Pharao in pueris Hebræorum, & Herodes in pueris Bethleemiticis. Quid ergo nos faciamus? quo nos uertamus? Negari non potest, quin nos, qui habemus ueram doctrinam Euangelij, & si sumus & ipsi peccatores, tñ simus Ecclesia Christi. Nō enim Iu

Ecclesia Dei curæ est.

Hostium piæ doctrinæ crudelitas.

dæi, illi huius temporis, sunt Ecclesia. Non Turcæ, aut Sarracenj. Non etiam Pontificij aut Papistę, quia persequuntur Euangelion Christi. Itaque quales fuerũt quondam Damasceni, & Israelitę, de quibus Esaias supra capite septimo, & in hoc capite concionatur, qui cõiunctis uiribus suis conati sunt delere regnum Iudæ, in quo erat templum, hoc est, uerus Dei cultus, & sedes piæ doctrinæ, tales hoc tempore sunt Pontificij & socij eorum, qui cum non possint ueritate suam idolatriam tueri, conantur eam defendere bello & excidio eorum, qui uere piam doctrinam agnoscunt. Quæ igitur concio dicta est ab Esaia aduersus Damascum, & impios Israelitas, eam sentiamus etiam contra Pontificios dictam esse, qui cum meditentur exitium populi Dei, in suum ipsorum exitium certissime ruunt, & ut Psalmus ait, Lacum aperiunt & effodiunt, & incidunt in foueam quam fecerunt. Ac iterum. Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt, in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorũ. Hęc nobis cogitanda, hæc consideranda sunt, non ut fiamus securi, & pergamus in peccatis ambulare, sed ut faciamus nostrum officium, uidelicet, ut agnitis peccatis, resipiscamus, bene de diuina clemẽtia per Iesum Christum confidamus, nomen Domini inuocemus, & precibus nostris salutem eorum, qui pro patria nostra, & Ecclesia, quæ uerius nostra pãtria est, quam illa externa, excubant, Domino Deo nostro commẽdemus. Nec dubitemus, quin Deus sit Ecclesiam suam in tanto periculo, & crudelitate aduersariorum conseruaturus. Sed redeamus ad Esaiam. Hic concionatur de interitu regni Damasceni. Et tamen rex Damasci tanta societate cõiunctus erat cum rege Israel, ut uideretur uiribus eius longe omnium firmissimus esse. Sed quia hi duo conspirauerant ad opprimendum populum Dei in regno Iudæ, alter alterum in extremo periculo, seu in iudicio Dei iuuare non potest. Hoc enim est supplicium eorum, qui coniungunt uires suas ad faciendam impietatem, ut quo magis mutuis uiribus confidunt, eo turpius pudefiant. Vulgo dici solet: In periculis paucissimos inuenias fideles amicos. Hoc rectissime intelligitur de impijs in impietate cõspirantibus, & si etiam pij rarissimos habere solent amicos in suis periculis. Dices igitur, nullam esse amicorum rationem habendam? Certe maxima eorum ratio habenda est, & danda est opera, ne ope eorum destituamur. Hoc autem efficiemus, non si abutamur amicis ad impietatem & scelera, sed si nos ipsi fuerimus pij, & habuerimus Deum amicum, ac ambulauerimus in Dei uocatione. Tunc enim, & amicorum opera proderit, & si hi nos deserunt, Deus tamẽ nos iuuat & seruat. Si ambulauero, inquit Psalmus, in medio umbræ mortis, non timebo mala, qm̃ tu mecum es &c. Cæterũ

Die freundt in der nod gehn xrv. vff einlod Sols aber ein harter stãd sein/ So gehn jr l. vff ein quintein.

ostendimus

ostendimus supra, quod & si Damascus semel & iterum uastata est, tamen postea restituta sit. Quid ergo causæ est, quod cum propter impietatem uastata sit, Deus tamen permiserit, ut restituerētur? Hoc non difficulter cognosci potest, si considerauerimus, propter quam causam regna & ciuitates a Deo constituuntur. Nam cõstituuntur præcipue ob hãc causam, ut Ecclesia Domini habeat sua hospitia, & pia doctrina habeat suas sedes. Non est autem obscurum, quod eo tempore quo Euãgelion Christi cœpit uulgari in totum orbem terræ, fuerit Ecclesia Christi in Damasco, & quod Paulus, electum Dei organon, sit in ea urbe ab Anania baptisatus. Quare Deus permisit propter hanc Ecclesiam, quæ in Damasco futura erat, ut ea urbs reædificaretur: ac si nullus alius pius in ea urbe fuisset, tamen Deus Paulum tanto fauore complexus est, ut uel propter hunc solum sollicitus fuisset de ruinis Damasci restituendis.

ALIA CONCIO DE EXCIDIO REGNI ISRAELIS.

ET ERIT IN DIE ILLA ATTENVABITVR GLORIA IACOB, &c.

Non est ignotũ, quod regnum Dauidis & Salomonis diuisum sit post Salomonem in duo regna, uidelicet, in regnum Iudæ, & regnum Israelis, quod & regnum Iacob, & regnum Ephraim, & regnum decem tribuum dictum est. Porro, in regno Iudæ manserunt uetera sacra in lege per uerbum Domini instituta, etsi etiam in hoc regno multa impia sacra instituta & usitata fuerũt. In regno autem Israelis, instituti sunt noui cultus, ad exemplum quidem eorũ sacrorum, quæ fiebant in templo Hierosolymitano, sed sine autoritate uerbi Dei, & cum summa impietate. Itaq; perpetua fuit contentio de religione inter regnum Iudę & regnum Israelis. Vnde & Abia pugnaturus cum Hierobeam exprobrat Israelitis defectionem a uera religione. Habetis, inquit, uitulos aureos, quos fecit uobis Hierobeam in deos. Et eiecistis sacerdotes DOMINI, &c. Acmox. Noster autem Dominus Deus est, quem non reliquimus. Vide ij. Paralipom. decimotertio. Ostendimus autem supra, quod quo tempore Ahaz regnauit in Iuda, rex Israel coniunxerit sese cum Rege Syriæ, ut collatis uiribus regnum Iudæ uastarent, & uerum cultum Dei delerent. Dixit etiam Esaias in superiori concione de Damasco & regno Syriæ, quod reliquiæ Syriæ erunt sicut gloria filiorum Israel. Quare Esaias suscipit nunc concionem habendã de gloria regni Israelis, ut doceat, q̃ cum hęc duo regna meditẽtur excidiũ populi Dei, amissura sint ambo gloriã & maiestatẽ suã; & sicut regnũ Syrię, ita & regnũ Israelis uastandũ sit.

Erit, inquit, in die illa attenuabitur gloria Iacob. Nunc regnum Israelis glorioſum eſt, nunc caro eius pinguis, maieſtas eius magna eſt, ſed breui futurum eſt, ut tota illa gloriæ magnitudo & craſſitudo macreſcat. Idem enim accidet ei, quod in meſſe, in excuſsione olearum, & in uindemia fieri ſolet. Nam in Meſſe (qualis ſolet eſſe in ualle Rephaim, quæ dicitur eſſe uallis fertiliſsima, cuius fit mentio Ioſuæ xviij. & ſecundo Regum quinto, demetuntur ſpicæ, colliguntur in manipulos, & auehuntur in horrea, relinquũtur autem in agris paucæ quædam ſpicę, quas hinc inde ſparſas legi oportet. In excuſsiõe oleaꝝ, uel in collectione pomorum aut pyrorum, maxima pars fructuum aufertur, & relinquũtur tãtum paucæ quędam oliuæ, aut pauca pyra in ſummitate arborum, quæ non poſsis præ altitudine decerpere. In Vindemia etiam maior uuarum pars effertur, ut ex eis uinum exprimatur, & fiunt paucæ tantum uuæ reliquæ in uinea, ut habeant pauperes, quas in ſuum uſum hinc inde colligant. Idem accidet glorioſo regno Iſraelis. Nunc enim floret, nunc apparet, uelut copioſiſsima meſsis aut uindemia, Sed mox aderunt hoſtes, uelut Meſſores & uindemiatores, qui maximam populi multitudinem aut trucidabunt, aut abducent in perpetuam ſeruitutem, & relinquent in eo regno pauciſsimos tãtum & abiectiſsimos. Quid ergo? dices. Num regnum Iſraelis ita uaſtabitur, ut etiam populus eius abiiciatur a Deo, ne non ſolum amplius reſtituatur in ſuum regnum, ſed etiam non ſit amplius Dei populus? Non quidem reuertetur amplius, nõ reſtituetur in ſuum regnum, non tamen ita abiicietur, ut non ſit amplius populus Dei. Quia futurum eſt tempus, quo homo, Iſraelita, inclinetur & reuertatur ad factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſraelis reſpiciant, nec adoret amplius idola, aut colat Deum in lucis & delubris, contra uerbum Dei. Hoc alij referunt ad tempus Ezechiæ, alij ad tempus diuulgationis Euangelij per Apoſtolos. Sed de hac re poſtea. Nunc perſequemur ea quę Propheta repetit de uaſtatione regni Iſraelis. Redit enim iterum ad exponendum excidium eius regni, ut hac occaſione exponat etiam cauſam excidij. In die illa, inquit, munitæ ciuitates regni Iſraelis ita uaſtabuntur & deſerentur, quemadmodum ſi ſylua ſuccidítur, & relinquuntur tantum hinc inde quædam uirgulta & arbuſta, coram filijs Iſrael forte tranſeuntibus, aut quemadmodum filij Iſrael in occupatione terrę Canaan omnia ſic uaſtarũt, ut tantum paucas quaſdam arbores relinquerent, ita & nunc filij Iſrael uaſtabũtur a ſuis hoſtibus. Quam igitur ob cauſam regio eorum tam horribiliter uaſtabitur? Sequitur: Quia oblita es Domini Dei ſeruatoris tui, & non es recordata fortis adiutoris tui. Quare hoc ſupplicium merito tibi accidet, ut plãtes quidem iucundas

das plantationes, nec indigenas tantum, uerum etiam quo maiores sint delitiæ, peregrinas: uel quemadmodum nonnulli exponunt, alienis, uidelicet hostibus, plantabis eas. Ac diligenter quidem curabis, ut quod plãtasti, crescat, germinet, & fructum proferat. Sed cũ fructus accipiendus est, metes & hęreditabis grauissimum dolorẽ. Quod enim attinet ad externam terræ culturam, sic colis agros et uineas tuas, quasi perpetuo sis in hac regione mansurus. Sed tu seminabis, alius autem metet: tu plantabis, alius autem percipiet fructũ, ac tu pro fructu accipies mœrorem & dolorem. Quod autem attinet ad culturam religionis, cumulabis quidem magno studio sacra sacris, sed nihil aliud inde percipies, nisi laborem & dolorem. Impia enim sacra non faciunt lætam conscientiam coram Deo, sed ut magna cura & sollicitudine instituuntur, ita afferunt secum, reuelãte Domino iram suam, grauissimos dolores, & desperationem. Hactenus concionatus est Esaias de excidio regni Israelis, hoc est, decem tribuum. De quo excidio, quando, & quomodo factum sit, superuacaneum est hoc loco multa commemorare, cum ea historia copiose scripta sit, quarto Reg. decimoseptimo. Et de hoc excidio prophetarunt etiam Oseas, Amos, & Micheas. In hac igitur cõcione Esaiæ accusantur Israelitæ, quod obliti sint saluatoris & adiutoris sui, sicut & antea accusati fuerant a Mose Deut. xxxij. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Et tñ semper gloriati sunt de uero Deo Patriarcharum, ac profesi sunt se in omnibus sacris suis colere uerum Deum, nõ minus q̃ cognati ipsorum in templo Hierosolymitano, quemadmodum etiã hypocritæ & Pontificij iactant se suis sacris solum uerũ Deum uenerari. Quo modo igitur intelligendum est, quod dicuntur obliti Dei creatoris & seruatoris sui? Primũ, quod Israelitę accusantur obliuionis Dei, & desertionis eius, non est intelligẽdum de uno aut altero priuato homine in uulgo. Nulla enim unq̃ fuit hominum multitudo, nec erit in his quidem terris, in qua non sint aliquot impij, Epicurei, & contemptores Dei. Ac propter hos solent quidem supplicia diuinitus non priuatim tantum, sed etiam publice immitti, non autem regna mutari. Nam si Deus propter hos priuatos homines regna mutaret, nullus esset mutationis nec modus nec finis. Sed intelligendũ prę̃cipue est de Principibus populi, qui sunt tam in politica q̃ in Ecclesiastica administratione. Accusantur em̃ sacerdotes, quod ministerio suo non illustrarent gloriam Dei. Accusantur & politici Principes, quod in functione sua nullam haberent rationem diuinæ gloriæ. Quid ergo pietatis de subditis sperares? Deinde, Obliuisci Dei seruatoris, non est non recordari, aut mentionem nominis Dei facere, sed est abijcere & cõtemnere Verbũ Dei. Deus em̃

Obliuisci Dei creatoris quid.

patefecit se uerbo suo, multo magis, quam opificio cœli & terræ. Quare obliuisci Dei, est obliuisci uerbi Dei, & nolle uerbum Dei sectari. Duplex autem est uerbum Dei: Alterum, Lex seu Decalogus. Alterum, Euangelion. Ergo qui uiolat præcepta Decalogi, is dicitur obliuisci Dei. Et qui non confidit solo Christo, per Euangelion adnunciato, sed quærit remissionem peccatorum meritis operum suorum, is obliuiscitur Dei, & designat idolatriam. Quod autem Esaias concionatur futurum, ut inclinetur homo ad factorē suum, hoc est, ut Israelitæ reuertantur ad uerum cultum Dei, & abijciant impia sua sacra, respicit ad hoc tempus, quo Euangelion diuulgatum est per Apostolos in totum orbem terrę. Etsi enim sunt, qui referant hoc uaticinium ad tempus regis Ezechiæ, qui abductis Israelitis captiuitate Assyriaca, & restitutis ueris ac legitimis sacris in Hierusalem, ac reformata Ecclesia Dei, uocauit publice reliquias Israelis, ut conferrent operam suam ad instaurandam ueram pietatem, & admonuit eos grauissime, ut resipiscant, & seruiant Deo Patrum ipsorum. Sic enim fore ut fratres & filij ipsorum consequantur misericordiam coram dominis suis, qui illos captiuos abduxerant, quemadmodum scriptum est in secundo lib. Paralip. cap. xxx. tamen scriptura addit, legatos regis Ezechię fuisse ab illis irrisos & subsannatos, ac pauciss imos ex ijs reliquijs agnouisse uerum cultum Dei. Quare uerisimilius est, quod Propheta hoc loco respiciat ad tempus reuelati Euāgelij, quo Israelitæ in omnibus nationibus dispersi reuocati sunt ad ueram cognitionem sancti in Israel, hoc est, Christi filij Dei. Quo etiam tempore multi Israelitæ agnouerunt Christum, quod est uere inclinari ad factorem suum. De qua re Oseas quoq; uaticinatus est capite tertio: Dies multos, inquiēs, sedebunt filij Israel sine rege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, sine Theraphim. Et post hęc reuertētur filij Israel & quærent Dominum Deum suum & Dauid regem suum, &c. Hæc dicta sunt de ijs temporibus, quibus Apostoli prædicauerunt Euangelion Christi inter Israelitas dispersos in orbe terrarum, & conuerterunt multos ex ijs ad Deum Patrum ipsorum, qui est Iesus Christus Dominus noster. Quanquam autem multum tēporis est inter Esaiam & Apostolicam diuulgationem Euāgelij, tamen concio de Euangelio reuelando Israelitis inter gētes, fuit pijs, qui erant tempore Esaiæ in regno Israel, necessaria, uidelicet ne existimarēt se ita e regno suo abiectos, & e terra sua expulsos, ut non amplius essent populus Dei. Durum quidem fuit carere patria terrena, sed longe omnium durissimū est, una cum terrena etiam cœlesti patria carere. Molestum est, non habere dignitatem politici populi, sed esse seruituti subiectum. Longe autem omnium molestissimum

leſtiſsimum ac plane intolerabile eſt, non eſſe populum Dei. Quare tam Eſaias quam Oſeas conſolantur pios Iſraelitas his concionibus de reditu ipſorum ad uerum Deum, ut cognoſcant, quod etſi ejciantur e terra ſua, ne ſint populus politicus, tamen maneant populus Dei: & quanquam non pertingant corporali ſua uita uſque ad aduentum Chriſti in carne, tamen ſi adhibeant fidem his promiſsis de Chriſto, conſequantur ueram ſalutem. Obſeruabis & illud in hac concione Eſaiæ, quod cum ſentit Iſraelitas agnituros Chriſtum, & tamen dicit eos reuerſuros ad factorem ſuum, & reſpecturos ad ſanctum Iſraelis, quod de uero Deo intelligi debet, manifeſte doceat, Chriſtum eſſe uerum Deum factorem & creatorem noſtrum. Itaque is uere Deum colit, qui Chriſtum colit. Qui autem Chriſtum non colit, Deum non colit. Perſpicuum igitur eſt, quod nec Iudæi, quales ſunt hoc tempore Iudæi, nec Turcæ, nec Hypocritæ, nec Monachi, nec Pontificij colant uerum Deum, nec poſsint eum inuocare, etiamſi multa de Deo iactent. Alij enim prorſus negant & contemnunt Chriſtum, alij & ſi nomen eius uidentur uenerari, tamen cum perſequuntur Euangelion eius, etiam ipſum perſequuntur. Quid ergo his miſerius, qui tam longe abſunt a Deo, ut ne inuocare quidem ipſum poſsint? Nec illud in hac concione Eſaiæ prætereundum eſt, quod dicit Iſraelitas non amplius reſpecturos ad altaria, ad Lucos & delubra quæ fecerunt manus ipſorum. Docet enim idolatriam tunc uere abijci, cum agnoſcitur Chriſtus filius Dei per fidem. Duplex enim eſt idolatria. Vna craſſa, quando fiunt externa idola, & adorantur. Altera ſubtilis, quando homo ſuſcipit aliquod opus faciendum, ſiue præceptum, ſiue non præceptum a Deo, & confidit ſe merito huius operis expiare peccata, & conſequi æternam uitam. Hic & ſi non architectatur ſibi idolum manu, tamen architectatur corde: & quanquam non procumbit externis genubus ante opus ſuum, tamen adorat illud fiducia cordis ſui, & conſtituit in locum Chriſti. Tales idolatræ ſunt omnes hypocritæ non ſolum in Iudaiſmo, uerumetiam in Chriſtianiſmo, quorum alij ſunt ſubtiles tantum, alij autem ſunt etiam craſsi, qui adorant externas imagines mortuorum. Sed tunc uere abijcitur idolatria, cum credimus quod ſolus Ieſus Chriſtus ſit iuſtificatio & redemptio noſtra.

Chriſtum qui uerè colant.

Idolatria duplex.

Poſtremo, cum Eſaias, qui erat incola regni Iudæ, in quo ſub Ezechia reſtituti fuerunt legitimi ritus Eccleſiaſtici, & Eccleſia iuxta uerbum Domini reformata, habeat hanc concionem aduerſus regnum Iſraelis, in quo inſtituta erant impia ſacra, agite dum conferamus hæc duo regna, cum his duobus, quæ hoc tempore ſunt in Germania, propter Religionem diuiſa. Regnum enim eorum

Collatio duorum regnorum Iudæ et Israelis, cum duobus regnis piorum Principum & Pontificiorum.

Principum, & ciuitatum, qui aperuerunt portas suas Euangelio Christi, & restituerunt sacra Ecclesiastica ad regulam pię doctrinę, habet similitudinem cum regno Iudæ. Regnum autem Episcoporum & eorum Principum, qui tuentur impiam doctrinam Pontificum & Monachorum habet similitudinem cum regno Israelis. In regno Iudæ instaurabatur pia doctrina, & uerus cultus Dei per Ezechiam, abrogatis impijs sacris. Sic etiam Principes quidam Germaniæ & ciuitates agnouerunt ueram doctrinam Euangelij, & restituerunt uerum usum sacramentorum Christi in Ecclesijs suis. Regnum Israelis defecerat a familia Dauidis, cui promissus erat Christus, & instituerat sacra a uerbo Dei aliena, quæ & maximo studio tuebatur. Sic etiam ij Principes & Episcopi, qui adhuc agnoscunt Romanum Pontificem, defecerunt iamdudum a uero Euangelio Christi, & sectati sunt sacra impia, pugnantia cum Euangelio, quæ tantum abest, ut abrogent, ut ea quantis possunt uiribus defendant. Deinde quemadmodum regnum Israelis omne studium suum in hoc contulit, ut opprimeret & deleret regnum Iudæ, quo impietatem suam armis confirmaret, Et cum infirmius esset, quam ut hoc suis uiribus efficeret, coniunxit se cum rege Syriæ, sicut supra capite septimo dictum est: ita Principes & Episcopi Pontificij hoc unum iam multis annis agunt, ut oppressis pijs Principibus, pro libidine sua in Ecclesia dominentur. Et ut impietatem suã armis confirment, uocant in auxilium etiam externas nationes. Sed quid factum est? Regnum Israelis uastatum est per Salman Essarem regem Assyriorum, manente incolumi regno Iudæ: ita certo confidimus diuino iudicio fore, ut regnum impiorum Principum & Episcoporum turpiter pereat, & Deus conseruet regnum eorum Principum, qui præbuerunt hospitium & sedem Euangelio filij sui. Sed postea interijt etiam regnum Iudæ, cum & in ipso uerbum Domini nullum amplius locum haberet. Non debent igitur Principes, in quorum ditione prædicatur Euangelium, sibi blandiri, & ignaui esse, sed potius operam dare, ut quod bene cœptum est, conseruent, & pietate gratitudinem suam erga Deum declarent, alioqui & ipsi una cum regno perituri. Ergo ne metuendum est, ne & Euangelion Christi pereat, & Ecclesia eius deleatur? Minime omnium. Deus enim conseruabit Ecclesiam & Euangelium filij sui, etiamsi omnia huius mundi imperia ruant. Ecce ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus huius seculi. Studeamus igitur esse & manere mẽbra Ecclesię Christi, ut etiamsi regna destruantur, nos tamen in horum ruinis seruemur.

Alia

ALIA CONCIO DE INCVRSIONE SANEHERIB *regis Assyriorum in regnum Iudæ, & de interitu exercitus eius, ac omnium gentium, quæ suscipiunt bellum aduersus populum Dei.*

VAE MVLTITVDINI POPVLORVM MVLTORVM &c.

Noua concio aduersus Saneheribum Regem Assyriorum, qui oppugnaturus erat regnum Iudæ, sed non expugnaturus. Historia huius rei scripta est quarto Regum decimooctauo, & Esaiæ trigesimoseptimo. Initio recitat Propheta multitudinem hostium, & grauitatem incursionis eorum, quam amplificat comparatione fluctuum maris. Quanta, inquit, hæc est hostium multitudo, quæ ceruicibus nostris imminet? Non habet aliam speciem, quam si irruerent in nos uniuersi fluctus maris. Talis & tam horribilis est strepitus eorum, qualis solet esse impetus & fremitus multarū aquarum. Nec uanum fuit quod Esaias prædixit. Saneherib enim tanta multitudine oppugnauit regnum Iudæ, & tanto terrore irruit in populum Dei, ut uideretur de salute ipsorum actum esse. Vide Esai. trigesimosexto, & iiij. Regum decimooctauo. Cæterum Propheta exaggerat horrorem incursionis hostium, non ut augeat metum ciuium suorum, sed potius ut exponat magnitudinem diuini auxilij, & illustret beneficium liberationis. Alio enim consilio extollit uires aduersariorum spiritus sanctus, alio Satan. Hic extollit eas & amplificat, ut reddat auditorem meticulosum, & conijciat eum in desperationem. Ille autem amplificat eas, ut ostendat eas non esse nisi uanissima spectra, & doceat liberationem & salutem Dei tanto maiorem & glorioſiorem esse, quanto maiores uidētur esse uires hostium. Quare hoc consilium spiritus sancti agnoscendum est, ut nō cedamus Satanæ exaggeranti uires aduersariorum, sed confidamus Domino, de quo Ioānes dicit: Maior est, qui in nobis, quam qui est in mūdo. Quod autem hoc sit consilium spiritus sancti, Esaias ipse testatur. Postquam enim exposuit horribilē multitudinem hostium, addit: Increpabit eum, & fugiet procul. hoc est, Etsi Assyrius incurret in nostram regionē maxima hominum multitudine, & uidebitur nos sic oppressurus, quemadmodum magni fluctus maris obruere solent paruam nauiculam, attamē Deus stat a parte nostra, qui hos fluctus ita increpabit, quemadmodum quōdam increpuit marę rubræ, ut exiccaretur. Efficiet. n. ut hostis Assyrius quærat sibi salutem fœdissima fuga. Pingit aūt Esaias fugam et interitū exercitus Assyriaci pulcherrimis similitudinibus: Rapietur inquit, sicut puluis montium a facie uēti, & sicut stipula a turbine. Ad uesperam minabitur nobis grauissima, Sed ecce matutino

Psal. 103

tempore, ne unus quidem hostium in terra regni Iudæ consiste-
re poterit. Sic enim testatur historia: Factum est, inquit, in nocte il-
la, uenit angelus Domini & percussit in castris Assyriorꝝ centum
octoginta quinqꝫ milia. Cumqꝫ diluculo surrexisset, uidit omnia
corpora mortuorum, & recedens abijt &c. Quid ergo dicemus?
Num hoc miraculum contigit diuinitus, ut tantum usui esset ciui-
Miraculi, editi in exercitu Sancherib, usus. bus Hierosolymitanis? Nequaquam. Sed ut esset usui uniuersæ Ec-
clesiæ populi Dei. Sic enim addit Propheta: Hæc est pars seu hære-
ditas eorum, qui uastauerunt nos, & sors diripientium nos. Memo-
rabile epiphonema, quo significatur usus miraculi, quod editum
est in exercitu Sancherib. Deus enim non uoluit solos ciues Hie-
rosolymitanos liberare, sed etiam hoc miraculo publice testari, se
uelle Ecclesiam suam mirabiliter in omnibus afflictionibus serua-
re. Et quo fides piorum confirmetur, pingit spiritus sanctus repen-
tinum interitum hostium obseruabilibus comparationibus. Pri-
Impij sunt puluis, fumus, cera, fœnum mum enim ait: Rapietur sicut puluis montium a facie uenti. Quid
potuisset magis perspicue dici de impiorum interitu? Innumerabi-
les sunt particulæ pulueris, & operiunt totam terram. Sed si uen-
tus in puluerem irruerit, ita dissipat eum, ut etiam euanescere uidea-
tur. Extat eadem similitudo in Psalmo primo: Non sic impij non
sic, sed tanquam puluis, quẽ proijcit uentus a facie terræ. Huic non
dissimiles sunt in Psal. sexagesimoseptimo: Sicut deficit fumus, de-
ficiant, sicut fluit cæra a facie ignis, sic pereãt peccatores a facie Dei.
Et in Psal. trigesimosexto: Tanq̃ fœnum uelociter arescent, quem-
admodum olera herbarum cito decident. Hę similitudines diligen-
ter conseruandæ sunt, ut confirmemus fidem nostram aduersus mi-
nas & strepitum hostium Dei. Non solum autem Turcæ sunt ho-
stes Dei, uerumetiam Pontifex Romanus & socij eius, qui suscepe-
runt bellum ad delẽdum Euangelion filij Dei, & restituendam im-
piam doctrinam in Ecclesia. Hi & si maxima potentia præditi sunt,
& iuuantur auxilijs multorum regum & populorum, tamen scia-
mus eos esse puluerem, fumum, cæram, & herbam, quæ non pos-
Afflictio pijs uespera. sunt consistere. Deinde ait Propheta. In tempore uesperæ, & ecce
turbatio, In matutino autem non subsistet. hoc est, Afflictio, quam
inferunt aduersarij est breuissima, & uix unius uesperæ ac noctis.
Sicut autem noctem, non post multas horas, sequitur mane, & cla-
rus dies, ita post afflictionem continuo sequitur liberatio, & salus.
Magna hæc est consolatio afflictorum, quod de salute sua certi sint
per fidem, sicut noctem certissime sequitur dies. Sic & alias dicit
Esa. quinquagesimoquarto: Ad punctum in modico dereliqui te,
& in miserationibus magnis cõgregabo te. Et mox: Sicut in diebus
Noe istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas diluuij ultra su-

pra

ſra terram, ſic iuraui ut non iraſcar tibi, & non increpem te. Mittit quidem Dominus ſæpe magnam abundantiam aquarum, & perdit unam aut alteram regionem, non autem mittit amplius diluuium ſuper uniuerſam terram. Sic etiam ſolet Deus populum ſuum affligere, non autem perdit eum, ſi inuocauerit nomen Domini, in tentatione. Quare in afflictione cogitemus eam ueſperam tantum & noctem eſſe, certo autem ſecuturum diem ſalutis. Non intelligamus autem ſalutem de externa tantum liberatione, ſicut ſolent carnales, nõ niſi corporalia beneficia a Deo expectare, ſed maxime omnium de uera & perpetua liberatione. Etſi enim Dñs confert in Eccleſiam ſuã etiam corporalia beneficia, cum opus eſt & neceſſarium ipſi uidetur, tñ Deus non miſit filium ſuum in hanc terram, ut ſeruaret nos in hac terra incolumes, ſed ut ſeruaret nos in morte ad ueram, cœleſtem, & perpetuam uitam. Quare non eſt deficiẽdum animo, etiamſi non conſequamur terrenam liberationem, ſed confidendum eſt certiſsima fide, quod utcunq; res ceciderit in hoc ſeculo, maneat nos cœleſtis ſalus per Ieſum Chriſtum filium Dei.

CAPVT XVIII.

VÆ TERRÆ CYMBALO ALARVM QVÆ EST TRANS &c.

Concio ad uerſus Aethiopiam

Noua concio, quã alij dictam putant aduerſus Aegyptũ, alij aduerſus Æthiopiã. Sed quia poſtea ſequuntur certæ conciones contra Ægyptũ, & hic manifeſta fiat mẽtio Æthiopiæ, ſentiemus Prophetã inſtituiſſe hanc cõcionem contra Æthiopiam, quę ſub Ægypto eſt, ut indicant tabulæ Geographicæ. Occaſio autem huius cõcionis hæc uidetur eſſe. Poſtquam regnum Iſrael deuaſtatum eſſet ab Aſsyrijs, & deinde regnũ Iudæ diriperetur a Saneheribo, uidebatur actũ eſſe de uniuerſo populo Iſraelitico, qui ſe populũ Dei iactabat. Quare Aethiopes Aegyptiaci, qui negociãdi gratia in nauibus ad terram Iſraelitarũ proficiſci ſolebant, exiſtimauerũt nullam gentem eſſe miſeriorem & calamitoſiorem Iſraelitis, quippe quæ ità deiecta ſit, ut non poſsit amplius priſtinum ſtatum & incolumitatem recuperare. Ac ſi quando cum nauigaturis ad terram Iſrael colloquerentur, non uocabant amplius gentem Iſraeliticam ſuo nomine, ſed gentem conuulſam & dilaceratam, ſignificantes ſe de ſalute huius gentis prorſum deſperaſſe. Cum autem Eſaias has Aethiopũ uoces cognouiſſet, excitatur ſpiritu ſancto, & habet hanc cõcionẽ de uera & perpetua ſalute Iſraelis. Summa. n. huius cõcionis hæc eſt. Vos Aethiopes exiſtimatis de ſalute Iſraelis actũ eſſe, ego autẽ uiciſsim ex uerbo Dñi adnuncio, q̃ & ueſtrum & omnia aliarũ

gentium regna interitura sint: gens autem & populus Israeliticus, quem uos putatis esse prorsus conculcatum, constabit perpetua salute. Væ, inquit, terræ umbræ alarum. Alas uocat uela nauium, quæ expassa umbram efficiunt. Quam autem terram intelligat, addit: Quæ est trans flumina Æthiopiæ, quæ uidelicet fluminibus abundat, & est uicina sinui Arabico, ac mari rubro. Ex qua terra solent mitti Legati seu negociatores in nauibus papyraceis. Scriptores enim tradunt in Ægypto, cui finitima est Aethiopia, construi nauigia ex papyro, & uela e libro. Aethiopiam autem sub Aegypto, negociationi deditam fuisse testatur Esa. capite quadragesimoquinto: Labor, inquiens, Aegypti, & negociatio Aethiopiæ ad te transibunt &c. Idem etiam testatur multitudo portuum, & emporiorum, quam Ptolemæus in Aethiopia describit. Cum igitur negociatores Aethiopiæ suscipiunt profectionem ad terram Israel, tum alij solent ad eos dicere: Agite amici abite, quanta potestis uelocitate, ad terram Israel, non tamẽ speramus uos aliquod operæprecium in extrudendis mercibus uestris facturos. Tota enim gẽs cõuulsa est, & dilacerata, populus est tam horribiliter oppressus, ut nulla spes de recuperãdo pristino statu eius relicta sit, adeoque talis est populus, ut nõ audias inter ipsos, nisi kau kau קו קו, hoc est, Expecta, Expecta. Habent Prophetas, q quicquid aduersi acciderit, solẽt eos uocare ad expectationẽ auxilij Dei sui. Iubẽt eos semper expectare cœlestem opem, sed ut reipsa uidemus, expectatione sua turpiter pudefacti, & conculcati sunt. Flumina enim, hoc est, maxima hostium inundatio seu multitudo, diripuerunt terram eorum, & aut interfecerunt eos, aut captiuos abduxerunt. Hactenus recensuimus uerba Aethiopum de Israelitis, ex quibus initio uides quæ sint iudicia impiorum de afflictionibus. Existimant afflictiones esse interneciones. Vident Israelitas esse afflictos. Sentiunt igitur non esse reliquam spem salutis eorum. Acuerum quidem est, quod afflictiones, quæ accidunt impijs, afferant ipsis perpetuum interitum. Hi enim & affliguntur & moriuntur in peccato suo. Quæ autem accidunt populo seu Ecclesiæ Dei, afferunt, sicut Paulus ait, æternum pondus gloriæ. In Ecclesia enim Dei est remissio peccatorum propter Christum per fidem. Vbi autem est remissio peccatorum, ibi neque mors, neque uita, neq; angeli, neque principatus, neq; altitudo, neque profunditas potest fœlicitatem, quæ in Christo habetur, auferre, sed necesse habet eam iuuare. Quare nostra summa cura sit, ut simus membra populi seu Ecclesiæ Dei, quo ômnes afflictiones nobis in bonum cedant. Deinde, Aethiopes uocant Israelitas Gentem kaf kaf קו קו, hoc est, Expecta, expecta, uidelicet Gentem, quæ nihil crepet præter

Plin. lib. 13. cap. 11.

2. Cor. 4.

ter expectationem cœlestis auxilij. Nam impios hac uoce irrisisse Prophetas & pios, perspicuum est exuigesimooctauo cap. Esaiæ. Erit eis uerbum Domini, Manda, iterum manda: expecta, iterum expecta, &c. Prophetæ enim iubebant in afflictione populum suum bene confidere de Deo, & non quærere externarum gentium auxilia, sed diuinum auxilium expectare. Hanc cohortationem de expectatione diuini auxilij, cum Prophetæ iterarent & inculcarent, excipiebant impij tam inter Israelitas, quam inter alias gentes, & dicebant: Quid, obsecro, uobis cum istis uestris Prophetis, qui nihil aliud concionari sciunt, quam Expecta, Expecta? Nos istud uerbum non emeremus titiuilitio. Videmus enim uestram expectationem esse longe omnium uanissimam. Sicut & his temporibus, quia frequenter hortamur Ecclesiam, ut uere credat, impij rident hanc uocem CREDERE, & dicunt: Diu credas, oportet, dum tibi columba assata in os aduolet. Sed, utut rideant impij, profecto nihil certius est, quam salutem Ecclesiæ constare fide & expectatione. In silentio, inquit Esaias, & spe erit fortitudo uestra. & Abacuc: Si moram fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem ex fide sua uiuit. Et Paulus Romanorum octauo: Spe salui facti sumus. Spes quidem & expectatio, quæ concipitur ex humanis promissis aut carnalibus coniecturis, pudefacere solet. Quæ autem concipitur ex diuinis promissis, non pudefacit, sed seruat sperantem & expectantem ad perpetuam salutem. Vulgo dicitur: Quod differtur, non aufertur. Et habet Deus suas causas, cur differat impletionem promissionum suarum, Primum, ut exerceat fidem nostram, deinde ut excitet inuocationem. Præterea, ut maiori cum fœnore promissa præstet. Quare perdurandum est spe & expectatione in promissionibus Dei, ut maiora, quam cogitare audemus, beneficia accipiamus. Sed reuertemur ad Esaiam. Postquam enim recitauit sententiam Æthiopum de Israelitis, recitat nunc sententiam Domini, & docet Deo aliter uisum esse, quam ut Israelitæ ad internecionem usque pereant, etiamsi nunc miserrimi omnium hominum uideantur, & dicit: Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra &c. hoc est, Etsi Aethiopes desperant de Israelitis, & putant nunquam fore, ut salutem consequantur, tamen omnes incolæ terræ diuersum uidebunt, idque non obscure: sed sicut uexillum in monte positum manifeste uideri solet: & sicut clangor tubæ clare auditur: ita manifestissime & clarissime uidebitur & audietur, Israelitas salutem consecuturos, quia sic dicit DOMINVS ad me: Quiescam & contemplabor in habitaculo meo, sicut calor exiccans post pluuiam, sicut

Promissionũ impletio cur differatur.

nubes rorida in calore messis. Post diuturnam pluuiam calor solis acceptissimus est uel agricolis, uel his qui susceturi sunt profectiones. Calore enim solis exiccatur terra, ut sit hominibus usui. Messis autem tempore, quo calor solet esse feruentissimus, gratissima est & commodissima nubes rorida. Hac enim, quæ in terra nimio solis ardore quasi exusta sunt, iterum reficiuntur. Dicit ergo Dominus. Etsi impiæ gentes putant de salute populi mei actum esse, & existimant non solum regni eius, sed etiam mei, qui sum Deus illorum, finem instare, tamen ego firmus maneo in meo habitaculo, & omnia intueor, ac rego, guberno, & conseruo meum populum ex meo domicilio. Habitaculum autem seu domicilium Dei est, si αὐτίτυπα τῶν ἀληθινῶν respicias, urbs Hierusalem, seu templum Hierosolymitanum in monte Zion, de quo dixerat Deus: Erit nomen meum ibi. Et: Elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationem sibi. Etsi autem hoc templum destructum fuit a Babylonijs, tamen quia definitum erat a Deo, ut stante templo Hierosolymitano Christus filius Dei gloriam suam reuelaturus esset, necesse fuit ut instauraretur, & usq; ad suam periodum, inuitis omnibus hostibus populi Dei, perduraret. Quare quod ad hoc templum attinet, dicitur Deus firmus manere & habitare, & ab eo loco populum suum tueri, propterea quod ante periodum suam non potuerit ab aduersarijs ita aboleri, ut non amplius restitueretur, & quod hoc templo, & cultu eius adhuc incolumi, Israelitæ manserint populus Dei electus. Si uero respexeris ueritatem, tunc habitaculum Dei dicitur, Ecclesia piorum, seu credentium in Christum. In hac Deus uere & perpetuò habitat. De hac uere dicitur: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. In hac Deus ita quiescit, ut eam nunquam deserat. In hac Deus est sicut splendor solis post pluuiam, & sicut nubes rorida tempore messis. Pluuia & ardor messis sunt afflictiones, & aduersa. In his Deus est sicut splendor solis & nubes rorida, hoc est, recreatio & uiuificatio. Iucundissimæ comparationes, quæ plane idem significant, quod Psalmus nonus simpliciter dicit: Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, &c.

ANTE MESSEM ENIM TOTVS EFFLORVIT, &c.

Æthiopes qui sunt sub Ægypto, existimant populum Israelitici cum sic esse oppressum & dilaceratum, ut nec regnum, nec religio ipsorum possint diutius constare & perdurare. Propheta autem recitat sententiã Dñi, ac breuiter exponit, quod etsi populus Israeliticus uidetur nunc dilaceratus, alia aũt regna huius seculi florere, futurꝝ tñ sit, ut omnia huius seculi regna intereant, regnũ aũt populi

Dei

Dei perpetuo conſeruetur. Ante meſſem, inquit, cum incipit germen perfici, & fructus adhuc immaturus augeſcere, ut iam floreat, & optimum fructum promittat, ueniet, qui ſuccidat propagines falcibus, & auferat ramuſculos amputatione. hoc eſt, Regnis huius ſeculi accidet, quod aliquoties ſegeti, aut uitibus accidere ſolet. Nonnunquam enim ſegetes & uineæ promittunt ante meſſem & uindemiam copioſiſsimum fructum. Germẽ exurgit, culmus augeſcit, ariſta floret: nec aliud reliquum uidetur, quam ut poſt aliquot hebdomadas multum fructum colligas: ſed ecce ſubito irruit aliqua calamitas, quę ſegetes & uites ita depopulatur, ut neceſſe habeas ſtramina falcibus demetere, & palmites amputare, ac proijcere, ut habeant beſtiæ terræ & uolatilia cœli, quo ſe æſtate & hyeme recipiant. Sic etiam continget omnibus regnis huius mundi. Initio, cum conſtituuntur, uidentur euaſura in tantam potentiam, ut queant omnes incolas ſuos tranquillos reddere, & perpetuo conſeruare. Et aliquandiu ſic florent, ut exiſtimes totam terram fructibus eorum ſuſtentandam fore. Sed in medio flore ſic ſucciduntur, ut ad fructum, quem ſperaueras minime perueniant, ſed diripiantur & conculcentur a quibuſuis. Exempla habes, Regnum Ægyptiacum, Aſsyriacum, Babylonicum, Perſicum, Macedonicum, Græcum, & Romanum. Quod de publicis regnis huius mundi dicitur, hoc etiam de mundanis diuitijs priuatorum hominum intelligendũ eſt. Sunt familiæ hominum, quæ parant ſibi tantas diuitias, ut uideantur nunquam poſſe paupertate affligi. Sed in medio flore cum iam ſperas fructum diuitiarum, deficiunt & pereunt. Hæc cognoſcenda, hæc cogitanda ſunt, ut diſcamus timorem Dei, & obedientiam. Magna enim pars hominum putant ſe ueram fœlicitatem conſecuturos, ſi eſſent uel reges, uel diuites in hoc ſeculo: Sed nulla eſt in his regnis & diuitijs uera & cõſtans fœlicitas. Etſi enim potentiſsimus es & ditiſsimus, tamen adhuc habes peccata, & neceſſe habes mori. Nullum regnum mundanum tam potens fuit, quod potuit abrogare mortem. Nullæ diuitię tam amplæ fuerunt, quæ potuerunt poſſeſſorem a morte ſeruare. Prouerbiorum undecimo: Non proderunt diuitiæ in die ultionis. Et Lucę duodecimo: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Quare ſi Deus dederit potẽtiam & diuitias, recte et pie utaris, ne una cum ipſis pereas. Si autem nõ dederit, ne ſtudeas ea aſſequi malis dolis, impoſturis, peiurijs, & alijs iniquis artibus. Terrenum enim regnum, aut mundanæ diuitiæ etiam iuſte acquiſitæ non ſeruant te in iudicio Dei, quanto minus ſeruabunt iniuſte acquiſitæ. Age igitur, oſtende nobis quod tamen regnum ſit ita firmum, ut in eo uere ſeruari queamus? Nullum certe mundanum inuenies: ſed ſolũ regnum

CHRISTI illud est, in quo uere seruamur. De hoc regno concionatur Propheta, cum addit: In tempore illo offeret munus DOMINO Zebaoth populus diuulsus, dilaceratus, horribilius oppressus quam ullus alius populus, quem uocant populum semper expectantem, qui est conculcatus, & cuius terram multitudo hostium diripuit, offeret (inquam) munus Domino ad locum nominis DOMINI Zebaoth ad montem Zion. Hęc est concio de regno Christi, quod & si omnia alia regna pereunt, tamen regnum Christi & populus eius seruabuntur. Nunc uidetur quidem Israel prorsum oppressus, & horribiliter dilaniatus, nec unquam futurum apparet, quod sit sacrificia sua adducturus ad templum Hierosolymitanum. Nam & hoc templum in magno periculo uersatur. Sed tam Israel quam templum in monte Zion ita seruabuntur, ut Israel oblaturus sit adhuc sua munera in monte Zion. Hæc ita recitantur, perinde ac si dicta essent de externo Israele & tẽplo. Postquam enim regnum Israelis deuastatum esset ab Assyrijs, manserunt nonnulli Israelitæ in eo regno, qui Ezechia in Iuda regnante & religionem Hierosolymis instaurante, obtulerunt sacrificia sua ad templum Hierosolymitanum, quemadmodum scriptum est ij. Paralip. xxx. Deinde cum Iudęi redirẽt ab exilio Babylonico, & restituissent templum, multi Israelitarum, qui inter gentes dispersi erant, uenerunt ad templum, & sacra ibi fecerũt. Hęc autem multo minora sunt, quam de quibus spiritus sanctus hoc loco concionetur. Sed quod dicitur de muneribus ab Israele ad montem Zion offerendis, intelligendum est maxime omnium de conseruanda uera fide Israelitarum inter gentes. Mons enim Zion, ut fuit sedes tẽpli externi & piæ doctrinæ de Messia, ita etiam fuit suggestum, in quo & Messias ipse prædicauit suum Euangelion, & e quo Apostoli uulgauerunt Euangelion Messię in totum orbem terræ. Israelitæ igitur e suo regno eiecti, & inter omnes gentes dispersi, dicuntur obtulisse munera sua ad mõtem Zion, ante aduentum quidem Christi, cũ conseruarunt prõmissionem de Christo, & collocarunt omnẽ salutis suæ spem in Christo, cuius promissiones prædicabãtur in monte Zion: post aduentum autem Christi, cum crediderunt Euangelio Christi, quod Apostoli prædicabant publice in Hierusalem in die Pentecostes, & postea proficiscebantur primum omnium ad Israelitas inter gentes in omni natione quæ sub cœlo est dispersos, ut & hos ad cognitionem & fidem Christi adducerent. Nã si quis fidem adhibuerit Euangelio, quod a monte Zion in omnes gentes uulgatum est, & agnouerit Christum seruatorem suum, is demum uere adducit munus DOMINO Zebaoth ad montem Zion. Et quia prædicatio Euangelij de Christo constat in hoc mũ-

do

do usq; ad nouissimum diem, Ecclesia autem Christi & si affligitur in hoc seculo grauissime, tamen perpetuo seruatur, idcirco recte dicitur, subditos regni Christi, qui sunt Ecclesia eius, nunquam interire, cum tñ omnia alia mundana regna, una cum suis subditis pereant. Nam in regno Christi uera est tranquillitas & fœlicitas, quia ibi est remissio peccatorum. Vbi autem peccata remittuntur, ibi mors non est amplius mors, sed profectio ad ueram uitam. Itaq; in regno Christi nemo ita moritur, ut pereat. In hoc autem regnum peruenimus agnitione peccati & Christi, uidelicet, ut agnitis peccatis, credamus Christum solum esse peccatorum expiatorem. Manemus autem in hoc regno obedientia fidei. Quare in hoc studium incumbamus, ut agnoscamus Christum, & obsequamur uocationi eius, quo simus subditi regni eius & seruemur.

Etsi autem hæc interpretatio non est absurda, sed analoga fidei, tamen addemus & aliam interpretationem, nón quod sentiam unũ locum scripturæ habere diuersos sensus, & esse uelut cæreum, ut aiunt, nasum, quemadmodum de scriptura sentiunt Allegoristę, sed quia partim phrasis scripturæ nõ sit nobis tam perspecta, quam est uernacula nostra lingua, partim res gestæ eorum tẽporum, quibus Esaias hæc concionatus est, nõ sint omnes, quod ego sciam, tam diligenter & copiose conscriptæ & ad nos propagatæ, quam necessaria nobis est earum cognitio ad intelligendam perspicue concionẽ Esaiæ. Hæc nisi nobis deessent, possemus fortasis genuinum sensum huius loci clarius tradere.

Supra, Gentem conuulsam & dilaceratam, ad quam Æthiopes miserunt Legatos, interpretati sumus de gente Israelis, hoc est, de regno decem tribuum, quod a Salmã Essare uastatum est. Sed quid si potius intelligeremus de regno Iudæ, quod Sanherib rex Assyriorum ita premebat, ut uideretur prorsus conculcandum & delẽdum? Etsi enim Sanherib non expugnauit urbem Hierusalem, tamen regionem ita uastauit, ut nulla salus ei relicta uideretur. Porro in iiij. lib. Reg. cap. xix. scriptũ est, quod Tarraka rex Æthiopiæ susceperit bellum aduersus Sanheribũ eo tẽpore, quo exercitus Sanheribi incurrit in regnum Iudæ. Hic autem rex Tarraka dominabatur tam in Æthiopia, q̃ in Ægypto. Nam Herodotus in Εὐτέρπῃ & Diodorus Siculus testantur clare Æthiopes tenuisse aliquoties regnum Ægypti. Et Eusebius nominatim recẽset hunc Tarrakam Æthiopem inter reges Aegypti. Iam & hoc considerandum est, q̃ quantum conijci potest ex uerbis Rabsacis, quæ scripta sunt iiij. Regum xviij. Ezechias uocauerit initio Tarrakam regem Aethiopiæ & Aegypti, in auxilium aduersus Sanheribum. Dicit enim Rabsaces. An speras in baculo arundineo & confracto Ægypto? Super

Tarraka.

quem si incubuerit homo comminutus ingredietur manum eius et perforabit eam. Sic est Pharao (dicebãtur autem omnes reges Aegypti, Pharaones) omnibus, qui eo cõfidunt. Esaias igitur ostendit hac concione promissionem regis Aethiopici de conferendo auxilio suo in Ezechiam, uanissimam esse, ut abducat Ezechiam & populum suũ, a fiducia externi, ad fiduciam cœlestis & diuini auxilij. Dicit enim rex Aethiopiæ, seu Aegypti: Ite ueloces nuncij ad gentem conuulsam &c. Existimat enim actum esse de regno Iudæ, nisi ipse conferat in eos suum auxilium. Quare iubet nuncios uelocissime proficisci ad Ezechiam & populum eius iam conuulsum & dilaceratum, ac bene sperare. Se enim cum suo exercitu mox affuturũ, & liberaturum ipsos e manibus Sancheribi. Sed uana fuit promissio eius, quia interceptus est a Sancheribo, & repulsus, ut non potuerit Ezechiæ auxilium ferre, quemadmodum scriptum est quarto Reg. decimonono. De hac re cõcionatur Esaias & docet, Auxilia Aegyptiaca disiicienda esse, sicut præcidi solent palmites, & abiici. Dominum autem sine his auxiliis ita conseruaturum populum Iudæ dilaniatum, ut iterum afferant sua sacrificia ad templum in monte Zion, in Hierusalem. hoc est, Regnum Iudæ sub Ezechia instaurandum esse, ut populus frequens in eo habitet, & sequatur uerum cultum Dei in Hierusalem. Quod & impletum est, postquam Sancheribus reuersus est, amisso exercitu exangeli clade, ad suam Niniuen.

CAPVT XIX.

ONVS AEGYPTI. ECCE DOMINVS ASCENDET &c.

Aegyptus e sacra scriptura, & aliis scriptoribus notior est, cuius de qua multa hoc loco dicenda sint. Etsi autem Assyriorũ Monarchia fuit eo tempore, quo Esaias uixit, potentissima, tamen erat etiam illustre & non imbecille regnum in Aegypto, cui tunc dominabantur Aethiopes, quemadmodum supra ex Herodoto ostẽdimus. Instituit igitur Esaias concionem contra regnum Aegypti, ac uaticinatur futurum in eo bellum ciuile & intestinum, quo Aegyptus miserrime affligatur. Addit tamen fore, ut tandem Aegyptijs magna salus contingat. Ecce, inquit, Dominus ascendit super nubem leuẽ, & ingredietur Aegyptũ. hoc est, Ira Domini reuelabitur in Aegypto ex improuiso & præter omnem expectationem. Ideoq; fiet, ut tam religio cuius politica eorum concutiatur. Erit enim bellum intestinum. Aegyptij belligerabuntur aduersus Aegyptios, frater aduersus fratrem, amicus aduersus amicũ, ciuitas aduersus ciuitatẽ, principatus

cipatus aduersus principatum in Aegypto, adeoq; fortitudo animi Aegyptiorum concidet, ac tanta erit calamitas, ut nullus locus cõsilio relinquatur. In tantis malis facient quidẽ multa sacra, instituent publicas supplicationes pro more suæ impietatis, interrogabũt oracula, quærent uaticinia de malorum suorum euentu, sed impia sacra & uana oracula non iuuabunt ipsos. Trãdam enim Aegyptum in potestatem tyrannorum, & tandem etiam hi ab alio fortiori tyrãno opprimentur. Hæc est sententia Domini Zebaoth de Aegypto. Quæramus igitur, quando hoc uaticinium de Aegypto impletum sit. Concionantur aduersus Aegyptum etiam Hier. cap. xlvi. & Ezech. cap. xxix. & xxx. quæ Aegyptiorum uastatio facta est per Nabuchodonosorem, quemadmodum Prophetæ ipsi nominatim indicant. Sed alia fuit calamitas Aegypti, quæ hoc loco ab Esaia describitur, & quæ accidit Aegypto, priusq; Nabuchodonosor regnauit. Quæritur ergo, quando ea acciderit. Alij inepte referunt hanc concionem ad illud tempus, quo Christus fugit crudelitatem Herodis in Aegyptum, & fingunt nescio quas commotiones simulacrorum Aegypti. Alij sentiunt, Assyrios intulisse Aegypto hãc calamitatem, quam Esaias hic describit. Hæc est sententia ueri simillis. Sed commemorabo hic, quæ Herodotus, & Diodorus Siculus testantur in Aegypto circa hæc tempora contigisse. Herodotus scribit Sabacum regem Aethiopiæ, circa tẽpora Sancheribi regis Assyriorum, potitũ esse regno Aegypti: Sed postea Aegyptios iterũ restituisse libertati. Qui postquam assecuti sunt libertatem, elegerunt sibi duodecim reges, hi fuit tyranni: & quanq; initio magna concordia administrabant regnum Aegypti, tamen quo inter se amiciores erant, eo grauius & crudelius dominabantur subditis, ac paulopost etiam inter se ipsos ciuile bellum mouẽt. Inter hos duodecim unus erat, nomine Psammitichus, quem reliqui in exilium eiecerunt, quod metuerent, ne ipse solus rerum in Aegypto potiretur. Sed Psammitichus, redijt auxilio Ionum in Aegyptum, & sublatis reliquis tyrannis, ipse solus regnum accepit. Post hunc Psammitichum dicit Herodotus regnasse filium eius Neco. Hunc Neco fuisse regem Aegypti temporibus Iosiæ regis Iuda, testatur iiij. Reg. cap. xxiij. Post Neco commemorat Herodotus Psammion, & post Psammion, Aprien. Huius Aprijs mentionem facit Hier. capite quadragesimoquarto, & dicit eum tradendũ in manus inimicorum suorum, & in manus eorum, qui quærũt animam eius. Scribit autem Herodotus Aegyptios defeciſſe ab Aprie, & ipsum captum strangulasse. Fertur Apries, (inquit Herodotus) ea fuisse persuasione, ut nullus neq; deorũ neq; hominum posset sibi regnũ adimere: sic uidebatur sibi illud stabilijsse. Et tamen tunc congressus prælio

fugatus est, uiuusque captus, ac postea strangulatus. Hæc idcirco commemorauí, ut intelligas, bellum ciuile, de quo antea diximus, sub Psammitícho rege in Aegypto motũ fuisse, post tempora quidem Sancheribi regis Assyriorum, sed ante deuastationem urbis Hierusalem. In bello autem ciuili hæc fieri solent, quæ Esaias recenset. Concurrere, inquit Dominus, faciam Aegyptios contra Aegyptios. Pugnabit uir contra fratrem suum, & uir contra amícum suum, ciuitas aduersus ciuitatem, regnum aduersus regnum, &c. Et mox. Tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortís dominabitur eorum. Hi crudeles domini, sunt duodecim tyranni, quos Aegyptíj in reges accepta libertate elegerunt. Sed rex fortis est Psammitichus, quis reliquis oppressis solus regnum Aegypti accepit. Eadem fere scribit Diodorus Siculus. Sabacus, inquit, Aethiops regno Aegyptijs tradito, in Aethiopiam redíjt. Duobus annis Aegyptíj absq; rege fuerunt, turbatis omnibus, cum etiam ad ciuilia bella peruentum esset, duodecim loco regis, ex maioribus ducibus præficiuntur, quibus omnis regni cura permissa est. Et mox: Cum annis quindecim simul imperium tenuissent, regnum ad unum redactum est, Psammitichum nomine, qui reliquos tyrannos partim in bello occidit, partim fuga sibi salutem quærere coegit. Et dicit etiam Diodorus quarta generatione post Psammitichum regnasse Aprien, cuius meminit Hieremias. Quæ si conferamus, dubium non erit, quin Esaias uaticinetur hoc loco de seditione & bello intestino, quod fuit paulo ante, & mox in dominatione duodecim tyrannorum in Aegypto. Sed quid est, quod spiritus sanctus iubet Esaiam Iudæis uaticinari de fortuna externi regni Aegyptiaci, quod ad Iudæos nihil attinebat? Quid ad Iudæos, qualis sit rerum uarietas in Aegypto? Quid etiam ad nos hæc concio? Multum per omnem modum. Primum enim spiritus sanctus uoluit populum suum docere, quod non tantum regnum Israelis, sed omnia mundana regna, etiam impiarum gentium, Deo curæ sint, & quod Deus nullam impietatem nec in suo populo, nec in alienis gentibus impunitam relinquat. Quicunque, inquit Paulus, sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabũtur. Hoc idcirco obseruandum est, ut obuiam eatur offendiculo infirmorum in Ecclesia Domini. Deus enim solet seueriter in peccata populi sui animaduertere, & ut Petrus ait, iudicium a domo Dei incipit: interim autem impiæ gentes uidentur in impietatate sua fœlices esse. Offenduntur ergo imbecilles, & sollicitantur existimare melius esse inter gentes, quam in Ecclesia Domini uitam agere. Sic & his temporibus multi offenduntur fœlicitate Turcarum, & infœlicitate nostrorum,

rum, qui a Turcis captiui abducuntur. Sed sciamus Deum non sinere impunitam impietatem & crudelitatem alienarum gentium, etiamsi diu floreant. Quo enim magis sera est internecio earum, eo grauior erit. Deinde Esaias concionatur de infoelicitate regni Ægyptiaci, ut deterreat regem & Principes Iudæ, ne quærant auxilium ab Ægyptijs. Nam in ea concione, quam Esaias postea capite trigesimo, de Ægypto habet, haud obscure significatur, Principes Iudæ quæsiuisse apud Ægyptios auxilia aduersus hostes suos. Et in libro quarto Regum capite decimooctauo, apparet ex oratione Rabsacis, etiam Ezechiam initio nonnihil confisum fuisse ope Ægyptiorum. Concionatur ergo Esaias aduersus Ægyptios, ut pij Principes in Iuda deterreantur, ne confidant auxilio Ægyptiorum, qui cum seipsos seruare non possint, quomodo alios seruabunt? sed ut confidant DOMINO, & recte administrent regnum suum. Licitum quidem est, cum alijs Principibus fœdera iungere, & auxilijs eorum in periculis uti, Sed inire fœdera cum impijs, & auxilijs eorum ita fidere, ut speres te ab hostibus tutum fore, etiamsi domi tuum populum aut opprimas, aut posthabeas. hoc demum est seipsum omni auxilio destituere. Nam quemadmodum is paterfamilias, qui domi suam negligit uocationem, & nullam habet rationem suę familię, foris autem helluatur cum compotoribus, ut beneuolentiam eorum captet, nullos inuenit in periculis amicos, qui ipsum iuuent, ita Princeps qui male administrat suam Rempublicam, coniungit autem se fœderibus cum quibuscuis, ut eorum auxilio in periculis seruetur, pudefiet tandem, & peribit sine auxilio in periculis. Quare maxime curandum est, ut primum omnium tuam domum, tuũ regnum pie administres. Quod si feceris, multos inuenies amicos in periculis. Ac si te homines deseruerint, non tamen deseret te Dominus Deus noster, qui si pro nobis, quis contra nos? Præterea Esaias concionatur de rebus regni Ægyptiaci, ut cum Iudæi uideant uaticinium de Aegypto impleri, sciant etiam implenda ea uaticinia, quæ Esaias & alij Prophetæ, afflatu spiritus sancti dicebant de Messia, de conseruatione populi per Messiam, de regno Messiæ. Hæ non sunt mediocres utilitates, propter quas merito Esaias suscipit concionem de regno Aegypti habendam, præsertim cum in fine concionis uaticinetur fore, ut Euangelion Christi in Aegypto adnuncietur, & Aegyptus præbeat Ecclesię hospitium. Postremo uides hoc loco quis sit finis impiorum sacrorum & uaticiniorum. Interrogabunt, inquit, simulacra sua, diuinos & ariolos suos, uidelicet, de statu regni Aegyptiaci. Hi promittent magnam fœlicitatem. Sed ego, inquit DOMINVS, tradam Aegyptum in manu tyrannorum. Va-

tes pollicentur Ægyptijs prosperam fortunam, & ipsi promittunt sibi propter sua sacra magnam fœlicitatem, Sed ecce non manet eos nisi confusio & infœlicitas. Hic est finis impiorum sacrorum. Quare si cui non libet spe sua pudefieri, ponat sibi ob oculos uerum & certum uerbum DOMINI, resipiscat a malicia sua, & agnoscat Christum, quo si in periculis confisus fuerit, conseruabitur etiam in media morte.

ET ARESCET AQVA DE MARI &c.

Perseuerat Propheta adhuc in exponendis ærumnis, quæ Ægyptijs ex bello intestino & ciuilibus dissensionibus accident. Dicit Mare & fluuium Nilum exiccanda, & piscatores ac reliquos eius generis opifices magno luctu afficiendos. Non est autem intelligendum, quod mare & Nilus, qui se in Mare mediterraneum septem ostijs exonerat, ac reliqua flumina Aegypti ita unquam exiccata fuerint, ut nulla in eis aqua remanserit: Sed quemadmodum alias Prophetæ intelligunt maximam inter homines calamitatem per tenebras Solis & Lunæ ac stellarum, sicut supra capite decimo tertio, & Ezechielis trigesimo secundo, similiter & Ioelis secundo scribitur, ita Esaias per exiccationem maris & fluminum in Aegypto, intelligit apud Aegyptios in ciuili dissentione cessaturam omnem negociationem & piscationem. Aegyptus enim tenetur studio nauigationis & piscationis propter copiam fluminum & uicinitatem maris. Sed in bello intestino hæc omnia iacent. Non fit autem sine diuino consilio, quod siue bellis, siue alijs calamitatibus negociationes & opificia contempta iaceant. Primum enim Deus solet hoc contemptu nugas & imposturas opificum ac negociatorum punire. In publica enim tranquillitate opifices solent merces suas carissime extrudere, addita etiam orationis uanitate, qua mentiuntur eas esse optimas, cum reipsa nonnunquam sint uitiosissimæ. Quæ autem mendacijs & imposturis acquiruntur, ea sunt furta, & maledictioni obnoxia. Quare Deus permittit ut bella & seditiones fiant, quo non solum merces opificum contemptæ iacent, uerumetiam diripiuntur facultates prius partæ, ut quæ male acquisita fuerunt, male pereant. Deinde negociationes fiunt neglectæ hoc Dei consilio, ut admoneat negociatores & opifices de parsimonia. Nam siquando fœlix est opificij successus, nullus solet esse inter prodigos nec modus nec finis helluationis. Deus igitur efficit, ut merces opificum, aut fiant uiles, aut ne requirantur quidem, quo excitet opifices ad parsimoniam, ut discant partis sobrie & parce uti, & queant inopiam sustentare, si quando uel opificij contemptus, uel ægritudo corporis acciderit. Præterea

Negociationum & opificiorum contemptus unde.

rea Deus docet his casibus, quod non in solo pane, hoc est, in opificijs, uiuat homo, sed in omni uerbo, quod egreditur ab ore DOMINI. Etsi enim cessat quæstus opificij, Dei tamen clementia non cessat, si primum omnium quæsieris regnum Dei & iusticiam eius.

STVLTI PRINCIPES TANEOS: EMARCVERVNT PRINCIPES MEMPHEOS, &c.

Postquam Esaias uaticinatus est de calamitate Aegyptiaca, inuehitur nunc in Principes Aegypti, & irridet sapientes eorum, ac insultat eis, quod glorientur quidem de excellenti sua sapientia, præ cunctis Gentibus, non potuerint tamen futuram illam calamitatem prouidere, & consilijs suis succurrere. Fuit autem Aegyptus ualde illustris sapientia & inuentione multarum artium, quæ tamen laus accepta ferenda non est Aegyptijs ipsis, sed sanctis Patriarchis, qui in Aegypto sæpe aduenæ fuerunt, & docuerunt Aegyptios diuinam ac humanam sapientiam. Sed cum posteri desererent diuinam sapientiam a Patriarchis acceptam, & deficerent ad horribilem impietatem, qualis in nulla unquam gente fuit, retinuerunt quidem speciem quandam humanæ sapientiæ, sed quæ coram Deo fuit summa stultitia, nec potuit saluti Aegyptiorum in periculis consulere. Stulti, inquit Esaias, sunt Principes Zoan. Hæc est urbs Aegypti, quam Chaldæus interpres uocat Thanes, cuius etiam mentio fit Num. decimotertio, & Psalmo septuagesimoseptimo, & Ezechielis trigesimo. Tradunt autem fuisse aulam Regum Aegyptiorum in hac urbe. Sapientium consiliariorum Pharaonis (Hoc fuit generale nomen Regum Aegyptiorum. Pharao autem significat Vltorem, aptum admodum cognomen magistratus) consilium infatuatur. Quomodo dicitis ad Pharaonem: Filius sapientum ego, de familia priscorum Regum natus sum? Quid gloriamini de uestra sapientia? quid iactatis eam coram rege & Principibus Aegypti? Vbi, quæso, sunt sapientes tui? Agite, exponant nobis, quid decreuerit DOMINVS Zebaoth de Aegypto. Gloriantur se etiam futura nosse. Nullus tamen eorum est, qui hæc, quæ iam de Aegypto, spiritu Domini, cõmemoraui, prœuidere & adnũciare queat. Quid multis opus est? Principes & sapiẽtes Zoan seu Aegypti sunt stulti & errant. Principes Neph, (quam interpretantur Memphim, & dicitur olim fuisse arx regum Aegypti) seducunt sua sapientia uniuersam Aegyptũ, quæ est angulus, seu robur & decus familiarum suarum. Hoc autẽ inde adeo accidit, q̃ Dñs effundit in eos spiritum uertiginis, ut seducant Aegyptũ in omni negocio suo, & hinc inde moueãtur quemadmo

Aegypti sapientia.

dum ebrius solet circumagi,& euomere quod helluatus est. Nec pes neque caput faciet suum officium. Nullum negocium in Aegypto recte faciet uel caput,uel cauda, uel ramus uel iuncus,hoc est, proceres & summi Principes, qui per caput & ramum intelliguntur,uel infimi & plebei, qui per caudam & iuncum intelliguntur. Hæc est memorabilis concio de uanitate humanæ sapientiæ, quæ idcirco nobis obseruanda est, ut sciamus, quid de humana sapientia sentire debeamus. Nam utendum quidem est humana sapientia,quia donum Dei est, sed non est ea confidendum, nec est ei cedendum aut obsequendum aduersus Deum. Neque enim uere dici potest: Hoc est sapienter cogitatum & decretum, Quare est iustum,& erit fortunatum. Primum enim reipsa comperimus,quod summa sapientia sæpe sit summa iniusticia & impietas. Quid sapientius Philosophis Ethnicorum? Sed hi frustrati sunt, ut Paulus ait,per cogitationes suas,& obtenebratum est insciens cor eorum: Cum crederent se esse sapientes,stulti facti sunt, &c. Quid,quod initio reuelati Euangelij, pauciſsimi sapientes acceperunt doctrinam Christi? Gratias ago tibi Pater,inquit Christus,Domine cœli & terræ,quod abscondens hæc a sapientibus & prudentibus,& reuelaris ea paruulis. Et Paulus: Videtis uocationē uestram,quod non multi sapientes secundum carnem,non multi potentes &c.

Deinde reipsa quoq; comperimus, quod summa sapientia soleat esse infœliciſsima. Cuius rei exempla passim multa extant in historijs. Quid ergo faciendum? Humana sapientia subijcienda est diuinæ,subijcienda est diuino uerbo. Nulla enim est sapientia uel recta uel fœlix,nisi diuinæ sapientiæ seruiat. Lex Domini,inquit,immaculata conuertens animas,testimonium Domini fidele, sapientiam prestans paruulis. Et iterum: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Et Hier. Non glorietur sapiens in sapientia sua,sed in hoc glorietur,qui gloriatur,scire & nosse me, &c.

IN ILLA DIE ERIT AEGYPTVS QVASI MVLIERES &c.

Non proderit, non iuuabit Aegyptios sapientia eorum, sed cum reuelatum fuerit iudicium DOMINI super ipsos,amittent omnem spem salutis suæ. Ac nunc quidem uidentur sibi fortiſsimi uiri: cum autem DOMINVS uisitauerit eos suo supplicio, erunt plane quasi mulieres, quod est in periculis pauidiſsimum genus hominum. Iudicante enim DOMINO, quis consistet? Leo rugiet,inquit Propheta,quis non timebit? Quod autem sequitur: Erit terra Iuda Aegypto in pauorem &c. habet hunc sensum. Ego Esaias cōcionor hoc tēpore in terra Iuda, de uētura calamitate

Aegyptiorum,

Ægyptiorum. Ipsi autem, cum audiunt hæc uaticinia, excipiunt ea sannis & cachinnis, ac dolent uicem eius terræ, quæ tam uanos prophetas sustinere cogatur. Sed longe aliter afficientur, cum hæc euenerint. Tunc enim expallescēt & obstupescent ad nomen seu mentionem terræ Iuda, quod in ea patefactum sit & uulgatum tam horribile consilium Dei aduersus Ægyptum. Alij intelligunt hanc pericopen de miraculo, quo Sancherib diuinitus ex terra Iuda fugatus est. Licebit etiam eam coniungere cum ea concionis parte, quæ de Euangelio Christi in Aegypto prædicando sequitur, ut sit sensus. Futurum, ut Aegyptij exhibituri sese sint, non ut bellatores, sed ut mulieres. Nam quemadmodum hæ non possunt hostibus obsistere, sed necesse habent sese continuo, ut arripiuntur, captiuas tradere, ita postquam Euangelion de Christo adnunciabitur in Aegypto, statim tradent sese Aegyptij captiuos Christo, & admirabuntur ac obstupescent ad tanta miracula, quæ Christus in terra Iuda ædidit. Sed si iudicaueris hanc pericopen magis cum superiori parte concionis coniungendam, prima sententia uidetur aptior esse.

IN DIE ILLA ERVNT QVINQVE CIVITATES IN TERRA AEGYPTI &c.

Hæc est altera pars concionis de Aegypto in qua, postquam Propheta antea exposuit calamitatem uenturam in Aegyptum, exponit nunc fœlicitatē, quæ ei accidet. Dicet enim quispiam: Quid? Num Aegyptus ita affligetur, ut prorsus intereat? an nulla unquam prospera fortuna affulgebit Aegypto? Et quid? Num dissidium, quod est inter nos & Aegyptum, perpetuo duraturum est? Nos sequimur religionem uerbo Domini traditam, Aegyptus autem sequitur religionem longe omnium diuersissimam. Nos adoramus uerum Deum DOMINVM Zebaoth, Aegyptus commenta est & adorat tot fere deos, quot sunt bestiæ. Nos habemus nostra sacrificia & nostros cultus, quales uerbum Domini descripsit, Aegyptus habet cultus prodigiosissimos. Nos expectamus Messiam, Aegyptus plane contemnit Messiam. Breuiter, Omnia nostra & Aegyptiorum siue politica siue Ecclesiastica sunt inter se diuersa, ac etiam pugnantia. Quid ergo? Num hæc diuersitas semper inter nos est duratura? Quod de Aegypto dictum est, potest etiam dici de Assyrijs. Nam Iudæorum & Assyriorum, qui erant Gentes idolatræ, tam politia, quam religio ex diametro inter se pugnabant. Quid igitur dicemus? Num fieri non potest, ut aliquando conueniant, & concilientur? De hac re concionatur nunc Esaias, & docet, quod & si nunc Iudæi, Aegyptij, & Assyrij maxime inter se dissident, tamen futurum sit, suo tempo-

re,ut fiat inter ipsos coniunctio in uera religione. In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Canaan, &c. Et mox: In die illa erit altare Domini in medio Aegypti &c. Hæc quando impleta sint, magna fuit olim controuersia inter Iudæos. Iosephus libro decimotertio capite quarto Antiquita. Iudai. & libro septimo capite trigesimo de bello Iudaico scribit: Oniam Pontificem fugatum a Hierosolymis ędificasse concessione regis Ptolemæi Philometoris templum in Aegypto, ad exemplar templi Hierosolymitani, ac uoluisse uideri se id facere ex uaticinio & autoritate Esaiæ, qui hoc loco scribit, Altare Domini in medio terræ Aegypti ædificandum. Sed hic Pontifex uana sua sapiẽtia deceptus fuit, ideoq; hoc templum post trecentos annos una cum sacris suis periit. Quo exemplo monemur, ut in instituendis sacris, & interpretandis Prophetis non fidamus nostra opinione, sed sequamur ducem spiritum sanctum, & eius interpretationem, quam in scriptura ipsa proposuit. Esaias enim, & si utitur uerbis de externo altari, & Leuiticis sacris in Aegypto instituendis, tamen non intelligit futurum esse, ut externa templi Hierosolymitani sacra in Aegypto instituantur, & Aegyptij agnoscant Leuiticam Iudæorum religionem. sed uaticinatur de temporibus Messię, seu Euangelij de Christo reuelandi, & in Aegypto prædicandi. Quare etiam altare & hostiæ & Minha, & uota, & alia quæ hic commemorantur intelligenda erunt, pro ratione & interpretatione Euangelij de Christo. Erunt, inquit, quinq; ciuitates in terra Aegypti, quæ loquentur lingua Cananaica, & iurabunt per Dominum Zebaoth. Vna ex his uocabitur Ir Heres. Hæ quinque ciuitates sunt metropoles Aegypti, quarum præcipua est Ir Heres, hoc est, ciuitas Solis, quam uocant Heliopolin. Diodorus scribit Thebas in Aegypto dictas fuisse Heliopolin, cuius mœnia centũ quadraginta stadia ambitu suo complexa sint. Addit Thebæos gloriatos esse, se fuisse omnium antiquissimos. Quare ueri simile est Prophetam de hac ciuitate loqui. Per has autem quinque ciuitates præcipuas intelligit uniuersum Aegyptum, propterea quod quicquid est paruorum oppidorum, pagorum & uicorum, ad suas metropoles referantur. Ac dicit has urbes locuturas lingua Cananaica & iuraturas per DOMINVM. Quo significat Aegyptum accepturum Euangelion de Christo & agniturum Christum. Euangelion enim Christi initio reuelatum & prædicatum est in populo Israel, qui habitauit in terra Canaan. Et ex ea terra uulgatum est in totum orbem terræ. In lege quoque præceptum fuit, Ne quis iuret per nomen externorum deorum, sed per nomen DOMINI Zebaoth. Quare Gẽtes, quæ acceperunt Euangelion, & agnouerunt Iesum Christũ

uerum

uerum Dñm ac Deum noſtrum, dicuntur loqui lingua Cananaica, & iurare per Dominum Zebaoth. Vnde etiam nos in Germania loquimur nunc lingua Cananaica, & iuramus per Dominum Zebaoth, propterea quod non ſolum lingua Hebraica, cuius uſus fuit Iſraelitis in Canaan, publice docetur, ſed maxime omnium, quod Euangelion de Chriſto diuina clementia ſyncere apud nos prædicatur, & agnoſcimus Chriſtum uerum Deum & ſeruatorem noſtrum. Et ſequitur: Erit altare in medio terræ Aegypti &c. Hæc omnia, quæ de altari, de titulo ſeu ſtatua, de ſacrificijs & uotis hic dicuntur, non ſunt intelligenda Leuitice, ſicut ante diximus, ſed Euangelice. Cum enim Propheta loquatur de Euangelio Chriſti prædicando in Aegypto, ſignificat his Leuiticis uerbis ea ſacra quæ Euangelio Chriſti docentur. Altare & ſacrificium noſtrum eſt Chriſtus ipſe, qui ſeipſum pro peccatis noſtris Deo obtulit. Sacra noſtra ſunt fides in Chriſtum, Inuocatio Dei per Chriſtum, Prædicatio Euangelij de Chriſto, Mortificatio carnis, Obediẽtia erga Deum, Caritas proximi, & quæ ſunt id genus alia. Quod uero additur: Percutiet Dominus Aegyptum plaga & ſanabit eam, & reuertentur ad Dominum, ſignificat Dominum ſe exhibiturum ut Patrem in omnibus afflictionibus erga Aegyptios credituros in Chriſtum. Pater non percutit filium, ut occidat, ſed ut caſtiget & meliorem eum reddat. Sic poſtquam Aegyptij crediderint in Chriſtum, afficietur Deus paterno animo erga ipſos in omnibus aduerſis, etiamſi immiſerit in eos afflictiones, tamen non ſic puniet, quemadmodum impij puniuntur, qui in ſua pœna pereunt, ſed ita puniet, ut ſeruet eos. Porro, Euãgelion Chriſti non prædicabitur tantum in Aegypto, ſed etiam in Aſsyria, inter omnes gentes. Erit uia de Aegypto in Aſsyrios, &c. Et mox: Iſrael erit tertius Aegyptio & Aſsyrio. hoc eſt, Etſi his temporibus Iſraelitæ, Aegyptij, & Aſsyrij diſsident inter ſe regionibus, moribus, animis, & religione, tamen poſtquam reuelatum fuerit Euangelion de Chriſto, una erit Religio Iſraelitarum, Aegyptiorum & Aſsyriorum. Et ex his gentibus una erit Eccleſia Chriſti. Dicet DOMINVS, Benedictus populus meus Aegypti. Benedictus Aſſur, opus manuum mearum. Benedictus Iſrael, hæreditas mea. hoc eſt, Aegyptij, Aſsyrij, & Iſraelitæ agnoſcent Ieſum Chriſtum uerum ſemen Abrahæ, quo promiſi benedictionem. Quare ego uiciſsim agnoſcam omnes has Gentes pro meo populo, & effundam in eas omnem meam benedictionem propter Ieſum Chriſtum filium meum. Sed agite dum, audiamus in quem uſum Eſaias hæc ſuo populo concionetur. Quid enim profuit his Iudæis, qui fuerunt tempore Eſaiæ, q, audiuerint Euangelion Chriſti in Aegypto prædicandum, quod

Leuitica ſacra Euangelice intelligenda.

post octingentos demum annos futurum erat? Sed necessaria fuit concio his, qui erant in regno Iuda, ad confirmandam fidem de regno Messiæ, ut per eam iustificarentur, & seruarentur. Nam regnum Israelis abolebatur eo tempore, quo Esaias concionatus est, ab Assyrijs, & Israelitæ abducebantur captiui in terram hostium suorum. Regnum autem Iuda diripiebatur a Sanheribo & finitimis populis. Adhæc Prophetæ uaticinabantur fore, ut deuastaretur a Babylonijs. In his tantis regnorum mutationibus & ruinis pij sollicitabãtur dubitare de promisso Messia, ac regno eius. Si enim nec Samaria, nec Hierusalem constant, ubi erit sedes Messiæ? Si Iudæi abducuntur captiui, quomodo ea familia, e qua uenturus est Messias, seruabitur inter hostes? Quare Esaias instituit hanc concionem de regno Messiæ non solum inter Iudæos instaurando, uerumetiam ad Aegyptios & Assyrios dilatando, ut consoletur auditores suos, in tantis ærumnis, & conseruet eos in fide Messiæ seu Christi, quo & iusticiam & uitam æternam per fidem in Messiam consequantur, quasi dicat, Iubeo uos bono animo esse. Etsi enim multæ & magnæ sunt calamitates, tamen non peribit populus Domini, non peribit in tantis aduersis salus nostra. Futurum est enim, ut regnum Messiæ nostri etiam ad Aegyptios & Assyrios dilatetur, & hi in uera religione nobiscum consentiant. Etsi autem auditores Esaiæ non peruenerunt ætate sua ad tempus diuulgationis Euangelij de Christo, tñ consecuti sunt iusticiam & uitam ex fide in Christum uenturum, sicut nos in ipso, qui iam uenit, consequimur salutem. Vnde Petrus ait Acto. xv. Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; Patres nostri neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & ILLI. Nobis aũt prodest istas propheticas conciones de Christo et regno eius legere, & diligenter obseruare, ut cognoscamus Christũ nõ ex improuiso aduenisse, sed longe ante promissum & adnunciatũ, & ut sciamus hunc Iesum, quem agnoscimus, esse uerum Christũ, cum perspicuum sit, quod in hunc solum & non in alium propheticæ promissiones conueniant. Præterea Esaias haud obscure docet in hac concione Christum esse uerum Deum Iehoua Zebaoth. Manifestum enim est, quod uaticinetur hic Aegyptios accepturos Euangelion, & cognituros Christum per fidem. Dicit autem eos cognituros DOMINVM Zebaoth. Cognoscetur, inquit, Dominus ab Aegyptijs, & cognoscent Aegyptij Dominum, & colẽt eum hostijs ac sacrificijs. Vocat igitur Christum, uerum Deum DOMINVM Zebaoth. Ac profecto Ecclesiasticæ historiæ testantur Aegyptum diuinitatem Christi maxime omniũ fide, doctrina, professione

fessione & martyrio asseruisse. Etsi enim Arrius initio sparsit Alexandriæ, quæ est urbs Ægypti, impium suum dogma, quo negauit æternam Christi diuinitatem, tamen Athanasius Episcopus Alexandriæ uicissim optimam nauauit operam in asserenda diuina natura Christi. Et Ægyptus tanto studio Christum coluit, ut diceretur pietatis stadium. Deinde Esaias docet in hac concione, quam efficax sit Inuocatio nominis Dei per Christum. Clamabunt, inquit, ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem. Hoc plane illud est, quod Christus Ioannis decimoquarto ait: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater per filium. Adhæc docet Esaias fidem in Christum non esse ociosam, sed proferre suos fructus & sua sacra, non illa Leuitica, ut supra ostendimus, sed Euangelica, hoc est, Inuocationem Dei, mortificationem carnis, dilectionem proximi, &c. Memorabile est & illud in hac cõcione, quod Esaias dicit de afflictione Ægyptiorum. Percutiet, inquiens, DOMINVS Ægyptum plaga, & sanabit eam &c. Docet magnum esse discrimen inter afflictiones, quæ accidunt impijs, & inter eas, quæ accidunt Ecclesiæ. Nam impij ita percutiuntur, ut pereant. Ecclesia autem Domini ita percutitur & affligitur, ut seruetur. Venite (inquit Oseas capite sexto) & reuertemur ad Dominum, quia ipse lacerauit & sanabit nos, percussit & medebitur nobis. In Ecclesia afflictiones sunt uirga paterna. Extra Ecclesiam, afflictiones sunt gladius carnificis. Curemus igitur ut simus membra Ecclesiæ, quo omnes afflictiones sint nobis adiumento in bonum. Sed nec hoc prætereundum est, quod in hac concione æquentur Israelitæ, Ægyptij & Assyrij. Benedictus, inquit, populus meus Ægypti, benedictus Assur, opus manuum mearum, & benedictus Israel hæreditas mea. Hoc illud est quod Paulus dicit, Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti Iudæo primum, simul & Græco. Et iterum: Quicunq; baptisati estis, CHRISTVM induistis. Non est Iudæus, neq; Græcus &c.

CAPVT XX.

IN ANNO QVO INGRESSVS EST THARTAN IN AZOTVM &c.

Alia concio de deuastatione Ægypti & Æthiopiæ, quæ sub Ægypto est. Porro Sargon regem Assyriorum, cuius in titulo huius concionis mentio fit, putant esse Sanheribum, accepta fortassis coniectura ex quarto Regum decimooctauo, ubi scriptura

meminit cuiusdam Thartan, quem Sancherib rex Assyriorum misit Legatum ad regem Ezechiam. Sed ut incertum est Sancheribum dictum fuisse Sargon, ita incertum est eundem esse Thartan, de quo in quarto libro Regum, & in hoc uigesimo capite Esaię scribitur. Potest enim esse non proprium nomen, sed officij nomen in aula regis Assyriaci. Quare hanc rem in medio relinquemus. Azotus uero urbs a Thartā duce exercitus Assyriaci expugnata, una est e quinq; præcipuis urbibus Palestinis, alias Asdod dicta. Herodotus scribit in Εὐτέρπῃ, Psammitichum regem Aegypti, cuius etiam supra fecimus mentionem, obsediſſe & oppugnasse magnā Syriæ urbem undetriginta annis, donec eam expugnauit. Hæc est (inquit) Azotus, quæ diutissimam inter omnes urbes, quas quidem nos nouimus, sustinuit obsidionem. Itaq; Azotus facta est ditionis Aegyptiacæ. Sed ex titulo huius concionis perspicuum est, quod Assyrij hanc urbem ab Aegyptiorum potestate abstulerint, & in suam ditionem redegerint. Quo igitur anno Assyrij hanc urbem expugnauerunt, & ab Aegyptiorum manu extorserunt, habuit Esaias hanc concionem contra Aegyptum, & Aethiopiam, quæ duo regna antea quidem unum erant, nunc autem & si iterum diuisa erant, tamē fuerunt fœderibus coniuncta, & existimauerunt satis sibi uirium esse, ad obsistendum etiam potentissimis Monarchis. Sed ut ad rem ipsam accedamus, priusquam Esaias habet hanc concionem, iubet eum Dominus soluere ac deponere saccum, hoc est, exteriorem tunicam, qua indutus erat, & incedere nudum ac discalceatum. Alij interpretes existimant uisionem fuisse, alij rem gestam. Et habet utraq; pars probabiles rationes, quas non est opus nunc commemorare. Ego horum sententiæ accedo, qui putant esse rem gestam. Non enim sentiendum est, Esaiam sic omnino nudum incessisse, ut prorsus nullo uestimentorum genere tectus fuerit, sed quod tantum exteriori tunica, & calceis exutus incesserit. Et quanquam etiam sic incedere uideatur uiro Principi & publico officio fungenti, qualis fuit Esaias, inhonestum, tamen quod DOMINVS iubet, non est inhonestum reputandum. Verbum Domini etiam inhonesta facit honesta. In Aegypto accipiebant Israelitæ mutuo uasa aurea & argentea ab Aegyptijs, quæ secum abstulerunt. Quid autem inhonestius, quam fraudare proximum re mutuaticia? Sed quia Dominus iusserat Israelitas hoc facere, fit honestum. Inhonestum est occidere hominem. Sed quia Deus iubet magistratum occidere latronem, honestissimum est officium. Quare metiamur uere honestum, non humana et uulgari opinione, sed diuino uerbo. Nec sentiendum est, quod Esaias tribus annis, ut nonnulli existimant, sic nudus & discalceatus incesserit, Sed quod

hoc

hoc eo tantum tempore fecerit, quo habiturus erat hanc concionẽ. Obsecro igitur te, quid sibi uult nudus ille & discalceatus Prophetæ incessus? Hoc scriptura ipsa interpretatur. Vaticinium enim de deuastatione Ægypti & Æthiopiæ memorabile est, & dignum quod alta mente reponatur. Quod autem simpliciter & nudis uerbis commemoratur, non solet tam alte memoriæ infigi, quam si externis notis insigniatur. Vnde & Christus uoluit suo Euangelio externa Sacramenta adijcere, ut altius in animos penetraret. Iussit igitur Deus Prophetam nudum & discalceatum ad habendam hanc concionem incedere, & sic coram adstare, ut auditores hoc inusitato spectaculo excitarentur ad aures diligentius arrigendas, & animum intentius aduertendum. Quod ambulat (inquit Deus) aut coram adstat seruus meus Esaias nudus & discalceatus, hoc significat & portendit, quod rex Assyriorum, post tres annos, uel tribus annis (utrumque enim intelligi potest, & quia res gesta non est nobis satis cognita, definire non possumus, utrum certo sequendum sit) uastaturus sit Ægyptum & Aethiopiam. Et abducet tam iuuenes quam senes Aegypti & Aethiopiæ captiuos in exilium, ita nudos & discalceatos, ut ne uerecundiores quidem partes corporis tegantur. Hæc quando impleta sint, scriptura, quod ego sciam, non tradit, nisi tunc impleta sentias, cum Sancherib obuiam processit Tarraka regi Aethiopiæ, ad propulsandam incursionem eius, de qua re scriptum est quarto Regum decimonono: aut eo tempore, quo rex Babylonis, qui & Assyrijs dominabatur, magnam partem regni Aegypti in suam ditionem redegit, sicut testatur liber quartus Regum capite uigesimoquarto. Si hæc sententia placet, tunc id quod supra de tribus annis dicitur, non erit intelligendum, deuastationem Aegypti & Aethiopiæ fore post tres annos huius concionis, sed deuastationem illam, si quando futura sit, tribus annis duraturam. Sed hæc utcunque se habent, certum est, cum spiritus sanctus non possit esse mendax, hanc propheciam suo tempore impletam esse. Sed in quem usum instituitur hæc concio de exilio Aegyptiorum & Aethiopum? Vsum huius concionis docet scriptura ipsa. Sequitur enim: Timebunt & confundẽtur ab Aethiopia spe sua, & ab Aegypto, gloriatione sua. hoc est, Hi qui fiduciam suam collocauerunt in uiribus Aegypti, & gloriati sunt de auxilijs Aethiopum, pudefient. Dicent enim. Hæccine est spes nostra? Si nostri defensores seipsos non possunt defendere & seruare, quomodo nos seruabunt? Possunt & hæc intelligi, uel de mutuis fœderibus, quæ inter se habuerunt Aegyptij & Aethiopes, uel de fiducia, quam habuerunt Iudæi in auxilia Aegyptiorum, uel de fiducia quam habuerunt finitimę insulę in Aegyptum

& Æthiopiam. Quod utcunque sit, certe hæc concio instituta est contra fiduciam humanarum uirium. Maledictus, inquit Propheta alias, qui confidit homine, & ponit carnem brachium suum. Et iterum: Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Non hoc uult spiritus sanctus, ut non utamur humano auxilio, si adsit, sed ut eo auxilio non fidamus. Tunc autem fidimus humano auxilio, cum uel utimur eo diserte per uerbum Domini prohibito, Sicut Ahaz utebatur auxilio externo, Esaiæ septimo. Vel abutimur eo ad peccandum: sicut hoc tempore hostes persequuntur Euangelion Christi fiducia suarum uirium. Ac uulgaris est hominum morbus, quod uel affectent in hoc seculo maiestatem regiam, uel coniungant se cum potentioribus, & existiment se satis tutos ab omni periculo, si fuerint muniti humano auxilio, non requirentes interim diuinum & cœleste auxilium. Sed huic morbo opponenda est hæc concio Esaiæ, in qua docetur, etiam potentissima regna ruere, nec posse in iudicio Dei uel se uel alios ipsis confidentes seruare. Quare non hoc præcipue agamus, ut simus tuti humano, sed diuino auxilio. Qui enim habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commoratur, is liberabitur de laqueo uenantium, & a uerbo aspero. Proponit autem spiritus sanctus ruinas potentissimorum regnorum, ut exempla habeamus, quibus admoneamur de impotentioribus & humilioribus rebus, ne his fidamus, sed petamus auxilium a Deo. Deinde uoluit etiam Dominus hac prophetia confirmare & ornare autoritatem Esaiæ, ut si euentus responderet huic uaticinio, adhiberetur ei fides etiam in his, quę de Christo & regno eius uaticinabatur. Nam singulare est, quod in hac concione definit certum tempus deuastationis Ægyptiacæ. Cognosci quidem potest generaliter ex uerbo Domini, impios perituros, Sed perditionis circumstantiæ, uidelicet, tempus, modus, minister, & aliæ circumstantiæ soli Deo cognitæ sunt, & cui Deus reuelauerit. Sic pij, qui fuerunt tempore Hieremiæ, potuerunt cognoscere ex diuinis promissionibus, quod & si Hierusalem deuastatur, & populus captiuus abducitur, tamen Deus sit ipsos e captiuitate liberaturus. Sed quot futuri sint anni captiuitatis, & quoto captiuitatis anno liberandi sint, soli Deo cognitum erat, qui reuelauerat Hieremiæ, uidelicet post septuaginta annos. Quare alia est omniũ piorum, quos & ipsos oportet Prophetas esse, alia certorum Prophetarum ratio, quod illis cognitus est euentus impiorum ex uerbo Domini generaliter, his autem cognitæ sunt ex speciali Dei reuelatione, etiam circumstantiæ euentus.

Fidere humano auxilio.

CAPVT

CAPVT XXI.

ONVS DESERTI MARIS &c.

Recte monet Hieronymus, hunc titulum alioqui obscurum, ex ipsa, quæ sequitur, concione interpretandum esse. Nam uocantur in ea Persæ & Medi, ut deijciant potentiam deserti maris. Manifestum autem est hos expugnasse Babylonem. Et in fine concionis diserte dicitur: Cecidit, cecidit Babylon. Quare per desertum maris intelligenda est ciuitas & Monarchia Babylonis. Cæterum, cur Babylon sic dicatur, alij aliam afferunt rationem. Ego puto per mare intelligendum Euphratem, qui mediam urbem Babylonis interfluit: per desertum autem desiccationem. Babylon enim capta est a Persis & Medis exiccato alueo Euphratis, sicut testantur etiam Ethnici scriptores. Aut uocatur Babylon desertum maris, quod in uastatione Babylonis facta sit solitudo circa eam partem Euphratis, in qua Babylon sita est. Vnde Hieremias capite quinquagesimoprimo dicit de Babylone: Desertum faciam mare eius, & siccabo uenam eius. Et mox: Factæ sunt ciuitates eius in stuporem, terra inhabitabilis & deserta terra, in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis. Sed de titulo & cognomine Babylonis hactenus. Nunc percurramus concionem ipsam. Indicata est mihi, inquit Esaias, grauis & dura prophetia, perinde ac si turbo ab Aphrico, ex horribili deserto ueniret. Audio miserabilem eiulatum eorum, qui fugiunt a facie hostis, & uociferantur. Fugite quæso, fugite quotquot auditis. En præuaricator præuaricator, uastator uastator, hoc est, crudelis & impius hostis uenit. Audis ne? Crudelis & impius hostis uenit, fugite. Prædo, prædo inquam, uenit, fugite. Quemadmodum si Turca aut Hispanus incurreret in fines nostros, & fugientes clamarent, Capessite fugam uicini. En Turca, Turca inquam adest. Hispanus, Hispanus uenit. Vnde & sequitur: Ascende Elam, hoc est, Persa: obside Mede. Persæ enim & Medi ceperunt Babylonē, et effecerunt, ne Babylonij amplius in cursionibus, direptionibus, tyrannide & crudelitate sua inter tot Gentes gemitum & eiulatum excitarent. Cum enim Cyrus & Darius caperent Babylonem, ciues & incolæ eius subito dolore ita consternati sunt, ut prorsus obstupescerent, & angustia possideret eos, sicut angustia parturientis. Idem dicit Hierem. capite quinquagesimoprimo: Audiuit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius. Angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. Quod autem in Esaiæ uulgato textu sequitur: Tenebræ

obstupefecerũt me. Babylon dilecta mea posita est mihi in miracu lum, hoc Hebræus textus sic habet: Noctem desiderij mei posuit mihi in terrorem. hoc est. Nox quæ post diurnos labores ad capiendam quietem optabilis est, facta est Babylonijs horribilis & execrabilis. Babylon enim noctu capta est, cum rex & ciues agerent diem festum, & helluarentur, quemadmodum Herodotus scribit, Et significat Daniel capite quinto. Huc etiam facit quod in Esaia sequitur: Pone mensam, Considera candelabrum, Comede, Bibe. Surgite Principes, arripite clypeum. Babylonij enim celebrabant nocturnum conuiuium, & dabant operam choreis, & alijs oblectationibus. Sed in media lætitia, clamatur: Ad arma. Hostes enim cepisse iam urbem. Quod autem additur, Sic dixit mihi Dominus: Vade & pone speculatorem &c. habet hanc sententiam. Domini & Principes Babylonis constituent quidem multos speculatores, qui diligenter considerent & adnuncient aduentum hostium. Ac hi suo quidem fungentur officio, significabunt se uidere par equitum, quorum alter uehatur asino, alter camelo, hoc est, duos exercitus coniunctos Persarum & Medorum. Ac uociferabuntur horribiliter sicut leones, ut ciues & incolæ caueant. Dicent, se noctu diuq; uigilare, nec posse aliud uidere, quam quod in tanta ciuium securitate uel tandem futurum sit, ut hostes in ciuitatem incurrant, & eam capiant. Sed omnis admonitio speculatorum fuit uana. Incolæ securissime helluabuntur, & contemnent hostem. Nec prius adhibebunt fidem speculatoribus, quam hostes ingressi fuerint urbem, & exclametur: Cecidit, cecidit Babylon. Ceciderunt etiam omnia sacra eorum. Sic & Hieremias, qui cõcionem Esaiæ de Babylone, quasi paraphrastic̄s exposuit: Subito, inquit, cecidit Babylon, & contrita est. Et iterum: Currens obuiam curenti ueniet, & nuncius obuiam nuncianti, ut annuncient regi Babylonis, quia capta est ciuitas eius a summõ usque ad summum, &c. In fine huius concionis addit Esaias: Tritura mea & fili areæ meæ, quæ audiui a DOMINO Zebaoth Deo Israel annunciaui uobis. His uerbis significat, quod ea quæ de deuastatione Babylonis prædixit, non excogitauerit sua ratione, nec commentus sit e suo corde, sed acceperit ea a DOMINO Deo nostro, ideoque sint certissima & firmissima. Vocat autem Babylonem Trituram suam, & filium areæ suæ, hoc est, frumentum quod in area excutitur, quia quemadmodum fruges triturantur & excutiuntur in area, ita Esaias iussus est diuinitus ut adnunciet Babylonem triturãdam & concutiendam a Persis & Medis. Sic & Hiere. capite quinquagesimo primo ait, Hæc dicit DOMINVS Deus Israel. Fi

lia

lia Babylonis quasi area, tempus triturae eius. Adhuc modicum & ueniet tempus messionis eius, &c. Etsi autem Esaias ætatem suam egit ducentis pene annis, priusquam Babylō uastaretur, tamen plures habuit conciones contra Babylonem, quam ullus alius Propheta. Extant enim conciones aduersus Babylonem, hoc loco, & supra capite decimotertio, & decimoquarto. Et infra, multis capitibus. Obsecro igitur te, quid profuit auditoribus Esaiæ, quod tam longe ante prædiceretur de urbis Babylonis uastatione, cum nullus eorum potuerit ætate sua ad hoc tempus peruenire? Multum per omnem modum profuit, non solum ipsis, uerumetiam posteris eorum, ac uniuersæ Ecclesiæ Dei. Postquam enim rex Ezechias ostendisset Legatis Babylonijs omnem aulæ suę thesaurum, quemadmodum scriptum est quarto Regum uigesimo, Esaias cœpit uaticinari Babylonios uastaturos urbem Hierusalem. Audi, inquiens ad Ezechiam, sermonem DOMINI. Ecce dies uenient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quicquam, ait DOMINVS. Sed & de filijs tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Cum hoc uaticinio consentiebant etiam alij Prophetæ, σύγχρονοι Esaię, fore uidelicet, ut regnum Iudæ, & urbs Hierusalem deuastarentur a Babylonijs. Magno igitur metu concutiebantur pij, & sollicitabantur de salute sua desperare, quippe quod cum audirent Prophetas de excidio regni Iudæ consentire, incipe-rent dubitare de aduentu Christi. Sciebant enim Christum nascendum ex familia Dauid, & regnaturum in throno Dauidis. Audiebant etiam eum proditurum ex urbe Bethlehem. Quare, cum Prophetę concionarētur fore, ut familia Dauid abduceretur captiua, et urbs Hierusalē, in qua erat thronus Dauidis, deleretur, cogitabant pij actū esse de Messia seu Christo, & de promissa in eo salute. Nō hoc prȩcipue curabant, ut salui essent lapides & ligna urbis Hierusalem, sed ut saluę essent promissiones de Christo. Nam hoc est discrimen piorum & impiorum, cp hi tm̄ terrena curāt, & si quam uidentur habere rationem Dei, & Christi eius, hoc faciunt tantum uentris sui gratia. Quod si non affulget aliqua spes terrenæ fœlicitatis, sinunt Deum & Christum eius ualere: illi autem, & si curant etiam ipsi terrena, & cupiunt urbem Hierusalem saluam, hoc tamen faciunt ad hunc finem, ut compleantur promissiones de Christo, & patefiat gloria Christi. Hunc finem proponere sibi debent omnes in omnibus actionibus, curis, & laboribus suis. Quid enim prodest terrena fœlicitas, si non habueris Christum?

Et quid obest terrena infœlicitas, si Christum habueris? Cum igi-
tur in uaticinio de excidio urbis Hierusalem, pij Iudæi solliciti es-
sent de aduentu Christi, & salute in ipso promissa, consolatur eos
Esaias, & prophetat Babylonẽ destruendam, ac Iudęos ad patriã re
dituros, ut nõ tam urbs Hierusalẽ & templum instaurarentur, quã
ut Christus suo tempore in Iudęa nasceretur, & æternam salutẽ af-
ferret. Hæc concio multum profuit pijs auditoribus. Primum, ut
in fide Christi conseruarentur & confirmarentur. Sic enim conse-
quebantur iusticiam coram Deo, & perpetuam salutem. Deinde
congratulabantur posteritati, quæ & si magnis ærumnis obijcien-
da erat, tamen reditura esset ad patriam, & seruatura promissiones
de Christo, ut & ipsa, si in Christum crederet, perpetuo salua fie-
ret. Quod uero ad nos attinet, sciamus hoc exemplo, unam esse sa-
lutem nostram, ut in Christum seruatorem nostrum uere creda-
mus, & DOMINO Deo nostro semper curæ esse, ut pia doctri
na de Christo conseruetur, & Ecclesia Christi, etiamsi affligatur, ta
men suas habeat sedes, & hospitia in terris, donec Christus in ma-
iestate sua reueletur. Deinde uides in hac concione, quod Esaias re
prehendat securitatem Babyloniorum, & dicat fore, ut ex improui-
so ab hostibus capiantur & trucidentur: Comede, inquiens, Bibe,
sed mox audiunt: Surgite, arripite clypeum: Hostes ingressi sunt
urbem. Quod postquam Babylonij audierunt, repentino dolore i-
ta correpti sunt, ut prorsus obstupescerent. Hoc est ingenium, hi
sunt mores impiorum. Ante pericula sunt securi & feroces, nec au-
diunt monitorem. In periculis autem desperant, & non audiunt cõ-
solatorem. Quid ergo faciendum? Audi Ecclesiasticum capite un-
decimo: In die bonorum ne sis immemor malorum, & in die malo-
rum, ne sis immemor bonorũ. Rebus enim fœlicibus debemus am-
bulare in timore Domini, ne nos mala ex improuiso opprimant.
Rebus autem infœlicibus debemus bene de clementia diuina spe-
rare & confidere, ut contingant nobis bona. Postremo, quod addi-
tur: Cecidit, cecidit Babylon, admonet nos de casu clarissimæ & po
tentissimæ urbis, qui casus sæpe ac multum nobis in scriptura pro-
ponitur. Docet autem, Nullum regnum terrenum esse diutur-
num, nullam impietatem, crudelitatem & arrogantiam esse diu fœ
licem. His enim uitijs Babylonem laborasse, notum est, & alias ex-
posuimus. Non est igitur confidendum bonis terræ. Et assuefacia
mus nos ad ueram pietatem ac humilitatem, ut iuxta dictum Chri-
sti exaltemur.

CONCIO ADVERSVS DVMAM.

ONVS DVMA. AD ME CLAMAT &c.

Omnes

Omnes fere interpretes, quos inspexi, queruntur de obscuritate huius concionis aduersus Dumam. Obscuritatem autem affert partim breuitas eius: partim, quod idiotismi Hebræi non sunt nobis tam noti, quam si Hebræa lingua nobis esset uernacula: partim quod alias non extãt res gestæ de Duma, ex quibus posset aliquod lumen huic obscuritati inferri. Ac initiõ dubitant de Duma, quæ sit. In Gen. cap. uigesimoquinto, recensetur Duma inter filios Ismaelis, quem Dumam uerisimile est suæ regioni circa Arabiam nomen dedisse. In Iosua capite decimoquinto commemoratur Duma ciuitas inter urbes sortis Iudæ. Alij sentiunt Dumam fuisse urbem in Idumęa, a reliquis Idumęis uastatam. Alij existimant ipsam Idumæam sic dictam. Vnde & ea æditio, quæ circunfertur septuaginta interpretum nomine, habet ὅραμα τῆς ἰδουμαίας. Ac hi quidem, qui sentiunt Idumæam dictam hoc loco Dumam, non omnino nihil dicunt, quod alij Prophetæ, Amos, Abdias, Hieremias & Ezechiel nominatim concionentur aduersus Idumæos. Esaias autem, & si inuehitur in alias finitimas gentes, hostes Israelis, tamen nusquam alias meminit Ædomitarum seu Idumæorum. Verisimile igitur esse posset, quòd hoc loco de Idumæis concionaretur. Sed quia in ea concione, quę mox de uastatione Arabiæ sequitur, fit mentio Thema & Cedar, qui fuerunt filij Ismaelis, inter filios autem Ismaelis numeratur etiam Duma, sentiendum esse uidetur, quod hęc concio instituta sit non contra posteros Esau seu Ædom, qui dicti sunt Idumæi, sed contra posteros Ismaelis, qui dicti sunt Dumæi, & habitarunt in Arabia, ac oppressi sunt ab Idumæis. Sic enim dicit Esaias: Ad me clamatur ex Seir. Esau uocatus est Seir, hoc est, pilosus. Et regio, in qua Ædomitæ habitarunt, dicta est Seir Gen. trigesimosecundo, & Deuteronomij secundo. Sententia igitur Prophetæ hæc est, Ædomitæ hostes Dumęorum clamant ad custodes seu uigiles suos: Heus tu uigil, Quid de nocte, quid de nocte? hoc est, quantum adhuc superest de nocte? quota est hora noctis, ut cognoscamus, num tempus sufficiat nobis ad scrutandos & furandos seu diripiendos thesauros Dumæorum. Vigil autem respondet. Venit quidem mane, & tamen adhuc nox est. Adhuc satis opportunum tempus habetis ad inuadendam Dumam, & ad diripiendos thesauros eius, etiamsi nox abierit, & dies illuxerit. Duma enim diuinitus tradita est ad direptionem hostium. Quare si uolueritis scrutari & perquirere thesauros eius, agitedum, perquirite diligenter, & cum partem eius abstuleritis, licebit reuerti, ut & reliqua auferatis. Non enim erit, qui uos impediat. Breuiter, Propheta hoc uult dicere: Duma capietur & diripietur ab hostibus Idumæis, ex

Duma.

improuiso,& nullo impediente,sicut fures noctu furantur,& eum acredeunt,nullo obsistēte. Quod autem fuerit peccatum Dumęorum,propter quod traditi fuerint diuinitus hostibus diripiendi, scriptura hoc loco non exponit. Manifestum quidem est ex Psalmo cxxxvi.Ezechiele & Abdia,quid peccauerint Idumæi,uidelicet,quod fuerint sempiternus hostis populi Dei,quem populum ab alijs afflictum,ipsi grauius afflixerunt. Sed quod fuerit peccatum Dumæorum,non est sacris literis,quod ego sciam,perspicue mandatum.Et tamen facile intelligi potest,idem fuisse eorum peccatum,quod aliarum Gentium,quæ fuerunt populo Dei finitimæ,uidelicet,impietatem,idolatrian,odium & crudelitatem in Ecclesiam DOMINI. Primum enim,commemorantur ab Esaia in catalogo earum Gentium,quæ fuerunt hostes Israelitarum. Deinde,ducunt genus suum ab Ismaele,& fuerunt pars Gentis Ismaeliticæ. Hæc autem Gens retinuit,quasi hæreditate quadam,odium, aduersus Israelitas,quo Patriarcha eorum Ismael persecutus est Isaacum fratrem suum,quemadmodum scriptum est Genesis uigesimoprimo, & Galat. quarto. De quo odio in sequenti concione dicetur.Habes igitur aliud exemplum in Dumæis,quod hostes Ecclesiæ Dei,& si aliquandiu fœlicés uidentur,tamē destinati sunt diuinitus internecioni.

CONCIO DE VASTATIONE ARABIAE.

ONVS IN ARABIA. IN SALTV &c.

Hæc concio instituta est aduersus aliam gentem Ismaelitarum, qui habitarunt in Arabia. Dicit enim Propheta in fine concionis: Auferetur omnis gloria Cedar. Fuit autem Cedar unus e filijs Ismael Gen. uigesimoquinto,a quo pars Arabiæ dicta est Cedar, cuius sæpe fit mentio in scriptura, Esa. quadragesimosecundo & sexagesimo.Hier.quadragesimonono,& alias. Quare dubium nō est,quin hæc concio instituta sit de calamitate uentura in eam partem gentis Ismaeliticæ,quæ dicta fuit Cedar. Vos Cedareni,inquit Propheta,non dormietis diu in uestris tabernaculis,sed pernoctabitis in uasta illa sylua & eremo,quæ est in Arabia,& qua itur ad Dedanim.Hæc siue urbs siue gens est,sic dicta a Dedan nepote Cusch,Gen.x.Hieronymus scribit Dedanim esse iuxta Areopolim.Fit & mentio Dedan Ezech. uigesimoseptimo. Properabitis autem ad hanc sylua uos Cedareni,tam festinanti fuga,ut obliti panis & aquæ, necesse habeatis ea a uicinis & accolis gentibus accipere. Hortor igitur uos qui habitatis terram Austri. Pro (Austri) Hebræus textus habet Thema. Fuit & hic filius Ismael Gene. uigesimoquinto,qui urbi seu parti Arabiæ hoc nomen

men dedit. Vos ergo ciues Thema, agite, proferte obuiam aquas sitientibus Cedarenis, & occurrite cum pane profugis & miseris exulibus. Quid autem est, quod Cedarenos in tam festinam fugã, & exilium impulit? Sequitur: Fugiunt a facie gladiorum, a facie gladij districti, a facie arcus extenti, a facie grauis prælij. Sic enim dixit DOMINVS, quod quemadmodum mercenarijs sua tempora, & sui anni definiuntur, quibus expletis, abeunt: ita definitus sit adhuc unus annus, quo expleto, omnis gloria Gentis Cedar deijcietur, per hostes, & pauciſsimi reliqui erunt sagittarij & uiri fortes in Cedar. Hoc est decretum DOMINI, quod certo est euenturum. Quod autem Propheta concionatur de uastatione Cedar, hoc dubium non est, quin anno post hanc concionem impletum sit uel per Assyrios, uel per alios hostes, & si impletio eius publicis literis mandata non extat. Nam alia est uastatio Cedar, quæ hoc loco ab Esaia describitur, alia quæ a Hieremia capite quadrageſimonono describitur, quæ & facta est per Nebucad Nezarem. Sciamus nunc, quod fuerit peccatum Cedarenorum, propter quod diuinitus sint afflicti. Ostendimus supra, quod Cedareni fuerint Ismaelitæ. Non est autem obscurum, quanto odio Ismael persecutus sit fratrem suum Isaacum. Gen. uigesimoprimo ejicitur Ismael cum matre sua e familia Abrahæ propter Isaacum. Non enim erit hæres, (inquit Sara) filius ancillæ cum filio meo Isaac. Hinc excitatum est acerbiſsimum odium in Ismaele aduersus Isaacum. Is, qui secundum carnem natus erat (uidelicet Ismael) inquit Paulus, persequebatur eum, qui natus erat secundum spiritum. Hoc odium non est una cum Ismaele mortuum, sed propagatum est ad posteros eius, ut sicut ipse maximum odium habuit in Isaacum, ita posteri eius summa maleuolentia prosecuti sunt Israelitas, posteros Isaaci. Psalmo octuageſimosecundo: Cogitauerunt unanimiter, simul aduersum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ, &c. Deus autem non relinquit inultum & impunitum, si gentes afflixerint populum ab ipso electum seu Ecclesiam suam, quamuis afflictionem peccatis suis meruerit. Cum igitur Ismaelitæ non solum malis affecerint Israelitas, sed etiam cogitauerint eos delere, diuinitus constitutum & effectum est, ut omnis gloria eorum auferretur. Porro Esaias hoc uaticinio non tantum suis, uerumetiam nostris temporibus concionatur. Nam qui his temporibus uocantur nomine populi Dei, & ducunt originem suam ab Apostolis & successoribus eorum, diuisi sunt in duas partes. Vna est Pontificia, quæ & si gloriatur de Apostolica autoritate, tamen defendit idolatriam, & tuetur impietatem. Alia est eorum, quos uocamus Euangelicos,

Ac illi quidem, sicut quondam Ismaelitæ, inierunt inter se hoc tempore fœdus, ut nos, qui agnoscimus uerum Euangelion Christi, omni crudelitatis genere deleant. Iactant se esse ueram Ecclesiam, & esse successores Apostolorum, sicut & Ismaelitæ iactabant se a primogenito & maiore natu filio sanctissimi Patriarchæ descendere. Nos autem nuper esse natos, & hæreticos, ideoq; exitio dignissimos. Quid ergo nobis contra hunc nostrorum Ismaelitarum furorem faciendum est? Primum omnium confirmandus est animus noster, quod doctrina Euangelij quam sequimur, sit uere Prophetica & Apostolica doctrina, & quod ex fide in Christum, quem hoc Euangelio cognouimus, simus uera Ecclesia Christi. Deinde omne studium nostrum in hoc ponendum est, ut maneamus Ecclesia Christi, hoc est, ut non excidamus e cœtu Ecclesiæ per peccata aut scelera, aut si exciderimus, rursus inseramur in eam per pœnitentiam, agnoscamus peccata nostra, credamus Deum placatum esse per Christum, & peccata remissa propter Christum, & proferamus bonos fructus pœnitentiæ, & inuocemus Deum nomine Christi, ut nos aduersus Ismaelitas nostros defendat. Si enim sumus Ecclesia Christi, & manemus in ea, aut reuertimur ad eam, tũc certa est salus & liberatio Dei. Deus enim tam promissionibus quam exemplis testatus est, se tueri Ecclesiã suã, & opprimere hostes Ecclesiæ. Ad Abrahamum dicit: Maledicam maledicentibus te. Psalm. ciij. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Zacha. ij. Qui tetigerit uos, tanget pupillam oculi sui. Sed quid facio? Psalmi & Prophetæ pleni sunt de perditione impiorum, & liberatione piorum. Et testantur exempla omnium gentium, & tyrannorum, qui seuierunt in Ecclesiam Domini, quod Deus opprimat hostes Ecclesiæ, & seruet Ecclesiam. Quare hęc prima sit nostra cura, ut simus Ecclesia Domini. Sic enim fieri non potest, quin Deus a nobis in nomine Christi inuocatus, tueatur nos in omni genere afflictionum.

CAPVT XXII.

ONVS VALLIS VISIONIS &c.

Postquam Propheta aliquandiu peragrauit concionibus suis finitimas gentes, & prędixit calamitates & uastationes earum, reuertitur nunc ad suos ciues Hierosolymitanos, ac reprehendit eos suæ impietatis, & prædicit etiam ipsis uenturam esse calamitatẽ. Dubium enim non est, quin hæc concio instituta sit aduersus urbem Hierusalem. Nam fit hic mentio armamẽtarij domus saltus, &

rupturarum

rupturarum ciuitatis Dauid, ac piſcinarum & domorum Hieruſalem. Quare nec dubium eſt, quin per Vallem uiſionis intelligatur ciuitas Hieruſalē, quam exiſtimant ideo Viſionis uallem dictam, quod ſita in ualle montis Zion, ferax fuerit propheticorum uaticiniorum, quæ uocantur Viſiones, ſicut & Prophetæ Videntes, primo Samuel. nono. Recte autem, & pro officio ſuo facit Propheta, quod non in hoſtes tantum, uerumetiam in ſuos ipſius ciues, qui gloriabantur ſe eſſe populum a Deo electum, grauiſsime inuehatur. Etſi enim Deus tanto fauore populum ſuum complectitur, ut propter ipſum omnes hoſtes eius ſeueriſsime affligat, & prorſus deleat, tamen propter hanc cauſam non licet populo Dei peccare, et impie agere: ſed quanto maiori fauore Deus eum complectitur, & plura beneficia in ipſum confert, tanto deteſtabilius eſt, ſi in Deum peccauerit, & tanto grauiori ſupplicio obnoxius redditur. Nā cum gentes, quæ non habent nomen populi ſeu Eccleſiæ Dei, peccauerint, hæret peccatum in gentibus ipſis, & non redundat in nomen Dei. Si autem ij, qui gloriantur ſe eſſe eccleſiam Dei, peccauerint, tunc peccatum non tantum in ipſis hæret, ſed redundat etiam in Deū ipſum, & male audit nomen Dei. Ad Dauidem, qui adulterio & homicidio peccauerat, dicitur: Feciſti inimicos blaſphemare nomen DOMINI propter uerbum hoc. Et Paulus ex Eſaia ait: Nomen Dei propter uos male audit inter gentes. Itaq; peccatum quod Eccleſia Dei deſignat duabus circumſtantijs grauius redditur. Altera eſt Ingratitudo, quod cum Eccleſia Domini maxima acceperit beneficia a Deo ſuo, rependit uiciſsim malefacta. Altera eſt contumelia nominis Dei, quod propter peccatum eorum, qui habent nomen Eccleſiæ Dei, Deus ipſe male audit apud alias gentes. Cum autem peccata, quę Eccleſia Dei committit, grauiora ſint peccatis aliarum gētium, ſolet etiam Deus populum Eccleſiæ ſuæ grauius & horribilius, quam alias gentes, punire. Exemplo ſunt obſidiones & uaſtationes Samariæ, & urbis Hieruſalem, in quibus tanta fuit calamitas, ut etiam matres comederint præ fame liberos ſuos. Quare, cum & nos nomen Eccleſiæ Dei habeamus, maximo ſtudio cauēdum eſt, ne ſceleratam uitam ducamus, ſed ut noſtram profeſsionem honeſtate uitæ ornemus. Porro, Eſaias accuſat in hac cōcione ciues ſuos duorum maximorum criminum, quorū alterę eſt, Securitas & contemptus uerbi Dei, in rebus proſperis: alterum, incredulitas & impietas in rebus aduerſis. Has iniquitates dicit tantas eſſe, ut non remittantur, donec uixerint. Sed audiamus concionem ipſam. Vertit autē Propheta ſermonem ſuum ad urbem Hieruſalem ſeu ciues eius, ut ſciant hanc concionem proprie ad ipſos pertinere. Quid tibi accidit, inquiens, quod uniuerſa conſcende-

Eccleſiæ peccata cur grauiora.

Rom. 2. Eſa. 52.

ris in tecta? Propheta loquitur pro more suo, de futura calamitate, perinde ac si iam accidisset & præterijsset. Solent enim Prophetæ uerbis præteritis pro futuris uti, ut significent uaticinia sua de rebus futuris tam certa esse, quam si iam præterijssent. Sensus igitur Esaiæ hic est: Tu Hierusalem nunc es urbs plena strepitus & tumultus præ gaudio, lætitia & exultatione. Omnia in te crepant conuiuijs, tympanis, choreis & alijs lusibus. Sed futurum est, ut uniuersi summa trepidatione conscendatis in tecta, quo uel aduenientes hostes uidere possitis, uel uos de tectis tueamini. Magna pars ciuium uestrorum interibunt non gladio uel bello, sed fame: aut etiamsi non occidantur gladio seu bello, tamen sic stupidi & attoniti erũt, perinde ac si iam essent interfecti. Principes et capitanei tui & si fugient, ne ab hostili arcu interficiantur, tamen non effugient, sed quotquot uel ex fuga retracti, uel in hac urbe inuenti fuerint, abducẽtur uincti & captiui. Propterea dixi: Recedite a me amare flebo. Nolite in hoc studium incumbere, ut consolemini me super uastitate populi mei, hoc est, Tanta calamitas futura est inter meos ciues, ut cum eius recordor, nullus humanus sermo possit me consolari. Erit enim dies commotionis, tempus erit, quo omnia perturbentur, conculcentur & confundantur, cum hostes perfodiant murum, & clamorem a montanis sustulerint, idque fiet autore Deo DOMINO Zebaoth, in ualle uisionis, in urbe Hierusalem. Nam Elamitæ seu Persæ, qui erunt in exercitu hostium, aduenient cum suis pharetris, cum curribus, cum magna hominum multitudine, cum equitibus. Et Kir, hoc est, Ciues Ciræi hostium socij expediẽt clypeos suos, ad inuadendam urbem Hierusalem. Et maxima uallium tuarum plena erit hostilium quadrigarum. Et equites inuadent magno impetu portas urbis tuæ. In tanta igitur rerum perturbatione, quid facient ciues Hierosolymitani? quo se uertent? Non uertent se, non respicient ad DOMINVM Deum suum, qui elegit & ipsos in populum suum, & ciuitatem Hierusalem in sedem Ecclesiæ ac promissionum suarum, sed respicient ad arma & humana sua auxilia. Reuelabitur, inquit, operimentum Iudæ, hoc est, Quæ hactenus in thesaurario & armamentario abscondita erant, ea proferetis uos ciues in lucem, & respicietis ac properabitis ad armaturam, quæ est in domo saltus, in domo ædificata e lignis Libani, tertio Regum septimo & decimo. Considerabitis præterea scissuras ciuitatis seu arcis Dauid in Zion, De qua arce uide secundũ Regum quinto. Et quia inuenietis multas scissuras, statim magna diligentia curabitis, ut reficiantur. Præterea curabitis piscinas & lacus circa muros urbis, ut ijs hostes ab ingressu arceantur. Adhæc numerabitis domos, præsertim eas, quæ sunt

muris

murís uicinæ, ut ſi quam uideritis obſtaculo eſſe prõtegendís mœnibus, deſtruatis eam, & planum ac latum campum intra muros efficiatís. Breuiter, reſpicietis ad omnia ea diligentiſsime, quæ externa ſpecie faciunt ad muniendam urbem, & ad propulſandam uim hoſtium, non autem reſpicietis ad eum, qui fecit urbem, & ad eum, qui iam ante diu eam formauit, hoc eſt, ad Deum ipſum, qui uerus eſt autor & tutor huius urbis. Sed unde accidit, quod ciues Hieroſolymitani, in incurſione hoſtis, magis reſpexerunt ad arma & præſidia humana, quam ad Dominum Deum ſuum, & ad diuina auxilia? Sequitur: Hoc inde adeo accidit, quod cum Deus ante calamitatem uocaret eos ad fletum & ad planctum, & ad caluicium, & ad cingulum ſacci, hoc eſt, ad agendam pœnitentiam, ipſi contemnebant uocationem Domini, & ducebant uitam ſecuriſsimam: conuiuabantur, potabant, helluabantur, & interim ſuauiter ridebant uerba Prophetarum denunciantium uenturam calamitatem & mortem. Comedamus, inquiunt, & bibamus, Cras enim morie-mur. hoc eſt: Agite compotores, Prophetæ noſtri minantur nobis neſcio quam afflictionem & mortem breui uenturam. Fruamur igitur optimo uino noſtro, & pinguibus noſtris bobus ac ouibus, dum licet. Quid enim ex hac uita aliud reportamus, quam quod edimus & bibimus? Hæc ita faciamus, perinde ac ſi Prophetæ uera dicerent. Sed quid? Vaniſsima mendacia ſunt, quæ dicunt. Quis enim iſtis abiectiſsimis hominibus patefeciſſet, quæ uentura ſunt? Nunquid ſunt a conſilijs Dei? Et quando de cœlo deſcenderunt, ut nobis afferant ſententiam Dei? Quare ſinamus eos ualere, pergamus autem nos pro noſtro more conuiuari, & genio indulgere, quãdo non ſit alius huius uitæ fructus. Atque hic quidem impiorum ſermo eſt. Sed audi uiciſsim, quis ſit Dei ſermo. Nam quæ loquuntur impij, ea non ſolũm ſonant coram hominibus in terra, ſed etiam corãm Deo in cœlo. Hæ impiæ uoces, inquit Propheta, peruenerunt ad aures DOMINI Dei Zebaoth. Quare dixit: Si dimittetur iniquitas hæc uobis, donec moriamini, hoc eſt, Deus iurauit, ſe tantã iniquitatem, tantam ſecuritatem & impietatem, nunquam dimiſſurum inultam, ſed de ea tantiſper pœnas ſumpturum, dõnec moriantur, & in impietate ſua perpetuo exitio intereant. Multæ autem calamitates acciderunt ciuibus Hieroſolymitanis, poſtquam Eſaias & aliæ Prophetæ ſuſceperunt diuina uocatione functionem propheticam. Conſideran dum igitur eſt, de qua calamitate Eſaias hoc loco uaticinetur. Ac alij quidem referunt hæc ad incurſionem Saneheribi regis Aſſyriorum: alij ad Babylonicam deuaſtationem urbis Hieruſalem.

Sed quia altera pars huius capitis, quæ sequitur, tradit Sæbnam præpositum aulæ regis Ezechiæ abducendum esse captiuum in alienam regionem, quod non uidetur factum esse in incursione Senaheribi, nec factum esse potest in deuastatione Babylonica urbis Hierusalem, quippe quod non sit ueri simile Sæbnam ætate sua peruenisse ad tempus huius deuastationis, & Esaias dicat Eliacim in locum ministerij eius surrogatum esse, idcirco existimo hoc Esaiæ uaticinium impletum esse eo tempore, quo Manasses successor Ezechiæ abductus est captiuus & uinctus in Babylonem. Fieri enim non potuit, quin multa aduersa ciuibus Hierosolymitanis acciderint, dum rex ipsorum ab hostibus caperetur. De qua re Scriptura secundo Chronicorum trigesimotertio sic ait: Manasses seduxit Iudam & habitatores Hierusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat DOMINVS a facie filiorum Israel. Locutusque est DOMINVS ad eum, & ad populum illius, & ATTENDERE NOLVERVNT. (hoc illud uidetur esse, quod in hoc Esaiæ loco dicunt, Comedamus & bibamus, Cras enim moriemur) Idcirco superinduxit eis Principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassen, & uinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. Atque hæc quidem de Iudæis dicta sunt. Quid autem de nobis dicendum est? Accusauit Propheta Iudæos, ciues Hierosolymitanos, ut ante diximus, duorum scelerum, quorum alterum est, Contemptus uerbi Dei: alterum, fiducia in humana auxilia. An non & hi sunt mores multitudinis, quæ est his nostris temporibus? In rebus prosperis contemnunt & rident Verbum Dei, ac secure helluantur. In aduersis autem non respiciunt, non confugiunt ad Deum, sed respiciunt & confugiunt ad humana auxilia. Respicitis, inquit, ad scissuras muri, ut muniatis mœnia, non autem respicitis ad Deum, qui fecit ea. Et quanquam Deus uocat uos ad planctum, ad fletum, ad pœnitentiam, tamen uos datis operam conuiuijs. Primum autem Propheta non uetat humanis auxilijs uti. Hæc enim si commode haberi possunt, non sunt contemnenda, ne Deus tentetur, sed damnat præposteram curam impiorum in aduersis. Impij enim, qui sunt contemptores uerbi DOMINI, solam habent rationem humani auxilij in aduersis, & in incursionibus hostium, nullum autem prorsus habent rationem pœnitentiæ. Ad arma confugiunt, non ad Deum. Atqui tunc proderunt arma, cum Deus fuerit propicius. Redditur autem propicius, si nos conuersi fuerimus ad ipsum per CHRISTVM filium suum. Si egerit, inquit,

quit, gens illa pœnitentiam a malo suo, de quo accusaui eos, agam & ego pœnitentiam de malo, quod cogitaui eis inferre. Et iterum: Conuertimini ad me, dicit DOMINVS Zebaoth, & ego conuertar ad uos. Deinde Propheta, cum exprobrat ciuibus Hierosolymitanis conuiuia sua, non damnat honesta conuiuia, sed damnat securitatem & contemptum Dei. Sunt enim, qui nullam prorsus habent rationem piæ doctrinæ, sed toti diditi sunt crapulæ & ebrietati. Et cum deberent propter uentura mala respicere ad Deum, respiciunt ipsi ad cantharum. Hæc securitas, & si non uidetur inter homines horrendum scelus, quale iudicatur rapina aut homicidium, tamen coram Deo tanti ponderis reputatur, ut pronunciet eam dignam supplicio internecionis gentis. Esaiæ capite quinto: Væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem, & potandum usque ad uesperam, ut uino æstuetis. Cithara & lyra & tympanum & tibia & uinum in conuiuijs uestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame. &c. Et Paulus ait: Quorum Deus uenter est, horum finis est perditio. Quare audienda est admonitio CHRISTI, quia it: Cauete uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate & curis huius uitæ, subitusque uobis ingruat dies &c. Et Paulus, qui & hunc Esaiæ locum citat prima Corinthiorum decimoquinto: Edamus & bibamus. Cras enim morimur. Ne decipiamini. Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Huc facit etiam, quod Sapientiæ secundo scriptum est: Dixerunt impij cogitantes apud se non recte, Exiguum & cum tædio est tempus uitæ nostræ &c.

Conuiuia quatenus damnentur.

HÆC DICIT DOMINVS DEVS ZEBAOTH. VADE ET INCREDERE AD EVM QVI HABITAT IN TABERNACVLO &c.

Hæc est altera pars huius capitis, in qua continetur cõcio, quæ nominatim dicta est de Sebna & Eliachim. Initio igitur uidendum erit, qui hi fuerint. Sebna uocatur hoc loco Thesaurarius & præpositus aulæ regiæ. Eliacim autem filius Hilkiæ, surrogatus in officium Sebnæ. Sed familia Sebnæ non additur. Quare existimo Sebnam & Eliacim, eos esse, quorum fit mentio in historia Ezechiæ, quarto Regum decimooctauo, & Esaiæ trigesimoseptimo, qui ab Ezechia, una missi sunt ad Esaiam, & ad Legatos regis Assyriorum. Fuit autem eo tempore Sebna ad-

huc ſcriba, Sed poſtea ordinatus in præpoſitum aulæ regiæ, quemadmodum ex hac concione Eſaiæ manifeſtum eſt. Eliacim uero erat tunc aulæ præpoſitus, ſed poſtea adiunctus eſt ei Sebna, uel eiectus a Sebna: non longo tamen tempore poſt iterum, eiecto Sebna, reſtitutus. Accedit & hoc, quod ſentiunt Sebnam fuiſſe non natum Iudæum, ſed proſelytum, alienigenam ex Ægypto, id quod conijciunt ex initio huius concionis Eſaiæ. Nec fit mentio familiæ eius, ſicut Eliacim. Sed audiamus concionem ipſam. Quid tibi, o Sebna, in hac urbe rei eſt? aut quem habes ſucceſſorem, quod ædificaueris tibi excelſum & firmum ſepulcrum, perinde ac ſi de inſigni familia natus eſſes, & perpetuo eſſes una cum poſteritate tua in hac urbe manſurus? Ecce enim, tu qui uideris nunc tibi Heros, proijcieris opertus & uinctus in alienam terram, quemadmodum pila proijci & prouolui ſolet in lato campo: illic inglorius morieris. Et qui nunc illuſtris & glorioſus es in quadrigis, tractaberis illic contumelioſe ad ignominiam domus domini tui, regis Manaſſæ. Omnino enim futurum eſt, ut tu deijciaris de ſtatione tua & priueris dignitate tua, ac alius te fidelior in locum tuum ſurrogetur. Exiſtimo autem hoc in Sebna impletum eſſe eo tempore, quo rex Manaſſes abductus eſt captiuus & uinctus in Babylonem, de qua captiuitate ſupra in priori parte huius capitis diximus. Quæramus igitur nunc, quid mali deſignauerit Sebna, quod eijciatur de ſua ſtatione, & proijciatur in alienam terram. Sunt, qui ſentiunt ipſum fuiſſe proditorem, & coniuraſſe cum Saneheribo rege Aſsyriorum contra Ezechiam. Sed relinquamus iſta incerta Hebræis interpretibus, qui ſibi licentiam quiduis fingendi ſumunt. Nos ſumemus peccatum huius Sebnæ e priori parte huius capitis. Supra enim Eſaias reprehendit ciues Hieroſolymitanos, quod contemnerent uerbum Dei, interim autem helluarentur, & in incurſione hoſtili non conuerterentur ad Dominum pœnitentia, ſed uerterent omnem curam ſuam ad reficienda mœnia, & ad paranda arma. Cum igitur Eſaias ſtatim poſt hanc concionem inuehitur in Sebnam, ueriſimile eſt, quod Sebna theſaurarius & præpoſitus aulæ, fuerit unus e præcipuis contemptoribus uerbi Dei, & qui clamauerit arma magis paranda, & muros inſtaurandos, quam Prophetas audiendos eſſe. Fere enim fieri ſolet, ut principum miniſtri, quo ſibi uidentur prudentiores, eo magis declament, præſertim in conſilijs & conuiuijs, in miniſtros uerbi Dei, & uociferentur de Republica conclamatum eſſe, niſi maxima omnium

Sebna.

ratio

ratio murorum, bombardarum, equitum & peditum habeatur. Fieri & hoc solet, quod qui e sordibus ad illustrem dignitatem emergunt, multo sint insolentiores & intolerabiliores, quam qui illustri loco nati, & dignitatibus assueti sunt. Vulgo dicitur: Nullam nouaculam tam acute radere, quam si rusticus alter alterius dominus fiat. Et res ipsa declarat, quod qui ex rusticis nobiles fiunt, multo magis & arrogantius ostentent sua insignia, quam alij longa nobilitate clari. Vide mihi hunc Sebnam. Fuit enim, ut tradunt, genere alienigena, quod hominum genus abiectum erat apud Israelitas: sed consecutus est beneficio Dei summum dignitatis locum in aula regia Ezechiæ, & Manassæ. In hac dignitate constitutus, non egit DOMINO gratias, sed contempsit uerbum DOMINI, derisit Prophetas, & abusus est dignitate sua ad arrogantiam & ostentationem. Curauit magnificum sibi sepulcrum excitandum, ut hoc monumento obtruderet omnibus nobilitatem suam spectandam. Quare quo maiori gloria ornatus fuit, ea fœdius corruit. Exemplum est, primum, quod Deus contemnat eos, qui ipsum contemnunt. Sic enim dicit primo Regum secundo: Qui me glorificauerit, uicissim & ego glorificabo eum, & qui me contemnunt, contemnentur. Admonemur igitur, ut ornati aliqua dignitate, conferamus eam non ad opprimendam, sed ad illustrandam gloriam Dei. Deinde, admonemur hoc exemplo, ne abutamur donis Dei ad superbiam & arrogantiam, sed ad humilitatem, hoc est, ut ijs seruiamus proximo. De ijs qui utuntur donis suis ad gloriam Dei & utilitatem proximi dicitur Matthæi uigesimoquinto: Omni habenti dabitur. Et, Euge serue bone ac fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. De ijs autem qui abutuntur, dicitur, Ei qui non habet, etiam auferetur id quod habet. Et Psal. cviij. Episcopatum eius accipiat alter.

ET ERIT IN DIE ILLA VOCABO SERVVM MEVM ELIACIM FILIVM HILKIÆ, ET INDVAM ILLVM TVNICA TVA &c.

Impio Sebnæ opponitur pius Eliacim, cui ad priorem dignitatem additur etiam præfectura Sebnæ. Vocabo, inquit, seruum meum Eliacim, quem &si tu contemnis, & perditum cupis, ego tamen ornabo eum tua tunica & cingulo, hoc est, tua præfectura, dignitate & potestate. Erit quasi Pater ci-

uibus Hierusalem,& familiæ Iuda. Dabo clauem domus Dauid super humerꝝ eius,aperiet,& non erit qui claudat, &c. hoc est,Eliacim tanta erit autoritate & potestate in regia aula successorum Dauid præditus, ut quod ipse iusserit,nemo retractet,& quod ipse uetuerit, nemo iubeat. Et figam illum paxillum in loco fideli seu firmo &c. hoc est, Eliacim erit quasi paxillus aut clauus firmiter in pariete fixus. Sicut enim ex clauo suspenduntur uaria genera tam magna quam parua instrumentorum siue utensilium domesticorum, siue musicorum, quæ & dum clauus fixus manet, firmiter pendent, cum uero clauus deciderit, omnia ex ipsō suspensa simul cadunt, ita etiam dicendum erit de Eliacim. Ab ipso enim pendebit nō solum omnis gloria suæ ipsius familiæ,uerumetiam salus regiæ aulæ. Quare,dum ipse steterit,stabit & respublica: dum uero ceciderit, cadet etiam Respub. Ipse enim est, in quo domus inclinata recumbit. Hoc illud est, quod in fine capitis dicitur: Auferetur paxillus,qui fixus fuerat in loco fideli,& frangetur etiam. hoc est, quemadmodum uiuente Eliacim omnia reipublicæ salua erant,ita cadente & moriente eo, simul cum ipso interibit salus Reipublicæ. Habes hic εἰκόνα fidelis præfecti. Erit, inquit, quasi pater ciuibus Hierusalem, & familiæ Iuda. Et: Figam illum paxillum in loco firmo. Præfecti,qui Principum loco præsident,solent fere tyranni esse. Hic autem exemplo Eliacim monentur,ut sint populi patres. Monentur etiam,ut sint quasi paxilli seu claui,uidelicet, ut sciant se onus totius populi sustinere. Quare magna cura opus est, ut rempublicam recte gubernent

CAPVT XXIII.

ONVS TYRI. NAVES MARIS VLVLATE, QVIA VASTATA EST &c.

Redit Propheta a Hierusalem, ad finitimas urbes, & concionatur in hoc capite aduersus Tyrum. Fuit autem Tyrus urbs Phœniciæ, initio septingentis passibus prælto mari a continenti diuisa, sed postea iuncta est continenti ab Alexandro Magno: emporium omnium finitimarum gentium: Et urbs nobilis non solū in prophanis scriptoribus,uerumetiā in sacris literis, & præsertim in scriptis Euangelistarꝝ. Priusq̄ autē accessero ad explicādum uaticinium Esaiæ, uisum est recitare duo memorabilia, quæ in hac urbe, Tyro, contigerunt, ut his exemplis prauitatem & impietatem

Tyrus.

pietatem humani ingenij clare cognoscamus. Tyrij Persarum bellis, diu uarieque fatigati, uictores quidem fuerunt, sed attritis uiribus, a seruis suis multitudine abundantibus, indigna supplicia perpessi sunt, qui conspiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt. Atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant, Rempublicam inuadunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant. Vnus ex tot millibus seruorum fuit, qui miti ingenio senis domini, paruulique filij eius fortuna moueretur, dominosque non truci feritate trucidauit, sed pia misericordia ac humanitate respexit. Itaque cum uelut occisos alienasset, seruisque de statu Reipublicæ deliberantibus, placuisset regem ex suo corpore creari, eumque potissimum, quasi acceptissimum dijs, qui Solem orientem primus uidisset, rem ad Stratonem (hoc enim erat ei nomen) Dominum occulte latentem detulit. Ab eo informatus, cum medio noctis omnes in unum campum processissent, cæteris in Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur. Id primum alijs uideri furor, in Occidente solis ortum quærere. Vbi uero dies aduentare cœpit, æditissimisque culminibus urbis oriens splendere, expectantibus alijs, ut ipsum Solem aspicerent, hic primus omnibus fulgorem Solis in summo fastigio ciuitatis ostendit. Non seruilis ingenij ratio uisa, requirentibusque autorem, de domino confitetur. Etsi autem creauerunt regem, non seruum, sed Stratonem, quem seruus occultauerat, tamen Alexander, interiecto tempore, ultus est hanc seruorum crudelitatem, & omnes, qui expugnata urbe, prælio superfuerant, ob memoriam ueteris cædis cruribus affixit, seruato tantum Stratonis genere, cuius stirpi etiam regnum restituit. Habes hic insigne exemplum crudelitatis seruorum in dominos. Tale autem est humanum ingenium, cui si occasio rapiendæ dominationis offertur, mirum inmodum probantur hi uersus Euripidis: *Iustinus.*

Si uiolandum est ius, imperij gratia uiolãdum est, alijs rebus pietatem colas. Sed uides etiã Deum esse ultorem crudelitatis. Etsi enim hi serui aliquanto tempore securi uidebantur, tamen Deus uel tandem excitat uindicem, qui ab ipsis supplicium sumeret. Commemorat & aliud de huius urbis ciuibus. Cum Alexander Tyrum oppugnaret, quidã in urbe narrauit sibi Apollinem uisum, qui dixisset, Tyriam urbẽ sibi deserendã esse. Quod cum Tyrij accepissent, iniecerunt aureas catenas Apollinis simulacro, & alligauerunt eas ad Herculis statuã, sperãtes se his uinculis Apollinẽ secum in urbe retẽturos. Hæc uidentur nobis ualde ridicula & plane furiosa esse, *Diodorus Siculus.*

quasi uero Deus humanis uinculis retineri posset. Sed profecto, nos non fuimus minus ridiculi & furiosi in Pontificia religione. Existimauimus enim gratiam Dei parari uno & altero numulo, ad altare oblato, aut in cistam Indulgentiarum coniecto. Hoc quid aliud fuit, quam conari Deum alligare catenula aurea uel argentea? Agamus igitur gratias Deo, qui nos his ineptijs & impietatibus, per lucem Euangelij sui liberarit, & demus operam pia obedientia, ut hæc lux non iterum obscuretur. Sed accedamus nunc ad concionem Esaiæ. Vlulate, inquit, naues maris. Tyrus enim in mari ædificata erat, & deuehebantur ad ipsam in nauibus merces ex omnibus finitimis, ac etiam longinquis regionibus. Vide Ezechielem capite uigesimosexto & uigesimoseptimo. Iubet igitur spiritus nautas ululare, propterea quod Tyrus, quæ est Gentium emporium, ita uastanda sit, ut ne domus quidem in ea reliqua fiat. Neque uenient ultra nauibus e Cithim. Cito enim reuelabitur seu adnunciabitur Cithæis uastatio Tyri. Cithim autem fuit filius Iauan, filij Iaphet, Geneseos decimo. E Cithim descenderunt Macedones, id quod & uox ipsa Macedo testari uidetur. Dicitur enim Macedo מקדוני Makitthim, hoc est, De Citthim. Et primus liber Machabæorum capite primo, dicit Alexàndrum egressum esse de terra Cithiim. Quo perspicuum est, Cithim esse Macedoniam, & eas regiones, quæ sunt circa Macedoniam. Cithim autem seu Macedones exercuisse negociationes in Tyro significat etiam Ezechiel capite uigesimoseptimo. Transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de insulis Italiæ. Pro quo Hebræa ueritas sic habet: Tabulas tuas fecerunt ex ebore, cellulas ex insulis Cithim. Sequitur: Tacete, qui habitatis in insula, &c. hoc est: Incolæ insularum maris intermittent suas negociationes, quas exercuerunt hactenus in Tyro. Deinde ciues Sidonis, quæ est urbs finitima Tyro, impleuerunt hactenus Tyrum mercibus suis. Ex Ægypto quoque solet frumentum, quod ibi ex inundatione Nili magna copia crescit, in Tyrum aduehi: adeoque Tyrus nunc est emporium non tam finitimarum, quam etiam longinquarum Gentium. Sed quid dicam? Calamitas quæ accidet Tyro, etiam ad Sidonios ita pertinget, ut erubescãt. Nam si futurum est, ut Tyrus tam celebris urbs, & quæ gloriatur se non mœnibus tantum, sed & mari munitam esse, ita uastetur, ut necesse habeat ipsa fateri se nec parturire nec parere, nec enutrire iuuenes & uirgines, hoc est, se non posse sperare, politeian ipsius, cuius seminarium sunt pueri, iuuenes & uirgines, ullo tempore restituendam, quomodo Sidon Tyro, ut loco uicina, ita impietate affinis, salua euade-

euaderet? Aegyptij autem, audita fama uastationis Tyri, mirum in modum dolebunt, quod emporium ipsorum solo sit æquatum. Sed & reliqui insulani præteruehentur Tyrum, & ululabunt, ac deplorabunt tam inclytæ & uetustæ urbis uastationem, & tam excellentium ciuium miseriam, qui cum nunc nauibus in mari ad quas uolunt terras & insulas uehuntur, eijcientur tunc in terram, & necesse habebunt pedibus captiui migrare in longinquas regiones. Quæso autem te, quis erit tam fortis, & potens, qui susceturus sit consilium expugnandi & uastandi tam insignem urbem, quæ est aliarum urbium corona, & cuius ciues ac negociatores sunt illustres in terra Principes? Num uastatio eius accidet humano consilio, aut casu quodam? Nihil minus. Sed accidet diuino consilio. DOMINVS Zebaoth cogitauit hoc, ut puniret fastum, & arrogantiam superborum ciuium, & pudefaceret elatos opibus ac potentia sua. Quod cum ita se habeat, certo futurum est, ut Tyrij, cum non amplius habituri sint cingulum, hoc est, uel merces, uel uires se tuendi, & hostis sit potentissimus, conferant sese celerrime, sicut torrentis impetus, ad alias insulas maris. DOMINVS enim extendet manum suam super mare, & concutiet regna: præsertim autem constituit de ea parte terræ Canaan, in qua sitæ sunt duæ urbes, Tyrus & Sidon, ut omnes uires eius terræ frangantur. Dominus enim tulit sententiam suam, non tantum de Tyro, ut uastetur, sed etiam de Sidone, ut quæ hactenus non fuit ab hostibus direpta, quasi uirgo a uiro incorrupta, destituatur omni gaudio suo, & diripiatur ac opprimatur. Tanta autem futura est uestra calamitas, ut siue uos Tyrij, siue uos Sidonij fugiatis ad Cithim, seu Macedoniam, tamen non effugietis, nec ulla uobis tranquillitas eo loci continget. Quod si ad terram Chaldæorum transieritis ac fugeritis, tamen ne sic quidem consequemini securitatem. Initio enim Chaldęi non fuerũt talis populus, qualis nunc est, sed regio eorum fuit quasi desertum, & habitatio bestiarum. Assur autem instituit in ea regione ciuitates multas magnas & munitas. Et tamen futurum est, ut hæ ciuitates destruantur, & ruant. Quare etiamsi receperitis uos fuga ad Chaldæam, tamen nulla uobis salus ibi continget. Nam, ut paucis dicam, quod res est, Tyrus & Sidon tanta calamitate obruentur, ut omnes mercatores & nautæ fortunam earum sint deploraturi, propterea quod quæ urbes fuerunt fortitudo & refugium ipsorum, iaceant deletæ.

Sed priusq; reliqua persequamur, considerabimus, quando impleta sint ea, quę Propheta hoc loco de uastatiõe Tyri uaticinatur. Testantur aũt monumẽta ueterum, q; Tyrus bis uastata fuerit. Semel, per Nebucad Nezarem regem Babylonis, quemadmodũ dicit

Diodorus Siculus. Plinius.

Echechiel cap. xxvi. & xxix. Et iterum, per Alexandrum Mãgnum, qui & fecit eam continentem, cum antea insula esset, septingentis passibus prælto mari diuisa. Quæramus igitur de qua uastatione Esaias loquatur. Sunt quidem, qui sentiunt eum loqui de ea uastatione Tyri, quæ facta est per Alexandrũ Magnum. Sed quia hæc multis annis posterior fuit ea, quæ facta est per Nebucad Nezarem, non uidetur, quod Esaias transilierit hanc priorem, & intẽderit oculos spiritus sui tantũ in posteriorem, præsertim cum prior uastatio per Nebucad Nezarẽ facta, ab Ezechiele postea nominatim indicetur, & tam memorabilis sit, ut etiam Deus ipse palam testimonium dicat, Nebucad Nezarem & exercitum eius, optimam operam nauasse in expugnanda Tyro, ideoq; pro stipendio det ei Ægyptum diripiendam, quemadmodum scriptum est Ezech. xxix. Quare sentiendum est, Esaiam in hoc capite uaticinari de ea Tyri uastatione, quæ facta est per Nebucad Nezarem. Sed quid? Num uastatio urbis tam celebris facta est casu quodam, aut humano consilio? Nihil certe minus. Sic enim Propheta ait: Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negociatores Principes, institores eius, inclyti terræ? Dominus Zebaoth cogitauit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ &c. Nam quemadmodum regna & ciuitates non constituuntur, nisi diuinitus, ita etiam nõ possunt destrui, mutari aut aboleri, nisi diuinitus. Surge Deus, inquit Psalmus, iudica terram, quoniam tua est hæreditas inter omnes gentes. Et Daniel secundo. Transfert regna atq; constituit. Et cap. quarto. Excelsus dominatur super regnum hominũ, & cuicũq; uoluerit, dat illud. Nam si non cadit capillus de capite sine uoluntate & administratione Patris nostri, qui est in cœlis, quo modo regna & ciuitate sine eius uoluntates aut constituerentur aut interirent? Quid autem prodest nobis ista scire, aut quam ob rem proponuntur nobis a spiritu sancto cognoscenda? Non certe sunt ociosa, sed proponuntur nobis in hunc usum, ut in constituendis & destruendis regnis ac ciuitatibus cognoscamus Dei consilium, & discamus Dei timorem. Primum enim, si constitutio regnorum & politiarum est diuina, certe gratiæ agendæ sunt Deo, quod non sinit nos uagari incertis sedibus, & omnium iniurijs expositos, in modum bestiarum, sed coniungit nos regnis & politijs, ut non tam a bestijs quam a latronibus tuti simus. Deinde, si Deus dat & trãsfert regna, non est conandum, ut pares tibi iniquitate & impietate regna aduersus Deum, sed obedias uocationi Dei. Si enim Deo placuerit, parabit tibi regnum, te etiamnum dormitante. Si autem noluerit dare, non parabis tibi regnum, etiamsi omnes Monarchæ terræ a parte tua steterint. Recte monuit Titus Imperator affectato

Regnorum constitutio quid nos doceat

res

res regni,& insidiatores uitæ eius,ut desisterent: Principatum,inquiens,diuinitus dari. Præterea,hac cognitione excitamur ad quęrendum consilium Dei, quo regna constituuntur & destruuntur. Constituit enim regna & politias,non in hunc finem,ut aut agrum tantum colamus,aut helluemur, sed ut inter homines doctrina de uero Deo instituatur, & homines Deum cognoscant, quæ cognitio,si uera est,affert ęternam uitam. Mutat autem & destruit regna, uarijs de causis,præcipue autem propter peccata hominum. Et quia nunc sermo nobis est de uastatione Tyri,uideamus,quid ciues Tyrij designauerint,quod Deus tradiderit ciuitatem ipsorum regi Babylonio uastandam. Nam præter impietatem & idolatrian, quæ ipsis cum omnibus gentibus communis fuit, Asaph, Esaias, Amos & Ezechiel etiam alia peccata enumerãt. Primum enim, Tyrij, cum essent uicini Iudæis, & idolatræ, meditabantur interitum Iudæorum, & ex animo lætabantur in calamitatibus et exitio populi Dei. Sic enim dicit Psal. octuagesimus secundus. Cogitauerũt unanimiter simul aduersum te,testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitę,Moab & Agareni, Gebal & Amon & Amalec,alienigenæ cum habitãtibus Tyrum. Et Ezechi. cap. uigesimo sexto. Pro eo quod dixit Tyrus de Hierusalem,Euge,euge,confractæ sunt portæ populorum &c. Sed quid? An non & pij lætantur in interitu impiorum? Sua enim est inter pios & impios uicissitudo. Si pij intereunt,rident impij. Si impij intereunt,ridẽt pij. Quid ergo est,quod impijs exprobratur suus risus,& punitur etiam diuinitus,piorum autem risus iudicatur iustus? Hic consideranda sunt fons,& finis risus. Fons risus impiorum,est impietas, odium Dei, & Euangelij eius. Finis est,ut interitu piorum gloria Dei obscuretur,& Euangelion eius deleatur. Quæ cum sint impia,etiam risus impius est,& supplicio dignissimus. Fons autem risus piorum, est fides,quę adhibetur uerbo Dei. Finis est,ut interitu impiorum illustretur gloria Dei,& patefiat ueritas promissionum eius. Quæ cum sint pia,risus quoq; pius sit necesse est. Deinde Tyrij peccauerunt superbia,arrogantia & fiducia uirium suarum. Sic enim dicit Esaias: DOMINVS Zebaoth cogitauit hoc,ut detraheret superbiam omnis gloriæ,& ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ. Et Ezech. uigesimo octauo: Fili hominis dic ad Principem Tyri. Hæc dicit Dominus Deus: pro eo quod eleuatum est cor tuũ & dixisti: Deus ego sum,& in cathedra Dei sedeo in corde maris,cum sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi Dei, &c. Præterea Tyrij peccauerunt iniquitate & impostoris in mercimonijs emendis & uendendis. Sic enim dicit Ezech. capite uigesimo octauo. In multitudine negociationis tuæ repleta sunt interio

Tyriorum peccata.

Risus piorũ & impiorũ.

ra tua iniquitate, & peccasti. Ac mox: In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negociationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Commemorat & Amos capite primo, aliud peccatum Tyriorum, sic inquiens. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri & super quatuor non conuertam eam, eo quod concluserint captiuitatem perfectam in Idumæam, & non sint recordati fœderis fratrum. Et Ioel capite tertio: Quid mihi & uobis Tyrus & Sidon & omnis terminus Palestinorum? Nunquid ultionem uos reddetis mihi? Et mox: Argentum meum & aurum tulistis, & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra uestra. Et filios Iudæ & filios Hierusalem uendidistis filijs Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus eorum, &c. Vides magnum aceruum peccatorum, propter quæ Tyrus iusto Dei iudicio uastata est. Proponitur autem hoc iudicium nobis, ut discamus exemplo uastationis Tyri timorem Dei. Non rideamus calamitatem piorum, quia Deus seipsum derideri iudicat, cum populus eius deridetur. Non simus arrogantes propter multitudinem opum aut aliorum donorum Dei, quia Deus arrogantibus resistit, humilibus autem dat gratiam. Non peccemus fiducia munitarum arcium aut urbium, quia Domino subtrahente manum suam, nulla creatura nos tueri potest. Non simus iniurij in populum Dei, quia quodcũq; inquit, uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi sui. De his admoneamur, cum fit mentio uastationis Tyri, tam inclytę urbis.

ET ERIT IN DIE ILLA. OBLIVIONI ERIS, O TYRE, SEPTVAGINTA ANNIS &c.

Vaticinatus est Propheta de uastatione Tyri, nunc uaticinatur de restitutione & instauratione eius. Etsi enim Ezechiel de Tyro dicit: Non ędificaberis ultra. Et iterum: In nihil redigam te, & non eris, & requisita non inuenieris ultra in sempiternum, hoc tamen Ezechielis intelligẽdum est de ueteri Tyro, cuius etiam meminit Diodorus Siculus, et dicit Alexandrũ fecisse ex reliquis eius lapidibus aggerem ad oppugnandam urbem ipsam Tyrum. Nam uetus Tyrus, postquam Nabuchodonosor expugnauit eam, nunquam sic restituta est, ut antea fuerat: sed post septuaginta annos uastationis eius instaurata fuit alia noua Tyrus, in alio loco, quatuor stadijs a continenti. De huius igitur Tyri instauratione Esaias prophetat. In obliuione, inquiens, eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies unius regis. Alij aliter hos dies unius regis exponunt. Vulgo dicunt Prophetam respicere in ætatem unius hominis, qui septuagesimum annum raro excedit, iuxta illud Psalmi: Dies annorum

rum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Alij ſentiunt Eſaiam reſpicere in ætatem regis Dauid, qui uixit ſeptuaginta annis, quemadmodum ſecundo Regum quinto ſcriptum eſt. Ego exiſtimo Prophetam non de perſona unius regis, ſed de duratione unius regni ſeu Monarchiæ, uidelicet Babylonicæ loqui. Nam Tyrus uaſtata eſt a rege Babylonis circa ea tempora, quibus & urbs Hieruſalem, & multæ aliæ urbes ac regiones a Babylonijs uaſtatæ & occupatæ ſunt. Quibus etiam temporibus regnum Babylonicum cœpit eſſe Monarchia. Ante enim multi erant reges, potentia fere æquales. Poſtquam autem Nabuchodonoſor cœpit regnare in Babylone, creatus eſt a Hieremia Propheta, publicis concionibus, Monarcha. Sic enim dicit Hieremias capite uigeſimoſeptimo: Gens & regnum quod non ſeruierit Nabuchodonoſori regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis, in gladio & fame & peſte uiſitabo ſuper gentem iſtam &c. Et capite uigeſimoquinto. Hæc dicit DOMINVS Zebaoth. Ecce ego mittam & aſſumam uniuerſas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonoſorem regem Babylonis, ſeruum meum, & adducam eos ſuper terrã iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper OMNES nationes, quæ in circuitu eius ſunt, & interficiam eos &c. Et quidem Hieremias nominatim meminit hanc Monarchiam Babylonicam duraturam a Nabuchodonoſore, ſeptuaginta annos. Erit, inquiẽs, uniuerſa terra eius in ſolitudinem & in ſtuporem, & ſeruient OMNES gentes iſtæ regi Babylonis, ſeptuaginta annis. Cumq; impleti fuerint ſeptuaginta anni, uiſitabo ſuper regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus &c. Ex his aperte uides Monarchiam Babylonicã, quę cœpit a Nabuchodonoſore, definitam eſſe numero ſeptuaginta annorum. Ac paulo poſt recenſet Hieremias nominatim etiam reges Tyri & Sidonis, inter eos reges, qui ſubijciuntur Nabuchodonoſori. Cum igitur Hieremias diſerte dicat, Babylonicam Monarchiam poſt ſeptuaginta annos ruituram, & Eſaias hoc loco dicat Tyrum poſt ſeptuaginta annos inſtaurandã, dubium non eſt, quin per dies unius regis intelligat nõ perſonam regis uel Dauidis, uel Nabuchodonoſoris, ſed durationẽ Monarchiæ Babylonicę. In obliuione, inquiens, eris Tyre ſeptuaginta annis, uidelicet, non proxime futuris, ſed ab eo tempore, quo rex Babylonius erit Monarcha. Et ſequitur: Sicut dies unius regis. hoc eſt, Tot annis manebis uaſtata, quot durabit Monarchia Babylonica, in qua non multi reges æquali potentia prædiți erunt, ſed unus erit rex omnium potentiſsimus, & cui alij reges ſubijcientur. Poſt ſeptuaginta autem annos, deuicto Babylonio rege a Cyro, iterum reſtituetur Tyrus, ſicut & urbs Hieruſalem, & aliæ urbes. Vnde

sequitur: Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. Pro meretricis, Hebræus habet זונה Zonah, quod etsi significat scortum, tamen proprie significat hospitam, quæ excipit peregrinos hospitio, & ministrat eis pro mercede sua cibum, qualis & Rahab fuit in Iericho. Existimo autem genus uitæ harum hospitarum & cocarum initio honestum habitum, donec hæ mulieres non cibum tantum ministrarent, uerumetiam corpus suum hospitibus prostituerent. Hinc זנה Zonah cœptum est usurpari p scortari, quod tamen proprie significat cibum præbere. In hoc igitur Esaiæ loco pro Zonah intelligo non scortum, sed hospitam, aut cocam, quæ peregrinis cibum pro mercede exhibere soleat. Quemadmodum autem in his nostris regionibus sui sunt ritus & cærimoniæ, quibus hospites uenditurí uinum, & excepturi aduenas hospitio publice id denunciant, præsertim in magnis urbibus. Mittuntur enim publici præcones per singulas plateas urbis, ut clamore suo nomen hospitis, & locum hospicij, & precium uini adnuncient, ita puto in Tyrijs urbibus consuetudinem fuisse, ut hospita adnunciatura domũ suam patere aduenis in hospitium, & allectura cõuiuas, præluserit publice cantu citharæ, quo excitaret uicinos in attentionem, & postea clamore propositum suum exposuerit. Vetus enim dictum est, Mos, regio. Dicit ergo Propheta: Post septuaginta annos erit Tyro, quasi canticum hospitæ &c. hoc est, sicut muliercula hospita, quæ aliquandiu ab aduenis neglecta est, solet circuire per plateas urbis, & cantu citharæ hospites allicere, ita fiet de Tyro. Nullus aduena negociabitur in ea septuaginta annis. Erit enim quasi hospita neglecta & obliuioni tradita. Sed post septuaginta annos iterum instaurabitur, sumet citharam, circumibit in ciuitate, bene cantabit, hoc est, alliciet iterum ad se mercatores & negociatores. Visitabit eam Dominus, & reducet eam ad merces suas, iterum erit ibi celebre emporium, iterum instituetur ibi negociatio, ex omnibus regnis terræ. Sed quid? num diuitiæ & opes ex his negociationibus partæ, profundẽtur iterum a Tyrijs in prophanos usus, sicut antea? Minime, sed sanctificabuntur Domino. Et non reponentur nec recondentur, sicut auari solent suas opes recondere, sed cedent in usus eorum, qui habitant ante Dominum, ut ex his comedant ad saturitatem, & uestiantur honeste, hoc est, ut habeant uictum & amictum. Perstrinximus textum huius concionis, nũnc cõsideremus, quæ in ea nobis obseruanda sunt. Ac primum habemus hic manifestum testimonium præsentiæ Dei in populo Israel, & spiritus sancti in Propheta Esaia. Videt enim Esaias non solum uenturam uastationem ciuitatis Tyri, sed etiam definit certum tempus huius uastationis. Dicit eam duraturam septuaginta annos. Et

tamen

tamen Esaias uixit ante centum & triginta annos, quam Nabuchodonosor Tyrum uastauit: quo tẽpore nulli hominum, ne per somnium quidem in mentem uenire potuit, Tyrum urbem tam celebrem & munitam, tanta mala passurum. Et si quis hoc ex solenni urbium ac regnorum periodo futurum cogitasset, non tamen potuisset ulla humana ratione certum tempus, & alias certas circumstantias definire, quemadmodum etiam Hieremias definiuit, quanto tempore duratura esset uastatio urbis Hierusalem. Hæc autem non possunt dici aut exponi, nisi admirabili reuelatione Spiritus sancti. Quare hoc uaticinium Esaiæ perspicuum argumentum est, uerum Deum fuisse præsentem in populo Israel, & Esaiam fuisse Prophetam ueri Dei, a spiritu sancto excitatum. Quod cum ita se habeat, manifestum est, non esse alium Deum agnoscendum, quam eum, de quo Esaias concionatus est, uidelicet eum, qui missurus esset, & iam misit, Messiam suum, qui sedet super solium Dauid & super regnum eius, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, Iesus Christus Dominus noster. Deinde definiuntur septuaginta anni desolationis Tyri, sicut & urbis Hierusalem, ut cognoscamus afflictiones certis suis terminis, priusquam acciderint, circumscriptas esse diuinitus, ultra quos terminos progredi non possunt. Nam quemadmodum Deus concluſit mare ostijs, & posuit ei uectem, ne procedat amplius, quam definitum est, sicut Iob dicit: ita Deus cõcluſit omnes afflictiones certis suis finibus, ne possint eos transgredi. Si enim etiam capitis pili omnes numerati sunt coram Deo, quanto magis numerati sunt anni, dies & horæ, quibus duratura sit afflictio. Hæc idcirco cognoscenda sunt, ut discamus in aduersis patientiam, & non murmuremus contra Dominum. Quid enim faciamus? grauis quidem est afflictio, sed quia terminus eius definitus est a Deo, non possumus eum transferre, aut breuiorem reddere nostra impatientia & importunitate, quin potius his moribus cumulamus mala malis. Quare humiliemur, sicut Petrus monet, sub potenti manu Dei, ut coniecta omni cura in illum, liberet nos, cum uisum ei fuerit opportunum. Non solum autem monet nos hic locus de patientia, uerumetiam de fide in aduersis. Nihil enim certius est, quam quod Deus, qui definit afflictionibus suos terminos & fines, idem etiam definiuerit suum auxilium, & afflictionum mitigationem, quo possimus eas sufferre, & ad terminos earum pertingere. Quem enim Deus in Ecclesia populi sui affligit, eum uult seruare, & quem percutit, eum uult sanare. Oseas ait: Reuertamur ad Dominum, quia ipse lacerauit, & sanabit nos: percussit, & medebitur nobis. Et Paulus ait: Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari supra id quod potestis, sed faciet una cum ten

Iob. 38.

tatione euentũ, quo posſitis ſufferre. Quare bñ confidámus in aduerſis, & cogitemus Deum tam clementẽ eſſe populo ſuo, inuocãti ipſum in ueritate, ut ſi nõ longe ante ꝓuidiſſet & cõſtituiſſet rationem iuuandi & liberandi, nõ permitteret, ut in afflictiones cõiicere mur. Prꝛterea, cum dicit: Merces eius erũt ſacroſanctꝛ Dño &c. uaticinatur de futura Eccleſia Dñi in Tyro, et ſignificat Tyrꝛ inſtaurãdam, maxime oĩm propter Eccleſiam Dñi in ea futurã. Vnde Pſal. lxxxvi. dicitur. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopũ, hi fuerunt illic, hoc eſt, in Zione ſeu Eccleſia non naſcentur tantũ Iudæi, ſed etiam alienigenæ Tyrij & Æthiopes. Quod aũt de Eccleſia Tyriorum a Prophetis prædictum eſt, hoc teſtantur Apoſtolica ſcripta impletum eſſe. Nam & Chriſtus ipſe filius Dei prædicauit Euangelion & ædidit miracula in finibus Tyri & Zidonis: & cum Paulus ad Tyrum nauigaſſet, repetit ibi Eccleſiam (Actorum uigeſimoprimo) quæ poſtea ita aucta eſt, ut etiam publicis ſcriptorum monumentis ſit illuſtrata. Quod ſi Deus inſtaurat urbem propter futuram in eã Eccleſiam, quanto magis conſeruat urbem, propter Eccleſiam iam in ea prꝛſentem. Quare ſi regna & urbes ueram quærunt incolumitatem & diuturnitatem, non eſt neceſſarium, ut muniant arces ſuas prælatis muris, ſed dent operam, ut conſeruent piam doctrinam Euangelij, qua conſeruetur in ipſis Eccleſia Dei. Hanc enim Deus tanto amore complectitur, ut propter ipſam, etiam hoſpitijs eius benefaciat. Adhæc, quod ait, Negociationes & merces Tyri non reponẽdas aut condendas, ſed ſanctificandas Domino, non ſignificat Eccleſiam Chriſti fore monachiſmum, in quo nullus aliquid proprij poſsideat, ſed ſignificat tantam eſſe piorum uere in Chriſtum credentium ſanctitatem, ut cum ipſi ſint ſanctificati Domino noſtro Ieſu Chriſto, omnes etiam opes eorum habeantur Domino ſanctificatæ. Vt enim immundis & prophanis omnia ſunt immunda & prophana, ita puris & ſanctis omnia ſunt pura & ſancta. Quod non eo tantum pertinet, ut ſciamus licere nobis poſsidere externas facultates, & ijs pro neceſsitate noſtra uti, ſed etiam ut admoneamur, ne ijs ad luxum, ad ſcelera, aduerſus Dominum abutamur. Si enim omnia noſtra ſunt Domino ſanctificata, quantum ſcelus deſignat is, qui hæc impio & iniquo abuſu ſordidat, ac prophanat? Poſtremo, cum dicitur, quod negociatio Tyri, hoc eſt, opes negociationibus partꝛ ceſſurꝛ ſint in uſum eorum, qui habitant corã Domino, ut manducent & ueſtiantur, docet Propheta, omnia huius terræ bona pertinere ad pios, & ad uſum piorum, nõ ut inuadant ea uiolenter, & illegitime, ſed quod ea ad hũc uſum a Deo ſint condita, ũt ad utilitatem piorum cedant. Omnia enim bona huius terræ ſunt Domini Dei noſtri. Dñi (inquit Pſalm.

Euſebius.

eſt

est terra & plenitudo eius. Pij autē uere in Christum credētes, sunt hæredes Domini, cohęredes quidem Christi, hæredes autem Dei. Reliquum igitur est, quod & piorum sint omnia huius terrę bona. Etsi autem hęc tam ampla bonorum possessio nondum plene a pijs in hoc seculo, iuxta externum sensum percipitur, tamen non destituimur gustu, & primitijs eius, donec in uenturo seculo manifeste reueletur. Nihil habentes, inquit Paulus, & omnia possidētes. Hic est gustus aliquis regni piorum. Et cum Apostoli sine pera, sine pecunia emissi erant a Christo ad obeundam legationem Euangelij, ingenue fatentur, sibi nihil defuisse. Quærite, inquit Christus, primum omnium regnum Dei, & hæc omnia adijcientur uobis. Quare si quis cupit uere diues & dominus terræ fieri, non suscipiat studium cumulādarum opum, iuxta humanam rationem, Sic enim fit, ut quo plura congregaueris, eo pauperior & miserior reddaris: sed suscipiat studium ueræ pietatis, quo cum fit hæres Dei, consequitur etiā non terrenorū tm̄, sed & cœlestium bonorū possessionem.

CAPVT XXIIII.

ECCE DOMINVS NVDABIT TERRAM &c.

Sequuntur quatuor capita, in quibus Propheta cōcionatur de abiectione Iudæorum ex hæreditate cœlestium bonorum, & de diuulgatione Euangelij in totum orbem terræ, ad eligendas gentes in populum Dei. Obscurę enim non est, ꝙ priusq̄ uenit Christus, Iudæi fuerint Ecclesia & populus Dei, Gētes aūt alienę a Deo. Etsi em̄ nonnulli inter gentes cōsecuti sunt salutē, cum cognouerūt a Iudæis uerum Deum, qui promisit se daturum benedictionem per semen Abrahæ, quemadmodum apparet ex Decretis Monarchaę, quę extant in Daniele, tamen publicum salutis ministerium non erat inter gentes, sed tantum inter Iudæos. Postꝙ autem uenit Christus, & emisit Apostolos in uniuersum mundum, Iudæi cessauerūt esse publica Ecclesia Domini, quod est lōge omnium maximū supplicium, Gētes uero assumptæ sunt, ut essent Dei populus. De hac igitur Iudæorum abiectione, & Gentiū electione concionatur nūc Esaias. Describit autem eam abiectionem & excæcationem, metaphora bellicæ uastationis. Quanq̄ enim Iudæi, postq̄ Deus abiecit eos, ne sint amplius populus suus, etiam grauissimo bello per Titum uastati sunt, tm̄ hęc descriptio pręcipue de calamitate excęcationis intelligēda uidetur. Ecce Dominus (inquit) nudabit terram &c. In bello enim occiduntur aut eijciuntur homines, terra nudatur habitatoribus suis, dissipantur omnia ædificia, & terra nouā plane faciem, eamꝙ horribilem induit. Nulla in bello habetur ratio sacer-

dotis uel uulgi, domini uel ſerui, dominæ uel ancillæ, diuitis uel pauperis. Omnia enim diripiuntur, diſsipantur, & uaſtantur. Quod cum fiat, neceſſe eſt, ut regio deformetur, ut lugeant inhabitatores, & miſerrimi fiant, qui prius erant in terra excellentiſsimi. Redditur & terra inculta, fœda, horribilis, idque propter incolas eius. Hæc in externa uaſtatione regionis fieri ſolent. Idem factum eſt tam in externa quam in ſpirituali uaſtatione Iudaicæ gentis. Poſtquam enim Apoſtoli prædicauerunt ex mandato Chriſti Euangelium inter gentes, Iudæi nudati ſunt omni ſua maieſtate, quam habuerunt apud Deum. Non manſerunt amplius populus Dei. Pauciſsimi conſecuti ſunt ueram ſalutem. Abiecti ſunt a Deo, nullo diſcrimine, non tantum abiecti ex uulgo, uerumetiam ſacerdotes & Pontifices: non tantum ſerui & pauperes, uerumetiam domini & diuites. Breuiter ablatum eſt a Iudæis regnum & ſacerdotium, nec relicta eſt in eis ulla ſpecies Eccleſiæ Dei. Quis autem tantam calamitatem intulit Iudæis? Num terrenus quiſpiam Princeps, aut Monarcha? Minime omnium. Dona Dei homines auferre non poſſunt. Sed hæc calamitas accidit Iudæis a Domino Deo noſtro. Dominus, inquit, nudabit terram. Hoſtis non potuiſſet eam nudare, niſi Dominus hoc conſtituiſſet. Et: Dominus, inquit, locutus eſt uerbū hoc. Quam ergo ob cauſam Dñs abiecit Iudęos, ne ſint amplius populus Dei? Sequitur: Quia tranſgreſsi ſunt leges, mutauerunt ius, diſsipauerunt fœdus ſempiternum. Tria genera peccatorum commemorat. Vnum eſt, Tranſgreſsi ſunt Leges. Hic loquitur de legibus moralibus, hoc eſt, de Decalogo. Nō cuſtodierunt decalogum. Alterum eſt, Mutauerunt ſeu diſſolueruńt ius. Hic loquitur de legibus politicis & Leuiticis. Non obſeruarunt ſua politica & Leuitica. Tertium eſt, Diſsipauerunt ſempiternum fœdus. Hoc eſt ſummum ac præcipuum genus ſcelerum, uidelicet, Abiicere pactum ſeu Teſtamentum Dei, quo Deus ſeſe perpetuo cum Abraamo & poſteris eius obligauit. Quod ergo eſt illud pactum? Deus promiſit ſe per ſemen Abrahæ, hoc eſt, per Chriſtum benedicturum omnes gentes. In ſemine tuo, inquit, omnes gentes benedicentur. Iudęi autem abiecerunt hoc pactum, condemnarunt Chriſtum, & occiderunt eum. Quare & ipſi abiecti ſunt, ne ſint amplius populus Dei. De hac abiectione Iudæorum etiam Moſes & alij Prophetæ ſæpe concionati ſunt. Ioannes etiam de ea prophetat cum ait: Securis poſita eſt ad radicem arboris. CHRISTVS ipſe ſæpe facit mentionem huius abiectionis, præſertim Matthæi octauo & uigeſimoprimo. Item Paulus Romanorum decimo & undecimo. Præcipua autem, quæ ex hac Iudæorum abiectione & Gentium electione cognoſcenda proponuntur

ponuntur, hæc fere sunt. Primum enim docet Paulus, ut ex ea cognoscamus immensam misericordiam Dei. Deus, inquit, uoluit notas facere diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Gentes enim nihil meritæ erant coram Deo, & tamen assumpsit eas in populum suum, quia assumpserunt Christum. Cum autem dico Gentes, intelligo sceleratissimos & impiissimos peccatores, quales erant gentes. Hi enim assumuntur a Deo, si ipsi assumunt Christum filium Dei. Quod si alieni assumuntur, multo magis assumpti retinentur, si ipsi retineant Christum. Quare agnoscamus clementiam Dei, & fidamus ea per Christum, in omnibus nostris aduersis. Deinde cognoscenda est ira Dei. Deus, inquit Paulus, uoluit ostẽdere & notam facere iram & potentiam suam &c. Etsi enim Iudæi fuerunt populus electus a Deo, & habuerunt legem, testamenta, sanctos Patriarchas & Prophetas, tamen tanta est seueritas Dei, ut nec huic populo suo parceret, sed prorsus abiiceret eum, cum ipsi abiicerent Christum filium suum. Noli igitur altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat &c. Hoc enim omnino ac maxime omnium agendũ est, ut conseruemus & retineamus Christum seruatorem nostrum, & maneamus populus atque Ecclesia eius. Nam si hunc retinuerimus, omnia reliqua saluaerunt, etiam si pereant. Israelitæ amittebant arcam suam propiciatoriam, in bello Philistino, primo Samuel. quarto. Et uidebatur Deus recessisse ab Israelitis. Attamen, quia retinebant promissionem de semine Abrahæ, hoc est, Christo, arca restituta est eis maxima gloria. Deinde amiserunt urbem Hierusalem, regnum & omnem gloriam, in uastatione Babylonica: Sed cum retinerent promissionem de semine Abrahæ, manserunt Ecclesia & populus Dei, & restituti sunt postea suæ patriæ. Semen enim Abrahæ, hoc est, Christus, fœdus illud est, quo Deus Pater se cum humano genere coniunxit, quod uelit esse perpetuus eorum seruator. Esaiæ quadragesimosecundo: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, &c. Hoc fœdus Deus nunquam retractabit, sicut dicit Esaiæ capite quinquagesimoquarto. Montes commouebuntur, colles contremiscent, fœdus pacis meę non mouebitur, dicit miserator tuus Dominus. Quare qui hoc fœdere, uidelicet, Christo, coniunctus est cum Deo, id quod fit per fidem, nunquam potest perire, etiamsi coram mundo perire uideatur. Postquam autem Israelitę abiecerunt Christum, tunc etiamsi retinuissent saluam urbem suam, tamẽ interiissent perpetuo. Nunc autem amiserunt tandem etiam regnum & sacerdotium. Quare demus operam fide & obedientia, ut Christum conseruemus, &c.

PROPTER HOC MALEDICTIO VORABIT TERRAM &c.

Redit Esaias ad descriptionē Iudaicę calamitatis,& enumerat partes eius afflictionis,ut proposita grauitate eius,magnitudo diuinę irę erga eos,qui abijciunt Christum filium Dei cognoscatur. Maledictio,inquit, deuorabit seu absumet terram,& habitatores terræ delinquent,hoc est,mulctam,pœnam seu damnum patiētur. Quæ ergo est illa maledictio seu mulcta & pœna? Hæc nimirum,quam Moses minatur Deut.uigesimooctauo &Leui.uigesimosexto preuaricatoribus & contemptoribus uerbi Dei, Et quam etiam Esaias hoc loco per partes enumerat. Primum enim habitatores terræ insanient,pro quo hebræus habet יחרו incalescent,hoc est,æstu peribunt.Hoc enim genus morbi commemoratur inter maledictiones Deut.uigesimooctauo. Percutiet te Dominus tumore,febri,ardore,ęstu,& gladio &c.Deinde relinquētur pauci in terra.Sic Deut. xxviij.Remanebitis pauci numero,qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine &c. Adhæc,lugebit uindemia,deformabuntur uites,ingemiscent omnes,qui lætabantur. Cessabit gaudium tympanorum,quiescet sonitus lętantium,cessabit iucunditas citharæ.Nō bibent uinum cum cantico.& amara erit sicera.Hoc illud est,quod in lege dicitur: Vineam plantabis & fodies, & uinum non bibes, nec colliges ex ea quicquam &c. Præterea, atteretur ciuitas uana, hoc est, deuastabitur regnum, orbatum omni ornatu, domus claudentur,nemo erit qui introeat & exeat. Conquerentur publice de penuria uini, quod potatores antea in abundantia magis effundebant quam infundebant. Ac breuiter omne gaudium cessabit, propterea quod urbes deuastabuntur, & portæ urbium, siue curiæ senatoriæ deijcientur.His uerbis iterum describit Esaias nō solum bellicam illam uastationem, qua Iudæi a Romanis oppressi sunt,sed etiam eam calamitatem,qua Iudæi priuati sunt regno & sacerdotio,& abiecti ne sint amplius populus Dei. Nam quod in externo bello extrinsecus accidit, ut omne gaudium mutetur in luctū,nec quisquam fruatur partis bonis suis,læto animo,sed omnia plena sunt suspirijs, gemitibus, lacrymis, & horrore mortis, hoc solet homini a Deo abiecto accidere, ut nullam prorsus habeat pacem & tranquillitatem in conscientia sua, nec possit ullum gaudium in animo suo,ex rebus alioqui iucundissimis concipere. Omnia ei sunt amara,aduersa,odiosa,donec prorsus pereat.Hæc nunc Iudæis accidunt, quia abiecerunt CHRISTVM. Hæc unicuiuis solent accidere, qui contemnit CHRISTVM uerum seruatorem nostrum.

QVONIAM HÆC ERVNT IN MEDIO

DIO TERRÆ, IN MEDIO POPVLORVM, &c.

Expoſuit Propheta in ſuperiori parte concionis ſuæ excæcationem, uaſtationem & abiectionem Iudæorum, qua factum eſt, ut Iudæi, poſtquam reiecerunt Chriſtum, non ſint amplius populus & Eccleſia Dei. Dices ergo: Si Iudei abiiciuntur, ne ſint Eccleſia Dei, ubi manent diuinæ promiſsiones, quæ ad hunc populum dictæ ſunt? Et ubi eſt Eccleſia Dei, ſi ea non eſt amplius inter Iudæos? De hac re concionatur nunc Eſaias, & docet, quod & ſi multitudo Iudaicæ gentis excæcatur & abiicitur, tamen reliquiæ ſaluæ fiant. Vnde & Paulus Romanis ſcribens, Num repulit, inquit, Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abrahę, tribus Bemlamin &c. Præterea docet Eſaias, Gentes in Eccleſiam Domini congregandas. Hæc erunt, inquiens, in medio terrę, in medio populorum. hoc eſt, Dixi nunc Iudęos abiiciendos & deuaſtandos, hoc non ſic intelligendum, quòd nullus prorſum ex Iudæis ſalutem ſit conſecuturus, quia in medio terræ inter ipſos Iudæos, idem accidet, quod ſolet in decutiendis oliuis, & colligenda uindemia accidere. Cum enim decutiuntur oliuæ, remanent aliquæ reliquiæ, & cum colligitur uindemia, relinquuntur hinc inde nonnulli botri, quos pauperes ſibi ſumunt: ita fiet in abiiciendis Iudæis, ut & ſi multitudo perit, tamen reliquiæ ſaluæ fiant. Interim autem Eccleſia Domini congregabitur magna multitudine ex Gentibus. Nam qui habitant ad mare, poſtquam glorificatus fuerit coram eis Dominus, ac reuelatus eis fuerit Chriſtus, uerus Iehoua, per Euangelion, leuabunt uocem ſuam, perfundentur magna lætitia, quã & teſtabuntur non uoce tãtum, uerum etiam quibuſcunq; officijs poſſunt. Adhæc, qui habitant in uallibus, & in inſulis maris, glorificabunt & laudabunt nomẽ Domini Dei Iſrael, qui eſt Chriſtus, Euangelio pãtefactus. Ac breuiter, A finibus terræ celebrabitur laus & gloria Iuſti, qui eſt Chriſtus ſeruator noſter, ſolus uere iuſtus, & iuſtificans omnes, qui in ipſum credunt. Hęc non eſt obſcura concio de uocatione gentium. Sicut & Chriſtus ipſe de ea cõcionatur, cum Actorum primo ad Apoſtolos ait: Eritis mihi teſtes nõ ſolum Hieroſolymis, uerumetiam in uniuerſa Iudæa. Samariaq;, denicq; uſque ad extrema terræ. Sed poſtquam Eſaias cognoſceret ſpiritu, Iudæos, aſſumptis gẽtibus, horribiliter abiiciendos, ualde perturbatur animo propter interitum gẽtis ſuæ. Et exclamat: Secretum meum mihi &c. Pro quo ſic legẽdum eſt: Macilentia mihi, macilentia mihi. Væ mihi, Præuaricantes præuaricati ſunt, præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt. hoc eſt, Video futurum, ut reuelato Euãgelio Chriſti, plurimis gẽtibus ſeruatis, pauciſsimi

Iudæi saluſtem conſequantur. Me igitur miſerrimum, quod tanta ſit populi mei macies & tenuitas, ut minima eorum pars agnoſcat Chriſtum, & ſeruetur per eum. Nam quemadmodum Paulus ad Romanos ſcribens, de excęcatione & abiectione Iudæorum, ingenue confitetur ingentem dolorem ſuũ, quem concepit ex interitu ſuorum cognatorum: Veritatem, inquiens, dico in Chriſto, non mentior, atteſtante mihi ſimul conſcientia mea, per ſpiritum ſanctum, quod dolor mihi ſit magnus & aſsiduus cruciatus cordi meo &c. ita & Eſaias hoc loco concutitur magna animi perturbatione, quod uideat tantam populi ſui maciem futuram, hoc eſt, pauciſsimos per Chriſtum ſeruandos. Quid autem huius rei cauſę eſt? Addit ur: Præuaricantes præuaricati ſunt. hoc eſt, Iudæi contempſerunt & abiecerunt Chriſtum. Quare uiciſsim a Deo ipſi cõtempti & abiecti ſunt. Initio autem uides hic Chriſtum iterum prædicari ab Eſaia uerum Dominum Deum Iſrael. Dicit enim Dominum uerum Deum glorificandum inter gentes, & gẽtes glorificaturas nomen Domini Dei Iſrael. Inter gentes autem glorificatus eſt Ieſus Chriſtus per Euangelion. Et gentes agnoſcunt & celebrant nomẽ Ieſu Chriſti. Manifeſtum igitur eſt, quod Eſaias ſentiat, Chriſtum eſſe uerum Dominum Deum noſtrum. Deinde obſerua Eccleſiam Domini colligi & ſeruari, etiam in media ruina regnorum & imperiorum huius mundi. Magnus & horribilis fuit caſus regni & populi Iudaici. Et ruente hoc populo, uidebatur uniuerſa Dei Eccleſia ruitura, attamen in tanta ruina Deus collegit & ſeruauit ſibi Eccleſiam, nõ ſolum e Iudæis, uerumetiã ex gentibus. Quare non ſentiamus Deũ obliuiſci Eccleſię ſuæ, etiãſi uarię ſint ſubinde mutationes regnorũ huius ſeculi: ſed potius Deum tunc maxime ſuſcipere curam Eccleſiæ ſuę, cum omnia in hoc mundo ſurſum deorſum uoluuntur, & cœlum terræ miſceri uidetur. Ex abiectione autem Iudęorũ agnoſcenda eſt magnitudo & ſeueritas diuinæ iræ aduerſus contemptores Chriſti & Euãgelij eius. Præuaricantes, inquit, præuaricati ſunt. hoc eſt, Iudęi idcirco ſunt abiecti, quia ipſi præuaricati ſunt & abiecerunt Chriſtum. Hic enim populus fuit a Deo electus, in gentem ſanctam, & peculium præ omnibus nationibus terræ. Conſeruauit eos maximis miraculis in medio hoſtium. Dedit eis Patriarchas & Prophetas. Et quod maximum eſt, promiſit etiã ſe ex gente eorũ daturum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Et quanquam ſæpenumero grauiſsime peccarent, non publicis tantum ſceleribus, ſed etiam idolatria, tamen cum nondum aperte Chriſtum abijcerent, pepercit eis, & agnouit eos pro populo ſuo. Poſtquam autem damnarunt & abiecerunt Chriſtum, ac Euangelion eius, nõ potuit Deus amplius teneri, quin eos perpetuo abijceret. Metuendum

Iudæi ciur abiecti

dum exẽplum, quo admonemur, ut, quicquid accidat, ſtudeamus ſaltem Chriſtum & Euangelion eius retinere ac conſeruare. Nam quemadmodum ciues dum pharmacopolion retinent, poſſunt aliquam recuperandæ ſanitatis, ſi in morbum inciderint, ſpem concipere: poſtquam autem eo ueſaniæ procedunt, ut non ſolum pharmacopolion euertant, uerumetiam omnia genera medicinę concul cent, quam ſpem recipiendæ ſanitatis habere poſſent? Ita dum retinemus Chriſtum, & ſumus populus Dei, etſi peccauimus, etſi affligimur, tamẽ licet reſipiſcere, & cum Deo in gratiam redire. Poſtq̃ autem abiẽcimus Chriſtum & Euangelium eius, nulla amplius patet nobis ſine Chriſto ſalus. Quare nihil nobis prius, nihil poſterius ſit, cẽp̃ ut in Chriſto & Euangelio eius maneamus, & in uocatione Chriſti ambulemus. Poſtremo proponitur etiã nobis exemplũ immenſæ clementiæ & miſericordiæ Dei, in gentibus. Gentes em̃ aſſumptæ ſunt in populum Dei, nullo ſuo merito. Erant enim longe omnium ſceleratiſsimæ, & omnibus uitijs ſordidatę. Aſſumptę tamen ſunt in populum & Eccleſiam Dei, ob quam cauſam? ob nullam aliam, quam quod ipſæ aſſumpſerunt Ieſum Chriſtũ, qui ipſis per Euangelion ab Apoſtolis adnunciabatur. Vides igitur agnitionem Ieſu Chriſti eſſe cauſam ſalutis, abiectionem autem & abnegationem eius eſſe cauſam perpetui interitus.

FORMIDO ET FOVEA ET LAQVEVS SVPER TE O HABITATOR TERRÆ etc.

Eſaias concionatus eſt hactenus in hoc capite de abiectione Iudæorum & uocatione gentium. Dixit pauciſsimos Iudæorum, plurimos autem gentium agnituros Chriſtum, & conſecuturos ueram ac perpetuam ſalutem. Nunc autem cõcionatur, quid futurum ſit de reliquis habitatoribus terræ, q̃ ſunt impĩj, & de regnis huius ſeculi, poſtquam reuelabitur & ſpargetur Euãgelion Chriſti in totum orbem terræ. De pĩjs enim ſiue Iudæis ſiue gentibus ſtat ſententia, quod cum agnoſcãt Chriſtum, leuaturi ſint uocem ſuam & laudaturi Dominum Ieſum Chriſtum, in quo etiam et propter quẽ conſequentur perpetuam tranquillitatem, etiamſi multis afflictionibus in hoc mundo obruantur. Quid autem futurũ eſt de impĩjs, quorũ maxima ſemper multitudo eſt in terris? Quid fiet de regnis & Monarchijs huius mundi, poſt reuelatum Euangelion? De hoc nunc concionatur Eſaias. Et ut ſententiã eius rectius percipiamus, recitabimus initio, quod ipſe in fine huius capitis commemorat, & quod in hac concione præcipuum eſt. Erubeſcet, inquit, luna, & cõfundetur ſol, cum regnauerit Dominus exercituũ in monte Zion & in Hieruſalem, & in cõſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. Hęc eſt cõcio de regno Chriſti, quod Chriſtus ipſe in terris cœpit,

primum quidem prædicatione Euangelij sui, deinde missione spiritus sancti in Zion seu urbe Hierusalem, & diuulgatione Euangelij ab eo loco, usq; ad extremos fines terræ. Postquam enim regna & Monarchiæ huius terræ, in quibus homines dominantur, non possunt subditis suis ueram salutem afferre, promissum est diuinitus regnum cœleste, in quo nō homo, sed Deus ipse dominaturus sit, & omnes subditos suos uere seruaturus. Hic est Dominus Iesus Christus & regnū eius, quod cum cœperit per Apostolos uulgari a Hierusalem in orbē terræ, dicitur Christus regnare in Zion & Hierusalē, & glorificari coram senioribus suis, hoc est, corā Apostolis & omnibus pijs. De hoc regno canit Psal. Commouea/tur, inquiēs, a facie eius uniuersa terra. Dicite in gētibus, quia Dominus regnauit. Hic Dominus est Christus, qui accepit regnum in Hierusalem, cum misit spiritum sanctum, & amandauit Apostolos ex eo loco in uniuersam terram, ad colligendos Iudæos et gentes in unam Ecclesiam. Et iterum: Dominus regnauit, exultet terra, lętentur insulæ multæ. Et Esaias cap. xl. Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda, Ecce Deus uester, Ecce Dominus Deus in fortitudine ueniet, et brāchium eius dominabitur. Et ca. lij. Quam pulchri super montes pedes adnunciātis & prædicātis pacem: adnunciātis bonū, prædicantis salutem, dicentis Zion, regnabit Deus tuus. Et paulo ante: Propter hoc sciet populus meus nomē meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce Assum. Hæc omnia dicta sunt de Christo, qui uerus est Dns Deus noster, & de regno eius, quod prędicatione Euāgelij cœptum est in Zion. De hoc rege & regno etiā Daniel concionatur cap. ij. In diebus, inquit, regum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod inæternum nō dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Et cap. vij. Ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnū, & omnes populi, tribus & linguę ipsi seruient. Potestas eius, potestas æterna &c. Ex his perspicuum est, quid illud sit, quod Esaias in fine huius capitis dicit: Regnabit Dominus Zebaoth in monte Zion & in Hierusalem, & in conspectu senum suorum glorificabitur. Loquitur eñ de Christo, qui est Dominus Zebaoth, & de regno eius, quod cœpit missione spiritus sancti in Zion & urbe Hierusalem per Apostolos in toto orbe administrare. Cum igitur pij in terris subijcient sese huic regno, & agnoscent regē Christum, quid deinceps fiet in his terris, præsertim cum maxima pars hominum maneant impij, postq; regnum Christi diuulgatū fuerit per Apostolos? Primū, Formido, inquit, fouea & laqueus super te o habitator terræ. Et erit qui fugerit a facie formidinis

&c. hoc

&c. hoc est, postq̃ Euangelion Christi prędicabitur in mundo, nulla amplius erit pax impijs. Qui unam calamitatem effugerit, incidet in aliam, donec prorsus pereat. Sicut enim quõdam, cum Deus uellet punire orbem terræ diluuio, cataractę cœli apertę sunt, & rupti sunt omnes fontes abysi, ac effuderunt horribiles imbres, ut uniuersi homines, pręter paucissimos, aqua interirẽt: ita & eo tẽpore, quo Euangeliõn Christi prædicabitur in orbe, aperiẽtur cataractę cœli, & concutientur fundamenta terræ, hoc est, magnum & horribile parabitur supplicium impijs Euangelij contẽptoribus. Terra non amplius consistet, sed confringetur, cõteretur, commouebitur, nutabit tanq̃ ebrius, & tam facile transferri posse uidebitur, cũ facile tabernaculum pastoricium transferri solet. Non enim perpetuo feret impios, sed tandem expuet eos in interitum, & induet ipsa nouam faciem. Hæc tum cœpta sunt fieri, cum Euãgelion Christi uulgatum est in terra. Etsi enim reipsa apparet terra adhuc esse firmissima, & quasi perpetuo duratura, & impij uidentur in terra magis dominari, ac fœlices esse, cũ nutare, & perire, tamen coram Deo cœpit terra ingemiscere et nutare, donec tandem in nouissimo die mutetur. Vnde & Paulus ait: Scimus quod omnis creatura congemiscit, simulq̃ nobiscum parturit usq̃ ad hoc tempus. Et alias, tempus illud quod sequitur reuelationem Euangelij in hoc mundo, uocatur nouissimum tempus. Postquam enim uenit Christus, & uulgauit Euangelium suum in orbem terræ, non est aliud nobis expectãdum, præter extremum iudicium, quo Christus uenturus est in maiestate sua. Sed quid causæ est, quod terra sit ruitura, hoc est, quod impij in terra sint horribiliter perituri? Addit Propheta. Grauabit eam iniquitas sua. Itaq̃ sic corruet, ut nũquam amplius in priorem statum restituatur. Vides etiam terram luere iniquitatem eorum, qui inhabitant eam. Deinde obserua q̃ grãde sit põdus, iniquitas, seu peccatum. Deprimit enim impium seu peccatorem, primum in formidinem, deinde in foueã, post in laqueum, hoc est, conijcit eũ in aliud atq̃ aliud genus calamitatis, donec tandem opprimat eum usq̃ ad infernum & perpetuam internecionẽ. Eadem phrasi Hier. describit interitum Moab, cap. quadragesimooctauo: Pauor & fouea & laqueus &c. Quid ergo hoc pondere grauius? Recense tecũ exempla, & uidebis grauitatem huius põderis. Qui nunc est fœdissimus Satan in inferno, fuit in cœlo illustrissimus angelus: Sed peccatum quod designabat aduersus Deum ita grauauit eum, ut non solum deijceret eum e cœlo, uerumetiam detruderet eum in infimum perpetui interitus barathrum. Homo erat initio in Paradiso, omnibus malis liber: Sed peccatum, quod fecit, ita grauauit eum, ut non solum deijceretur e Paradiso, uerumetiam conijceretur

Peccatum quàm graue pondus.

in omnia genera malorum. Nec unquam ceſſat hominem grauare, & opprimere, niſi abijciatur. Non poteſt autem abijci, niſi agnitione eius, & fide in Chriſtum. Quare ſummum noſtrum ſtudium ſit, ut conuertamur ad Chriſtum, & in eo per fidem conquieſcamus, quo liberati a grauitate peccati, in cœlum conſcendamus. Deinde poſtquam reuelabitur Euangelion, & ſuſceperit Chriſtus DOMINVS Zebaoth regnum in Zion, abrogabuntur omnes ſublimes poteſtates in terra. Erit in die illa, inquit, uiſitabit Dñs ſuper exercitũ excelſum in excelſo, hoc eſt, ſuper ſummas & potentiſsimas Monarchias, quæ & a Paulo uocantur ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι poteſtates ſublimes. Viſitabit etiam ſuper reges terræ, qui ſunt in terra, hoc eſt, ſuper reliqua regna huius mundi. In hoc enim mundo ſolent eſſe magna & parua regna, potentiſsimæ Monarchiæ, & mediocres principatus. Hæc omnia, inquit, congregabuntur in interitum. Quemadmodum enim uincti ſolent congregari & conijci in foueam, & mancipia aſſeruari in ſua cuſtodia, donec uel tandem pereant: ita regna huius mundi incipient a reuelatione regni Dei in ſeruitutem & captiuitatem redigi, donec poſt multos dies prorſus intereant. Sic & Danielis ſecundo lapis abſciſſus de monte conterit ſtatuam, hoc eſt, ut Daniel ipſe interpretatur, Regnum cœli comminuet & conſumet uniuerſa regna terræ. Ipſum autem ſtabit inæternum. Sed quomõdo, inquies, hoc impletur a diuulgatione Euangelij, cum uideamus regna huius mundi, oppreſſa pene Eccleſia, quæ eſt regnum Chriſti, florere? Manent quidem regna huius mundi etiam poſt reuelatum Euangelium, & officium piorum eſt, ut in politicis rebus obediant præſentibus Imperijs. Sed primum, hæc regna obnoxia ſunt uarijs mutationibus. Nullum eſt in terris firmum imperium. Conſidera quæſo mihi, quam multæ & quam uariæ fuerint mutationes Romani regni, ab eo tempore, quo ſparſum eſt Euangelium per Apoſtolos in orbem terræ, uſque ad hoc præſens tempus, quo uix nomen Romani Imperij reliquum eſt. Idem accidit etiam reliquis minoribus regnis ac principatibus. Deinde & ſi Romanum regnum diu reſtitit Euangelio, tamen neceſſe habuit Euangelio locum dare, & Eccleſiam Chriſti in ipſo ferre. Hoc certe eſt captiuum eſſe regno Chriſti. Sic & de alijs regnis ſentiendum eſt, in quibus fuerunt quidem graues perſecutiones, attamen non potuerunt abolere Euangelium Chriſti, quo Eccleſia ex ipſis congregata eſt. Hoc eſt Eccleſiæ ſeu regno Chriſti ſeruire. An non & Turcicum Imperium potentiſsimum eſt, & pugnat ex diametro cum regno Chriſti? Neceſſe tamen habet Eccleſiæ cedere, quia Chriſtus ſeruat etiam in in media Turcia ſuam Eccleſiam, per Euangelion ſuum. Itaq; etiam

Turcicum

Turcicum Imperiũ eſt mancipium regni Chriſti. Poſtremo, quantumcunque Monarchiæ & regna huius mundi florere uidentur, tamen tandem in nouiſsimo die omnia interibunt. Solum autem regnum Chriſti perpetuo ſtabit. Hoc illud eſt quod Eſaias dicit. Sublimes poteſtates, & regna colligi quaſi in carcerem, ſeu cuſtodiam, & uiſitari poſt multos dies. hoc eſt, Poſtquam Euangelion diuulgabitur in mundo, neceſſe habebunt omnia regna, quaſi mancipia, etiam præter uoluntatem ipſorum ſeruire Eccleſiæ Chriſti, & tandem poſt multos annos in nouiſsimo die interire. Manebit autem ſolum regnum Chriſti perpetuo. Monemur igitur hac concione, ut aſſectemur bona regni Chriſti, quæ ſola ſunt firma & ſtabilia. Magna hominum pars hoc tantum agunt, ut conſequantur bona regnorum huius mundi, & putant ſe ſatis fœlices, ſi uel ipſi habeant regna & magiſtratus, uel fruantur fauore regum ac Magiſtratuum, & affluant terrenis bonis. Sed hi ſeipſos ſeducunt. Cum enim omnia regna huius mundi intereant, neceſſe habent & ipſi, qui iſs fidunt, interire, Quare præcipuæ curæ nobis ſit, ut in regno Chriſti ſimus, & eius bonis, quæ perpetuo durant, fruamur. Quid autem amplius fiet, poſtquam Chriſtus DOMINVS Zebaoth acceperit regnum ſuum in monte Zion, & in Hieruſalem? Sequitur in Eſaia. Erubeſcet luna, & confundetur Sol. Tanta erit claritas regni Chriſti, ut præ ea non ſolum obſcurentur & extinguantur clariſsimæ Monarchiæ huius terræ, uerum etiam luminaria cœli, Sol & Luna. Sol illuſtrator eſt diei. Luna noctis. Ac ꝑfecto his luminibus nihil eſt in hoc orbe clarius & illuſtrius. Et tñ lux, quæ lucebit in regno Chriſti, multo clarior, & multo illuſtrior erit. Sol & Luna lucent quidẽ homini, ut incedat in terrena uia, ne offendat externum pedẽ ad lapidem. Et lucent, ut opera tua externa conficias. Sed non lucent, ut incedas ſine offenſione ad ueram & æternam fœlicitatem. Euangelion autem regni Chriſti, lucet e peccatis in iuſticiam, e morte in uitam, ex inferni tenebris, ad cœleſtem ſplendorem. Quid hac Luce clarius? Quare recte dicitur lux Solis & Lunæ pudefieri & obſcurari, præ magna claritate eius lucis, quæ effulget prædicatione Euangelij in Eccleſia ſeu regno Chriſti. Etſi enim etiam Euangelion ipſum aliquoties obſcuratur uel humanis traditionibus, uel tyrannicis perſecutionibus, tamen pijs ſemper ita lucet, ut queãt tenebras mortis & inferni ad cœleſtem uitam euadere. Habes in hac concione, quæ euenſant in terra, a die Pentecoſtes, quo Euangelion de cœlo confirmatum eſt, uſque ad nouiſsimum huius ſeculi diem. Alij alia de rebus in hoc mundo futuris, uaticinia, neſcio cuius Sibyllæ, & quorundam

aliorum circumforaneorum ſcrutantur, quæ ſunt uanorum hominum ſomnia. Hic autē habes uaticinium ſpiritus ſancti, quod nos excitare debet, ut contempta huius mundi & regnorum eius uanitate, ſectemur ea firma & ſtabilia bona, quæ nobis Euangelion Chriſti proponit, remiſsionem uidelicet peccatorum, & iuſticiam, per Ieſum Chriſtum, ut fructum eorum in æterna uita percipiamus.

CAPVT XXV.

DOMINE DEVS MEVS ES TV: EXALTABO TE ET CONFITEBOR &c.

In præcedenti capite concionatus eſt Eſaias de regno Chriſti, quod reuelatum eſt diuulgatione Euangelij per Apoſtolos in totum orbem terræ. Etſi autem maxima eſt gloria & maieſtas huius regni, ac demolitur omnia regna mundi, quemadmodum ſupra oſtendimus, tamen ipſum non eſt regnum mundanum, ſed ſpirituale. Quare, cum non ſit de hoc mundo, neceſſe habet multis aduerſis, in regnis huius mūdi affligi. Et qui agnoſcunt Chriſtū, ac ſunt regni eius ſubditi, obijci ſolent omnibus generibus calamitatis. Sicut Chriſtus ad Pilatum ait: Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei uticq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Et alias: Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſſet diligeret &c. Ac rurſus: Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & uos perſequētur &c. Quid ergo ad hæc dicemus? Num quia regna huius mundi perſequuntur regnum Chriſti & ſubditos eius, Chriſtus nō tuetur regnum ſuum, et non conſeruat ſubditos ſuos, qui ſunt credentes in ipſum? Abſit longiſsime. Etſi enim pij qui ſunt ſubditi regni Chriſti, patiuntur in hoc mundo, & in regnis eius grauiſsimas perſecutiones, & peſſime affliguntur, tamen conſeruantur a Domino mirabiliter, & donantur æterna ſalute. Poſtquam igitur Eſaias conſiderat ſpiritu ſuo hanc admirabilem conſeruationem regni ſeu Eccleſię Chriſti inter immanes furores huius mundi, teneri non poteſt, quin erumpat ad commemorandū encomion & laudem maieſtatis & clemētiæ Chriſti Domini ſeruatoris noſtri, ut non tam gaudium animi ſui publice exponat, q̄ gratitudinem ſuam erga tantum benefactorem declaret. Itaq;, quod initio huius xxv. capitis ſequitur, encomium & laudatio eſt admirandæ illius induſtriæ, qua Chriſtus in medijs furoribus huius mundi ſuam Eccleſiam ſeruat. Dñe, inquit, Deus meus es

us es tu. Exaltabo te, & confitebor nomini tuo, seu laudabo nomen tuũ. Hæc est propositio, hic est status huius encomij, Recitabo publice laudem tuã Dñe Deus meus. Alloquitur aũt eum Dñm Deum, quem in fine prioris capitis dixit regnare in Zion & Hierusalem. Hic uero est Iesus Christus seruator noster. Quare & Christum in hoc encomio alloquitur, & agnoscit eum esse uerum Dñm Deum suum. Sed quid facit Christus Deus laude et cõmendatione dignum? Sequitur. Ideo laudo te, quia facis admiranda, & consilia tua a longe sunt uera & firma. Non dubito autem, quin quod Paulus in ij. Corinth. i. scribit: Quotquot sunt promissiones Dei, per ipsum (Christum) sunt Etiam, Et per ipsum Amen, ex hoc Esaiæ loco acceptum sit. Sensus enim est. Christus admirabiliter administrat & seruat suam Ecclesiam, & complet in ea omnia sua consilia, & promissiones. Etsi enim promissiones eius uidentur in longum differri, ut arguantur ab impijs mendacij, tamen sunt etiam & amẽ. Nihil ijs nec uerius est, nec firmius. Videtur eas tarde complere. Sed complet eas opportune, gloriose, & admirabiliter. Quæ ergo sunt illæ promissiones? quæ sunt illa consilia Christi? Hæc constãt duabus partibus. Vna est, quod Christus õmnia regna mũdi, quæ persequuntur Ecclesiam suam, & omnes impios tyrannos siue reges, siue priuatos, qui affligunt pios, sit deiecturus, et oppressurus. Altera est, quod Christus Ecclesiam suam, quamuis afflictissimam & contemptissimam in hoc mundo sit liberaturus ab omnibus malis, & seruaturus perpetuo. Hæc fuerunt consilia Christi ab initio. Hæ sunt promissiones Dei iam inde ab exordio mundi. Hoc Deus constituit, cum dixit Semen mulieris conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Hoc Deus uult, cum ad Abraamum ait: Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus tibi: atq; in te benedicentur uniuersæ cognationes terræ. Sed audiamus de priori illa parte consilij Dei Prophetam nostrum. Tu ponis, inquit, ciuitatem in tumulum, seu aceruum, redigis urbem munitam in ruinam, deijcis palatium alienorum, ut non sit amplius ciuitas, neque inæternum restituatur. hoc est: Idcirco laudo Christum DOMINVM Deum meum, quod deijciat & uastet potentissimas Monarchias, & regna huius mundi, quæ persequuntur Ecclesiam. (hæc enim significantur per munitas urbes, ciuitates, & palatia alienorum) Nec simpliciter ea deijcit, Sed ita, ut nunquam amplius in pristinum statum restituantur. Gens enim, & regnum, (ut Esaias alias dicit) quõd non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabuntur. Hoc uere illud est, quod ad Abrahamum dicitur: Benedicam benedicentibus tibi, maledicam male-

dicentibus tibi. Exemplum est Regnum Ægypti. Huic enim regno Deus per Ecclesiam suam benefecit. Misit Iosephum, nutritorem Ecclesiæ, in Ægyptum, qui conseruauit regnum eius sua prudentia in fame. Sed uicissim Ægyptus Ecclesiam immanissime tractauit. Quare regnum eius uarijs cladibus ita affectum est, ut tandem prorsus interierit. Ciuitas Niniue magnum beneficium accepit a Iona Propheta populi Dei. Sed ipsa paulo post emisit regem suum ad uastandum populum Dei, quarto Regum decimoseptimo. Necesse igitur habuit ita interire, ut nunquam amplius pristinam potentiam resumere potuerit. Babylon non mediocri beneficio affecta est per Ezechiam, qui cum legatis Babyloniorum exposuisset miraculum, quod in ipso Dominus ediderat, administer fuit, ut & gloria ueri Dei in Babylone adnunciaretur, & ciues ad ueram Dei cognitionem peruenirent. Sed hęc ciuitas postea emisit ad Iudæam euersorem Hierosolymæ, & dissipatorem totius populi Dei. Quare iusto Dei iudicio factum est, quod iuxta Prophetam, ciuitas fortis posita sit in aceruum, & ruinam. Quid dicam de Romae? Hæc ciuitas consecuta est magna beneficia, propter Ecclesiam Christi. Deus enim tribuit ei circa ea tempora, quibus Euangelion Christi uulgandum erat per Apostolos, maximam in toto orbe terrarum potentiam, ut qui in ultimis finibus terræ clamaret se ciuem Romanum, inuiolatus esset. Tribuit autem ei hanc potentiam & autoritatem, non propter urbis aut ciuium & incolarum sanctitatem, sed propter Ecclesiam Christi, ut Apostolis, qui erant Romano Imperio subiecti, pateret totus orbis ad prædicandum Euangelion, & colligendam Ecclesiam ex omni natione, quod quantum quidem ad humanum iudicium attinet, non potuisset commode fieri, si ijs temporibus multæ simul & inter se pugnantes Monarchiæ in terra fuissent. Sed Roma parum gratiæ retulit Ecclesiæ Christi pro hoc beneficio. Sunt enim autores, qui testantur, nullum esse toto anno, præter Calendas Ianuarias, diem, quo non in Romana urbe & Imperio quingenti martyres supplicio afflicti numerentur, alij multo plures numerant. Deus igitur tantam huius urbis & regni crudelitatem ita puniuit, ut ab eo tempore uarijs, ijsq; horribilibus mutationibus ac uastationibus obnoxia fuerint, nec unquam, iuxta Prophetam, in sempiternum ædificentur, hoc est, pristinas uires nunq̃ recuperabũt. Sed in quẽ usum Esaias hæc de ruinis munitarum ciuitatũ, et Monarchiarum recitat? Sequitur: Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robustarum timebit te, hoc est, Monarchiæ & ciuitates contemnentes aut persequentes uerbũ Dei, quæ uidẽtur inuictæ, idcirco deijciuntur, ut alij, quãuis

fortes

fortes & robusti discant timorem Dei, agnoscant maiestatem Dei, & conuertantur ad Deum, ac uiuant. Pestilente flagellato, inquit Salomon, stultus sapientior erit. Et in Iobe: Magnus fortitudine & iudicio & iustícia, & enarrari non potest. Ideo timebunt eum uiri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi uidentur esse sapientes.

QVIA FACTVS ES FORTITVDO PAVPERI, &c.

Sequitur altera pars consilij Christi. Diximus enim antea Prophetam laudare Christum ab admirandis suis consilijs, quo regnũ suum administrat. Duę autem sunt partes huius cõsilij. Vna est, qp iam olim constituerit & decreuerit, se omnia impia regna, & politeas cum regno suo pugnantes deleturum. Altera, quod decreuerit se, populum & Ecclesiam suam in omni afflictione seruaturum. Ita qꝫ reportat etiam Christus ex his operibus sua cognomina & titulos. Vocatur enim DOMINVS Zebaoth, hoc est, Exercituum, seu militiæ, quod potenter deijciat superbos & impios, ac deponat magna ui potentes de sede. Vocatur & Rex seu præfectus pauperum, & aduocatus mendicorum (ein bettel vogt) quod seruet miserum populum suum, & sicut Maria canit, exaltet humiles, & impleat esurientes. De hac igitur altera parte concionatur nunc Esaias, & laudat Christum ab insigni clementia, qua Ecclesiam suam in omnibus malis & aduersis defendit, & liberat. Tu es, inquit, fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua. Tu es refugium in tempestate. Vmbraculum in æstu. Ac præsertim opportune admodum iuuas miserum populum tuum, cum tyranni incurrunt in eum, sicut tempestas aduersus murum. Etsi enim sæua est incursio tyrannorum, tu tamen efficis ut conseruetur populus tuus, sicut murus ualidus constat aduersus impetum torrẽtis. Et quẽadmodum æstus exiccat herbas in loco deserto seu arido, ita etiã efficis ut uires tyrannorum, quamuis uidentur uirere ac florere, frangantur, & surculus eorum exaresçat, & pereat, interim autem populus tuus in te conquiescet, & seruabitur, sicut homines in æstu recreantur ab umbra nubis. Hæc est iucundissima descriptio Christi, qualis sit rex, administrator & seruator Ecclesiæ suæ. Spiritus sanctus tribuit ei suauissimos titulos. Vocat eum, Fortitudinem pauperum & egenorum. Refugium in tempestate. Vmbraculum in æstu. Et umbram nubis, in maximis persecutionum ardoribus. Hæc ut diligenter sunt consideranda, ita etiam recte intelligenda. Primum enim, quia Christus uocatur fortitudo pauperum & egenorum, & refugium in tẽpestate, ac umbraculum in æstu tyrannorꝫ & persecutorꝫ, perspicuum est, qp sinit populum suum pauperẽ &

egenum fieri,& quod permittit ut tempestas oriatur, ut tyrãni cru deliter grassentur in populum suum. Non enim sentiendum est, Christum esse talem regem seu præfectum egenorum,qualem car nales homines fingunt,uidelicet, quod populum suum ita defen dat,ut nullus inter eos fiat egenus,nullus affligatur, nullus crudeli ter tractetur:Sed quod cum sit egenorum fortitudo, populus eius egestate, & omnibus calamitatibus huius seculi prematur. Posset qudem Christus efficere,ut nullus pius,postquam renatus esset in ipso,affligeretur calamitatibus huius seculi.Posset efficere,ut om nes qui credunt in ipsum,fruerẽtur ômni humana fœlicitate in his terris, sed hoc nec nobis utile,nec ipsi glorioſum esset. Cum enim in pijs,post renascentiam,remanent carnis reliquiæ,utile est eis,ut obruãtur afflictionibus,quo caro mortificetur, & peccatum adhuc in carne hærens agnoscatur. Vtile & in hoc est,ut magnitudo affli ctionum inijciat pijs desiderium fœlicitatis futuri seculi, ad quam non magno desiderio aspirarent, si omnia ipsis ex animi sententia in hoc præsenti seculo succederent.Sed de utilitate afflictionum & calamitatum alias.Maior autem gloria seruatoris, maior industria est,seruare perditum,quam seruare incolumem: Et uiuificare mor tuum,quam uiuificare uiuum. Christus sciebat Lazarum Bethani ensem ægrotare. Potuisset autem eum seruare,ne incideret in ægro tationem,aut ut ex ægrotatione conualesceret: Sed maluit permit tere,ut moreretur,& quatriduo in sepulcro iaceret,quo maior & il lustrior fieret miraculi gloria. Potuisset Christus efficere,ne Pe trus ab Herode caperetur:Sed conniuit, ut caperetur, quo maiori gloria diuini nominis e uinculis liberaretur. Vnde & hunc titu lum habet,quod sit Adiutor in necessitate.Ergo necesse est,ut pri us in summam necessitatem, & in extrema pericula conijciamur, quam reueletur in nobis adiutorium Domini. Quare,cum recitan tur nobis epitheta & tituli Christi, quod sit fortitudo egenorum, Pater pauperum,liberator afflictorum, sciamus hos titulos non si gnificare,quod debeamus esse immunes ab afflictionibus, sed po tius quod simus in hoc mundo omnibus afflictionibus obnoxij. Nisi enim sic sese res nostra haberet, non indigeremus Patre & li beratore ex afflictionibus. Deinde modus etiam,quo Christus po pulum suum liberat, recte intelligendus & diligenter cognoscen dus est. Existimant enim homines carnales, quod liberatio, quæ promittitur,debeat fieri externo & carnaliter sensibili modo. Itaq; egenus, cum audit sibi auxilium a CHRISTO promissum, somniat magnum thesaurum pecuniæ. Ægrotus, cum audit sibi liberationem a Christo promissam, expectat sanitatem corpora lem. Captiuus, cum audit sibi liberationem a Christo promissam,

expectat

expectat libertatem corporis. Ac sæpe quidem, & multum fieri solet, ut afflicti inuocãtes Dominum in ueritate, etiam ab externis afflictionibus diuinitus liberentur, & mundana beneficia consequãtur. Exẽpla sunt Ioseph, Israelitę, Dauid, Ezechias, & innumeri alij pij. Si autem loquendum est de eo liberationis modo, propter quẽ Christus in hanc terram missus est, & qui est proprius regni eius, tunc non est carnalis & mundanus, sed spiritualis, & cœlestis modus. Qualẽ ergo dicis? Talem uidelicet, quod Christus expiat peccata nostra, & recõciliat nos cum Deo Patre, ut si credimus in Christum, pater sit nobis propicius, suscipiat nos in gratiã suam, remittat nobis peccata, & adoptet nos in filios suos, ac seruet in morte ad æternam uitam, & cœlestem hæreditatem. Itaq; si quis pius egestate premitur, hoc modo liberatur & seruatur, non quod Christus numeret ei multos coronatos numos, sed quod proponat ei Euãgelion suum, per quod confirmat in eo fidẽ, ut agnoscat se habere Deum propicium: & quanq̃ prematur egestate in hoc seculo, tñ gaudeat se possidere ęternas diuitias in cœlo, & non periturum in morte, sed consecuturum cœlestia bona. Sic & alius comprehenditur in periculis mortis, ut Abel, ut Esaias, cum serra esset secandus, ut Stephanus, cum esset lapidandus, ut Paulus, cum esset decollãdus. Hic ẽm liberatur & seruatur non carnali modo, sed Christiano modo, uidelicet quod ex Euangelio Christi agnoscat Deum sibi esse propicium propter Christum, & seruaturum ipsum in media morte, ut una cum Christo fruatur æterna uita. In hunc enim usum Christus missus est, & Euangelion nobis reuelatum, nõ ut nõn affligamur, nõ ut in afflictionibus externas & mũdanas liberationes cõsequamur, sed ut in afflictionibus bñ cõfidamus, & in morte seruemur.

ET FACIET DOMINVS ZEBAOTH CONVIVIVM OMNIBVS POPVLIS &c.

Redit Propheta a laudatione, ad concionem & commemorationem beneficiorum, quæ conferuntur in regno Christi in pios, per Euangelion eius. Nonnulli interpretes exponunt hoc conuiuium, non de conuiuio iucundo, sed cruento, quo inebrientur & opprimantur impij. Iudæi nugantur suo more, de iucundissimo conuiuio, quod somniant Dominum paraturum omnibus Israelitis in Paradiso, ex immani boue, & ingenti pisce, quem Leuiathan uocant, ac optimo uino. Hic enim carnalis populus, non cogitat nisi carnalem fœlicitatem, quemadmodum & Turcæ. Sed si quis ea quæ præcedunt & sequuntur hoc loco inter se conferat, uidebit haud obscure, Prophetam concionari de conuiuio Euangelico, quod CHRISTVS primum quidem suis concionibus, deinde missione spiritus sancti, in die Pentecostes, in monte Zion,

seu in Hierusalem instituit. Faciet (inquit) Dominus Zebaoth omnibus populis in monte hoc conuiuiũ pinguium, & conuiuium defecatorum, hoc est, conuiuium de opiparis cibis, & de purissimo uino: sic enim Propheta seipsum interpretatur. Hic Dominus Zebaoth, Christus est. Conuiuium autem eius est, prædicatio Euangelij. Dicitur autem hoc conuiuium parasse in monte Zion omnibus populis, propterea quod & ipse prædicauit Euãgelion suum in urbe Hierusalẽ, in qua fuit mons Zion, & amãdauit ex eo loco Apostolos in die Pentecostes in orbem terræ, ut prædicarent Euangelion omnibus gentibus. Vnde & mons Zion in scriptura ualde illustris est, non tam hoc nomine, quod in eo ędificatum erat templum, quam quod ex eo loco uulgandum erat Euangelion in uniuersum mundum. Virgam uirtutis suæ, inquit, emittet Dominus ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et: De Zion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalẽ. Et iterum: In monte Zion erit saluatio. Deinde, Christus ipse uocat prędicationem Euangelij conuiuium, cum confert regnũ cœlorũ cum nuptijs & cœna magna, Matthæi xxij. et Lu. xiiij. Ac profecto nullum unquam lautius conuiuium in terra paratum est, quam prædicatio Euangelij Christi. Non proponuntur quidem in eo cibi qui reficiunt corpus, proponũtur autem cibi, qui reficiunt animam, imo qui conseruant corpus & animam in æternam uitam. Externa & mundana conuiuia replent quidem uentrem ad horam, sed non medentur perpetuæ fami. Conuiuium autem Euangelij hominem ita replet, ut nunquam in ęternum esuriat. In hoc enim conuiuio proponitur Christus ipse filius Dei edendus, hoc est, fide percipiendus, quemadmodum docet Ioannes cap. vi. Et in Christo proponitur Remissio peccatorum, perpetua iusticia, salus in morte, liberatio ex omnibus afflictionibus, & uita æterna. Hi sunt missus, hi sunt cibi Euangelici conuiuij. Vnde & sequitur: Præcipitabit in monte isto faciẽ uinculi colligati &c. Pro quo in hebræo ita legitur: Dominus dissipabit seu perdet in monte Zion inuolucrum, quo omnes populi inuoluti sunt, & tegumentum, quo omnes gentes tecti sunt. Loquitur autem de ueste lugubri, qua indui solent hi, qui amicos mortuos lugent: & quæ, finito luctus tempore, iterũ suis ritibus, pro more cuiusuis gentis, deponi solet. Omnes enim gentes et populi hac ueste induti dicuntur, ꝙ mors dominatur in eos propter peccatum, & aufert sua tyrannide e uita non amicos tantum nostros, sed & nos ipsos. Docet igitur Esaias, quod hæc lugubris uestis auferenda & abijcienda sit in monte Zion. Hoc autem tum fieri cœptum est, cum Euangelion confirmatum est per spiritum sanctum in monte Zion, & in urbe Hierusalem, et ab eo loco uulgatum in uniuersum mundum. Euangelion

Conuiuium Euangelicũ.

enim

enim Christi prædicat peccatũ esse expiatum per Christum, & mortem esse superatam, ut omnis qui credit in Christum nũquam moriatur, etiamsi ex hac corporali uita excedat. Quare, qui uoluerit uestem suam lugubrem deponere, & lætum conuiuium inire, necesse habet ad montem Zion proficisci, hoc est, Euangelio, quod e monte Zion in orbem terræ uulgatum est, credere, & obedire, ut ornatus nuptiali ueste, cũ omnibus sanctis in regno cœlesti accumbat. Euangelion non tollit quidem politicum & modestum ritum lugendi mortuos, ac relinquit unicuiuis genti suas uestes lugubres, in morte amicorum, tollit autem spiritualem luctum, qui est, desperatio de æterna uita ac fœlicitate. Ne doleatis, inquit Paulus, quẽadmodum & cæteri non habentes spem.

PRÆCIPITABIT MORTEM IN SEMPITERNVM.

Hoc apud Hebræos sic legitur: Absorbebit mortem in perpetuum, uel ad uictoriam. Paulus scribens ad Corinthios, hunc locũ ita citat: Absorpta est mors in uictoriã. Nam נצח Lenezach, utrunq; In perpetuum, & Ad uictoriam significat. Est autẽ memorabile dictum, de beneficio Christi. Dixit enim Propheta antea, q; Dñs Zebaoth, qui est Christus filius Dei, ablaturus sit in monte Zion omnẽ luctum, & aboliturus omnes uestes lugubres. Nunc autem addit causas, cur futurum sit, ut uestes lugubres abijciantur. Quia Dominus Zebaoth deuorabit, seu absorbebit mortem ad uictoriam. hoc est, filius Dei mortem ita uincet ac superabit, ut eã sit in perpetuum aboliturus. Hæc est iucundissima concio de uictoria Christi super mortem. Cui etiam conuenit illud, quod apud Oseã dicitur: Ero mors tua o mors, morsus tuus inferne. Et illud Christi Ioannis undecimo: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur inæternum. Et iterum: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit inæternum. Nihil autem maius hoc beneficio potuit homini contingere. Finge enim hominem assequi omnem huius mundi fœlicitatẽ, ut habeat omnes diuitias, omnem potentiam, omnem gloriam, & omnem sanitatem, tamen cum homo morti obnoxius est, & mors ei dominatur, quid potest ei fœlicitas illa prodesse? Neq; em̃ simplex mors dominatur homini, sicut dominatur porco, aut boui. Hunc enim ita abripit, ut omnino desinat esse, nec quicquam doloris post mortem sentiat. Hominem autẽ abripit non ut esse desinat, sed ut perpetuo infœlix sit, & sempiternũ dolorem habeat. Hæc infœlicitas superat omnem humanam cogitationem. Nec ullus Monarcha in terris fuit, qui potuerit mortem abolere. Nec ullum regnũ in mundo constitui potuit, in quo mors

Mors abolita per Christũ.

Mors quomodo dominetur homini.

non dominaretur ſubditis. Ac multa fuerunt comicia Regum & Principum, qui grauiſsimis conſilijs deliberarũt de componendo ſtatu humani generis, ſed nulla potuit ratio iniri, qua tyrannis mortis opprimeretur. Chriſtus igitur filius Dei miſeratus humanam calamitatem inſtituit ſuum regnum, & mortẽ ita uicit, & aboleuit, ut quotquot ſunt ſubditi & incolæ regni eius, nunquam inæternũ moriantur. Sciamus ergo, quomodo filius Dei mortem uicerit, cũ tamen uideamus mortẽ regnare adhuc in toto orbe terrarum. Primum, filius Dei, & ſi nullum habuit peccatum, propter quod meritus eſſet mortem, tamẽ ut expiaret peccatum, ſuſcepit in ſe mortem. Sed cum mors nullum haberet ius in ipſum, & tamen conaretur ipſum deuorare, ſicut alios homines, uiciſsim ipſa ita deuorata et abſorpta eſt, ut neceſſe habuerit ei palmam dare & uicta occumbere. Filius enim Dei ita euaſit mortem, ut, quemadmodum Paulus ait, nunquam amplius moriatur, nec mors ei dominari queat. Deinde filius Dei, non ſolum pro ſua perſona uicit & abſorpſit mortem, uerumetiam pro toto ſuo corpore, pro uniuerſa Eccleſia. Per mortẽ, inquit Apoſtolus, aboleuit eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolũ, & liberos reddidit eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Et ſecunda Timoth. primo. Qui mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelion. Et ſi autem nõdum apparet reipſa in nobis hæc uictoria ſuper mortem, tamen adnunciatur nobis Euangelio, & concipimus eam ſpe, quæ non pudefacit, donec tandem reueletur in nouiſsimo die. Itaq; mors piorum non eſt mors, ſed tãtum expectatio reſurrectiõis, in qua manifeſte declarabitur, quod mors ſit uicta, & deuorata per filium Dei. Ioannes ait: Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quod futuri ſumus. Scimus aũt, quoniã ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã uidebimus eũ ſicuti eſt. Et Paulus prima Corinth. decimoquinto: Cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in uictoriam. Vbi tuus, mors, aculeus? Vbi tua inferne uictoria? &c. Deinde addit Eſaias: Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie. Filius Dei non ſolum abſorbebit mortem ſua uictoria, uerumetiã abſterget omnẽ lacrymam ab oculis ſubditorum regni ſui. Lacrymas ciet dolor animi. Filius autem Dei abolebit & auferet omnia ea, quæ inferunt animo dolorem. Peccatũ, præſertim agnitum, magnum affert dolorẽ, Sed filius Dei expiat peccatum, & impetrat remiſsionem peccati. Paupertas, morbus, infamia, exilium, & aliæ humanæ calamitates, cõmouent magnum & acerbũ dolorẽ in hominibus, ſed filius Dei ſanctificauit in ſemetipſo oẽs illas calamitates, ut

non

non sint detrimento ad malum, sed adiumẽto in bonum. Mors, aut saltem recordatio mortis, afficit homines summo dolore, sed filius Dei uicit mortem sua morte, & consecrauit eam in uiam uitæ, in ijs qui credunt in ipsum. Quare, cum ea auferat, quæ lacrymas mouent, & inferunt dolorem animi, recte dicitur abstergere lacrymas ab omni facie, eorum uidelicet, qui credunt in ipsum. Etsi enim pij, dum fuerint in hac terra, sæpe ac multum effundũt lacrymas corporaliter, tamen absterſę sunt ab oculis eorum spiritualiter, propterea quod omnia, quæ accidunt, sint adiumento ipsis in bonum. Et cum Christus uenerit in gloria maiestatis suæ, absterget lacrymas ab oculis subditorum suorum, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter, ut reipsa impleatur, quod nunc uerbis Euãgelij prædicatur, & fide accipitur. Sequitur & illud: Opprobrium populi sui auferet de uniuersa terra. Populus Christi gloriatur ex Euangelio de magno fauore Dei, de multis beneficijs quæ Christus ipsis corã Deo impetrauit, de liberatiõe ex omnibus aduersis, adeoq; ex ipsa morte: Sed ecce tractatur in hoc mundo, tanq; a Deo abiectissimus: obijcitur difficilimis quibusq; periculis, opprimitur ab impijs, affligitur extremis malis, habetur tanq; catharma & peripsema, ac tandem obruitur turpi morte. Itaq; fiunt opprobrium uicinis suis, subsannatio & derisus his, qui sunt in circuitu ipsorum. Et quemadmodũ impij insultarunt Christo in cruce pendenti: Si est filius Dei, descẽdat nunc de cruce. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si uult, ita etiam insultant miseriæ populi Dei: Vbi nunc est Deus eorum? Vbi est Christus, de quo gloriabantur? Vbi Euangelion, quod iactabant afferre summam salutem? Christus autem filius Dei aufert hoc opprobrium ab uniuersa terra. Primum prædicatione Euangelij sui, quia ubicunq; prædicatur Euangelion in toto orbe terrarũ, ibi promittitur omnibus credentibus in Christum, qui sunt huius regis subditi, pro mundano opprobrio, cœlestis & perpetua gloria. Gaudete, inquit, & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Et Paulus: Momẽtanea leuitas afflictionis nostrę mire supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Deinde filius Dei auferet opprobrium, non tantum promissione Euangelij, uerum etiam reipsa in nouissimo die, ut pij, liberati omni opprobrio huius seculi, fruantur cœlesti & æterna gloria. Quare patienter feramus spe tantæ gloriæ, omnia mala huius seculi, cum certo sciamus hæc finẽ suum habitura breui, illam autem perpetuo duraturam. Vnde & Propheta confirmat quod dixit: Dominus, in quiens, locutus est. Quę dixi de abolenda morte, de abstergẽdis lacrymis, de auferẽdo opprobrio per Christum, non sunt humana somnia, sed diuina ora

cula, ideoq; longe omnium certissima & firmissima.

ET DICENT IN DIE ILLA. ECCE DEVS NOSTER, EXPECTABIMVS EVM &c.

Exposuit Esaias beneficia, quę Christus, cum acceperit regnum suum, collaturus sit in suos subditos, qui sunt credentes in ipsum. Absorbebit enim mortem ad uictoriam, ut mors uicta & prostrata iaceat, uita autem uincat & triumphet: adhæc, absterget lacrymam a facie omnium subditorum suorum, & auferet ab eis omne opprobrium. Nunc igitur cõmemorat, quam uicissim gratitudinẽ populus regni Christi relaturus sit, ac referre debeat, Christo Dño regi suo. Deinde recẽset etiam quid fiat de hostibus Christi & populi eius. Dicẽt, inquit, in die illa. Ecce Deus noster iste. Expectamus eum, ut saluet nos. Iste est Dominus, expectamus seu speramus in eum, ut exultemus & lætemur in salute eius. Hac concione docet Esaias, quæ opera populus regni Christi, qui sunt Christiani, facere, & quibus sacris Christũ regem suum colere debeãt. Cum enim Christus confert in ipsos maiora & excellentiora beneficia, q̃ ullus unquam Monarcha in suos subditos conferre potuit, iustissimum & æquissimum est, ut uicissim gratitudinẽ suam, quibus possunt & debent officijs, declarẽt. Quid ergo faciẽt? aut quid facere debent? Num adducent pro gratiarum actione oues & boues ad templum, ut mactentur, & sacrificentur? Hæc habuerũt quidem suo tempore utilitatem. Sed postq̃ Christus uenit, & obtulit uerum sacrificium, non requirit ista sacra, & cultus de manibus subditorum suorum. Sed alia sunt quæ requirit, & quæ ipsi facere debent. Dicent, inquit, Ecce iste Deus noster, Expectamus seu speramus in eum &c. Hic cõplectitur tria præcipua sacra, quæ populus præstare debet Christo regi & seruatori suo. Primum, est expectatio seu fides in Christum. Credendum enim est, quod sit uerus Dominus Deus noster, uerus & unicus seruator noster. Nec sit alius, propter quem uel olim Patriarchæ & Prophetæ, uel nunc alij homines consequantur remissionem peccatorum, liberrationem a morte, & uitam æternam. Hic enim est, quem pij semper a condito mundo expectarunt, & in quo totam fiduciam suam collocarũt. Secundum est, Externa confessio de Christo. Non enim tantũ corde credendum est, sed etiam ore confitẽdum, ut nomen Christi coram hominibus illustretur, & cognitio eius inter homines propagetur. Dicent, inquit, Ecce iste est Deus noster: Expectamus, seu speramus in eum, ut seruet nos. Iste est Dominus &c. Hæc est confessio ex fide profecta. Si confessus fueris ore tuo, inquit Paulus, Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauit a mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem

Christianorũ tria præcipua sacra.

tem

lem fit confeſsio ad ſalutem. Sic Petrus coluit Chriſtum, cum dixit: Tu es Chriſtus filius Dei uiui. Et iterum: Certo ſciat tota domus Iſrael, quod Dominum & Chriſtum fecerit Deus hunc Ieſum quem crucifixiſtis. Ac rurſus: Non eſt aliud nomen ſub cœlo datū inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et Paulus: Dedit ei nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu flectat, &c. Hoc uere eſt dicere: Ecce iſte Deus noſter, &c. Tertium, eſt exultatio & lętitia in conſcientia, propter ſalutem, quæ in Chriſto contigit. Exultabimus, inquit, & lætabimur in ſalutari eius. Hoc illud eſt, quod Paulus dicit: Iuſtificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Poſtquam enim cognoſcimus & credimus per Euangelion, quod remiſſa ſint nobis peccata propter Chriſtum, & quod Deus ſit nos ſeruaturus in omnibus malis, conſequitur conſcientia noſtra pacem, fit tranquilla, & agit ſecuram coram Deo uitam, etiamſi fractus illabatur orbis. Sed hoc tertium duo in ſe complectitur. Alterum eſt patientia in aduerſis. Vbi enim eſt lætitia & pax conſcientiæ, ibi ſi aduerſa irruunt, animus ſibi conſtat, nec frangitur afflictionibus, imo etiam gloriatur, ut Paulus ait, in afflictionibus. Quare aduerſa patienter in fide toleranda ſunt, ut declares te gratum erga Chriſtum regem tuum. Alterum eſt obedientia in bonis operibus, quæ Deus exigit. Non enim poteſt lætitiam & pacem conſcientiæ retinere, qui contra conſcientiam peccat. Non poteſt Chriſtum per fidem conſeruare, qui aduerſus Chriſti uocationem in ſceleribus ambulat. Qui in eo manet, inquit Ioannes, non peccat, & omnis qui peccat, nō uidet eum, nec cognoſcit eum. Quare obediendum eſt uocationi Chriſti in omnibus bonis operibus, quæ uerbo Dei præcepta ſunt, ut gratitudinem tuam Chriſto ſeruatori probes. Hæc ſunt ſacra, hi ſunt cultus ſubditorum in regno Chriſti: Et qui his Chriſtum colit, is eſt fidelis regni eius ſubditus, ac fruetur omnibus beneficijs Chriſti. Sed quid fiet de hoſtibus Chriſti? Sequitur.

MANVS DOMINI REQVIESCET IN MONTE ISTO, ET TRITVRABITVR MOAB SVB EO &c.

Manus DOMINI, eſt potentia, & maieſtas Chriſti filij Dei, quæ dicitur in mōte Zion requieſcere, propterea quod Chriſtus in eo monte ſeu in Hieruſalem prædicauerit Euangelion ſuum, & cum aſcendiſſet in cœlum, miſerit ibi ſpiritum ſanctum diſcipulis ſuis, ut ex eo loco uulgarent Euangelion in totum orbem terræ. Iuxta illud Pſalmi: Virgam uirtutis ſuæ emittet DOMINVS ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Nomine autem Moab intelligit omnes inimicos, hoſtes, & aduerſarios

Christi ac populi eius. Moabitę em̃ fuerunt perpetui hostes Israelitarum, & conspirarunt in exitium Israelis, qui tunc erat populus Christi. Sicut Deuteronomij uigesimotertio scriptum est. Quare nomine eorum recte intelliguntur omnes aduersarij Christi & Ecclesiæ eius. Extendet ergo Dominus Christus manum suam de monte Zion, super regionem Moabitarum, & sic triturabit, seu conteret eos, quemadmodum solent paleæ in luto conteri. Et ut is qui in aqua natat, extendit manus et pedes suos, ac mouet aquam manibus, quo libet, & calcat eam pedibus suis, ut plane in aqua dominetur, ita & Dominus extendet brachium suum super Moabitas, & commouebit seu calcabit eos pro suo arbitrio. Deijciet omnem gloriam eorum. Destruet sublimes munitiones urbium ipsorum, adeoque detrahet omnem potentiam eorum in pulueren. Hæc autem non sunt intelligenda, quod CHRISTVS emissurus sit externum exercitum de monte Zion, qui externo bello conculcet Moabitas, seu hostes suos: Sed intelligenda sunt pro ratione regni Christi. Nam regnum Christi non est mundanum. Quare nec hæc hostiũm conculcatio mundana erit. Hostes enim Christi dominantur mundana potentia in hoc seculo, & uidentur esse præcipui homines in toto orbe terrarum, & habent fœliciſsimos bellorum suorum euentus. Sed trituratio seu contritio hostium Christi, de qua Propheta hic loquitur, spiritualis est in hoc mundo, donec ueniat nouissimus dies. Tunc enim uere & manifeste ponentur omnes hostes Christi scabellum pedum eius. Interea autem temporis conculcantur & opprimuntur ex monte Zion spiritualiter, quia Euangelion e monte Zion in terram emissum, colligit Ecclesiam ex omni natione, inuitis omnibus Moabitis, Ammonitis, Philistinis, Romanis, Græcis, Ethnicis & Iudæis. Adhæc, Euangelij prædicatio conseruatur in terra, in medio inimicorum Christi, qui & si noctes atque dies deliberant de oppressione Euangelij, tamen Christus tuetur ipsum, contra omnium opinionem, admirabiliter. Præterea Christus conseruat suam Ecclesiam in medio prauæ nationis, ut & si patitur uarias afflictiones, tamen consequitur per Christum ueram & perpetuam salutem. Hoc uere est dominari in medio Moabitarum & inimicorum suorum. Quare bene confidamus in persecutione, & non metuamus sæuiciam Moabitarum, sed perseueremus in fide & confessione Christi, ut simus fideles subditi Christi, & habeamus per ipsum liberationem & salutem.

CAPVT

CAPVT XXVI.

IN DIE ILLA CANTABITVR CANTICVM ISTVD &c.

Postquam Esaias commemorauit beneficia, quæ contingunt his, qui agnoscunt CHRISTVM, & sunt subditi regni eius, addit nunc Psalmum seu carmen, quo, alia quidem orationis forma, sed eadem beneficia recenset, & consolatur pios, qui credunt in CHRISTVM, ac munit eos aduersus scandalum, quod ipsis ex fœlicitate impiorum obijcitur. Pijs enim promittuntur maxima omnium beneficia, in regno CHRISTI. Supra dictum est, quod Christus abroget in regno suo omnem luctum, absorbeat mortem in uictoriam, abstergat lacrymas a facie omnium subditorum suorum, & auferat ab eis omne opprobrium, Impios autem & alienos a regno suo conterat, sicut paleæ in luto conteruntur. Sed cum intuemur externum rerum cursum in hoc mundo, uidemus longe alium euentum, quam promissiones Euangelij CHRISTI præ se ferunt. Pij enim lugent, lacrymantur, omni genere opprobrij sordidantur, & tandem etiam miserrime moriuntur. Impij uero gaudent, lætantur, ducunt uitam iucundissimam, & tandem excedunt ex uita tranquilla morte, sicut docet exemplum Lazari & diuitis in Euangelio. Hoc maximum est offendiculum, præsertim imbecillibus conscientijs, quæ & ex hac rerum iniquitate sollicitantur ad defectionem a CHRISTO & regno eius. Quare Esaias recitat hunc Psalmum, ut confirmet animos piorum aduersus hoc offendiculum, & iubeat eos bene confidere, quod & si impij in hoc seculo gaudent, & pij lugent, tamen certo futurum sit, ut hi perpetuo seruentur & gaudeant, illi autem perpetuo intereant, & lugeant. Maluit autem Propheta hanc concionem in carmen conferre, quam simplici orationis genere recitare, ut non tantum semel audiatur, sed etiam uulgetur & decantetur publice, quo homines semper de beneficijs regni CHRISTI admoneantur, & in omnibus aduersis bene confidere discant. In die illa, inquit, uidelicet, eo tempore, quo Euangelion CHRISTI spargetur e monte Zion, in omnem terram, cantabitur canticum istud in terra Iuda, hoc est, inter omnes pios, qui agnoscent Euangelion CHRISTI, quod in terra Iuda reuelatum, & magnis miraculis confirmatum est. Hortatur autem Propheta, quemadmodum ante diximus, in hoc carmine pios seu subditos regni CHRISTI, ut in aduersis suis bene confidant, & non offendantur fœlicitate impiorum. Sed quomodo,

inquiet quispiam, possumus bene confidere, tot aduersis obruti, ac pene oppressi? Audiamus igitur carmen, & cognoscemus cœlestes rationes, quibus ad fiduciam excitemur, & in ea conseruemur. Vrbs, inquit, fortitudinis nostræ, Saluator ponetur in ea murus & antemurale. hoc est, Fortis nobis urbs est, habemus fortem urbem, in qua salus ipsa posuit murum, & antemurale, uel in qua saluator ipse positus est in murum & propugnaculum muri. Loquitur autem Propheta de cœlesti Hierusalem seu de Ecclesia, per antithesin ad terrestrem urbem Hierusalem. Nam hæc terrestris Hierusalem non solum non tuetur nos, uerumetiam persequitur & trucidat nos, Nec est ulla urbs, in terris, tam pia, & tam potens, quæ aut uelit aut queat nos in periculis tueri. Sed habemus cœlestem urbem, quæ est satis potens, in qua Dominus Deus seruator ipse est murus & propugnaculum, & in qua sola tuti erimus aduersus omnes insultus hostium nostrorum. De hac urbe dicit Zachari. capite secundo. Ego ero ei, inquit Dominus, murus igneus in circuitu, & ero gloria in medio eorũm. De qua urbe uide Apocalyp. capite uigesimoprimo. Hæc urbs est Ecclesia Christi, cuius urbis fundamentũ est Christus ipse, & doctrina eius. Super hanc, inquit, petram ædificabo eam. Similiter murus & antemurale eius est Christus, uera nostra salus. Nihil autem est firmius, nihil est fortius Christo filio Dei. Data est mihi (inquit) omnis potestas in cœlo & in terra. Quare nihil etiam est fortius, nihil firmius Ecclesia Christi. Habet autem hæc urbs præcipuum hostem, Satanam, qui & semper oppugnauit eam, sed nunquam potuit eam expugnare. Initio enim, cum Euangelion spargeretur inter gentes, coortus est Satan aduersus eam, ministerio gentium & Iudæorum, non tamen potuit eam opprimere. Deinde incurrit aduersus eam indies, non morbis tantum & alijs corporalibus afflictionibus, sed etiam morte ipsa, & tamen ne sic quidem potest eam perdere. Ac multæ fuerunt potentissimæ urbes in terra, Niniue, Babylon, Hierusalem, Roma, & aliæ, in nulla tamen harum potuerunt incolæ esse tuti a Satana & morte. Nec ulla earum est, quæ non magis subditos regni Christi oppresserit quam iuuerit. Sola Ecclesia Christi, ea urbs est, in qua incolæ tuti sunt a Satana & morte, & seruantur etiam in media morte, quia huius urbis murus & propugnaculum est filius Dei, qui est unius cum Patre maiestatis & omnipotentiæ. Vbi ergo inueniemus portas huius urbis, ut & nos ingrediamur in eam: & quos aut quales incolas acciues recipit hæc urbs? Sequitur: Aperite portas, & ingredietur gens iusta, Seruans fidei. Portæ huius urbis non sunt in una parte terræ, sed ibi sunt, ubi prædicatur Euangelion Christi, In toto uidelicet orbe terrarum, quocunq; peruenit

peruenit ſonus Apoſtolorum, id quod ſignificatum eſt per duodecim portas cœleſtis Hieruſalem in Apocalypſi capite xxi. Aperiuntur enim portæ huius urbis, per prædicationem Euangelij. Ingrediuntur autem per has portas, quotquot recipiunt Euangelion fide, & conſeruant fidem in Chriſtum. Hi enim ſunt Gens iuſta, iuſtificata uidelicet per fidem in Ieſum Chriſtum. Vide ergo mihi, quanta ſit diuerſitas huius urbis, & terrenarum urbium. In terrenas enim urbes confluunt indiſcriminatim omnia hominum genera, ſiue boni, ſiue mali, ſiue honeſti, ſiue ſcelerati. Et ut rectius dicam, In terrenis urbibus præcipuum locum tenēt impij. Pij autem ſolēt eiici, aut certe affligi & opprimi. In cœleſti uero urbe, quæ eſt Eccleſia, nemo uere habitat niſi pius & iuſtus. Vnde & infra capite lij. dicitur: Induere ueſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem ciuitas ſancti, quia non adiiciet ultra ut pertranſeat per te incircunciſus & immundus. Et Pſal. cxvij. Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Præterea, qui habitant in terrenis urbibus rariſsime ſeruant pacta & fidem, tum priuatim, tum publice. In priuatis negociis negāt depoſitum, negant debita, non numerant pecuniam præſcripto termino, fallunt eos, quibuſcum commertia habēt. Publice, ſolent mutare dominos, quibus fidem ſuam dederunt, data quacunq; occaſione. Itaq; rariſsima eſt fides inter eos, q habitāt terrenas urbes. Qui autem ſunt ueri ciues cœleſtis Hieruſalem, hi ut ſeruant pactum cū Chriſto Domino initum, ita nō mutant Dominum ſuum Chriſtū, ſed hunc ſolum pro uero ſuo ſeruatore colūt & adorant. Etſi enim multi inter pios ſunt imbecilles, tamen quia nō abiiciunt Chriſtū, manent ciues Eccleſiæ, & ſubditi regni Chriſti. Nam ſi abiiciunt Chriſtum, non amplius ſunt ciues Eccleſiæ. Cum igitur porta Eccleſiæ etiam nobis ſit aperta, ingrediamur per eam in ſanctam urbem, & maneamus in ea, ut tuti ſimus a Satana & morte. Ingredimur autem per fidem, & manemus in ea, cuſtodia fidei, quæ fides, ut recipit Chriſtum ſeruatorem pro ſua iuſticia, ita etiam profert bona opera pro fructibus iuſticiæ. Sed audiamus nunc, quod beneficium continget ciuibus huius urbis. Seruabis (inquit) pacem uere ſtabilem firmiſsime & certiſsime. Nomine pacis intelligitur more hebræo omnis fœlicitas & tranquillitas. Eſt autem iterum antitheſis ad terrenas urbes. In his enim nulla eſt firma pax, nulla certa trāquillitas. In Eccleſia autem, cuius Chriſtus caput eſt & murus, certiſsima ſemper pax eſt, & tranquillitas. In mundo, inquit Chriſtus, habebitis afflictionem, in me autem pacem. Poſtquam enim Chriſtus reconciliauit nobis Patrē, & expiauit peccata noſtra, nihil iam reliquum eſt, quod eos, qui in Chriſtū credunt ita perturbare queat, ut intereant. Quis intentabit, inqt Apoſtolus, crimina aduerſus

electos Dei? Deus est qui iustificat, seu reputat iustos, ppter Christum. Quis ille, qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est &c. Num autem hoc pacis beneficium continget quibusuis? Offertur quidem & proponitur accipiendum quibusuis, sed non omnes accipiunt. Maxima pars hominum reijcit Euangelion Christi, ideoq; non fruitur hoc pacis beneficio, quod per Euangelion offertur, per fidem autem accipitur. Vnde & additur: Quia in te speramus, seu confidimus. Qui enim confidit Deo, quod reputetur coram ipso iustus propter Christum, is consequitur tranquillitatem in omnibus aduersis, ac in morte quoq; ipsa. Iustificati, inquit Paulus, ex fide, pacē habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christū. Cum igitur res ita se habet, quod ex fide consequimur pacem & trāquillitatem ac fœlicitatem coram Deo, addit Propheta conclusionem horum trium uersiculorum, in qua cohortatur ad spem & fidem: Sperate, inquiēs, in Dominū in sempiternum usq;, quia in Deo Dominus est petra seculorū. Hoc quod dicitur in Deo, Dominus est petra seculorum, alij sic legunt, In Domino Deo est petra æternitatis, seu robur seculorum. Habet & uulgata ęditio suam lectionem. Sed quia in Psal. lxviij. Christus uocatur יה Ia, hoc est, Deus (Est aūt nomē abbreuiatū ex יהוה Iehoua) Cātate Deo, psallite nomini eius, exaltate eum, qui uehitur molliter, in Ia nomen eius, &c. Qui uersiculus de Christo intelligendus est, sicut et totus Psalmus describit triumphum Christi: Idcirco rectius hoc loco sic legitur, In Deo, Dominus est petra æternitatis, hoc est, Dominus est æternum robur propter Deum, qui est Christus. Pater enim est fortitudo nostra, & robur nostrum, & petra nostra sempiterna propter unigenitum filium suū, propter quem Pater factus est nobis propitius, et cōseruat nos perpetuo. Quare hac petra nobis confidendum est, ut constemus in morte, & consequamur æternam uitam. Epiphanius contra Anomæos citat hunc locū Esaiæ, ad docendam ex eo unitatem Patris & filij, & dicit eum conuenire cum isto dicto Euangelij: Ego in Patre, et Pater in me. Quę collatio locorum non est absurda nec inepta. Dubium enim non est, quin Prophetæ, ac præsertim Esaias, docuerint Christum uerū esse Deum, unius essentiæ cum Deo Patre suo, quemadmodum supra in multis Esaiæ locis ostendimus.

QVIA INCVRVABIT HABITANTES IN EXCELSO &c.

Diximus supra hoc carmē hortari nos ad fiduciā & constantiam in Christo & regno eius aduersus offendiculū, quod oritur ex fœlicitate hostium Christi, & ex infœlicitate credētium in Christum. Accendit aūt fiduciam hoc argumēto, q; habeamus fortem urbem,

cuius

cuius Dominus ipse Christus murus est & propugnaculum. Nūc autem commemorat aliud argumentum, quo ad fiduciam & constantiam excitemur. Cōfert enim inter se, cp potenter Christus deiciat impios, qui sibi uidentur esse fœliciſsimi, & cp clementer conseruet ac dirigat pios in uera uia eternę fœlicitatis. Incuruat, inquit, seu humiliat eos qui habitant in excelso, quod in cantico Mariæ dicitur: Deponit potentes de sede. Deiecit etiam ciuitatem sublimem, ac prosternit eam in terram, ut in puluerem seu lutum redigatur, & conculcetur pedibus, adeocp pedibus hominum pauperum, & abiectorum. Depingit autem Psalmus his duobus uersiculis Christū quasi heroicum quendam bellatorem, qui cum nullo hostium congreditur, quem non uincat: qui nullam urbem obsidet, quam nō expugnet: qui nullam gentem adit, quam non conculcet, ut potentiſsimos reges terræ, & munitiſsimas urbes sue dominationi subiiciat. Hæc uero intelligenda sunt, non iuxta rationem regnorum huius seculi, sed iuxta rationem regni Christi. Nam regnum Christi non est de hoc mundo. Quare etiam deiectio regum, et euersio ciuitatū, ac conculcatio earum non erunt mundana. Ac dubium nō est, quin Christus in aduentu maiestatis suæ, in nouiſsimo die, abrogaturus sit etiam externa abolitione omnia mūdana regna, & solus ipse perpetuo sit dominaturus. Lapis enim apud Danielem decidens ad pedes statuæ comminuit uniuersam statuā, hoc est, omnia huius mundi regna. Sed interea tēporis, ab eo die, quo missus est spiritus sanctus Apostolis in festo Pentecostes, Christus utitur humiliatione & deiectione regnorum ac ciuitatum, pro ea ratione, quæ regno eius in hoc mundo conueniat. Incurrit enim per Apostolos suos, & per prædicationem Euangelij sui, in regna & ciuitates huius mundi. Et quanquam reges ac Principes obsistant, tamen colligit sibi e regnis & ciuitatibus eorum subditos suos, hoc est, Ecclesiam sanctam, quam conseruat perpetua fœlicitate. Sic inuasit munitiſsimā urbem Hierusalem in die Pentecostes per Petrum & reliquos Apostolos, & recepit uno die in fidem suam tria milia hominum. Itaque Hierusalem dicitur pedibus egenorum, & abiectorum hominum conculcata esse, propterea quod Apostoli cum uiderentur esse homines abiectiſsimi, adduxerunt in regnum Christi ex ea urbe, multa milia hominum, inuitis & repugnantibus omnibus Pontificibus & Principibus urbis. Sic potentiſsima urbs Roma deiecta & conculcata est pedibus egenorum, Petri & Pauli, cum prædicauerunt ibi Euangelion, & collegerunt in ea Ecclesiam CHRISTO. Sic totum Romanum Imperium, & si crudeliter sæuijt aduersus Euangelion CHRISTI, tamen conculcatum est pedibus piorum Episcoporum, qui inuitis Romanis Præsidibus

regnum Christi in eo prædicatione sua dilatarunt. Potest & hæc pars antithesis seu collatiõis generaliter intelligi, de interitu regnorum huius mundi, præ regno Christi. Vt sit sensus. Omnia huius mundi regna incuruantur, declinant ad interitum, & deducẽtur tandem in puluerem, ut pedibus conculcentur. Solum autem regnum Christi perpetuo durabit. Quare cum tanta sit potentia Christi, ut regnet in medio inimicorum suorum, & cassura sint omnia mundana regna ut ipse solus dominetur, incumbendum nobis est in hoc studium, ut fiamus subditi regni eius, & maneamus in fide & obedientia, quam subditi debent regi & magistratui suo.

SEMITA IVSTI RECTA EST &c.

Hæc est altera pars huius antithesis seu collationis regnorum huius mundi, & regni Christi. Habitantes in excelso, hoc est, Principes & ciuitates huius mundi incuruantur, & tandẽ omninõ pereunt. Semita autem iusti recta est. Et tu o Rectẽ, callem iusti dirigis, hoc est, Christus qui solus est Rectissimus, non feret, ut incuruentur & intereant sui subditi, sed erigit eos, & erectos cõseruat, ac proponit eis rectam & planam uiam, in qua inoffenso pede ambulent. Recta autem uia, & plana semita, in qua Christus suos subditos seruat, est prædicatio Euangelij sui. Hæc enim prædicatio, ea est, quæ recta nos ducit ad ueram iusticiam, & ad hæreditatem cœlestis regni. Omnes aliæ uiæ & semitæ sunt error, & seductio, quales sunt uiæ Pharisęorum, Ethnicorum, Mahumetistarum, Monachorum, & Papistarum. Sola autem uia Christi, quæ est Euangelion eius, recta est semita ad iusticiam & ad cœlum. Nam in Euangelio promittitur credentibus iusticia Christi, & spiritus sanctus, et uictoria mortis. Qui ergo credit Euãgelio, is donatur iusticia Christi, ut ei imputetur corã Deo: donatur etiã spiritu sancto, ut mortificet reliquias peccati, & obediat iusticiæ: seruatur quoq; in morte, ad æternam uitam. Cum autem tanta sit huius semitæ rectitudo, quid nobis faciendum est? Sequitur: In semita iudiciorum tuorum Domine sustinemus te. Desiderium animæ ad nomen tuum, & ad memoriale tuum. Desidero te animo meo nocte, & spiritu meo, qui est in me, ad te mane festino. Nam cum iudicia tua fuerint in terra, discũt habitatores terræ iusticiam. Iudicia Domini, de quibus Propheta hic loquitur, non sunt uel lex, uel afflictiones, sed sunt semita & uia illa, de qua ante dictum est, uidelicet, Euãgelion Domini nostri Iesu Christi. Similiter etiam nomen et Memoriale Dei hoc loco sunt prædicatio Euangelij, qua Deus cognoscitur & celebratur. Dicũt ergo pij, Domine, cum tanta sit rectitudo iudiciorũ tuorum, seu Euangelij tui, ut nos recta ducat ad iusticiam et cœlestem fœlicitatem, quid aliud reliquum est, quam ut suscipiamus illud & credamus, &

quod

q̃d nobis pollicetur, certa ac firma fiducia ſperemus. Id autẽ faciendum nobis eſt non oſcitanter, non ignauiter, ſed toto cordis noſtri deſiderio. Nec ſemel tantũ in anno, ſed diu noctuq; . Tunc enim homines ueram poſſunt conſequi iuſticiam, cum iudicia tua fuerint in terra, hoc eſt, cum Euangelion Chriſti prædicatur ſyncere & pure in terra. Hic locus diligentiſsime obſeruandus eſt, ut excitemur ad uehementius ſtudium piæ doctrinę Euangelij. Sunt enim homines tam torpidi & ignaui in cognoſcendo Euangelio Chriſti, ut maxima pars eorum non exiſtimet cognitionem eius ad ſe pertinere. Putant hanc rem curæ eſſe debere miniſtris tantum Eccleſiæ, & quibuſdam ſeniculis, qui aliud non habent, quod agant, quam quod audiant conciones. Iſti autem cogitant, ſe uocatos eſſe maxime omnium ad ſuas negociationes, ad agriculturam, et ad alias functiones uel politicas uel œconomicas. Interim ſi in anno ſemel aut iterum audierint conciones, exiſtimant ſe ſuo officio probe defunctos. Sed heus tu, bone uir, Non ſumus beſtiæ ſed homines creati. hoc eſt, ad imaginem & ſimilitudinem Dei, in uera iuſticia, & ſapientia. Hanc autem iuſticiam & ſapientiam amiſimus peccato, & propter peccatum eiecti ſumus e poſſeſsione Paradiſi, ad colẽdam hanc terram, non ut in ea immoremur, & pereamus, ſed ut iuſticiam diſcamus, & amiſſam poſſeſsionem recuperemus. Non poſſumus autem iuſticiam diſcere, & amiſſa bona recuperare, niſi per iudicium Dei, hoc eſt, per prædicationem Euangelij Ieſu Chriſti. Lex enim, &ſi docet bona opera, tamen ea non poſſunt perfecte ab homine præſtari. Et doctrina Phariſaica, doctrina item Mahumetica, Ethnica, Papiſtica, monaſtica, non docẽt iuſticiam, ſed hypocriſin, idolatrian & impietatem. Quare in hunc uſum poſiti ſumus in hanc terram, ut diſcamus Euangelion Chriſti, & fugiamus omnes impias doctrinas. Diſcendũ autem eſt Euangelion, ut Propheta hic monet, non oſcitanter, ſed toto mentis zelo ac deſiderio, nec uno tantum tempore, ſed noctesq; dieſque. Beatus, inquit, uir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. Quare qui nõ curat doctrinam Euangelij maximo zelo (hunc enim exigit a nobis Deus) ſed tantum ſua externa negocia agit, aut ociatur, is ſciat ſe non humanam, ſed pecuinam, imo potius diabolicam uitam agere.

Euangelij & piæ doctrinæ ſtudium magnum requiritur.

MISEREAMVR IMPIO, ET NON DISCET IVSTICIAM FACERE.

In Hebræo hic uerſiculus ita legitur: Gratia donatur impius, & tamen non diſcit iuſticiam. Alia antitheſis ſeu collatio impiorum & piorum. Quod genus collationis frequentiſsimum in Pſalmis et in Prouerbijs uſurpari ſolet. Vt in Pſalmo primo: Qui in lege Domini meditatur die ac nocte, erit tanquam lignum quod plã-

tatum est secus decursus aquarum &c. Non sic impij, sed tanquam puluis &c. Et mox: Nouit Dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit. Et Psal. quinto. Decidant a cogitationibus suis secundum multitudinem impietatis eor̃ expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. Et lætentur omnes qui sperant in te &c. Et totus Psal. trigesimus sextus, Noli æmulari &c. constat antithesibus impiorum & piorum, ut spiritus sanctus muniat nos aduersus scandalum, quod obijcitur nobis ex fœlicitate impiorum, & infœlicitate piorum, in hoc seculo. Sic & hoc Esaiæ carmen constat suis antithesibus piorum & impiorum, ut pij excitati grauitate supplicio-rum, quæ impios manent, contineantur in officio, & non seducantur a studio ueræ pietatis, externa sua infœlicitate. Impius (inquit) donatur gratia, offertur impio gratia, prædicatur ei Euangelion gratiæ, promittitur ei in Christo remissio peccatorum, Deus propicius, & ęterna uita. Et tãmen ne sic quidem discit facere iusticiam. Non resipiscit, non agnoscit misericordiam Domini, non agnoscit ueram iusticiam in Christo promissam. Sed & si proposita est ei terra plana, & uia rectissima, quam Euangelion Christi indicat, tamẽ ita aberrat ab ea, ut subinde longius discedat a uera iusticia, ac fiat peior. Et quanquam Christus Dominus noster uere glorificatus est miraculis suis, resurrectione sua, & missione spiritus sancti, ac diuulgatione Euangelij sui in totum orbem terræ, tamen impij nõ uident, non requirunt, nec curant hanc gloriam Christi. Postquam autem uidebunt eam, postquam Christus uenturus est in maiestate sua, & reuelaturus est uniuerso orbi gloriam suam, tunc impij aduersarij & contemptores Christi ita pudefient, ut contabescant zelo seu æmulatione seu inuidia eorum bonorum, quæ contingent populo Dei, & ut deuorẽtur seu consumantur igni perpetuo. Hæc est una pars huius antithesis, de impijs: in qua initio exponit causam, cur tanta sit multitudo impiorum. Semper enim iam inde a reuelato Euangelio Christi maior fuit multitudo impiorum, quam piorum. Ex Iudæis, paucissimi, imõ reliquiæ tantum, & abiectissima pars populi agnouit Christũ, & didicit iusticiã. Inter Ethnicos multi quidem crediderũt in Christũ, sed & hi paucissimi fuerunt, si eos contuleris cum reliquis Ethnicis, qui in impietate sua manserunt. Hoc etiam tempore minima populi pars uere credit Euangelio Christi. Non loquimur autem de populo Turcico aut Iudaico, sed de illo ipso populo, in quo Euãgelion Christi perspicue prędicatur. In eo, inquam, populo paucissimi adhibent ueram fidem Euangelio. Reliqui manent in sua impietate, & fiunt subinde peiores. Sic Iudæi & Ethnici fiebant peiores, dum inter ipsos Euangelion initio reuelabatur. Sic & his tẽporibus tam Papistæ, quam reliqui,

qui

qui uidentur auditores Euãgelij Christi, fiunt sceleratiores. Illi magis mordicus tenẽt suam idolatriam, & sectantur sua scelera, quam antea: hi putant sibi quiduis licere. Helluantur, furantur, prædantur, & designant multa & horrenda scelera, quæ uident ab alijs impune designari. Queso igitur te, quid causę est, quod non & ipsi discunt iusticiã, & resipiscunt? Num culpa est in Deo? Nequaquam, quia Deus misit filium suum, & intantum non pepercit ei, ut maluerit eum tradere turpissimæ morti, quam non seruare humanum genus. Num culpa est Euangelij Christi, quod non omnibus adnuncietur? Nihil minus. In omnem terram exiuit sonus eorum. Et in fines orbis terræ uerba eorum. Non igitur culpa est, uel in Deo, uel in Euangelio Christi filij eius, sed est in impijs ipsis, qui & si proponitur eis gratia, clemẽtia, & misericordia Dei per Iesum Christum, & prædicatur ipsis Euangelion perspicue, tamen sic contemnunt oblatam gratiam per Euangelion, ut non solum non agnoscant, uerumetiam persequantur, aut conuicijs diuexent. Et quanquam gloria Christi per Euangelion manifeste illustratur, tamẽ ipsi eam præ impietate & ignauia sua nec uident, nec requirunt. Idem Christus docet multis parabolis, Matthæi decimotertio, de proijciente semẽtem in agrum. Matthęi uigesimo, de patrefamilias conducente operarios in uineam suam. Matthæi uigesimosecundo de rege celebrãte nuptias filio suo. His & alijs parabolis docet Christus pauciss imos esse uere pios: causam aũt perditionis aliorum, nõ esse in Deo, in filio Dei, & in Euangelio eius, sed in ipsis impijs, qui oblatam salutem contemnunt & reijciunt. Hæc idcirco cognosci debent, ut nõ existimemus Deum tam immitẽ & crudelẽ esse, qui abijciat homines sine ulla causa: Et ut non putemus inanem esse laborem nostrę, quem collocamus in cognoscendo Christo & Euangelio eius. Nã quantum in Christo est, omnes recipit, quotquot ipsum fide agnoscunt. Quare qui pereunt, suo ipsorum non Christi uitio pereunt. Deinde concionatur Esaias hoc loco de pœna impiorum. Etsi enim aliquandiu uidentur fœlices, tamen certissime pudefient, et peribunt sempiterno igni. Peccator, inquit Psalmus, uidebit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit. Et Esaias: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad sacietatem uisionis omni carni. Et ij. Thessalo. primo. Infligit ultionem ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent, interitum æternum a facie Domini, & a gloria fortitudinis illius, cum uenerit, ut glorificetur in sanctis suis &c.

DOMINE DABIS PĀCEM NOBIS. OMNIA &c.

Hæc est altera pars huius ἀνηθέτησις de pijs. Impij, inquit, pude-

fient, contabescent, & consumentur igni. Nobis autem, hoc est, pijs Christus Dominus noster dat pacem, quæ est perpetua tranquillitas & fœlicitas. Nam cum Christus impetrauerit nobis a Deo Patre suo, omnia quæ habemus, uidelicet, non corporalia tantum dona, sed maxime omnium spiritualia, remissionẽ peccatorum, imputationem iusticię Christi, & spiritum sanctum ad mortificandas reliquias carnis nostræ, certe impetrauit etiam nobis pacẽ, ut propter ipsum in pace obdormiscamus, mortem uincamus, & æterna uita fruamur. Sed dicet quispiam, quomodo Christus dat uobis pijs pacem, cum tamen cõijciat uos in seruitutem Principum huius seculi, et sinat uos opprimi grauissimis persecutionibus? Si amaret uos, et daret uobis pacem, tunc etiam daret uobis reges & Principes ex uestro corpore, sicut iussit Israelitas regem e suo corpore creare. Non poteris, inquit, alterius gentis hominem regẽ facere, qui non sit frater tuus &c. Christus aũt sinit uos subiectos alienis regibus. Quo modo igitur dat uobis pacem? Ad hoc respondent pij sequenti uersiculo. Domine, inquiunt, Deus noster, dominãtur quidem nobis domini præter te, sed nos in te tãtum recordamur nominis tui. hoc est, Etsi Ecclesia subiecta est externis regibus & Principibus, qui non sunt de corpore Ecclesiæ, tamẽ hæc est salus eius, quod habeat publicam mentionem nominis Christi, hoc est, prędicationem Euangelij, in quo Christus illustratur. Obseruabilis locus, qui docet nos, quale regnum sit regnũ Christi in hoc seculo. Multi enim existimãt Ecclesiam, quę est regnum Christi, non posse in hoc mundo constare, nisi magistratus sit de corpore Ecclesiæ, & tueatur eam externis armis. Ac magnum quidem beneficiũ Dei est, si dederit pios Principes, qui & ipsi Christum agnoscunt, & cõferunt studium suum ad conseruandam & dilatandam Ecclesiam Christi, sed Ecclesia Christi aliud regnum est, ꝙ regnum populi Israelis. In hoc enim populo non eligebatur rex, nisi qui esset de ipsorum familia & religione. In Ecclesia autem, quãtum quidem ad ipsius salutem coram Deo attinet, nõ est necessarium, ut externus rex, cui Ecclesia extrinsecus subiecta est, sit pius, Sed sufficit ei, si habeat prædicationẽ Euangelij, quæ est publica mentio Christi. Salus enim Ecclesiæ non pendet a mundanis regibus, aut ab armis eorum, sed pendet a Christo, & ipsius armis. Quare tunc Ecclesiæ salus uere cõstat, cum Euangelion Christi uere adnunciatur. Et qui uoluerit Ecclesiam uel instituere, uel iuuare, uel conseruare, uel dilatare, is hoc præcipue curet, ut ministerium Euangelij instituatur ac conseruetur, & ut Euangelion Christi uere ac pie doceatur, Euãgelion enim est potentia Dei ad salutem omni credenti.

MORIENTES NON VIVANT, GIGANTES NON RESVRGANT. Hebrei

Hebræi ſic legunt: Moriuntur, nõ uiuent: Deficiunt, non reſurgent &c. Alia antitheſis impiorꝝ & piorꝝ, qua ſpiritus ſanctus, ſicut antea, medetur offendiculo, quod obiicitur imbecillibus ex fœlicitate impiorꝝ, & infœlicitate piorꝝ in hoc ſeculo. Prior ergo pars antitheſeos eſt de impijs. Moriuntur (inquit) nõ uiuent: hoc eſt, Impij, etiamſi diu uideantur fœlices, tñ neceſſe habent uel tandem mori, ac deficere. Et cũ moriuntur ac deficiunt, tunc non amplius uiuẽt nec reſurgent. Itaq; omnis eorꝝ fœlicitas deſinit. Tu enim Dñe, inquit, uiſitas eos ſuo tempore, conteris eos, & perdis omnem memoriam eorꝝ. Qꝝ autẽ dicit impios poſt mortẽ non uiuere nec reſurgere, nõ eſt intelligendũ q̃ impij una cum anima moriãtur, ſicut bruta animantia, ſed q̃ poſt mortem non conſequantur ullam fœlicem uitam, nec reſurgant ad cœleſtia gaudia, ſed ad æternam damnationem. Viuẽt quidem impij, ſed infœliciſsime, quę uita magis mors q̃ uita dicenda eſt. Reſurgent, ſed ad perpetuos cruciatus. Hæc eſt miſerrima reſurrectio. Sic dicit Eſaias ipſe cap. lxvi. Vermis eorꝝ non morietur, & ignis eorꝝ non extinguetur. Et Matt. xxv. Cõgregabuntur ante eũ oẽs gentes, & ſeparabit eos alteros ab alteris &c. Et Ioan. v. Veniet hora, in qua oẽs qui in monumentis ſunt audiẽt uocem filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionẽ uitæ, qui uero mala egerunt, in reſurrectionem cõdemnationis. Cũ igitur talis ſit conditio impiorꝝ, ut neceſſe habeant perire, ſi non in hac uita, certe in morte, & reſurrectione, non offendamur præſenti eorꝝ fœlicitate, ſed maneamus in officio pietatis, etiãſi in eo uideamur infœlices eſſe. Moleſta quidem eſt diuturnitas, ſed primũ hæc diuturnitas, non eſt æternitas, pij nõ erunt inæternũ infœlices. Deinde hęc diuturnitas infœlicitatis cõpenſatur ęternitate fœlicitatis. Atq; hæc quidem una pars eſt antitheſis de impijs. Sequitur altera pars de pijs. Indulſiſti, inquit, genti Dñe, indulſiſti genti &c. Hebræus ita legit: Auges gentẽ Dñe, auges gẽtem. Glorificaris, & elõgaris uſq; ad oẽs fines terræ, hoc eſt, Tu Chriſte, qui es uerus Dñs Deus noſter, perdis quidem impios & deles memoriã eorꝝ, Eccleſiam aũt tuam colligis ex toto orbe terrarꝝ, & auges eam continua additione, ut gloria nominis tui ſpargatur & dilatetur in oẽs fines orbis. Nunquid aũt Chriſtus ſic colligit & auget Eccleſiam ſuam, ut det ei mundanam in his terris fœlicitatem? Minime oĩm: ſed conniuet, ut obruatur magnis anguſtijs & tribulationibus. Vnde additur: Dñe in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tu eis. Pro hoc, hebręus ita legit. Cum tu erudis eos, inuocãt te gemẽtes, hoc eſt, in afflictionibus clamant ad Deũ gemitibus inenarrabilibus. Nam quẽadmodum mulier quę cõcepit & ꝓpinqua eſt partui, dolorẽ habet, quia uenit hora eius, ut Chriſtus inquit: ſic

& nos ſumus coram te Dñe. Concepimus, Dolemus, ac tãtis angu ſtijs, quaſi parturiẽtes, premimur, ut uix ſpiritum ducere aut anhe lare poſsimus. Nec cõtingit nobis ſalus in hac terra, nec cadunt ha bitatores orbis: hoc eſt, impij qui orbem poſsident, ſemper fœlici ter pergunt in hoc mundo, cum nos ſemper in eo opprimamur & affligamur, nec ulla nobis fœlicitas affulgere uideatur. Duo hic do cemur. Alterum eſt, cp Eccleſia in hoc mũdo ſemper expoſita ſit ad uerſis. Alterum, quod hæc aduerſa immittuntur Eccleſiæ a Domi no, non ut ſint ei detrimẽto, ſed adiumento in bonum. Itaq; habes hic manifeſte conſilium Dei, quo conniuet ad afflictiones Eccleſiæ ſuæ. Domine, inquit, in anguſtia requirunt te, & cum affligis eos, tunc inuocant te gemitibus inenarrabilibus. In hũc enim uſum De us ſinit pios in hoc mundo affligi, ut excitet eos ad precationem, & ſuſcitet in ipſis gemitus ac ſuſpiria. Excitat autẽ preces, gemitus & ſuſpiria, non quod delectetur humanis miſerijs, ſed ut inuocatus precibus, & expergefactus gemitibus propius ſeſe coniungat cum hominibus, ac benefaciat eis. Deus enim longe dicitur ab his eſſe, qui ducunt in hoc ſeculo fœlicem uitam, & non inuocant ipſum. Prope autem dicitur eſſe, cum cor eſt afflictum, & cum ipſe ex fide inuocatur. Vnde in Pſalmo dicitur: Iuxta eſt Dominus his qui tri bulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Et iterum: Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in ueri tate. Vbi autem Dominus prope eſt, ibi etiam prope ſunt benefi cia eius. Quare agnoſcamus in afflictione & anguſtijs conſilium Domini, agnoſcamus Dominum tunc maxime in propinquo eſſe, cum uidetur propter aduerſa longe diſceſsiſſe, & inuocemus eum, ut retineamus ipſum, donec beneficia ſua in nos conferat. Sentia mus, omnes afflictiones eſſe ſicut dolores parturientis, quemad modum hoc loco Eſaias concionatur, & Chriſtus Ioannis decimo ſexto repetijt. Hi enim dolores ſunt prægnantes magno gaudio: i ta cogitemus afflictiones terrenas eſſe partum gaudij & fœlicitatis cœleſtis. Faciamus in lucta cum afflictionibus, quod Iacob fecit in lucta cum angelo Dei, Geneſis trigeſimoſecundo. Non dimittam te, inquit Iacob, niſi benedixeris mihi. Ita cum Dominus iuxta ſit his qui tribulato ſunt corde, non dimittamus eum, non ceſſemus a precibus & gemitibus, donec Dominus reuelauerit gloriam ſuam & declarauerit palam erga nos miſericordiam ſuam &c.

VIVENT MORTVI TVI, INTER FECTI MEI &c.

Pertinent & hęc ad alteram illam antitheſis partem de pijs. Con cionantur autem manifeſte non ſolum de reſurrectione piorum, ue rumetiam de æterno eorum gaudio. Supra dixit de impijs: Moriũ

tur,

ſur,non uiuent:Deficiunt,non reſurgent.Nunc autem cõtrarium dicit de pijs:Mortui tui uiuent: Interfecti mei reſurgent. Vides q̃p ſubita ſit perſonę mutatio. Propheta ait:Mortui tui uiuent. Statim aũt excipit Chriſtus ſermonem eius, & loquitur ipſe. Interfecti,inquiens,mei reſurgent,ut cognoſcas hanc totam concionem nõ eſſe hominis ſomnium,ſed filij Dei uocẽ. Vocantur aũt pij, mortui ſeu interfecti Chriſti(In his em̃ pronominibus TVI & MEI, emphaſis huius cõcionis ſita eſt) q̃p uel in Chriſto moriuntur,uel propter Chriſtum interficiuntur. Ita q̃p ſentẽtia hæc eſt. Impij etiamſi diu in hoc ſeculo fœlices ſunt,tñ non habebunt fœlicem uitam in reſurrectione mortuorꝝ,ſed neceſſe habẽt perpetuo interire & dolere. Pij aũt etiãſi in hoc ſeculo uſq̃ ad mortẽ affligantur,tñ cõſeruabuntur in morte,& excitabuntur ad ętterna gaudia. Vnde & additur:Expergiſcimini & lętamini,q̃ habitatis in puluere,quia ros pratorꝝ,ros tuus,et terra mortuos eijciet,hoc eſt,habitatores puluueris,q̃ ſunt mortui,& ſepulti in terra,expergiſcẽtur,& lætabũtur perpetuo, reſurgẽt ad perpetuã lętitiã. Sicut.n. in uere prata excitãtur cœleſti rore, ut protrudãt herbas,& uireſcant,cũ per hyemẽ uidebãtur radicitus exaruiſſe,ita & terra excitata tuba,ſeu uoce filij Dei, extrudet mortuos quos excepit,ut exurgant et uiuant. Obſeruabilis locus de reſurrectione piorꝝ ad æternam fœlicitatem. Primum em̃ pij nõ ſimpliciter uocãtur Mortui,& interfecti,ſed mortui & interfecti Chriſti. Mortui,inquit,TVI,uiuent,& interfecti MEI reſurgẽt. Quare ſicut Chriſtus,qui eſt caput Eccleſiæ, corporis ſui,non perijt in morte,ſed reſurrexit a morte & ſedit ad dextram Dei, ita pij qui in Chriſto moriuntur,non pereũt in morte,ſed reſurgent a morte ad gaudia cœleſtis regni, ut una cum Chriſto fruantur omnibus diuinis bonis. Si credimus, inquit Paulus, q̃p Ieſus mortuus eſt & reſurrexit,ſic et Deus eos qui obdormierunt per Ieſum,adducet cũ illo. Et mox:Dñs cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei deſcẽdet de cœlo,& mortui in Chriſto reſurgent primũ, poſtea nos q̃ uiuemus,qui reliqui erimus,ſimul cũ illis rapiemur in nubibus in occurſum Dñi in aera,& ſic ſemper cum Dño erimus. Deinde cũ ait, Expergiſcimini,quo uerbo ad excitandos dormiẽtes utimur, ſignificat mortuos in Chriſto nõ perijſſe, ſed dormire,ac mortem piorꝝ non eſſe niſi ſomnũ. Pręterea uocat pios mortuos, habitatores puluueris,quo uocabulo iterꝝ ſignificat eos nõ interijſſe ſicut iumẽta intereũt,ſed adhuc ſuperſtites eſſe. Niſi.n. ſuperſtites eſſent,nõ dicerentur habitare in puluere. Nã ei,q̃d prorſus nihil eſt,non cõuenit habitãdi uerbũ. Adhęc,cũ facit mentionẽ roris excitãtis herbas,manifeſte ſignificat Deũ pinxiſſe nobis ob oculos reſurrectionẽ piorũ ad ętterna gaudia,in omnib.pratis,& hortis. In his.n. per hyemẽ

Reſurrectio mortuorum.

omnia uidentur exaruisse,ac perijsse, sed reliqua adhuc est radix in terra,quæ in uere irrigata rore protrudit herbas & flosculos amœnissimos. Sic etiã mortui uidentur prorsus in terra seu puluere euanuisse,sed cũ uox filij Dei sonuerit, tum exilient e monumentis suis in ictu oculi,& qui crediderũt in Christũ, percipiunt cum ipso ęterna gaudia. Habes in hoc cantico aliquot antitheses impiorũ, & piorum,quæ præcipue in hoc consistunt, ꝙ impij etiamsi aliquandiu fœlices sint,tñ perpetuo affligentur: pij aũt etiamsi in hoc seculo infœlices fuerint,tñ perpetuo gaudebunt. Quid ergo faciamus? Sequitur exhortatio ad patientiam afflictionum.

VADE POPVLVS MEVS, INTRA IN CVBICVLA TVA, CLAVDE OSTIA TVA, &c.

Hęc est conclusio huius carminis, in qua cõclusione hortatur pios ad ferendã crucem patienter in hoc mundo,& repetit interim,sicut in epilogo fieri solet,præcipua argumenta cohortationis. Cum hæc,inquit,ita se habeant,ꝙ impij necesse habeant tandem perire, pij aũt gaudebũt perpetuo,age, mi populе,uade tu,& intra in cubicula tua,claude ostia post te, absconde te paruo tempore,sustine interim in hoc seculo afflictiones patienter,& si uidentur tibi grauiores,ꝙ ut ferre queas,subducito te ab oculis hominum,uade in conclaue tuum,conquerere ibi Dño tua aduersa, Inuoca Dominũ clauso ostio,ut te conseruet. Aderit ille tibi præsto clementissime. Nõ te deseret. Non enim perpetuo commorandum tibi erit in tuo cubiculo,& in hoc seculo, sed ad momentum tantũ,& tantisper dum indignatio Dñi pertranseat. Erit enim tempus quo Dñs uisitaturus sit omnes impios, & uindicaturus omnes iniquitates eorũ, quibus afflixerunt pios. Terra,inquit,reuelabit sanguines suos,& non operiet ultra interfectos suos. Sanguis hoc loco non dicitur tm̃ sanguis ille piorũ quem effuderunt impij,& quem terra imbibit, sicut de sanguine Abel scriptum est: sed dicitur omnis iniquitas & crudelitas,qua impij grassati sunt in pios. Hęc nunc uidetur obruta terra,ꝙ homines, qui eam uel designarunt uel perpessi fuerunt, sint mortui & sepulti,ac nulla amplius sit memoria eius inter homines. Videntur & interfecti ab impijs,in terra perijsse, sed erit tempus, quo reuelabuntur omnes iniquitates impiorũ,& excitabuntur omnes ab impijs interfecti,ut impij perpetuum habeant cruciatum,pij aũt perpetuum gaudiũ. Memorabilis cohortatio. Ac initio ꝙ dicit Intra in cubicula tua etc. hęc loquẽdi forma uidetur sumpta ex Gen. xlij. cũ Ioseph intraret cubiculũ,ut fleret. Et Exo. xij. cũ Israelitæ iubentur se domi suæ continere ne ullus egrediatur ostium domus suæ,donec Dominus percussurus primogenita Ægyptiorum pertranseat. Et iij. Reg. xxij. cum Micha ait Zedechiã ingressurum de

Sanguis.

cubiculo

cubiculo in cubiculum,ut præ pudore abscõdatur. Sed & Christus oraturum monet: Introito,inquiẽs,in conclaue tuum,& occluso ostio tuo,ora patrem tuum,qui est in occulto &c. Excitemur igitur hac cohortatione,ut in aduersis non insaniamus, & despõdeamus animum, perinde ac si Deus ipse in cœlo mortuus esset et perijsset: sed sciamus hanc esse piorum sortem,ut in hoc mundo afflictionem patiantur, & intremus in nostra conclauia. Alij solent excurrere in tonstrinas,in fora,in conuiuia,& uirulenter declamare de iniurijs, quibus a proximo afficiuntur, ac maledicta maledictis,iniuriam in iuria rependere. Nos uero intremus in cubicula nostra, conqueramur Domino quod accidit nobis, inuocemus auxilium Dei patris propter Christum filium suum,& consolemur nos his argumẽtis,quæ Esaias hic proponit, quorum alterum est,a temporis breuitate: Abscondere,inquit, modicum, ad momentum. Afflictio tua non erit perpetua,sed momentanea. Et sequetur æterna liberatio. Sic dicit cap. liiij. Ad punctum in modico dereliqui te,& in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parũper a te,& in misericordia sempiterna misertus sum tui. Et Paulus ij. Corinth. iiij. Momentanea leuitas afflictionis nostræ mire supra modum,æternum pondus gloriæ parit nobis &c. Alterum argumẽtum est a uindicta,quam Dominus exercebit in impiorum crudelitatem,& ab æterna pœna impiorũ. Visitabit,inquit, Dominus iniquitatẽ habitatoris terræ contra eum, &c. Quare patienter sustineamus aduersa,& reijciamus omnem curam nostram in Dominum,qui & nos clementer seruabit.

CAPVT XXVII.

IN DIE ILLA VISITABIT DOMINVS IN GLADIO SVO DVRO &c.

Hoc caput est ultima pars eius cõcionis,quæ cœpta est supra ca. xxiiij. Et commoratur Propheta adhuc in eodem argumento. Consolatur enim Ecclesiã Christi,ut ærumnas,quibus in hoc seculo obijcitur,forti animo ferat. Ducit autẽ argumenta consolationis,a beneficijs,quæ Christus in Ecclesiã confert,& quæ Euangelio Christi,in die Pentecostes reuelato & confirmato,adnũciantur. In die illa,inquit,uidelicet,eo tempore,quo Christus in hunc mundum ueniet,& regnum suum accipiet, uisitabit Dominus Iesus Christus duro grandi & forti suo gladio Leuiathan serpentem recuruum, seu ut alij interpretantur oblongum, & Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet Thanin, hoc est, cetum,qui est in mari. Leuiathan nomen est grandis ceti in mari,sicut describitur Iob cap. qua-

drageſimo. Et Pſalm. lxxiiij. Tu confringis capita Leuiathan. Et Pſal. ciiij. Ibi naues eunt, & Leuiathan, quem formaſti, ut in eo ludat. Sic & Thanin ſignificat magnum draconem in mari, adeoq; his duobus uocabulis ſignificãtur maximi omnium in mari piſces. Deſcribitur autem Chriſtus, perinde ac ſi ſuſcepturus eſſet bellum aduerſus grandes piſces & cetos marinos, cum tamen his nominibus intelligantur Principatus & regna huius mundi. Nec eſt bellum mundanum, Sed tale, qualis rex eſt Chriſtus, & quale Euangelion Chriſti interpretatur. Nam in Euangelio dicit Chriſtus. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Quare nec gladius eius erit mundanus, nec bellum mundanum. Ac primum Chriſtus, cum aduenisſet, ſuſcepit bellum gerendum cum Satana, qui eſt ſpiritualis Leuiathan & Draco, ac ita ſuperauit eum, ut abſtulerit ei omnem tyrannidem ſuam, quam aduerſus Eccleſiam exercere ſolet. Hebr. ſecundo: Poſteaquam pueri commertium habent cum carne & ſanguine, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortẽ aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum. Et Ioannis duodecimo. Nunc princeps huius mũdi eiȷcietur foras. Et ca. decimoſexto. Princeps huius mũdi iam iudicatus eſt. Hęc de bello Chriſti cum Satana, & de uictoria eius recitantur in conſolationem Eccleſiæ, ideoq; non ſunt oſcitanter cogitãda. Satan enim affligit Eccleſiam iudicio peccati, horrore mortis & inferni. Sed Eccleſia meminiſſe debet eius uictoriæ, quam Chriſtus ex Satana reportauit. Quia enim Chriſtus uicit Satanã, ideo expiauit etiam peccatum, ſuſtulit mortem, & extinxit infernum. Liberos, inquit Apoſtolus, reddidit eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Deinde Chriſtus, cum emitteret Apoſtolos ſuos in orbem terræ ad prædicandum Euãgelion ſuum, ſuſcepit bellum gerendum cum omnibus regibus & Principibus huius ſeculi, qui & ipſi dicuntur Leuiathan & Dracones, ac inuaſit per Apoſtolos ſuos regna eorũ, diciturq; ipſos occidiſſe duro, grandi & forti gladio. Res aũt ipſa declarat hoc bellum, & hanc incurſionem non eſſe mundanã, ſed ſpiritualẽ, ſicut & gladius & occiſio ſunt ſpiritualia. Chriſtus enim in eo ſubȷcit ſibi regna huius mundi, & occidit reges eorum, q; ex regnis ipſorum, nolẽtium uolentium, colligit ſibi ſuam Eccleſiam per Euangelion. Et quanq; Principes huius mũdi perſequuntur Eccleſiam, tamen Chriſtus ruentibus & pereuntibus ipſis, conſeruat eam. Quo tempore Euangelion confirmatum eſt in die Pentecoſtes, horrendus Leuiathan, & terribilis Draco erat Romanum Imperium. Hic tamen Leuiathan ita deuictus eſt, ut quanq; totis uiribus ſuis cooriebatur aduerſus Euãgelion Chriſti, neceſſe tñ habuerit ei in toto regno ſuo locum dare. Vnus Paulus

circuntulit

circumtulit Euãgelion Christi ab Hierosolymis usq; ad Illyricum. Hoc certe fuit uisitare Leuiathan et Draconem. Vocatur autem Euangelion gladius grandis, fortis & durus erga eos, qui sunt incredduli & obsistunt ei. Hi enim eo ipso, quo obsistunt Euangelio, seipsos perdunt, & in perpetuum exitium conijciunt. Qui uero credunt Euangelio, his est potentia Dei ad æternam salutem. Dicuntur & hæc in consolationem Ecclesiæ, ut cum uideat initio reuelati Euangelij Leuiathan & Dracones in mari huius mundi mirabiliter expugnatos, & Euangelion aduersus omnem potentiam huius seculi diuulgatum, bene confidant de regno Christi, quod etsi uidetur in tanta hostium multitudine infirmum & exiguum, tamen nullæ sunt humanæ uires, quæ ipsum tollere & abolere queant. Nam quod Christus mirabiliter tueatur & cõseruet regnũ suum, (quod est Ecclesia eius) in medio furoris huius mundi, statim Propheta indicat, cum addit: In die illa cantabitur de uinea quæ optimum uinum profert. Ego Dominus, qui seruo eam: statim opportuno suo tempore rigabo eam, ne forte uisitetur contra eam. Noctu diuque custodio eam. Vinea, sicut supra capite quinto, & Lucæ uigesimo dicitur, est domus Israel, seu uera Ecclesia Christi. Hæc profert optimum uinũ, quia in sola Ecclesia uera est agnitio Dei, uera inuocatio, uerus cultus Dei. Dicit ergo Dñs Christus se hanc uineã suã tãtis miraculis defensurę diu noctuq;, ut id etiam publicis carminibus celebretur. Vbiq; cantabitur & prædicabitur de admiranda defensione Ecclesiæ. Totus enim mundus conspirat aduersus Christum & Ecclesiam eius, & tamẽ Christus manet æternus rex, & tuetur Ecclesiam suam in medio hostium suorum. Sic enim dicitur in Psal. Dominare in medio inimicorum tuorum. Et ad Apostolos ait: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Mirabile regnum, quod constat in medio hostium. Singulares oues, quæ seruantur in medio luporum. Eximia uinea, quæ custoditur in medio porcorum & aprorum. Hæc necessaria sunt, ut cognoscantur, & cũ recitantur, singuli pij pro certo sentiant sibi ea dicta esse. Nam cum loquimur de Ecclesia Christi, non est existimandum, quod Ecclesię Christi nomine comprehendantur eremitæ illi, qui tantum herbis & radicibus uescuntur, aut colluuies illa Romanorum Pontificum, & Papisticorum Episcoporum, sed comprehenduntur hi, qui agnoscunt Euangelion Christi, & uere credunt in Christum. Hi ut sunt pauci numero, ita multis ærumnis affliguntur in hoc seculo, ac uidẽtur prorsus a Deo deserti. Sed sicut Christus alias dicit: Ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, ita hoc loco dicit: Ego seruo eam. Statim opportuno tempore rigo eam, ne uastetur. Ego noctu diuque custodio eam.

Ecclesiæ mirabilis cõseruatio.

Quid ergo amplius requiris? Siue ueniat paupertas, siue exilium, siue mors ipsa, tamen qui est palmes huius uineæ, seruatur & custoditur. Quare hoc præcipue nobis agendum est, ut simus huius uineæ palmites, & omnia reliqua bene habebunt.

INDIGNATIO NON EST MIHI &c.

Ecclesiæ afflictio.

Dicet quispiam, si noctu diuq; custodis uineam tuam, quæ est Ecclesia, quid est, quod tot periculis exponitur, & tot afflictionibus cruciatur? In Ægypto ita opprimitur, ut non solum maiores natu durissima seruitute exercerentur, uerumetiam infantes aquis obruerentur. Hoccine est uineam seruare & custodire? Postquam autem Israelitæ, qui suo tempore erant uinea Domini, possederunt urbem Hierusalem, & regnum terræ Canaã, sic oppressi sunt a Babylonijs, ut non solum metropolis & regnũ eorum diriperetur, uerumetiam ipsi in orbem terræ dispergerentur, & in durissimam seruitutem conijcerentur. Quis diceret hoc esse uineam suo tempore irrigare? Quid dicam de tyrannide, qua grassatus est in Ecclesiam Domini Antiochus? Sed & postea cum Euangelion spargeretur in orbem terræ, non solum Apostoli, uerumetiam innumeri alij in Ecclesia, crudelissime interfecti sunt. Quid ad hæc dicemus? Num permittere & conniuere, ut uinea Domini sic uastaretur, est uineã diu noctuq; custodire? Ad hoc respondet nunc Dominus, & ait: Indignatio non est mihi. Quis dabit mihi spinam & ueprem in bellum? Conculcabo eam (spinam) succendam eam simul. Aut apprehendetur manu seu fortitudine mea, & faciet mecum pacem, pacem (inquam) faciet mecũ. hoc est, Etsi permitto, ut uinea mea ab apris & leonibus uastetur, & si conniueo ut Ecclesia mea ab impijs affligatur, tamen non facio hoc ex indignatione & furore aduersus Ecclesiam, non cogito Ecclesiam deserere, perdere, & opprimere, sed facio hoc potius ex fauore, & amore, ut Ecclesia mirabilius seruetur, & maiora beneficia diuinitus consequatur. Non gero bellum aduersus bonas & fertiles uites in mea uinea, sed aduersus spinas & uepres, quæ sunt uitibus impedimento. Ac uites quidem suscipio putandas & purgandas, ut copiosiorem fructum ferant. Spinas aũt suscipio extirpandas prorsus, conculcandas & in ignem conijcendas. Aut si forte spinam non eradicauero, tamen apprehendo eam, pro mea fortitudine, & cogo ut pacem mecum habeat, habeat, inquam, pacem mecum, hoc est, ut mihi subijciatur, meæ seruiat uolũtati, & aut fiat paxillus ad quam uites alligentur, aut sepes, qua uites muniantur. Itaq; sic distinguo inter spinas, ut alias extirpem & in ignem conijciam, alijs utar ad sepes, quibus bestiæ arceantur. Solas autem uites plantem & conseruem, ut fructum in tempore suo ferãt. Duo hic obseruatione dignissima docentur. Alterum est de

uoluntate

uoluntate Dei in afflictionibus, quibus Ecclesia in his terris cruciatur. Indignatio, inquit, non est mihi. Cum Deus affligit Ecclesiam nõ hoc uult, ut Ecclesia pereat, sed ut per afflictiones seruetur. Voluntas Dei nõ est uoluntas perdendi sed seruãdi populi sui. Ira Dei erga Ecclesiam suam non est ira tyrãnica, sed paterna. Nam quemadmodum agricola putat uitem falce, non furore, & indignatione, sed bono consilio, ut uitis copiosiorem fructum ferat: ita Deus immittit afflictionem in Ecclesiam, nõ ut Ecclesia pereat, sed ut ueram salutem consequatur. Vnde infra capite quinquagesimoquarto dicit: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te &c. Et Ose. vi. Venite reuertamur ad Dominum, quia ipse appræhẽdit nos & sanabit, percussit, & curabit. hoc est, Dominus immittit afflictiones, ut seruet, & sanet. Et Hiere. uigesimonono: Ego scio cogitationes, quas cogito super uos ait Dominus, cogitationes pacis & non afflictionis &c. Vide exemplum Israelitarum in Ægypto. Pharao opprimit populum Dei, & proijcit infantes in profluentem. Deus autem cogitat liberationem, & multiplicationem populi. In deuastatione Hierusalem, Babylonij cogitabant deletionem Dei Israelis, & populi eius, sed Deus cogitabat diuulgationem gloriæ nominis sui, & multiplicationem Ecclesiæ suæ. Sic in persecutione Ecclesiæ post reuelatum Euangelion, Iudæi & gentes cogitabant internecionem, Deus autem cogitabat conseruationem & dilatationem Ecclesiæ. Non repellet, inquit Hieremias in threnis suis, in sempiternum Dominus, quia si abiecit, etiã miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim humiliauit ex corde suo & abiecit filios hominum &c. Hæc Dei uoluntas diligenter intuenda est in aduersis, ut excitemur ad fidem, ad inuocationẽ, ad obedientiam, ad patientiam. Hæc enim officia præstanda sunt in afflictionibus. Testificatus autem est Deus de hac sua uoluntate non solum scriptis Propheticis, & exemplo Israelitarum, sed etiam, ac maxime omnium exemplo unigeniti filij sui, quem obiecit difficilimis afflictionibus, non ut perderet, sed ut seruaret eum, imo ut per eum seruaret uniuersam suã Ecclesiam. Alterum obseruabile hoc est, quod Deus aduersarios populi sui, quos uocat spinas & uepres, aut prorsus eradicet. aut si permiserit eos in hoc mundo cõmorari, cogat eos uineæ seu Ecclesiæ suæ seruire. Sic initio non eradicabat Pharaonem deuastantem uineam suam, sed conniuebat ad crudelitatem eius, interim tamẽ coegit eum, quamuis inscium, Ecclesiæ suæ seruire. Nisi enim sic oppressisset Israelitas, nunq; fuissent excitati, ut desiderarent libertatem, & patrias sedes, nunquam potuisset eis Moses persuadere, ut uocationem Dei ad occupandam terram Canaan sectarentur.

Concessum est diuinitus Nabuchodonosori, ut uastaret metropolin populi Dei. Itaq; Nabuchodonosor uisus est acuta spina: Sed Deus hac spina usus est ad gloriam nominis & Ecclesiæ suæ in tota terra dilatandam, Danielis secundo & quarto. Paulus, cum adhuc esset Saulus, erat acutissima spina: Sed Deus non solum effecit, ut fieret adminiculum uitium in uinea sua, uerumetiam electissimus palmes. Quare non terreamur crudelitate aduersariorũ, sed intueamur in Dominum Deum nostrum, qui & nos in medijs periculis seruat, & aduersarios cogit sibi obnoxios esse & adiumento ad Ecclesiæ suæ salutem.

QVI INGREDIENTVR IMPETV A IACOB, &c

Hęc & quæ sequuntur, usq; ad hunc locum, Ciuitas munita desolata erit &c. sic uertenda sunt. Veniunt (tempora quibus) radices aget Iacob, florebit & fructum proferet Israel, ut prouẽtus eius impleat faciem orbis. Nũquid iuxta percussionem percutientis seu hostis, percutit eum? aut iuxta occisionem occidentis seu inimici occidit eum? Facis eam (uineam seu agrum) crescere in mensura, in uiridario (deinde Dominus) aufert (superuacanea) uento duro, cum flat Orientalis (qui est uentus urens & uastans) Sed hac ipsa re expiatur iniquitas Iacob, & hic est omnis fructus, quod aufertur peccatum eius, cum fiunt omnes lapides altaris, sicut lapides calcis dissoluti, ut non restituantur luci & imagines. Hactenus uersio. Perseuerat autem Propheta in eodẽ consolationis argumento, & ostendit, quo animo Deus affligat Ecclesiam suam, & quis sit finis afflictionis. Porro, cum antea usus sit metaphora uineæ, pergit etiam nunc in eadẽ metaphora. Etiamsi, inquit, uinea Domini uarijs modis affligitur in hac terra, tamẽ tempus erit, quo Iacob & Israel, qui sunt uinea & populus Dei, radices agent, florebunt & copiosum fructum ferent. Sed quomodo possunt in tantis tempestatibus florere & fructum ferre? Respondet Propheta: Dominus non percutit non affligit populum suum in modum hostis. Hic enim, quos affligit, prorsus opprimit, & quos occidit, prorsus conterit. Dominus autem non affligit hostiliter, sed amice & paterne. Et quanq̃ sinit uineam suam perflari duro & urente uento, tamen efficit ut pro sua mẽsura in horto suo crescat. Superuacanea, et perniciosa aufert, Reliqua fouet & conseruat: adeoq; huc omne consilium Dei spectat, ut Ecclesia afflictionibus erudita, discat peccata sua agnoscere, pœnitentiam agere, idolatriam abijcere, impia sacra abrogare, & omnem impietatem perpetuo uitare. Propheta attingit tria argumẽta, quibus cohortatur Ecclesiam ad ferendas ærumnas patienter & obediẽter, quæ & diligenter sunt obseruãda, ut cognoscamus quo

Alij deducũt תריבנה *à* ריב *Ego deduco à* רבב *seu* רבה.

Dei

Dei consilio & quo fine Ecclesia tot aduersis in hac terra obijcitur. Primum est, q̄ Deus affligit Ecclesiã, non hostili, sed amico & beneuolo animo. Hostes hoc agũt, ut aduersarios suos penitus conterãt. Deus aũt non hoc animo inuehitur in populum suũ, sed cupit eum seruare. Ac impios quidem, & impœnitentes prorsus perdit. Pios aũt, & pœnitentes, qui sunt Ecclesia eius, castigat animo paterno. Vnde Hier. xxx. & xlvi. dicitur: Faciã consummationem in cunctis gentibus ad quas eieci te, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio. Sed quomodo cognoscã hanc Dei uoluntatem in aduersis? Filius (inquit Euãgelista) unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et iterũ. In hoc apparuit caritas Dei erga nos, q̄ filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum &c. Et Paulus: Cõmendat caritatem suam erga nos Deus, q̄ cum adhuc essemus peccatores, Christus p̄ nobis mortuus est. Sicut ergo Patriarchæ cognouerũt bonam Dei uoluntatẽ erga se, ex promissionibus de Christo uenturo, ita nos cognoscimus bonã Dei uolũtatem ex Christo filio Dei iam exhibito. Secundũ, Deus etsi immittit in uineam uentum durũ, tñ facit eam crescere p̄ sua mensura, pro suo modo: hoc est, Deus non affligit Ecclesiã immodice, sed moderate, & dat euentũ ut ferre queat. In Ægypto durissimus uentus perflabat uineã Dñi, cum infantes p̄ijciebantur in profluentem, & uiri opprimebantur grauissimis oneribus, attñ radices egit, et protulit suo tẽpore uberrimum fructum. In uastatione Hierusalem flauit uehementissimus & pernicioſissimus uentus, cõ seruauit tñ Deus populum suum, ut Ecclesia maior fieret, q̄ si Hierusalem mansisset incolumis. Post diuulgationem Euangelij in orbem terræ, flauit durissimus uentus, cũ pariter Ethnici & Iudæi coorirentur aduersus Ecclesiã Christi, & affligerẽt pios crudelissimis generibus suppliciorum, ut Ecclesiam delerent. Sed tamen diuina clementia factum est, ut Ecclesia eo magis seruaretur & dilataretur, quo plus eam hostes affligerent. Quod de uniuersa Ecclesia dicitur, hoc etiam de singulis Ecclesiæ membris intelligendum est, uidelicet, q̄ Deus castigat pium, pro suo modo, & mẽsura. Deus eñ tanto fauore complectitur populum suum credentem in Christum filiũ suum, ut nunq̄ sinat afflictionẽ in ipsum incurrere, quin prius excogitauerit modum liberationis. Iosepho filio Iacob non contigit prius seruitus & captiuitas, q̄ definita erat a Dño liberationis ratio, sicut testatur somnium Iosephi Gen. xxxvij. Israelitæ non ante oppressi sunt in Ægypto, q̄ determinata erant diuinitus, & tempus, & modus liberationis, Gen. xv. Sic sentiẽdum est de uastatione urbis Hierusalem, adeoq̄ de omnibus aduersis, quæ accidũt populo Dei. Tñ igitur hoc curemus, ut simus populus & Ecclesia

Afflictiones & ærumnæ quare patiẽter ferendæ.

Dei,tum omnia reliqua ſalua erũt. Tertium,Deus hoc fine immittit aduerſa in Eccleſiam ſuam,ut expientur peccata,& aboleatur idolatria ac impietas. Hoc non ſic intelligendum eſt,q̃ humanæ afflictiones ſint expiationes peccatorum corã Deo. Vna.n.afflictio filij Dei, una mors Chriſti expiauit peccatum noſtrum coram Deo. Noſtræ aũt afflictiones non ſunt tanti momenti, ut peccata expiẽt in iudicio Dei,& placẽt iram eius. Sed ideo dicuntur peccata expiare,quia ducunt in cognitionem peccati,excitant ad quærendam remiſsionem peccati,per Chriſtum,& inuitant nos, ut peccata fugiamus,& uitemus,& ut in officio obedientiæ cõtineamur. Huc reſpicit Deus, cum immittit afflictionem in populum ſuum, uidelicet, non uult eum perdere, ſed iuuare & ſeruare, ne pereat. Sic Dauid eiectus eſt e regno,& paſſus eſt ludibria,conuicia,& publica ſuarũ uxorum ſtupra,ut agnoſceret magnitudinẽ peccati ſui, & admoneretur ipſe,quo deinceps peccata uitaret, ac ſuo quoq; exemplo admoneret alios,ut honeſtam uitam ducerent. Sic rex Manaſſes coniectus eſt in uincula, non ut periret, ſed ut in peccatorum ſuorum agnitionẽ duceretur,& ſeruaretur. Sic Paulo datus eſt angelus Satanæ,ne peccaret,hoc eſt,ne magnitudine reuelationũ extolleretur.

CIVITAS MVNITA DESOLATA ERIT, SPECIOSA RELINQVETVR &c.

Expoſuit Propheta conſilium,quo Deus affligit Eccleſiam ſuã. Nunc recitat uaſtationem urbis Hieruſalem, quæ erat externa metropolis Eccleſiæ Dei, & dilatationem Eccleſiæ in totum orbem terræ. Addit autem hoc uaticinium, ut admoneat & conſoletur Eccleſiam,quod non debeat animum de ſalute ſua deſpondere, etiãſi carnalis Iſrael abijciatur,& externa Eccleſiæ hoſpitia uaſtentur & aboleantur. Sapientes enim huius mundi non putant, ut cœtus aliquis conſeruetur,niſi munitus ſit potentia,et ciuilibus ordinationibus. Quomodo pauci,inquiunt,& diſperſi,non ſolum ſine regno & urbe,uerumetiam in omnibus regnis & urbibus exoſi, & uarijs calamitatibus afflicti poſſunt inſtitutum religionis ſuæ tueri,& diu cõſeruare? Hanc mundi ſapientiam reprehendit nunc Propheta,et dicit Eccleſiã Chriſti et religionem eius non ſolum non interiturã,uerumetiam ampliandam & dilatandam,etiamſi Hieruſalem,& externum eius regnum prorſus conculcetur. Recitat ergo initio uaſtationem urbis Hieruſalem,eam præcipue,quæ facta eſt per Romanos, & ſi nec prior illa,quę facta eſt per Babylonios,fuit Eccleſiæ exitio. Ciuitas,inquit,munita,urbs Hieruſalẽ, quæ uidetur clariſsima & potentiſsima omnium urbium orientalium,deſolabitur, ſpecioſæ domus eius relinquentur& deſerentur uelut deſertum, ut paſcatur & accubet ibi uitulus,ac decerpat ſurculos eius. Rami eius prę aridi

tate

tate ita conterentur, ut mulieres ueniant, & colligant ad comburendos eos igni. Sed quã ob causam tanta uastitas accidet urbi tam sanctæ? An non in ea erat templũ Dei? An nõ ibi erat cultus Dei? Hæc urbs erat hospitium uerbi Dei, in qua non solum Prophetæ, uerũ etiam ipse Christus filius Dei, & Apostoli eius ãnũciauerunt Euangelion, & ædiderunt multa miracula: cur ergo Deus non pepercit hospitio suo? cur permisit, ut tam fœdè dilaceraretur? Sequitur causa uastationis. Non est populus, inquit, sapiẽs. Propterea non miserebitur eius, qui fecit eum, & qui formauit eum, nõ parcet. Sic & Moses cõqueritur: Gens absq; consilio est, & sine prudẽtia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Habes igitur causam, cur Iudæi, qui erant populus Dei, sunt abiecti, & metropolis eorũ uastata, uidelicet, nõ quia grauiter peccarunt, sed quia cũ peccassent, non uoluerunt intelligere tempus uisitationis suæ, non uoluerunt resipiscere, & Christum ac Euangelion eius ãgnoscere. Hæc est condemnatio, inquit Christus, q; lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras q̃ lucẽ. Discamus ergo ex hoc loco insipientiã esse causam deuastationis regnorum & urbium. Insipientiam autem uocamus non ciuilem illam, cui etiam pij nonnunquam obnoxij sunt, sed spiritualem illam cui sapientes huius mundi maxime omnium sunt obnoxij, uidelicet, quæ non sapit nec intelligit tempus uisitationis Dei, & quæ contemnit uerbum Dei, uocans ad pœnitentiam, & ad ãgnitionem Christi filij Dei. Hæc est maxima insipientia, quia exponit hominem non tantum externis, sed etiam æternis periculis. Sed quid? num quia regnum populi Dei, & metropolis eorum interit, necesse erit, ut & Ecclesia Christi intereat? Nequaquam. Vastatio urbis Hierusalem non est interitio sed ampliatio Ecclesiæ. Sic enim sequitur. In die illa triturabit Dominus ab alueo fluminis, hoc est, Euphratis, usq; ad torrentem Ægypti, qui est Nilus, & uos filij Israel congregabimini alter ad alterũ. In die illa clangetur tuba magna, & uenient qui perditi erant in terra Assyriorũ, & qui electi erant ad terrã Ægypti, & adorabũt Dominum in monte Sancto in Hierusalem. Hæc est concio de dilatatione Ecclesiæ per Euangelion, in omnia regna huius mundi. Etsi enim Hierusalem uastabitur, tamen Euãgelion, quod est magna tuba, spargetur in orbem terræ, quo Euangelio uocabit Dominus ex Ægypto, ex Assyria, ex Mesopotamia, ex omnibus finibus terræ electos suos. Et sicut Baptista ait, Ventilabrũ est in manu Christi, ac repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam aũt exuret igni inextinguibili. Adorabunt, inquit, Dominum in monte sancto in Hierusalem. Sed quomodo ibi adorabunt, cum paulo ante dixerit eum locum uastãdum, & conuertẽ

dum in pascua uitulorum. Non intelligas pios uenturos ex omnibus nationibus ad locum urbis Hierusalem corporaliter, sed idcirco dicuntur adorare Dominũ in monte sancto in Hierusalem, quia credunt Euangelio Christi, quod initio adnunciatum est in urbe Hierusalem, in die Pentecostes, & ab eo loco sparsum in totum orbem terræ. De qua re supra sæpe dictum est. Vides autem externa incommoda non oppressisse, sed auxisse gloriam & Ecclesiam Domini. Exempla sunt, persecutio Israelis in Ægypto. Captiuitas propiciatorij a Philistinis, sub Eli sacerdote. Vastatio urbis Hierusalem per Babylonios. Similiter posterior uastatio eius per Romanos. Quod autem de uniuersa Ecclesia Dei dicitur, hoc intelligendum etiam erit de unoquoq; priuatim, qui est membrum Ecclesiæ. Multæ sunt tribulationes iustorum, multa accidunt eis incommoda, & grauia onera. Sed hęc omnia magis sunt eis adiumento in bonum, quam detrimento. Quantam gloriam peperit Iosepho captiuitas, Dauidi exilium, Danieli lacus, Christo ipsi crux? Etsi enim non contingit liberatio in hoc mundo, tamen contingit æterna & cœlestis liberatio. Quare non terreamur incommodis huius seculi, sed curemus tantum, ut maneamus in Ecclesia Christi, & reliqua omnia salua erunt.

CAPVT XXVIII.

VÆ CORONÆ SVPERBIÆ, EBRIIS EPHRAIM. &c.

In hoc capite continetur concio, cuius prior pars inuehitur in regnum Israel, seu Ephraim, quod uocarunt, regnum Samariæ, & decem tribuum. Posterior pars inuehitur, in regnum Iudæ. Itaq; Esaias habuit hanc concionem, priusquam regnum Samariæ uastatum est a Salmanessare. Fuit autem hoc regnum magna potentia munitum, & illustri maiestate ornatũ. Terra eius fuit fertilitate insignis, quemadmodum testantur benedictiones Ioseph, quæ extant Gen. xlix. & Deut. xxxiij. Vnde et hoc loco uocatur Corona superba seu magnifica. Et Flos glorioſi decoris. Item Vallis pinguedinum, seu ut nos loqui solemus, fouea butyri, hoc est, locus fertilissimus. Ad nunciat igitur Propheta, quod hic flos fiat deciduus, & hæc gloriosa corona conculcanda sit pedibus. Ecce, inquit, demittet se potenter in terrã fortis & ualidus Domini, uidelicet dies, seu exercitus a Domino excitatus, ueluti nimbus, grando & turbo cõfringens, ueluti nimbus fortium aquarum inundantium. Hic est exercitus Salmanessaris regis Assyriorum, qui cum uenisset in terram Samariæ, conculcauit pedibus, & contriuit glorioſum regnum eius. Idem eñ

Schmaltz gruben.

accidit

accidit regno Samariæ, quod fructui ante ęstatem præcoci. Hic eñ deuoratur seu perit, priusquam decerpitur, & cum adhuc ex manu, seu palmite suo dependet: ita & regnum Samariæ, nimis cito floruit & maturuit, ideoq; necesse habet ante tempus perire. De uastatione autem regni Samariæ uide quartū Regum decimoseptimo, de qua multum prophetarunt Oseas, Amos, & alij Prophetæ. Ac alias quidem exprobratur huic regno impietas & Idolatria, propter quam traditum sit a Domino uastationi, hic autem exprobratur ei temulentia & ebrietas. Væ, inquit, ebrijs Ephraim. Et, Errantibus, seu Quassatis a uino. Obseruemus igitur Ebrietatem & crapulam, non esse tam leue peccatum, quam ab hominibus huius seculi iudicatur. Hi sentiunt, ebrietatem magis ridendam, quam reprehendēdam & puniendam esse. Sed aliud est spiritus sancti iudicium. Hic enim docet ebrietatem tam horribile esse in cōspectu Dei peccatū, ut primum Deus puniat hoc peccatum uastatione regnorum, & urbium. Vnde supra cap. quinto dictum est: Væ qui consurgitis mane ad sectādam ebrietatem. Et mox. Propterea captiuus ductus est populus meus &c. Babylon quoque capta est, ebrietate regis & ciuium, ac regnum eius translatum in Medos & Persas, Danielis quinto. Extant & multa id genus alia exempla in externis historijs. Etsi enim non omnes in regno aut urbe sunt ebriosi, tamē quia magistratus & patresfamilias conniuent ad ebrietatem, ac sectantur etiam ipsi ebrietatem, & alij non tam seueriter abominantur hoc uitium, quam lex Dei exigit, idcirco omnes simul incolæ iudicantur digni supplicio. Deinde Deus punit hoc peccatum æterna damnatione. Ebriosi, inquit Paulus, non accipient hereditatem regni Dei &c. Sed quid? Si uastabitur regnum Samariæ, ubi manebit Ecclesia Dei? In hoc enim regno fuerunt multi excellentes Prophetæ, Elias, Elizæus, Ionas, Oseas, Amos, & alij. Quare, & si publica idolatria instituta fuit in hoc regno, tamen habuit Deus in eo regno etiam suam Ecclesiam, quemadmodum ad Eliam dicitur: Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curuauerūt genua sua ante Baal. Cum igitur Propheta uaticinatur de interitu huius regni, quod fuit sedes Ecclesiæ Dei, statim uenire solet pijs in mentem, ubi ergo manebit Dei Ecclesia? Hoc enim pijs præcipue curæ est, ut etiamsi omnia alia ruant, & pereant, constent saltem uerbum & Ecclesia Dei, atq; propagentur ad posteros. Quare, ut Propheta medeatur huic curæ, & confirmet animos piorum, addit appendicem de conseruanda Ecclesia in hac ruina regni Israelis. In die illa, inquit, erit DOMINVS Zebaoth Corona decoris, & diadema gloriæ reliquijs populi sui. Erit spiritus Iudicij seu prudentiæ, sedenti super tribunal, & fortitudo reuertentibus de

bello ad portam, hoc est, Dominus dabit reliquijs in pace prudentiam gubernandi, in bello fortitudinem pugnandi. His uerbis consolatur Propheta pios, quod etiamsi ruitura sit inclytũ regnum Israelis, quod fuit hactenus sedes Ecclesiæ, & multorũ eximiorũ Prophetarum, tamen Deus sit Ecclesiam suam cõseruaturus, & ornaturus eam donis spiritus sancti, quibus & in tranquillitate honestã uitam ducant, & in afflictionibus aduersus Satanam constent. Quod aũt Propheta de reliquijs regni Israel, & de cõseruata Ecclesia eius regni dicit, ita impletum est, ut & nonnulli qui remanserãt post uastationẽ in terra, reuersi sunt hortatore Ezechia rege Iudæ, ad Dominum, ij. Paralip. xxx. & alij inter gentes dispersi ita seruati sint, ut posteri eorum peruenerint usq; ad tẽpora Apostolorum, quibus Euangelium Christi prædicantibus, multi ex Israelitis agnouerunt Christum, & acceperunt spiritum sanctum, quo, rebus prosperis, uitam suam pie gubernauerunt, & rebus aduersis, cõstanter ac fortiter cum Satana pugnauerunt. Hoc igitur exemplum docet nos, q; Deus conseruet suam Ecclesiam, etiamsi imperia, quæ præbuerunt hospitia Ecclesiæ, & fuerunt aliquandiu sedes eius, ruant. Itaq; nostrum est, ut oremus quidem pro publica pace regnorum, & pro incolumitate eorum Principum, qui concedunt Ecclesiæ tranquillã habitationem in terris suis, non desperemus autem de salute Ecclesiæ, etiamsi regna & principatus uastentur. Sed curæ nobis sit, ut in fide uerbi Dei, cum uera Ecclesia permaneamus. Sicut enim non peribat uera religio cum ablata esset arca Testamenti a Philistinis, i. Regum iiij. ita non perit, etiamsi deuastentur Ecclesiarum hospitia. Solet autem in publica uastatione eorum regnorum, quæ præbuerunt Ecclesiæ Dei hospitia, & in persecutionibus Euangelij Christi, idem accidere, quod in apparatu externi belli. Principes enim qui suscipiunt bellum gerendum, initio uocant milites per capitaneos suos, ex omnibus, quibus possunt locis, & nominatim indicant locum, in quo debeant conuenire, ut fiat delectus. Deinde, cum conuenerint, solet delectus fieri, ac alij quidem conscribuntur in militiam, & accipiunt stipendium, alij reijciuntur. Sic etiam uocantur homines ad Christianam militiam, per Apostolicum uerbum. In uastationibus autem regnorum & persecutionibus habetur delectus. Alij enim constant, & agnoscuntur ueri milites: alij deficiunt a uerbo Dei, & reijciuntur. Sic delectus habitus est, in uastatione urbis Hierusalem & uulgatione Euangelij per Apostolos in totum orbẽ terræ. In hoc delectu, alij Israelitæ recepti sunt, uidelicet, hi, qui agnouerunt Euangelion CHRISTI, alij abiecti &c. Sic delectus habitus est eo tempore, quo Gentes persecutæ sunt Christianismum, & supplicijs affecerunt innumeros, quos uocamus

camus martyres. Quare, cum oriũtur uastationes & persecutiones, non sentiamus Ecclesiam interire, sed tantum fieri delectum, ut descernantur synceri ab hypocritis, & ueri a falsis.

VERVM ILLI QVOQVE PRÆ VINO NESCIERVNT, ET PRÆ EBRIETATE &c.

Quæ pars huius capitis præcedit, concio est aduersus regnum Israelis, quemadmodum supra ostendimus. Nunc sequitur cõcio aduersus regnũ Iudæ, in quo regno Esaias Prophetam agebat. Sic enim infra dicit: Audite uerbum Dñi, uiri Illusores, qui dñamini super populum meum, qui est in Hierusalẽ. Inuehitur aũt in Principes & incolas regni Iudæ hoc consilio, ne cum audiant scelera & supplicia regni Israelis, existiment se innocentes in suis sceleribus esse, & impunes fore, & habeant apud se uerum Dei templũ, uera Dei sacrificia, & uerum uerbum Dei. Hoc. n. fere est ingeniũ hominum, & in alieno supplicio applaudant suæ innocẽtiæ, & existiment alios quidem, & affligantur, peccasse, se autem tanto meliores, quãto peius uident alios puniri. Sed hoc est præposterum & iniquum iudiciũ. Debemus enim aliena, ut dici solet, insania frui, & ex aliorum supplicijs admoneri de nostris peccatis, ut resipiscamus. Si enim affligitur is, qui non potest alicuius sceleris in humano iudicio conuinci, cogitandum est: si hoc in uiridi, quid fiet in arido? Et: si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator. Si autem affligitur manifeste sceleratus, cogitemus, nec nos innocẽtes esse coram Deo. Si enim iniquitates obseruaueris Dñe, Dñe quis sustinebit? Apud Lucam, qui cõmemorabant Galilæos crudeliter mactatos a Pilato, audiũt: putatis & hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint? Non dico uobis, imo nisi resipueritis omnes similiter peribitis. Et ad mulierculas lamentantes dicit Christus: Nolite flere super me, sed super uobis ipsis flete, & super filijs uestris. Quare Esaias redit ad suũ ipsius populũ, in regno Iudæ, & hortatur eos ad pœnitentiã, ut cum regnum Israelis horribiliter sit periturũ, non existiment incolas eius regni solos esse peccatores, sed intueãtur in exempla illorum, & sua ipsorũ scelera considerent ac resipiscant. Hi quoq; inquit, præ uino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. hoc est, Nõ solum illi, qui sunt in regno Israel peccant ebrietate, uerumetiam hi qui sunt in regno Iudæ: Ciues & incolæ urbis Hierusalem ac totius regionis, uino ita indulgent, ut præ ebrietate uacillent, ac nec pes nec manus officium suum faciant. Ac tolerabile esset, si uulgus tm̃ hoĩm ebrietati studerent, hoc aũt deplorandũ est merito, & tã sacerdotes, q̃ Prophetæ, q deberẽt alios docere, ad sobrietatẽ hortari, ueram legis sententiam explicare, & recte de ciuilibus controuersijs iudicare, uino et sicera sese sic impleãt, ut nec ipsi pedibus suis cõsistere

Homĩis ingenium in alieno supplicio &c.

queant, nec recte uisiones propheticas intelligant aut explicẽt, nec probe de rebus in cõtrouersia positis iudicent. Nam sacerdotis & Prophetæ nomine hoc loco intelligi possunt sacerdotes & Prophetæ aut prout fungũtur publico ministerio docendi populi, aut prout funguntur officio dicendi ius. Controuersiæ enim etiam politicæ referri solebant ad sacerdotes Deut. xvij. Et interpretes eorꝝ dicebantur Prophetę, sicut Aherõ dictus est Propheta, hoc est, interpres Mosi. Et principes suos habẽt Prophetas, hoc est, interpretes. In docendo igitur populo nec sacerdotes, nec Prophetæ seu interpretes scripturæ possunt prę ebrietate suo officio defungi. Et in dicendo iure, seu pronuncianda sentẽtia iuris, sacerdotes & interpretes eorꝝ, ita balbutiunt, ut præ uino ac sicera, ne expedite quidem loqui sciant. Ebrij. n. uino balbutire solent. Vitia aũt uino concepta, etiam sine uino durãt. Quid multis opus? Exemplum sacerdotum & Prophetarum sequitur omnis populus. Omnes mẽsę, inquit Esaias, repletæ sunt uomitu & sordibus, ita ut nullus purus & mundus locus supersit. In tanta igitur totius populi tam maiorum q̃ minorꝝ ebrietate, quis esset locus doctrinæ? quem hominũ posses docere, & in uera pietate erudire? quem haberes auditorem sobriũ, attẽtum & docilẽ? Certe si uolueris habere auditores dociles, nõ est concionandum adultis & maioribus natu, sed ablactatis, & auulsis ab uberibus, hoc est, pueris & adolescentibus. Maiores enim natu uino ita obrũti sunt, ut insipientiores & indociliores sint pueris ablactatis, ideoq; oleum & opera perduntur, quæ ad ipsos docendos insumuntur. Quod autẽ sequitur: quia manda, remanda, expecta, reexpecta &c. In hebrꝛo ita habetur: Præceptum ad præceptũ, prę ceptum ad prꝛceptum, Expectatio ad expectationem, expectatio ad expectationem, seu regula ad regulam, regula ad regulam, modicũ ibi, modicum ibi. Bleso labio, & aliena lingua loquitur ad populum istum. Si quis dixerit ad eos, hęc est requies, qua refocillabitis defatigatum, & hoc est refrigerium, non uolũt audire. Quorꝝ uerborꝝ hęc est sentẽtia. Maiores natu ita obtuso ingenio ex ebrietate facti sunt, ut etiãsi recitaueris eis prꝛcepta et promissiones Dei, quibus iubemur auxilium Dei expectare, & iteraueris ac inculcaueris ea, & proposueris eis regulas quasdam uitę, & fragmenta, seu compendia, & breues quasdam pericopas ex uarijs locis sacræ scripturæ, & hæc õmnia clarissime eis explicueris, tamẽ non intelligãt ea, sed uideantur ipsis barbara, peregrina, & prorsus alienã, quasi loquereris eis lingua, ut uocãt, Callicutica. Quod si ostenderis eis aliquam rationem, qua in miseria & calamitate inuenire queant recreationem & liberationem, plane abominãtur: adeoq; siue dura, siue iucunda concioneris, contemnunt & fastidiunt. Et quid plura dicam?

cam? Non ſolum contemnunt, ſed etiam derident uerbum Domini. Cum enim audiunt in publicis concionibus ſæpe recitari illud ex Moſe: Præcipe filijs Iſrael etc. & præcepta Domini iterari, ac populum admoneri de expectando auxilio Dei in afflictione, cumq; proponuntur, docendi gratia, regulæ quædam uitæ, & breuia quædam dicta ex uarijs locis ſcripturæ, ſolent ea in conuiuijs ſuis exagitare ac deridere, & cum forte uiderint ſacrificulum aut Prophetam prætereuntem: heus tu, inquiũt, amabimus te, recita nobis aliquod præceptum. Et an non habes aliquam regulam, aut aliquam periocopen, quam nobis commemores? Hæc autem requirunt, nõ ut ſerio aliquid diſcant, ſed ut habeant, quo ſe oblectent & quod rideant. Itaq; ſuo contẽptu eo contendunt, ut cadant, cõterantur, illaqueentur & capiantur. Porro, quod hic dicitur: In loquela labrj & linguã altera loquitur ad populum iſtum, Paulus i. Corint. decimoquarto allegat: In lege, inquiens, ſcriptum eſt, Quoniam in alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic, & ne ſic quidem audiẽt me dicit Dominus. Hoc ſumptum eſt ex iſto loco Eſaiæ, & apte allegatum. Vetat enim Paulus, ne ſinamus homines in Eccleſia loqui peregrina lingua, quæ nõ intelligatur a populo, quia ubi docetur lingua non intellecta, ibi nemo aliquid diſcere poteſt, nec ſpiritus ſanctus eſt efficax, & uidetur, quod Deus non agnoſcat eam Eccleſiam, in qua tam obſcura docentur. Nõ enim ſobriorum, ſed ebriorum Eccleſia uidetur, in qua nihil niſi peregrinum & alienum a tua lingua audieris. Si conuenerit, inquit Paulus, Eccleſia tota ſimul, et omnes linguis loquantur, ingrediantur autem indocti aut incredu li, nonne dicent uos inſanire? Cæterum, quod Eſaias dicit de Ebrietate, uomitu & ſordibus, interpretes exponere ſolent de impia doctrina, qua omnes menſæ, ſeu omnes ſuggeſtus per impios doctõres ſordidantur. Quæ ſententia non eſt abijcienda. Doctrina enim impiorũ ſeu hypocritarũ, uere eſt uelut uomitus & ſordes ebriorũ. Sed q̃d ad ἱστορίαν attinet, ſicut Propheta paulo ante accuſauit externæ ebrietatis incolas regni Iſrael, ita nunc accuſat externæ ebrietatis incolas regni Iudę, ac docet quales fiãt homines ex ebrietate & crapula. Primũ. n. ebrietas efficit homines ſecuros & contẽnentes iudicium Domini. Vnde & Ebrij mox dicunt: Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactũ &c. Et ſupra ca. v. Cithara & lyra & tympanũ & tibia & uinum in conuiuijs ueſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Et Lucæ xxi. Cauete uobis, ne quando grauentur corda ueſtra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, ſubituſq; uobis ingruat dies ille &c. Deinde ebrietas facit homines ſtultos, & inſipientes, ut non amplius intelligant piam doctrinam, etiamſi perſpicue eam explices.

Ebrietas & Crapula quales homines efficiant.

Aliena, inquit Esaias, & peregrina lingua ebrijs loquitur is, qui etiam clarissime præcepta & promissiones Dei exponit. Et Ose. cap. iiij. Fornicatio, uinum & ebrietas auferunt cor, hoc est, mentem & intelligentiam. Præterea ebrietas efficit derisores & contemptores tam uerbi Dei, quam hominum. In conuiuijs, quo plus potatur, eo contemptius de uerbo Dei loquuntur, & solēt ridicule imitari uerba concionatorum. Sed nec absentibus hominibus parcunt, de quibus tanto uirulentius loquuntur, quāto plus uini ingurgitauerint. An non & hi sunt mores nostræ Germaniæ, quæ etiam apud exteras nationes hoc nomine male audit, quod ebrietati intemperātius indulgeat? An non & Germanorum mensæ in conuiuijs ebriosorum plenæ sunt uomitu & sordibus? An non & apud nos tantus præ uino stupor uirorum pariter & mulierum, ad agnoscendam piam doctrinam Euāgelij, ut si Ecclesiam colligere uolueris, magis eam ex ablactatis & auulsis ab uberibus, hoc est, pueris & adolescentibus, quam e senioribus colliges. Quanquam ij sunt mores, ut etiam pueri incipiant uino indulgere & inebriari. Reliquum igitur est, ut nisi resipiscamus, ueniat etiam in nos iudicium ebriorum, quod est subitus ac inopinatus interitus.

PROPTER HOC AVDITE VERBVM DOMINI VIRI ILLVSORES, QVI DOMINAMINI SVPER POPVLVM &c.

Diximus antea, quod ebrietas faciat homines securos & illusores uerbi Dei. Recitat ergo nunc Propheta sententiā & uoces Principum, qui cum irriderent uerbum Dei, securam in ebrietate & aliis sceleribus uitam agebant, & pollicebātur sibi ex diuinis promissionibus, in impœnitentia sua perpetuum regnum. Dicunt enim: Percussimus fœdus cum morte, cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, seu grauis afflictio, si inciderit, non attinget nos. Hæc est securitas qua impij Principes pollicebantur sibi perpetuam durationem regni sui, etiamsi Prophetę diuersum docerent. Audi nunc, unde hanc securitatem cōceperint. Quia posuimus, inquiunt, mendacium, spem nostram, & mendacio defendemur. hoc est. Optime confidimus, nunquam fore, ut urbs nostra Hierusalem, & regnum nostrum deuastentur, ac nos abijciamur, ne simus amplius populus Dei. Deus enim recepit se promissionibus suis, quod habitaturus sit perpetuo in hoc templo, & in hac urbe Hierusalem. Sanctificaui, inquit, domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in SEMPITERNVM, & erunt oculi mei & cor meum ibi CVNCTIS diebus. Et iterum: Elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationē sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Hæ & id genus aliæ sunt

diuinæ

diuinæ promiſsiones, quibus probe confidimus, inquiunt ſecuri, quod fieri nõ poſsit, ut urbs noſtra ſubuertatur, & noſtra gens abiiciatur, ne ſit populus Dei. Quid autem ad hæc dicemus? Nam ſecuri iactãt diuinas promiſsiones, quibus affirmant ſe confidere. Propheta autem dicit eos ponere mendacium ſpem ſuam. Necꝫ enim impij ſic externa uoce loquuntur, Poſuimus mendacium, ſpem noſtram, necꝫ uideri uolũt ſe mendacio niti, ſed Propheta uocat ſpem eorum mẽdacium. Sicut & Moſes Deut. xxix. & Hier. cap. xviij. uocant cogitationem impiorum, prauitatem. Ita Eſaias uocat ſpem impiorum, mendacium. Ergo ne ſentit promiſsiones Dei eſſe mendaciaſ? Nihil certe minus. Non arguit promiſsiones diuinas mendacij, quas ſcimus eſſe certiſsimas & firmiſsimas, ſed arguit ſecuros homines mendacij, quod mendaciter & falſo glorientur de diuinis promiſsionibus. Gloriantur ſe credere his promiſsionibus, ſed cũ interim traducant uitam ebrioſam, ſecuram & omnibus alijs uitijs cõtaminatam, uaniſsima & mendaciſsima eſt eorum gloriatio. Sic & Hieremias ait: Nolite confidere uerbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini &c. Et mox: Ecce uos confiditis uobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt uobis. Furari, occidere, adulterare &c. hoc eſt, Veſtra iactantia, qua gloriamini de templo, & de promiſsionibus templi, eſt uaniſsima, quia profitemini quidem, uos his promiſsionibus confidere, interim autem nullum non genus ſceleris deſignatis. Inuidetis proximo, datis operam impoſturis, occiditis homines, committitis adulteria, peierati s, libatis dijs alienis, breuiter, nullum eſt peccatum tam horribile, a quo immunes eſtis. Veſtra igitur fides, quam iactatis, non eſt uera fides, ſed falſa carnis imaginatio. Obſeruabilis locus, quo docemur eos ſeipſos decipere, qui putant ſe fidem uerbo Dei adhibere, et propicium Deum habere, cum interim ſint impœnitentes, & ſectentur quæuis ſcelera pro ſua libidine, quales ſolent eſſe hi Chriſtiani, ac ut uocant, Euangelici, qui cum turpiſsimam & ſceleratiſsimam uitam ducant, ſolent tamen in conuiuijs multa & egregia de Euangelio, & de fide in Chriſtum declamare. Deum, inquit Paulus, profitentur ſe ſcire, cæterum factis negant, cum ſint abominabiles, & dicto non audientes, & ad omne opus bonum reprobi. Et iterum: Si qua ſuis & maxime familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Hic habes, quod uera fides non conſiſtat in eo, qui peccat contra conſcientiam. Et Ioannes ait: Qui committit peccatum ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. Et mox: Omnis qui non facit iuſticiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum &c. Quare non ſeducamus nos ipſos, ſed ſollicite ambulemus in uocatione Dei, ut fidem conſeruemus.

IDCIRCO HÆC DICIT DOMINVS DEVS. ECCE EGO MITTO IN FVNDAMENTIS ZION LAPIDEM &c.

Impij & ſecuri ſperant ſe tutos fore a morte & inferno, nec eſſi endos e poſſeſsione prærogatiuarum populi Dei. Sed uana eſt ipſorum fiducia, quia confidunt uerbis mendacij. Quid ergo fiet? Dicito tu nobis uerbum ueritatis, quo confidendum eſt, ut ſimus uere tuti a morte & inferno, & aut ſtamus aut maneamus populus Dei. Audi igitur non meum, ſed Domini Dei noſtri uerbum. Sic enim dicit. Ecce ego fundo in Zion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum, ſolidiſsimum fundamentum. Qui credit, non feſtinabit. Non eſt nobis alia huius loci interpretatio requirenda, quam ea, quam tradiderunt nobis duo inſignes interpretes, & Apoſtoli, Petrus & Paulus. Hi enim ambo exponunt hunc locum de Chriſto ſeruatore noſtro. Petrus ſic ait: Guſtaſtis quod benignus ſit Dominus, ad quem accedentes, qui lapis eſt uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum uero electus & precioſus. Et mox: Quapropter & continet ſcriptura: Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, precioſum. Qui crediderit in illo, non pudefiet &c. Ac Paulus Romanorum nono: Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offenſionis. Et omnis qui credit in eo non pudefiet. Quod dictum repetitur mox a Paulo capite decimo. Sententia igitur Eſaiæ hæc eſt. Securi pollicentur ſibi externi regni ſui perpetuitatem, & collocant ſpem ſuam in uanitate, exiſtimantes impoſsibile eſſe, ut cum habeant templum in Sion, abijciantur, ne ſint populus Dei, & deuorentur a morte atque inferno. At uero res longe aliter ſe habet. Deus enim fundabit in Zion lapidem angularem, qui eſt Chriſtus unigenitus filius eius. Qui in hoc lapide fide conſtiterit, is non trepidabit, non fugiet, ſeu ut Petrus & Paulus interpretantur, non pudefiet, non deuorabitur a morte & inferno: ſed habebit cum eis ſempiternum fœdus & pactum, ut nunquam poſsint ipſi nocere. Qui autem eo non fuerit confiſus, is neceſſe habet morte & inferno perire. Sed conſideremus uerba Prophetæ diligentius. Vocat Chriſtum lapidem, quia ſermo eſt de officio templi in Zion, quod ex lapidibus conſtructum erat. Sic & Chriſtus uocatur lapis, Pſalmo cxvij. Lapidem quem reprobauerunt &c. Primum igitur Chriſtus eſt huius ædificij lapis fundamẽtalis, quia externum templum fundatum eſt Chriſto, propterea quod fuerit umbra Chriſti, & ſpirituale templũ, quod eſt eccleſia, cõſtet ſolo Chriſto. Fundamentũ, inquit Paulus, aliud nemo poteſt ponere, prẽter hoc quod poſitum eſt, qd eſt Ieſus Chriſtus. Deinde dicitur lapis probatus, uidelicet a Deo.

Chriſtus, Lapis.

Nam

Nam ædificatores Phariſæi, reprobauerunt eum, ſicut Pſalmus ait: Sed Deus probauit eum. Tentatus eſt, inquit Apoſtolus, per omnia iuxta ſimilitudinem abſque peccato. Adhæc, Chriſtus eſt lapis precioſus, Videlicet his qui credunt. Magna affert precia, magna prȩmia, multa beneficia credentibus in ipſum. Præterea, eſt lapis Angularis, quia coniungit duos parietes in unum: Colligit unam Eccleſiam ex gentibus & Iudæis. Quid multa? Lapis eſt optime & firmiſsime fundatus, ita ut nulla nec humana nec angelica potentia moueri poſsit. Sequitur ergo, ut qui hoc lapide conſiſtit, qui firmam fidem in Chriſtum habet, non trepidet, nec pudefiat, ſed habeat pactum cum morte, cum inferno, & cum omnibus afflictionibus. Quomodo? non ut extrinſecus non affligatur, non moriatur, & horroribus inferni non concutiatur, ſed ut affligatur quidem, non autem faciat aliquam iacturam, & ut horrore quidem inferni concutiatur & moriatur, non autem pereat. Sic Deus (inquit) dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam.

ET PONAM IN PONDERE IVDICIVM ET IVSTICIAM IN MENSVRA &c.

Exponit, quid futurum ſit eo tempore, quo lapis angularis ponetur in fundamentis Zion, hoc eſt, quo ueniet Chriſtus in hunc mundum, & accipiet regnum ſuum. Ponam, inquit, iudicium in pondere. Cum uenerit Chriſtus & regnauerit, tunc Iudicium & iuſticia in terris erunt rectiſsima, & æquiſsima. Nulli fiet amplius iniuria, Sed omnia adminiſtrabuntur optimo iure. Mali pro meritis pœnam ſuſtinebunt. Boni fruentur omni fœlicitate. Breuiter, æquum erit pondus, æqua menſura omnium rerum in regno Chriſti. Hæc promiſsio de regno Chriſti uſitata erat in populo Iſrael. Pſalmus ſeptuageſimoprimus dicit: Deus Iudicium tuum regi da, & iuſticiam tuam filio regis. Ad iudicandum populum tuum in iuſticia, & pauperes tuos in iudicio. Loquitur autem Pſalmus de Chriſto & regno eius. Eſaiæ nono: Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet & corroboret illud in iudicio & iuſticia a modo & uſq; in ſempiternum. Hiere. uigeſimotertio: Regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſticiam in terra. Porro, hæc promiſsio de iudicio & iuſticia in regno Chriſti, eo gratior & iucundior fuit populo Dei, quo grauiorem uidebant iniquitatem in regnis huius terræ. Etſi enim inſtitutæ erant illuſtriſsimæ Monarchiæ, Babylonica, Perſica, Alexandrina, & Græcorum, tamen in his omnibus erant magnæ iniquitates, & multæ iniuriæ. Pauperes opprimebantur. Diuites & potentes præuale-

bant. Impij erant fortunati, pij infortunati. Et quid dico de regnis Ethnicorum, cum nec in regno Dauidis, ac aliorum piorum Regum in Israel omnia æquo iure agerentur. Semper enim homines conquesti sunt in his terris de iniquitate & rerum inæqualitate. Semper is fuit rerum cursus, etiam in regnis optime constitutis, ut bonis male, malis bene fuerit, quemadmodum de ea re Prophetæ quoque conqueruntur, Psalmus trigesimus sextus, & septuagesimus secundus. Hiere. xij. & Aba i. Quare magno desiderio expectarunt regnum Christi, in quo omnia reformarentur & rectissime constituerentur, ut fieret Iudicium et Iusticia, hoc est, ut bonis semper bene, malis autem semper male pro meritis suis esset. Quid ergo factum est? Reformatus ne est mundus, & constituta sunt iuxta suam regulam & mensuram Iudicium & iusticia, postquam uenit Christus, & accepit regnum suum? Si externam rerum faciem consideraueris, nihil minus factum uidebitur, sed potius diuersum ac plane contrarium. Nam Christus ipse regni sui administrator, cum esset omnium iustissimus, passus est omnia iniustissima. Et interim aduersarij eius, cum essent omnium iniustissimi, uidebantur omnium fœlicissimi. Sic & Apostoli Christi attulerunt in orbem terræ nuncium longe omnium optimum, & contulerunt in homines ministerio suo summum beneficium. Sed pro optimis benefactis reportarunt pessimam retributionem. Hoccine est iudicium & iusticiam facere? Est & adhuc ita rerum cursus in hoc mundo, quod Ecclesia piorum grauissime affligatur, cum interim ecclesia malignantium fœlicissimam uitam ducat. Quid igitur dicemus de promissione regni Christi, quod in eo restituenda sint iudicium & iusticia, secundum regulam & mensuram, hoc est, æquissime & iustissime? Non certe uana est hæc promissio, sed recte intelligenda. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Non est igitur sentiendum, quod Christus uenerit ad reformanda iura ciuilia, & ad gubernanda externa regna in politico iudicio et iusticia. Hæc enim relinquit suo ueteri cursui. Sed interim restituit & reformat iudicium ac iusticiam pro sui regni modo ac ratione, sicut exponit apud Ioannem capite decimosexto: Cum uenerit, inquiens, Paracletus arguet mundum de peccato, de iusticia & de iudicio &c. Primum enim Christus instituit concionem Euangelij sui, quo docemur eam non esse ueram iusticiam, quæ homini in hoc mundo in ciuili regno pro benefactis suis contingit, sed quæ contingit homini in Christo per fidem. Nam qui particeps est iusticiæ Christi, is constat in iudicio Dei, & assequitur æternam fœlicitatem. Docemur etiam, hoc non esse nobis inæternum salutare iudicium, cum is qui nobis malefecit, ciuiliter a magistratu punitur, &

In Regno Christi quomodo sint reformata iusticia & iudicium &c.

nos

nos ab iniuria eius in tuto collocamur: Sed cum princeps huius mundi, qui est diabolus, condemnatur, ut non possit amplius nobis nocere. Itaq; , quantum attinet ad prædicationem Euangelij & fidem, tunc in regno Christi uera iusticia & uerum iudicium restituta sunt, quia quicquid acciderit, tamen reputamur iusti per fidem propter Christum, & seruamur a diabolo. Deinde in nouissimo die, cum aduenerit Christus in maiestate sua, omnia ita restituentur, ut quod nunc Euangelio prædicatur, & fide percipitur, tunc reipsa perpetuo impleatur. Neq; enim ultra malis erit bene, & bonis male, sed mali perpetuo erunt infœlices, boni perpetuo fœlices. Hæc est uera iustitia, & uerum iudicium, quæ nunc quidem fide percipimus, tunc reipsa percepturi in æternum. Hoc diligenter est considerandum in uarijs calamitatibus, quę nobis in hoc seculo accidere solent. In lege enim audimus proponi benedictiones benefacientibus, & obedientibus uerbo Domini, maledictiones aũt malefacientibus & inobedientibus. Et extant præterea in Prophetis liberales promissiones timentibus Deum, & sectantibus uocationem eius. Interim autem docet scriptura, quod hæc ordinatio soleat in hoc seculo aliquoties inuerti, ut boni ac timentes Dei affligãtur, cum peccatores non sint in labore hominum, nec cum hominibus flagellentur, sed bene sit omnibus qui præuaricantur & inique agunt. Atq; hæc quidem, tantisper nobis non iniucunda, nec intolerabilia existimantur, dum uerbis recitantur, & auribus hauriuntur. Postquam uero reipsa accidit, ut optime facta, infœlicissime cedant, & quos iudicauimus impie agere, sint fortunatissimi, ibi tum res uidetur nobis insolita, & absurdissima, ac alius iudicat impia esse pia, & pia impia: alius putat promissiones Dei esse mendaces, & Deum non curare res humanas. Sed nos Christiani longe aliter instituti esse debemus. Scimus quidem benefactis promissam esse benedictionem, & malefactis maledictionem. Sed scimus etiam Deum esse longanimem, & esse aliud seculum post hoc mundanum seculum, ut si benefacta non consequuntur in hoc seculo benedictionem, consequantur eam in futuro. Nam quod ad infœlicitatem hominum in hoc seculo attinet, non est sentiendum, quod Deus affligat homines tantum propter peccata. Sic enim iudicat humana ratio, quod is, qui affligitur, propter peccatum aliquod affligatur. Vnde & amici Iob, accusant Iobem peccati propter calamitatem eius. Et Melitenses Paulum arguunt homicidij, propterea quod inuasisset eum uipera, Actorum uigesimo octauo. Sed Deus habet multas alias causas, propter quas solet populo suo, etiam optima agenti, & in diuina uocatione ambulanti, calami

Afflictio ratio tã in pijs q̃ impijs.

tates immittere. Manifestum quidem est, q̃ Deus soleat tam in im pijs, quam in pijs peccata punire. Manifestum etiam est, quod Deus, si uoluerit respicere peccata, in inferendis aduersis, nullum hominem, quantumuis alioqui pium, inueniat coram se innocentem. Si iniquitates obseruaueris Domine (inquit) Domine quis sustinebit? Sed Deus habet erga pios & recte ex fide agentes, præter peccata, alias nonnunquam causas, propter quas immittit eis afflictiones. Interdum enim affligit eos, ut probet fidem ipsorum. Sic afflixit Iobem. Interdum affligit eos, ad illustrandam gloriam nominis sui. Sic cæcauit hominem a natiuitate Ioannis nono. Neq̃ hic, inquiens, peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Sic conniuit, ut illustris heros Iudas Maccabæus, in uocatione sua, ab hostibus occideretur, uidelicet, ut manifesta fieret gloria Dei, quod Deus etiam sine tali heroe posset Ecclesiam suam tueri. Aliquoties imponit crucem pijs, ad testificandam ueritatem doctrinæ suæ. Sic obiecit Apostolos tyrannis, ut ab ipsis interficerẽtur. Nonnunquam permittit suos affligi, ut testificetur regnum suum non esse de hoc mundo. Sic Ioannes Baptista occisus est, sic alij multi martyres. Nonnunquam affligit suos usque ad mortem, ut testificetur reliquum adhuc esse aliud seculum, in quo pij perpetuo seruentur. Alios affligit, ut maiorem gloriæ coronam accipiant. Ac posset quidem Deus in his omnibus peccata respicere, & punire. Sed quia remittit ea propter CHRISTVM per fidem, non respicit ea in affligendo, sed habet alias causas, quarum aliquot iam recensuimus. Quare non damnemus continuo hominem peccati, cùm uidemus eum affligi, sed agnoscamus admirabilem Dei sapientiam, & adoremus sancta eius iudicia, ut nostram humanam rationem imperuestigabilibus eius uijs subijciamus.

2. Machab. 9.

ET SVBVERTET GRANDO SPEM MENDACII &c.

Pergit Propheta recensere, quid futurum sit, postquam lapis positus fuerit in fundamentis Zion, hoc est, postquam aduenerit CHRISTVS, & acceperit regnum suum in terrâ. Dixit enim, Christum tam firmum lapidem esse, ut qui eo nititur, non subuertatur. Dixit, CHRISTVM constituturum in regno suo rectum iudicium, & æquam iusticiam. Nunc commemorat quid in aduentu CHRISTI contingat impijs Iudæis, Christum abijcientibus & condemnantibus. Hi enim supra dixerunt se percussisse fœdus cum morte, & fecisse pactum cum inferno, quia ducunt uitam securissimam, & cum sint de genere Abrahæ, ac habeant

beant cœlestes promissiones, quibus Deus recepit se conseruaturum posteros Abrahæ, existimant fieri non posse, ut abijciantur, & exhæredentur a Deo, ne sint amplius populus Dei, etiamsi impijssime & impurissime uiuant. Propheta igitur concionatur nunc de abiectione eorum, in aduentu CHRISTI, & docet pauciſsimos ex ipsis seruandos, reliquam autem totam impiam multitudinem ex hæreditate diuinorum bonorum excludendam. Cum immissus fuerit lapis angularis in fundamentis Zion, seu cum uenerit CHRISTVS, tunc grando (inquit) subuertet spem mendacij & protectionem. Speratis nunc uos perpetuo fore populum Dei, & semper in hac regione habitaturos, etiamsi impijssima quæque scelera designetis: at ego dico uobis, cum aduenerit CHSISTVS, hæc uestra spes uanissima, quasi grandine subuertetur, & asylum, quo nunc confiditis, quasi inundatione aquæ obruetur. Similiter & fœdus uestrum, quod dicitis uos cum morte percussisse, abrogabitur, & conculcabit uos flagellum, de quo ante dicebatis: flagellum inundans cum transierit non ueniet super nos. Hæc spes pudefaciet uos, quia nihil certius est, quam quod flagellum, cum uenerit, abripiat & opprimat uos. Etsi enim uidetur adhuc multum temporis supereſse, quo uenturus est CHRISTVS, & uos ex hæreditate cœlestium bonorum eijciemini, tamen nolite uobis blandiri, hæc calamitas, summo diluculo, seu sat cito ueniet, ac durabit die ac nocte, hoc est, perpetuis temporibus. Aliæ calamitates, quæ uobis hactenus acciderunt, & adhuc accident, usque ad aduentum CHRISTI, suum habent finem. Hæc autem calamitas, qua post aduentum CHRISTI eijciemini extra populum Dei, nullum unquam finem habitura est. Quod & si uobis tam antea a Mose, quam postea ab alijs Prophetis, ac a me quoque diligenter prædicitur, tamen uos irridetis nos, existimatis nos uana mendacia loqui. Itaque tantummodo uexatio dabit intellectum auditui, hoc est, non creditis nostris uaticinijs de abiectione uestri, donec eam reipsa sentiatis, & calamitas ipsa doceat concionem nostram esse ueriſsimam. Futurum enim est, ut etiamsi his temporibus uideamini esse sicut stellæ cœli & arena maris, ita ut una regio non possit uos capere, tamen eo tempore, quo CHRISTVS adueniet, tam pauci ex uobis remanebunt uere populus Dei, ut lectus admodum angustus uos capere queat. Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat: & pallium seu operimentum breue utrunq; operire non potest. hoc est, pauciſsimi ex Iudæis erunt electi. Hoc enim dictum, de lecto & operimento eius, habet faciem prouerbia-

lem, & significat quod cum Iudæi antea impleuerint totas regiones, nunc tam pauci erũt uere populus Dei, ut in angusto lecto, qui uix unum capiat, requiescere possint. Quod autem sequitur de ualle quæ est in Gabaan, existimant interpretes dici de ea historia, quę scripta est Ios. decimo, cum stetit sol spacio unius diei in medio cœli. Quæ sententia non est aspernanda. Sed quia fit hic mentio eius historiæ, quæ scripta est de uictoria quam Dauid reportauit a Philistinis in monte Parizim, quod interpretantur, Diuisionum, secundo Regum quinto, & i. Paralip. decimoquarto, uidetur mihi Esaias cum de ualle Gibeon loquitur, magis respicere in secundam illam uictoriam Dauidis, quam reportauit a Philistinis, in ualle Gibeon, & quæ statim illam priorem secuta est, ut scriptura eo loco perspicue tradit. Philistini enim, cum audissent Dauidem ab Israelitis in regem electum & unctum, suscipiebant bellum aduersus eum, ut statim initio regni opprimerent eum, priusquam uires eius augerentur, & regnum eius confirmaretur. Metuebant enim, ne si regnum Dauidis promoueret, pereundum ipsis esset. Quare statuerunt principijs obstare, & regnum Dauidis, cum adhuc infirmum uideretur, abolere. Dauid autem diuina potentia bis eos ita uicit, fugauit, & dispersit, ut etiam idola sua post se relinquerent. Vnde & locus dictus est Parizim, hoc est, dispersiones, quod ibi dispersi essent hostes Dauidis. Et in posteriori uictoria, dicit scriptura, Dauidem percussisse hostes de Gibeon, usque ad Gazera. Hæc igitur est sententia Esaiæ. Quemadmodum Dauid Philistinos, qui obstabant, ne regnaret in Israel, bis, semel in monte Parizim, & iterum in ualle Gibeon, ita mirabiliter fudit & fugauit, ut uelut aquæ diffluerent ac dilaberentur: ita Christus fugabit, & abijciet impios Iudæos, qui totis uiribus suis impedire conabuntur, ne regnum eius promoueat. Notum autem est, quantum operæ Iudæi in hoc collocarint, ut Christum statim initio prædicationis suæ opprimerent, nec desierunt, donec adegissent ipsum ad crucem, ac postea etiam in Apostolis eum persequerentur. Et tamen regnum CHRISTI eo latius propagatum est, ipsi autem ita oppressi sunt, ut non solum eiecti sint e sua regione, uerumetiam exhæredati, ne sint amplius populus Dei. Itaque CHRISTVS hac Iudæorum abiectione longe aliud opus fecit, quam hactenus facere consueuerat. Hæc abiectio fuit peregrinum & alienum opus ab ipso. Antea enim consueuerat Iudæos seruare, custodire, & tueri, & quanquam aliquoties tradebat eos hostibus in manus, aut alijs calamitatibus, tamen iterum liberabat eos, quia erant populus eius electus. Hoc est proprium

proprium opus Christi. Nunc autem longe aliud opus faciet, quia sic abijciet Iudæos, ut nunquam amplius eos reducturus sit in suam regionem, nec agniturus sit eos pro populo suo. Quare nolite, inquit Esaias, nunc illudere, nolite uerba mea irridere, sed resipiscite in tempore, ne forte constringantur uincula uestra, ne forte maxima hæc calamitas uobis accidat. Quia quod de abiectione Iudæorum, quæ tempore aduentus Christi futura est, dico, certissime euenturum est. Audiui enim a DOMINO Deo Zebaoth consummationem & abbreuiationem super uniuersam terram uidelicet Iudæorum. Accepi diuinitus Iudæos consummandos aut abijciendos, ac pauciss imos ex eis salutem consecuturos. Sed hactenus percurrimus sententiam textus. Nunc consideremus præcipuos locos. Vides autem, quod Propheta uaticinetur de abiectione Iudæorum, quæ impleta est in aduentu Christi, postquam Iudæi non solum crucifixerunt Christum, uerumetiam persecuti sunt totis uiribus Euangelion eius. Horribile & memorabile exemplum. Iudæi enim fuerunt electus Dei populus, duxerunt genus suum e sanctissimis Patriarchis, acceperunt legem Dei magnis miraculis, fuerunt cognati Iesu Christi, unigeniti filij Dei, adeoq; ornati sunt omni genere diuinorum beneficiorum. Et tamen, cum essent impij, & abijcerent Christum filium Dei, nulla uel carnis uel spiritus prærogatiua iuuit eos, sed electi sunt ex hæreditate non tantum terrestrium suorum bonorum, uerumetiam cœlestium. Timeas igitur, dicit Paulus. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Deus non est respector personarum. Saul ornatus fuit regia dignitate. Sed cum ea abuteretur ad tyrannidem & impietatem, abiectus est cum posteritate sua. Iudas Ischarioth, ornatus fuit dignitate Apostolatus, qua prærogatiua non est maior in Ecclesia Christi, sed cum impius esset, & proderet Christum, nihil fuit adiutus sua dignitate. Nemo igitur confidat suis prærogatiuis & dignitatibus. Deus non respicit externas hominum laruas, sed respicit iusticiam. Oculi Domini, inquit, super iustos, & aures eius in preces eorum. Loquimur autem non de humana & carnali iusticia, sed de uera & spirituali, quæ habetur in Christo per fidem. Iustus enim ex fide sua uiuit. Et: Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis. Deinde cum Esaias dicit: Tantummodo uexatio seu afflictio faciet intelligere concionem, significat quale sit ingenium impiorum. Non enim adhibẽt fidem uerbo & minis Dei, donec reipsa afflictionem, quam uerbum Dei minabatur, sentiant. Noha concionabatur de diluuio plusq; centum annis. Sed deridebant concionem, tñ aberat, ut fidẽ ei adhiberent, donec ipsa diluuij afflictio traderet eis uerita-

Iudæorum abiectio, exemplum Timoris Dei.

Impiorum ingenium.

tem concionis in manus. Ante Babylonicam urbis Hieruſalem deuaſtationem, Prophetæ minabantur ex uerbo Dei futuram calamitatẽ, ſed erat eis uerbum Domini riſus & ſubſannatio, donec uexatio daret intellectum. Idem accidit ante Romanam deuaſtationem Iudaicæ gentis, prædicantibus Euangelion Chriſto & Apoſtolis eius, & admonentibus Iudæos de perpetuo ipſorum interitu, niſi reſipiſcerent. Hæc non ocioſe nobis recitantur, ſe dut agnoſcentes impiorum incredulitatem & calamitatem, uerbum Dei reuocantis nos ad pœnitẽtiam, opportuno ſuo tempore amplectamur, & obediamus. Solenne enim eſt Deo in populo ſuo, quod priuſquam immittit afflictionem denunciet iram ſuam, & uocet ad pœnitentiam, adiiciens interdum tolerabilem aliquam uirgam, aut afflictiuncula, exempli gratia, famem, aut peſtem, aut tale quid, quo nondum tota gens deuaſtatur. Itaq; ſi populus agit pœnitentiam de peccatis ſuis, agit & Deus pœnitentiam de malo, quod inferre inſtituerat. Si uero populus nec uerbo nec uirga ad pœnitẽtiam excitatur, nihil aliud reliquum eſt, præterquam extrema calamitas & abiectio. Et tunc impleri ſolet, quod Dominus apud Zachariam dicit. Factũ eſt, ſicut locutus ſum, & non audierunt, ſic clamabunt & non exaudiam. Et illud Matth. uigeſimoquinto ad ſtultas uirgines, quę cum clauſa ianua, uociferarentur ad ſponſum, ut aperiret, audiunt, Amen dico uobis, non noui uos. In diluuio multi in aqua natantes clamabant ad Deum, ſed non eripiebantur ex aquis. In uaſtatione Hieruſalem multi uociferabantur in cœlum, ſed uaſtatio progrediebatur. Reuelauit Deus his noſtris temporibus Euangelion filij ſui clementer, quo nos ad pœnitentiam uocat. Interim adiecit uirgas quaſdam, nonnullam, uidelicet, rerum penuriam, peregrina quædam morborum genera, & aliquot bella, quibus tamen nondum diſſipatæ ſunt politiæ, & regna. Itaq; ſi uerbo Euãgelij & uirgis excitati, agimus pœnitentiam, tuti erimus a uaſtatione imperij. Si autem perrexerimus in impietate & ſceleribus, nihil aliud reliquum eſt, quam certiſsima Germaniæ deuaſtatio. Quæ ſi cœpta fuerit, nõ erit amplius locus importuno clamori corã Deo, ſed ſupplicium progredietur. Poſtea, cum Eſaias allegat duas uictorias, quas Dauid reportauit a Philiſtinis hoſtibus ſuis, in monte Parizim, & in ualle Gibeon, uaticinatur quidem Iudæos, hoſtes Chriſti reiiciendos, & opprimendos, ſicut Dauid ſuos hoſtes oppreſsit, ſed eo ipſo docet Regnum Chriſti firmiſsimum manere, etiamſi multos habeat hoſtes. Eccleſia, quæ eſt regnum Chriſti, in hoc mundo, etiam in medio hoſtium, ſuos habet progreſſus. Dominare, inquit, in medio inimicorum. Non ait, In medio amicorũ, quippe q; Chriſtus paucos inueniat amicos, inter homines huius ſeculi, ſed

Dei conſuetudo in affligendo.

sed tot habeat inimicos, quot impios, hoc est, maximam hominum partem. Inter hos autem non colligit tantum, sed etiam conseruat et auget suam Ecclesiam. Hoc idcirco nobis considerandum proponitur, ut curæ nobis sit, quo & ipsi nos simus membra Ecclesiæ, seu regni Christi. Sic enim & nos in regno eius perpetuo seruabimur. Est & hoc obseruandum, quod Propheta abiectionem & excæcationem Iudæorum uocet alienum & peregrinum opus a Christo. Proprium enim opus Christi est seruare, & tueri. Filius hominis, inquit, non uenit ut perdat, sed ut seruet animas hominum. Et iterum: Non misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Cum igitur abijcit & condemnat Iudæos, facit opus a se alienum & peregrinum. Hoc eo animaduertendum est, ut intelligamus quæ sit uoluntas Dei, in afflictione nostri. Nam cum affligere sit alienum opus a Deo, facile cogitare possumus, quod Deus meditetur in afflictione salutem nostram. Saluare enim proprium Dei opus est. Manifestum quidem est, quod impœnitentes ita affliguntur, ut perpetuo intereant. Afflictio autem pœnitentium, tam dolet Deo affligenti, quam homini afflicto: sicut infra capite sexagesimotertio dicit: In omni tribulatione eorū, tribulabatur ipse. Bono igitur animo sint pij afflicti. Cum enim Deus ipse affligatur in afflictione ipsorum, non possunt aduersa esse diuturna.

AVRIBVS PERCIPITE ET AVDITE VOCEM MEAM &c. NVNQVID TOTA DIE ARABIT &c.

Dixit de abiectione & interitu Iudaicæ gentis, quod pauciſsimi ex ipsis salutem sint consecuturi, Reliqui autem æterno exitio tradendi. Nunc addit causam, propter quam Iudæi sint abiecti, ut nō sint amplius populus Dei. Recitaturus autem hanc causam, excitat auditores ad attentionem: Auribus, inquiens, percipite, & audite uocem meam. Et ne existiment rem ludicram agri, repetit eadem: Attendite, inquiens, & audite eloquium meum. Hæc certe significant, Prophetam aliquid insigne & memorabile recitaturum. Arrigamus igitur & nos aures, & percipiamus quæ sequuntur. Nunquid tota die, inquit, arabit agricola? nūquid semper fodiet & proscindet terram, ut faciat sementem? Nonne, postquam adæquauerit agrum, spargit uitiam, dispergit cyminum, & seminat triticum, hordeum, & reliqua frumenti genera, unumquodque pro sua mensura, & in suo certo loco, ac ordine, pro ut ars agriculturæ diuinitus tradita, atque homini insculpta est. Deinde, cum post messem uentum est ad triturationem, non omnia frumentorum & leguminum genera æquali modo triturantur &

excutiuntur. Vitia seu nigella Romana, non exteritur tribula dentata, nec circumducitur rota plaustri super cyminum, sed uitia excutitur uirga, & cyminum baculo. Panis autem, hoc est, frumentum, ex quo confici solet panis, comminuitur, seu maiori ui excutitur, ui delicet uel tribula, uel circũducta rota plaustri, uel ungulis boum: Et tamen hæc trituratio nõ durat perpetuo. Habet enim suum modum & finem, ut tandem ex frumento panis, & cibus hominum fiat. Quæ omnia & si uidentur fieri humana prudentia, tamen uere fiunt, prouidẽtia & institutione Dei, qui administrat omnia admirabili cõsilio, & summa sapientia. Quid hoc? inquies. Propheta excitauit auditores magno studio ad attentionem, quasi dicturus rem aliquam grandem & admirabilem. Ecce autem, non recitat nisi rustica illa de semente, & trituratione, quibus rebus nihil est notius. Quid igitur dicemus? Sunt quidem hæc rustica, in oculis arrogantium & delicatorum hominum contempta & abiecta: Sed apud honestos & pios homines habent suum honorem & splendorem. Nam quod Propheta hic recitat, parabola est, docens nos rem maxime omnium obseruabilem. An non & Christus ipse, cum apud Matthæum commemorasset parabolam de seminatore, excitat auditores suos ad attentionem: Qui habet aures, inquiens, audiendi, audiat? uidelicet hoc agens, ut parabolæ sententia diligenter obseruetur. Sic & hoc loco sumit Propheta parabolam ab agricultura, quæ nobis commendabilis est, tam reipsa, quam significatione. Primum enim, dicit artẽ agriculturæ esse donum Dei. Erudiet, inquit, illum Deus suus in iudicio, & docebit illum. hoc est, si quid recto iudicio fit in agricultura, hoc non est ab homine excogitatum, sed diuinitus edoctum. Et iterum: Hoc a Domino Zebaoth exiuit, ut mirabile faceret consilium, & magnificaret sapientiã, hoc est. Quæ in agricultura et trituratiõe fiunt, tradita sunt hominibus, miro Dei consilio, & magna sapientia. Quare agendæ sunt Deo gratiæ pro hoc Dei dono, & danda est opera, ut hoc dono recte ac pie utamur. Deinde significatio huius parabolæ consideranda est. Continet enim causam abiectionis Iudæorum. Nam parabola eo tendit & id agit, ut doceat Iudæos idcirco abiectos, quod etiamsi uelut ager, bene fuerint a Deo culti, tamen cum tempus percipiendi fructus aduenisset, nullũ prorsus fructum tulerint. Deus enim ab initio elegit Israelitas ex omni natione, ut ipsi essent populus Dei, ac liberauit ipsos seruitute Ægyptiaca: dedit eis legem, instituit inter eos politian, dedit regnum & sacerdotium. Quę omnia fecit in hũc finem & usum, ut esset certa gens, in qua conseruarentur promissiones de Christo, & e qua Christus nasceretur, ut ipsi primi in Christum crederent, atque ita ueritatem Dei, ad gloriam nominis eius

prædicarent,

prędicarent,ac ſalutem conſequerentur. Sed quid factum eſt? Cum Chriſtus aduenisſet,primi omnium fuerūt qui eum perſecuti ſunt, & occiderūt. Sicut ergo agricola,nō in hoc arat,aut ſeminat,ut hoc opere conquieſcat,& nihil aliud quærat, ſed potius ideo arat & ſeminat,ut fructum ex agro percipiat. Et poſtquam ſegetes demeſſuit,ſolet unumquodq; genus pro ſuo modo triturare, aut cōterere, non quia hoc opere ſibi ſatisfactum putet, ſed ut panis fiat,& fruatur cibo. Quod ſi autem ager diu magna diligentia cultus, nullum proferat fructum,aut e manipulis non niſi paleæ & quiſquiliæ excutiantur, non eſt aliud reliquum, quam quod deſerat agrum incultum, & paleas abiiciat in ignem: ita & Dominus Deus noſter diu coluit Iſraelitas,tanquam agrum. Arauit in hoc agro, liberatione ex Ægypto. Seminauit in eo, promulgatione legis,& promiſſionibus de Chriſto. Triturauit in eo uariis afflictionibus,quibus uocauit Iſraelitas ad pœnitentiam. Et hæc omnia in hunc finem fecit,ut fierent panis cœleſtis menſæ, hoc eſt, ut crederent in Chriſtum,& conſequerentur æternam ſalutem. Cum autem fruſtrauerint Deum ſua ſpe, nec protulerint eum fructum, quem ſperauerat,ſed impleretur potius illud,quod Deus ſupra capite quinto in hoc Propheta conqueſtus eſt: Expectaui,inquiens,ut faceret uuas, & fecit labruſcas,idcirco iuſto Dei iudicio fit, ut Iſraelitæ tanquam ſterilis & inutilis ager, deſerantur, & abiiciantur. Huc reſpicit, quod Deus ſupra in Eſaia dixit. Nunc oſtendam uobis, quid ego faciam uineæ meę. Auferam ſepem eius,et erit in direptionem. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et Ioannes Baptiſta: Securis ad radicem arboris poſita eſt. Omnis igitur arbor. quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittetur. Ac mox: Repurgabit aream ſuam,& congregabit triticum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Et Chriſtus Matthæi uigeſimoprimo in parabola de uinea,cum qua parabola omnino eandem habet ſententiam ea,quam hic recitat Eſaias de agricultura & triturationę. Vnde & addit Chriſtus ſuæ parabolæ: Malos male perdet,& uineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis. Et mox: Auferetur a uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Pertinet & huc ſimilitudo de arbore fici, Lucę decimotertio. Nam & arbores,& uineæ & agri,non niſi ſpe fructus percipiendi coluntur. Quare ſi nullum fructum tulerint,merito deſeruntur,aut excinduntur. Hoc exemplum Iſraelitarum,& in publico,& in priuato conſiderandum eſt. Deus dedit nobis publice Euangelion filij ſui, dedit rectum uſum ſacramentorū, dat alimenta,& alia corporis neceſſaria. In quem uſum? num ut audiamus tantum, & edamus ac bibamus? Nihil minus, ſed ut fru-

ctum feramus, uidelicet, fidem, Inuocationem nominis Dei, obedientiam & patientiam in aduersis, ac honestatem uitæ. Hunc fructum si non feramus, audiemus & nos quod ad Israelitas dictum est: Auferetur a uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Consideret etiam unusquisque quantum beneficiorum Deus priuatim in ipsum cõtulerit, tam corporaliter, quam spiritualiter. Quæ beneficia non sunt homini collata, ut abutatur ad peccandum, sed ut proferat fructum fidei, Inuocationis Domini, & obedientiæ. Ipsius opus sumus, inquit Paulus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus. Et alias: Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, zeloten bonorum operum. Hic est fructus, quem afferre debemus. Quod si uero non fecerimus, dicetur ad hortulanum, quod de sterili ficu dictum est: Succide illam. Ad quid uel terram occupat?

CAPVT XXIX.

VÆ ARIEL ARIEL &c.

Hoc caput propter multas causas, præcipue autem propter hanc nobis commendatum esse debet, quod tam Christus q̃; Paulus allegant ex hoc capite testimonia suarum concionum, quemadmodum in suis locis ostendemus. Instituit autem Propheta hanc concionem contra urbem Hierusalem, & uaticinatur eam deuastandam, ac Iudæos execrandos, interim tamen consolatur pios, docens Ecclesiam semper conseruandam, impios autem Ecclesiæ persecutores inæternum perituros. Porro non solus Esaias, sed & alij Prophetæ, multi sunt & copiosi in adnuncianda uastatione urbis Hierusalem, & internecione gentis Iudææ. Primũ, quod Dominus parceret, ut scriptura loquitur, populo & habitaculo suo, ideo mittebat ad illos per manum nunciorum suorũ, de nocte consurgens, & quotidie commonẽs. Deinde, quia falsa intelligẽtia promissionũ Dei, & uana spe templi ac cerimoniarum suarũ tenebantur, ut non uere & ex animo resipiscerent. Tantum enim uerbis iactabant legem, tẽplum, sacra diuinitus instituta & promissiones Dei de conseruatione seminis Abrahæ, & de perpetua habitatione Dei in monte Zion, interim autem nec has promissiones recte intelligebant, nec uitam suam in melius ex fide mutabant, sed pergebant in impietate, & in sceleribus suis. Quare Prophetæ necesse habent ex uocatione Dei grauiter in eos inuehi, & iram Dei ipsis denunciare, si forte resipiscerent, & salutem consequerentur. Væ, inquit Esaias, Ariel,

Ariel.

Ariel. Per Arielem autem intelligit Zion seu urbem Hierusalem, quemadmodum ipse se exponit, cum addit, Ciuitas in qua castrametatus est, seu mansit Dauid. Nam in secundo libro Samuelis capite quinto, sic scribitur. Habitauit Dauid in arce Zion, & uocauit eam ciuitatem Dauid. Interpretantur autem Arielem, Leonem Dei. In secundo libro Samuelis capite uigesimotertio significat fortem heroem. Ipse (inquit) percussit duos Leones (hoc est) heroes Moab. In Ezechiele capite quadragesimotertio, Ariel significat Altare. Ariel, inquit, erat duodecim cubitorum &c. Cum igitur Ariel, quod est Altare Domini, fuerit in Zion, in urbe Hierusalem, recte intelligitur urbs Hierusalem per Arielem. Væ Arieli, Arieli inquam, illi uidelicet ciuitati, in qua Dauid habitauit. Existimatis quidem, quod cum Dauid fuerit pius, & habitauerit in hac urbe, & cum in ea sit templum, altare Domini, & sacrificia eius, futurum sit, ut Deus etiam hoc tẽpore eam propter Dauidẽ, & tẽplum tueatur: Sed ne erretis. Nec Dauid, nec sacra uestra defendẽt hanc urbẽ a ruina. Additus est annus ad annum, solẽnitates euolutę sunt. Pro quo hebræus ita legit: Finiti sunt anni super annum, festi dies excidentur. Hoc alij sic interpretantur, cum finitur seu absumitur annus post annum, id est, post aliquot annos abrogabũtur festi dies, abolebuntur holocausta & reliqua sacrificia. Alij uerõ sic exponunt. Cumulate annua festa, addite festa festis, mactate agnos in sacrificia, & tamen ne sic quidem potestis effugere interitum. Vt sit eadem sententia, cum eo, quod Hiere. capite septimo ait: Holocautonata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes &c. Non proderunt uobis uestri dies festi, & sacrificia, quia ego, inquit Dominus, circumuallabo, ego angustiabo Arielem, seu urbẽ Hierusalem, ut fiat tristis & mœrens, adeoq; prorsus fiat sicut Ariel, hoc est, sicut Altare. Nam quemadmodum circa altare fiunt mactationes sacrificiorum, & in altari sacrificia absumũtur igni, ita circa urbem Hierusalem, & in Ierusalẽ mactabuntur & interficientur multi homines, ut Hierusalem uere fiat Ariel, hoc est, locus mactationis. Circumdabo te globo militum, et iaciam contra te aggerem, & excitabo contra te munitiones. Itaq; humiliaberis, loqueris de terra, sermo tuus erit demissus, quasi exima terra prodeat. Vnde additur: De humo audietur eloquium tuum, hoc est, humillime & abiectissime loqueris. Et erit quasi Pythonis de terra uox tua. Quem Hebræi אוב Ob, uocant, nos solemus Pythonem interpretari, Leuit. decimonono. Pythones autem uocauerunt quondam ἐγγαστρίμυθους, hoc est, Ventriloquos. Hi autẽ sic dicuntur, q̃ immundi spiritus ingressi in uentres eorum, dabant e uentribus responsa aliquoties uoce prætenui, & intelligibili, aliquoties incerto tan-

tum murmure,ac bõbo. Hoc prorsus conuenit cum hoc locõ Esaię, qui ait: Erit uox tua de terra,quasi Pythonis,hoc est, non loqueris amplius præ summa calamitate clare & perspicue, sed murmurabis potius,sicut solent Pythonici aut uentriloqui. Hæc est periphrasis deuastationis. Sicut enim homo deiectus & oppressus humillime loquitur,& quasi musitat,non audet aperire os suũ coram uictore,ita ciuitas dicitur humillime loqui & musitare, quia deijcietur in terram & uastabitur. Etsi aũt nonnulli interpretes sentiunt Prophetã loqui de Assyriaca incursione sub Ezechia,propter promissionem liberationis,quæ sequitur,tamẽ quia urbs Hierusalem nõ est tunc circundata aggeribus & munitionibus, nec est uastata, idcirco Esaias loquitur de uastatione Babylonica,qua Iudæi eiecti tãtum sunt e sua regione, non autem prorsus abiecti,ne sint populus Dei: aut de uastatione Romana, qua ita eiecti sunt,ut etiam nõ sint amplius populus Dei. Quid ergo dicemus? Num quia Hierusalẽ uastatur,& Iudęi abijciũtur,nulla erit amplius Ecclesia Dei,sed hostes Dei reportabunt, oppressa & conculcata Ecclesia, uictoriã perpetuam? Nihil certe minus. Nam quid hostibus populi Dei euenturum sit,Propheta mox subiungit. Erit, inquiens,sicut puluis tenuis multitudo uentilantium te, & multitudo tyrannorum,quemadmodum palea quæ momento & subito dispergitur. hoc est, Etsi hostes populi Dei sunt innumerabiles, sicut puluis terræ, tamen quemadmodum puluis tenuis exorta tempestate facillime dissipatur,& sicut quisquiliæ frumenti uehemẽti flatu a facie terræ proijciuntur,ut nescias,quo perueniant,ita etiam hostes populi Dei, reuelato Dei iudicio,sic disijcientur, ut non inueniatur amplius locus eorum. Vnde & sequitur. A Domino Zebaoth uisitabitur (uidelicet,hæc multitudo) in tonitru, commotione terræ, uoce magna turbinis,& tempestatis, & flamma ignis deuorantis. Hæc est descriptio diuini iudicij aduersus impios populi Dei hostes. Sicut enim puluis terræ & quisquiliæ facillime ac uno pene momento disijciuntur turbine & tempestate, ità postquam Deus inceperit ira sua tonare,ac tempestatem excitare aduersus impios,non erit inter ipsos, qui consistere queat. Idem etiam exponit similitudo,quæ sequitur de somnio nocturno. Et erit,inquiens, sicut somnium uisionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra Ariel,seu montem Zion, sicut mox exponit, & omnes qui militauerunt & obsederunt,& prævaluerunt aduersus eam. Quid ergo est somnium nocturnæ uisionis? aut quid in tali somnio fieri solet? Sequitur. Sicut somniat esuriens & comedit, cùm autem expergefactus fuerit &c. hoc est. Impiorum fœlicitas aduersus pios seu populum & Ecclesiam Dei est sicut somnium esurientis & sitientis.

entis. Hic somniat se delicatissimis epulis & suauissimo uino exaturari, cum autem expergefit, multo plus esurit et sitit, quam antea: ita impij, cum opprimunt pios & prœualent armis corporalibus Ecclesiæ Dei, uidentur sibi fœliciſsimi, & fortunatiſsimi, ſed hæc fœlicitas, merum eſt ſomnium, quia cum excitabuntur ſeuero iudicio Dei, non ſolum dimittuntur uacui fœlicitate, uerumetiam conijciuntur in æternam infœlicitatem. Ex his, quæ nunc recenſuimus, hæc præcipue obſeruanda ueniunt. Nam cum Propheta dicit: Adite annum ad annum, hoc eſt, cumulate annua feſta feſtis, mactate agnos in ſacrificia, docet externas obſeruationes feſtorũ, ſacrificiorum, & aliorum ſacrorum, nihil coram Deo ualere ſine pœnitentia & fide. Nam ſacra externa inſtituta ſunt in hunc uſum, non ut ipſa operatione faciant homines pios, ſed ut doceant pietatem, & admoneant de pœnitentia & fide. Quare ſi neglecta pœnitẽtia fiant, mera ſunt hypocriſis, & ſi additur opinio meriti coram Deo, ſunt impietas. Dedit & nobis Chriſtus Euangelion ſuum, & Sacramenta Euangelij. Dedit autem ea non ut Euangelion audiamus tãtum, & ſacramenta tm̃ ſumamus, ſed ut ueram cognitionem Dei conſequamur, fidem confirmemus, & ex fide bonos fructus faciamus. Si ergo, his contemptis, tantum audimus Euangelion & ſumimus ſacramenta, accipimus ea magis in iudicium q̃ ſalutem noſtram. Beati, inquit Chriſtus, qui audiunt uerbum Dei, ſed addit: Et cuſtodiunt illud. Et Paulus: Non auditores ſed factores legis iuſtificabuntur, &c. Deinde, q̃ Deus per Prophetam dicit: Ego circumuallabo Ariel, & ego circundabo eam &c. ſignificat uictoriam cõtingere hoſtibus populi Dei, non humana ipſorum potentia, ſed diuina adminiſtratione. Quod nobis idcirco ſæpe ac multum conſiderandum eſt, ut in uictorijs & fœlicitate impiorum, reſpiciamus, non in manum impiorũ, qui tantũ ſunt organa Dei in affligẽda Eccleſia, ſed in manum Dei, autoris afflictionum, ut & flagellum Dei patienter feramus, & ab ipſo Deo auxilium petamus. Præterea, cum cõcionatur de interitu impiorum, & dicit eos diſpergi ſicut ſolet diſpergi puluis tenuis, docet, q̃ Deus ſemper conſeruet ſuam Eccleſiam, etiam in medio inimicorum ſuorum, & in ruinis imperiorum, & rerumpublicarum. Etſi enim pij aliquandiu affliguntur, tamẽ ea afflictio non eſt perpetua, interitus autem impiorum erit perpetuus. Porro Propheta ponit nobis ob oculos interitum impiorum, duabus aptiſsimis ſimilitudinibus. Vna eſt, quod ſicut uentus uehemens ſolet puluerem terræ & ſtipulas ſeu quiſquilias frumenti ita diſjcere, ut neſcias quo quicquam earum rerum peruenerit: ſic ſolet etiã uehementia diuini iudicij, ſi quãdo reuelatum fuerit, impios diſpergere & opprimere, ut nullo modo queant interitum effugere. Ac

priusquam quidem iudicium Dei reuelatur, impij uidentur fortunatissimi, & perpetuo duraturi. Sicut & cumulus pulueris terræ uidetur firmus collis, & aceruus quisquiliarū uidetur optimis granis impletus esse, priusq̄ excitatus fuerit uentus. Postq̄ autē uentus spirare inceperit, tum apparet manifeste puluerem esse puluerem, & quisquilias esse quisquilias: ita & reuelato Dei iudicio impij cō stare non possunt. Vnde & Psal. i. dicitur: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proijcit uentus a facie terræ. Huc etiam conueniunt istæ similitudines de interitu impiorum, quæ commemorantur Psal. xxxvi. Tanq̄ fœnum uelociter arescēt, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Et Psal. lxvij. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiāt, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant pctōres a facie Dei. Altera similitūdo est de famelicis & siticulosis somniantibus se edere & bibere. Hi in somnio putāt se fœlices esse, ac fami & siti suæ probe mederi, sed cum expergiscuntur, multo plus q̄ antea esuriunt & sitiunt: ita etiā hostes populi seu Ecclesiæ Dei, & si uincunt armis suis populum Dei, & opprimūt eum, ac uidentur sibi fœliciſsimi, tamen ea fœlicitas non est nisi somnium. Non durabit diu. Cito euanescet, quamprimum Dominus iudicio suo reuelatus fuerit. Si autem fœlicitas impiorum est somniū, perspicuum est, q̄ & infœlicitas piorum in hoc seculo, non sit ueritas, sed tantum somnium. Quid ergo dicemus? Nebucad Nezar circūdedit montem Zion seu urbem Hierusalem munitionibus, expugnauit urbem, uastauit eam igni, multos Iudæorum occidit, multos captiuos in perpetuā seruitutem abduxit. Interea quot putas infantes, uirgines & mulierculas periisse? Redijtq̄ Nebucad Nezar hostis populi Dei ad suam patriam magna gloria auctus, & populus Dei omnibus calamitatum generibus oppressus iacuit. Hęccine nō erant ueritas, non erant uigiliæ, sed tantum somnium? Antiochus Epiphanes instituit, occupata urbe Hierusalem, idolum, combussit legem Domini, trucidauit mulieres, quę circuncidebant pueros suos, ac multos, qui legem Domini profitebantur & tuebantur, crudeliſsime occidit. Hoc ne ludibrium tantum somnij est, & non rei ueritas? Veniam ad hostes Ecclesiæ & sanctos post reuelatum Euangelion Christi. Herodes cepit Ioannem Baptistam, & occidit eum in carcere. Itaq̄ Herodes agit uitam fœlicem, Ioannes infœliciſsime perit. Dicemus ne hæc non uere geri, sed tātum esse uisionem somnij? Concilium Iudæorū fremit aduersus Stephanū, & Stephanus lapidatur. Iudęi & gentes cooriuntur aduersus Apostolos & martyres, ac interficiunt eos immaniſsime. Quid? hæc impiorum fœlicitas, & piorū infœlicitas somnia tm̄ sunt, & non rei ueritas?

ritas? Consideremus igitur, q̄ quam similitudinem Propheta hoc loco proponit, non est excogitata humana ratione, sed dictata a spiritu sancto, non est figmentū hominis, sed uerbum Dei. Verbū autem Dei nō potest esse uanum aut mendax. Quare cū hoc uerbū uocet fœlicitatem impiorꝝ & infœlicitatem piorꝝ, somnium, certe res ipsa ita se habeat, necesse est. Deus uerbo suo uocat ea quæ sunt nihil, & continuo fiunt aliquid. Quō igitur ea quę sunt aut uidentur esse aliquid, nō fierent nihil, uerbo Dei sic ea uocāte? Nihil est fallacius humana ratiōe, & humanis sensibus. Sępe, qui oculis suis unam rem uidet, iuraret se duas res uidere. Nihil autem certius est diuino uerbo. Quare huic multo magis credendum est, quam nostris humanis sensibus. Sed quo respicit spiritus sanctus, cum uocat fœlicitatem impiorum, & infœlicitatem piorum, Somnium? Non respicit in externum & præsentem sensum coram mundo, sed in euentum coram Deo. Fieri enim non potest, ut nec impiorum fœlicitas, nec piorum infœlicitas sit diuturna. Illa enim compensabitur æterna infœlicitate, hæc autem æterna fœlicitate. Reputo, inquit Paulus, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quę reuelabitur erga nos. Somniat esuriens, inquit Esaias, & comedit. Cum autem fuerit expergefactus, uacua est anima eius. Hic tacite admonet nos Resurrectionis ad ęternam uitam. Etsi. n. impij nō nunq̄ etiam in hoc seculo manifeste puniuntur propter crudelitatē suam, quam exercent in Ecclesiā Dei, tū in resurrectione mortuorꝝ perspicue apparebit fœlicitatem impiorꝝ & infœlicitatem piorꝝ in hoc seculo nō nisi somnia fuisse. Vnde ergo accidit, q̄ infœlicitas piorum non sit nisi somniū? Non certe aliunde, quam e Christo filio Dei, Domino nostro. Hic enim suscepit in se omnem huius seculi infœlicitatem, adeoq̄ mortem quoq̄ ipsam, Sed māsit in morte tantum ad tertium usq̄ diem, quo resurrexit a mortuis, & cōsecutus est summam ac æternam gloriam. Itaq̄ tertio die manifeste apparuit, quod omnes passiones, & mors eius nō fuerint nisi somnium. Econtra interfectores eius exultabant præ gaudio, existimabāt se perpetuo fœlices, Sed post paucos annos interierunt turpissime. Itaque manifestum est, quod exultatio eorum fuit tantum somnium: & adhuc manifestius erit, cum Christus ueniet in maiestate sua. Christus autem non effecit, ut infœlicitas in se & sua tantum persona sit somnium, sed ut sit somnium in toto spirituali suo corpore, in tota Ecclesia sua, & in omnibus membris suis. Sumus autem membra corporis eius per fidem. Quare qui uoluerit impetrare ut infœlicitas sua non sit rei ueritas, sed tantum somnium, necesse habet, ut sit, aut si non est, fiat membrum Christi per fidem. Stephanus fuit membrum CHRISTI,

cum lapidaretur. Quare infœlicitas eius fuit somnium, non ueritas. Latro in cruce non erat membrum Christi, sed in infœlicitate sua fiebat membrum Christi. Quare cum antea infœlicitas eius, uere erat infœlicitas, statim fiebat somnium tantum. Sic Esaias, cum medius secaretur, fuit membrū Christi. Infœlicitas igitur eius fuit tantum somnium. Manasses rex, cum cōijceretur in carcerem, non erat membr̄ Christi, fiebat aūt hoc per fidem, cū adhuc esset in carcere. Quare quod ante erat uera infœlicitas, postea fiebat somnium. Hæc idcirco obseruanda sunt, ut in aduersis aut resipiscamus, si propter peccata affligimur, aut in officio pietatis pergamus, si innocenter affligimur, & sufferamus patienter manum Domini, cum uerbo Dei certi simus, præsentes afflictiones nostras, & gaudia hostium nostrorum non esse nisi mera & uana somnia, qualia res ipsa demonstrabit.

OBSTVPESCITE ET ADMIRAMINI &c.

Dices: Si fœlicitas & uictoria eorum, qui gerunt bella cum incolis montis Zion, pro somnio reputanda est, quid sentiendum erit de incolis ipsis? Dicemus ne hos omnes & solos esse uerum populum ac Ecclesiam Dei, quod propter ipsos impij hostes sint periturí? Nihil certe minus. Deus elegit quidem posteritatē Abrahæ, (cuius posteritatis præcipua sedes fuit in monte Zion seu in urbe Hierusalē,) ut esset populus suus, elegit etiam eam, ut daret ex ipsa filium suum Messiam: ac multi fuerunt inter hos uere pij, qui per fidem in Messiam seruati sunt, maxima autem pars eorum fuerunt tā tum carnalis, & non spiritualis Israel: ac prę sertim eo tempore, quo aduenit Messias, pauciſsimi eorum agnouerunt Messiam per fidem, & consecuti sunt salutem. Reliqui autē omnes excæcati & abiecti sunt, quemadmodum etiā Paulus ait: Quod quę rit Israel, hoc non est assecutus, sed electi consecuti sunt. Reliqui uero sunt excæcati. De hac igitur Iudaicæ gentis excæcatione & abiectione, concionatur nunc Esaias, ut doceat non omnes qui sunt ex Israel, uere esse Israel, neq; quia sunt semen Abrahæ, statim esse filios Abrahæ. Est autem obseruabilis concio, quod ex ea Christus ipse & Paulus acceperunt testimonia de excæcatione & abiectione Iudæorum. Obstupescite, inquit, & admiramini, fluctuate & uacillate, &c. Hæc ita transferri debent: Sitis tardi ingenio, & stupidi. Excæcimini, & sitis cęci. Inebriemini, sed non a uino. Vacilletis, sed nō a sicera, quia miscuit inter uos Dominus spiritum soporis, & obstruxit seu excæcauit oculos uestros. Contexit tenebris Prophetas, & præcipuos uestros concionatores. Non est autem sentiendum, quod Deus iubeat Israelitas esse stupidos, & rerum diuinarum ignaros, ac cæcos. Sed quod cum non possint ullis beneficijs ab

impietate

impietate retrahi, nec ulla perſpicua uerbi Dei doctrina erudiri, tradat eos in ſtuporem, ignorantiam, imperitiam & excęcationem, & faciat ut nutent ſeu cadant ſicut ebrij, & ſomnolenti, cum ſint ebrij impijs ſuis opinionibus, & obruti ſomno ignauiæ, quo impietas eorum puniatur. Sicut et Eſaias ſupra capite ſexto dixit: Audite audientes & nolite intelligere, uidete uiſionem & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius &c. Et hoc loco ſequitur: Erit uobis uiſio omnium, ſicut uerba libri ſignati, aut ſicut liber eſt neſcienti literas. hoc eſt, Tantus eſt ſtupor, tanta eſt ignorantia & imperitia ueſtra in rebus diuinis, ut ad omnes conciones uerbi Dei ſitis ſicut aſini ad lyram. Nam quemadmodum uel liber clauſus non poteſt legi etiam a literarum perito, uel apertus non poteſt legi a literarum imperito, ita qualeſcunq; proponas conciones uerbi Dei, ſiue obſcuras ſiue perſpicuas, Iſraelitis, nihil prorſus earum rerum intelligũt. Tantus eſt ſtupor, tanta eſt cæcitas eorum. Sed propter quam cauſam Deus immittit tantum ſtuporem & ignorantiam in Iſraelitas? Sequitur: Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, &c. hoc eſt. Hic populus gloriatur quidem meo nomine, iactat ſe eſſe uerum populum Dei, cumulat etiam ſacra ſacris, adeoq; ſi conſideraueris externas ipſorum cerimonias & cultus, iudicares eſſe populum piſſimũ. Sed cor eorum longe abeſt a me. Non colunt me ijs operibus, quæ ego præcepi, nec ſi quid bonorum operum facere uidentur, ex uera fide faciunt, ſed ſeruant tantum magna religione ſuos ficticios cultus, quos humana ratio excogitauit, & quos hominum leges, Regulæ, ſeu Canones inſtituerunt. Cum igitur nihil minus faciant, quam uera ſacra, & uerum cultum diuinum, idcirco ſic tractabo hunc populum, ut omnes qui uiderint uel audierint, ſint admiraturi. Peribit enim ſapientia a ſapientibus eius, & intelligentia prudentum eius abſcondetur, hoc eſt. Omnes ſapientes & prudentes eorum erunt ſtultiſſimi. Omnes Rabini eorum erunt aſini indoctiſsimi. Ex hac parte cõcionis Eſaiæ allegant, quemadmodum diximus, Chriſtus & Paulus teſtimonia excæcationis & abiectionis Iudæorum. Nam quod Eſaias dicit: Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me &c. allegat Chriſtus apud Matthæum cap. decimoquinto. Hypocritæ, inquiens, recte de uobis prophetauit Eſaias dicens: Appropinquat mihi populus hic ore ſuo &c. Rurſum, quod Eſaias dicit: Miſcuit uobis Dominus ſpiritum Soporis &c. hoc Paulus ad Rom. ſcribẽs cap. xi. ſic recitat. Dedit eis Deus ſpiñ cõpunctionis, oculos ut nõ uideant, aures ut non audiãt, uſq; ad hodiernũ diẽ. Vbi Paulus iuxta ſeptuaginta habet πνεῦμα κατανύξεως, ſpiñ cõpunctionis, hebræus habet ſpiñ ſoporis ſeu dormitationis,

ut sit sensus, Deus punit impios Israelitas spiritu somnolentiæ, ut etiamsi audiant uerbum Dei, non tamen aduertant, nec intelligant præ somno impietatis suæ. Et iterum, quod Esaias dicit: Peribit sapientia a sapientibus eius &c. hoc Paulus ad Corinthios in priori epistola capite primo sic recitat: Perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium reijciam. Hæc sunt memorabilia dicta, quæ conseruanda sunt accuratissima diligentia. Nam quod dicitur: Populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me &c. subuertit & dānat omnem hypocrisin nō solum Iudaicorum Pontificum, sacrificulorum, Pharisæorum & Scribarum, uerumetiam Papisticorum sacerdotum, Monachorum, Nonnorum, & Nonnarum. Quod ut rectius intelligamus, percurrendæ sunt singulæ partes huius dicti, quibus hypocritarum ingenium & mores describuntur. Primum, populus iste, inquit, appropinquat ore suo, quia Iudæi gloriabantur se esse populum Dei electum, iactabant Deum promisisse, quod uelit esse Deus ipsorum, sicut ad Abrahamum dicitur: Statuam pactum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te. Ac iterum: Filius meus primogenitus Israel. Quæ quidem promissiones sunt uerissimæ, sed requirebant fidem, & obedientiam. Cum igitur Israelitæ nec ueram habebant fidem, nec obediebant uocationi Dei, ut postea sequitur, uanissima fuit iactantia eorum. Sic & Papistæ, Pontifices, Episcopi, Sacrificuli & Monachi iactant se esse ueram Ecclesiam Dei, quod sint successores eorum, ad quos dicit Christus: Ego elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Et iterum: Ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Atque hæc quidem uere dicta sunt ad Apostolos, & de uera Ecclesia Christi, in qua Apostolica doctrina, & syncerum Euangelion Christi sonat. Vbi autem pugnatur cum Apostolica doctrina, & docentur pro Euangelio Christi humanæ constitutiones, id quod in Papisticis cœtibus fieri solet, ibi non est uera Ecclesia Christi. Deinde labijs suis, inquit, glorificat me, quia Iudæi non solum iactabant se esse populum Dei, uerumetiam cantabant publice Psalmos in honorem Dei, & uidebantur glorificare Deum multis sacrificijs, multis cultibus & cærimonijs etiam diuinitus institutis. Sic & in Papistica religione multus est cantus Psalmorum, & magnus aceruus aliorum sacrorum, quorum nonnulla, etiam diuinitus sunt commendata. Ac utile quidem est Psalmos canere, & alia pia sacra facere, Sed si hæc fiunt sine uera fide, non solum sunt inutilia, uerumetiam fiunt peccatum. Omne enim ut Paulus ait, quod non est ex

fide,

fide, peccatum est. Et iterum: Impossibile est sine fide Deo placere. Vnde & Esaias addit: Cor autem eius longe est a me. Quid hoc? An non Iudæi, sicut uoce de Deo gloriati sunt, ita etiam corde de Deo cogitauerunt? Certe iurassent, se colere uerum Deum, & eum in corde suo uere adorare & inuocare. Quomodo ergo dicitur, Cor populi huius longe est a me? Obserua igitur, quod cũ dicitur, Cor hominis uel prope esse apud Deum, uel longe esse a Deo, non intelligitur de humanis cogitationibus, quę in corde de Deo habentur, alioqui enim & his prope esse diceretur Deus, de quibus Christus ait: Veniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum prestare Deo. Hi enim non tantum de Deo cogitãt, uerumetiam putant se occisione Apostolorum gratissimum Deo officium facere, cum tamen cor eorum longissime absit a Deo. Sed intelligendum est de uera in Deum fide, & de incredulitate seu impietate cordis. Etsi enim Deus omnipotentia sua implet omnia in omnibus, tamen cum de clementia eius sermo est, dicitur tunc prope esse in corde, cum uere in eum creditur, cum uere ex fide inuocatur. Tunc aũt longe dicitur a corde hominis abesse, cum nec uere in ipsum creditur, nec ex uera fide inuocatur. Porro, uera in Deum fides est, non cum Deus habetur tantum pro ómnipotente rerum ómnium creatore, sed cum agnoscitur per Euangelion Christus, filius Dei, & creditur, quod Deus sit nobis clemens ac propicius, non propter nostra merita, sed tantum propter Iesum Christum filium Dei. Ex hac fide oritur deinde uera inuocatio, quod clamemus ad Deum, ut patrem, adoptati per filium. Ex hac fide oritur obedientia, ut iuxta uerbum Domini bene faciamus, non ut meritis nostræ iusticiæ impetremus remissionem peccatorum & gratiam Dei: Hoc enim esset contra fidem, sed ut declaremus gratitudinem nostram, in tantis beneficijs, quæ per fidem tantum propter Iesum Christum accepimus. Qui ergo talem habent fidem, & ex tali fide bona opera diuinitus præcepta faciunt, his Deus uere prope esse dicitur. Qui aũt nullã habẽt cognitionem Christi filij Dei, nec credunt se gratis propter Christũ esse Deo gratos, per fidem, sed sentiunt se placare iram Dei, & mereri remissionem peccatorum propter suorum operum iusticiam & merita, ab horum corde Deus lõgissime abest, quippe quod tale cor, uerus sit idolatra, et habeat tot deos, quot opera facit ad expianda peccata sua. Vide ergo mihi Iudæos hypocritas. Hi non requirebant Messiam, nisi forte, ut liberaret ipsos a Romana tyrannide, sed quod ad iusticiam coram Deo, ad remissionem peccatorum, & ad perpetuam salutem attinet, sentiebant se meritis suorum operum, cantu Psalmorum, & sacrificijs, consequi iusticiam & salutem. Quare tanto

Deus quibus prope sit, & à quibus longe absit.

Fides uera.

longius abſunt a Deo, quanto longius abſunt a Chriſto filio Dei, quem in tantum non receperunt, ut etiam crucifixerint eum. Vide mihi etiam Papiſtas hypocritas. Hi &ſi faciunt al quam mentionẽ Chriſti filij Dei in ſermonibus ſuis, tamen quemadmodum Iudęi non expectabant alium Chriſtum, præterquam politicum dominatorem, ita Monachi hypocritæ non habent Chriſtum alio loco, q̃ꝑ legislatorem, ſpectatorem, & remuneratorem humanorum meritorum, ut qui ſatisfaciat pro peccatis ſua ipſius iuſticia, eum Chriſtus faciat beatum: qui uero non ſatisfaciat pro peccatis, eum Chriſtus conijciat uel in ignem inferni, uel in ignem purgatorij, donec perfecte expurgetur. Hoc autem longe eſt a Chriſto abeſſe. Quare cor eorum longe etiam a Deo abeſt. Gentes, inquit Paulus, quæ non ſectabantur iuſticiam, apprehenderunt iuſticiam: Iuſticiam autem eam, quæ eſt ex fide. Contra Iſrael, qui ſectabatur legem iuſticię, ad legem iuſticiæ non peruenit. Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi. hoc eſt, Iudæi uoluerunt iuſticiam conſequi propter merita operum ſuorum, & nõ propter Chriſtum per fidem. Ergo longe abſunt a Deo, & non perueniunt ad iuſticiam. Sic & Monachi ſectantur iuſticiam ex operibus ſuorum ordinum, non ex fide in Chriſtum. Quare non aſſequuntur eam, & longe abſunt a Deo. Sic etiam Turcæ & omnes gentes, quæ non agnoſcunt Chriſtum, longiſsime abſunt a Deo, etiam ſi de Deo multa iactent. Sed ſequitur in Eſaia. Timent me mandato ab hominibus inſtituto. Timere Deum, eſt colere Deum. Vnde & ſeptuaginta recte tranſtulerunt, μάτην σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας: Fruſtra colunt me, docentes præcepta hominum, & doctrinas. Nam Iudæi minimi faciebant opera diuinitus præcepta, maximi autem faciebãt ea opera & ea ſacra, quæ ipſi ſine uerbo Dei in diuinum cultum inſtituerant. Vos, inquit Chriſtus, irritum facitis præceptum Dei, propter traditionem ueſtram. Tales hominum doctrinæ & traditiones erant apud Iudæos, lauationes manuum, dilatatio fimbriarum, longæ preces, certa ieiunia, & infinita alia Phariſæorum inſtituta. Talium traditionum plena eſt tota Papiſtica religio, & omnes Monachorum ordines. Quas traditiones enumerare longiſsimum eſſet. Faciunt autem hypocritæ opera harum traditionum non ſimpliciter ad honorem Dei, ſed etiam ad expiationem peccatorum coram Deo. Quare ea opera non ſolum ſunt inutilis cultus Dei, uerũ etiam ſunt impietas & Idolatria. Itaq̃ hoc uno dicto ſubuertitur & damnatur uniuerſa hypocriſis & impietas totius Papiſticæ religionis. Poſtremo eſt & hoc loco conſideranda pœna, quę ſequitur humanas conſtitutiones, & opinionem, quæ de meritis talium operũ coram

Traditionũ opera inutilis cultus & impietas.

coram Deo concipi ſolet. Quid ergo merentur hi, qui colunt Deum humanis traditionibus? Hoc uidelicet eſt meritum eorum: Sitis, inquit, tardi ingenio, ſitis ſtupidi. Et mox: Miſcet Dominus inter uos ſpiritum ſomnolentiæ. Ac iterum: Peribit Sapientia a ſapientibus, & intellectus prudentium eius abſcondetur. Hic uides, q̃ meritũ & pœna humanarũ traditionũ ſit ſtupor, excæcatio, imperitia, ignorantia, inſipiẽtia, & tandẽ extremus interitus. Sic et Paulus ait: Occæcati ſunt ſenſus illorum. Nam uſq; ad hodiernum diem idem uelamen in lectione ueteris Teſtamenti manet, nec tollitur uelum, quod per Chriſtum aboletur &c. hoc eſt, quamdiu Iudæi ſentiunt ſe expiare peccata per opera legis, uel ſuarum traditionũ, non poſſunt intelligere uel legem uel Euangelion, ſed ſunt excęcati, nec poſſunt ueram ſententiã legis percipere, niſi conuertantur ad Chriſtum, & credant ſe tantum propter Chriſtum habere propicium Deum. Habes & hoc loco uanam eſſe eorum iactantiam, qui dicunt ſpiritum ſanctum non deſerere populum Dei, ſeu Eccleſiam. Ac ueriſsimum quidem eſt, ſpiritum ſanctum manere in uero populo & uera Eccleſia Dei: hic autem non eſt uerus Dei populus, nõ eſt uera Eccleſia, quæ abĳcit & damnat uerbum Dei, nec agnoſcit uerum officium Chriſti. Talis fuit Eccleſia Iudæorum, quæ nõ minores habuit promiſsiones præſentię Dei, quam Eccleſia gentium, ſeu Pontificum, & ſacrificulorum in Chriſtianiſmo. Et tamen, de Eccleſia Iudęorum hic dicitur: Miſcet Dominus inter eos ſpiritum ſoporis, & peribit ſapientia a ſapientibus, quia abiecerant Meſsiã. Sic etiam intelligẽdum eſt de Eccleſia Papiſtarum, propterea quod & ipſa abĳcit uerum officium Meſsiæ. Quod enim ſoli Meſsiæ tribuẽdum eſt, hoc ipſa tribuit meritis ſuorũ operũ. Non igitur reſpiciendum nobis eſt in homines potentes, ſapientes, doctos, & ſanctos, ſed in ipſum uerum et ſyncerum uerbum ac Euangelion Chriſti, ut ubi hoc agnoſcitur, ibi ſciamus ueram eſſe Eccleſiam Dei.

Traditionũ humanarum pœna.

VÆ QVI PROFVNDI ESTIS CORDE &c.

Expoſuit Eſaias excæcationem Iudęorum. Nunc damnat eos hypocriſeos. Væ, inquiens, profundis a Domino, hoc eſt, hypocritis, qui longe abſunt corde ſuo a Deo, quorum cor eſt profundum, quod Pſalmus lxiiij. uocat cor altum, qui occulta habent conſilia impietatis, & crudelitatis, quę abſcondunt in tenebris, & cum externa honeſtatis ac pietatis ſpecie ita ea tegunt, ut non ſint coram hominibus conſpicua, exiſtimãt ea nec Deo eſſe manifeſta. Itaq; ſecure pergunt peccare, dicentes in latebris animorum ſuorum, quis ſiue hominum ſiue deorum nos uidet? quis cognoſcit nos? Hic eſt extremus ac plane Epicureicus Dei contemptus. Sunt autem præcipue quatuor genera hypocritarum. Alĳ deſignãt in occulto ſcelera, ſed

Cor altum.

Hypocritarũ 4. genera.

quia homines non sunt eorum conscij, putant nec Deum esse eorum conscium. Hoc est crassissimum genus hypocritarum, qui nullam habent speciem suorum scelerum, nisi quod sint occulta corã hominibus. Prouerb. xxx. Talis est uia mulieris adulteræ, quæ comedit & tergens os suum dicit: Non sum operata malum. Alij concipiunt in animo & perpetrãt impia, crudelia, turpia, & alia scelerata, sed quia prætexunt honestam speciem, & fallũt iudicium hominum, putant se etiam fallere iudicium Dei. Tales describit Psal. xxxvi. Exacuerunt, ut gladium, linguas suas, intẽderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Subito sagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam. Narrauerunt ut absconderent laqueos. Dixerunt, QVIS VIDERIT nos? Et Psal. xciij. Populum tuum Domine humiliauerunt, & hęreditatem tuam uexauerunt. Viduã & aduenam interfecerũt, & pupillos occiderunt. Et dixerũt: Non uidebit Dñs, nec intelliget Deus Iacob. Tales fuerunt Iudæi erga Christũ & Apostolos eius. Tradiderũt Christum per inuidiam in mortem, persecuti sũt Apostolos impietate & uirulentia animi. Et tamẽ quia prętexuerunt honorem nominis Dei, & existimauerunt se pręstare cultum Deo, dixerunt etiam ipsi intra se: Quis uidet nos? hoc est, Ne Deus quidem ipse in nos propter hæc scelera animaduerter. Alij sunt, qui cũ nõ habeãt ueram fidem, sed pleni sunt impietate, odio, inuidia, aut alijs sceleribus, suscipiunt faciẽda bona opera, aut per se indifferentia, sed hac opinione, ut horum meritis expient peccata sua coram Deo, & comparent sibi sua industria & iusticia gratiam Dei, & regnũ cœleste. Hi sunt, quos uulgo uocamus hypocritas. De his conc ionatus est Esaias supra. Hic populus appropinquat ore suo, & labijs suis me honorat, cor autem eorum longe est a me: Et Christus Matth. xxiij. Væ uobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia purgatis exteriorem poculi patinęq; partem, cæterum intus plena sunt rapina & intemperantia. Et mox: Similes estis sepulcris dealbatis etc. Talis hypocrita est Pharisæus apud Lucam cap. xviij. Sunt & alij, qui plane contempto & abiecto uero Deo ex corde suo, sequuntur suas cupiditates in omni genere idolatrię. Quales sunt, quos describit Ezechiel cap. viij. & ix. Hi omnes dicũt in cordibus suis: Non uidet nos Dominus. Dereliquit Dominus terram. Tales etiam magna erat pars Iudæorum in aduẽtu Christi, quo tempore Iudæi ducebant uitam inter gentes. Itaq; contempto uero Deo Israel, sectabantur quodcunq; genus idolatrię & impietatis tutum uidebatur. Sed hos omnes reprehendit & damnat Esaias cum addit: Peruersa est hæc uestra cogitatio. Quasi si lutum cõtra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non feciſti me &c. Hęc similitudo de figulo

&

& luto ſæpenumero proponitur nobis in ſacra ſcriptura, ut Eſa xlv. & lxiiij. Hier. xviij. Eccleſiaſt. xxxiij. Sapientiæ xv. & Rom. ix. Quare non eſt oſcitanter prætereunda. Ac primum Eſaias hoc loco deſcribit hac ſimilitudine, q̃ hypocritę, qui putant ſe Deo in occultis ſuis peccatis latere, aut qui confidunt ſe peccata ſua poſſe tegere & expiare coram Deo meritis ſuorum operum, abnegent Deū. Qua ſi, inquit, lutum dicat figulō ſuo: Non feciſti me. Sic & hypocritæ, etiāſi longe aliud ipſis uideatur, tamē dicunt in latebris cordis ſui, q̃ non ſint creaturæ Dei. Sic & Pſal. ait: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Conſidera ergo mihi, q̃ꝫ grauiter peccent hypocritæ, q̃ dum uolunt uideri præcipui cultores Dei, fiant abnegatores eius. Quid igitur faciamus, ut p̃cta̅ noſtra tegamus cor̅a Deo? Omnino enim habemus peccata. Et quanq̃ nō ſemper extrinſecus peccamus coram hominibus, tm̄ ſemper geſtamus p̃ctm̄ in carne & ſanguine noſtro. Hic nullū reliquū eſt remediū, q̃ꝫ ut agnoſcamus p̃cta̅ noſtra, & cōfiteamur ea coram Deo, et credamus q̃ remittā̅tur nobis gratuitō per miſericordiam Dei, tm̄ propter Ieſum Chriſtū ſeruatorem noſtr̃. Hic enim ſolus eſt, qui fide acceptus tegit peccata noſtra cor̅a iudicio Dei, & dat ſpiritū ſanctum, ut deinceps Deo grata opera faciamus. Quicquid aliar̃ rerum expanditur ſuper peccatum, ut tegatur, magis reddet peccatum conſpicuū, q̃ occultum: ut ſi uitro aut criſtallo, aut reti tegas ea quę in uaſe uolueris tecta habere &c. Deinde docet hic Eſaias timorem Dei, dum docet nos ſic Deo conſpicuos eſſe, ut lutum eſt in oculis figuli. An non ridenda ſtultitia eſſet, ſi lutum diceret ad figulū, Non uides me, non intelligis ad quid utile ſim. Sic deteſtā̅da eſt impietas, ſi quis ſperet ſe poſſe in deſignandis peccatis ſuis oculos Dei ſuffugere, dum modo effugiat oculos hominū Pſal. xciij. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquā̅do ſapite. Qui plantauit aur̄ nō audiet, aut q̃ finxit oculum, non conſiderat? Et alias: Quo a facie tua fugiam? Si aſcēdero in cœlum, tu illic es &c. Quare timeamus Dn̄m, & caueamus nō ſolum a manifeſtis, ſed etiam ab occultis peccatis. Præterea hac ſimilitudine figuli & luti excitamur ad agendam pœnitentiam in aduerſis, q̃ꝫ & ſi coniecti ſumus propter peccata in grauiſsimas afflictiones, tm̄ ſi pœnitentiā egerimus Deus reſtituit nos ſummæ fœlicitati. Sumus enim in manu Dei, ſicut lutum in manu figuli. Hiere. cap. xviij. ait: Figulus faciebat opus ſuper rotam, & diſsipatum eſt uas q̃d ipſe faciebat e luto manibus ſuis. Conuerſusq̃ fecit illud uas alter̃, ſicut placuerat in oculis eius, ut faceret. Et factū eſt uerbū Dn̄i ad me dicens. Nūquid ſicut figulus iſte, nō potero uobis facere domus Iſrael, ait Dn̄s? Deinde hac ſimilitudine docemur, q̃ ſalus noſtra nō conſtet noſtris humanis uirtutibus, ſed tm̄ diuina electione

& miſericordia. Nec licet nobis accuſare Deum iniquitatis. Sed cognoſcenda eſt eius clementia, & gratiæ agendę, qꝑ fecerit nobis notas diuitias miſericordiæ ſuæ. Sic Paulus Ro. ix. dicit: Cui uult, miſeretur, quẽ uult indurat. Et mox: Nũ dicit figmentũ ei q̃ finxit, cur me finxiſti ad hunc modum etc. Non murmuremus contra Deũ, qꝑ non faciat omnes homines beatos, ſed gratias ei agamus, qꝑ donauerit Chriſtũ ad conſequendã per eum beatitudinem nobis, qui & una cũ alijs obnoxij fuimus æternę dãnationi. Nam quid nobis deatur, agnoſcimus ex his q̃ a Deo abiecti ſunt, & damnãtur. Eſa. lxiiij. Et nunc Dñe, Pater noſter es tu, Nos uero lutũ, & fictor noſter tu &c. Sed de hoc argumẽto alias. Adhæc retunditur exiſta ſimilitudine ſuperbia & arrogantia humana. Sumus. n. ex luto creati, & ſicut lutũ in manu figuli, ita nos in manu Dei. Quid ergo nobis arrogãmus? Quid obſecro eſt lutũ per ſe? & quid eſt in manu figuli? An nõ per ſe res eſt ſordidiſsima? an non in mãnu figuli exiſtẽs, neceſſe habet ſe ꝑ arbitrio figuli formandum prębere? Conſi dera etiã mihi, q̃ fragile ſit uas luteũ, etiãſi a figulo abſolutũ fuerit? Q̃z facile tale uas diſsipatur? Pſal. ij. Tanc̃ꝫ uas figuli confringes eos. Et Eſa. xxx. Cõminuetur ſicut conteritur lagena figuli &c. Poſtremo admonemur etiã hac ſimilitudine de cruce ferenda. Si. n. ſumus uaſa Dei ex luto formata, debemus etiã igni afflictionis ꝑbari, ſicut uaſa figuli probantur. Eccleſiaſt. xxvij. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tẽtatio tribulationis. Vides, q̃ multa nos doceant figulus & lutum, ut cognoſcamus Deum non ſine conſilio miſiſſe Hieremiam Prophetã ad domum figuli, ut ibi uerbum Domini diſceret &c.

NONNE ADHVC IN MODICO ET IN BREVI CONVERTETVR &c.

Si Prophetæ & Principes Iſraelitarum excæcabũtur in aduentu Chriſti, Si ſapientia peribit a ſapientibus in populo Iſrael, quis ergo in Iſrael ſeruabitur? quis intelliget librum ſacrę ſcripturæ? quis agnoſcet Chriſtum? De hac re concionatur nunc Eſaias, et docet, qꝑ in aduentu Chriſti excæcabuntur quidem Prophetæ, principes, & ſapientes, hoc eſt, Pontifices, Scribæ & Phariſæi, abiectiſsimi autẽ in Iſrael illuſtrabũtur ſpiritu ſancto, & agnoſcent ac recipient Chriſtum. Ac plane Eſaias hoc loco docet quod Chriſtus ipſe Matth. xi. ait: Gratias ago tibi Pater Dñe cœli & terræ, qꝑ cum hæc abſconderis a ſapientibus & prudentibus, reuelaris ea paruulis. Et in parabola de rege, qui fecit filio ſuo nuptias. In qua parabola, cum inuitati nollent nuptijs frui, uocantur pauperes, debiles, claudi & cæci. Dicit ergo Eſaias. Adhuc in modico & breui (uidelicet, non ab eo tempore, quo Eſaias hæc concionatur. Fuit enim Eſaias ante Chriſtum

natum

annos plusq̄ ſeptingentos, ſed ab eo tempore, quo ea, quæ ante dixit, implebuntur, & quo Chriſtus naſciturus erat) conuertetur Libanus in Carmelum, & Carmelus in ſaltum, uidelicet Libani, reputabitur. Etſi alij aliter hoc interpretãtur, tñ quia hic eſt ſermo de regno Chriſti in terris, intelligendũ erit pro huius regni conditionibus. Libanus, mons eſt altiſsimis Cedris nobilis. Carmelus aũt mons eſt fertilitate uini celebris. Quo igitur tempore Chriſtus aduenier, Libanus conuertetur in Carmelũ, & Carmelus uiciſsim in Libanum, hoc eſt, omnia erũt in regno Chriſti culta, fertilia & benedicta. Libanus habet quidem Cedros aptas ædificationi, ſed caret uitibus, & oleis. Carmelus habet multas uites & oleas, ſed caret Cedris. Cum igitur Chriſtus accipiet regnum ſuum, tãta erit rẽ benedictio, ut Libanus proferat uites una cũ Cedris, & Carmelus proferat cedros una cum uitibus. Eadem ſentẽtia & poſtea cap. xxxij. dicitur. Deſertum eſt in Carmelũ, & Carmelus reputabitur in ſaltum, hoc eſt, Libanũ. Et cap. xxxv. Lætabitur deſerta &c. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron. Nec hoc tm̄ genus, ſed multa alia genera benedictionis contingent in regno Chriſti, quia in die illa, qua Chriſtus aduenier, & Euãgelion ſuum prædicabit, Surdi audient uerba libri, & oculi cæcorꝝ uidebunt de tenebris & caligine: hoc eſt, hi, qui reputabũtur a ſcribis & Phariſæis ſurdi & cæci, audiẽt Euangelion Chriſti, agnoſcẽt Chriſtũ, in libro Prophetico promiſſum, uidebunt lucem, quę lucet ipſis in perpetuã iuſticiam, uitã & ſalutem. Hi ſunt Apoſtoli, & reliqui diſcipuli Chriſti ac Apoſtolorꝝ, de quibus Phariſæi dicebant: Nunquis ex Principibus credidit in eum, aut ex Phariſęis? Sed turba hęc, quę non nouit legem execrabiles ſunt. Et Paulus: Videtis uocationẽ ueſtram, q̄ nõ multi ſapientes ſecundũ carnẽ, nõ multi potẽtes &c. Adhæc, mites, ſeu miſeri & afflicti addent lętitiã in Dño, hoc eſt, perfundẽtur lætitia per Chriſtũ uerꝝ Dñm Deum noſtrꝝ, & pauperes inter hoĩes exultabunt in ſancto Iſraelis, q̄ ſanctus eſt Chriſtus Dñs noſter. Sic & alias dicit Chriſtus ipſe in Eſaia cap. lxi. Spiritus Dñi ſuper me, eo q̄ unxerit me, ad euangeliſandũ manſuetis ſeu afflictis miſit me etc. Et Matt. xi. Cæci uiſum recipiunt, ſurdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes accipiunt lętum nuncium Euãgelij. Sed quid accidit afflictis, q̄ lętentur, et pauperibus, q̄ exultent? Addit Propheta: Quia defecit, qui prævalebat. Hoc eſt, Ideo pauperes & afflicti exultant, quia Tyranni opprimũtur, illuſores maligni delẽtur, iniqui exterminantur. Eradicãtur hi q̄ peccare faciunt hoĩes in uerbo, hoc eſt, uel qui faciũt hoĩes reos, in negocijs, & amplificant minima quæuis erratula, uel offendunt homines impia ſua doctrina, ac tendunt laqueos ijs, qui arguũt ipſos in porta, ſeu in iudicio.

Delẽtur & hi, q declinãt fruſtra a iuſto, hoc eſt, q causã iuſti in iudi cio uanã faciunt, & condẽnant. Hæc, inquã, eſt cauſa, cur afflicti & pauperes lętãtur, uidelicet, qa liberãtur ab impijs et crudelibus tyrã nis, impoſtoribus, alijsq; iniquis ac ſceleratis hoĩbus. Hęc aũt ſic re citantur, perinde ac ſi Chriſtus accepturus eſſet regnũ mundanũ, & uiolẽtis armis oppreſſurus oẽs impios tyrãnos ac ſceleratos in hac terra. Sed qa regnũ Chriſti nõ eſt de hoc mundo, idcirco hęc intelli genda ſunt ꝓ modo & ratione regni Chriſti, uidelicet qꝺ Chriſtus prædicabit Euãgelion ſuum, quo refutabit impios doctores, & uin cet morte ſua Satanã, pctm̃, mortẽ, & infernũ, qui ſunt ſęuiſsimi ty ranni, & meditãtur perpetuã internecionẽ totius humani generis. Deinde uulgabit Euãgelion ſuum in orbẽ terrę per Apoſtolos, & abolebit oẽm contrariã poteſtatẽ, non carnalibus armis, ſed ſpiritu oris ſui, ut quotq; Euangelio credunt, euadant oẽs afflictiones, oẽs aduerſitates, denicꝺ mortẽ ipſam & infernũ. Hęc pariũt in afflictis, in miſeris pctõribus, uerã lęticiam corã Deo. De qua lætitia ſupra quoꝺ dixit cap. ix. Lętabuntur corã te, ſicut qui lętantur in meſſe, ſicut exultãt uictores, cãpta prędа, qñ diuidũt ſpolia. Quod cum ita ſe habet, Dñs Chriſtus uerus Deus, qui redemit Abraamum ex im pia idolatria, & poſteros eius ex Ægypto, diſerte alloquitur fami liã Iacob, ſeu Iſraelitas, & dicit: Non modo confundetur Iacob, nec modo uultus eius erubeſcet &c. hoc eſt, poſtq; reuelabor humanita te, & prędicabo Euangelion meũ inter hoĩes, nõ ſic pudefiet Iacob, quẽadmodum antea, cum uel filij eius crudeliter interficerẽt Sichi mitas, aut alia immania ſcelera deſignarẽt, uel poſteri eius opprime rẽtur in Ægypto, & ꝓijcerentur in flumẽ, Sed etſi maxima pars Iu dęoꝝ exęcabitur, & abijcietur, tñ erunt inter filios ſeu poſteros Ia cob, ueri Iſraelitæ, q uere meo ſpũ renaſcẽtur, me ueꝝ Chriſtũ fide ſua agnoſcẽt, meum nomẽ glorificabunt, me ueꝝ Sanctum Iacobi, & Deum Iſraelis prędicabunt & ſumma ueneratione colẽt. Et cum ante, nondũ reuelato Euãgelio meo errarent ſpũ, nec cognoſcerẽt, quo ſe ad cõſequendam ſalutẽ uerterẽt, imo potius cœleſtẽ doctri nã contẽnerent, et aduerſus eã murmurarẽt, nunc poſtq; Euangeliõ meũ prędicabitur, erudiẽtur & diſcẽt ac cognoſcent uerã doctrinã. Tales fuerunt Apoſtoli, hoĩes rudes, & imperiti: tales & multi alij diſcipuli, qui ex Iſraelitis didicerũt Euangelion Chriſti, & agnoue runt ex eo Chriſtum ueꝝ ſeruatorẽ, per fidẽ. Habes quid ſibi uelit Propheta hac cõcionis ſuę pericopa, quã recitauimus, nũc cõſidere mus pręcipuos locos, q in ea cõtinentur. Dicit tẽpore Meſsię Liba nũ mutandũ in Carmelũ, & uiciſsim Carmelũ in Libanũ, hoc nõ ſi gnificat, Meſsiã extrinſecus mutaturꝝ in primo ſuo aduẽtu montes in colles, & colles in ualles, & e ſyluis facturꝝ agros, & ex agris ſyl uas.

uas. Nã & Hebrei nõnulli perspicue fatẽtur Messiã nihil mutaturꝝ de operib. sex dierꝝ, ut ipsi loquũtur. Sed significat Messiã allaturꝝ oĩm rerꝝ bñdictionem, non quidẽ externã & corporalẽ, ꝓ ingenio carnaliũ hoĩm, sed spũalem & cœlestẽ. Messias. n. seu Christus est bñdictum illud semen, ꝙd fuit Abrahę ꝓmissum. Cũ aũt ipse sit natura sua bñdictus, reddit & ea bñdicta quę ipsi accidũt, etiãsi alioq̃ sint maledicta. Accidit Christo paupertas, quæ est maledictio, sed Christo fuit benedicta. Accidit ei captiuitas, crux & mors, quę sunt summa maledictio, sed fuerũt Christo summa bñdictio. Per hęc. n. intrauit in gloriã Patris sui. Accepit, cũ adhuc in terris ageret, paucos panes et pisces in manus suas, in quibus ita bñdicti sunt, ut sufficerent in cibũ multis hoĩm milibus. Attigit leprosos, & mundabantur. Attigit oculos cęcorꝝ, & restituebatur eis uisus. Attigit feretra mortuorꝝ, & mortui excitati sunt. Itaq̃ uides Christo oĩa esse bñdicta, ꝓpterea ꝙ ipse uere sit bñdictus. Hęc aũt de Christo prędicantur, non tm̃ personę ipsius gratia, sed maxime oĩm, ꝓpter nos, ad ꝙs affert & cũ quibus cõmunem habet suã bñdictionem, si eum fide agnouerimus, & efficiamur mẽbra eius per fidẽ. Oĩa pura, inq̃t Paulus, puris. Sic oĩa bñdicta bñdictis. Bñdictus aũt est, qui accipit fide sua Christum bñdictum. Itaq̃ bñdicta ei sunt paupertas, afflictio, mors. Quid ergo dicemus de pctõ? Nũ quia credenti in Christum oĩa sunt benedicta, erit ne ipsi etiam pctm̃ bñdictum ꝓpter Christum? Pctm̃ natura sua maledictũ est. Quare manens pctm̃, nõ potest fieri bñdictum. Sed Christus suscipiẽs in se supplicia pcti, expiauit pctm̃ corã Deo, ut pręteritũ pctm̃ credẽti in Christũ remitteretur, prędens adhuc in carne hærẽs, non imputaretur, & futurꝝ per spm̃ sanctũ caueretur. Ioãnes ait: Christus apparuit, ut pcta nostra tolleret, & pctm̃ in eo non est. Oĩs qui in eo manet, nõ peccat. Et mox: Oĩs q̃ natus est ex Deo, pctm̃ non cõmittit etc. Quare ꝙ quis magis per Christũ bñdictus est, eo lõgius a maledictiõe pcti abest. Deinde, dicit surdos audituros Euangeliũ, cęcos recepturos uisum, afflictos et pauperes consecuturos lętitiã, & in fine, errãtes spũ fore intelligẽtes, hęc oĩa eo intelligẽda sunt, ꝙ Christus eligat contẽpta huius mundi, & contẽnat excellẽtia. Recitãtur aũt ista ad confirmandã fidẽ miserorꝝ et calamitosorꝝ hoĩm, & ad retinẽdos eos in obedientia uocatiõis Euãgelij Christi. Initio reuelati Christi eligebantur Apostoli hoĩes contẽptissimi, reꝓciebãtur aũt Põtifices, Pharisęi et Scribę, q̃ erãt summi in populo Dei. Nõ est aũt mirandũ, si sępe ac multũ uenit in mentẽ Apostolis, ac reliquis discipulis: Quid? Vos ne miseros hoĩes et pauciss imos elegit Deus, prę tot Principibus et Pontificibus, ac supremis in Ecclesia Dñi? An Deus abꝛiciet tãtam excellentissimorum hominum multitudinem, & uos paucos longe omnium miserrimos hoĩes, solos respiciet? Tenet & eadem cogi-

tatio ſollicitos pios, q̃ hoc tempore agnoſcunt Euãgelion Chriſti. Cum.n. uident potentiſsimos Monarchas Euangelio obſiſtere, & eos, qui fidem Euangelij profitentur eſſe infœlices, ſollicitãtur putare ſe paucos & abiectos hoïes nõ reſpici a Deo. Et quõ tot clariſſimi ac potẽtiſsimi hoïes damnarentur, ac pauci tm̃, & miſeri ſeruarentur? Sed his cogitationibus obuiam eundum eſt prophetica cõcione Eſaiæ, qui longe ante prædixit fore, ut reiecta multitudine ſapientiſsimorũ & ſummorũ hominum, pauci abiecti homines ſurdi, cęci, & imperiti agnoſcerent Chriſtũ, & ſeruarentur. Et in Luca dicit Chriſtus: Noli timere puſille grex, quia cõplacitum eſt Patri ueſtro dare uobis regnũ. Quare nõ moueat nos multitudo & magnitudo pugnantium cum Euangelio Chriſti, ut deſerto eo ſequamur impietates gentium, ſed conſolentur nos uaticinia Prophetarum, quibus adnunciatum eſt fore, ut cęci & claudi intrent in regnũ cœlorum, cum interim uidentes & integri excludantur. Præterea docet Eſaias quem fructum afferat fides in Chriſtum. Addẽt, inquit, afflicti lætitiam in Dño, & pauperes exultabunt in ſancto Iſraelis. Et mox: Sanctificabunt ſanctũ Iacob, & Deũ Iſrael prædicabũt &c. Nam fides in Chriſtũ, primum efficit lętitiã, & exultationẽ in conſciẽtia coram Deo. Hoc non potuerũt efficere ulla opera legis. Cũ enim non perfecte fiant ab hoïe, ſemper relinquũt in eo triſticiã, & metum, imo excitant non incertam expectationẽ mortis & inferni, quia lex dicit: Maledictus oĩs, qui non permanet in oĩbus ſermonibus legis huius. Fides aũt in Chriſtũ, quia agnoſcit a Chriſto tyrãnos eſſe oppreſſos, pctm̃ expiatum, Satanã uictum, mortẽ ſuperatam, concipit ſummã lætitiam, & certiſsimam expectationẽ perpetuæ ſalutis, quæ unicuiq; in Chriſtũ crẽdẽti ꝓmittitur ꝓpter Chriſtũ, & nõ ꝓpter opera, ne quis ad dubitationem ſollicitetur. Deinde fides efficit in credẽte ſanctificationẽ noĩs Dei, uidelicet, ut incipiat in nouitate uitæ ambulare, celebret nomen Dñi tam uerbis q̃m operibus, et ducat uitã filio Dei, & hærede cœleſtis regni dignam.

CAPVT XXX.

VÆ FILII DESERTORES DICIT DOMINVS, VT FACERETIS CONSILIVM &c.

Non ſolum hoc nomine illuſtris eſt Eſaias, q̃ clariſsime omnium de Chriſto & regno eius concionatus ſit, uerumetiam quod autor fuit Ezechiæ regi abolendæ Idolatriæ, & inſtaurandæ Eccleſiæ in regno Iudæ, & quod in incurſione Aſsyriaca ſeruauit urbem Hieruſalem, adeoq; multa inſignia miracula ſub rege Ezechia edidit. Cum igitur Aſsyrius Sancherib incuteret incurſiõe ſua maximum

xímum metũ principibus & ciuibus Hieruſalem, Eſaias habuit excellentes conciones, quibus uel confugiẽtes ad Ægyptiaca auxilia in uiam reuocaret, uel puſillamines in officio contineret. Harę concionũ aliquot nũc ſequũtur, qbus poſtea additur hiſtoria de Saneherib, ut ex ea hæ conciones magis perſpicuę fiant. Continetur & hæc hiſtoria in iiij. Reg. xviij. & xix. Et ij. Paralip. xxxij. Porro, prima cõcio, quæ recitatur in hoc trigeſimo cap. reprehẽdit eos, qui in incurſione regis Aſsyriorum ſtatuebant uocare auxilia ex Ægypto. Etſi enim hiſtoria nõ tradit, num Ezechias ipſe, una cum Principibus ſuis, an, quod ueriſimilius eſt, Principes tm̃, cõniuente, aut etiã repugnante Ezechia decreuerint auxilia ex Ægypto aduerſus Saneheribum uocare, certũ tñ eſt, non tam ex hac concione Prophetę, quam ex legatione Saneheribi Principes & ciues Hieroſolymitanos Ægyptiaco auxilio plurimũ confiſos, & omnino ſtatuiſſe, ſe eo uſuros. Iubent enim legati Saneheribi dicere Ezechiæ. In quo confidis, ut audeas rebellare? An ſperas in baculo arundíneo, & cõfracto Ægypto? Super quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam. Sic eſt Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in ipſum. Et mox: An fiduciam habebis in Aegypto ꝓpter currus & equites? Hic manifeſte uides, qꝺ in incurſione Aſsyriorę in regnum Iudę, Hieroſolymitani tractauerint de uocando auxilio ex Aegypto. Etſi autem per ſe non eſt impiũ in periculis uti auxilio proximi, tamen ſpiritus ſanctus in inſtituendo rege Deut. xvij. haud obſcure ſignificat, Iſraelitis non utendum eſſe auxilio Aegyptiorę, qui oppreſſerint ipſos magna tyrannide, & a quibus Deus liberauerit eos multis miraculis. Ac præter hoc generale uerbum Dei accedebat nunc in incurſione Aſsyriorę ſpeciale mandatum, quod reuelatum erat Eſaię, ne in Aegyptum ad uocãda auxilia proficiſcerentur. Quare, cum contempto uerbo Dei, nihilominus aſpirarent ad auxilia Aegyptiaca, inſtituit Eſaias contra eos hanc concionem, cuius hęc eſt ſumma. Vos Principes Hieroſolymitani grauiter peccatis, qꝺ neglecto mandato Dei uocetis auxilia ex Aegypto, quia ea nihil uobis proderunt, imo potius qꝺ nec reprehenſorem quidem ueſtri cõſilij tolerare æquo animo poſsitis, afferet uobis magna incommoda. Sed hoc exigit Deus a uobis, ut contenti ueſtris domeſticis uiribus, confidatis in ipſum, & expectetis quieti ab ipſo auxiliũ, quia uos mirabiliter liberabimini, Aſsyrij aũt horribiliter interibunt. Hæc eſt ſumma cõcionis quæ in hoc capite cõtinetur. Nũc audiamus Eſaiã ipſum. Væ, dicit Dñs, deſertoribus & defectoribus, qui contẽpto meo uerbo, quo promiſi ipſis auxiliũ in incurſione Aſsyriaca, ſequuntur ſua carnalia conſilia, & qꝺ cõtra ſpũs ſancti mei ſententiã, quęruntaliena auxilia quo ꝓtegã

tur: uel qui conflant conflatile, hoc est, qui nō fidunt mea promis-
sione, sed sibijpsis excogitant auxilia, quibus tanq̄ cōflatili aut scul
ptili confidant. Itacp addunt pc̄tm̄ pc̄tō. Peccarunt antea, cp defece
rint a uerbo Dñi, & secuti sint suas cupiditates. Nunc addunt hoc
pc̄tm̄, cp ne audire quidem uolunt reuocantem in uiam, & iubentē
fidere diuina promissione. Etsi. n. prohibitū est uerbo Dñi, ne quę
rant auxilia Ægyptiaca, tm̄ abeunt perfricta fronte nō interrogato
ore Dñi, in Ægyptum, & quęrunt fortitudinem suam, non in forti
tudine Dei, sed in fortitudine Pharaonis, adeocp collocant omnem
fiduciam suam in auxilijs Ægypti, sub quibus sperant se satis tutos
fore. Sed lōge aliud est consiliū Dei. Fortitudo. n. Pharaōis erit uo
bis in confusionē, et fiducia umbrę seu auxilij Ægypti ad ignomini
am. Quanq̄. n. Principes ipsi, et legati eorꝝ proficiscūtur ad Zoan,
quam Taphnis uocant, & ad Hanes, quę sunt prę cipuę urbes Ægy
pti, ut inde adducant auxilia, tm̄ non referent ex ijs auxilijs nisi sum
mam confusionē & opprobriū, propterea cp nullam possint affer-
re utilitatem, nec quicq̄ prodesse. Et quanq̄ iumēta onerentur sarci-
nis plenis pecunia, & imponantur super dorsa asinorꝝ, & gibbos ca
melorꝝ magni thesauri, qui uehūtur de Hierusalē ad austrꝝ ad meri
diem seu Ægyptū, per desertum, per regionē horridā, in qua sunt
Leones, leęnę, uiperę & serpentes igniti, tm̄ hi thesauri nihil prode
runt, & populus, ad quē uehuntur, nihil auxilij in uos conferent: a-
deocp probe cōuenit, ut hæc pecunia uehatur per desertū per regio
nem horribilē, in qua sęuę bestię habitāt, quia nihil prę ter horrorē
& calamitatē atcp afflictionē reportabitis. Vanum. n. & inane erit
omne auxilium Ægyptiacū. Ideo clamaui super hoc: Superbia tm̄
est, quiesce. Quod uulgata tralatio habet: Superbia tm̄ est, q̄esce,
interpretetes uarie transferunt & intelligunt. Alij sic intelligunt.
Quia auxiliū Ægypti erit inutile, ideo clamo ad ipsam, uidelicet ur
bē Hierusalē, ut q̄escat. Quietē. n. fore robur ipsorꝝ. Hi putāt רחב
Raab esse nomen appellatiuum. Alij sentiunt Raab dici Ægyptū,
Psal. lxxxvi. Memor ero Raab & Babylonis, scientiū me. Et Esa. li.
Nonne tu percussisti Raab, uulnerasti draconē? Est igitur sentētia.
Cū res sic se habeat, idcirco publice clamo & dico, cp Raab seu Æ-
gyptus, alioqui sic satis elata & superba, cessatura sit, nec ullum in
uos auxiliū collatura. Sed hic sistamus gradū, & attingamus breui-
ter nonnulla. Descendunt, inquit, in Ægyptum, nec interrogauē-
runt os meum. Exprobrat principibus ludæ, quod quæsiuerint au
xilia Ægyptiaca, non consulto Domino. Docet igitur nihil nec pu
blice nec priuatim suscipiendum, nisi ante os Dñi interrogetur, &
Deus consulatur. Quomodo ergo, inquis, interrogatur Dñs? quō
consulitur Deus? Num ascendendum est in cœlum, & irrumpen-

dum

dum in penetralia diuinorum mysteriorũ? Sed nullus hominũ hoc facere potest, & si quis hoc conetur, magno suo periculo faciat. Alia igitur uia aggrediendum est. In Mose institutum fuit propiciatoriũ, e quo Deus recipiebat se responsa daturum. Inde, inquiens, præcipiam & loquar ad te etc. Exod. xxv. Et erant sane uarij modi interrogandi Dei publice apud Iudæos. Sententia enim Dei in rebus dubijs perquirebatur, aut Somnijs, aut per Ephod, indumentum sacerdotale, cui erat affixũ Hosen, seu rationale iudicij, in quo erant duodecim gemmæ, aut per Prophetas. Hos enim tres modos perquirẽdę sentẽtiæ Dei significat scriptura. i. Samuel. xxviij. Saul consuluit Dominum, & non respõdit ei, neq; per somnia, neq; per Vrim, hoc est, per sacerdotes, qui induto Rationali, in q̃ erãt Vrim & Thumim responsa Dei quærebant, neq; per Prophetas. Atque his quidem modis interrogandę sententiæ Dei diuinitus ostensis, licebat Israelitis suo tempore uti. Gẽtes autem perscrutabantur sententiam Dei augurijs, auspicijs, somnijs non immissis diuinitus, per Pythones, per incãtatores, & a mortuis. Sed ut illa Israelitica erant personalia, & suo tempore abrogata sunt, ita hæc gentium fuerũt impia & Satanica. Quare, cum Moses docturus esset quomodo certissima ueritas salutis nostrę a Deo quærenda sit, auocat nos ab omnibus illis ritibus interrogãdi Dei, & remittit nos ad audiendũ Prophetã, quem Deus sit missurus, hoc est, ad audiẽdum Christũ. Sic enim Deut. xviij. ait: Caue ne imitari uelis abominationes gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filiũ suum aut filiã per ignẽ, aut qui ariolos scisscitetur, & obseruet somnia, atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neq; pythones consulat, nec diuinos, nec quærat a mortuis ueritatem. Et mox: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dñs Deus tuus, IPSVM audies &c. Hic iubet Moses ueritatẽ & sententiam Dei perscrutari a Messia seu Christo. IPSVM, inquit, Audies. Quid ergo hic nos docet? Docet Euãgelion suũ, quod missus sit a Patre suo cœlesti, ut expiet peccata nostra, & uincat mortem, ac impetret nobis, ut quicunq; credit in ipsum, reputetur iustus, adoptetur in filium Dei, & consequatur cœleste regnum per fidem, propter ipsum. Hoc Euãgelion audiendum & credendum est. Quare si aggrediendum est tibi aliquod opus seu negocium, in quo cupis scire sentẽtiam Dei, & euentum rei, primum omnium agnosce Christum, audi Christũ, & crede Euangelio eius, ex quo certus efficieris, quod Deus sit tibi ꝓpicius, & faueat tibi, ac tueatur te in oĩbus uijs tuis. Deinde confer opus seu negociũ suscipiendũ cũ uerbo Dñi, uidelicet, nũ id q̃d aggrederis, sit a Dño mandatũ, aut prohibitũ, aut permissum, seu adiaphoron. Si est mandatũ, manifesta est sentẽtia Dei, q̃ sit faciem

dum,& quod Deus uelit illud fortunare. Si est prohibitum,manifesta est sententia Dei,quod sit fugiendum, ac deuitandum. Si autem est per se adiaphoron,considerandæ sunt circũstantię, ne quid peccetur hoc opere aduersus manifestum uerbum Dei. Exẽpli gratia. Princeps quispiam pius suscepturus aut propulsaturus est bellum,& cupit cognoscere sententiam Dei. Primum omnium audiat Christum,audiat Euangelion eius,in quo promittitur ei Deus propicius propter Christum,per fidem. Itaq; per Euangelion certificatur,Deum fauere ipsi,si crediderit in Christum: deinde consideret bellum,quod est suscepturus aut propulsaturus, sit ne iustum & legitimum,an iniustum & illegitimum, id quod cognoscet ex ratione sui officij,& ex publicis legibus aut pactis. Itaque si cognouerit esse iustum,& exigi ab officio,manifesta est sententia Dei,quod faueat bello,& uelit Principem seruare, etiamsi in eo occubuerit. Si uero fuerit iniustum, & illegitimum,manifestum est, quod Deus odio habeat,& daturus sit uel tandem infœlicem euentum. Priuatus quispiam pius alio translaturus est sedem habitationis suæ,aut profecturus ad mercatum,aut ducturus uxorem,& cupit scire,quæ sit sententia Dei in hoc negocio, primum debet audire Christum, & Euangelion eius, ex quo cognoscit, Deum esse ipsi propicium, & tueri ipsum propter Christum,si in eum crediderit. Deinde expendat institutum suum,num profectio eius ad aliena loca,sit ex uocatione & officio,num ad ineundum coniugium sit diuinitus ordinatus. Num liceat ipsi hanc quam cupit, in uxorem ducere,num utatur ad hoc institutum legitima ratione. Hæc si diligenter fuerint expensa, haud difficulter cognoscetur,quæ sit sententia Dei, & an institutum sit futurum fœlix,an infœlix. Sed in tali deliberatione, longe aliter de fœlicitate aut infœlicitate sentiendum est,quam caro intelligit. Nam caro putat hoc tantũ esse fœlix, quod habet prosperum & iucundum euentum in hoc seculo,sensibiliter. Pijs autẽ omnia ea pro fœlicitate computantur,quæ euenerint ipsis, postq; credunt ex Euangelio Deum esse ipsis propicium,& faciunt, quod iustum ac rectum est,siue ea extrinsecus uideãtur prospera,siue aduersa. Diligentibus Deum,inquit Paulus, omnia adiumento sunt in bonum. Et,Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus mea in infirmitate perficitur. Sed de eo modo,quo Deus pie interrogatur, satis nũc dictum est. Deinde,cum Propheta reprehendit suos ciues,q; quæsiuerint auxilia Ægyptiaca,non hoc agit,quod in periculis non liceat per se,uti uel alieno auxilio,uel suis armis, cum Dauid in persecutione Saulis fugerit ad Philistinos, ut esset potentia eorum tutus ab aduersario suo: & Ezechias, cuius tempore Propheta hanc concionem habuit,expedierit arma sua,& munierit urbem,quemadmodum

Auxilia quatenus probentur.

admodum ſcriptum eſt ij. Paralip. trigeſimo ſecundo. Sed Propheta hoc uult, quod impium ſit uti & confidere eo auxilio, cuius uſus uerbo Domini manifeſte prohibetur. Sicut uſus Ægyptiacorum auxiliorũ prohibitus erat Iſraelitis, tam generali mandato, Deut. decimoſeptimo, q̃ ſpeciali reuelatione, in incurſione regis Sanheherib, quæ reuelatio facta erat Prophetæ Eſaiæ, quẽadmodum in hoc cap. & ſequẽti perſpicue traditur. Cum ergo hic dicitur: Fortitudo Pharaonis erit uobis in cõfuſionem. Et mox: Omnes confuſi ſunt ſuper populo, qui eis prodeſſe non poterat, docet ſpiritus ſanctus, q̃ nihil ſit fœlix ac fortunatum, quod aduerſus uerbum Domini, & inique paratur. Moſes ait: Si non audieris uerbum Dñi Dei tui, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreũ tuum &c. Vnde & ſi oratio Rabſacis ad legatos regis Ezechiæ impia eſt, & blaſphema, tamẽ hoc quod de Ægypto ait, recte dicitur: In quo, inquiens, cõfidis, ut audeas rebellare? An ſperas in baculo arundineo, atq̃ confracto, Ægypto? Super quem ſi incubuerit homo, cõminutus ingredietur manum eius & perforãbit eam. Sic eſt Pharao rex Ægypti omnibus, qui cõfidunt in ſe. Non aũt Pharao tantum talis eſt, uerumetiam omnia, quæ uel impietate, uel iniquitate parantur. Exempli gratia, opes, magiſtratus, honores, uxor etc. Idem docet Propheta, cum addit, Iumenta & camelos portare diuitias & theſauros, ſeu magnam uim pecuniæ ad Ægyptum, quibus auxilia Ægyptiaca parentur. Dicit enim, Portantes ad populũ, qui eis prodeſſe non poterit. Nam unde hęc pecunia, qua milites Ægyptiaci conducebantur, parata ſit, paulopoſt ſignificat: Speraſtis inquiens, in calumniam & tumultum, hoc eſt, in pecuniam, ſeu opes partas iniquitate & impoſturis. En hic eſt euentus talis pecuniæ. Comparatur magno labore & aſtu, ſed nullus eſt fructus eius, præterq̃ q̃ conijciet poſſeſſorem in maxima diſcrimina, & extrema pericula. Hæc eo recitantur, ut non ſtudeamus opes noſtras augere malis artibus, ſed ut diſcamus iuſte agere, & contenti eſſe eo, quod legitime conſequi poſſumus.

NVNC ERGO INGRESSVS SCRIBE EI SVPER BVXVM &c.

Audiuimus concionem, qua Eſaias reprehendit Principes & ciues ſuos Hieroſolymitanos, q̃ quærant auxilia in Ægypto. Sed tãtum abeſt, ut obedienter hanc cõcionem exceperint, ut potius eam ſummo contemptu faſtidierint, & maluerint nugas quaſdam ineptas & impias, q̃ uerbum Domini audire, quemadmodum mox ſequitur. Quid ergo? Num quia impius populus non uult audire legem Dei, Eſaias obſequitur uoluntati eorum, & abijcit officiũ concionandi? Nihil minus. Sed cum impij nolunt audire cõcionem uo

ce pronunciatam, iubet Deus eam literis mandare, & scriptis uulgare, ut si ipsi nolunt uel audire, uel legere, & resipiscere, posteri cognoscant, quanta fuerit impietas eorum, & supplicio eorum eruditi, ad pœnitentiam inuitentur. Nunc uade, inquit Dominus ad Esaiam, & scribe eis concionem hanc in tabulam, & manda eam literis, ut sit ad posteritatem, perpetuum testimonium. Nolunt hoc tempore audire & obedire uerbo Domini, uocantis eos ab Ægyptiacis auxilijs, & ab omnibus impietatibus ac iniquitatibus, ad ueram fidem in Deum, & ad rectos fidei fructus. Scribe ergo conciones tuas, ut propagentur ad omnẽ omnium seculorum posteritatem, quæ cognoscat, iustissimo Dei iudicio factum esse, ut impij Israelitæ nõ solum e regione sua eijciantur, uerumetiã ex hæreditate cœlestium bonorum excludantur. Hic enim populus rebellis est, ac filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Dicunt Prophetis, quos uocant Videntes: Nolite uidere, nolite prophetare seu uerbum Domini adnunciare. Dicunt contemplatoribus, hoc est, concionatoribus: Nolite contemplari seu concionari, quæ recta sunt. Sed loquimini nobis blanda & iucunda. Videte seu dicite nobis impostoras, docete nos, quibus artibus queamus proximõ nostro imponere, & argentum ab eo emungere. Hoc multo gratius nobis erit, ꝙ quod declametis de ratione, nescio qua, pœnitentiæ. Obtunditis nos in concionibus uestris de timore Domini, de fide in Dominum, de caritate in proximum. Inculcatis nobis, ut sectemur ea tantum, ad quæ nos uocat Sanctus Israelis. Hæc est tota summa uestræ doctrinæ, & hæc est uia, hæc est semita, hęc est unica ratio uestra docẽdi. Nos uero hanc uiam & rationem plane fastidimus. Nolumus ut ista seu uulgata, seu uana nobis inculcetis: Sed dicite nobis de multis equitibus & militibus, docete nos uiam, qua possimus magnam uim pecuniæ parare, ut congregato mercenario milite ex Ægypto, propulsemus incursionem hostis, & ducamus iucundam uitã in terra nostra. Talis una concio multo plus delectabit nos, quam si mille conciones de uestris illis, nescio quibus, rebus habueritis. Cum ergo tanta sit impietas uestra, ut uerbum Domini uobis summo sit fastidio, agite dum, audite quid dicat Sanctus ille Deus, qui Israelem in populum suum elegit, & se ex eo Christum suum daturum promisit. Pro eo quod reprobatis uerbum hoc, promissionem uidelicet, qua recepi me uos ab hostibus defensurum, & conseruaturę in omnibus aduersis, & speratis in calumniam & peruersitatem, hoc est, in opes & diuitias, quas impostoris, calumnijs, iniquitatibus, & malis artibus acquisiuistis, & quibus hoc tempore suscipitis uocanda auxilia ex Ægypto, Idcirco propter hanc iniquitatem accidet uobis extrema internecio. Nam quemadmodum prælatus murus,

si

si incipiat turgescere, & acceperit fissuram, solet subito, præter omnem expectationem decidere: ita uos fuistis quidem hactenus benedictione Domini sublimes & illustres, sed quia incepistis diffindi ruptura impietatis, ueniet tempus, quo in extremum interitum ex improuiso decidatis. Et sicut cadente ingenti lapide testaceum uasculum figuli, tãta comminutione conteritur, ut ne testa quidem inueniatur, qua ignem de foco excipias, aut qua aquam e cisterna haurias: ita & uos, qui hactenus fuistis uasa misericordiæ Dei, ita opprimemini, ut uix aliquæ reliquiæ saluę fiant. Dicet autem quispiam: Tu tantum reprehendis nos, quod quęramus auxilia in Ægypto. Non autem ostendis nobis, quid faciendum sit, ut uoluntati Dei obsequamur. Facile quidem est errantem reprehendere, sed non est facile rectam uiam ostendere, & ab errore in rectam uiam ducere. Si ergo non sunt uocanda auxilia ex Ægypto, quid faciamus? Respondit Esaias: Sic dicit Dominus Deus, Sanctus Israelis: In requie, & quiete seruabimini. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Non seruabimini, hoc bellico tumultu, quo excitatis auxilia ex Ægypto. Hæc auxilia, non erunt fortitudo uestra, sed consequemini salutem & liberationem ab hoste, si contenti uestris uiribus, domi uestræ tranquilli manseritis, & confisi fueritis diuino tantum auxilio. Hoc silentium, hæc quies, hæc tranquillitas, & hęc fiducia diuini auxilij erit fortitudo & salus uestra. Sed quid uicissim uos facitis? Exposui uobis sententiam Domini, qua iubet uos tranquillo esse animo, & expectare certa fiducia ab ipso auxilium. Vos autem contemnitis hoc consilium Dei. Dicitis: Non sedebimus ocioſi & ignaui, expectantes donec assata columba deuolet nobis in os nostrum. Sed fugiemus ad equos. Fugietis igitur. Et iterum dicitis: Equitabimus in animalibus cursu uelocibus. Veloces igitur erunt persecutores uestri. Tanto enim metu contremiscetis, ut unum mille uestrum fugiet unius tantum hostis increpationem. Hostis non fugabit uos gladio, sed tantum uerbo seu increpatione. Nec unus tantum fugabit mille, sed quinque ex hostibus sola sua increpatione fugabunt uos omnes, ut quemadmudum in sylua cædua, relinquitur in montibus & collibus, omnibus alijs arboribus abscisis, una tantum aut altera arbor, quasi malus nauis, aut quasi erectum uexillum, ita pauciſsimi ex uobis salui euadent. Sed hactenus percurrimus textum. Cum autem Propheta ipse testetur hæc scripta & literis mandata esse propter posteritatem: Exara illud (inquit Dominus) diligenter in libro, ut propagetur usque ad extremum diem, ad æterna secula, uideamus quæ nobis in his præcipue obseruanda proponuntur. Vaticinatur ergo Propheta, quod & si Israelitæ electi sunt in populum Dei, tamen abiciendi

Ein tausendt. Leuit. 26. Deut. 32. in cãtico Mosi.

sint a Deo ab eo tempore, quo contemptis promissionibus Dei, quæsiuerint auxilia Ægyptiaca. Postquam enim Esaiæ temporibus inceperunt magis humano & externo auxilio, quam diuina promissione confidere, inceperunt etiam ruere, donec penitus interierunt. Ac initio quidem corruerũt captiuitate Babylonica, quę ruina fuit, quemadmodum si murus ceciderit, in quo casu remanent tamen lapides, ut iterum possit ædificium instaurari. Sic & Iudæi iterum post Babylonicam captiuitatem restituti sunt utcunque in aliquam formam politiæ. Deinde autem corruerunt Romana uastatione, quę ruina fuit, sicut si uas figulinum conteritur ab ingenti lapide. In qua contritione, ne testa quidem relinquitur integra, ut possis aquam haurire. Sic & Iudęi in Romana uastatione ita contriti sunt, ut non solum nunquam receperint suam terram, & politian, uerumetiam excluſi sint ex hæreditate cœlestium bonorum, ac pauciſsimi ex ipſis, qui agnouerunt Christum, uere seruati fuerint. Quid ergo causæ est, quod populus Deo tam dilectus, ad hunc modum tam horribiliter sit contritus? Causam exponit Propheta ipse: Populus, inquiens, rebellis est, filij mendaces, contemptores legis Dei. Non solum non resipiscunt a malis suis, uerumetiam nolunt doctrinã resipiscentię audire. Vetãt, ne adnuncietur uerbum Dñi, iubent, ut potius de nugis & impostoris q̃ de uera resipiscẽtia prædicetur. Quid plura? Vt Prophetas contẽpserunt, qui de Christo adnunciauerunt, & propter Christũ salutẽ promiserunt, ita postquam uenit Christus ipse, contempserunt ac abiecerunt eum. Quare merito sunt & ipsi a Deo abiecti & condemnati. Habes ergo quod non peccata, sed contemptus Christi, nolle Christum agnoscere, nolle uerbum Domini audire, & per Christum à peccatis resipiscere, afferat exitium & condemnationem. Hæc, inquit Christus, est condemnatio, quod Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Nam quemadmodum ægrotatio corporis, minatur quidem mortem, nondum autem ualde periculosa est, si quis agnoscat se ægrotare, & admittat cibum, ac medicinam. Si uero quispiam in ægrotatione eò insaniæ processerit, ut neget se ægrotare, nec audiat bene consulentem, nec admittat medicinam, nec retineat ullum cibum, is iam ad mortem usque ægrotat: ita si quis peccauerit aduersus præcepta Dei, & si meritus est æternam pœnam, tamen adhuc reliqua est salus, si agnoscat peccata, audiat Euangelium Christi, & utatur medicina eius, ad peccatorum remissionem per fidem. Firma enim & fixa est sententia Dei, quod uelit omnia peccata punire æterna morte. Sed interim proposuit Christum filium suum pro medicina & remedio, qui susceptа in se cruce & morte, expiauit

uit peccata, & uicit mortem, ut quotquot in ipsum credunt, consequantur liberationem a morte, & collocentur in æterna uita. Qui autem peccatis ita immersus est, ut non solum non agnoscat ea, uerumetiam non ferat peccatorum ostensorem, nec ferat medicinæ demonstratorem, qui est concionator Euangelij de Iesu Christo, quo solo potest homini salus contingere per fidem, profecto is tam periculose peccatis suis laborat, ut donec in eo contemptu fuerit, nulla reliqua sit spes salutis eius. Quare, cum Iudæi non solum peccassent, uerumetiam abominarẽtur peccati expiatorem, Christum, iusto Dei iudicio traditi sunt in extremam internecionem. Metuendum autem est, ne idem, quod Iudæis, etiam nobis accidat. Peccauimus impietate, idolatria, abusu nominis Dei ad execrationes, ebrietate, helluatione, impostur is, scortatione, adulterijs, & multis alijs uicijs, quibus meriti sumus æternam pœnam. Sed Deus reuelauit nobis clementer Euangelion Christi sui, quo offert nobis remissionem omnium peccatorum, si modo crediderimus in Christum, & resipiscamus. Quid ergo fit? Pars hominum toto tempore concionum suas res domi, aut foris agunt: pars ociosi stant in foro, nugantes: pars, & si ingrediuntur ad audiendas conciones Euangelij, tamen adstant animo prorsus alieno, nulla cura afficiuntur uerbo Dei. Alij non solum negligunt auditum Euangelij, uerumetiam afficiunt Euangelion & prædicatores eius multis conuicijs & contumelijs: alij etiam crudeliter persequuntur. Maxima hominum pars, etiam eorum qui uidentur agnoscere Euangelium, retinent adhuc in corde ueterem impietatem Missarum Papisticarum, quæ si restitueretur, nulla tergiuersatione eam sectarentur. Sunt, qui ex Euangelio sumunt maiorem licentiam peccandi. Breuiter, nihil plane nobis deest ad horribilem & extremum interitum. Atque his quidem temporibus murus incepit diffindi, & rumpi, uas figuli cœpit habere foramẽ. Nisi resipiscamus, futurum aliud non est, q̃m ut murus cadat, & uas ita conteratur, ut ne testa quidem superfit, in qua ignem e foco feras. Deinde proponitur nobis in hac concione Esaiæ memorabile dictum, quod est alta mente reconden dum, & in usum nostrum in omnibus negocijs nostris transferendum. In requie, inquit, & quiete, seruabimini. In silentio seu tranquillitate & spe erit fortitudo uestra. Hoc dictum non iubet nos ocioſos & ignauos esse in nostra uocatione, & expectare donec nobis somnolentis de cœlo auxilium ueniat, Sed primum uetat nos esse in negocijs nostris sollicitos de alieno auxilio: iubet autem nos tranquillo animo nostræ uocationi seruire, & ea facere quieto animo, quæ nostri sunt legitimi officij. Deinde iubet nos tantum a Deo auxilium & salutem certa fide sperare & expectare.

Quod ut rectius intelligamus, explicabimus aliquot exemplis. Sumamus autem initio illud, de quo Esaias in præsentia conciona/tur. In incursione regis Saneherib, Principes Hierosolymitani, non curabant conciones Esaiæ, non obseruabant quæ esset sententia uerbi Dei, sed tumultuabantur de uocandis auxilijs ex Ægypto, negocioſissimi erant in corradenda pecunia, ad conducendos milites mercenarios ex alienis regionibus, ut hosti obuiam ingenti exercitu procederent. Dicit ergo Esaias: Hi tumultus & hæc operosa negocia non erunt uestra salus & fortitudo, Sed tranquillitas animi, & fiducia in Deum. Ponamus igitur manum in sinum nostrum, & nihil rerum prorsus agamus, ut hostis arceatur? Non hoc uult Esaias, Sed uult ut suum officium tranquillo & pio ac fidenti animo faciant, parēt sua arma, muniant suam urbem, interim bene confidant de diuino auxilio, nō tumultuentur autem de uocandis alienis auxilijs. Exemplo est rex ipse Ezechias ij. Paralip. xxxij. qui postquam urbem Hierusalem muniuerat, & reliqua ad bellum necessaria, pro suo officio parauerat, cohortatus est ciues suos magna pietate ad tranquillitatem animi & fiduciam in Deum. Viriliter, inquiens, agite, & confortamini. Nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & uniuersam multitudinem, quæ est cum ipso. Multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo. Cum illo est brachium carneum, nobiscum DOMINVS Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis &c. Non igitur prohibetur hoc dicto officium, Sed potius exigitur, ut officium nostrum, sed sine tumultu, & incredulitate, faciamus. Aliud exemplum. Pauper quispiam quærit familiæ suæ uictum, seu panem quotidianum. Si ergo fuerit piæ doctrinæ aut ignarus, aut contemptor, solet tumultuari in negocijs suis, Laborat diu noctuque, ac non tantum profestis, uerumetiam festis diebus. Quod si res non succesſerit in uno opificio, suscipit aliud post aliud exercendum. Sed quid fit? Hic negociorum tumultus nec parat panem quotidianum, nec parat diuitias. Id quod etiam uulgata prouerbia testantur: Siebezehen handtwerck, achtzehen ungluck. Item, Zehen handtwerck, ein bettler. Esaias autem dicit: In quiete & requie seruabimini. In tranquillitate & spe erit fortitudo uestra. hoc est, Tum parabitis panem quotidianum, cum tranquillo animo, & firma fiducia in Deum feceritis uestrum officium. Vnde & Psalmus centesimus uigesimusseptimus ait: Frustra est mane surgere, & sero cubitum ire, & magnis curis panem edere. Nam dilectis suis dat etiam dormientibus. Aliud. Ægrotat quispiam corpore. Quod si incredulus fuerit, efficitur impatiens, quærit undiquaque remedia. Non contentus est ordinarijs

ordinarijs & parabilibus medicinis, requirit etiam exoticas, imo & Satanicas apud Incantatores. At hoc tumultu conquirendæ medicinæ non seruatur ægrotus. Quid ergo faciendum? Audi dictum Esaiæ. In requie & quiete seruabimini. In silentio seu tranquillitate & spe erit fortitudo uestra. Si uis conualescere siue corpore, siue perpetua salute, tolera manum DOMINI patienter, sis tranquillo animo, quo licebit tibi ordinaria & parabili medicina uti, & bene spera de diuino auxilio propter Christum filium Dei. Hæc est salus, hæc est fortitudo nostra, &c. Huc pertinet etiam illud quod supra Esaiæ capite septimo dicitur ad Ahaz: Vide ut Sileas. Noli timere, & cor tuum ne formidet. Et Moses Exod. decimoquarto. Nolite timere. State & uidete magnalia Domini, quæ hodie facturus est. Et Hieremias in Threnis capite tertio: Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini, &c.

PROPTEREA EXPECTAT DOMINVS VT MISEREATVR VESTRI, &c.

Esaias hortatus est Principes & ciues suos, ne in incursione regis Assyriaci quærant auxilia apud Aegyptios, sed quiescant, & expectent in silentio & spe auxilium a DOMINO. Nunc igitur commemorat causas, cur in hoc præsenti periculo debeant relictis humanis & externis auxilijs a DOMINO Deo tantum sperare auxilium. Vna est, quod Deus promittat eis certam liberationem & urbis conseruationem absq; externo auxilio. Altera est, quod Deus regem Assyriacum minitantem urbis internecionem, mirabiliter sit oppressurus. Et hoc loco Esaias agit non tantum uulgarem concionatorem, sed etiam singularem Prophetam, quod adnunciet ex afflatu spiritus sancti, non solum generalem piorum salutem, & impiorum interitum, sicut solent uulgares concionatores, uerumetiam prædicit certas circumstantias liberationis Hierusalem e præsenti periculo, & interitus hostium incurrentium in regnum Iudę. Dicit DOMINVM conseruaturum externam illam politian urbis Hierusalem, idque hoc tempore, & daturum beneficia conseruandæ politiæ necessaria, uidelicet, Gubernatores, doctores, pluuiam, panem, fertilitatem, & id genus alia. Dicit diserte non tantum exercitum Assyriacum, uerumetiam regem ipsum breui periturum. Hæ & similes futurarum rerum circumstantiæ non possunt, nisi reuelatione spiritus sancti, cognosci. Quare collocemus hanc Esaiæ concionem, in locis præcipuorum miraculorum, quibus autoritas uerbi Dei, quod Esaias prædicauit, confirmatur. Nos percurramus nunc ea, quæ recitat de liberatione & conseruatione urbis Hierusalem in præsenti

periculo incursionis Assyriorum. Propterea, inquit, expectat Dominus, ut misereatur uestri &c. hoc est, Etsi uos uestra incredulitate & iniquitate meriti estis, ut cum confugiatis ad equos Ægyptiacos, mille ex uobis fugiant unum ex hostibus, tamen Dominus promittit uobis uera sua clementia auxilium & liberationem e præsenti periculo. Expectat non ut uos deserat, sed ut interea sese præparet ad liberandum uos clementer. Exaltatur, seu Exurgit, & accingit se, ut uobis parcat, uos defendat, ne hostis uestram urbem expugnet. Non uult committere, ut hostis Assyriacus uos opprimat, quia Deus est Iudicij Dominus. Pro Iudicio Hebræus habet משפט quod significat Iudicium, Ius, regulam, ordinationem, Decretum, constitutionem, & id genus alia. Sententia igitur est: Deus non uult permittere, ut Assyrij hoc tempore, uestram urbem diripiant, quia Deus seruat regulam suam, seruat ius suum, seruat Decreta & ordinationes suas. Constituit autem & decreuit uos de manibus hostium liberare. Promisit se uos ab Assyrio defensurum. Regula & ordinatio Dei est, ut & si abolitum est regnum Israel, tamen regnum Iudæ hoc tempore non aboleatur. Quare estote fortes animo, expectate tantum auxilium Dei, & certa erit liberatio. Beati enim omnes, bene erit omnibus, qui expectant Dominum. Nam hoc uobis certo polliceri possum ex diuina reuelatione, quod populus in Zion habitans, & in Hierusalem tranquillo manens, etiamsi sentiat aliquam afflictionem ex incursione Assyriorum, tamen non flebit, non interibit, non opprimetur, sed Dominus miserebitur uestri, quamprimum clamaueritis ad eum, & faciet uos compotes uoti, quamprimum preces uestras audierit. Ac uidentur quidem nūc omnes agri ab hostibus ita uastati, ut existimetis uos non habituros, unde famem depulsetis. Dominus autem tanta clementia uos tuebitur, ut in hac afflictione & tribulatione daturus sit uobis panem & aquam, hoc est, omnia ad uictum necessaria. Non continebit amplius pluuiam suam, sed dabit eam in tempore suo, ut cum uideas, summam uoluptatem ex ea capias. Et quemadmodum pastor sequens oues suas, dirigit eas uoce sua in rectam uiam, ut hac aut illac eant: ita dabit tibi DOMINVS adhuc gubernatores & ductores, qui te ita regent, ut nec ad dextram nec ad sinistram nimium declines, sed recta uia incedas. Porrō Deus non solum exigit a uobis, ut quieti & tranquilli sedeatis in Hierusalem, nec aduocetis auxilia Ægyptiaca, Sed exigit etiam, ut contaminetis, seu ut sordida & prophana abijciatis sculptilia uestra argento obducta, & simulacra ex auro conflata, ac dispergas ea sicut immundiciam mulieris menstruatæ, dicasq; eis, apage te hinc in malam crucem. Hoc si feceris, benedicet

cet Dominus terræ tuæ, iuxta promissiones Deuteronomij uigesimooctauo, & Leuit. uigesimosexto, Dabit pluuiam semini tuo, ubicunq; seminaueris in terra, & panis seu fructus terræ erit copiosus & uberrimus. Pascentur pecora tua, tempore illo, in pascuis spacioſis. Boues quoque & pulli asinorum, qui colunt terram, comedent purum pabulum, sicut in area uentilatum est. Accedet & hæc fœlicitas terræ, quod eo tempore, quo Dominus interficiet multos hostium Assyriacorum, & deiecerit potentissimos Assyriæ Principes, erunt super montes & colles riuuli aquarum, quibus terra irrigetur. Ac breuiter, quo tempore Dominus alligauerit uulnus populi sui, & sanauerit percussuram plagæ eius, hoc est, cum liberauerit incolas regni Iudæ ab incursione Sancherib regis Assyriorum, & restituerit eos pristinæ suæ libertati, tunc Lux lunæ erit sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum: hoc est, Deus tanta lætitia, tanto gaudio perfundet populum suum, ut uideantur eis Sol & Luna multo clarius lucere, quam unquam antea. Tristibus enim & afflictis Sol & Luna uidẽtur plane obscura. Postquam autem liberati fuerint ab afflictione, & redditi fœlicitati, uidentur ipsis omnes stellæ lumen recipere, & longe omnium clarissime lucere. Quæ autem Propheta hic uaticinatur, ea impleta sunt in Hierusalem, & uniuersa Iudæa, postquam in castris Assyriorum, centum octoginta quinq; milia, per angelum, una nocte occisa sunt, & rex Sancherib turpissime fugit, ac paulo post a suis ipsius liberis interfectus est. Nam quo gaudio miserrimi ciues & incolæ regni Iudæ, qui hactenus extrema quæque metuerãt, tunc affecti fuerint, facile cogitari potest. Etsi autem liberatio urbis Hierusalem, quæ sub Ezechia contigit, personale miraculum est, nec licet in exemplum ita trahere, ut quęuis ciuitas speret sine singulari uerbo Dei externam & plane similem liberationem a suis hostibus, tamen multa in hac concione continentur, quę non minus ad nos pertinẽt, quam ad ciues Hierosolymitanos. Primum em̃, miraculum ipsum, quo seruata est ciuitas Hierusalem, cœleste testimonium est, quod non solum ueriſsimæ & certissimę sint promissiones illæ quas Esaias alias concionatus est, sed etiam quod Deus constanter seruet omnes suas promissiones, quibus recepit se afflictos & miseros sperantes & expectantes ipsum seruaturum ac liberaturę. Nam quemadmodum miraculum, quo Christus excitauit Lazarum quatriduanũ, non quidem eo ualet, ut probet, quemuis mortuum quarto die iterum resuscitandum: ualet autem eo, ut confirmet doctrinam CHRISTI, qua dixit non perituros in morte, quotquot in ipsum credunt, sicut & ipse addit: Ego sum, inquiẽs, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi

mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morie
tur inæternum, ita & hoc miraculum seruatæ & liberatæ urbis Hie
rusalem a Sancherib rege Assyriorum, non probat quidem quam
uis urbem ab hostibus oppugnatam, simili modo liberandam, pro
bat autem & confirmat afflictos, sperantes uere in Dominum, non
deserendos, sed consecuturos diuinam liberationem, si non in hoc
seculo, et externa fœlicitate, certo in futuro seculo, & perpetua, quę
longe omnium optima est, fœlicitate. Deinde insigne est, quod E
saias dicit: Deus est Iudicij Dominus. Hoc dictum recte intelle
ctum, & uera fide acceptum docet nos optimos & præcipuos, acue
re spirituales cultus Dei. Sensus enim est: Deus non est tyrannus,
qui sine discrimine in quosuis pro sua libidine grassetur, & omnia
inter se, nullo plane iudicio, commisceat & confundat: sed est De
us seruans Iudicium, seruans discrimen bonorum & malorum, ser
uans iustas ordinationes, seruans omnes regulas diuini iuris & æ
quitatis. Iusta ordinatio est, ut in Iudicio non præcipitetur senten
tia, nec altera tantum pars audiatur, sed ut tam reus quam accusator
audiantur sufficienter, & concedantur eis termini deliberatorij. Sic
& Deus, quia est Dominus Iudicij, seruat hanc ordinationem, ut
non festinet ad puniendos malos, sed probe exploret maliciam,
num uel designata sit opere, uel spes sit resipiscentiæ, ut uides in
exemplo Diluuij, & Incendij Zodomitici, quæ supplicia Deus nõ
intulit hominibus, priusquam descẽdisset, ut scriptura loquitur, &
omnia probe cognouisset. Hæc cognitio docet nos timorẽ Domi
ni, ne polliceamur nobis in peccatis impunitatem, quod supplici
um differtur, & peccata latent homines, sed ut in tempore resipis
camus, priusquam sententia diuinitus reueletur & pronuncietur.
Iusta regula æquitatis est, ut quod promissum est, hoc etiam serue
tur, ac reipsa præstetur. Etsi enim is, cui facta est promissio, uide
tur indignus rebus promissis, tamen promissor debet esse uerax.
Hoc est æquissimum, & bono uiro dignissimum. Sic & Deus,
quia est Iudicij Dominus, seruat hanc regulam, ut quod promisit,
hoc & uere præstet, etiamsi homines non sunt meriti res promis
sas. Indigni sunt homines diuinis beneficijs, Deus autem dignus
est ut seruet fidem, & sit uerax. Promisit ciuibus Hierosolymita
nis, per Esaiam, liberationem a Sancherib. Etsi autem ciues me
rebantur excidium, tamen Deus seruabat ciuitatem, iuxta pro
missionem suam. Promiserat olim Patribus, se reducturum
posteros eorum ex Ægypto. Quanquam autem posteri indi
gni erant liberatione e tyrannide Ægyptiaca, propter impie
tatem ipsorum, Deus tamen seruabat regulam æquitatis, & præ
stabat quod promiserat. Sic etiam promisit se seruaturum in

Deus Iudicij Dominus, quomodo?

morte

morte ad æternam uitam omnes, qui credunt in Christum filium suum. Etsi autẽ homines habent peccata, propter quæ indigni sunt æterna uita, Deus tamen seruat hanc regulam, & liberat omnes credentes a morte. Hæc cognitio docet nos fidem, qui est cultus Deo gratissimus. Regula Iudicij est, ut boni defendantur, & mali opprimãtur. Vnde & Deus, quia est Dominus Iudicij, seruat hanc regulam, quia bonos defendit, malós opprimit. Bonos autem reputat eos, qui resipiscunt, & agnoscunt Christum filium suum per fidem, ac ambulant in uocatione fidei. Mali sunt, qui contempto Christo, ambulant in impietate, & sectantur desideria cordis eorum. Hi & si aliquandiu fœlices sunt, tamen erunt tandẽ, ac perpetuo infœlices, quia Deus est Iudicij Dominus. Illi autem, & si aliquandiu sunt infœlices, tamen erunt perpetuo fœlices, quia Deus est Dominus Iudicij. Docet autem hęc cognitio spem & patientiam in omnibus aduersis, qui & ipsi sunt cultus, quibus Deus præcipue delectatur. Cum enim Deus sit spiritus, ut Christus ait, uult etiam coli spiritu & ueritate. Non delectatur carnalibus istis cultibus, quos hypocritæ pro suo arbitrio excogitãt, sed uult coli spiritualibus, timore, fide, spe, patientia, caritate, de qua re alias. Iam & hoc obseruatione dignissimum est, quod Propheta ait: Beati omnes, qui expectant eum. Hæc sententia sæpe alias in scriptura repetitur. Esaiæ quadragesimonono: Scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectãt eum. Et Psal. trigesimosexto. Expecta Dominum & custodi uiam eius, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram. Et Aba. secundo. Si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Sed quia multa sæpe aduersa eueniunt pijs, præter omnem expectationem, ideo impijs & incredulis nihil minus uidetur, quam hanc sententiam esse ueram. Vnde & natus est rythmus, Hoffen vnd harren, macht manchen narren. Et in comœdia, quæ est humanę uitæ, imo impietatis speculum, dicit quispiã, Dijs fum fretus, deos sperauimus, alter autem respondet. Non ego istud uerbum empsitem titiuilitio. Nam omnes mortales dijs sunt freti: Sed tamen uidi ego dijs fretos sæpe multos decipi. Danda igitur est opera, ut hanc piam & uerissimam sententiam recte intelligamus. Certissimum enim est eum, qui in Dominum sperat, & expectat eum, haudquaquam decipi, & spe ac expectatione sua frustrari, tantummodo curet, ut uere expectet Dominum, seu auxilium Domini. Primum enim, si uolueris uere expectare Dominum, necesse habes esse de populo Domini, & membrum Ecclesiæ eius, id quod fit per fidem in Iesum Christum. Quare nec impij Ethnici, nec Turcæ, nec Iudæi, nec hypocritæ, aut scelerati impœnitentes, possunt expectare Dominum, quia non sunt populus

Plautus

Domini. Deinde neceſſe habes ambulare in uocatione Domini, & iuſticiam ſectari. Quare ſi quis ſuſceperit aggrediendum & faciendum impium aliquod & ſceleratũ opus, quod uerbo Domini prohibitum eſt, non poteſt in eo expectare Dominum, & ſibi polliceri auxilium Domini. Præterea, ſi non habueris certam & ſpecialem promiſsionem de externa liberatione, ſed tantũ generales promiſsiones de liberatione & conſeruatione Domini, tunc nõ licet Deo præſcribere uel tempus, uel modum, uel alias circumſtantias liberationis, ſed eas relinquere uoluntati Dei, & expectare ab eo auxilium ac liberationem, ſi non externam & corporalem, certe æternã & ſpiritualem ac cœleſtẽ. Qui ergo ſic expectat Dominum, & ſperat in eum propter Ieſum Chriſtum filium ſuum, is certe nunquam confundetur. Quod declarabit & teſtificabitur in omnibus Sanctis nouiſsimus Dies Domini. Quod autem Deus promittit ciuibus Hieroſolymitanis panem & aquam in afflictione, & alias benedictiones, perſpicue ſignificat ſe mitigare aduerſa, omnibus inuocantibus ipſum in ueritate, & ut Paulus ait, dare euentum una cum tentatione, ut poſsimus ſufferre. Significat ſe Eccleſiæ ſuę dare omnia, quæ etiam ad ſuſtentandam hanc corporalẽ uitam ſunt neceſſaria. Quare in periculis & aduerſis, nulla reſipiſcentia & inuocatio nominis Dei nimis ſera eſt. Impetramus enim aut ut ſupplicium in totum remittatur, aut ſi id fieri non poteſt, ſaltem mitigetur. Obſerua & illud, quod cum dicit abrogationem ſimulacrorum ſecuturã eſſe benedictionẽ omnium rerum: Dabitur (inquit) pluuia ſemini tuo, ubicunq; ſeminaueris in terra &c. docet impia ſacra eſſe autores maledictionis, reſipiſcentiam autem eſſe autorem benedictionis. Et tamen interim meminerimus, Iudicium a domo Dei incipere, & benedictionem non ſemper interpretandam eſſe pro externa in hoc mundo fœlicitate, ſed maxime omnium pro uera & cœleſti fœlicitate &c.

ECCE NOMEN DOMINI VENIT DE LONGINQVO, ARDENS FVROR EIVS &c.

Hæc eſt altera cauſa, cur ciues Hieroſolymitani non debeant uocare auxilia ex Ægypto, ſed confidere ſolo auxilio Domini, quia hoſtis Saneherib, qui minatur urbi Hieruſalem interitum, breui & horribiliter peribit. Ecce, inquit, nomen Dñi, Dñs inquam, ipſe uenit uos defenſurus & hoſtes oppreſſurus. Etſi. n. hoſtes iactant Deum a ſua parte ſtare, ac uos ipſi exiſtimatis eum longe a uobis receſsiſſe, tñ bene cõfidete, qui hactenus uiſus eſt in longinquo eſſe, nunc in propinquo eſt. Venit autem haudquaquam mitis & placatus Aſsyrijs, ut hactenus uiſus eſt, ſed grauiſsimus & iratiſsimus. Facies eius iracundia ita ardet, ut hoſtes aſpectum eius ferre non queant.

queant. Labia eius repleta sunt indignatione. Verba eius sunt qua si ignis deuorans. Spiritus oris eius tantæ est uehementiæ, ut quẽ admodum torrens ex improuiso in hominem irruens, & usque ad collum eius pertingens, tantum non suffocat eum, ita & uehemen tia spiritus eius deiiciat & subuertat Assyrios. Ac breuiter, ex ipso uultu Dei tanta ira emicat, ut & si Assyrij sunt gens fortissima, ta men non poterunt consistere, sed potius dispergentur, tanquam uentilabro, & circumagitabuntur, quasi iniecto freno, donec conci dant, & in nihilum redigantur. Itaq; efficiet Dominus, ut quemad modum Assyrij magna mœsticia e tristissimo ipsorum casu affici entur, ita uos Hierosolymitani magno gaudio perfundamini, & cã taturi sitis tale encomium & carmen, quale soletis cantare in uespe ris summarum festiuitatum, & ijs temporibus, quibus ascenditis in genti lætitia cum instrumentis musicis in mõtem Domini, ad tem plum fortissimi Dei Israelis. Nam, ut in consolationem uestri, & ad ostendendam euentus certitudinem repetam, Dominus gran dem & horribilem suam uocem in Assyrios mittet, ac extendet in eos brachium suum, adeoq; palam declarabit aduersus eos grauissi mam suam iram, non aliter, quam si immitteret in eos de cœlo flam mas ignis deuorantis, fulmina, imbres, & grandinem. Etenim As syrij terrebuntur uoce Domini, qui percutiet eos uirga. Ac profe cto non simpliciter percutiet eos, sed penitus infigetur eis omnis plaga baculi, quo uerberabit eos Dominus, quasi triumphator, cũ tympanis & citharis, quo etiã utetur in prælio, ut Assyrios hinc in de dissipiat & dispergat. Atque hæc quidem exercitui Assyriorum contingent. Sed nec rex ipse Assyriorum impunis abibit. Non emẽ post multa tempora parabitur, sed iam antea superioribus tempori bus, atq; adeo hesterno die paratus est ei infernus, satis profundus & amplus, qui est accensus igni & lignis multis, & qui flatu Domi ni ita inflammatur, ut dicas immissum esse torrentem sulphureum. Quæ autem Propheta hoc loco uaticinatur de Assyrijs & rege eo rum, impleta sunt in ea nocte, qua angelus Domini percussit in ca stris Assyriorum centũ octoginta quinq; milia, & cum paulo post rex a suis ipsius filijs in templo Idoli sui interemptus fuit. Porro, initio huius ἀφηγήσεως adumbratur magnitudo diuinæ iræ, specie ho minis uehemẽter irati. Ardens, inquit, furore, qui ab hostibus As syrijs sustineri non poterit. Labia eius repleta sunt indignatione. Lingua eius quasi ignis deuorãs. Spiritus seu flatus eius uelut tor rens inundans. Proponit enim scriptura nobis grauitatem irę Dei uarijs modis cognoscendam. Nunc enim describit eam simplici bus uerbis. Sopho. iij. Effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur terra.

Et Psal. octuagesimonono. Quis nouit potestatem iræ suæ, & quis metuit tantum furorem tuum? Nunc adumbrat eam comparationibus, Esa. trigesimooctauo: Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. Et Amos iij. Leo rugiet, quis non timebit? Nunc proponit eam horribilibus exemplis cognoscendam. Qualia sunt, Diluuium orbis terræ, & Incendium Sodomę, in quibus, ne infantibus quidem parsum est. In uastationibus urbis Hierusalem, tanta fuit fames, ut etiam matres suos liberos comederint. Hęc manifeste declarant ingentem iram Domini. Inter Ethnicos Orestes, Alexãder Magnus, Nero & alij propter cędes iniuste perpetratas ita exagitantur, ut cupiant sibi ipsis cõsciscere mortem. Qua furia reuelatur utcunq; magnitudo diuinæ iræ aduersus sceleratos. Necessarium autem est, ut non solum diuinam clementiam, uerumetiam diuinã iram agnoscamus. Sunt enim, qui cum Deus conniuet aliquandiu ad peccata, putant eum nulla prorsus ira in peccatã affici. Vt nihil interim dicam, quod clementia Dei frigide agnoscitur, nisi magnitudo iræ eius recte agnoscatur. Primum igitur agnitio iræ diuinæ prodest nobis ad timorem Domini, ut fugiamus peccata, & sectemur uocãtionem Dei, ne cõcitemus eum ad iram & indignationem. Deinde prodest nobis ad tolerantiam & expectationem diuini auxilij. Deus enim grauissime irascitur impijs persequentibus pios. Et quanquam lẽto gradu ad pœnam impiorum procedit, tamen colligit interim iram, ut eo grauius animaduertat in ipsos. Quod cũ recte & ex fide consideramus, magis excitamur ad cõmiserationem, quam ad murmura & indignationem in aduersis. Postremo, agnitio iræ diuinæ excitat nos ad quærendum Thronum gratiæ, qui est Christus Dominus noster. Non possumus enim iram Dei effugere, nisi in Christo Iesu seruatore nostro. Sed quid illud est, quod Propheta dicit internecionem Assyriorum fore Hierosolymitanis canticum, sicut solẽt canere magna lętitia in summis festiuitatibus? Et in Psal. lvij. dicitũr: Lętabitur iustus, cum uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. An non scriptum est Prouerb. uigesimoquarto: Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuũ, ne forte uideat Dominus & displiceat ei etc? Obserua igitur, quod aliud sit gaudium carnis, aliud gaudium spiritus. Et aliud est gaudium humanę inuidię, aliud gaudium diuinę pietatis. Impij enim & carnales homines gaudent de ruina inimicorum suorum, ex mera inuidia, & quod hac ruina exaturatur ódium ipsorum. Pij aũt gaudent de ruina inimicorum, non quod inuideãt hominibus, pro quorum salute etiam orãt, sed quod illustretur gloria Dei, & promoueat ueritas promissionũ eius. Itaq; illorum gaudium est carnale, horũ autem gaudium spirituale. In fine aũt huius

Iræ diuinæ agnitio necessaria.

Gaudium duplex.

concionis

concionis describitur internecio regis Assyriorum,& dicitur præparatam ei esse Tophet,quam interpretãtur pro Gehenna,seu igni infernali. Deducunt autem alij a תוף quod est tympanum,alij a יפה quod significat pulcrum,quia in Gehenna nihil est uel gaudiorum,uel pulcritudinis. Sicut & Lucum uocamus,quia minime lucet.Describitur uero infernus & ignis eius quasi essent corporalia, uallis uidelicet profunda,in qua succẽsus sit horribilis ignis,quem nutriat non solum ingens uis lignorum, uerumetiam sulphureus torrens.Et somniant nonnulli hunc infernum esse in medio terræ. Ac hoc quidem est somnium ociosorum hominum. Illud autem quod scriptura tradit metaphora est,qua res spirituales describuntur figuris rerum corporalium. Nam pœna inferni, non est res pertinens ad hunc corporalem,sed ad spiritualem mundum. In spirituali autem mundo, ut non sunt elementa corporalia, ita nec est tempus,nec locus,qualia sunt in hoc uisibili mundo.Petrus dicit. Vnus dies apud Dñm sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies.Sic & in spirituali mundo,unus locus sicut mille loca,& mille loca sicut unus locus. Vulgo dici solet nouem animas posse in acie unius acus sedere.Hoc recte intellectum non dicitur falso,quia anima seu spiritus nullum occupat locum, nec indiget loco. Itaq; non tantum nouem animæ,sed multæ animarum myriades possunt in acie unius acus sedere. Post resurrectionem uero &si uerum habebimus corpus,tamen hoc corpus erit spirituale & conforme corpori Christi glorioso. Philip. tertio: Transfigurabit corpus nostrum humile,ut conforme reddat corpori suo glorioso &c. Et prima Corinthiorum decimoquinto. Seminatur corpus animale,resurgit corpus spirituale. Est autem corpus spirituale, quod habet conditiones spiritus,uidelicet,quod nec tempore absumitur,nec occupat locum, sicut & corpus Christi post resurrectionem nullum occupabat locum, nisi siquando per dispensationem sese reuelabat in hoc mundo. Tunc enim apparebat pro conditione huius mundi,cum in sua gloria nullo prorsus loco cõcluderetur. Quare, cum resurgat corpus spirituale tam beatorum,quam damnatorum,sicut corpora beatorum nullo comprehendentur loco, ita nec corpora damnatorum. Quid ergo erit? Hoc humana ratio non potest comprehendere,nec humana lingua exponere. Esaias et Paulus dicunt: Oculus non uidit,auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sic etiam dicendum est de impiorum pœna: Oculus non uidit,auris non audiuit,in cor hominis non ascenderunt, quæ & quanta supplicia Deus præparauit his, qui Christum filium suum non acceperunt, nec agnouerunt. Non est igitur nobis disputandum iuxta humanam rationem,

de pœna & loco inferni, sed summa opera cauendum est, ab impietate, ne in infernum conijciamur &c.

CAPVT XXXI.

VÆ QVI DESCENDVNT IN ÆGYPTVM &c.

Alia concio, sed eiusdem argumenti cum ea, quæ proxime præcessit. Cum enim Saneherib rex Assyriorum susciperet bellum aduersus Ezechiam, magnum erat periculum, magnus metus, ne non regio tantum, uerumetiam urbs Hierosolymitana deuastaretur. Itaque, & si manifestæ extabant promissiones de diuino auxilio, tamen increduli, præsentibus periculis concussi, magis circumspiciebant de uocandis auxilijs ex Ægypto, quam de inuocando auxilio Dei. Quare Esaias non contentus una concione, addit & aliam, qua reuocat ciues suos a fiducia Ægyptiaci auxilij, ad fiduciam auxilij cœlestis ac diuini. Væ, inquit, omnibus his, qui Legatos mittunt ad Ægyptum, ut in his difficillimis Reipub. nostræ temporibus auxilia humana aduocent. Etsi enim Deus promisit nobis in hac præsenti calamitate se adfuturum & seruaturum nos mirando modo, tamen hi nõ respiciunt Deum Sanctum, & admirabiliter adiuuantem Ecclesiam suam, nec ulla cura de uoluntate ac uerbo Domini scisciantur, sed quærunt auxilia sua in equis, quibus Ægyptus abundat, & confidunt magis curribus bellicis, & equitibus Ægyptiacis, quos iudicant esse longe omnium fortissimos, quam diuina promissione. Quid ergo fiet? Existimant se ualde sapientes, quod sciant sibi in bello parare humana præsidia: sed uicissim est & Deus sapiens, qui ut tuebitur urbem iuxta promissionem suam, ita non sinet uerbum suum, quo inobedientibus, & confidentibus humano auxilio minatus est confusionem, uanum fieri: nec committet, ut impij & increduli impunes abeant, Sed immittet afflictionem in incredulos, & insurget aduersus familias eorum Principum ac ciuium, qui contempta diuina promissione quærunt impie aliena auxilia. Efficiet enim ut his auxilijs turpiter pudefiant. Nam Ægyptij equites sunt homines, non sunt Deus. Et equi eorum sunt caro, non sunt spiritus. Quare, cum Deus incepturus est uires suas exercere, certissime futurum est, ut una tam auxiliator Ægyptius, quam Iudæus hoc auxiliatore confisus, corruant ac deficiant. Quid ergo interim fiet de urbe Hierusalem, cui Assyrius minatur extremam internecionem? Num corruet etiam illa? Nihil minus, hoc quidem tẽpore: quia DOMINVS Deus Zebaoth re-

cepit

cepit se eã̄ mirando modo defensurum. Nam quemadmodum leo, aut catulus leonis, qui captam prædam mordicus tenet, non terretur, nec metu aliquo sic concutitur, ut deserat prædam, & fugiat, etiamsi insectetur eum magna caterua pastorum, cum uociferatione & fustibus: ita quoq; Dominus Deus Zebaoth non absterretur a monte Zion, ab urbe Hierusalem, pro qua militiam suscepit, & quam tueri statuit, etiamsi Sancherib rex Assyriorum ueniat ad oppugnandam eam, cum omnibus uiribus regni sui. Præterea quẽ admodum aues uolitãtes in aere expandunt alas suas, ita Dominus expandit brachium suum, ad defendendam urbem Hierusalem. In Deut. dicitur: Aquila prouocans ad uolandum pullos suos uolitat super eos, assumit & portat eos: & alias gallina congregat pullos suos sub alis, ne a uulturibus rapiantur, adeoq; pro pullis suis pugnat, ita Dominus, qui est sicut leo, fortissimus, sic est, ut gallina, pro populo suo sollicitissimus, diligenter proteget urbem Hierusalem, ac eodem fere modo seruabit eam, quo seruauit domos Israelitarum in Ægypto, cum angelus trãsiliret domos eorum sanguine agni oblitas, & inuaderet in domos Ægyptiorum. Exo. duo decimo. Quare uos Israelitæ, qui longe recessistis impietate uestra a Deo, & defeciſtis a uerbo eius, reuertimini ad Deũ, et tradite uos totos in obsequium eius, ut & fructum beneficiorum eius capiatis. Futurum enim est, diuina clementia, tempus fœlicissimum. Primũ eñ, Ecclesia reformabitur, pia doctrina restituetur, idolatria & impñ cultus abolebuntur, ac uere pia & legitima sacra instaurabũtur. Deinde exercitus Assyriorum, qui urbi nostræ extremum interitũ minatur, cadet gladio, non quidem humano aut carnali, sed diuino. Et qui reliqui manent, ita fugient, perinde ac si præsens gladius immineret ceruicibus suis. Iuuenes milites eius, alioqui magno animo præditi, obstupescent præ metu, & animis suis plane decident. Rex autem ipse, quo uelut petra innitebantur, tanta formidine corripietur, ut statim fuga sese e medio proripiat. Principes uero eius nimio pauore quasi uexillo hostium conspecto trepidabunt. Hæc autem, quæ nunc concionatus sum, inquit Propheta, non somniaui, nec accepi ex doctrina hominum, sed a uero illo Dño Deo, qui in templo Zion & in Hierusalẽ colitur, præter quem nõ est alius uerus Deus, hoc est, accepi ea a Christo Domino nostro, uero Deo, qui adumbratur holocaustis, aliisq; sacrificijs & sacris, quæ peraguntur in Zion seu in templo urbis Hierusalem. In hac cõcione, quam breuiter percurrimus, accusat Propheta ciues suos defectionis a Deo, q̃ confidant auxilio Ægyptiorũ. Habentes, inquit, fiduciã super quadrigis (Ægyptiacis) & non sunt confisi super Sãctum Israel. Ex hoc igitur loco discendum est, quid sit idolatria, &

Eadem penẽ cõmemorat Abia rex Iudæ 2. Paralipo.

quomodo intelligendum sit primum illud præceptum in Decalogo: Non habebis alienos deos coram me. Nam Iudæi acceperunt mandatum a uero Deo, ne quærerent auxilia in Ægypto, acceperunt etiam promissionem a uero Deo, quod ipse sit eos in hac Assyriorum incursione seruaturus. Cum autem contemnerent uerbum Dei, & uocarent auxilia ex Ægypto, accusantur Idolatriæ. Idolatria igitur, seu facere & habere alienos Deo, non est tantum manibus saxa aut lapides in idola instituere, aut ex hominibus deos consecrare, sed est contempto uerbo Dei salutem uel corporalem uel spiritualem, in creatura quærere, & ea confidere. Ethnici solent saxa instituere, & sacris apud ea peractis, salutem sperare. Verbum autem Dei prohibuit, ne quis faciat sculptile, ut adoret, hoc est, ut speret se cultu eius salutem impetraturum. Solent etiam consecrare homines in deos, quorum cultu & inuocatione pollicentur sibi terrena & cœlestia bona. Sic consecrarunt Imperatores suos, & alios heroas in deos. Sed uerbum Domini dicit: Maledictum esse, qui confidat in hominem. Hæc autem est crassa Idolatria, & intellectu facilis. Nam in hoc proprie consistit Idolatria, si abiecto uerbo Dei, Spes Salutis collocatur in re aliqua, siue diuinitus prohibita, siue per se indifferenti, siue etiam diuinitus mandata. Contemptus uerbi Dei, & fiducia in aliqua creatura aut actione collocata faciunt Idolatriam. Sic definit Idolatriam Samuel primo Regum decimoquinto: Nunquid uult DOMINVS holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci Domini? Melior est enim obedientia, quam uictimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietū. Quia Rebellio est peccatum Magiæ, Et nolle acquiescere, seu Inobedientē esse est iniquitas & Idolatria. Nam Samuel dixerat mandato Domini ad Saulem, ut descenderet ante se in Gilgal, & expectaret septem diebus, nec interea offerret sacrificium, donec ipse ueniret. Saul uero expectauit quidem septē diebus in Gilgal, Sed cum Samuel non statim septima die præsto adesset, suscepit non expectato eo, sacrificandum. Quare & si alioqui sacrificia erant legitima & diuinus cultus, tamen quia Saul sacrificauit contempto uerbo Dei, quo etiam perspicue significabat, se pro ingenio hypocritarum magis fidere opere sacrificiorū, quam promissione Dei, pronunciatur a Samuel Magus & Idolatra, Et audit. Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. In posteriori libro Paralip. cap. trigesimotertio dicit scriptura. Adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo. Et tamen hæc immolatio iudicatur a Prophetis Idolatria, propter quam Israelitæ grauissime afflicti sunt. Quomodo igitur est Idolatria, cum fieret in honorem ueri Israelis? Hic cōsideranda sunt

Idolatria seu adoratio aliorum deorū quid sit & ci

non

non externa ipsa operis species, sed uerbum Dei, & fiducia humani cordis. Nam uerbum Dei est Deut. xij. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem uideris &c. Et iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Dño, nec addas quicquam, nec minuas. Israelitæ autem, contempto & neglecto hoc uerbo Dei, immolabant in excelsis. Quæ res manifeste declarabat, q̃ collocarent spem salutis suę in actione & meritis suorum sacrorũ, non in promissione Messię, q̃ per sacrificia adumbrabatur. Quare merito iudicantur & pronunciãtur Idolatræ. Paulus Ephe. v. & Colo. iij. dicit auariciã esse cultum simulacrorum, & auarum esse idolatram. Quomodo hoc accipiẽdum, cum auarus nõ procumbat ante aurum & pecuniã suam, & dicat: Tu es Deus saluator meus? Vide hic mihi uerbũ Dei, q̃d dicit: Ne fureris. Et, Ne sitis solliciti dicẽtes, quid edemus, quid bibemus, ut quibus operiemur? Nouit Pater uester cœlestis q̃ opus habeatis his omnibus. Quin potius primum quęrite regnum Dei &c. Hoc uerbum contemnit auarus, & quærit pecuniam impostu-ris, nugis, peiurijs, & alijs malis artibus, quibus rebus perspicue significat, quod magis cõfidat pecunia, quam Deo. Quare recte pronunciatur Idolatra. Sicut & Christus ait: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Et quod Esaias dicit de Ægypto, Aegyptus homo & non Deus, equi eorum caro & non spiritus: ita de auari pecunia dici potest: Pecunia creatura est, non Deus creator, & materia eius terra est, non cœlum. Hæc diligenter sunt obseruanda, ut cognoscamus quid sit idolatria seu adoratio alienorum deorum. Idolatria enim est, non solum crassa illa Ethnicorum, sed omnium hypocritarum, qui contempto Euangelio Dei, quod promittit remissionem peccatorum propter Iesum CHRISTVM per fidem, confidunt meritis suorum operum. Itaque tot sibi alienos deos effingunt, instituunt & adorant, quot opera, ad expianda peccata sua, faciunt. Primus omnium Idolatra fuit Adam, qui ex pomo fecit sibi alienum Deum. Verbum enim Dei est: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Persuasus autem per mulierem a Satana seductam, edit pomum de arbore uerbo Domini prohibita, sperans fore, ut iuxta Satanæ promissionem, aperirentur oculi eius & fieret sicut Deus sciens bonum & malum. Cum igitur polliceretur sibi sapientiam diuinam magis ex pomo, quam ex Deo, manifestum est, quod præposuit pomum Deo, & factus est Idolatra. Et quod Esaias de Aegypto ait: Aegyptus homo est, non Deus &c. Ita dici potest de pomo: Pomum fructus terræ est, non Deus, & arbor eius, lignum, non spiritus. Sic Idolatræ sunt omnes Turcæ & Papistæ, omnes item impostores, auari, adulteri, & id genus alij scelerati, quia illi contempto Euangelio

Christi, fidunt meritis suæ ipsorum iusticiæ: hi autem contempto uerbo Dei quærunt auxilium & fœlicitatem magis in pecunia, in scortis, & alijs rebus, quam in uero Deo. Nec designarent tot & tam horrenda scelera, nisi ante defeciſſent a Deo, & abieciſſent uerbum eius. Sed de hac re nunc satis. Sequitur in Esaia etiam illud obseruabile, quod spiritus sanctus pingit iucundissimis similitudinibus seu comparationibus maiestatem seu clementiam Dei, qua defendit Ecclesiã suam aduersus omnẽ incursionem Satanæ, ac aliorum hostium. Vna est. Quomodo, inquit, si rugiat Leo & catulus leonis super prædam suam, si occurrerit ei multitudo pastorum, a uoce eorum non formidabit. Deus sicut Leo, non terretur tumultu aduersariorum, ut abijciat ouem quam eripuit ex ore Satanæ. Sicut & Ioã. x. dicitur: Nemo rapiet oues de manu mea. Quid igitur trepidamus ad minas Satanarum, & impiorum hominum? Obijciunt illi mortes & infernos: Sed cõtra Christus obijcit nobis uitam & cœlum. Obijciunt nobis peccata: Sed Christus obijcit suam iusticiam. Altera. Sicut aues uolantes, sic proteget Dominus Zebaoth Hierusalem. Alæ significant protectionem & defensionem. Sicut ergo aues magna sollicitudine expandunt alas, ut protegant pullos suos, ita & Deus multo maiori sollicitudine suscipit Ecclesiam suã defendendam. Sic & Christus dicit Matth. xxiij. Quoties uolui cõgregare filios tuos, sicut gallina &c. Præterea, Vbi uulgata editio habet, Trãsiens, & saluans, pro, transiens, apud Hebræos est פסוח quod significat Transiliens, Et est idem uerbum, quod ponitur in Exodo de angelo transiliente domos Israelitarum. Vnde & festum illud, dictum est פסח Pesah, quod angelus transilierit domos Israelitarum, & seruauerit eas. Itaq; hoc loco, cum Propheta eodem uerbo transiliendi utitur, admonet nos de cura Dei pro Ecclesia sua, quod quemadmodum in Ægypto defendit & conseruauit populum, ne prætereunte uastatore, quicquam damni acciperet, ita semper tueatur Ecclesiam suam, ut perditis ad extremum impijs, ipsa mirabiliter liberetur & seruetur. Hæ picturæ sunt nobis in memoriam reuocandæ, ut fidem nostram in aduersis confirmemus. Exuisibilibus enim, ut Paulus ait, cognoscuntur inuisibilia Dei. Postremo nec hoc prætereundum est, quod Esaias de Domino Deo ait: Cuius ignis est in Zion, & caminus eius in Hierusalem. Hoc enim aut simpliciter intelligendum est, quod Deus habitet in Zion & Hierusalem, sicut in Psalmo dicitur: Hæc requies meà in seculum seculi, hic habitabo quoniã elegi eã: aut respicit in sacrificia, quę ex lege Dñi in Zion offerebantur, & igni cremabantur. Et est descriptio ueri Dei. Nam gentes etiã gloriabantur se colere uerum Deũ, sed quia non colebant eum Deum, cuius ignis erat in Zion, & cuius

ius caminus in Hierusalem, hoc est, qui se reuelabat sacrificijs & uerbo suo in Hierusalem, coluerunt alienum Deum. Non enim est alius uerus Deus, nisi is qui, postquam creasset mundum, promisit se missurum filium suum, qui conterat caput Satanæ, & qui uoluit sacrificium filij sui adumbrari sacrificijs in Zion institutis, qui etiam tandem misit filium, propiciationem pro peccatis nostris. Quare qui aut contemnit aut non agnoscit filium Dei Iesum Christum, non potest uere gloriari, se uerum Deum colere.

CAPVT XXXII.

ECCE INIVSTICIA REGNABIT REX &c. Etsi hoc caput præcedenti ita coniungitur, ut sicut ante dictum est de interitu impij regis Assyriorum, ita uideatur nunc dici de fœlicitate in regno pij regis Ezechiæ. Testatur etiam scriptura ij. Paralip. trigesimosecundo, quod post fugam regis Asyriorum, magna fuerit fœlicitas in regno Ezechiæ. Saluauit (inquit scriptura) Dominus Ezechiam, & habitatores Hierusalem de manu Saneherib regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit ei quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Hierusalem, & munera Ezechiæ regi Iuda. Qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus &c. Hæc, inquam, & si ita se de Ezechia, post liberationem ab Assyrijs, habuerunt, tamen quæ in priori parte concionis huius capitis continentur, maiora & præstantiora apparent, quam quę sub Ezechia impleta sint. Nunquam enim tam bene cum mundanis imperijs agitur, ut tam rex quam Principes eius omnes summam habeant curam iusticiæ & iudicij, & subiecti certa ac firma fruantur tranquillitate. In imperijs id fere fieri solet, quod est apud Herodotũ. Τοῖς μὲν χρηστοῖσι τῶν ἀνθρώπων, κακοὶ δοῦλοι φιλέουσι γινέσθαι, τοῖσι δὲ κακοῖσι, χρηστοί. Bonis dñis solent mali serui cõtingere, & malis, boni. Quare quæ sequitur cõcio, de Christo & regno eius intelligẽda est. Propheta enim supra dixit, quod Dñs sit liberaturus urbem Hierusalem mirando modo ab hoste Saneherib, & seruaturus eam incolumem. Quomodo, inquiens, si rugiat Leo & catulus leonis super prædam suam cum occurrerit ei multitudo pastorum, a uoce eorum non formidabit, & a multitudine eorum non pauebit, sic descendet Dominuss Zebaoth ut prælietur pro monte Zion & pro colle eius. Hæc est promissio de liberatione a rege Saneherib, & de fœlicitate, quæ contigit regno Iudæ sub Ezechia, postquam Saneherib fœda fuga sese e regno Iudæ domum proripuit. Sed ne quis existimet eam liberationem & fœlici-

tatem,ſummam ac præcipuam eſſe, addit Propheta concionem de uera liberatione & fœlicitate, quæ per ſolum Chriſtum in ſolo regno eius contingit. Ecce, inquit, in iuſticia regnabit rex,& Principes in iudicio præerunt. Dixi antea, ſtatum regni ueſtri fore fœliciſsimum poſt fugam Saneheribi. Etſi autem rex Ezechias piiſsimus eſt,& dabit ſummam operam,ut omnia in regno ſuo recte adminiſtrentur,ac fiat iuſticia & iudicium, tamen ea eſt conditio mundani regni,ut nunquam ſuis uitijs, iniquitatibus, impietatibus,& flagicijs careat. Ecce igitur futurum eſt aliud regnum,Regnum uidelicet Meſsiæ, quod rex ipſe Meſsias gubernabit in iuſticia, & Principes ſeu officiales eius,in iudicio. In mũdanis regnis, aut rex ſolet eſſe iuſtus,& officiales iniuſti: aut officiales iuſti, & rex iniuſtus: aut tam rex quam officiales iniuſti: Nunquam fore inuenias, ut & Rex & officiales eius ſint iuſti. In regno autem Meſsiæ Rex & Principes ſeu Officiales eius faciunt Iudicium & iuſticiam. Ac loquitur quidem Propheta, perinde ac ſi Meſsias adminiſtraturus eſſet mundanum regnum, & facturus iuſticiam & iudicium more Principum huius ſeculi. Sed Meſsias ipſe interpretatur Ioan. decimoſexto: Cum uenerit Paracletus arguet mundum de peccato, de iuſticia,& de Iudicio. De peccato quidem,quia non credunt in me. De Iuſticia uero, quia ad Patrẽ uado,& poſthac nõ uidetis me. De Iudicio autem, quia Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Vides hic Paracletum, quem Chriſtus nomine ſuo mittit facere ſeu adminiſtrare in terra Iuſticiã & Iudicium. Iuſticiam aũt nõ ciuilem, nec Iudicium ciuile, Sed Iuſticiam & Iudicium ſpiritualia, cœleſtia & æterna. Facere Iuſticiam in regno ciuili, eſt hominem ciuiliter honeſtum, prõnũciare ciuiliter iuſtum, & honorare eum ciuilibus prẽmijs. Et facere iudicium in regno ciuili, eſt externum & ciuilem hoſtem ſeu latrõnem, ſeu malefactorem punire, ne bonis & honeſtis noceat. Facere autem iuſticiam in regno Chriſti, eſt ad Deum Patrem ire, apud Patrem intercedere, ac impetrare, ut omnes credentes Euangelio reputentur iuſti, adoptentur in filios & hæredes Dei. Sic etiam facere Iudicium eſt uincere Satanã, capitalem & perpetuum hoſtem humani generis. Solus autem Chriſtus, is eſt, qui talem facit iuſticiam & Iudicium, hoc eſt, qui impetrat ut propter ipſum reputemur coram Deo iuſti per fidem, & ut Satan uincatur & condemnetur. Porro Principes Chriſti, de quibus Eſaias dicit, Principes præerunt in iudicio, ſunt Apoſtoli: Sic uocantur Pſalmo quadrageſimoquarto: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Et Pſalm. lxvij. Principes Iuda duces eorũ, Principes Zabulon, Principes Neptalim &c. Apoſtoli aũt adminiſtrant Iudiciũ, non q̃ ipſi ſua uirtute uincant

&

& condemnent Satanam, sed quod adnuncient Euangelion, manda
to Christi, quo Euangelio docemur Satanam uictum & condemna
tum, ac nos quoq; in Christo uincere, & pedibus nostris conterere
eum. Quare cum in regno Christi donatur credentibus in Christū
uera & perpetua iusticia, & subijcitur Satan sub pedibus credenti-
um, manifeste sequitur, quod in eo solo regno sit uera trāquillitas
& fœlicitas. Deinde additur de securitate, qua subditi Christi, in
regno eius fruuntur. Erit, inquit, uir sicut qui absconditur a uento, *Securitas pio-*
& cælat se a tempestate, sicut riui aquarum, in loco arido, & quasi *rum.*
umbra petræ prominentis in terra deserta. hoc est, Vnusquisq; in
regno Christi ita tutus erit, in aduersis, sicut tutus est is, qui flante
uehemēti uento, aut decidente grandi imbre suas habet munitas la
tebras. Et si quid adflictionis acciderit ei, qui est in regno Christi,
ita refocillabitur, sicut aridus locus recreatur a riuis aquarum, & si-
cut fatigatus in terra sole exusta, recreatur in umbra magnæ petræ.
Hæ sunt iucundæ similitudines, quibus pingitur securitas piorum
in regno Christi. Nam quemadmodum hi qui habēt latebras pro-
be munitas, tuti sunt, si se eo recipiant, a uentis & imbribus, & quē-
admodum arida loca ex riuulis aquarum quasi reuiuiscunt, ac de-
fessus uiator in umbra petræ iucundissime acquiescit, ita pij in re-
gno Christi suum habent asylum, suam petram, ad quam cum se in
afflictionibus receperint, fieri non potest, quin ex animo refocil-
lentur, & magna delectatione afficiantur. Hoc autē asylum, & hæc
petra est Christus ipse, in quo tuti sunt in omnibus aduersis, quot-
quot in ipsum credunt. Hæc non sic intelligenda sunt, quod nul-
lus agnoscens Christum per fidem, habiturus sit afflictionem. Ne-
mo enim magis affligitur in hoc mundo, quam qui in Christum
credit. In mundo, inquit, afflictionem habetis: Sed intelligenda
sunt de conseruatione piorum in afflictione, & de liberatione eo-
rum ex afflictionibus. Venite, inquit Christus, ad me omnes, qui
laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Hæc autem est re
focillatio, hęc est recreatio, & consolatio piorum in regno Christi,
qp & si multum & grauiter affliguntur in hac terra, tamen quia cre-
dunt in Christum, certi sunt, Deum Patrem fauere ipsis propter
Christum, remittere ipsis peccata, seruare ipsos non in præsenti tan
tum afflictione, uerum etiam in morte ad æternam uitam. Præterea,
in regno Christi, Nō caligabunt, inquit Propheta, oculi uidentiū.
Aures audientium diligenter auscultabunt. Cor stultorꝝ intelliget
scientiā. Et lingua Balborꝝ, loquetur expedite & diserte. Est & hæc
antithesis hoīm in regno Christi, ad incolas regnorꝝ huius mūdi.
Hi, n. quo magis uident in rebus secularibus, quo perspicatiores
sunt in negocijs mundanis, eo plus cæcutiunt in rebus & negocijs

diuinis. Illi autem, quo perſpicatius uident & intelligunt Chriſtum regem ſuum, & Euangelion eius, eo minus cæcutiunt. Euangelion enim lux eſt, qua non ſolum hi qui cæcutiunt, uerum etiam qui ante prorſum cæci erant, illuminantur. Hæc autem Lux lucet nobis non ad mundanam aliquam fœlicitatem conſequendam, ſed ad perrumpendum per tenebras peccati, mortis & inferni, ad clariſsimum ſplendorē iuſticiæ, uitæ, & regni cœleſtis. Poteſt & hęc eſſe ſententia, Qui in hoc mundo oculos ſuos in aliquam rem diutius infigunt, incipiunt cæcutire. Et qui ſolem recta intuentur, caligine obruuntur. Acies enim oculorum imbecillior eſt, quam quæ poſsit tantum ſplendorem ferre. In regno autem Chriſti, quo diutius intueris Chriſtum uerum ſolem, & quo rectius defigis oculos in Euangelion eius, eo perſpicatior redditur tibi uiſus. Deinde, in regno Chriſti aures auditorum diligenter auſcultant. Nam in hoc mundo, qui diu audiunt uel humanas diſciplinas, uel famam aliquam rerum in hoc mundo geſtarum, fiunt tandem ad audiendum torpidi & ignaui, & queruntur ſe obtundi. Vnde, cum quidam in Græcia ſemper in omnibus compitis et tonſtrinis recenſeret res geſtas ducis Epaminondæ, dictus eſt ipſe per ludibrium Epaminondas, quod homines his rebus toties audiendis defatigati, abominarentur iam narratorem. In regnō autē Chriſti nulla eſt ſacietas audiendi Euangelij eius, quod quo ſępius & diligentius audis, eo maiorem cōſolationem accipias, & plura ad ſalutem cognoſcas. Nam quibus Euangelion Chriſti recte explicatum, eſt faſtidio, eos manifeſte appareat non eſſe membra ſeu ſubditos regni Chriſti. Adhæc, In regno Chriſti, Stultorum cor intelligit ſcientiam. Longe aliud accidit in regnis huius mundi. In his enim, qui ſtultus eſt, non redditur ſapiens, ſed irritatur, ut fiat ſubinde ſtultiōr. In regno autem Chriſti, ſtulti fiunt ſapientes. Hoc illud eſt, quod Chriſtus Matth. undecimo ait. Gratias ago, tibi Pater Domine cœli & terræ, quod cum hæc abſconderis a ſapientibus & prudētibus, reuelaris ea paruulis, ſeu ſtultis. Tales paruuli ſeu ſtulti fuerunt Apoſtoli, qui & ſi reputati ſunt ab hominibus huius ſeculi ſtulti & inſani, tamen fuerunt prudētiores & ſapientiores omnibus regibus & Principibus. Accedit huc, quod in regno Chriſti balbi loquuntur expedite & plane. Apoſtoli fuerunt balbutiētes coram mundo, & oratoribus huius ſeculi. Sed profecto eloquentia eorum, ſumma eſt, non quidem mundana, & iuxta regulas Rhetorum, ſed cœleſtis, & iuxta regulas ſpiritus ſancti. Sic & quiuis pius credens in Chriſtum, & ſi coram mundo balbutit, tamen coram Deo eſt eloquentiſsimus, ſi ſaltem ſciat ex fide recenſere orationem dominicam. Hæc enim tanta eſt eloquentia, ut impetret æternam ſalutem, quæ certe eloquen

tia

tia ſuperat omnem uim dicendi Demoſthenis aut Ciceronis, &c.

NON VOCABITVR VLTRA IS QVI INSIPIENS EST, PRINCEPS &c.

Alia antitheſis regni mundani, & regni Chriſti. In mundano enim regno uocabula rerum inuertuntur, Sicut etiam Cato apud Saluſtium queritur. Iampridem, inquiens, uera rerum uocabula amiſimus, quia bona aliena largiri, liberalitas, malarum rerum audacia, fortitudo uocatur. Sic etiam, qui eſt Nabal, hoc eſt, ſtultus, ac uere ſordidus, etſi captat lucrum ex quauis re, etiam turpiſſima, tamen ſi aliquoties cum æqualibus helluatur, & ſe hilarem præbet, uocari ſolet princeps, ſeu liberalis. Et qui eſt fraudulentus, hoc eſt, auarus & parcus, ſeu oppreſſor pauperũ, etiamſi ne linum quidem fumigans donaret, ut dici ſolet, omnibus cœleſtibus incolis, tamen ſi aliquoties inſtituit ſui ſimilibus opipara conuiuia, aut excitat ſumptuoſa ædificia, uocatur magnificus. Econtra autem, qui ſuo contentus, ſectatur iuſticiam in negocijs ſuis, nullum defraudans, ſed egentem quoq; pro ſua uirili, & nulla iactantia ad iuuans, uocatur ſordidus, parcus & auarus. Sic & Tertullianus ſcribit, Chriſtianos infructuoſos ab Ethnicis dictos, uidelicet, quod non unà cum ipſis helluarentur, & nullam afferrent utilitatem lenonibus, Magis, Aruſpicibus, ariolis, Mathematicis, Sacrificulis, etiamſi interim egenis magna beneficia præſtarent, & cũ omnibus iuſtiſsime negociarentur. Itaq; in mundanis regnis ſolent rerum uocabula inuerti. In regno autem Chriſti non ſic erit, inquit Eſaias. Sordidus non uocabitur liberalis, & auarus non uocabitur munificus, Sed ſcapha, ſcapha, & ligo, ligo, quemadmodum dici ſolet, uocabitur. In regno Chriſti nihil loci eſt hypocriſi, & mendacio, ſed omnia ueritas occupabit. Quod cum ita ſe habeat, ſuſcipit Eſaias definiendum נבל Nabal ſtultum ſeu ſordidũ: ſimiliter etiam principem ſeu liberalem aut munificũ, ut ueritas rei cognoſcatur, & nemo inuerſione horum uocabulorum decipiatur. Stultus, inquit, loquitur ſtulticiam, & cor eius operatur uanitatem &c. Hæc eſt definitio ſtulti, ſeu ſordidi hominis, quem Hebræi uocant Nabal. Stultus enim ſiue ſordidus proprie is dicitur, qui primum quidem impio eſt corde, non collocat in deo ſpem ſuam, ſed cogitat de Deo errorem, putat Deum non curare res humanas, & collocat fiduciam ſuam in rebus uanis, in diuitijs, & opibus. Deinde ore ſuo loquitur ſtulticiam & uanitatem: omnis ſermo eius eſt de rebus terrenis, de parandis opibus. Si quando de rebus cœleſtibus reddenda ratio eſt, nihil eo rudius, nihil imperitius, nihil magis mutum. De negociationibus autem, & artibus, quibus magnæ opes parari poſſunt, eloquentiſsimus eſt. Poſtremo etſi perficit ſimulationem, hoc eſt, etſi ſimulat honeſtatem, & ne

quaquam uult uideri iniquus aut impostor, tamen hoc unum diu noctuq; meditatur, & agit, ut uacuam faciat animã esurientem, & sitienti potum auferat, hoc est, ut pauperes deglubat, & dolis ac imposturis extorqueat ab eis, etiam ea, quæ sunt ipsis ad uictum necessaria. Der mit seinen listigen Praticken dem Armen das Brod vor seinem Mundt abschneidet. Qui eiusmodi est, uere est stultus & sordidus, etiãsi aliquocies ingrediatur templũ, faciat sacra, & cõuiuetur cũ amicis hilariter ac liberaliter: addo, etiãsi aliquocies numeret mendico unum aut alterũ obolum. Talis sordidus fuit Nabal Carmelita, de quo in 1. Reg. 25. Sic Esaias definit etiam כילאי Chilai, hoc est, auarum & parcum, aut potius deuoratorem & contritorem pauperum, ut hoc uocabulum deducatur à כלה q̃d significat attenuare, atterere aut exterminare. Auarus igit̃, seu populi attenuator is est, qui excogitat uaria consilia, & pessimas quasq; artes ac dolos, quibus opprimat miseros per mendacia, & captet unum aut alterum uerbum inopis, quo iustam & rectam eius causam inuertit, ac ut iniusta uideatur, efficit. Qui ergo hoc affectu & his moribus præditus est, is etiamsi paret amicis magno sumptu conuiuia, & instituat suo impendio publicos ludos, aut etiam hebdomodariam seu annuam eleemosynam, tamen non est uere magnificus & beneficus, sed est uersutus, fallax, malicioſus, callidus, ueterator, uafer. Definitur etiam נדיב Nadib, hoc est, liberalis seu munificus, uidelicet, qui in omnibus suis negocijs habet cogitationes seu consilia libero & pio homine digna, nec semel tantum, & iterum munificus est: sed assurgit in munificentia ac liberalitate, & subinde plura ac maiora beneficia, in quos suis pro uirili sua confert. Et qui sic affectus est, is uere est Nadib, hoc est, princeps seu liberalis & beneficus, etiamsi nullum opiparum conuiuium unquam instituat, nec ullam publicam eleemosynam tubis proclamatam elargiatur. Tales Nadibim fuerunt Petrus, Ioannes, & alij Apostoli, qui relictis omnibus suis facultatibus secuti sunt uocationem Christi. Talis Nadib fuit Zachæus, postquam conuersus est ad Christum. Talis fuit & Paulus, qui cum nihil haberet, multos tamen ditauit. Tales Nadibim iubet Paulus diuites fieri, cum ait: His qui diuites sunt in præsenti seculo prȩcipe, ne sint elato animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut benefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impertiendum, libenter communicantes, recondentes sibijpsis bonum fundamentum &c. In hac igitur parua admodum pericopa, Esaias describit mores hominum in regnis mundanis, quibus opponit mores piorum in regno Christi, seu in Euangelio, cuius prædicatio est regnum cœlorum in hac terra. Homines enim mundani in hoc præcipue stu-

dium

dium incumbunt, ut uacuam faciant animam esurientem & potum auferant sitienti, hoc est, ut quibus queant artibus, dolis, nugis, imposturis, mendacijs, peiurijs, opes congregent, & aliorum incommodo ditescant. Sie schneiden einander das Brodt vor dem Mundt ab/ & interim uolunt haberi honesti, ac etiam uideri liberales, quod nonnunquam exhibeant sese iucundos compotores. Hoc autem studium non est simplex, ut apparet, peccatum, sed complectitur in se multa & grauissima scelera. Primum enim, qui malis artibus, & alieno incommodo, diuitias parare student, horum cor operatur uanitatem, & loquitur, ut Esaias ait, de Deo errorem, hoc est, abnegat Deum, sentit Deum non curare res humanas, & confidit rebus terrenis, rebus uidelicet uanissimis. Vnde & Paulus uocat auarum, Idolatram, & auariciam, idolatriam, quod auarus adoret Satanam, pro Deo suo. In Euangelio Satan ostendens Christo regna mundana, dicit: Si me adoraueris, hæc omnia dabo tibi. Sic etiam dicit ad auaros, Si me adoraueritis, hoc est, meis præceptis & promissis obsecuti fueritis, dabo uobis diuitias. Verus enim Deus ait. Ne sitis solliciti, Quærite primum regnum Dei & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis &c. Et iterum. Expecta Dominum & custodi uiam eius, & exaltabitte, ut hęreditate capias terram. Satan autē dicit, Sis sollicitus, Nec cures regnum Dei aut iusticiam eius, sed seponenda erit interim anima post fornacem. Quid enim? Diu certe tibi expectandum erit, donec aduolet tibi e cœlo columba assata. Tuipse necesse habes tui curam habere, Deus alia curat. Hoc si feceris, congregabis breui maximas diuitias. His igitur monitis, præceptis & pollicitis obediens impius, adorat Satanam, & fit idolatra. Deinde, non solum peccat impietate cordis, sed etiam sermonibus oris. Non loquitur honeste de Deo. Nescit ullum diuinum sermonem proferre nisi forte abutatur nomine Dei ad execrationes, Nihil prorsus nouit recte dicere de uera religione, sed tantum crepat ore suas opes, aut rationes, quibus opes parari possunt. In negocijs loquitur tantum mendacia, nugas & deceptiones &c. Postremo opere ipso imposturæ, designat furtum. Vides quanta simul peccata & scelera concurrant in auaro & impostore, & tamen non omnia commemorari possunt. Quid autem consequitur suis opibus, quas nugis & imposturis parauit? Audi de hac re prophetam Micham capite 6. Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor, iræ plena. Hic uocat opes iniuste partas, ignem, ut significet, ꝙ qui infert in domum suam tales opes, is inferat ignem, quo necesse habet unà cum opibus suis absumi. Quis non cohorresceret, si uideret facem ardentem admoueri tecto suo? At hoc sibijpsis & suis ipsorum domibus faciunt auari & impostores.

Quare ut impoſtoribus nihil eſt magis impium, ita nihil eſt ipſis ſtultius, quippe qui ſibijpſis ignem accendunt, quo conflagrent. In regno autem Chriſti alij ſunt mores. Pij enim uere ſunt liberales, quia contenti ſuo paruo, aut qualicunq;, quod Deus dedit, negociantur iuſte, ſeruant fidem, iuuant etiam egentem pro uirili, ac omnino ex Deo pendent, cuius uoluntati malunt obedire, quam omnes diuitias mundi poſsidere, ac malunt etiam omnia ſua extremis periculis exponere, quam fidem abnegare, aut aduerſus Deum peccare. Magnus quæſtus eſt, inquit Paulus, pietas cum animo ſua ſorte contento &c. Docent etiam prophanę literę, Ei, qui uelit eſſe diues, non cumulandam pecuniam, ſed minuendam cupiditatem, id quod tamen non poteſt fieri philoſophicis præceptis, ſed tantum per fidem in Chriſtum, quo cognoſcimus deum nobis propicium, & ſummam noſtri curam agere &c.

MVLIERES OPVLENTAE SVRGITE &c.

Propheta digreditur à deſcriptione regni Chriſti ad exponendam excæcationem & abiectionem impiorum Iudæorum, qui Chriſtum & Euangelion eius noluerunt recipere. Vocat enim mulieres opulentas, magnas urbes, uidelicet, Hieruſalem, Capernaum, Corozaim, Bethſaida, & alias ciuitates Iudææ & Galilææ, quæ etſi audiuerunt Chriſtum, & uiderunt miracula eius, tamen non reſipuerunt, non agnouerunt eum, nec crediderunt in eum. Mulieres, inquiens, ſeu urbes opulentæ, tranquillæ, ocio deditæ, quarum ciues magnas opes in ocio ſibi parant, Surgite, expergiſcimini, & audite meã concionem. Et uos filiæ, hoc eſt, minora oppida & uillæ, magnis ciuitatibus ſubiectæ, quæ nũc ſecure habitatis, audite etiam uos ſermonem meum. Non concionabor uobis uana ſomnia, ſed diuina oracula. Nam quæ modo uidebimini uobis perpetuo duraturæ, & ſedetis in urbibus ueſtris ſumma confidentia, perturbabimini annis & diebus, hoc eſt, longo & indefinito tempore. Eadem enim phraſi etiam Germani circunſcribunt longum & indefinitum tempus. (Jar vnd tag.) Perturbabimini autem propter hanc cauſam, quod deficiat uindemia, nec ſit futura collectio uuarum, hoc eſt, lex Moſi iam inde ab initio, quo lata eſt, præparauit homines ad excipiendum Chriſtum, & coluit quaſi uineam, Iſraelitas, ut cum Chriſtus aduenirет, agnoſcerent eum, & fructum eius caperent. Sed ecce rerum uices in contrarium uerſas. Poſtquam Chriſtus aduenit, nec ipſe inuenit in hac uinea uuas, ſed labruſcas, nec Iſraelitæ ullum fructum eius perceperunt, quia condemnauerunt & reiecerunt eum. Iterum ergo alloquor uos ſecuras & opulentas urbes, quæ collocatis ſpem ueſtram magis in diuitijs incertis, quam in Deo uiuente. Tanta mala irruent in uos, ut obſtupeſcatis, ac præ doloris magnitudine expoliaturæ ſitis uos ipſas

pſas uſitatis ueſtimentis,& accincturæ uos ſaccis. Plangetis enim propter ubera,tam mulierum,quam beſtiarum,quod præ aridita te & inopia non poſsint lactare fœtus ſuos. Plangetis propter a gros,qui cum quondã fuiſſent fertiles,et iucundi,nunc ſterileſcent. Plangetis propter uites,quæ antea multas optimas uuas profere bant, nunc ne labruſcas quidem ferunt. Plangetis propter terram populi mei,quod iuxta primam maledictionem non proferet niſi ſpinas & tribulos. Plangetis propter omnes domos urbiũ,in qui bus cum quondam ſummo gaudio dediti fueritis,& exultaueritis, nunc horribilis & extrema erit uaſtitas. Palatia enim ſeu magnifi cæ ædes ueſtræ deſertæ erunt. Propugnacula & arces ueſtræ redi gentur in ſpeluncas & cauernas beſtiarum perpetuo,ut illic ona gri habitent,& greges paſcantur. Hæc impleta ſunt,in Iudęis poſt Pentecoſten, corporaliter & ſpiritualiter,quia urbs Hieruſalem, & regio eius deuaſtata eſt à Romanis,& ipſi excæcati & abiecti ſunt,ne ſint amplius populus Dei, quia abiecerunt ipſi Chriſtum ueram & cœleſtem lucem. Sæpe fit mentio,præſertim in hoc pro pheta de excæcatione & abiectione Iudæorum. In quem ergo u ſum hæc uel auditoribus Eſaiæ,uel nobis proponuntur, cum ea poſt Eſaiam,pluſquam ſeptingentis annis,& ante noſtra tempo ra,pluſquam mille annis impleta ſint? Certe Propheta ipſe haud obſcure ſignificat ea maximum habere uſum,cum non ſimpliciter ea recitat,ſed primum omnium excitat auditores ſuos ad attentio nem: Surgite,inquiens,audite uocem meam,auribus percipite elo quium meum. Hoc uidelicet dicere uult. Rem ſum narraturus ad mirandam & ſtupendam,& quæ maxima animi obſeruantia exci pienda eſt. Quare nolite torpeſcere, ſed expergiſcimini,& quæ di xero alta mente reponite. Habent igitur iſta ſuum uſum, Initio a pud præſentes auditores Eſaiæ,quia ex hoc uaticinio excitati ſunt ad timorem Dei,ut cum audiunt fore,ut Iſraelitæ, qui ſunt popu lus Dei, abijciantur à Deo,& exhæredentur e cœleſtibus bonis, non confidant externo genere ſuo,quod ab Abrahamo ducebant, & de quo carnales ſemper gloriabantur: nec confidant externis ſacris ſuis,quæ per Moſen acceperant,ſed dent operam ueræ pie tati,& ſicut ſuccedunt generi Abrahæ,ita ſuccedant etiam fidei e ius. Vnde & Ioannes baptiſta monet Phariſęos, Ne ſitis,inquiens, hac mente,ut dicatis intra uos ipſos,Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis,quod poſsit Deus facere,ut ex lapidibus his ſur gant filij ipſi Abrahæ &c. Deinde habent ſuum uſum etiam apud Apoſtolos,& reliquos pios, qui fuerunt his temporibus,quibus hæc in Iudæis impleta ſunt,quia ex hoc uaticinio confirmarunt ani mum,& munierunt fidem ſuam aduerſus ſcandalum illud,quod obijciebatur imbecillibus ex defectione Pontificum à Chriſto, &

perſecutione Euangelij Chriſti. Apoſtoli enim ac reliquus cœtus credentium in Chriſtum, non fuerunt ferrei, aut ſaxei, qui nõ commouerentur contradictione tot Pontificum, & tantæ multitudinis, ac non cogitarent: Quid? Vos ne ſoli ſapitis? Hiccine Chriſtus eſſe poſſet, quem populus ipſe Dei, ac Principes & Pontifices eius manifeſte perſequuntur? Sed aduerſus hæc ſcandala munierunt ſe uaticinijs Prophetarum, ac præſertim Eſaiæ, qui clare prædixerunt fore, ut Iudæi condemnent & abijciant Chriſtum, ac uiciſsim quoq; ipſi condẽnentur & abijciantur. Sic & Chriſtus conſolatur Apoſtolos, Matth. 11. Nolite timere puſille grex &c. Præterea habent & hęc ſuum uſum, noſtris temporibus, ut excitemur ab ignauia, & ſectemur ueram pietatem ſerio. Deus enim reuelauit nobis clementer Euangelion Chriſti filij ſui, & oſtendit nobis ueram & compendiariam uiam ad ſalutem, uidelicet, ut reiectis hypocriticis impietatibus, credamus nos ā Deo in gratiam receptos, propter Ieſum Chriſtum, & agnoſcamus nos habere peccatorum remiſsionem non noſtris meritis, ſed tantum morte ſeu meritis Chriſti filij Dei. Interim autem plurima incommoda ſeſe offerunt. Principes et Pontifices perſequuntur hanc doctrinam. Vulgus hominum, quo clarior eſt prędicatio euangelij, eo ſceleratiorẽ uitam ducit. Ac plane accidit iuxta uetus prouerbium: Quo propior Romæ, eo peior Chriſtianus, hoc eſt, Quo clarior doctrina Euangelij, eo turpior uita auditorum. Accedunt & uariæ ac graues afflictiones & calamitates bellorum, & aliorum incommodorum. Hæc certe perturbant animos piorum, ut uarie afficiantur. Sed cohortantur nos prophetæ, ac præſertim Eſaias hoc loco, ut non offendamur. Docet enim hanc eſſe ſortem regni Chriſti, ut mulieres opulentæ, hoc eſt, magnæ urbes abijciantur, & ut in loco uineæ Chriſti, creſcant ſpinæ ac tribuli. Sentiant, & faciant alij, quod libet, Nos ſequamur uocationem euangelij filij Dei. Sciamus, quod hæ urbes, quę audiuerunt Chriſtum ipſum, & non receperunt eũ, eo calamitoſius perierunt, quo illuſtrius prædicatum eſt in ipſis uerbum Dei. De Hieruſalem dicit Chriſtus: Hieruſalem quoties uolui congregare filios tuos, ſicut gallina pullos, & noluiſti. Ecce relinquet uobis domus ueſtra deſerta &c. De Capernaum, Chorazin & Bethſaida dicit, Tyro & Sidoni et Sodomis tolerabilius erit in iudicio Dei &c. Quare expergiſcamur & nos, ne ſimili iudicio obnoxij fiamus. Cogitemus præterea, quod dum prædicatur euangelion Chriſti, aperta ſit ianua regni cœleſtis, et Deus exaudiat preces, ac ſuſcipiat nos in omnibus aduerſis tuendos. Poſtquam autem retrahit & abſcondit prędicationem Euangelij, claudit etiã ianuã regni cœleſtis, & non ſuſcipit preces. Inuocemus igitur Dominũ, dum exorari poteſt, & ingrediamur in regnũ Dei, dum ianua

nua adhuc aperta est. Esa. 55. Quęrite Dñm dum inueniri potest, inuocate eũ dum prope est. Et 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Matt. 25. Manet ianua sponsi aperta, dũ sponsus uenit. Postquam aũt ingreditur sponsus, clauditur ianua. Et audiunt fatuæ uirgines, Non noui uos &c. Adhæc cogitemus, ꝙ Deus reuelato euangelio suo, soleat uentilabrum in manus recipere, & triticũ à paleis separare. Sic em̃ Baptista dicit Matt. 3. Ventilabrũ in manu Christi, & repurgabit areã suam &c. Festinemus igit̃ fieri triticũ in tẽpore, ne repti inter paleas exuramur igni (inextinguibili &c.

ADHVC EFFVNDETVR SVPER NOS SPIRITVS DE EXCELSO &c.

Quid ergo fiet? num hoc, q̊d ante dictũ est de uastatione et excęcatione gentis Iudaicę, cõtinget indiscriminatim omnibus Iudęis? Nũ Iudæi omnes interibũt? Minime omniũ. Non solũ em̃ non abijcientur omnes, sed etiã adiungetur eis maxima reliquarũ gẽtium multitudo, ut cõsequantur unà summã tranquillitatẽ & fœlicitatẽ. Adhuc, inquit ꝓpheta effundet̃ super nos spiritus de excelso. Etsi peribit inter nos Iudęos multitudo, tamẽ nos qui reliqui sumus, & suscipimus Christũ fide, donabimur spiritusancto de cœlo, & perfundemur diuino gaudio. Effundet etiã DOMINVS in nos tantã benedictionẽ, ut ex sterili deserto fiat Carmelus, seu locus fertilissimus, & Carmelus fiat saltus Libani, seu locus ornatissimus & amœnissimus, quemadmodũ etiã supra cap. 29. dictũ est. Adhęc habitabit Iudiciũ & Iusticia, tã in deserto, q̃ꝫ in Carmelo seu loco fertili, quia instituet̃ ubiqꝫ inter homines siue illos incultos & agrestes, siue politicos & ciuiles regnũ tranquillũ, in q̊ recte administretur iudiciũ & iusticia. Itaqꝫ fructus talis iustę administrationis erit perpetua tranquillitas ac securitas, ut populus pacatus et omni perturbatione carens, fruat̃ summa & tutissima quiete. Et quanq̃ꝫ casura sit aliquoties grando, ea tamẽ cadet ad decliuẽ partẽ syluæ Libani, uel tẽpli ex Libano ędificati, & ad inferiorẽ partẽ, qua ciuitas Hierusalẽ ad uallem deflectit, ut nullũ damnũ frugibus inferat. O uos igitur fœlices, quibus nullũ amplius aridũ et sterile desertum relinquetur, sed omnis circumcirca campus erit satis humidus & fœcundus, ut ibi iunctis bobus & asinis agros colatis, & aretis, atqꝫ sementem faciatis. Etsi em̃ ꝓhibitũ est in lege ne quis aret iuncto bouc & asino, tamen in tãta agrorũ latitudine & fœcunditate abrogabitur hęc lex, & licebit libere iunctis bobus et asinis agros colere. Hęc est iterũ descriptio regni Christi, q̊d est in orbe terrarũ ꝑ Euãgelion, q̊d Apostoli p̃dicauerũt reuelatũ. Quanq̃ꝫ em̃ mulieres opulẽtę, q̃ sunt præcipuę ciuitates, seu incolę earũ in Iudaismo, abijcientur, ne sint amplius populus Dei, tamen non peribit ecclesia. Nam ex ipsis Iudæis reliquiæ saluę erũt, quæ etiã donabũtur spiritusancto admi Deute. 22.

rabiliter, ſicut in die Pentecoſtes, & poſt ea tempora, impletum eſt. Deinde non ſolæ reliquiæ ex Iudæis ſaluæ erunt, uerumetiam deſertum mutabitur in Carmelum, & ex Carmelo fiet Libanus, uidelicet, ædificabitur templum ex Carmelo, hoc eſt, Gentes incircumciſæ, quæ fuerunt uelut ſterile deſertum, adiungentur reliquijs Iudæorum, ut ex Iudæis & gentibus fiat una eccleſia, & ædificetur ex ambobus populis unum templum Sanctum DOMINO. Euangelion enim Chriſti, quod concionatur de uero iudicio et iuſtitia, etſi initio reuelatur tantum in Carmelo, hoc eſt, in Iudaiſmo, tamen non habitabit, non ſedebit tantum inter Iudęos, ſed propagabitur etiam in deſertum, inter gentes. Vobis oportebat, (inquiunt Paulus & Barnabas) primum loqui ſermonem Dei, ſed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes: Sic em̄ præcepit nobis DOMINVS: Poſui te in lucem Gentium, ut ſis ſalus uſq; ad extremum terræ. Porro, Iudicium & Iuſticia, quæ Propheta dicit habitatura eſſe in deſerto & Carmelo, exponuntur à Chriſto ipſo Ioannis 16. Spiritus ſanctus arguet mundū de peccato, de iudicio & de iuſtitia &c. quem locum aliās ſatis explicuimus. Iudicium enim eſt, quod Chriſtus iudicauit, condemnauit & uicit Satanam, ut non poſsit amplius credentibus in Chriſtū nocere, Iuſticia autē eſt, quod profectus eſt ad Patrem, hoc eſt, q̄ paſſus eſt pro peccatis noſtris, Reſurrexit à mortuis, & ſedit ad dextram Dei, ut reconciliaret nos cum patre, & impetraret ut ipſius iuſticia imputaretur nobis. Audiamus ergo, quod ſit opus, ſeu quis ſit fructus, quis prouentus, & quę utilitas huius iuſticiæ. Primum, Iuſticiæ Chriſti opus ſeu fructus eſt PAX. Cum ergo hoc loco non agitur de regno terreno, ſed de regno Chriſti, non intelligenda erit pax terrena, ſed pax, quę conueniat ſpirituali regno Chriſti, quæ eſt pax conſcientiæ coram Deo. De qua pace Chriſtus ipſe loquitur: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, nō quomodo mundus dat, ego do uobis. Et Paulus, Iuſtificati ex fide, pacem habemus erga Deum per DOMINVM noſtrum Ieſum Chriſtum. Hæc aūt pax ita ſe habet, quod conſcientia euangelio certificata, Deum eſſe placatum propter Chriſtum, & donaſſe nobis iuſticiam Chriſti, non dubitat amplius de fauore Dei, non odit iudicia Dei, non murmurat aduerſus Deum, non fugit à facie Dei, ſed pollicetur ſibi omnia beneficia Dei, & ſecura accedit ad thronum clementiæ eius, & inuocat eum ut patrem, nihil hæſitans aut metuens. Hic eſt fructus iuſticiæ Chriſti per fidem nobis donatæ. Longe alius fructus eſt iuſticiæ humanorum operum. Hæc enim relinquit corda in odio Dei, in incertitudine, in metu, in dubitatione, ac deſperatione. Exempli gratia, Iuſticia humana eſt Enumeratio peccatorum,

quam

quam uocant Confessionem auricularem. Hanc instituerũt homines, ut opere eius consequerentur peccatorum remissionem. Sed quo sæpius, & diligentius confessus es, eo incertior facta est conscientia de remissione peccatorum, & de fauore Dei. Sic peregrinatio ad statuas Sanctorum mortuornm, sic ieiunia certorum dierum, sic certæ eleemosynæ, non attulerũt conscientiæ aliquam certitudinem diuini fauoris, sed reliquerunt eam in sua incertitudine, quam etiam auxerunt, donec tandem ex incertitudine facta est desperatio. Deinde opus seu fructus iusticię Christi est silentium, seu tranquillitas & securitas usq; in sempiternum, quia homo iusticiæ Christi ornatus, quam per fidem accepit, non metuit amplius afflictiones huius seculi, & mortem. Sed quia habitat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, seu tutissimis, & in requie opulenta, seu abundanti, hoc est, in Christo filio Dei per fidem, magno & forti animo aggreditur quicquid est periculorum propter Christum, quippe quod certus sit se habitare in protectione Dei cœli, & commorari in adiutorio altissimi. Non potest quidem pius excutere omnem metum ex carne sua, quoad in hac terra uitam egerit: sed hic metus superatur spiritu, in Christo Iesu, ut non possit hominem ad inferos deprimere. Qui enim credit in Christum, sic munitus est, ut etiãsi grando calamitatis decidat, tamen non queat ei nocere. Cadent à latere tuo mille, & decẽ millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit &c. Ac breuiter tanta erit fœlicitas regni Christi, ut nulla sit in eo terra sterilis, sed omnia loca sint apta arationi & sementi, quia Apostoli sparserunt semen Euangelij in omnem terram, & coluerunt agrum ecclesiæ iunctis bobus & asinis, quia prædicauerunt euangelion etiam gentibus, & instituerũt euangelistas, qui sunt aratores ecclesiæ, non tantum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Neq; Titus, inquit Paulus, qui mecum erat, cũ esset græcus compulsus fuit circumcidi &c. In lege abominatio fuit arare iuncto boue & asino, sicut etiam abominatio fuit serere agrũ diuersis seminibus, & induere uestem e lana & lino confectam, uidelicet, ut etiam his ritibus esset discrimẽ inter Israelitas populum Dei, & Gentes à Deo alienas, apud quas hi mores usitati erant. Nunc autem, quia Esaias dicit Apostolos araturos boue & asino, significat legem Mosi abrogandam in regno Christi, & ecclesiam colligendã non tam ex Iudæis quam etiam ex gentibus. Et in ecclesia non tantũ fore ministros ex circunciſione, sed etiã ex prępucio. Christus emẽ in regno suo nõ est respector personarũ. Circunciſio nihil est, prępuciũ nihil est. Obseruatio mandatorũ Dei aliqd est. Et in Christo nec est circunciſio nec præpuciũ, sed noua creatura.

CAP. XXXIII.

VAE QVI PRAEDARIS, NONNE ET IPSE PRAEDABERIS &c.

Alia concio, qua Propheta ciues suos incursione Sanheherib regis Assyriorum uehementer territos consolatur, & bene confidere iubet. Postquam enim Assyrij deuastassent antea Samariam, & abduxissent tribus Israelis captiuas, existimauerunt Hierosolymitani sibi quoq; ab Assyrijs, qui iam bellum aduersus ipsos susceperant, pereundum esse. Sed uoluit DOMINVS regnum Hierosolymitanum, cui præerat Ezechias, diutius conseruare, quod rex abrogasset impia sacra, & instaurasset ueram doctrinam religionis. Quare Esaias consolatur trepidos ciues, & hortatur eos ad pœnitentiam, qua fiat, ut tuti sint ab hostibus. Initio autem sumit argumentum consolandi ab interitu regni Assyriorum. Væ, inquiens, qui prædaris. Loquitur de regno seu exercitu Assyriaco, & uertit sermonem ad eum, ut auditores suos attentiores reddat. Tu, qui omnia longe lateq; uastas, ac prædaris, & nulla habita uel fidei, uel humanitatis ratione cuncta depopularis, etsi hactenus mansisti inuiolatus, & confidis nullum uicissim ausurum te uastare & deprædari, tamen sicut tu alijs populis fecisti, ita uicissim tibi fiet. Qua mensura mensus es alijs, eadem remetientur alij tibi. Postquam enim compleueris tuam iniquitatem, & peruenerís ad terminum diuinitus tibi constitutum, non ultra perges alios uastare, sed alij te uastabunt, & sine misericordia te oppriment. Non est autem obscurum, quam tyrannidem exercuerit regnum Assyriacum in orbe terrarum. Extat iactantia regis Saneherib in 4. Regum 19. & 2. Paralip. 32. An ignoratis, inquit, quæ ego fecerim & patres mei cunctis terrarum populis? Nunquid prævaluerunt dij gentium omniumq; terrarum liberare regionem suam de manu mea? Quis est de uniuersis dijs gentium, quas uastauerunt patres mei, qui potuerit populum suum eruere de manu mea? Sed & interitus huius regis ac regni eius non est obscurus. Non solum enim necesse habuit magna clade accepta, ex Iudæa ignominiose fugere, sed etiam ipse à suis ipsius filijs crudeliter occisus est, & regnum eius translatum est postea ad Babylonios. De uastatione urbis Niniue, quæ fuit metropolis regni Assyriaci, habes Prophetã Nahum, & Tobiæ ca. 14. Etsi aũt Esaias singulari reuelatione spiritus futurũ uidit, ut Saneherib tot regnorum uastator breui periret, tamen utitur hic generali sententia, quę aduersus omnes uiolentos prędatores & uastatores diuinitus lata est. Sic enim est à Deo constitutũ & ordinatũ, ut qui alios opprimit, uicissim et ipse opprimat, et qui aliena uastat, uicissim et ipse uastetur. Hęc est lex talionis, cuius cognitio nõ tantũ sacris literis tradita est, sed etiã humanę mẽti naturaliter insculpta, & per experientiam

perientiam in toto orbe terrarum, tam in populo Dei, quam inter Gentes comprobata. Aristoteles citat uersum Rhadamanti.

Εἰ κε πάθοι τάκ' ἔρεξε, Νύκτ' ἰθεῖα γένοιτο.

Iusta malis hæc admisso pro crimine pœna est,
Si quæ fecerunt eadem patiantur & ipsi.

Eadem docet etiam Christus: Qua mensura metimini, eadem metientur uobis alij. Sic & Samson de Philistinis dicit, Sicut fecerunt mihi, sic feci eis. Et Samuel ad Agag regem Amalecitarum. Sicut fecit absq; liberis mulieres gladius tuus, sic absq; liberis erit inter mulieres mater tua. Et Abacuc cap. 2. de Babylone, Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui erunt de populis &c. Quid plura? Hoc est solenne & publicum iudicium regnorum huius mundi, ut quemadmodum monarchæ eorum opprimunt impotentiores, ita uicissim ipsi opprimantur à potentioribus. Hæc recitat Esaias suis auditoribus, ut excitet eos ad fiduciam in eo metu, quo contremiscebant in incursione potentissimi regis Assyriorum. Nobis autem recitantur, ut discamus iuste cum proximo negociari, ac nihil cuiquam ui aut fraude auferre. Non potest enim fœlix esse, quod inique & illegitime seu uiolenter seu fraudulenter paraueris. Nam quemadmodum si quis auide sumpserit cibum, qui non possit concoqui, aut necesse habet eum magna difficultate uel euomere, uel per catharticon eijcere, aut si retinuerit eum, corrumpitur uniuersum corpus, ita & opes inique partæ, aut reddendæ sunt magno damno, aut retentæ inficiunt etiam eas opes, quæ iuste partæ sunt. Sed hic consyderandum est, quod etiamsi diuina sit ordinatio, ut si quis prædetur, uicissim fiat alijs præda, non tamen licet cuiuis nisi diuinitus uocato, hanc Dei ordinationem exequi. Neq; enim ideo licet latronibus grassari in mercatores, quod mercatores soleant opes suas fraude & impostur is acquirere: sed aut magistratus hoc ius legitime exequatur, aut si magistratus cessauerit, Deus ipse alias inuenit rationes, quibus iniquitas puniatur.

Iudi. 15.

1. Samue. 15.

Deinde Propheta consolatur ciues suos promissionibus diuinæ clementiæ. Non proponit autem has simplici sermonis figura, sed format eas publicis precibus. Postquam enim prædixit fore, ut pereat rex Assyriacus, statim erumpit, ut & alias interdum in publicis concionibus fieri solet, in preces, quibus ita implorat auxilium Dei, ut interim significet certas diuini auxilij promissiones. DOMINE, inquiens, Miserere nostri. Te expectamus, Sis brachium eorum summo mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Breuissima quidem oratio, si uerba respicias, sed bene longa, si sententiam expendas. Non delectatur Deus multiloquio, nec exaudit propter multiloquium. Nec

orandū est, quod Deus necesse habeat à nobis erudiri, quid opus habeamus, sed orandum est, ut fides, qua sola recte accipimus beneficia, Dei excitetur in nobis. Sicut enim credimus, ita fiet nobis. Fides autem excitatur & conseruatur diuinis promissionibus. Videamus igitur quas promissiones Dei hæc Esaiæ oratio contineat, aut de quibus nos admoneat. Primum, cum dicit, Miserere nostri, commonefacit & se & ciues suos de omnibus ijs promissionibus, quas Deus dixit de sua misericordia, & quibus significauit se esse Deum misericordē, præsertim de ijs, quæ scriptæ sunt Exod. 34. Dixit enim Deus ad Mosen, se esse DOMINATOREM DOMINVM, Misericordem, Clementem, Multę miserationis &c. Et Deutero. 4. Nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies uocem eius, quia Deus MISERICORS Dominus Deus tuus est &c. Deinde cum dicit, Te expectamus, seu, In te speramus &c. admonet nos de promissionibus Dei, quæ dictæ sunt expectantibus seu sustinentibus Deum, & sperantibus in eum. Psalm. 24. Vniuersi qui expectant te, non confundentur. Et Psalm. 32. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Psal. 26. Expecta Dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dñm. Psalm. 36. Expecta Dominum & custodi uiam eius, & exaltabit te ut hęreditate capias terram &c. Adhæc, cum ait, Esto brachium eorum, respicit pręcipue in illud Psalmi 88. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto unxi eum, Manus tua auxiliabitur ei, & BRACHIVM meum confirmabit eum. Hic enim recitatur promissio de conseruatione regni Dauidis, quod periclitabatur sub Ezechia. Et cum additur MANE, hoc est, cito, tempestiue, respicit in illud Psalm. 45. Deus in medio eius, non commouebitur, adiuuabit eam Deus MANE diluculo. Postremo quod ait, Salus nostra in tempore tribulationis, respicit in omnes eas promissiones, quas dixit Deus de afflictis & inuocantibus ipsum in afflictione. Psal. 45. Deus noster refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Et Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me &c. Vides igitur preces in hūc usum exigi, ut commonefacti per eas, de promissionibus Dei, certam fidem concipiamus, & confirmemus, &c.

A VOCE ANGELI FVGERVNT POPVLI &c.

Pro (Angeli) hebræus habet Tumultus &c. Alia ratio cōsolandi territos ciues. Potest quidē hic uersiculus esse appendix earum precū, quæ præcesserunt, ut sit sententia. Fugiant (quæso) populi prę ingenti tumultu, quem tu DOMINE inter eos excitabis, & dissipentur gentes, cum tu exaltatus fueris, seu maiestatem & potentiam

potentiã tuam declaraueris. Sed nos cõiungemus hunc uersiculum cum ijs, quæ sequuntur, ut constet nobis antithesis, qua Propheta ciues suos consolatur. Facit enim antithesin exercitus Saneherib, & urbis Hierusalem, seu Zionis, ut pij auditores eius non cohorrescant muliebriter ad minas Saneherib, sed confidant fore, ut hostibus e medio mirabiliter sublatis, perpetua sit fœlicitas in Zione. Nam Saneherib minabatur se deleturum urbem Hierusalem. Quare metuebãt pij, ne una cum urbe ruerent etiam promissiones dictæ ad Dauidem de æterno regno seminis eius, quo fieret, ut & tota religio, hoc est, omnis salus ipsorum concideret. Opponit igitur Propheta inter se exercitum Assyriacum, & urbem Zion, ut doceat illum dissijciendum, hanc autem omnem fœlicitatem consecuram. Populi, inquit, seu milites Assyriaci a uoce tumultus, quem Angelus in exercitu ipsorum excitabit, & gentes quę conuenerunt ad delendam Hierusalem, dissipabuntur, cum tu Domine exaltatus fueris, hoc est, declaraueris palam tuam potentiam & maiestatem. Et cum uos Assyrij hactenus maximas prædas feceritis non tam ex Iudæa, quam ex omnibus gentibus, futurum est, ut uicissim præda uestra diripiatur. Quẽadmodum enim bruci aut locustæ solent mãgna multitudine in herbas ac segetes irruere, & eas depascere, ita multi quoque hostes irruent dissectis Assyrijs in castra eorum, & diripient ea. Econtra autem Dominus, quem Assyrij blasphemia affecerunt exaltabitur, seu magnificabitur, quia habitat in excelso, & facit miranda. Zionem enim, quam Assyrij cupiunt extinctam, implebit iudicio & iustitia. Et erit temporibus tuis, o Domine, ueritas, opulentia, salus, sapientia, & scientia. Et timor Domini est thesaurus eius, hoc est, In Zion erunt timentes Deum, qui sunt uerus thesaurus Domini. Duo hic dicit Propheta. Alterum, de interitu exercitus, & regni Assyriorum: alterum de conseruando regno Domini, & saluanda Zione. Quod de Assyrijs dicit, impletum est nõ solum eo tempore, quo Angelus Domini percussit in una nocte centum octoginta quinq; millia hominum in castris Assyriorum, uerumetiam quo regnum Assyriacum translatum est ad Babylonios. Obserua igitur hoc loco, quod sit supplicium eorum qui blasphemia afficiunt Dominum Deum nostrum, & aliena rapiunt. A uoce, inquit, tumultus fugient populi, & ab exaltatione tua dispergentur gentes. Assyrij affecerunt Dominum blasphemia, ut habes in historia Ezechię. Dominus igitur exaltatur, & glorificatur, ipsi autem opprimentur, & ignominia afficientur. Et Assyrij fecerunt prædas aliarum gentium. Quare irruent in eos uicissim aliæ gentes, sicut bruci & locustæ, ac depascent eos. Vides blasphematores nominis Dei manere extremam ignominiam, &

Blasphematorum supplicium &c.

direptores alienarum rerum manere ſuarum rerum direptionem. Blaſphemant nomen Domini qui in aduerſis inſultant pijs, & dicunt: Vbi nunc eſt Deus tuus? Vbi preces tuæ? Vbi Chriſtus tuus? Vbi Euangelion tuum? Cur te in his afflictionibus non iuuit? Cur te in manus hoſtium tradidit? Sed talem cõtemptum Deus ſolet magna cõtemptorum ignominia, & clariſsima nominis ſui gloria uindicare. Exempla ſunt Aſsyrij, Babylonij, & Iudæi ipſi, qui inſultantes Chriſto in cruce, paulopoſt miſerrime perierunt. Qui autem aliena prædantur, hi nihil aliud faciunt, quam quod colligant opes brucis, erucis, & locuſtis, hoc eſt, doryphoris, militibus equitibus, & ut nunc loqui ſolemus, Hiſpanis ac Turcis diripiendas. Quæ uero hæc eſt inſania, colligere opes quibus hoſtes fruantur, & ipſi collectores pereant? Multa ſolent dici in opes iniuſte partas. Nunc uocantur Maledictio Dei, nunc Ignis, nunc eſca brucorum & locuſtarum, & tamen tanta eſt hominum duricies, aut cõtemptus uerbi Dei, ut cæci ruant in omnia genera impoſturarum, rapinarum, furtorum, peiuriorum, uerſutiarum, tantum ut ſibi opes congregent. Quare non eſt mirum, quod bella & aliæ calamitates oriantur. hoc mirum eſt, quod non ſubito ad unum totus mundus in tanta impietate pereat. Sed reuertamur ad propoſitum. Alterum, quod Propheta dicit de exaltando regno Domini, & de ſaluanda Sione, & ſi reſpicere uidetur in tempora Ezechiæ, quibus magna fœlicitas poſt interitum regis Aſsyriorum contigit urbi & regno Hieruſalem. Sic enim dicit ſcriptura. Saluauit Dominus Ezechiam & habitatores Hieruſalem, de manu Saneherib regis Aſſyriorum, & de manu omnium, & præſtitit ei quietem per circuitum &c. tamen fœlicitas eorum temporum minor fuit, quam quę tam magnificæ prædicationi, quæ in hoc loco extat, reſpondeat. Quare quę hic recitantur, intelligenda ſunt de regno Chriſti, & de ſalute quę Eccleſiæ, uere Zioni, per Chriſtum contigit. Ac initio, Chriſtus manifeſte prædicatur hic uerus Dominus Deus noſter. Erit, inquit, Veritas temporibus Tuis. His uerbis (Temporibus tuis) Propheta non reſpicit in Ezechiam, cuius nullam antea mentionẽ fecerat, ſed reſpicit in Chriſtum, cuius temporibus hæc quæ recitantur hic impleta ſunt, & implentur ſemper in Eccleſia, ſeu in regno Chriſti. Quem autem Propheta hic in ſecunda perſona alloquitur, de eo pauloante in tertia perſona dixerat: Exaltabitur Dominus, quia habitat in excelſo, implebit Ziõ Iudicio et Iuſticia. Vocat igitur Chriſtum Dominum Iehoua, hoc eſt, uerum Deum. Hęc eſt ergo ſententia Prophetæ. Saneherib blaſphemia afficit Deum Zionis, quod imbecillior ſit q̃ qui poſsit populum ſuum iuuare & defendere. Sed uos ciues bene confidite, nolite his blaſphemijs terreri,

reri,& Dominum deſerere. Is enim Dominus, qui nũc uidetur hoſtibus admodum imbecillis, ſic temporibus ſuis, cum hominem induerit, exaltabitur, ut maieſtas eius toti orbi nota fiat, et conferat omnia genera beneficiorum in Zionem. Exaltatus autem eſt Chriſtus uerus Dominus, prædicatione Euangelij, miraculis, Reſurrectione a mortuis, miſsione ſpiritus ſancti, & diuulgatione Euangelij ſui in totum orbem terræ. Sed quæ beneficia conferat in Eccleſiam, audi Prophetam. Primum, Implet Zionem ſeu Eccleſiam iudicio & iuſticia: hoc eſt, uincit & damnat Satanã, ac impetrat a Patre, ut quotquot in ipſum filium Dei credunt, reputẽtur iuſti, quẽadmodum alias copioſe expoſuimus. Deinde, In regno Chriſti eſt Veritas ſeu certitudo, & firmitas. In regnis enim mundanis nulla aut pauciſsima eſt ueritas ſeu firmitas. Non ſeruantur pacta & promiſsiones. Nihil eſt firmum ac ſtabile. In regno autem Chriſti ſumma eſt ueritas, quia ſeruat omnes ſuas promiſsiones & implet eas. Etiamſi homines infirmi ſunt, & quodammodo increduli, tamen ipſe manet fidelis, ſeipſum negare non poteſt. Eſt & regnum Chriſti firmum ac perpetuum. Cum omnia alia regna intereant, hoc ſolum ſtat inæternum, ſicut & Daniel cõcionatur. Præterea, In regno Chriſti eſt opulentia ſalutis, hoc eſt, maxima & potẽtiſsima ſalus. In regnis huius mundi inuenias uix aliquam corporalem ſalutem. At in regno Chriſti eſt perpetua ſalus conſeruans hominem etiam in morte. Deinde in regno Chriſti eſt ſapientia, eſt & ſcientia, quia ibi eſt & cognoſcitur Chriſtus per Euãgelion ſuum, qui eſt theſaurus omnis ſapientiæ & ſcientiæ. In regnis huius mundi ſapientia iudicatur, colligere opes mundanas, dilatare terrenum imperium. Scientia habetur, ſi quis nouerit mathematicam, aut alias artes. Et hæc quidem ſapientia aut ſcientia ſuum habet mundanum uſum. In regno autem Chriſti uera eſt ſapientia & ſcientia, qua conſequimur æternas opes, & ueram cognitionem Dei, quæ eſt per Chriſtum. Ac breuiter in regno Chriſti erit timor Domini, qui timor eſt theſaurus Dei: hoc eſt, In regno Chriſti omnes erunt uere Deum timentes & colẽtes. Hi ſunt theſaurus Chriſti, quem habet in terris. Nam in regnis huius ſeculi nullus eſt uerus timor Dei, & Monarchæ mundi non reputant pro theſauris ſuis ueros cultores Dei, & ſectatores ueræ pietatis, ſed potius perſequuntur eos: reputant autem pro theſauris ſuis magnam uim pecuniæ, munitas arces & urbes, magnum exercitum peditum & equitum, multam armaturam bellicam, & id genus alia. Chriſtus autem reputat pro theſauro regni ſui, eos, qui uere ipſum timent, uere in ipſum credunt, & uocationi eius obediunt. Hoc autem non tantum debet nos excitare ad obedientiam & timorem Dei, ut ſimus Dei timentes, quo & nos in

Theſaurus Chriſti.

thesauro eius locum habemus, uerumetiam debet confirmar esse dem nostram in aduersis. Si enim sumus thesaurus Christi, certe Christus seruabit nos summa diligentia, sicut thesaurus seruari solet &c.

ECCE VIDENTES CLAMABVNT FORIS, ANGELI PACIS &c.

Pro (Videntes) apud hebræos est אראלם Arelom, quod &si nonnulli diuidunt in duas dictiones, tamen uulgo exponi solet pro Legatis. Alia antithesis, quo Esaias consolatur suos, ne minis et uastationibus Assyriorum ita terreantur, ut existiment de salute urbis suæ actum esse. Opponit enim inter se ex una parte uociferationem legatorum, qua attollebant in immensum uires, et calamitates, quas Assyrij inferebant regioni Iudæorum: ex altera autem parte potentiam ac maiestatem Dei, qua hostes superaturus, & suos defensurus esset, ut sit sententia. Fortis quidem est hostis, & magna dãna infert: Sed multo fortior est Dominus, qui postquam consurrexerit, perdet omnes populi sui aduersarios. Ecce, inquit, Legati uociferantur foris, & angeli seu nuncij emissi ad constituendam pacem, lamentantur amare. Hæc intelligenda uidentur, non de Legatis, quos Sancherib misit ad Ezechiam, & Principes eius, sed potius de Legatis, quos Ezechias, & Hierosolymitani miserunt ad Sancheribũ, ut cum eo de cõditionibus pacis tractarent. Illi aũt non solũ redierunt infecta pace, uerũetiam retulerunt uniuersam regionẽ bello ardere ac uastari, nec ullã salutis spem reliquã esse. Testabantur etiã publice lacrymis ac uociferationibus suis, extremã populi Dei internecionẽ adesse. Dicebant. n. Ecce, cum suscepissemus hãc legationem & profectionẽ ad exercitũ regis Sancheribi, inuenimus omnia conculcata & protrita. Desolatæ sunt semitæ. Quæ fuerunt hactenus semitæ frequentissimæ, in ijs ne unum quidem & alterum uiatorem uidimus. Irritum factum est pactum. Si Legati loquuntur de Sancheribo, hęc est sentẽtia. Tanta est perfidia hostis, ut etiamsi paciscatur uel pacem uel inducias, nullam tamen prorsus fidem seruet. Quæ ciuitas, confisa promissis eius, tradit sese sine oppugnatione, in eam non minus sæuit, quam si eam ui expugnasset &c. Si autem loquuntur de pacto Dei, tunc hæc est sententia. Pactus est quondam Deus cum Abraamo, se cõseruaturum posteros eius, & defensurum eos in terra sua, ut tuti sint ab hostibus. Nunc autem uidemus hoc pactum prorsus irritum fieri: Deus reiecit gẽtem nostram, abominatur ciuitates nostras, tradit eas in manus hostium, pro nihil reputat nunc homines nostros. Sinit eos impune & crudeliter ab hostibus trucidari. Ecce enim, tota regio nostra luget & languet, iacet ubique ab Assyrijs uastata. Suffossus &

succisus

ſucciſus eſt mons Libanus. Saron mons, qui quondam paſcua præ buit armentis Dauid, (primo Paralipo. uigeſimoquinto) factus eſt quaſi deſertum. Baſan & Carmelus nudati & ſpoliati ſunt omni fructu & fertilitate ſua. Breuiter, non tam agri quam ſyluæ ab hoſtibus ita protrita & conculcata ſunt, ut ſine maximo horrore aſpicere non queas. Quid igitur ſalutis poſſet urbs Hieruſalem, & pauci illic incluſi ſperare? profecto tanta eſt hoſtium multitudo & ferocia, ut certiſsima nobis omnibus internecio immineat. Atque hæc quidem legatorum ſunt uerba, plena deſperationis. Sed audiamus nos, inquit Propheta, uiciſsim uerba Domini Dei noſtri. Fortis eſt hoſtis. Sed fortior eſt Deus noſter. Magna eſt calamitas, quam hoſtis intulit regioni: ſed maior eſt ſalus, qua nos ſeruaturus eſt Dominus noſter. Nunc conſurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc extollar. Non differã auxilium meum in tempus longinquum: Sed nunc, hoc tempore, declarabo meam potentiam, & maieſtatem aduerſus Sanheribum, ut nomen meum glorificetur, magnificetur, & illuſtretur in toto orbe terrarum. Vobis enim hoſtibus populi mei, uobis Aſsyrijs hoc dico, quod & ſi concipitis magnas ſpes de expugnanda urbe Hieruſalem, & de opprimendo regno Iuda, ac uidemini iam uictoriam in manu habere, tamen quod concipitis, palea eſt, & parietis ſtipulam, quam ignis ſpiritu ueſtro exufflatus, ſubito deuorabit: hoc eſt, ſpes ueſtra eſt uaniſsimã. Parturitis montes, ſed naſcetur ridiculus mus. nihil efficietis. Non occupabitis urbem Hieruſalem, non opprimetis regnum Iuda, ſed uos ipſi potius fœde peribitis. Ac uidebimini quidem nunc fortes, ac firmi. Sed quemadmodum duri lapides igni excocti uertuntur in calcem, ut infuſa aqua mox in puluerem ſoluantur: ita qui nunc exiſtimatis uos ſaxeos eſſe, breui reſoluemini in cineres. Et ſicut ſpinæ pungunt quidem aciculis ſuis attrectantem, eradicatæ autem, & in ignem coniectæ, fiunt cinis tam mollis, ut attrectans uix ſentiat: ita hoſtes populi mei, nunc grauiter pungunt, ſed paulo poſt reſoluentur in cineres, & diſpergentur ſicut puluis a facie uenti. Habes antitheſin clamoris legatorum de hoſtium potentia & incurſione, ac diuini uerbi de maieſtate Dei & oppreſsione hoſtium. Declarauit autem euentus de rege Aſsyriorum, quod hæc concio Eſaiæ fuerit oraculum uere diuinum. Porro hæc antitheſis habet duas partes. In priori adumbratur ingenium uanorum ac impiorum legatorum, qui omnia aduerſariorum in maius attollentes, ſolent eſſe imbecillibus offendiculo, ne adhibeant fidem diuinis promiſsis. Non diſsimile exemplum extat in exploratoribus, quos Moſes ad explorandam terram Canaan emiſerat, Num. decimotertio. Hi redeuntes dicebant:

Terra quã lustrauimus deuorat habitatores suos. Populus quem aspeximus proceræ staturæ est. Ibi uidimus monstra quædam filiorum Enach &c. Sed hoc artificium maxime omnium Satan callet, quod in tentationibus obijcit homini extrema quæq; pericula, & facit omnia terribiliora ac horribiliora, quam humana mens uerbo Domini non munita sufferre possit. Hoc autem idcirco facit, ut dejciat hominem a fide uerbi Dei, & conjciat eum in scelera, & desperationem. Interim soluit etiam argumenta, quę ipsi objci solẽt. Est enim acutissimus disputator. In paupertate dicit, Quid? Impossibile est, ut possis te & familiam tuam cibo conseruare. Vides tuũ opificium non afferre aliquod lucrum. Magna est rerum omnium penuria & caritas. Homines sunt immisericordes & crudeles, qui egentẽ non adiuuent. Accedit huc, quod importunitate & cõuicijs tuis feceris te cunctis uicinis odiosum & abominabilem. Nec potes te solari promissis Dei, quia Deus prõmisit beneficia sua iustis, nõ iniustis, qualis tu es. Reliquum igitur est, ut cum hoc rerum statu plane tibi sit fame pereundum, aut appellas animum ad furta, impostituras, latrocinia, aut facias ex te literam pensilẽ. In morbo & mortis periculo dicit: En moriendum tibi est. Quid igitur futurum putas? Scis te esse peccatorẽ, ac designasse multa, magna & grauia peccata. Quare necesse habebis primum omnium grauissimos mortis dolores ferre. Vidisti sæpe morientes, quam horribiliter efflarint animam. Idem certe, aut longe horribilius tibi accidet. Deinde ueniet legio Satanarum, quę abducet animam tuam ad perpetuos cruciatus. Quas ibi miserias non uidebis? quos dolores non perferes? Nec ullus erit horum dolorum finis &c. In peccatorum agnitione dicit: Quid? An non tu ipse uides peccatorum tuorum grauitatem? quomodo ergo posses apud Deum sperare ueniam? Promisit ille misericordiam suam, sed diligẽtibus ipsum ex toto corde, & seruantibus mandata eius. Tu autem nunquam dilexisti Deum ne ex dimidio quidem corde, & nullum mandatum eius ex animo unquam seruasti. Confidis te cõsecuturum remissionem peccatorum exemplo Dauidis, Pauli, & aliorum, qui fuerunt scelerati. Sed hi egerunt pœnitentiam, & postea semper sancte uixerunt. Tu autem subinde redijsti, etiam post pœnitentiam, ad uetera peccata, nec unquam egisti ueram pœnitentiam. Quare manet te non solum horribilis mors, sed etiam perpetuum supplicium inferni, e quo nulla unquam erit redemptio. Quid ergo facies? abi cito & suspende te. Hæc una uia est, si non penitus effugiendi, tũ mitigandi mala tua. In persecutione Euangelij exaggerat potentiam aduersariorum, nostram impotentiã, pericula in facultatibus auferẽdis, in familia deserenda, in morte sustinenda, & quicquid crudelitatis excogitare potest.

Satanæ tentationes.

ſeſt. Interim etiam ſollicitat ad dubitandum de ueritate Euangelij. Quid? putas ne uerum & certum eſſe quod de Euãgelio Chriſti dicitur? Cur igitur ob rem tam incertam, & adhuc dubiam obijceres te tot & tam difficilibus periculis? &c. Habes uociferationes Satanæ amplificantis in tentationibus peccata, pericula, & reliqua mala noſtra, ut impellat nos ad ſcelera, ad blaſphemiam, & ad deſperationem. Sed diſcamus Satanæ reſiſtere ex altera parte antitheſis, quã Eſaias hoc loco proponit. Nam cum Legati Hieroſolymitani exaggerarẽt pericula, quæ a Sancheribo urbi Hieruſalem imminebant, exaggerat ipſe uiciſsim potentiã & maieſtatem Dei, ac uerbum & promiſsionem eius. Nunc conſurgam dicit Dominus. Hactenus uiſus ſum dormitare & ſtertere, dum Aſsyrij incurrerunt in regnũ Iuda. Nunc autem poſtquam pericula ſumma ſunt, exurgam, & defendam meum populum, ac palam declarabo omnes aduerſariorũ conatus eſſe ſtramen & ſtipulam, eſſe calcem & ſpinas in cinerem reſolutas. Duo docet hic Propheta. Alterum eſt, quod & ſi Deus conniuet aliquandiu ad impietatem & crudelitatem hoſtium ſuorum, tamen cum pericula ad ſummũ peruenerunt, tunc præſto adeſt cum ſuo auxilio. Vnde Pſal. ix. uocatur Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Sic adiuuit Iſraelitas in Ægypto, ſub tyrannide Pharaonis. Sic iuuit Iudæos in Babylone, ſub tyrãnide Balthaſaris. Sic iuuat pios quoſcp in morte ipſa. Ac manifeſtum quidem eſt, cp etiam ante pericula non poſsimus, niſi diuino beneficio ſeruari, & plures ſunt, ut uetus dictum habet, gratiæ priuatiuæ cp poſitiuæ, non apparet autẽ gloria diuini auxilij tam manifeſte ante pericula cp in periculis. Quare cum Deus cõniuet, donec inciderimus in pericula, non ſentiamus Deum nos deſeruiſſe, ſed Deum uelle gloriã nominis ſui liberatione noſtri reportare. Alterum eſt, cp ſpiritus ſanctus pingit uanitatem conatus & inſtituti hoſtium Dei aduerſus pios, tribus pulcherrimis comparationibus. Vna eſt, cp conatus impiorum, eſt ſicut ſi quis concipiat paleas, & pariat ſtipulas. Quid hic aliud facit, cp quod parit igni eſcam? Talis conceptus & partus fuit conatus Pharaonis, qui inſtituit uniuerſam gentẽ Iſraeliticam delere. Talis partus fuit conſilium Sancherib, Nabucho donoſoris, Antiochi, Phariſæorum & Pontificum, Iudæorum & omnium gentiũ aduerſus populum Dei, aduerſus Chriſtum & Euãgelion eius. Talis conceptus & partus eſt Satanæ & mortis aduerſus omnes pios &c. Altera eſt, Populi erunt, quaſi combuſtiones calcis. hoc eſt, ſicut ſaxum, priuſquam igni concoquitur, durum eſt, poſtquam autem coctũ fuerit igni, fit calx, & reſoluitur in cineres: ita impij & minæ eorum, uidentur duriſsimi & crudeliſsimi, priuſcp exurrexerit Dominus & iudicauerit, ſed ſtatim ut Deus

iudicio ſuo uiſitauerit eos, abeunt in interneccionem. Tertia eſt, quaſi ſpinæ eradicatæ igni comburentur. Conatus impiorum ſunt ſpinæ, Sed eradicatæ & ad ignem præparatæ, pungunt quidem, ſed mox reſoluentur in cineres per ignem. His ſimilitudinibus excitanda & confirmanda eſt fides noſtra in periculis, in aduerſis, & in media furia hoſtium Dei. Grauiſsima minatur Satan, ſed ſi in Chriſtū crediderimus, & perrexerimus ire in uocatione eius, minæ Satanæ ſunt paleæ, quiſquiliæ & ſtipulæ. Sunt lapis in calcem concoctus, ſunt ſpinæ ad ignem deputatæ. Quare ſuſtineamus inſultum eius patienter & obedienter. Cogitemus, Maiorem eſſe, qui intra nos eſt, quam qui in mundo &c.

AVDITE QVI LONGE ESTIS QVÆ FECERIM, ET COGNOSCITE VICINI &c.

Sequitur refutatio cauillationis, qua impij ſpargebant inter ciues, impoſsibile eſſe, ut Zion & populus eius diutius inter tot potentiſsimos & infenſiſsimos hoſtes conſtare poſsit. Etſi enim fieri poteſt, ut nunc ab incurſione Saneheribi liberentur, tamen quia regnum Iſrael eſt deuaſtatum, & ipſi non ſolum pauci ſunt & ab omnibus deſerti, uerum etiam omnibus tam finitimis, quam longinquis regibus ac populis odioſiſsimi, quid aliud futurum eſt, quam ut uel tandem opprimantur & pereant. Eſaias igitur, occaſione huius cauillationis inſtituit refutationem, qua docet quis ſit uerus populus Zionis, & recenſet inſignem concionem de regno Chriſti, & de beneficijs, quæ cõtingunt uero populo ſeu Eccleſiæ Dei, propter Chriſtum. Audite, inquit Dominus, lõginqui & propinqui, quid facturus ſim, & quanta potentia, quanta maieſtate defenſurus & conſeruaturus ſim populũ ſeu Eccleſiam meam. His uerbis mouetur attentio, quod ad audiendum uocantur, nõ ciues tantum, uerumetiam extranei, ac non præſentes ſolum, ſed etiam poſteri eorũ. Itaq; ſignificatur hanc concionem ad poſteros quoq;, & ad externas gentes pertinere. Priuſquam ergo cõcionatur de uera Eccleſia & regno Chriſti, recitat cauillationem impiorum. Peccatores, inquit, in Zion magno metu concutiuntur: & hypocritæ, qui hactenus uiſi ſunt præcipui in populo Dei, nunc produnt ſuam hypocriſin & impietatẽ, ac contremiſcunt uehementi timore. Audiunt Deum clemẽter polliceri ſeſe tutaturum Zionẽ & populum eius: Sed uiciſsim ipſi uociferantur: Quis ex uobis poterit habitare cum igne deuorãte? quis ex uobis perdurare poterit in hoc perpetuo incẽdio? Noſtræ ſunt pauciſsimi. Oẽs aũt aliæ gẽtes, quæ ſunt innumerabiles, ſunt nobis infenſiſsimę. Belligerãtur nobiſcum perpetuo, & conſpirarunt in exitium noſtræ. Nec uidentur nobis aliud eſſe, q̃ ignis deuorans, & incendiũ cõtinenter ardẽs. Ecce, n. Aſsyrij deuorarunt

rarunt iam pene totum orbem terrę. Quid igitur reliquum esset, q̃ ut nos quoq; sint deuoraturi? Ac finge, nos hæc præsentia pericula euadere, tamen in tanto odio, in tanta inuidia, qua apud omnes gẽtes laboramus, fieri nõ potest, ut incolumes duremus. Necesse est, ut uel tandem hic populus, quem Dei populum uocant, internecione pereat. Hæc est insignis descriptio impiorũ hypocritarum, qui in prospero successu Ecclesię uolunt uideri præcipui, in aduersis autem, nõ solum ab Ecclesia ad hostes eius deficiunt, uerumetiam existimant de salute Ecclesiæ actum esse. Non enim ponunt sibi ob oculos promissiones diuinas, sed tantum imbecillitatem & paucitatem credentium, & multitudinem, magnitudinem, ac potentiam aduersariorum. Hos putant esse ignem omnia deuorantem, & incendiũ perpetuo ardens. Propheta igitur refutat eos, & discernit uerã Ecclesiam perpetuo durantẽ, hoc est, ueram & perpetua salute fruentem, a falsa, quæ tempore afflictionis deficit a Deo, & in æternum perit. Qui ambulat, (inquit) in iusticijs: hoc est, Vos hypocritæ existimatis populum seu Ecclesiam Dei nõ posse saluam inter tam uirulenta odia potentissimorum hostium permanere. Ac recte quidem sentitis, si de uobis & uestri similibus, uidelicet, de sceleratis & impijs hypocritis, qui uocantur quidem populus Dei, sed non sunt, loquimini. Hi enim, & si nunc liberantur ab incursione hostili Assyriorum, & a sexcentis alijs afflictionibus in hoc seculo, tamen quia carent uera Iusticia fidei, necesse habent uel tandem ab igne deuorari, & sempiternis ardoribus absumi. Verus autem populus, uera Ecclesia Dei, & si aliquoties affligitur, ac etiam in hoc seculo opprimitur, tamen seruatur semper diuinitus & fruitur æterna salute. Quæ est ergo uera Ecclesia Dei, quæ habitat cum igni deuorante, & ardoribus sempiternis, hoc est, quæ constat in omnibus aduersis, quamuis diuturnis? Hic describit Propheta ueram Ecclesiam fere adinstar Psalmi decimiquinti: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula &c. Esaias ergo dicit: Qui ambulat in iusticijs &c. Obserua, quæso, quod a singulis pene membris rectum suum officium exigat, uidelicet hoc agens, ne præbeamus membra nostra arma iniusticiæ.

Hypocritarũ descriptio.

Ecclesiæ uerę descriptio

De pedibus dicit: Qui ambulat in iusticijs. Pedibus enim ambulamus.

De lingua, ac tota facie ait: Qui loquitur recta, & abominatur lucrum ex calumnijs. Lingua enim loquimur, & facie auersamur aut abominamur, quod improbamus.

De manibus: Qui excutit manus suas ab omni munere.

De auribus: Qui obturat aures ne audiat Sanguinem.

De oculis: Qui claudit oculos suos, ne uideat malum.

Hæc etsi uidentur uulgaria, & facile posse præstari, tamen, si probe ea perpendas, complectuntur summatim omnia officia pij hoīs.

Primum: Qui ambulat, inquit, in iusticijs. Duplex enim est iusticia. Vna est fidei, cum credimus in Messiam, quod ipse solus sit uictima pro peccatis nostris, & reconciliet nos Deo Patri, ut adoptemur in filios Dei, & fiamus hæredes æternę uitæ. Hæc est aliena quidem iusticia, in Messia seu Christo sita, sed nobis per fidem cōmunicata. Cum enim donatur nobis a Patre Messias filius eius, donatur etiam nobis iusticia eius. Hęc una est illa iusticia, qua & reputamur coram Deo iusti, & constamus in iudicio Dei. Altera est iusticia operum, quæ est fructus prioris iusticiæ. Iustificati enim ex fide donamur spiritu sancto, qui excitat inuocationem, & mortificat carnem, ut fugientes peccata, faciamus iusta & a Deo præcepta opera, quæ & si non sunt omnino perfecta propter carnem, tamen placent Deo propter Christum fide acceptum. Qui in carne sunt, inquit Paulus, Deo placere non possunt. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis &c. Quare qui in his iusticijs ambulat, is est membrum ueræ Ecclesiæ, & habitabit in excelsis, nec commouebitur inæternum.

Iusticia duplex.

Secūdo: Qui loquitur recta, & abominatur lucra ex calumnijs. Hoc Psalmus xv. ita effert: Qui loquitur ueritatē in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malū. Et mox: Qui iurat proximo suo & non decipit, qui pecuniā suam non dedit ad usuram &c. Officium enim pij est, ut non solū coram Deo fide, inuocatione & confessione nominis eius recte faciat, sed etiam honestam & rectam uitam ducat cum proximo suo. Nam quod ad facultates attinet, infertur proximo iniuria aut dolis & mēdacijs, aut priuata uiolentia, aut publica specie iuris per magistratum. Quare pij hominis est, ut negocietur cum proximo, posthabitis omnibus dolis, mendacijs, & impostur is. Loquatur recta & uera. Est & officium eius, ut nullum lucrum uiolenter partum amet, nihil rapiat, nihil furetur, nullas opes inique congreget, & ut Paulus ait, ne quis opprimat ac fraudet in negocio fratrem suum, propterea quod ultor est Dominus de his omnibus &c.

Pij officium.

Tertio: Qui excutit manus suas ab omni munere. Hoc partim ad magistratū attinet, ne acceptis muneribus, ius inuertat, & iniquā sententiam pronunciet: Munera, inquit, excæcant oculos sapientū. Partim etiam ad priuatos pertinet, qui accipiunt munera ad prodēdos proximos, aut ad effundendum sanguinem innocentem.

Quarto: Qui obturat aures suas, ne audiat Sanguines. Debent & aures esse innocentes a Sanguinibus. Sanguines sunt

sunt peccata, quibus meremur mortem, nõ tantum coram mundo, uerumetiam coram Deo, ut sunt detractiones alienæ famæ, conuicia, execrationes, & id genus alia, de quibus Christus dicit: Quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio &c. Pij ergo hominis officium est, ut auertat aures suas a sanguinibus, hoc est, nõ delectetur detractionibus alienæ famæ, auersetur conuicia, fugiat omnẽ cœtum, in quo sentiat impia, iniqua, lasciua, turpia, blasphema, tractari &c.

Quinto: Claudit oculos suos ne uideat malum. Debent & oculi sancti & puri esse. Quisquis uiderit, inquit, mulierem ad cõcupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Et: Si oculus tuus fuerit tibi offendiculo, erue eum &c. Vides omnia pij membra exigi pura & sancta. Hoc autem fieri non potest, nisi puro & sanctificato corde. Cor autem sanctificatur fide. Quare suscipiamus Christum filium Dei fide, ut omnia fiant sancta.

ISTE IN EXCELSIS HABITABIT, MVNIMENTA SAXORVM &c.

Recenset nunc Esaias beneficia, quæ cõtingent pijs, ut cognoscamus, quod labor piorum non sit uanus aut irritus, & quod pij seruentur, etiam in medijs afflictionibus. In aduersis enim impij uociferari solent, fieri nõ posse, ut seruemur, & sicut Propheta ait: Quis poterit, inquiunt, habitare cum igni deuorãte, & cum perpetuis ardoribus? Has uociferationes, imo desperationes refutat Esaias, & hortatur pios ad sectandam ueram iusticiam. Non enim fore laborem eorum uanum, sed consecuturos eos suam salutem, etiamsi tanta sit afflictio, ut totum humanum genus interire uideatur. Quæ cohortatio huc præcipue respicit, ut pij conseruentur in officio. Nam cum uident maximam hominum multitudinem esse impiam, & prę fracte aduersus Deum peccare, se uero esse pauciss imos, ac uix unũ & alterum, qui sectetur ueram pietatem, existimant se abiectiores & pauciores, quam qui possint sua pœnitẽtia, fide, inuocatione, & obedientia auertere irã Dei, & publico supplicio obuiam ire, ideoque fiunt & ipsi ripsaspides, abijciunt precationem, sequuntur aliorum mores. Quid enim ego solus meis suspirijs, gemitibus & lacrymis efficerem? Propheta igitur suscipit enumeranda beneficia, quæ contingunt pijs, utcunq; alijs hominibus acciderit. Nunquid enim tua salus ex aliorum hominũ salute pendet? Grauissimũ quidem est uidere tot hominũ interitum. Sed quid tu facias? Si impij omnino perire uolunt, nec potest ab eis ullo pacto impetrari, ut seruari se sinãt, nũquid libet tibi una cũ ipsis perire? Absit. Tu tuũ facias officium, & seruaberis uel solus. Labor. n. pij nõ potest esse uanus. Si pius nõ potest alios secum seruare, seruabitur tñ ipse. Qui

facit hæc, inquit Psalmus, non mouebitur inæternum. Et iterum: Iniusti disperibunt simul reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iustorum a Domino, & protector eorum in tẽpore tribulationis. Ac rursus. Cadent a latere tuo mille, & decẽ millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Ezech. xiiij. Terra cum peccauerit mihi, ut præuaricetur præuaricans, extendam manum meam super eam &c. Et mox: Si fuerint tres uiri isti in medio eius, Noe Daniel & Iob, ipsi iusticia sua liberabunt animas suas, ait Dominus Zebaoth. Et capite xviij. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur &c. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Et ij. Pet. ij. Postquam commemorauit exemplũ Noe & Loth, addit: Nouit Dominus pios e tentatione eripere, iustos autem in diem Iudicij puniendos seruare. Hoc enim est solẽne Deo, quod in aduersis siue publicis, siue priuatis, seruet pios, & aut liberat eos ex aduersis, ut nihil incommodorum accipiant, aut si & ipsi una cum alijs inuoluuntur, mitigat eis aduersa, & dat τὴν ἔκβασιν, ut queant sufferre. Sicut accidit Danieli & alijs pijs, qui una cum impijs abducti sunt in captiuitatem Babylonicam. Quare non fiamus cessatores aut neglectores nostri officij, propter turbam impiorum, & magnitudinem afflictionum, ut si non seruantur alij nobiscum, nos tamen diuina clementia seruemur. Sed audiamus nunc beneficia, quæ Esaias dicit contingere pijs seu Ecclesiæ Dei, prẽter omnem impiorum expectationem. Iste, inquit, in excelsis habitat, & propugnacula petrarum, perfugium eius: hoc est, Qui ambulat in iusticia, hic habitat in adiutorio Dei altissimi, ut Psalmus ait, & commoratur in protectione Dei cœli, ut quẽadmodum hi, qui tenent propugnacula petrarum, tuti sunt ab hostibus, ita Ecclesia, cuius membrum est unusquisq; pius, quam Deus tuendam suscepit, non potest interire. Habitat enim in manu Domini, quæ est turris fortissima. Ecclesiæ asylum est filius Dei, qui cum receperit eam in suam tutelam, non potest ad eam malum accedere. Cur igitur, inquies, Ecclesia, seu pij multo plus affliguntur in hoc seculo, quam impij? Non est nunc locus dicendi de causis, cur Ecclesia affligatur in hoc mundo, quod alias copiose exponitur, hoc tantum nunc considerabimus, afflictiones, quæ accidunt Ecclesiæ, in hoc mundo, non sunt ipsi perniciosæ, sed salutares. Itaq; cum de Ecclesia dicitur: Habitat in excelsis, in munimentis petrarum. Et: Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit, non est intelligendum, quod Ecclesia non affligatur, sed quod nulla afflictio possit eam opprimere, ac perdere. Vnde Rom. octauo dicitur: His qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonum &c. Et paulopost: Mihi persuasum habeo, quod neque mors,

Ecclesiæ afflictiones.

mors,neq; uita,neq; angeli,neq; principatus etc. poterit nos ſepa-
rare a dilectione,qua Deus nos diligit propter Chriſtū Ieſum Do-
minum noſtrum.

PANIS EI DATVR, ET AQVÆ EI-
VS FIDELES, ſeu indeficientes ſunt.)

Aliud beneficium,quod promittitur Eccleſiæ, quam hypocri-
tæ ſentiunt non poſſe in tanto gentium odio conſtare. Eccleſia nō
ſolum habitat in excelſa & munita arce,uerumetiam habet ſufficien-
tem commeatum. Solet enim aliquoties fieri,ut qui obſidētur in ar-
cibus loco & natura probe munitis,expugnentur,non fortitudine
hoſtis,ſed fame & ſiti,quippe quibus ob diuturnitatem obſidionis
deficiunt panis & aqua. Eccleſiæ autem, quæ habitat in excelſa &
ſaxoſa arce,nunquam deerunt alimenta. Etſi enim pij aut exuuntur
omnibus ſuis facultatibus ab impijs, aut neceſſe habent alias cala-
mitates in bonis ſuis terrenis ferre,tamen Deus non ſinit eos fame
perire. Nouit Pater ueſter cœleſtis, inquit Chriſtus, quod opus
habeatis his omnibus. Et Deut. viij. Non in ſolo pane uiuit ho-
no, ſed in omni uerbo,quod egreditur de ore Domini. Et Pſal. xxxvi.
Iunior fui,& ſenui,& non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius
quærens panem. Et Prouerb. x. Non affliget Dominus fame ani-
mam iuſti. Hæc non ſic intelligenda ſunt, quod pij nullam famem
aut penuriā rerum ſentiāt: Nam ſicut morbos, mortem,& alia in-
commoda ſentiūt,ita & famem ac paupertatem. Sed quod fames ſit
eis adiumento in bonum, & Deus det euentum ut ferre queant.

REGEM IN DECORE SVO VIDEBVNT
OCVLI TVI, VIDEBVNT TERRAM LON
GINQVAM, &c.

Referunt hæc ad regem Ezechiam,quod promittatur pijs audi-
toribus concionum Eſaiæ, Aſsyrium intantum non deleturum ur-
bem Hieruſalem,ut ipſi uiſuri adhuc ſint regem Ezechiam,fugatis
Aſsyrijs,in maieſtate ſua, & regionem undiq; pacatam, ſicut ſcri- 2. Paralip. 32.
ptura dicit, Dominus præſtitit ei quietem per circuitum. Sed hoc
beneficium perceperunt etiam impij cōtemptores uerbi Dei in Hie
ruſalem. Propheta autem loquitur de ijs beneficijs,quæ contingūt
ſolis pijs. Quare pergemus in expoſitione de Eccleſia. Hypocritæ,
inquit,putant fieri non poſſe,ut conſtet populus Dei in medio fu-
rore tot gentium,ac omnino futurum exiſtimant,ut radicitus euel-
latur. Spiritus autem ſanctus longe aliud ſentit,& promittit. Futu-
rum enim certiſsime eſt, ut populus ſeu Eccleſia Dei ita conſtet,ut
uiſura ſit Meſsiam,uerum regem,& ſeruatorem noſtrum,in deco-
re,in maieſtate ſua,dominantem non in hoc tantum terræ Iudeę an-
gulo,ſed in terra lōginqua, in toto orbe terrarum. Maieſtas autem

Christi in his terris est, docere Euangelion suum, edere miracula, resurgere a mortuis, mittere spiritum sanctum, & uulgare Euangelion suum per Apostolos in uniuersum mundum. Sicut de eo concionantur etiam Psalm. xliiij. Eructauit cor meum uerbum bonum &c. Psalm. lxxi. Deus iudicium tuum regi da &c. Ex quibus Psalmis hoc Prophetæ dictum sumptum esse uidetur. Quemadmodū ergo Esaias consolatur in periculis suum populum, reuelanda maiestate Christi, ita consolemur etiam nos, maiestate eius nunc reuelata, quod cum sedeat ad dextram Dei, & acceperit hæreditatē gentium, nullus mundi furor tātus sit, qui Ecclesiam suam perdere queat, etiamsi multæ sint tribulationes iustorum.

COR TVVM MEDITABITVR TIMOREM, quod melius sic uerteretur: Cor tuū præ admiratione obstupescet. Describit aliud beneficiū, quod cōtinget populo seu Ecclesiæ Dei, in regno Christi, tantum abest, ut interiturus sit populus, quemadmodum uociferabantur impij hypocritæ. Cor tuum, inquit, obstupescet præ admiratione, & dices: Vbi est scriba? Vbi censor? Vbi Cancellarius? hoc est, præcipuum locum in regno Christi obtinebunt, non sapientes, non censores, non Iurisconsulti, non Cancellarij, sed humiles, abiecti, & nulla potentia aut magistratu præditi: ac in regno Christi tanta erit paucitas sapientum, & reliquorum in hoc mundo illustrium, ut magna eius rei admiratio te capiat. Nam hanc esse huius loci sententiam Paulus perspicue docet i. Cor. i. ubi & hunc locum citat: Sermo crucis, inquiens, est stulticia ijs qui pereunt, at nobis qui credimus, potentia Dei est. Scriptum est em̄: Perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentum reijciā. Vbi sapiens? ubi scriba? ubi disputator huius seculi? In eandē sentētiam loquitur etiam Christus ipse Matth. xi. Gratias ago tibi Pater Domine cœli & terrę, quod absconderis hęc a sapiētibus & prudētibus, & reuelaris ea paruulis. Est autem in his locis, Esaię, Pauli & Christi obseruabilis antithesis regni mundani, & regni Christi. Nam in mundano regno præcipui sunt potentes, sapientes, scribæ, seu Iurisconsulti, Cancellarij, Secretarij, præfecti, & id genus alij officiales. Nec sine his ulla est ordinaria mundanorum regnorum administratio. In regno autem Christi res lōge aliter se habet. In hoc enim principem locum obtinent humiles, abiecti, & hi, qui coram mundo reputantur stulti ac imprudentes. Videtis, inquit Paulus, uocationem uestram, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, nō multi claro genere nati, uerum quę stulta erant secundum mundum delegit Deus, ut pudefaceret sapiētes &c. Hæc nobis cognoscenda proponuntur propter multas causas. Primum, ut abiecti homines habeant consolationem & spem in

Christi & mundani regni antithesis.

sua

ſua abiectione. Hi enim, cum uident potentes, ſapiẽtes, & illuſtres uiros prȩcipuum locum tenere in mundanis regnis, nec ſibi ullum eſſe in his locum relictum, exiſtimãt ne in regno quidem Chriſti ullam ipſorum rationẽ haberi. Sed bene habet. In regno Chriſti abiecti homines tantam prærogatiuam habebunt præ ſapientibus & illuſtribus, ut etiam admiraturi ſint paucitatem ſapientum, & quodã modo ridebunt eorum ſapiẽtiam, dicentes: Vbi nunc ſunt ſcribæ? Vbi luriſconſulti? ubi ſapiẽtes? qui cum fuerint ſemper in mundanis regnis principes, nunc uix ſunt poſtremi, imo nulli ſunt? Deinde eligit Deus ea, quæ ſtulta ſunt ſecundum mundum, ut, quemadmodum Paulus ait, pudefaciat ſapiẽtes, & doceat eos timorem. Cũ enim hi ſint excellentiſsimi in mundanis regnis, fiunt arrogãtes, & aliorum contẽptores, ſentiunt ſibi propter dñationem in terris, etiã cœlum deberi: ſed Deus abiicit eos, ut doceat eos modeſtiam, & ſciant ſe non poſſe ueram ſalutem conſequi, niſi abnegata ſua carnali ſapientia, ſectentur Euangelij ſtulticiã. Ne quis (inquit Paulus) ſe ipſum fallat. Si quis ſibi uidetur ſapiẽs eſſe inter uos, in ſeculo hoc ſtultus fiat, ut reddatur ſapiens. Etenim ſapientia mundi huius, ſtulticia eſt apud Deum. Quid ergo dicemus? Num ſapiens Cancellarius aut Iurecõſultus, p̃ conſultore regis fiat Morio eius, ut illud Pauli impleat, & ſit bonus Chriſtianus? Nihil minus. Sed captiuam ducat ſapientiã ſuam in obſequiũ ſtultæ doctrinæ Euangelij Chriſti. Stultum uidetur, credere in Deum crucifixum. Sapiens autem uidetur, in Deum quempiam magna maieſtate prædituꝫ credere. Hæc ſapientia abneganda eſt, & ſectanda ſtulticia fidei in Chriſtũ. Stultum uidetur facultates ſuas deſerere, & ingredi in tenebras paupertatis. Sapiens autem uidetur, facultates ſuas, quoquo modo potes, retinere atque augere. Sed ſi aut facultates deſerendæ ſunt, aut Chriſti doctrina abneganda eſt, certe ſtulte magis faciendũ eſt, quam ſapienter, hoc eſt, deſerendæ potius ſunt facultates, q̃ doctrina Chriſti abneganda. Hæc. n. uera eſt coram Deo ſapientia, etiã ſi coram mundo uideatur ſumma ſtulticia &c. Prȩterea, Deus eligit, abiectis ſcribis & ſapiẽtibus, contemptos & rudes, ut nõ glorietur oĩs caro, ſed quemadmodum ſcriptũ eſt, qui gloriatur, in Dño glorietur. Non. n. poteſt Deus in cœlo ferre ullum hominem, qui glorietur ſe uel prȩcedentibus, uel ſequentibus, uel intercedẽtibus meritis ſuis conſecutũ ſalutẽ: ſed uult oẽs ſanctos, Abraamum, Eſaiã, Ioannem Baptiſtam, Petrũ, Ioannem, Iacobum, Paulum fateri coram ipſo ſuam impietatẽ, iniquitatem, inſipiẽtiam, & ſtulticiã, ut in ſola ipſius gratia & clemẽtia, & nõ in ſua ſapiẽtia aut meritis glorietur.

POPVLVM IMPVDENTEM NON VIDEBIS &c.

Referunt & hæc ad tempora Ezechiæ, q̃ populus Barbarus Aſ-

ſyriorꝫ, qui alia lingua q̃ hebraica utebantur, nõ peruenerit in Hie
ruſalem, nec ciues Heroſolymitani uiderint urbẽ ſuam ab Aſsyrijs
expugnari & diripi. Sed quia ea quæ prꝫcedũt cõpetunt in regnum
Chriſti, quemadmodũ ante oſtendimus, & quæ ſequuntur perſpi
cue ſignificãt, ꝙ hoc loco ſit ſermo de beneficijs, quæ cõtingant ue
rꝫ Eccleſiꝫ Dei in regno Chriſti. Dicit. n. urbem Hieruſalem eſſe ta
bernaculũ quod transferri nõ queat, quod certe nõ conuenit exter
nꝫ illi urbi, quæ poſt Ezechiam a Babylonijs expugnata & direpta
eſt, ſed cõuenit ueræ Eccleſiæ Chriſti: idcirco etiã ea, quꝫ hoc loco
de nõ uidẽdo populũ impudentẽ, ſeu barbarꝫ, & ignotæ linguæ, di
cuntur, referẽda ſunt ad illa bñficia, quæ contingunt ueræ Eccleſiæ
Dei propter Chriſtũ. Non uidebis, inquit, amplius in regione tua
populum barbarꝫ, gentem externã. Non uidebis peregrinã natio
nẽ, quæ eſt alti ſermonis, uel ut hebrꝫus habet, profundi labij, hoc
eſt, cuius ſermo tibi obſcurior eſt, q̃ quẽ poſsis percipere, & cui lin
gua eſt ſtridula ſeu balbutiens, quã non queas intelligere. Videtur
aũt hoc beneficium oppoſitum eſſe illi maledictioni, quꝫ ſcripta eſt
Deut. xxviij. Dicit. n. Moſes. Adducet Dñs ſuper te gentẽ de lon
ginquo, & de extremis terrꝫ finibus in ſimilitudinẽ aquilꝫ uolantis
cum impetu, cuius linguã intelligere nõ poſsis, gentem procaciſsi
mã, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli &c. Hæc maledi
ctio ſeu ſuppliciũ accidit regno Iſrael, quod per Aſsyrios externã
& peregrinã gentem deuaſtatum eſt: deinde etiam regno Iuda, ſub
rege Ahaz. Nam & Syri & Idumꝫi & Philiſtini, ac etiã Aſsyrij fe
cerunt incurſiones in regnũ Iuda, & afflixerunt populum. quemad
modum ſcriptum eſt ij. Paralip. xxviij. Poſtea ſub Ezechia, Aſsyrij
non occupauerunt quidẽ urbem Hieruſalem, uaſtarunt aũt uniuer
ſam pene regionem, donec poſtremo Babylonij, gens ferociſsima,
etiã urbem Hieruſalem diripuerunt & deſolauerunt. Itaqꝫ uere cõ
pleta eſt maledictio Moſi, in populo Iſrael, qui tunc erat populus
Dei. Nunc aũt, inquit Eſaias, Eccleſia Dñi, ſub rege Chriſto, libe
rabitur ab hac maledictione. Nõ uidebit amplius incurſiones pere
grinarꝫ nationum in terrã ſuam. Non uidebit amplius barbarꝫ po
pulum, ignoti ſermonis: Sed habitabit ſub rege ſuo Meſsia, ab om
nibus externis hoſtibus tutiſsima & ſecuriſsima. Quomodo aũt (in
quies) impletur hæc benedictio in Eccleſia Chriſti, cum initio eam
omnes barbaræ gentes & nationes perſecutꝫ ſint, & nunc incurrãt
in eas regiones, in quibus inſtitutæ ſunt Eccleſiꝫ Chriſti, immaniſ
ſimi Turcæ, & aliæ peregrinꝫ nationes, quarum linguꝫ nobis ſunt
incognitæ, & quarꝫ ſermonẽ non intelligimus? Cum Propheta di
cit externas & ignotꝫ linguæ nationes, non amplius fore moleſtos
& graues Eccleſiæ Chriſti, duo ſignificat. Alterum eſt, ꝙ Eccleſia
Chriſti

Christi non sit mundanū regnum. Nam si esset regnum mundanū, fieri non posset, quin pro more huius seculi incurrerent aliquoties in ipsum uel finitimi, uel lōginqui populi, sicut accidit omnibus huius mundi regnis ac Monarchijs, quamuis potentissimis. Nunc autem postq̄ Christus misit spiritum sanctum suum, non dedit Ecclesiæ suæ aliquam certam & perpetuam sedem in hac terra, sed colligit sibi Ecclesiam ex omnibus populis & nationibus. Et quanq̄ hoc tempore multæ nationes uocantur nationes Christianæ, in quibus magistratus agnoscit nomen Christi, & sunt Ecclesiæ publice instituta, tamen nec omnes in ijs nationibus sunt uere mēbra Ecclesiæ, nec in his solis nationibus sunt Ecclesiæ membra, sed ubicūq̄ inueniuntur, etiam in media Turcia, qui fide sua uere agnoscunt Iesum Christum seruatorem suum, ibi est Ecclesia Christi. Quare cum externi hostes incurrunt in tales regiones, incurrunt quidem in ea loca, in quibus Christus habet suam Ecclesiam, non aūt possunt in ipsam Ecclesiā Christi incurrere, q̄ ea, quatenus est Ecclesia Christi, nullas habeat proprias regiones, sed sit regnū spūale, in quo Christus potēter quidem, sed inuisibiliter, & inuicte dñatur. Alterū est, q̄ & si Ecclesia Christi in orbe terrarum dispersa grauissime affligitur, non tñ potest deleri & aboleri. Habet. n. longe aliā conditionē, q̄ regna mūdana. Hęc. n. nō possunt diu inter hostes suos finitimos & externos salua perdurare, sed si hostis institerit, & perseueraverit, necesse habēt uel tandē perire. Illa aūt in medio hostium crescit, & augetur. Nā quo magis ab aduersarijs premitur, eo altius attollit caput suum, & eo maiores uires accipit. Vnde & Christus Dñs Ecclesiæ dicitur in Psalmo dñari in medio inimicorū suorū. Et Tertullianus grauissime alloquitur Gentes persequētes Ecclesiam: Exquisitior, inquiens, crudelitas uestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a uobis: Semē est sanguis Christianorum. Quare incursiones hostiles, quæ fiunt in eas regiones, in quibus post Euangelion Christi in orbem terrarum uulgatum, mēbra quædam Ecclesiæ habitant, aut nihil pertinent ad Ecclesiam, aut si eam attingunt, magis sunt emolumentum & incrementum eius, quam detrimentum.

RESPICE ZION CIVITATEM TESTIMONII NOSTRI &c.

Dixit: Populum impudentem NON uidebis. Quid ergo Videbis? Videbis (inquit) Zion, ciuitatem, in qua est tabernaculum מועד hoc est, pacti, seu testimonij, seu collegij, (De quo Exo. xxv. & xxvij.) hanc ciuitatē, inquam, Hierusalem, uidebunt oculi tui esse habitaculum tranquillum, quietum, tutum & securum. Videbūt eam urbem esse tabernaculum firmū, quod non dimoueatur e loco

ſuo,& cuius claui ſeu paxilli,quibus tabernaculum in terram affigi ſolet,nunc̄p extrahentur, & cuius funes,quibus tabernaculū tendi tur,nunq̄ rumpētur. hoc eſt, urbs Zion ſeu Hieruſalē,quā hoſtes nunc oīno perditam ac deuaſtatā uolunt, & quam impij hypocritę uociferantur,nō poſſe in tanto oīm gentium odio diutius ſtare, ma nebit perpetuo firma atcp fixa. Manifeſtum aūt eſt, cp hoc nō poſ ſit intelligi de externa urbe Hieruſalē,quæ &ſi nō fuit uaſtata a Sa neherib,tamen poſtea uaſtata eſt a Babylonijs. Quare intelligi de bet de uera & cœleſti urbe Hieruſalem,quæ eſt Eccleſia Chriſti cō gregata per Euangelion ex toto orbe terrarꝝ. Hæc eſt tranquillum habitaculum. Hęc eſt uerꝝ illud tabernaculum Moed,hoc eſt,pacti, teſtimonij,& collegij, quod tabernaculum Moſi in deſerto architectatū adumbrauit. Hęc nunq̄ inæternum perire poteſt, etiamſi non homines tm̄,ſed etiam diaboli ipſi eam oppugnēt. Sed quid,inquies,me iuuat,cp ſciam Eccleſiam Chriſti non poſſe furore & tyranni de gentium in terris deleri, cum interim ego,qui credo me eſſe mē brum Eccleſię,affligar,& de hac uiuentium terra delear? Quid prodeſt mihi,cp alij manent ſuperſtites , & ego crudeliter occidar? Reſpondeo. Eccleſia Chriſti uera noſtra patria eſt. Sed habet aliam cō ditionem q̄ terrena patria. Hæc.n.&ſi reportat uictoriā ex hoſte & manet incolumis,tñ nihil commodi affert amplius ei ciui,q in bello occumbit,aut alio genere mortis perit, niſi forte honeſtā faciat mē tionem eius,aut præbeat familię eius tutam habitationē, Sed quod ad uerā fœlicitatem attinet,nihil utilitatis ad eum confert. Epaminō das dux Thebanorꝝ,accepit in bello , quod cū Lacedæmonijs geſſit,letale uulnus. Sed poſtcp audiuit uictoriā eſſe penes Thebanos ſuos: Satis,inquit,uixi,cp uictor & uincēte patria morior. Exiſtimauit.n. fortunam patriæ etiam ad ſe mortuum pertinere. Sed præter uanā quandam hoīm laudationem nihil potuit ex ea reportare. In Eccleſia aūt,quæ eſt uera piorꝝ patria,res longe aliter ſe habet. Salua.n. Eccleſia,ſalui ſunt omnes ciues Eccleſię,etiamſi trucidētur,& moriātur in hac terra. Eccleſia.n. in hac terra nō idcirco tantum firma & fixa dicitur,cp ſemper futurus ſit aliquis hominum cœtus in his terris,uſcp ad nouiſsimum diem, qui cœtus uere agnoſcat Chriſtum,& celebret nomen eius, etiāſi gentes in eum debacchentur,& delere conentur: ſed potius, cp omnia membra, omnes ciues Chriſti perpetuā habeant ſalutem,etiā in media morte. Itacp firmitas Eccleſię pertinet ad unumquēuis piū,qua & unuſquiſcp uere in Chriſtū credēs perpetuo fruitur,in oībus caſibus huius mūdi. Ioā.x. Nemo rapiet oues de manu mea. Pater meus qui dedit mihi eas,maior oībus eſt,& nemo poteſt rapere de manibus Patris mei. Ego & Pater unū ſumus. Et ca.xiiij. Nō relinquā uos orphanos. Aciterꝝ: Ve

niam

niã ad uos, & assumã uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Et alias: Vbi cadauer, illic aquilæ. Itẽ Ro. viij. Mihi persuasum habeo, ꝙ neq; mors neq; uita etc. poterit nos separare ab ea dilectione, qua nos Deus diligit ꝓpter Christũ Iesum Dñm nostrũ. Et ij. Timot. ij. Solidũ fundamẽtũ Dei stat, habẽs signaculũ hoc, Nouit Dñs q̃ sunt sui. Quare in concione de firmitate Ecclesiæ, confirmemus fidẽ nostrã, & sciamus eã priuatim ad nostrã salutẽ pertinere.

QVIA SOLVMMODO IBI MAGNIFICVS DOMINVS DEVS NOSTER &c.

Descripsit Propheta firmitatẽ tabernaculi Zion, hoc est, Ecclesiæ Dei. Nũc addit causam huius firmitatis. Quid. n. est ꝙ Ziõ sit habitaculũ tutũ, & tabernaculũ firmũ? Nũ quia habet externũ Monarchã tam potentẽ, & tam fortem, q̃ defendat eam ab oĩbus hostibus? Multi quidẽ fuerũt præstãtes reges in Hierusalẽ, q̃ fortitudine suæ cõtulerunt multa bona in populũ Dei, ut Dauid, Iosaphat, Ezechias. Fuerũt etiã aliquot Romani Imperatores, & alij reges, quorum nonnulla bñficia in Ecclesiã Christi extant: sed hi aut attulerũt tm̃ externã quandã tranquillitatẽ, & submouerũt externos tm̃ hostes, hoc aũt bñficium nõ erat perpetuũ, nec potuerũt suis uiribus populũ a ueris hostibus, & ẽterna internecione tutũ reddere. Nũ uero idcirco firma est Ziõ, ꝙ habitatores eius oẽs sint suis operib. iusti, & sẽti? Nihil minus. Inuenias quidẽ in ea hoĩes honestos: sed si iniq̃tates obseruaueris Dñe, Dñe quis sustinebit? Et: In conspectu tuo nõ iustificatur oĩs uiuẽs. Quid ergo est, q̃d Zionẽ seu Ecclesiam Dei tã firmã efficit? Rñdet Propheta: Quia ibi est magnificus Dñs ꝓ nobis, locus fluuiorũ & amniũ, q̃ lõgissime porrigũt manus, seu ripas & littora sua, ita ut nec nauis remigũ, nec nauis grãdis eos pertransire queant, hoc est, Ecclesia ideo tam firma est, quia non habet terrenum aliquẽ hominem defensorẽ, nec sita est in his terris pro more aliarũ ciuitatum, sed habet Dñm Deum ipsum defensorem, q̃ magnificentia & fortitudine sua oẽs reges & Principes mundanos excellit. Et sita est in medio maximorũ fluuiorũ, per quos nulla hostilis classis siue paruarũ siue magnarũ nauiũ trajicere possit, ad expugnandã & diripiendã eam. Dicitur aũt Ecclesia ideo non in terris, sed in medio latissimorũ fluuiorũ sita, ꝙ sit diuina ꝓtectiõe ita munita, ut nulla nec hoĩm nec dæmonũ potẽtia queat subuerti & deleri. Vnde & sequitur: Dominus iudex noster, Dominus doctor noster, Dominus rex noster, Ipse seruat nos. Loquitur autem Propheta de Christo, quem uocat Iehoua, Dominum uerũ Deum, & qui solus est caput ac seruator Ecclesiæ suæ. Ac facit antithesin, ad eam regni administrationem, qua usus est populus Dei, postq̃ liberatus fuit ex Ægypto, & instituta fuit in eo propria politea. Initio

enim gubernabantur a Iudicibus, de quibus est in libro Iudicum. Deinde a Doctoribus, hoc est, a Sacerdote Eli, & Leuita Samuele. Munus enim docendi fuit sacerdotum & Leuitarum. Postremo a Regibus, Saule, Dauide, Salomone & posteris eorum. Nunc autem longe alia erit administratio regni, seu populi & Ecclesiæ Dei. Christus enim ipse, uerus Iehoua, uerus DOMINVS Deus noster, gubernat suam Ecclesiam. Est simul Iudex, Doctor, & Rex. Omnia officia administrandæ Ecclesiæ ipse subit. Nullum subrogat Vicarium, Sed ipse semper præsto adest, & defendit ac tuetur eam. Iosua, Gedeon, Iephthe, Samson et alij Iudices cõtulerunt nõnulla corporalia beneficia in populum Dei: sed ea non fuerunt tanti momẽti, ut afferrent ueram libertatem. Christus autem uerus est Iudex & heros, qui populum suum uere ab omnibus malis liberat. Samuel docuit populũ Dei, qua ratione possent sese uindicare e tyrãnide Philistijm, Orauit & sacrificauit pro populo, ut reportarẽt uictoriam a Philistijm: Sed quid multum prodest esse liberum ab hoste Philistino, & esse interim captiuum hostis Satanæ? Christus autẽ uerus doctor, intercessor, & sacrificator, obtulit semetipsum pro Ecclesia sua, & impetrauit intercessione sua, ut Ecclesia a Satana ipso, & omni tyrannide eius tuta sit. Saul, Dauid, Iosaphat & nonnulli alij reges designarunt heroica strategemata, quibus cõseruarunt externum regnum populi Dei in terra Canaan. Quæ beneficia, & si insignia fuerunt, tamen non fuerunt maxima. Solus Christus uerus rex est, qui parauit, & conseruat populo suo æternum regnum in cœlis. Quare, cum Ecclesia tantum habeat Iudicem, doctorem, & Regem, fieri nõ potest, ut pereat, ac deleatur. Vnde & Propheta addit. Ipse ישענו Ioschienu, hoc est, seruabit nos. Obserua igitur mihi, an non is sit unus ex ijs locis, ad quæ respexit Angelus, cum iuberet Mariam & sponsum eius Iosephum, infanti Christo imponere nomẽ Iesu seu Iehosua, quod significat saluatorẽ, præsertim, cũ mox sequatur: Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. Sic enim & angelus dicit. Vocabis nomen eius Iesu, hoc est, Saluator, quia saluabit populum suum a peccatis suis. Hæ prædicationes & laudationes de Iesu Christo, ut non sunt oscitanter cõsiderandæ, ita non est ipsis abutendum. Non enim hoc nos docent, quod Ecclesia Dei non debeat in hoc mũdo, in rebus corporalibus, subiecta esse ciuili magistratui, quod Ecclesia Dei nõ debeat in hoc seculo sufferre multas & uarias afflictiones, quod Ecclesia Dei nõ indigeat operа ministrorũ, qui Euangelion Christi doceãt, & sacramenta eius administrẽt, quia & omnis aĩa, inquit Paulus, sit subiecta sublimioribus potestatibus, & per multas tribulatiões oportet nos ingredi in regnũ cœlorũ: & quanquã qui plantãt & rigant nihil sunt, ad incremẽtum

tum uidelicet, quod dat solus Christus, tamen sumus cooperarij Christi. Sed docent nos, quod non possimus in alio, præterquam in Iesu Christo per fidem, ueram & æternam salutem consequi. Quare non est nobis quærenda aliqua certa & firma tranquillitas in regnis huius mundi, sed prima nostra cura sit, ut Iesum Christum agnoscamus, & subditi eius per fidem fiamus, quo in periculis seruemur. Deinde admonent nos, ut officium nostrum, iuxta uocationẽ Christi faciamus, & in obediẽtia eius ambulemus, quo nõ ejiciamur e regno Christi, sed beneficia per eum parta retineamus.

LAXATI SVNT FVNICVLI TVI ET NON PRÆVALEBVNT &c.

Interpretes exponunt hæc de aduersarijs populi Dei: Sed quia affixum, quod apud hebræos uocabulo Funiculorum additur, fœminini generis est, & respicere uidetur ad Zionem, ac ipsa quoq; reliqua compositio eo conuenit, referemus & hæc ad Ecclesiam. Debent autem sic transferri. Laxantur funiculi tui, non sunt fortes. Sic & malus eorum (uidelicet, non est fortis) non expandunt (in eo) uexillum. Tunc diuiditur præda spolij multi, claudi dirípiunt rapinam. Nec dicit habitator, elangui. Et est hæc sententia. Cũ Dominus Christus Iudex, doctor & Rex noster susceptur est in terris administrationem regni sui, uidebuntur quidem funiculi tabernaculi Zionis seu Ecclesiæ (supra enim uocauit Ecclesiam, tabernaculum, cuius funiculi non rumpantur) laxati esse, ac minime fortiter constitutionem tabernaculi continere. Malus etiam, seu pertica huius tabernaculi non uidebitur satis firma esse, ut uix possit in ea uelum suspendi, attamẽ tunc diuidetur in populo Dei maxima præda, sicut parta uictoria fieri solet. Et tam obuia ubiq; erit præda, ut etiam claudi eam sint rapturi. Nec quisquam inter ciues & incolas conqueretur amplius de sua imbecillitate, sed omnes præ gaudio, sani & firmi exilient. Quæ autem Propheta hic uaticinatur de Ecclesia, ea manifeste impleta sunt in aduentu Domini nostri Iesu Christi. Videbatur enim eo tempore de salute ueræ Ecclesiæ actũ & conclamatum esse. Quod ad politica populi Israel attinebat, obtinuit tunc regnum eius Herodes Idumæus, crudelissimus tyrannus, qui tamen nec ipse erat regni eius αὐτοκράτωρ, sed necesse habuit Romanos Ethnicos, quorum fauore & potestate regnum Israelis acceperat, agnoscere. Quod autem ad Ecclesiastica attinebat, dominabantur in populo Pharisæi, Sadducæi, & alij impij doctores, & omnia erant plena hypocrisis & Idolatriæ. Paucissimi erant, qui ueram doctrinam & pietatem sectabantur, ut Zacharias, Elizabeth, Anna, Simeon, & nonnulli alij. Itaq; uidebatur Ecclesia Dei extremæ internecioni proxima esse, uel ut Propheta ait, funiculi ta-

bernaculi uidebantur prorsus laxati, & imbecilles. Sed intantum non interijt Ecclesia, ut tunc status eius inceperit lōge omnium fœlicissimus esse. Ecce enim, cum nihil tale expectaretur, uenit Ioānes Baptista, & adnunciat præsto adesse Dñm illum Iudicē, doctorē & regem nostrum. Mox & ipse Dñs adest, prędicat Euangelium suū, uincit & eijcit Satanā, diuidit spolia multa. Quod enim Propheta dicit, Tunc diuidetur præda spolij multi, plane conuenit cum eo, quod Christus apud Lucā cap. xi. ait: Si digito Dei eijcio dæmonia, profecto uenit ad uos regnū Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suū, in pace sunt ea quæ possidet. Vbi uero fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa uasa eius aufert, in quibus cōfidebat, & spolia eius distribuit. Distribuit aūt Christus spolia per Euangeliō suū, quo adnūciat nobis uictoriā suā super Satanam, & redemptionem a tyrannide Satanę, ut quoq; credunt in Christū, accipiant pro spolijs, libertatē spiritus, iusticiā, uitam & fœlicitatem sempiternā. Sed & claudi diripiūt rapinā, partim q; Christus claudos ita sanauerit, ut exilierint sicut cerui: partim q; abiectissimi hoīes siue inter Iudæos, siue inter gentes uocati sint ad cōmunionem cœlestis regni. Hōc. n. illud est, quod Christus in parabola Lu. xiiij. dicit. Exi cito in plateas, & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, claudosq; & cęcos introduc huc &c. Postremo tantā fœlicitatē attulit Christus populo suo, ut nullus dixerit, elāgui, hoc est, Christus restituit oēs sanitati. Palā. n. dicit: Venite ad me oēs, q laboratis et onerati estis, et ego refocillabo uos. Primum. n. reddidit omnibus ijs corporalem sanitatē, qui eam petiuerunt ab ipso per fidē. Deinde proposuit omnibus credentibus in ipsum, accipiēdam spiritualē & æternam sanitatē. Nam ad hoc Euangelion de ęterna sanitate ac salute ad uniuersam Ecclesiā pertinente confirmandū, edidit miracula illa de corporali sanitate. Habes igitur statum Ecclesiæ tunc fœliciss imū factum esse, cum uidebatur prsus interijsse. Deus. n. mirabilis est administrator Ecclesię suæ. Cum putatur extincta, tūc extollit eam in splēdorem ac lucem illustrissimā. In Ægypto uidebatur tyrānide Pharaonis prorsum oppressa. Sed ecce, quo grauior erat tyrānis, eo uicinior erat Moses liberator e tyrānide. Sicut uulgo dici solet: Cum duplicantur lateres, tūc uenit Moyses. In uastatione Babylonica, uidebatur de populo Dei plane actum esse, sed quo longius abducebatur pōpulus Dei captiuus, eo latius propagabatur cognitio ueri Dei, & multiplicabatur Ecclesia eius, etiam inter gentes, sicut ex Daniele manifestū est etc. Et Esaias postea capite quinquagesimo quarto, de Ecclesia ait: Ad punctū in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te &c. Quod de uniuersa Ecclesia dicitur, hoc etiam intelligendum est de singulis membris eius.

Tunc

Tunc enim res hominis credentis in optimo statu sunt, cum ipse est afflictissimus, & uidetur miserrimus. Sic enim dicit Psalmus trigesimustertius: Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et Esa. lvij. Habitat cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet cor humilium, & uiuificet cor contritorum &c. Hæc idcirco obseruanda & conseruanda sunt, ut nõ sentiamus de Ecclesia, quemadmodum de mundano quodam regno. De hoc enim actum est, cum non habet amplius humanum præsidium. Ecclesia autem Dei, & si destituitur omni humano præsidio, & necesse habet in medio inimicorum esse, tamen munita est diuino præsidio, & tunc maxime incolumis seruatur, cum iuxta humanam prudẽtiam uidetur perire. Sed maxime memorabile est, quod Propheta in fine huius concionis addit: Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. Hæc enim particula exponit primum, quo precipue officio defuncturus est Dominus Christus & rex noster, in his terris. Non enim instituet regnum mundanum, sed expiabit iniquitatem populi sui, erit uictima pro peccatis Ecclesiæ suæ, ut reconciliet humanum genus cum Deo Patre, & impetret ei cœlestium bonorum hæreditatem. Deinde exponit, quod sit beneficium illud, propter quod Ecclesia prædicatur etiam in his terris fœliciss*i*ma. Non enim fœlix est, quod uel habeat nutricios reges, uel possideat diuitias, uel fruatur alijs mundanis bonis, sed eo fœlix est, quia ablata est ab ea iniquitas eius, quia habet remissionem peccatorum. Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Nam ubi est remissio peccatorum, ibi nihil amplius incommodi affert paupertas, infirmitas, abiectio, & mors ipsa. Vbi autem hæc incommoda non sunt, ibi summa est fœlicitas. Vbi uero non est remissio peccatorum, ibi nullæ diuitiæ, nulla potentia, nulla humana uita, nulla maiestas potest aliquid commodi coram Deo afferre. Inter Turcas nulla est remissio peccatorum. Quare nulla potest inter eos esse uera fœlicitas, etiamsi fruerentur omnibus bonis huius mundi. Inter Iudæos, qui nunc sunt, nulla est remissio peccatorum. Nulla igitur est inter eos fœlicitas, etiamsi uideantur aliquam habere tranquillitatem. Inter Papistas nulla est remissio peccatorum, quia quærunt eam, non in Christo tantum per fidem, sed in meritis suorum operum. Nulla igitur est inter eos fœlicitas, etiamsi cõsequantur omnem potentiam & maiestatem huius seculi. In sola uera Ecclesia, in qua Euangelion Christi pure prædicatur, & fide accipitur, est remissio peccatorum. Quare sola Ecclesia uere fœlix est, etiamsi summis periculis affligatur.

Ecclesia uera sola uerè fœlix.

CAPVT XXXIIII.

ACCEDITE GENTES ET AVDITE, ET POPVLI ATTENDITE. AVDIAT TERRA &c.

Recte hoc caput a superiori diuisum est. Etsi enim hoc căput ad eundem finem respicit, ad quem prior cõcio, uidelicet, quod hostes Ecclesiæ Dei necesse habeant misere perire, cum interim ipsa perpetuo conseruetur, tamen in hoc capite alia concio recitatur. Non est autem dubium, quin Propheta concionetur aduersus Idumæam. Sic enim sequitur. Ecce super Idumæam descendet. Et mox: Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Sed nõnulli interpretes sentiunt per Idumæam significari impios Israelitas ac Synagogam Iudæorum, & putant hic prædicari de abiectione & excæcatione Iudæorum, & de uastatione eorum, quæ post reuelatum Christum a Romanis facta est. Hæc est bona sententia. Sed existimo hanc concionem generaliorem esse, quam quod in solos Iudæos dicta sit. Complectitur enim nomine Edomitarum, in uniuersum omnes hostes & persecutores uerę Ecclesię Dei, siue gẽtes siue Iudæos. Indignatio, inquit Propheta, Domini super OMNES gentes, & furor eius super uniuersam militiam earum. Ac nomen Edom, seu Idumęorum non inepte trãsfertur ad omnes hostes populi Dei. Notum enim est, quod Esau, qui & Edom dictus, unde Idumæi descendunt, magno odio prosecutus sit fratrem suum Iacob, qui habuit promissionem seminis benedicti, & populi diuinitus electi, sicut Propheta dicit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hoc autem odium, non est una cum Esau intermortuum, sed in posteros eius ita propagatum est, ut Idumæi ingẽti semper odio aduersus Israelitas flagrauerint, & internecionem eorum nũquam non meditati fuerint. Ezechiel uocat Idumæos, sempiternos Israelis inimicos, & concionatur aduersus eos grauissime. Sic & Hiere. cap. xlix. Et Abdias, Et Amos cap. primo. Sed & Esaię temporibus sub rege Achaz Idumæi grauiter afflixerunt populum Dei. Venerunt, inquit scriptura, Idumęi & percusserunt multos ex Iuda, & ceperunt prædam magnã. Quare, cum Idumęi essent finitimi, & perpetui hostes Israelis, quod tamen minime conueniebat, cum essent ei consanguinitate iuncti, recte complectitur Propheta nomine Idumæorum, omnes hostes Ecclesiæ Dei, siue Gentes, siue impios Iudæos, & hypocritas, sicut & capite lxiij. haud obscure per Idumæos intelligit omnes aduersarios Christi & Ecclesiæ eius. Porro, etsi concio aduersus Idumæos, quæ hoc capite descripta est, coniungitur

Idumæi.

Ezech. cap. 35. & 36.

gitur cum ijs concionibus, quas Esaias habuit sub Ezechia, quo tempore Sancherib rex Assyriorum incurrit in fines regni Iuda, tamen puto eam magis sub Ahaz, quam sub Ezechia habitam, ijs uidelicet temporibus, quibus Idumæi afflixerunt regnum Iuda magna clade, quemadmodum scriptum est 2. Paralip. 28. Postq; enim finitimæ gentes, ac præsertim Idumæi, non aliud cogitarent & agitarent, quam ut opprimerent ac delerent regnum Iuda, in quo erat uerus Dei cultus, & uera ecclesia Dei, uidebatur fieri nõ posse, quin uel tandem consilium eorum promoueret & ecclesia Dei periret. Quid enim præter internecionem, in tam uirulento omnium gentium odio aliud expectandum esset? Quod si fieret, reliquũ esset, ut nec promissus Christus ueniret, nec ulla esset spes consequendæ coram Deo ueræ & perpetuæ salutis. Quare spiritus sanctus excitat Esaiam, ut suscipiat concionem habendam de horribili interitu omnium hostium ecclesiæ, & de admirabili conseruatione ac dilatatione ecclesiæ Christi in totum orbem terrę, ut consoletur & confirmet animos piorum, quo in tanta rerum omnium perturbatione bene de uera & cœlesti salute sperent, etiamsi multa aduersa ferenda sint in hoc seculo. Nam quod Propheta docere uelit, omnes gentes ecclesiæ Dei aduersarias idcirco horribiliter perituras, quod ecclesiam afflixerint, perspicue significat, cum ait: Inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium, quia dies ultionis DOMINI, retributionis iudicij Zion: hoc est, tempus illud est, quo Deus sumet ultionem de omnibus gentibus, quod crudelissime semper Zionem, seu ecclesiam Dei persecutæ sint. Sic ergo concionatur Propheta. Accedite gentes & audite, & populi attendite, audiat terra & plenitudo eius, orbis & omne germen, seu quicquid in eo habitat. Hoc est exordium cõcionis, quo excitat in auditoribus attentionem. Vocat ad concionem omnes gentes & populos, adeoq; omnem creaturam in terris. Dicturus enim est non de prospectu, quod aiunt, asini, sed de re stupenda & admirabili, ac pertinente ad uniuersum humanum genus. Recita igitur mi Esaia, quod spiritus sanctus te recitare iubet. En præbemus aures & animos attentos. Indignatio (inquit) DOMINI super omnes gentes, & furor super uniuersum exercitum earum. Primum, uideamus quis sit DOMINVS ille, cuius tam horribilis indignatio aduersus omnes gentes adnunciatur. Ac profecto, non est alius, quam is, de quo in cap. sequenti, quod est altera pars huius concionis, dicitur: Ecce Deus noster ultionem adducet retributionis, Deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt &c. Hæc intelligenda sunt de Christo uero & æterno filio Dei, qui uenit ad nos incarnatione sua, & attulit nobis cœlestem salutem, ac edidit mul-

ta & magna miracula. Cæcis reddidit uisum, surdis auditum, resuscitauit mortuos &c. De eodem ergo Christo DOMINO nostro, etiam hoc intelligendum est, quod dicit: Indignatio DOMINI super omnes gentes. Christus enim filius Dei, uerus Deus ac DOMINVS noster, is est, qui concepit maximam indignationem aduersus omnes hostes ecclesiæ suæ, ac suscepit bellum tanta perseuerantia contra eos gerendum, ut nõ sit conditurus gladium suum in uaginam, donec ad unum omnes trucidauerit, ac totã terram sanguine eorum compleuerit. Vnde & sequitur. Interficiet, seu quasi anathema exterminabit eos, ac tradet eos quasi in laniena mactandos. Et qui sic trucidantur, abijcientur foras, non sepelientur, sed computrescent publice, ut fœtore suo omnia loca compleant. Interficietur autem tanta hominum multitudo, ut montes, alioqui præ ariditate steriles, effuso sanguine eorum rigentur, & liquefiant. Ac tanta erit calamitas, ut non in terris tantum grassetur, sed etiam pertingat usq; ad cœlum. Nam exercitus cœlorum, qui est multitudo stellarum, ducibus duobus magnis luminaribus, contabescet. Cœlũ ipsum inuoluetur & complicabitur, quemadmodum uolumen seu liber solet conuolui & complicari. Sed & stellæ ipsæ decident, sicut solet folium de uite, & de ficu decidere. Non hoc uult spiritus sanctus, quod cœlũ reipsa complicetur seu inuoluatur, & stellæ iuxta externum sensum corporaliter decidãt, sed adumbrat magnitudinem afflictionis hominum in terra. Nam qui grauibus afflictionibus premuntur, his cœlum non uidetur explicatum & lucidum, sed prorsus inuolutũ & tenebricosum. Nec ulla eis stella lucere dicitur. Versantur in densissimis tenebris, hoc est, in extrema infœlicitate. Sicut & supra cap. 13. eadem phrasi utitur. Et Luc. 21. Christus ait: Erunt signa in sole & luna & stellis. Ac mox. Virtutes cœli mouebuntur, hoc est, tanta erit hominum afflictio, ut existiment etiam cœlum casurum & interiturum. Sed cuius gladio fiet tanta hominum interfectio in terra? Num hominis alicuius gladio? Nihil minus. Etsi enim multi fuerunt immanes tyranni, qui plurimum humani sanguinis gladio suo effuderũt, tamen hæc interfectio, quæ cõtinget hostibus ecclesię Dei, maior & grauior erit, quam quæ humano gladio perfici queat. Sequitur ergo in Propheta: Inebriatus est, (inquit Christus) in cœlo gladius MEVS. Hominis cuiusdam gladius nõ posset satis digne compensare immanitatem, qua impij in ecclesiam meam grassati sunt. Quare expedio meum gladium in cœlo, quem decreui sanguine impiorum ita perfundere, ut totus sanguine, sicut ebrius uino, madescat. Stringam enim hunc meum gladiũ aduersus Idumæos, qui sunt perpetui hostes populi mei, adeoq; aduersus omnes gentes, quas anathematisaui, et ad supplicium destinaui. Itaq; certo fiet, ut

gladius

gladius DOMINI Christi repleatur omnium gentium sangui-
ne,& quasi impinguetur adipe & sanguine agnorum, hircorum,
& arietum,hoc est,totius gregis impiorum, siue uulgi, siue diui-
tum & nobiliũ,quia uictima Domini erit in Bosra,& interfectio
magna in terra Edom.Bosra ciuitas est præcipua in Idumæa. Esa.
63.& Amos 1. Impiorum autẽ occisio seu mactatio uocatur uicti-
ma DOMINI, propterea quod interitus impiorũ sit sacrificium
Deo gratissimum.Non solũ autem uulgus, & diuites ac nobiles
impiorum hostium ecclesiæ Dei peribunt, uerumetiam peribunt
unà cũ ipsis unicornes,et tauri,ac boues eximij,hoc est,Principes,
Reges,et potentes,qui sic mactabuntur,ut terra inebrietur sangui
ne eorum,& puluis terræ impinguetur ab adipe ipsorum.Hoc e-
nim erit tempus illud,quo Christus filius Dei rependet omnibus
impijs crudelitatem suam & tyrannidem qua grassati sunt in Zio
nem,seu ecclesiam Dei.Eadem grandiloquentia describit etiã Da
uid horribile prælium,quod commissurus erat Christus cum hosti-
bus suis. Iudicabit,inquiens,in nationibus,implebit ruinas,cõquas-
sabit capita in terra multorum.De torrente in uia bibet,propte-
rea exaltabit caput:hoc est,tantum sanguinis effundet,ut fiat tor-
rens,unde iumenta potare queas. Quid igitur dicemus? Vbi,aut
quando,aut quomodo gessit Christus tam horribile bellum,& cõ
misit tam cruentum prælium cum hostibus ecclesię suę? Nonne di
cit ipse ingenue,Non ueni ad perdendas sed ad seruandas animas
hominum? Certe non in hunc usum uenit, ut externa bella gerat,
sed qualis rex est,& quale est regnum eius, tale etiam est bellũ &
prælium eius.Non est rex mundanus,nec regnum eius est munda
num,sed spirituale & cœleste.Quare grandiloquentia Prophetæ
in descriptione belli Christi cum hostibus ecclesiæ suæ, metaphori
ca est,& intelligi debet de spirituali & cœlesti prælio,quod Chri-
stus commisit cum impijs,non corporali gladio,sed spirituali,præ
dicatione uidelicet euangelij sui. Verbũ enim Dei,gladius est spiri
tus, qui inebriatus est sanguine impiorum. Itaque primum, cum
Propheta ait DOMINVM interficere omnes gentes aduersari-
as uidelicet populi sui,& tradere eas mactationi, tunc cœptum est
impleri,cum DOMINVS Iesus Christus concionatus est: Non
misit,inquiens,Deus filium suum in mundum,ut condemnet mun
dum,sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum,non con
demnatur. Qui uero non credit,iam condemnatus est. Hæc est au
tem condemnatio,quod lux uenit in mundum,et dilexerunt homi
nes magis tenebras,q̃ lucem. Et postea dicit ad Apostolos suos:
Ite in uniuersum mundum,prædicate euangelion omni creaturæ.
Qui crediderit et baptisatus fuerit,saluus erit. Qui uero non credi
derit,condemnabitur. Paucissimis uerbis cõmittitur cruentissimũ

prælium aduersus omnes impios. QVI NON CREDIDERIT CONDEMNABITVR, seu ut est apud Ioannem, IAM CONDEMNATVS est. Quot putas, myriadas impiorum hominum contemnentium euangelion Christi, & persequentium ecclesiam eius, hac una sententia uere & spiritualiter trucidari, ac inęternū damnari? Etsi enim impij nō statim, audita aut uulgata hac diuinæ irę sententia, corporaliter moriunt, tamen quia iam sunt & morti & æternæ damnationi diuinitus destinati, uere dicūtur letaliter uulnerati, sanguine manare, & animā iam efflare. Impij Iudęi, qui Christum crucifixerunt, & Apostolos ac auditores euangelij persecuti sunt, non statim post Pentecosten publice interierunt, attamen quia diuina sententia lata erat, (Qui non crediderit, iam condemnatus est) inceperunt tum confossi diuino gladio, animā agere, donec post paucos annos, oppressi sunt à Romanis etiam corporaliter, ac crudelissime, & perierunt æterna damnatione. Impiæ gentes quæ meditabantur exitium euāgelij Christi & omnium Christianorum, secure quidem dominabātur in regnis suis, cum euangelion uulgaretur in orbem terrę, sed quia Christus rex accinctus est gladio super femur suum potentissime, & strinxit eum uerbo euangelij sui, cum ait: Qui non crediderit iā condemnatus est, in omnes impios, inceperūt iam tum manare sanguine corā Deo, & paulo post perierunt tam corporaliter, quam perpetuo. Deinde, cum Propheta ait: Interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorum ascēdet fœtor, impletur nūc semper in ecclesia Dei, postquam Christus reportauit uictoriam ab omnibus hostibus suis, & sedet ad dextram Dei. In ecclesia enim Dei nihil est fœtidius, nihil abominabilius impijs & incredulis, quippe quos scimus manifesta euangelij sententia à Deo abiectos, & ęternæ damnationi destinatos. Turca est potentissimus in toto orbe terrarum Monarcha, tamen mentione eius pij solent cohorrescere, non tam propter crudelitatē eius, qua grassatur in nostram gentem, quam propter impietatem, qua sciunt eum à Deo proiectū. Sic Iudæi sordēt & fœtent coram omnibus pijs, quia sunt ipsis tanquam cadauera putrida. Sic fœtent omnes persecutores euangelij Christi, donec damnatio eorum publice reueletur. Præterea, cum Esaias dicit, montes & terram rigari ac inebriari sanguine interfectorum, & pinguefieri adipe eorum, hoc sibi uult spiritus sanctus, quod quemadmodum terra fert copiosiorē fructum rigatione & stercoratione, ita ecclesia, quæ est Mons & Terra DOMINI, excitat ad agendam ueram pœnitentiam, seueritate diuinæ iræ, qua necesse est omnes impios inæternum perire. Prouerb. 21. dicitur: Multato pestilente sapientior erit paruulus. Et Psal. 75. De cœlo auditum feci sti iudicium, terra tremuit & quieuit, hoc est, Cum declara

claras iram tuam aduersus impios, tũc solent homines cohorrescere & sese tibi subijcere &c. Adhæc, dicit Esaias, Cœlos complicari, & stellas decidere, in prælio DOMINI aduersus hostes suos. Hæc est descriptio magnitudinis afflictionũ, quibus impij coram tribunali Dei obruentur, sicut supra admonuimus. Significat autẽ Propheta, quid nobis agendum sit, ne occidant nobis sol, luna & stellæ, uidelicet, agnoscendus est Christus, manendum est in exercitu Christi in ecclesia. Nam apud impios, cœlum est inuolutũ, & stellæ deciderunt. In sola ecclesia Christi explicatum est cœlum, & stellę lucent perpetuo. Postremo, cum interfectionem impiorũ uocat uictimam Domini, significat supplicium impiorum esse sacrificium Deo acceptissimum. Nam quemadmodum boni principis laus non in hoc tantum cõsistit, ut benefaciat bonis, uerumetiam in hoc, ut puniat malos: Tam enim cohonestat principẽ crux plena suspensis furibus, q̃ aula plena uiris nobilibus, ita non minor laus Dei est, quod impij afficiantur supplicijs, quam quod pij seruẽtur æterna beatitudine. & tam illustris gloria Dei est, quod habeat infernum plenum hominibus sceleratis et impijs, quam quod habeat cœlum plenum pijs et sanctis. Alterum em̃ declarat seueritatem et iusticiam eius, alterum clementiam & misericordiam eius. Vnde etiam sicut pueri fletus, qui uirga à parente ꝓpter scelus castigat, multo iucundior est cantus corã Deo, quam cantus organi in templo, ita & Deo eiulatus & clamor impiorum in supplicijs suis, multo gratior est, quam omnes precationes & laudationes, quibus eũ honorare uolũt hypocritæ. Quare parẽtes & magistratus sentiãt se tũc Deo gratum sacrificiũ offerre, cum seueriter iuxta suã uocationem puniunt sceleratos. Vide exemplum Phinees, Nu. ca. 25.

ET CONVERTENTVR TORRENTES EIVS IN PICEM, ET HVMVS EIVS &c.

Qui in hac concione intelligunt nomine Idumęę synagogam Iudæorũ, hi interpretantur torrentes piceos perpetuo ardentes pro extrema Iudęorum abiectione & deuastatione, qua à Romanis ita oppressi sunt, ut nunquam possint ueterẽ regni aut politiæ suæ statum recuperare. Per spinas autẽ & urticas, & onocrotalos, ibides, bubones, & reliqua infausta animalia intelligunt impiam, Pharisaicam & Thalmudicam doctrinã, qua Iudæi post abiectionem ipsorum ita inebriati ac fascinati sunt, ut præ ea nullam prorsus habeãt rationem pię doctrinę, Propheticę ac Apostolicę. Sed nos generaliter per Edomitas intelligimus omnes impios aduersarios & hostes Christi, ac ecclesiæ eius, siue hypocritas inter Iudęos, siue tyrannos inter gentes, siue quoscunq; alios pſecutores piæ doctrinę, qui buscum Christus, cum in hunc mundum uenisset, bellũ suscepit, & glorioſe deuicit, quemadmodũ supra indicauimus. Quare perge-

mus etiam ea quæ sequuntur, ad hanc sententiam accommodare. Conuertentur, inquit Propheta, torrentes eius, uidelicet terræ hostium populi Dei, in picem, & humus eius in sulphur. Non solū hostes ipsi trucidabuntur, uerumetiam terra eorū maledicetur. Flumina eius fluent, non aqua, sed pice. Puluis terræ eius mutabitur in sulphur, adeoq; terra sic inflammabitur, ut nūquam, nec noctu nec interdiu extingui queat. Erit ibi perpetuus ac tam horribilis fumus, ut nulla unquam possit ibi tranquilla esse hominū habitatio. Tanta erit solitudo & uastitas, ut infaustissimæ aues ibi sint cōmoraturę. Pellicanus, onocrotalus, ululа, noctua, coruus habitabunt in ea. Et cum aliæ regiones, quamuis uastatæ, soleant tamē iterum mensorijs baculis seu instrumentis ad inhabitandum distribui, & ad colendos agros suis terminis ac limitibus definiri, hæc autem hostium populi Dei regio ita uastabitur perpetuo incendio, ut nunquam amplius idonea sit ad cultum agrorū, sed erit potius Tohu & Bohu, hoc est, inanis et uacua, quemadmodum initio creationis fuit uniuersa terra. Nobiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt. Hoc sic debet uerti. Nobiles eius uocabuntur sine regno, hoc est, Nullum amplius erit regnum in ea terra, & si fiat mentio nobilium ac principū eius, dicetur, eos esse reges seu principes sine regno & sine principatu. Erunt enim Aphes, hoc est, Res absumpta, ac plane nihil. Magnifica palatia & fortalitia eorum ita deserta erunt, ut proferant spinas, urticas, & carduos. Pro regibus, principibus & nobilibus habitabunt ibi dracones, et pulli struthionū. In ijs locis occurrent bestiæ siluestres Insularibus, & Satyrus clamabit ad socium suum. Cubabit ibi lamia, & habebit ibi commodam habitationem Vlula nidificabit ibit, ponet oua sua, incubabit, foue bit, & excludet pullos in umbra eius. Congregabuntur etiam in eo loco uultures, seu milui, unusquisq; cū socia sua. Quid plura? Requirite ipsi, & scrutamini diligenter nomina immundarū, & inauspicatarum auium, quæ scripta sunt in libro Domini, hoc est, in Leuitico cap. 13. & Deut. ca. 14. Ne una quidem ex his fœdissimis auibus deerit, nec ulla erit, quæ non cum compare suo illic sit habitatura, quia Deus ipse sic uerbo suo præcepit seu ordinauit, & spiritu suo congregauit eas ad istum locum, adeoq; ipse est, qui sorte sua diuisit hāc terram illis inauspicatissimis auibus, & dedit ipsis eam, quasi baculo mensorio definitam, inhabitandam. Quare possidebunt eam perpetuo, & habitabunt in ea sempiternis generationibus. Hactenus percurrimus textum. Nūc uideamus sententiā eius. Sicut autem antea Propheta usus est metaphora cruenti gladij, & horribilis cędis ad describendam concionem Euangelij, qua Christus filius Dei, cū uenit in hanc terram, grassaturus esset tanquā gladio, in omnes impios & incredulos, quemadmodum & fecit,

Vide easdem bestias supra cap. 13.

cum

cum dixit: Qui non crediderit, iam condemnatus est, ita & pergit Propheta metaphora piceorum fluminum, semper ardentium, & immundarum ac inauspicatarum auium describere æternam pœnam, & sempiternum horrorem, qui impendet omnibus impijs, & incredulis. Non enim sentiendum est, quod ulla regio in terris futura sit, in qua omnia flumina fiant picea & sulphurea, & semper ardeant, ac fument, & in qua non sit, nisi omnium fœdarum & horribilium auium hospitium. Nam Æthnę & Vesuuij ignes aut fumi nihil huc faciunt, sed his uerbis describitur pœna ignis inferni, & perpetuus terror ac cruciatus omnium impiorum hostium Christi & ecclesiæ eius. Nec sentiendum est quod ignis inferni nutriatur & conseruetur corporali pice & sulphure, & quod in inferno habitent inauspicatæ illæ aues corporaliter, sed nominibus corporalium rerum adumbrãtur res spirituales, & uocabulis inauspicatarum auium significantur fœdissimi dæmones, & grauissimi terrores, qui impios perpetuo exercebunt. Neqꝫ enim Esaias aliud metaphorica sua concione intelligit, quam quod Christus & Apostoli de supplicio inferni concionati sunt. Baptista ait: Paleam exuret igni inextinguibili. Et Christus Ioannis capite quinto: Qui mala egerunt, prodibunt in resurrectionem condemnationis. Matthæi uigesimoquinto: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Marci nono: Bonum est ut ingrediaris ad uitam claudus potius quam duos pedes habens mittaris in gehennam in ignem in extinguibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. Paulus secunda Thessalonicen. primo. Reuelabitur IESVS CHRISTVS de cœlo cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio DOMINI nostri IESV CHRISTI, qui pœnam luunt, interitum AETERNVM, à facie DOMINI, & à gloria fortitudinis illius. Petrus, secunda Petri secundo. Isti sunt fontes aqua carentes, nebulæ, quæ à procella feruntur, quibus caligo tenebrarum inæternum seruata est. In hac igitur parte concionis Propheticæ de supplicio inferni, primum considera, quod sicut conciones Apostolicæ, ita & Propheticæ supplicium inferni constare dicunt ex igni, qui pice & sulphure nutriatur. Ac alij quidem disputant hunc ignem esse corporalem, alij spiritualem. Sed πολυπραγμοσύνη est, uelle ista diuina mysteria humana ratione perscrutari. Recte Damascenus ait: Tradentur diabolus & dæmones eius, & homo eius, id est, Antichristus, & impij & peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus. Nec inepte uulgo dici solet, quod

Vide August. De Ciuitate Dei, Lib. 21.

hic mundanus ignis collatus cum igni inferni, sit uelut pictus ignis collatus cum nostro. Porro, Ignis noster mundanus natura sua lucet. Et tamē Christus uocat infernū tenebras exteriores, in quibus sit fletus & stridor dentium. Petrus uocat, Catenas noctis, & tenebrarū caliginem. Quare facile conijci potest, ignem inferni magno discrimine, ab hoc nostro corporali differre. Deinde cōsidera hūc inferni ignem, non ad tempus tantum durare, sed esse æternū. Nocte, inquit Propheta, & die non extinguetur, In æternum ascendet fumus eius &c. Hoc idem testantur etiā Apostolica scripta, quemadmodum ante commemorauimus. Admirantur aūt nōnulli, quæ sit illa æquitas, quod temporario peccato, infligatur æterna pœna. Quomodo conuenit, ꝙ peccati designatio perduret aliquoties uix uniꝰ horulæ spacio, supplicium aūt peccati in sempiternū perduret? Respondet Augustī: Quasi ullius id unq̄ iusticia legis attēdat, ut tanta mora temporis quisq̄ puniatur, quanta mora tēporis unde puniretur admisit. Et postea: Quanto magis homo fruebatur Deo, tanto maiori impietate dereliquit Deū, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonū, quod esse posset in æternū &c. Vides ergo hominem impiū idcirco puniri æterno supplicio, quod per peccatū auertat se ab æterno bono: Vt non interim & hoc addam, quod impij cupiant in æternū, si queant, peccare. Non igitur indignū est, quod etiam in æternū puniant. Præterea, quod Esaias dicit: Terram illam desolandā in generatione & generatione, ac neminem in secula seculorum per eam transiturū, non significat nullū hominem conijciendū in infernū, sed per uastitatem & solitudinem intelligit horrorem, qui est in inferno. Nam cum homo natura sit animal πολιτικὸν, & capiat uoluptatem ex aliorū hominū contubernio, ac etiam miseris sit gaudiū, ut uulgo dici solet, habere pœnarum socios, in inferno longe aliter sese res habebūt. Non em̄ capies uoluptatem ex aliorum contubernio, sed potius horrorem, non aliter quam si commorareris in uastissima solitudine inter crudelissimas bestias. Non erit gaudium, ex proximi tui pœna, sed potius duplicata pœna &c. Postremo, quod Esaias recenset inauspicatas aues, in inferno, hoc plane sibi uult, q̄d Christus pauciss imis uerbis dicit: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Hi sunt inauspicatę illę aues, quę in inferno, ut ita dicam, circumuolitant, & incutiunt damnatis terrorem longe omnium maximū, ac nunq̄ in æternum finiendū. Quod cū ita se de perpetuo inferni supplicio habeat, intelligis nūc ipse, cur Christus tam grauiter moneat nos, ut magis suscipiamus temporalia pericula, q̄ peccando obijciamus nos æterno supplicio. Ne metuatis uobis, inquiēs, ab his qui occidūt corpus, animā aūt nō possūt occidere, sed metuite magis illū, q̄ potest & animā & corpus p̄dere in gehenna.

Augustinus de Ciuitate Dei Lib. 21. Cap. 11. & 12.

Et

Et iterum, Bonũ est tibi, ut luscus intres in uitam potius quam ut duos oculos habens mittaris in gehennam ignis. Breue spaciũ est huius uitæ nostræ corporalis. Et hoc idcirco nobis diuinitus donatur, ut tempus habeamus discendi artificium ad uitandum perpetuum interitum, & consequendam æternam fœlicitatem. Quid ergo eo homine magis insanum, quid magis furiosum, quam istud uitæ spacium tam incurie, tam negligenter, tam scelerate transigere, ut sempiternæ internecioni se ipse obiiciat, nec reportet aliud ex hac miserrima uita, nisi æternum supplicium? Nulla autem est doctrina, nulla religio in terris, in qua possimus uere cognoscere, qd faciendum sit ad euadendum supplicium inferni ignis, & ad consequendam iusticiam ac salutẽ, præterquam doctrina euangelij Domini nostri Iesu Christi, uidelicet quod propter solum hunc Christum habeamus peccatorum remissionẽ per fidem, & accipiamus spiritum sanctum, qui nostra corda et actiones ad obediendum uocationi Dei gubernet. Quare toto studio in hanc unam curã incũbendum est, ut hanc doctrinam cognoscamus, & ei obediamus.

Lang ist nit ewig/ Ewig aber ist zumal lang.

CAP. XXXV.

LAETABITVR DESERTA ET INVIA, ET EXVLTABIT SOLITVDO &c.

Hæc est altera pars eius concionis, quæ cap. 34. instituta est. Et quemadmodum antea Propheta comprehendit nomine Idumęę, omnes impios, & hostes populi ac ecclesiæ Christi, siue Iudæos, siue gentes, siue hypocritas, siue tyrannos, ita nunc nomine deserti, inuij, & solitudinis intelligit ecclesiã Christi. Ac profecto, si externam speciem ecclesiæ Christi in hoc seculo cõsideraueris, tribuitur ei aptissime cognomen deserti & Solitudinis, cũ interim impij uideãtur campus florentissimus, & ager fertilissimus. Ecclesia enim populi Dei in hoc seculo destituta est omni fere humano prędidio, & splendore, ac iudicatur non solum inutilissima, uerumetiam dignissima quæ de terra uiuẽtium deleatur. Habetur, ut Paulus ait: tanquam περίψημα καὶ κάθαρμα. In Aegypto erat quondã ecclesia Dei, sed iudicabatur tã abominabilis, ut populus Aegyptiacus existimaret se contagione eius sordidari, & perire. Ideoq; proturbabãt eos e finibus suis. Sub rege Ahab erat ecclesia Dei, sed adeo occulta & deserta, ut Elias ipse ignoraret, & conquereretur: Altaria, inquiens, tua destruxerunt, Prophetas tuos gladio occiderunt, & derelictus sum ego solus. Sed audit à DOMINO: Dereliqui mihi in Israel septẽ millia uirorũ, quorũ genua nõ sunt curuata ante Baal. Sub rege Ahaz, cuius tẽpore existimo Esaiã hãc concionẽ habuisse, erat populus Dei, sed tam ab impio rege, qꝫ à finitimis gentibus

ita desertus & oppressus,ut uideretur de salute eius actū esse. Sub Herode erat ecclesia Dei,Simeon, Anna, Zacharias, Elizabeth, Ioseph,Maria &c.sed adeo exigua & contempta,ut haud immerito cum deserto et uasta solitudine conferatur.Etsi enim multi solent gestare nomen populi seu ecclesiæ Dei,tamen sicut nō omnes sunt Israel,qui sunt ex Israel,ita nō omnes sunt ecclesia Dei, qui uocantur ecclesia Dei.Sed hi soli sunt uera Dei ecclesia, qui uere credunt in semen Abrahę promissum,hoc est,in Iesum Christum, & ferunt ex hac fide dignos fructus pœnitentię.Reliqui qui contempto aut neglecto Christo,confidunt sua ipsorū iusticia,nec habent aliquam rationē doctrinæ uere piæ,non sunt ecclesia Dei, etiamsi summum locum in ecclesia tenere uideantur.Ecclesiasticæ historię tradunt Paphnucium quendam eremitam magnę adeoq; angelicę sanctitatis hominem cogitasse secum,cui nam sanctorum similis esset:Sed mox,accepisse responsum,se similē esse symphoniaco cuidam,qui in proximo uico quæreret arte cantandi uictū.Quo oraculo reprehensus & admonitus fuit,ut ecclesiā Dei non æstimaret externa specie,sed cogitaret eam ab oculis hominum plerunq; absconditam,& soli Deo cognitā esse.Alius Eremita, Antonius nomine,cum oraret,ac iudicaret se longe omnium in terris sanctissimum,(Solent enim sancti grauissime tentari)audit uocē de cœlo: Antoni,nondum peruenisti ad mensurā Coriarij,qui est Alexandriæ.Hic Coriarius,postquam agnouisset Christū, exercebat opificium suum fideliter,ac singulis diebus confitebatur corā Deo, se esse maximum peccatorem in tota ciuitate,itaq; petere, ne ciuitati aliquid incommodi propter se accidat,sed ut Deus eam tueatur,et remittat ipsi peccata propter Christū &c. Hoc responso edoctus est Eremita,ecclesiā Dei non esse in propatulo expositam,sed fere accidere,ut ij sint uera ecclesia,de quibus minime suspiceris, & qui ab omnibus alijs sint deserti atq; contempti.Cum igitur talis sit conditio ecclesiæ Dei,ut uideatur magna esse solitudo ac desertū, suscipit Propheta eam consolandam.Et quia in superiori capite cōmemorauit bellum Christi aduersus hostes ecclesiæ suæ,& suppliciū, quod impijs paratum est cum diabolo & angelis eius,cōmemorat nunc beneficia,quæ ecclesię propter Christum contingunt,ut excitet eam ad fiduciam,et consoletur eam in tristissimis suis afflictionibus.Etsi autem propheta uidetur initio huius capitis uaticinari de uocatione gentium,quod gentes collatæ cum Iudæis,fuerint quasi desertum & solitudo,quia erāt,ut Paulus ait,sine Christo, alienati à repub.Israelis,extranei à testamentis promissionis,spem nō habentes,& Deo carentes.Et Oseas uocat gentium regionem,locū, in quo dicitur,Non populus meus uos:tamen quia Esaias mox commemorabit ea miracula, quæ Christus, cum adhuc ageret

Augu. Surgunt indocti, & rapiunt cœlum &c. Quod Antonio contigit cum Coriario, hoc Augustino contigit cum Antonio.

ret humanam in terris uitam, inter Iudæos, nõ inter gentes, edidit, idcirco sentiendum est, Prophetam κατὰ τὸ ἔθνος, alloqui ecclesiam Iudæorum sui temporis, quam & desertum ac solitudinem uocat, quod affligeretur non solum à finitimis gentibus, uerumetiam ab impio suo rege Ahaz, cuius tempore, ut ante diximus, apparet hanc concionem ab Esaia dictam esse. Postea autem usu ipso transferenda est ad ecclesiam omnium temporũ, siue inter Iudæos, siue inter gentes. Ecclesia enim uera siue ex Iudæis, siue ex gentibus collecta, semper est desertum & solitudo in hoc mundo, cum interim impij uideantur lætissima pascua. Dicit ergo Propheta: Lętabitur deserta & inuia, et exultabit solitudo. Exposui quę supplicia manent impios, qui sibi nunc fœliciſsimi uidentur. Nunc autem exponam, quæ beneficia, quæ gaudia maneant pios seu ueram ecclesiã. Ea quidem nunc sunt tempora, ut appareat actum esse de salute ecclesię, nec unquam futurum, ut ueniat Christus promissus, & instituat regnum suum, ac seruet pios. Vera ecclesia uidetur esse horribilis solitudo, in qua nihil unquam boni fructus proferendum sit, quia quemadmodum finitimi hostes quotidianos impetus faciunt in regnum Iudę, & uastant ipsum, (sicut scriptum est 2. Para. 28.) ita rex ipse Ahaz, & impij Pontifices uastant domi ueram ecclesiã impietate sua. Quid ergo aliud futurũ uidetur, quam hanc uniuersam gẽtem interituram, ut nec Christus ipse huic genti promissus, sit uenturus? Sed bene confidite, pusille grex, exultate & gaudete. Qui uidemini nunc desertum ac sterile solum, florebitis tandem sicut lilium. Certo futurum est, ut hoc desertũ floreat amœnissime, & proferat lætissimum fructum. Quia gloria Libani dabitur ei, et decor Carmeli & Saron. Libanus nobilis est Cedris. Habet & Carmelus & Saron suam quoq; nobilitatem. Hac autẽ metaphora docet Propheta, futurum, ut omnis benedictio Abrahę & semini eius promissa, (quę per gloriam Libani & decorem Carmeli ac Saronis significatur) in hoc populo, qui nunc prorsum desertus & abiectus uidetur, impleatur. Nam ad Abrahamum dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hoc semen est Christus. Benedictio autem, hoc loco, non est intelligenda pro externa & mũdana felicitate, sed pro ueris & cœlestibus bonis, uidelicet, pro remissione peccatorũ, iusticia, liberatione in afflictione, in morte, & æterna uita. Hæc est uera benedictio, quam qui assequitur, omnia assecutus est. Cum ergo Propheta dicit gloriam Libani, & decorem Carmeli peruenturum in desertum & solitudinem, significat futurum esse, ut hic populus, quamuis nunc oppressus, ita sit à DOMINO conseruandus & propagandus, ut in eo impleantur omnia quæ de Christo promissa sunt. Vnde & addit: Ipsi uidebunt gloriam DOMINI, & decorem Dei nostri.

Hic DOMINVS Deus noſter, eſt Ieſus Chriſtus, qui ſuo tempore natus eſt homo in Iudæorum eccleſia, & palam manifeſtauit multis miraculis, ac reſurrectione ſua à mortuis, gloriam, decorem & maieſtatem ſuam. Vidimus, inquit Ioannes, gloriam eius, gloriam uelut unigeniti à patre. Quare, cum hoc certiſsime futurum ſit, nolite exiſtimare de ſalute ueſtra actum eſſe, etiamſi nunc uidemini prorſus abiecti, ſed potius exultate lætabundi, geſtientes, & laudantes nomen DOMINI. Etſi enim, quod de reuelanda inter uos gloria Chriſti concionor, non eſt futurum, hoc ueſtræ corporalis uitæ tempore, tamen ſi credideritis, afferet uobis duplex beneficium. Vnum eſt, quod certo cognoſcatis, poſteritatem ueſtram conſeruandam incolumem, uſq; ad aduentum Chriſti. Alterum eſt, quod uos ipſi hoc tempore ex fide tantum beneficiorum conſequemini in Chriſto uenturo, quantum conſequeremini, ſi ætate ueſtra pertingeretis uſque ad tempus aduentus Chriſti. Obſerua rationem conſolationis Propheticæ. Auditores concionis Eſaiæ erant homines miſerrimi & afflictiſsimi, partim propter cõtinuas hoſtium incurſiones in fines regni eorum, partim propter impietatem regis Ahaz, & Pontificum, ſicut ſcriptum eſt 2. Paralip. 28. & 4. Reg. 16. Eſaias autẽ conſolaturus auditores ſuos profert & ſtatuit in medium Chriſtum, aduẽtum Chriſti, & regnum eius, ac hortatur, ut hunc fide ſua complectantur. Quare perſpicue ſignificatur, in ſummis afflictionibus et extremis periculis non eſſe aliam certiorem ac ueriorem ſalutem, præter Chriſtum DOMINVM noſtrum, fide acceptũ, ut rectiſsime dixerit Petrus, Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Nam ſi Chriſtum habueris per fidem, Deus eſt propicius, remittit peccata, reputat hominem iuſtum, adoptat in filium, ſeruat eum in morte, & tribuit ei æternum regnum in cœlis. Hæc bona, ſi adſint, quid poterit obeſſe afflictio, uel etiam mors ipſa? Hoc illud eſt, quod Pſal. 22. ait: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et Ioannes: Maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in mundo &c. Quare in aduerſis nihil prius ducamus, quam ut ad Chriſtum per fidem properemus, & cogitemus eum ſedere ad dextram Dei, ad quam ſecum auexit omnes eos, qui uera fide ipſum complectuntur. Sed reuertamur ad concionem Prophetæ. Confortate, inquit, manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis, confortamini, & nolite timere. Quos antea uocauit deſertum, uaſtitatem & ſolitudinem, hos nunc uocat puſillanimes, trepidantes, habentes manus diſſolutas, & nutantia genua. Talis eſt eccleſia Dei in hoc mundo, ſi externã ſpeciem conſideraueris. Nam qui premuntur grauibus afflictionibus, & uident imminere pericula, quæ putant ſe effugere non poſſe,

posse,solēt manus in sinum abijcere, & genubus nutare,ac trepida re. Vt enim animus frangitur,in periculis, ita franguntur manus & pedes,& omnes corporis uires. Cum igitur Ecclesiæ semper gra uissima quæq; in hoc mundo accidant, mirum non est, quod manus eius dissoluantur,& genua præ trepidatione nutent, qualiter accidit pijs sub rege Ahaz,sicut antea ostendimus. Sed spiritus sanctus hoc loco iubet eā forti & robusto esse animo, ac nihil prorsus mali metuere. Vnde ergo concipiam animi fortitudinem? Sequitur: Ecce Deus uester ultionem adducet retributionis, Deus ipse ueniet,& seruabit uos. Hæc dicta esse de aduentu Christi,ueri Domini ac Dei nostri, in carnem,sequentia perspicue testantur. Tunc aperientur, inquit, oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Etsi enim hæc miracula semper implentur in Ecclesia Christi spiritualiter,per Euangelion eius, quo homines uere ex omnibus infirmitatibus suis sanantur, tamen Christus ipse docet hæc externa miracula,quibus aperuit oculos cęcorum,& aures surdorum, ac fecit claudos expedite ambulare, esse testimonia, se coram adesse, & implere uaticinia de se Prophetarum. Apud Matthæum enim & Lucam, cum Baptista interrogāret per discipulos, num ipse esset uerus Christus,an alius esset expectandus, maluit Christus factis quam uerbis respondere: Ite,inquiens, renunciate Ioanni ea quæ auditis & uidetis. Cæci uisum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur,surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes audiunt Euangelion. Hæc autem est sententia Christi. Esaias capite trigesimoquinto prædixit fore,ut cum Christus aduenerit, aperiantur oculi cæcorum, & pateant aures surdorum. Et capite sexagesimoprimo,pauperes Euangelion audiant. Hæc autem miracula nūc per me,ut uidetis & auditis, edūtur. Quare manifestum est,me esse uerum Christum, nec alium esse expectandum. Vides igitur,q̄p cum Propheta dicit (Ecce Deus uester ultionem adducet, ac retribuet hostibus uestris suam mercedem, Deus ipse ueniet, & seruabit uos,) loquatur de Christo, & aduentu eius in carnem, quo uicit Satanam, ac denunciauit omnibus impijs æternam damnationem,redemit autem pios, & seruat eos æterna salute. Hic uero dicēt auditores Esaiæ: In longū tu prophetas. Multi adhuc anni sunt, (erant enim plus minus octingenti) donec ueniat Christus. Quis autem interea temporis nos liberabit & seruabit? Hetten wir heurling/wir wolten etwan ferling vberkommen. Idem solet etiam nobis obijci,cum consolamur afflictos ex secundo aduentu Christi in maiestate. Dicunt enim irrisores: Quid? Tu ne ponis mihi terminum ultionis, aduentum Christi ad iudicium? Abripiam igitur ti-

bi una cum pallio, etiam tunicam. Sed & si eo tẽpore, quo Esaias hęc cõcionatus est, nondum adueniebat Christus in carnem, post aliquot annorum centenarios, & nesciamus nunc, quo tempore aduẽturus sit in maiestate ad iudicium, tamen ex his pñ in præsentia semper suam habent consolationem ac salutem. Qui enim credidit tempore Esaiæ in Christum uenturum, is consecutus est in prędsentia remissionem peccatorę per Christum, et adoptatus est in filium Dei, ac conseruatus est tam in corporali uita, usqꝫ ad suam periodum, qꝫ in morte ad ęternam uitam. Sic & qui nunc credit in Christum, qui iam in carne aduenit, & aduenturus est in maiestate, is posside in ipso omnem salutem, nec quicquam certius est, quam omnes impios æterna internecione perituros, in aduentu Christi, ut maxime nunc florere uideantur. Emortui estis, inquit Paulus, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Quandocunqꝫ Christus manifestatus fuerit, uita uestra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Sed pergamus in textu Esaiæ pércurrere bñficia, quæ Christus aduentu suo collaturus est in Ecclesiam suam. Aperientur, inquit, oculi cęcorum, aures surdorum patebunt, Claudus saliet sicut ceruus, & aperta erit lingua mutorum. Hæc, ut diximus, etiam corporaliter per Christum, & in nomine Christi per Apostolos initio reuelati & propagati Euangelij impleta sunt. Quæ miracula, in Apostolicis literis descripta, notiora sunt, quam ut hic pluribus commemorari debeant. Sed implentur etiam indies in Ecclesia Christi spiritualiter, per prædicationem Euangelij. Nam luce Euãgelij illustrantur oculi hominum, qui sunt natura cęci, ut uideant, qua sit ingrediendum in ueram iusticiam & regnum cœleste. Sono Euangelij aures hominum ante mutorum ita aperiuntur, ut ex hoc auditu summam iucunditatem, adeoqꝫ æternam salutem concipiant. Euangelij concione confertur spiritus sanctus per fidẽ, qui spiritus tam efficax est, ut claudicãtes, ac errantes in ueram incolumitatem, & rectitudinem restituat. Ex hac quoqꝫ prædicatione muti redduntur eloquentes, quia qui antea non audebant tollere faciẽ suam ad cœlum, nunc accedunt cum fiducia ad thronum gratiæ, & alloquũtur Deum, ut Patrem, ac æternum seruatorem. Hæc sunt spiritualia miracula, quæ Christus per Euãgelion suum in Ecclesia operatur. Accedit aliud beneficium. Aquę excindẽtur in deserto, & torrentes in terra arida. Et torrida terra redigetur in stagnũ, & terra siticulosa, seu ardore solis cõbusta in scaturiginem aquarum, ut ubi prius habitauerint dracones seu serpẽtes aridissimorum locorũ amatores, ibi crescat deinceps herba uirens calami & iunci. Hæc Christus in aduentu suo, non impleuit quidem corporaliter: Necqꝫ enim contigit, ut discipuli & auditores eius indigerent aqua in desertis, alio-

qui

Act 15. Per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi.

qui etiam petræ effudissent ipsis aquas, ne siti perirent, quemadmodum petra dedit Israelitis aquam in deserto, & Christus pauciss imis panibus ac piscibus multa hominũ milia in deserto pauit. Hac uero metaphora uerborum significat Esaias, Christum in aduentu suo spiritum sanctum in Ecclesiam suam, quam supra ostendimus nomine deserti & solitudinis adumbrari, tam opulente effusurum, ut loquantur linguis nouis, per nomen eius dæmonia eijciant, serpentes tollant, si quid letale biberint, non noceat eis, super egrotos manus imponant, & bene habebunt. Sic & Christus ipse interpretatur, cum ait Ioãnis vij. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquę uiuæ. Et addit Euãgelista: Hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Vides ergo, quod admirãda dona spiritus sancti, quæ Christus in suos discipulos contulit, dicantur torrentes, & scaturigines fontium in deserto.

Sequitur aliud beneficium. Erit ibi semita & uia (ein furweg und ein fußpfad). Hæc uia uocabitur Sancta, propterea quod nullus pollutus, nullus prophanus per eam sit transiturus. Omnes qui in ea ambulant erunt sancti. Et erit uia tam plana & directa, ut nec stulti in ea errare possint. Non erit in ea uia leo, nulla mala bestia, nulla terribilis fera in ea inuenietur, quæ uiatorem perterrefaciat, aut dilaniet. Sed erit uia tutissima & securissima. Hæc sancta & tuta uia est Christus ipse. Sicut & dicit. Ego sum VIA, ueritas & uita. Primum igitur, Nullus prophanus aut pollutus transit per hanc uiam, quia quotquot accipiunt Christum per fidem, accipiunt etiam remissionem peccatorum, emundantur a peccatis suis, reputantur coram Deo iusti & sancti. Itaq; in Christo nullus est prophanus, nullus est pollutus & immundus, etiamsi credentes in Christum adhuc multum sordium habeant in carne sua. Vnde & alias dicit Esaias de Ecclesia. Non adijciet ultra ut pertranseat per te incircuncisus & immundus, quia ut Paulus ait: Nulla est condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Deinde hæc uia tam plana est, ut nec stulti in ea errare queant, hoc est, Qui credit in Christum, etiamsi fuerit homo alioqui simplex, nulla aut non admodum magna carnali prudentia præditus, tamen recta incedit ad ueram iusticiam, & æternam salutem. Christus enim ea est uia, qua sola peruenitur in cœlum. Præterea Christus ea uia est, quam nullus leo, nulla crudelis fera, nulla horribilis aut uenenata bestia obsidet, quia Christus non uenit, ut condemnator & deuorator hominum, sed ut liberator & seruator. Non misit Deus, (inquit) filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per

Christus quatis Via sit.

eum. Et iterum. Filius hominis non uenit ad perdendas, sed ad seruandas animas hominum.

Qui ergō isti sunt, qui ambulabunt in hac uia? & quid consequentur? Liberati, inquit, ambulabunt in ea, ac Redempti a Domino proficiscentur & uenient in Zion cum iubilo: Lætitia sempiterna erit eis, habebunt gaudium & lętitiam, & fugiet omnis dolor ac gemitus. Hæc est descriptio Credentium in Christum, qui propter Christum, quem fide accipiunt liberantur a potestate Satanę, a peccatis & morte, & proficiscuntur ad Zionem, hoc est, fiunt membra Ecclesiæ Christi per fidem, & adoptantur in hæredes cœlestis regni. Proficiscuntur autem ad Zion cum magno gaudio & iubilo. Quod gaudium erit sempiternum. Itaq; discedet ab eis omnis tristicia, dolor, gemitus, & fletus. Sicut & alias dicit: Gaudebitis & exultabitis in sempiternum in his quæ ego creo. Non audietur in ea ultra uox fletus, & uox clamoris. Hæc est fœlicitas, quam Christus attulit Ecclesiæ suę. Sed dices, quomodo gaudet Ecclesia perpetuo, cum tamen nihil ea sit miserius in hoc seculo, & propter persecutiones & uarias ærumnas, quæ accidunt ei, semper fere tristis incedat? Respondeo. Hæc fœlicitas, quam Esaias promittit Ecclesiæ propter Christum, non est reiicienda tantum ad futurum seculū, sed etiam in hoc præsenti seculo, pro suo modo intelligenda. Etsi enim Ecclesia grauissime in hoc mundo affligitur & conculcatur, tamen non caret uero ac cœlesti gaudio. Nam maxima hominis miseria est, non quidem pauperem, aut ægrotum, aut inglorium esse, aut etiam corpore suo mori, sed esse obnoxium peccatis, esse obnoxium Satanæ, æternæ morti, & igni inferni, & priuatum esse iucundissimo ac fœlicissimo conspectu Dei, & regno cœlesti. Hæc demum molestissima sudes est in oculis nostris. Hæc uere summa est calamitas & miseria hominis. Qui autem credunt in Christum, liberantur hac sude ex oculis suis, & redduntur propter Christum tranquilli ac securi, quia Christus expiauit peccatum, uicit Satanam, redemit credentes in ipsum, ab æterna morte & inferno, ac fecit eos hæredes cœlestis regni. Quare, cum sint hac maxima omnium calamitate liberati, plenum habent gaudium conscientiæ, etiamsi alijs corporalibus calamitatibus plurimum affligantur. Damocles Dionysij amicus non potuit ullum gaudium, etiam inter omnem regium apparatum, concipere, dum fulgens gladius seta equina appensus, ceruicibus suis impenderet. Et damnatus ad crucem, nulla uera cordis lætitia affici potest, etiam inter regias epulas, dum cogitat confestim affore lictorem, qui ipsum ad supplicium rapiat. Sed si ille uiderit gladium deponi, hic audit se a sententia damnationis absolutum, tum demum incipiunt ex corde gesti-

re,

re, etiamsi in casa rustica, inter crudas rapas uersentur. Ad eum modum homo salutis suæ sitiens, sed sentiens interim magnitudinem peccati sui, & grauitatem diuinæ iræ, ac perpetuæ damnationis, potest ex animo gaudere, etiamsi collocatus sit in regia maiestate, dum tenetur uinctus conscientia peccatorum, & iræ diuinæ. Postquam autem cognoscit per Euangelion, quod Christus expiauerit peccata, & reconciliauerit ipsum cum Deo Patre, qui & adoptet ipsum in filium, propter Christum, tunc uerum oritur gaudium, etiamsi uersandum sit in sordibus bubulcorum. Cum igitur Christus attulerit nobis hoc beneficium, manifestum est, quod etiam in hac uita fruamur in medijs ęrumnis cœlesti gaudio, quod tamen in futuro seculo reuera perficietur.

CAPVT XXXVI.

ET FACTVM EST IN QVARTODECIMO ANNO REGIS EZECHIÆ ASCENDIT &c.

Esaias habuit aliquot cõciones, eo tempore, quo Sancherib rex Assyriorum suscepit gerendum bellum aduersus Ezechiam regem Iuda, & incurrit cum exercitu suo in fines regni eius. Quæ concionescontinentur supra cap. vij. x. & alijs. Subijcit ergo nunc historiam eius belli, ut argumentum earum concionũ publice extet, & memoria miraculi seruatæ urbis Hierusalẽ, in extremo periculo, ad posteros propagetur. Eadẽ habẽtur iiij. Reg. xviij. & ij. Paralip. xxxij. Est autem memorabilis historia, in qua recensentur insignia exempla diuinæ clementiæ, in seruanda Ecclesia sua mirabiliter, & diuinæ seueritatis in opprimendis blasphemis Ecclesiæ hostibus: adhæc, magnæ fidei, & efficaciæ piarũ precum in extremis ac summis periculis. Præterea proponit nobis hæc historia εἰκόνα & imaginem eius oppugnationis, qua Satan semper Ecclesiam Christi opprimere & delere cogitat. Quare digna est, quæ diligentissime obseruetur. Initio, Sancheribum regem Assyriorum regnasse in Assyria, post Salmanessarem uastatorem Samariç, ex ipsa sacra historia constat iiij. Reg. xvij. & xviij. Meminit Sancheribi etiam Herodotus in Euterpe, & dicit, quod cum suscepisset bellum gerendum aduersus Ægyptios, magna copia murium noctu arroserit pharetras, arcus & habenas scutorum in exercitu eius. Itaq; Sancheribus armis exutus, necesse habuit saluti suæ fuga consulere. μετὰ δὲ τοῦτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν Σανακάειβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων &c. Deinde, quod ad Ezechiam, & bellum hoc Assyriacum attinet, scriptu-

ra manifeſte dicit, quod Ezechias rebellauerit contra regem Aſsyriorum, & non ſeruiuerit ei. Etſi autem nonnulli hæc uerba interpretantur, quod Ezechias nunquam fuerit ſubiectus regi Aſsyriorum, tamen ipſum rebellionis uocabulum haud obſcure ſignificat, Ezechiam fuiſſe tributarium regis Aſsyriaci. Sed quando initio factus ſit tributarius, ſcriptura, quod ego ſciam, non meminit. Fieri potuit, ut regnum Iuda factum ſit tributarium Aſsyriorum, ſub Ahaz parente Ezechiæ. Fieri item potuit, ut factum ſit tributarium in expugnatione & deuaſtatione Samariæ. Quocunque autem tempore, & quacunque occaſione regnum Iuda coactum fuerit ſeruire Aſsyrijs, & tributum pendere, certe hoc manifeſtum eſt, quod Ezechias abrogatis impijs ſacris, & inſtaurata ac reformata Eccleſia, & confirmato regno ſuo, defecerit ab Aſsyrijs, & negauerit eis tributum. Qua defectione excitatus rex Aſsyriorum Saneherib ſumpſit arma aduerſus Ezechiam. Sed Ezechias, uidens uniuerſas munitas ciuitates Iuda, præter urbem Hieruſalem, a Saneheribo captas, petijt pacem, quam Saneherib ea conditione dedit, ut Ezechias numeret ei trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Quæ faciunt maximam ſummam pecuniæ. Itaque factum eſt, ut non ſolum theſauri regij exhaurirentur, uerumetiam laminæ auri e ualuis templi detraherentur, quemadmodum ſcriptum eſt quarto Regum decimooctauo. Deinde, cum poſt inſtitutam ac emptam illam pacem, Saneherib iterum ſumeret arma aduerſus Ezechiam, ut non ſolum tributa ab eo acciperet, uerumetiam regnum eius deleret, coactus fuit Ezechias neceſſario, ut propulſaret iniuriam, & ſe ac regnum ſuum tueretur. Etſi enim Ezechias fuit tributarius regis Aſsyriorum, & ſubiectus ei, tamen quia Aſsyriacus prior uiolauit conditiones pacis, & mouit bellum iniuſte, Ezechias propulſando iniuriam nec fuit fidefragus, nec ſedicioſus, ſed ſuſcepit legitimam & neceſſariam defenſionem. Ac parauit bellum magna fide, & ſingulari induſtria. Extat ſecundo Paralipo. capite trigeſimoſecundo inſignis eius concio, quam habuit ad populum ſuum, in apparatu huius belli. Viriliter, inquiens, agite, & confortamini. Nolite timere, nec paueatis regem Aſsyriorum, & uniuerſam multitudinem quæ eſt cum eo. Multo enim plures nobiſcum ſunt, quam cum illo. Cum illo eſt brachium carneum, nobiſcum DOMINVS Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis. Quid ergo factum eſt? In hoc belli apparatu, cum Saneherib cepiſſet omnes alias urbes regni Iuda, & iam oppugnaturus eſſet, metropolim regni, urbem Hieruſalem, miſit prius Legatum ſuum Rabſacen ad Ezechiam, qui nomine ſuo poſtularet,

ſtularet, ut Ezechias ſe cum ſuis, & urbe Hieruſalem dederent. Fuit autem hic Legatus Aſsyriacus Rabſaces, uir longe omnium impiſſimus ac blaſphemus aduerſus Deum, quemadmodum exorationibus eius, quæ ſequuntur, manifeſtum eſt. Scribit Hieronymus, Iudæos ſentire hunc Rabſacen fuiſſe filium Eſaiæ, & factum proditorem patriæ ſuæ. Etſi autem hoc uidetur eſſe Iudaicum ſomnium, tamen in tanta hominum corruptione, non eſt alienum a carnis impietate, quod liberi degenerent a parentum ſuorum pietate, & quod optimis parentibus contingant peſsimi liberi. An non optimus hic Princeps Ezechias habuit filium longe omnium impiſſimum & ſceleratiſsimum Manaſſen? Non eſt igitur mirum, ſi Eſaias Propheta in eadem fuit fortuna, & habuit filium degenerem, ac patriæ proditorem. Vetus dictum eſt: Heroum filij, noxæ. Et teſtantur hoc dictum filij Eli, Samuelis, Dauidis & aliorum multorum. Quare parentes, dum adhuc habent liberos in ſua poteſtate, faciant ſuum officium, erudiant liberos in uera pietate & timore Domini, pro ſua uirili, commendentq; precibus ſuis ſalutem eorum Domino Deo noſtro per Ieſum Chriſtum. Itaque ſi manſerint liberi in pietate, bene. Si autem a pietatis diſciplina defecerint ad impietatem & ſectentur ſcelera, parentes magno quidem dolore afficiuntur, ſed ipſi ſuas animas liberauerunt. An non agricolæ accidere ſolet, ut poſt exhauſtos multos labores foſſionis, ſtercorationis, arationis, & ſeminationis, ſegetes eius, cum iam demetendæ eſſent, depopuletur uel grando, uel examen locuſtarum, ac una hora, omnis labor eius, quem toto anno agris colendis impendit, pereat? Ferenda hæc ſunt infortunia obedienti & patienti fide, non execranda uirulentis blaſphemijs &c. Sunt alij, qui exiſtimarunt hunc Rabſacen fuiſſe Samariten, ideoque nouiſſe hebraicum ſermonem. Eſt & hoc ueri ſimile. Neque enim Rabſaces potuiſſet talem orationem habere, qualem Propheta deſcribit, niſi fuiſſet rerum Iudaicarum peritus. Et Samaritæ iam inde ab initio defectionis infeſti erant regno Iuda, ac nunc magis cupiebant exitium regni eius, quod ipſorum regnum paulo ante uaſtatum fuerat. Sic in periculis, grauiores nobis eſſe ſolent uicini, quam hoſtes, ac magis nobis metuendum eſt ab amicis, quam inimicis. Inimici hominis, inquit CHRISTVS, domeſtici eius. Quid ergo in rerum diſcrimine faciendum eſt? Confidendum eſt ſola clementia Dei, & ſiquidem neceſſaria eſt opera amicorum, aut uicinorum, utendum erit ea in timore DOMINI, non fidendum. Porro Rabſaces noſtra lingua ſignificat Magiſtrum potus ſeu pincernarum. Ideoque exiſtimant aliqui hoc loco non eſſe nomen proprium, ſed nomen officij.

Sed cuiuſcunq; uel generis uel conditionis fuerit Rabſaces Lega-
tus Aſsyriacus, conſideremus orationem eius, qua conatur perſua-
dere Ezechiæ & Principibus eius, ut ſeſe Sancheribo dedant. Nam
cum Ezechias miſiſſet ad eum, in colloquium, etiam ſuos Legatos,
habuit Rabſaces orationem ſuaſoriam, qua nudat Ezechiam omni
auxilio tam humano, quam diuino. Vtitur autem præcipue qua-
tuor aut quinq; argumentis, quibus hortatur Ezechiam ad deditio-
nem. Primo argumento nudat Rabſaces Ezechiam auxilio Ægy-
ptiaco. Cogito, inquit, te uerbis iactare coram populo tuo, tibi ad-
huc reliquum eſſe conſilium, & reliquas eſſe uires ad gerẽdum bel-
lum. Sed profecto nihil habes quo confidere queas, ut obſiſtas Aſ-
ſyriacæ potentiæ. Age enim, enumeremus ſufficienter, quibus re-
bus iuuari poſſes, ſed uidebis tuipſe, te his omnibus eſſe nudatum.
Principio. Confidis fortaſſe auxilio regis Ægypti. Sed hæc eſt ua-
niſsima fiducia. Ægyptus eñ eſt, ſicut baculus arundineus. Quẽ-
admodum igitur, ſi quis innititur manu ſua baculo arundineo, tan-
tum abeſt ut ſuſtentetur, ut potius maiori damno accepto ruat. A-
rundo enim natura fragilis, confringitur, & non ſolum ſinit inni-
tentem in terram cadere, uerumetiam perforat, aut ſaltem uulnerat
manũ qua innitebaris ei, ita ſi quis confidit Ægyptiaco auxilio, in-
tantum non iuuatur, ut neceſſe habeat grauiori ruina cadere. Cæte-
rum, ſcriptura non tradit Ezechiam uſum eſſe auxilio Ægyptio-
rum, in hoc ultimo bello, nec obſcurum eſt, quod Ezechias ſuſcepe-
rit hanc defenſionem aduerſus Aſsyrios, ſola fiducia cœleſtis ac di-
uini auxilij, quemadmodum indicat oratio eius, quam habuit ad po-
pulum ſuum in apparatu huius belli. Sed apparet ex concionibus,
quas Eſaias ſupra habuit ca. xxx. & xxxi. q; Principes regni Iuda in
priori bello, quo Ezechias neceſſe habuit pacẽ ab Aſsyrijs emere,
plurimũ fiduciæ collocauerint in Ægyptiaco auxilio. Sed hæc ut-
cunq; ſe habeant, certe Rabſaces aptiſsime confert humanum auxi-
lium, cum arundineo, hoc eſt, fragili baculo. Etſi enim Rabſaces ho-
mo impius eſt & blaſphemus, tamen quam hic ſententiam dicit de
humano auxilio, conuenit cum ſententia ſpiritus ſancti. Nolite, in-
quit, confidere in Principibus, neq; in filijs hominum, in quibus
non eſt Salus. Et iterum: Non in fortitudine equi uolũtatem habe-
bit, neq; in tibijs uiri beneplacitum eſt Domino. Et Eſaias: Ægy-
ptus homo, & non Deus, equi eorum caro & non ſpiritus. Sic &
Hieremias: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit
carnem brachium ſuum, a DOMINO recedit cor eius. His au-
tem & ſimilibus ſententijs, non prohibetur legitimus & ordina-
rius uſus humanorum auxiliorum, ſed prohibetur tantum fidu-
cia in humana auxilia. Tunc autem confiditur hominum auxi-
lio

lio, cum aut munis te humano præsidio, aduersus uerbum Dei, & ad facienda impia ac scelerata: aut suscipis facienda, etiam recta & iusta, sed sine timore Dei, sola sociorum tuorum fiducia.

Quanquam autem, ut dixi, Rabsaces apte comparat Ægyptiacum auxilium baculo arundineo, tamen abutitur hac optima comparatione, ad seducendum Ezechiam, & coniiciendum eum in desperationem, ut deserat suum officium, & dedat sese impio regi. Non dissimili argumento solet Satan, etiam Ecclesiam ad desperationem salutis suæ sollicitare. In persecutionibus enim obiicit ei uanitatem humanorum auxiliorum. Quomodo posset, inquit, constare salus Ecclesiæ Christi, cum sit destituta omni præsidio? Non habet nec reges nec Principes, qui eam serio tueantur. Et quanquam nonnulli uidentur suscipere defensionem eius, tamen uere sunt baculus arundineus, & uana est salus hominis. Tantisper patrocinantur Ecclesiæ, dum inueniunt argenteos & aureos calices ab ea accipiendos. In periculis autem uere pro Ecclesia sufferendis, suas res agunt, & suæ tranquillitati, quoquo modo possunt, consulunt. In hac tentatione, ingenue fatendum est, Ecclesiam uti quidem, si legitime posit, piorum Principum defensione, Sed nullo modo constare humano præsidio. Solus Deus tuetur & conseruat Ecclesiam suam mirabiliter. Et sicut filius Dei regnat in medio inimicorum suorum, ita & Ecclesia conseruatur in medio hostium suorum. Sed & priuatim solet Satan simili argumento pios ad desperationem sollicitare. Obiicit enim eis in conscientia impuritatem & imbecillitatem humanæ iustiçiæ. Dicit: Fateor quidem te fecisse aliquot bona opera. Sed tu ipse uides ea esse baculum arundineum. Non potes his confidere, quia sunt imperfecta, sunt impura. Non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuēs. Atq; hactenus quidem Satan recte concionatur: Sed cogitat hominem ad impietatem & desperationem impellere. Quare agnoscendum est, nostra humana opera non esse uere iusta & sancta, reiiciendum autem est propositum Satanæ. Non enim idcirco abiicere debemus spem salutis, quia opera nostra sunt impura, nec possumus iis in iudicio Dei fidere. Sed omnis spes salutis collocāda est in misericordia Dei propter Iesum Christum, qui solus est iusticia, sanctificatio, & redemptio nostra &c.

Ecclesia quatenus utatur defensione Principum.

Secundo, Rabsaces nudat Ezechiam diuino auxilio. Quod si responderis mihi, inquit, in Domino Deo nostro cōfidimus, nonne ipse est cuius Ezechias &c. Deus odio habet Ezechiam, quia abrogauit cultum & sacra eius. Quare nō potest auxilio eius fidere. Hic hypocritis & impijs usus est Rabsaces aliquid dicere. Nam Iudæi fecerunt in excelsis sacra, nō idolis, aut dijs gentium, sed uero Deo

Israelis. Instituerunt in excelsis suis sacra, ad imitationem legitimorum sacrorum, quę in templo peragebantur, & propositum eorum erat, ut ijs sacris colerent ac uenerarentur uerum Deum. Sic enim scriptura testatur secundo Paralip. trigesimotertio: Adhuc populus (inquit) immolabat in excelsis Domino Deo suo. Manifestum autem est, quod Ezechias in principio regni sui abrogauerat non solum excelsa, uerum etiam multa alia sacra, quemadmodum scriptum est quarto Regum capite decimooctauo, & ij. Paralipo. xxix. xxx. & xxxi. Quare hoc Rabsacis argumentum uidebatur hypocritis maximum habere pondus. Sed facilis est respõsio. Excelsa & sacra eorum & si fiebant ab hypocritis in honorem, ut ipsi iactabant, Dei, tamen fuerunt duplici nomine impia. Primum, quod erãt manifeste in lege Domini prohibita. Deut. duodecimo. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem uideris, sed in eo, quem elegerit Dominus &c. Et iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias: Nec addas quicquam nec minuas. Deinde quia Iudæi faciebãt hęc sacra, ut horum meritis expiarẽt peccata sua coram Deo. Quare Ezechias pro suo officio & uocatione fecit, quod tam impia sacra abrogauerit, & præstitit hac abrogatione cultum Deo gratissimum, tm̃ abest, ut Deum ad iracundiam prouocauerit. Idem prorsus solet etiam hoc tẽpore obijci his principibus & magistratibus, qui abrogauerunt impia Papistica sacra in Ecclesia, & contulerunt operã suã ut prædicatio Euangelij, & uera sacra instaurarẽtur. Hi, inquiunt aduersarij, deleuerunt cultum Dei in Ecclesia, quomodo ergo institutum eorum posset habere prosperum successum? Hi abrogarunt Missam, quæ est summus Dei cultus, quid ergo fœlicitatis pollicerentur sibi in suo proposito? Sed bene habet. Pij Principes abrogarunt tantum impia sacra, qualis est Missa Papistica, quæ habita est pro sacrificio, quod expiet peccata uiuorum & mortuorum, qualia sunt plurima alia sacra, & restituerunt in Ecclesijs suis doctrinam uere piam, id quod perspicuis argumẽtis probatum extat. Quare & si in hoc instituto accidunt eis ærumnę & calamitates, nihil nouum est, nec mirum, quippe cp & si pijs debetur omnis fœlicitas, tamen quia Satan est princeps huius mundi, inuertere solet diuinam ordinationem, & efficit, ut impijs suis sit bene, pijs aũt male. Sed hæc Satanę fœlicitas nõ potest esse diuturna. Ecclesiast. cap. viij. ait: Etiamsi peccator centies facit malum, & per patientiam sustentatur, tn̄ ego cognoui, cp erit bene timentibus Deum, his qui uerentur faciem eius &c. Solet Satan etiam priuatos hoc genere tẽtationis aggredi, & conari eos de fiducia in Christum deijcere. Monacho desertori ordinis sui, solet obijcere uiolationẽ uotorę monasticorum. Alijs obijcit esum carnis in quadragesima: obijcit omissionem

Impiorum sacrorum abrogatio, cultus Deo gratiß.

sionem auricularis confessionis, contemptum Missæ, & id genus alia. Hic nisi quis ex uerbo Domini intelligat Christianam libertatem, & quæ sint uere pia, quæ impia sacra, non potest euadere laqueos Diaboli. Quare danda est nobis opera, ut nihil temere faciamus, sed teneamus ex uerbo Domini certam facti nostri rationem.

Tertio, Rabsaces extollit & amplificat potentiam regis Assyrici, Vires autem Ezechiæ eleuat. Tu Ezechia cares equitatu, Sancherib autem equitatu ita abundat, ut plures equos superuacaneos possideat, quam tu Ezechia ascensores seu equites, qui his equis utantur, exhibere queas. Et tanta est tua, Ezechia, imbecillitas, ut bello gerendo ne aduersus unum tantum præfectum regis Assyrici sufficeres. Quomodo igitur audes cum toto eius exercitu bellū suscipere? Sed Ezechias facile potuit hæc refutare. Non habet magnum equitatum. Recte. Deus enim præcepit regi Israel, ne multiplicet sibi equos, & ne confidat multitudine equitum, Deut. decimoseptimo. Et quanquam maior est potentia hostis, tamen Ezechias habet a parte sua Deum, qui est omnipotens. Sic enim Deut. uigesimo dicitur: Si exieris ad bellū cōtra hostes tuos, & uideris equitatus & currus, & maiorem quam tu habes aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus TECVM est &c. Vnde & Ezechias ad suum populum in huius belli apparatu dixerat: Nolite timere, nec paueatis regem Assyriorū, & uniuersam multitudinem quæ est cum eo. Multo enim plures nobiscum sunt, q̄ cum illo. Cum illo est brachium carneum, Nobiscum Dominus Deus Israel, qui est auxiliator noster, & pugnabit p̄ nobis. Ad hunc modum solet Satan tentare nos de salute tam nostra q̄ Ecclesiæ. Obijcit nobis potentiam hostium Ecclesiæ. Ponit nobis ob oculos imbecillitatē nostram. Dicit, unum angelum Satanæ fortiorem esse omnibus hominibus. Qua igitur fiducia (inquit) inibis pugnam cum uniuersis legionibus Satanæ? Homines, hostes Ecclesiæ, sunt Principes terrę. Diaboli, aduersarij piæ doctrinę sunt Principes aeris. Aduersus horum potentiam cōsisteret ne grex tam pusillus & tam imbecillis? Sed ad hæc Ioānes breuissimis respondet: Maior, inquiēs, est, qui est in nobis, q̄ qui in mundo. Et Christus, Princeps mundi iam iudicatus est. Et, Gaudete ego uici mundum.

Quarto: Rabsaces gloriatur etiam Deum ipsum a parte regis sui stare. Age fingamus, inquit, te iuuari omni potētia Ægyptiorū, tamen nec tu, nec Ægyptij potentiores sunt Domino Deo nostro, contra cuius uoluntatem tu mihi resistis. Ego enim suscepi hoc bellum, non mea libidine, sed uoluntate Dei. Deus ipse uoluit, ut in hanc regionem cum exercitu meo incurrerem, & uastarem eam. Sed num hęc uere loquitur Rabsaces? Num rex Assyrius suscepit

hoc bellum mandato diuino? Credo Assyrium fama accepisse, Prophetas in regno Iuda uaticinatos esse regni eius calamitatem & uastationem. Sicut prophetarunt Amos capite ij. & Micha capite primo. Aut fortasis argumentatur ex euentu. Hactenus gessi bellum aduersus regnum Iuda fœlicissime, & cepi omnes munitas urbes eius: quod certe non potuissem sine singulari Dei fauore & auxilio facere. Manifestum igitur est, quod ego belligeror diuina uoluntate, uos autem resistitis diuinæ uoluntati. Hæc est grauissima quidem tentatio, sed intuenti in uerbum Dei, & recte intelligenti, facile est, ei obuiam ire, & eam propulsare. Prophetę minati quidē sunt regno Iuda calamitatem, Sed interim promiserunt quoq; liberationem, præsertim resipiscentibus & confidentibus misericordia Domini. Et Deus uoluit quidem, ut regnum Iuda affligeretur, non uoluit autem ut hoc tempore per Assyrios deleretur. Præterea, Impij possunt quidem, conniuente Deo, fœlices esse aduersus pios, non possunt autem hac fœlicitate perpetuo frui, quia pij tandem liberantur, impij autem necesse habent perpetuo interire. Non dissimiliter Satan pios in conscientia tentat, & ad desperationem sollicitat. Dicit: Quid tu pugnas cum uoluntate Dei? Deus omnino uult ut inæternum damneris, quia dedit Legem, quam cum non obseruaueris, manifestum est te ab ea maledici, & æternę damnationi tradi. Adhæc, non es prædestinatus ad uitam, sed ad mortem, non ad cœlum, sed ad infernum. Quare noli aduersus uoluntatem Dei pugnare, sed trade te obedienter in damnationem, ne superuacaneum laborem suscipias. Hæc sunt ignita iacula Satanæ, quæ acuit ipso uerbo Domini, ipsa lege Dei, quæ est uoluntas Dei. Sed Euangelion docet nos hæc tela retundere. Lex maledicit quidem hominem, non autem ut retineat eum in maledictione, sed ut amandet eum ad Christum: Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur &c. Prædestinatio autem reuelata est in Christo, ut quotquot in eum credunt, prædestinati sint ad uitā.

ET DIXIT ELIACHIM ET SOBNA etc. LOQVERE AD SERVOS TVOS SYRA &c.

Legati Ezechiæ non respondent argumentis orationis Rabsacis, sed tantum monent eum, ut colloquatur cum ipsis Syriaca, non Iudaica lingua. Metuunt enim ne populus in muro audiat orationem Rabsacis, & persuasus uerbis eius deficiat ab Ezechia, ad Assyrios. Videntur quidem illi prudenter de his rebus cogitare, sed hac prudentia augent magis malum quam tollunt. Rabsaces enim intelligens, qua parte premat eos calceos, incipit altius uociferari, & argumenta sua copiosius recensere, ac urgere, ut excitet in populo seditionem aduersus Ezechiam, & ad defectionem seducat.

Hic

Hic ergo uides infœlicem esse hominum prudentiam, quæ non diuino consilio gubernatur, & non diuino incremẽto fortunatur. Sicut & in Psalmo dicitur: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam &c. Hoc autem nõ eo cognoscendum est, ut philosophiam, hoc est, studium sapientiæ damnemus, & negligamus, ac ut stulte omnia administremus, Sed ut cum nostri officij sit, summa qua possumus prudentia omnia nostra negocia perficienda suscipere, non existimemus nos prosperum rerum euentum prudentia nostra captiuum ducere, ut cogamus eum nostræ expectationi respondere, Sed ut supplices inuocemus auxilium Dei, & petamus ab eo consilia nostra gubernari, ac fortunari. Nisi enim incrementum Dei accesserit, frustra, imo pernicioſe prudens est, etiam prudentissimus.

ET DIXIT AD EOS RABSACES: NVNQVID AD DOMINVM TVVM &c.

Rabsaces intantum non compescitur admonitione Legatorum Ezechiæ, ut altius uociferetur. Ac initio mouet Ezechiæ inuidiam, quasi esset autor calamitatis populi, & quasi Assyrius doleret uicẽ populi. An non potius, inquit, misit me rex meus ad uiros qui sedent in muro, ut edant stercora sua, & bibant urinam suam? Hoc uult dicere. Meus rex Sancherib magis cupit populo huic benefacere, quam malefacere. Miseret eum calamitatis eorum, quod necesse habeant, si obsidio fuerit paulo diuturnior, præ inopia edere stercora sua & bibere urinam suam, hoc est, sordidissima & fœtidissima quæq;. In hanc necessitatem conijcit eos, non rex meus, qui cupit uobis omnia beneficia præstare, sed rex ille uester Ezechias, qui ad retinendam suam tyrannidem, & ad opprimendum pro sua libidine populum, autor est tantæ calamitatis. Habes artificem ad commouendam seditionem aduersus legitimum suum magistratum. Quale artificium etiam uides in Absalome. Deinde Rabsaces uertit sermonẽ ad populum, qui prospiciebat de muro, & instituit concionem, qua monet ne seducantur ab Ezechia, sed se dedant Assyrijs. Vtitur autem præcipue duabus rationibus: Vna est promissio clementiæ & beneficiorum. Rex Assyriorum permittet uos frui uestris uineis, uestris facultatibus, donec transferamini in aliquam regionem, quæ non minus fertilis est, quam hæc uestra, & quæ tam grata uobis futura sit, quam hæc est. Nam de religione licebit uobis sectari, quam libet. Hæc genera concionum solent uulgo seditioso, nouarum rerum cupido, & uentris tantum studioso gratissima esse. Quorum enim Deus uenter est, hi nec honestatem curant, nec habent aliquam futurorum pericu-

lorum rationem. Hi non uerētur dicere: Quid ad me, quis urbi aut regioni dominetur, modo liceat mihi meis facultatibus tranquille fruiꝰ Verleurt herr, ſo gewinnet herr, hoc eſt, Omnino ferenda eſt mihi dominatio ſeu tyrānis. Iuxta igitur pono, ſiue is, ſiue alius dominetur, modo ego non male habeam. Sed pĳ longe aliter affecti fuerunt ad hanc partem concionis Rabſacis. Primum enim debuerunt fidem & obedientiā legitimo ſuo regi Ezechię, qui iuſſit eos urbem defendere, & Aſsyrĳs fortiter reſiſtere. Quare cogitauerunt officĳ ſui eſſe, maiorem habere rationem fidei & obedientiæ ſuæ, q̄ꝑ fraudulenti, & captioſi promiſsi Rabſacis. Pio enim magis conſiderandum eſt, quid ſit pium & honeſtum, q̄ quid ſit in ſpeciem utile. Deinde, & ſi rex Aſsyrius non curabat religionē, tamen ſi tradidiſſent ei ſine extrema neceſsitate & manifeſta Dei uoluntate urbem Hieruſalē, in qua diuinitus inſtituta erat parochia populi Dei, & in qua legitima ſacra, diuina ordinatione peragebantur, prodidiſſent, quantum in ipſis erat, ueram religionem, & expoſuiſſent periculo impietatis omnes poſteros ſuos. Nā Aſsyrius deduxiſſet coloniā Ethnicorum in Hieruſalem, Sicut fecerat Samariæ, & tranſtuliſſet ciues Hieroſolymitanos in aliā regionem, inter Ethnicos, inter quos non licuiſſet populo Dei ſua ſacra facere. Itaq̄ poſteri paulatim deſciuiſſent ad impietatem Ethnicam. Cōſeruat quidem Deus Eccleſiam ſuam etiam inter medios impios, ſicut conſeruauit eam in captiuitate Babylonica. Sed non eſt tentandus Deus, ut ſine neceſsitate, & manifeſta uoluntate Dei deſeras locum diuinitus uerbo Dei deputatum, & transferas te in locum & ſocietatem impiorum. Vnde & Dauid in exilium eiectus a Saule, maxime omnium queritur, quod cōmorandum ſibi ſit inter Ethnicos, & non in hæreditate Domini. Maledicti ſunt, inquit, in conſpectu Domini, qui eĳciunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade ſerui dĳs alienis. Et Pſalmo octuageſimotertio: Melior eſt dies una in atrĳs tuis ſuper milia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Altera ratio Rabſacis eſt Refutatio orationis Ezechiæ. Nam Ezechias initio huius belli habuit inſignem & pĳſsimam orationem ad ciues ſuos, qua confirmauit eos promiſsionibus diuini auxilĳ: Viriliter, inquiens, agite, Confortamini. Nolite timere, nec paueatis regem Aſsyriorum, & uniuerſam multitudinem quæ eſt cum eo. Multo enim plures nobiſcum ſunt, quam cum illo. Cum illo eſt brachium carneum. Nobiſcum Dominus Deus noſter, qui eſt auxiliator noſter, & pugnat pro nobis &c. Hanc orationem refutare conatur Rabſaces. Non conturbet uos, inquiens, Ezechias dicens: Dominus liberabit nos. Refutat autem eam magna & inſigni blaſphemia.

1 Reg. 26.

ſphemia. Alij dij non potuerunt ſuas regiones de manibus meis liberare. Quomodo igitur poterit ueſter Deus uos de meis manibus liberare? Nam res quoq; ipſa declarat, eum imbecilliorem eſſe, quam ut poſsit uos iuuare. Videte Samariam. An non Iſraelitæ qui in Samaria habitauerunt, coluerunt eundem Deum, quem uos colitis? Non potuit autem incolas Samariæ ſeruare, quomodo igitur uos ſeruare poſſet? Hęc eſt horribilis blaſphemia, quę etiam facit, ut Deus feſtinet ad inferendum exitium regi Aſsyriorum & exercitui eius. Quia autem Ezechias & Eſaias hãc blaſphemiam paulo poſt perſpicue reprehendunt & refutant, ideo explicationem eius reſciemus ad illorum orationes. Conſiderandum autem eſt nobis, quod Satan etiam nos haud diſsimiliter tentãdos aggrediatur, & ſimiles blaſphemias euomat in Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Si quis premitur paupertate, huic pollicetur magnas diuitias, ſi uoluntati eius obſequatur, & det operam impoſturis. Exaggerat pericula paupertatis. Neceſſe, inquit, habebis fame mori, niſi uelis ueſci tuo ſtercore, & bibere tuam urinam. Quid autem opus eſſet, ut te conijceres in tanta periculã, cum poſsis multas opes adſequi, ſi te mihi tradideris & meis mandatis obſecutus fueris? Quod ſi uero reſpondeas, Te perſeueraturum in uera obedientia Dei, & in ea confidere diuina clementia, qui dixit, primum quærendum eſſe regnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adijcienda. Ridicule, (inquit Satan:) quaſi uero Deus tua cauſa de cœlo deſcendat, ac te iuuet. Ac plane id occinere ſolet Satan, quod in Comœdia ſcribitur: In qua, cum quiſpiam dixiſſet, Dijs ſum fretus, deos ſperauimus, reſpondet alter:

Non ego iſtud uerbum empſitem titiuilitio.
Nam omnes mortales dijs ſunt freti, Sed tamen
Vidi ego dijs fretos ſæpe multos decipi.

Has blaſphemias inijcit Satan in corda eorum, quos tentat, & ad impietatem abducere conatur. Si quis patitur perſecutionem propter Chriſtum & Euangelion eius, & obijcitur periculis tam facultatum quam uitæ, accedit tentator: Quid tu, inquit, conijcis te tua ſponte in tantã pericula? Quin potius, dabo tibi opes, dabo regna huius mundi, ſi proſtratus adoraueris me, &c. Quod ſi reſpondeas, te confidere in Chriſtum, & ſperare auxilium eius, ſtatim infert Satan. Quid? Chriſtus ipſe, non potuit ſe iuuare, & iuuaret te? In cruce pendens, clamauit ipſe: Deus meus ut quid me dereliquiſti? Dicunt quidem eum reſurrexiſſe poſtea a mortuis. Sed quis te certiorem facit, quod hęc ita ſe habeant? Si reſurrexit a mortuis & ſedet ad dextram Dei, quid non iuuit diſcipulos ſuos primarios, Petrum, Paulum & alios. Sed & hi neceſſe habuerunt miſerri

me perire. Quare desere istas uanitates, & sectare, quod tibi tutum ac tranquillum est in hoc seculo. Aduersus has blasphemias oportet nos uerbo Domini munitos esse, ne a Satana seducti, abnegemus Christum. Sed de hac re postea.

ET SILVERVNT, ET NON RESPONDERVNT EI VERBVM &c.

Vulgus, & si audit sedicioſam & blasphemam orationem Rabsacis, nihil tamen respondet. Sic exigente mandato Regis. Ac profecto necessarium & prudens fuit mandatum Ezechiæ, ut nihil respondeatur tantæ blasphemiæ. Rabsaces enim tam uirulentus erat, ut responso magis excitatus, q̃ placatus esset, ac euomuisset maiores blasphemias. Sed unde, obsecro, tãta obediẽtia in uulgo? Rabsaces uidebatur multis uerisimilia, & utilia loqui, nemo tñ inter ciues Ezechiæ, uel mutire audet. Num Ezechias parauit sibi hanc obedientiam, externa & carnali potentia? Sed potentia eius, uix æq̃abat unum & alterum præfectum Sancheribi, quemadmodum Rabsaces dixerat. Quare hæc populi obedientia, præsertim in hac necessitate, non est humanis uiribus extorta, sed diuina clementia donata. Sicut & Dauid ait Psalmo centesimo quadragesimo tertio: Protector meus & in ipso speraui. Qui subdis populum meum sub me. Vides Deum, non humanas uires subijcere populum Magistratui suo. Ac fieri quidem potest, ut metus humani supplicij contineat populum in obedientia. Sed nisi Deus ipse corda populi regat, non manet reliqua aliqua obedientia, in periculis & in necessitate, ut uerissime dictum sit, Metum esse malum custodem diuturnitatis. At enim, quia obedientia subditorum est donum Dei, num propterea Magistratui est torpescendum, & in officio cessandum? Nihil certe minus. Solus quidem Deus subijcit populum Principi, aut Magistratui, interim autem Magistratus debet esse συνεργὸς Dei. Sicut enim in agricultura solus Deus dat incrementum, sed agricola plantat & rigat, & est cooperarius Dei, ut Paulus ait, ita in administranda Repub. solus Deus flectit corda populi ad obedientiam, sed Magistratus necesse habet suam operam conferre, ut sit organon Dei, & cooperetur Deo. Quam uero operam, & quod officium Magistratus præstare debeat, ut contineat, autore Deo, populum in obedientia, petendum est exemplum ab Ezechia nostro. Primum enim Ezechias summo studio instaurauit Ecclesiam, & piam doctrinam, atque hoc præcipuum propositum eius fuit, ut gloria Dei illustraretur, & populus pietatem sectaretur, quemadmodum quarto Regum decimooctauo, et secundo Paralipo. uigesimonono, trigesimo, & trigesimoprimo scribitur. Deinde seueriter tutatus est publicas & politicas leges, ut & boni

boni defenderentur,& mali punirentur,ac peruersi mores corrigerentur. Dicit enim scriptura de ipso: Adhæsit Domino,& non recessit a uestigijs eius,fecitq; mandata eius,quæ præceperat Dominus Mosi &c. Quo officio Ezechias tantam consecutus est apud suos autoritatem,ut mandatis eius etiam in summis & extremis periculis obsequerẽtur. Hoc exemplum imitandum est Magistratui. Debet enim esse νάκορ Dei, ut & Ecclesiam Dei summis uiribus adiuuet,& publicam honestatem magna seueritate tueatur. Nam si non habet ullam rationem iuuandæ Ecclesiæ,& non tuetur seueriter honestos mores, sed primus ac præcipuus est, qui latas leges uiolet,fieri non potest, ut diuturnum sit imperium,& populus in uera obedientia perseueret. Sic & de patrefamilias dicendum est, qui si uoluerit in familia debitam obedientiam conseruare,necesse habet curare, ut familia sectetur ueram doctrinam pietatis, & honestam ducat uitam,suoq; exemplo familiam ad hæc inuitet,atque accendat. Alioqui si paterfamilias primus est, qui de uerbo Domini contumeliose loquatur, & helluetur, ac alia scelera designet, quam, obsecro, expectaret a familia sua, dum necesse esset, obedientiam?

ET INGRESSVS EST ELIACHIM FILIVS ELCHIÆ &c.

CAPVT XXXVII.

ET FACTVM EST, CVM AVDISSET REX EZECHIAS, SCIDIT VESTIMENTA, &c.

Magna & horribilis est blasphemia Rabsacis. Videamus ergo, quomodo Legati,& Ezechias eam accipiant. Ac siquidem fuissent uiri impij,magis doluissent de damno e uastatione totius regionis accepto, quam de contumelia nomini diuino illata. Nunc autem, quia sunt ueræ pietatis studiosissimi,tam grauiter & dolenter accipiunt blasphemiam nominis Dei,ut uestimenta sua discerpant. Legati adnunciãt Regi blasphemiam scissis uestibus. Rex audita blasphemia,teneri non potest,quin & ipse suas uestes disrumpat. Hic fuit mos eius gentis, & argumentum animi maximo dolore ac horrore concussi,& factum aut dictum extreme detestantis. Cum igitur Ezechias & Legati eius serio afficiantur contumelia nominis Dei,uicissim etiam Deus ipse serio afficitur salute & incolumi

tate eorum, ac liberat eos his periculis magna gloria, quemadmodum postea sequitur. Obseruabile exemplum, quo monemur quanto zelo detestanda sit blasphemia & contumelia nominis Dei, & quantum abominanda sint scelera aduersus uerbum DOMINI designata. Vulgo paucissimi serio afficiuntur, uel contumelia nominis Dei, uel aliena calamitate, Sed tantum excitantur suo damno, uel nominis, uel facultatum, uel aliarum rerum accepto, ideoque fit, ut nec Deus nostra ignominia aut calamitate serio afficiatur. Nostri autem officij est, ut blasphemias & contumeliam nominis Dei, & scelera aduersus Deum peruicaiter & impudenter commissa ita abominemur, ut ad mentionem eorum toto pectore cohorrescamus, & ea detestemur. Diliges DOMINVM Deum tuum, inquit Lex, ex toto corde, ex tota anima, & ex omni fortitudine tua. Qui ergo, uel aliqua tantum ex parte Deum uere diligit, quomodo teneri potest, quin blasphemiam nominis Dei auertur? Sumus filij Dei, per fidem in CHRISTVM, & adoptati a Deo Patre, ut simus cohæredes Christi. Officium autem filij est, gloriam Patris sui tueri. Et qui non cohorrescit ad contumeliam, quam uidet Patri suo inferre, næ ille indignus est, qui hunc solem intueatur. Quare qui non mouetur & turbatur, cum audit nomen Dei blasphemia affici, ac Deum Patrem suum contumelioſe tractari, haud obscure significat, se ne scintillam quidem spiritus adoptionis filiorum Dei intra pectus suum habere. Moses, cum uideret Israelitam manifesta iniuria ab Ægyptio affici, tanto zelo uindicandæ iniuriæ exardescit, ut nulla habita extremi periculi sui ratione Ægyptium trucidauerit. Quo zelo Deus ita delectatus est, ut iudicauerit Mosen idoneum, quo ad uindicandam totam gentem Israeliticam a Pharaone uteretur. Si Moses iniuriam homini illatam tam ægro animo accepit, quantum, obsecro, commotus esset ad contumeliam illatam Deo? Quem etiam affectum egregie declarauit aduersus Idolatras Exodi trigesimosecundo. Etsi autem exemplum Mosi non proponitur nobis, ut priuato arbitrio, sine legitima uocatione, malefactores & blasphematores interficiamus, tamen hoc exemplum docet nos, officium pij esse, blasphemias & scelera ita odisse ac abominari, ut ad mentionem aut spectaculum eorum toto corde & corpore contremiscat. Vide mihi zelum Pinehas, Numer. uigesimoquinto, Zelum Dauidis aduersus blasphemias Goliathis, Zelum Eliæ aduersus sacrificulos Baal. Quibus exemplis adumbratur nobis, quam minime remisse affici debeamus erga prophanationem nominis Dei. In Maccabæis Matathias uidens Iudæum publice

Blasphemia & contumelia nominis Dei pij serio efficiuntur.

publice sacrificare Idolis, tanto zelo inflammatus est, ut insiliens trucidauerit & Iudęum & præfectum regij mandati exactorẽ. Non hoc uult id exemplum, ut mactemus quosuis Idolatras priuata libidine, sed docet quantum impietatem & contumeliam nominis Dei detestari, ac pro sua quisque uocatione gloriam Dei tueri debeamus. CHRISTVS ipse, cum uideret ementes, uendentes, & numularios in templo, zelo domus Dei accensus ejecit eos flagello. Quo tempore Diocletianus rerum potiretur, Nicomediæ publice affixa fuerunt crudelia edicta aduersus pios. Quæ cum uidisset uir quispiam tam pietate quam genere illustris, ac omnino dignissimus, cuius nomen extaret, calore fidei inflammatus est, & iniecta manu in literas edicti, minutatim eas, inspectante hominum multitudine, discerpsit. Hæc exempla proponuntur nobis, non in hunc usum, ut suscipiamus aliquid agendum sine legitima uocatione, & singulari spiritus sancti excitatione, Sed ut cognoscamus, ueram pietatem non posse teneri, quin ad mentionem aut spectaculum blasphemiæ, & contumeliæ aduersus Deum, aut impietatis & scelerum, uel saltem animo & corpore cohorrescat, si non alia ratione liceat gloriam nominis Dei uindicare. Vides Ezechiam pijssimum regem, cum non posset alia ratione blasphemiam, quam Rabsaces in Deum euomuit, ulcisci, testatus est commotionem animi, conscissione uestium, & indumento sacci, ac prouolutus ad genua Dei, effudit coram eo omnem cordis sui ægritudinem.

Cæterum, Ezechias & populus eius sunt etiam nobis exemplo, quomodo debeamus nos gerere erga blasphemias, & fœdas cogitationes Satanæ, in mentibus nostris. Solet enim Satan aliquoties excitare in animis piorum, contra ipsorum uoluntatem, horribiles blasphemias aduersus Deum, ac turpes & abominabiles cogitationes, ad quas mens ipsa cogitantis cohorrescit. Hic ergo tutissimum est, exemplum populi huius sequi, uidelicet, ut fileamus & non respondeamus Satanæ, Sed ut contemnamus eum, & dicamus: Blasphemia tua, & Turpitudo tua sint tibi super caput tuum. Tales enim cogitationes sunt quidem in nobis, non autem sunt nostræ, si in CHRISTVM credimus, sed sunt Satanæ. Quemadmodum autem non possumus prohibere ne aues uolitent super capita nostra, possumus autem prohibere, ne super capita nostra nidificent: ita non possumus cauere, ne inspirentur nobis blasphemæ & turpes cogitationes, possumus autem, uirtute CHRISTI & spiritus eius, cauere, ne assentiamur & delectemur eis. Quare, cum sciamus eas nobis a Satana inji-

ci, non laxemus eis frenos, nec indulgeamus eis, sed excutiamus eas in caput Satanæ. Vide mihi latratum canum, aut sibilum anserum. Si hos contemptim præterieris, nihil incommodi afferunt. Si uero restiteris, ac motione uel plausu manus, aut baculo prohibere uolueris, magis irritabis eos, quam compesces: ita & Satan in talibus cogitationibus, si cum eo disputationem susceperis, magis excitabitur, quam sedabitur. Nōne Christus dixit: Sanctum non esse dandum canibus, nec margaritum proijciendum ante porcos? Sic & Satan indignus est, qui cum disputemus, Sed dignissimus est, quem contemptissime fastidiamus. Etsi autem in huiusmodi cogitationibus, nihil est negocij habendum cum Satana, tamen sicut Ezechias abstinet quidem a disputatione suscipienda cum Rabsace, conqueritur autem Domino Deo suo omnem animi ægritudinem, ita etiam nostræ salutis necessitas exigit, ut quas nobis blasphemias aut turpitudines inspirat Satan, exponamus precibus Domino Deo nostro, & conqueramur de miseria nostra, quod propter peccatum sic uiciati sumus, ut uelimus nolimus, cogamur esse officina cogitationum Satanæ, ac petamus auxilium Dei & liberationem. Paulus ad Romanos scribens: Non quod uolo, inquit, facio bonum: Sed quod non uolo malum, hoc ago. Et addit: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Exponamus & nos Deo miseriam nostram, & petamus liberationem, certa fiducia concepta, quod Deus susceperit nos propter Iesum Christum in tutelam suam.

ET MISIT ELIACHIM, QVI ERAT SVPER DOMVM, ET SOBNAM SCRIBAM, ET SENIORES DE SACERDOTIBVS, &c.

Ezechias extremo periculo concussus non solus uertit sese ad orationem, sed monet etiam Prophetam Esaiam, ut & ipse inuocet in hac calamitate auxilium diuinū. Ac profecto res geritur memorabili spectaculo. Legati publice scissis uestibus nunciant regi blasphemiam Rabsacis. Rex ipse publice scissis uestibus, & indutus sacco proficiscitur in templum, ad implorandum diuinum auxilium, cum nusquam ullum humanum auxilium affulgeret. Misit etiam publice Legatos, eosq; precipuos ꝓceres, ac ipsos quoq; saccis opertos, ad Prophetā Esaiā, ut significarent ei blasphemiā Assyriorum, & monerent eum de inuocatione Dei. Non est dubium, quin his spectaculis omnis populus excitatus sit, ut & intelligeret rem seriam agi, & pro se quisq; auxilium Dei imploraret. Initio aūt considerandū est, cq; apta similitudine Ezechias exponat magnitudinem periculi,

periculi & extremam necessitatem. Dies, inquit, tribulationis, & reprehensionis & blasphemiæ, dies hæc, quia uenerũt filij usq; ad partum. hoc est, Quemadmodum solet aliquoties parturienti mulieri accidere, ut filius ueniat ad locum partus, nec tamen egrediatur, quia mulier imbecillior est, quam ut queat partum uiribus suis iuuare, & eniti, nec obstetrices quicquam opis conferre possunt. Itaque tam mulier quam filius uersantur in summo uitæ discrimine, & nisi Deus mirabiliter succurrat, manifestum ac certum est periculum, quod matri & filio una sit pereundum. Sic & nostræ res sese habent. Aduersarius fortior est, quam ut queamus uim eius propulsare, et ferocior est, quam ut uelit clemẽtiam in nos exercere. Minatur non nobis tantum, sed & Domino Deo nostro exitium. Et Deus hactenus conniuit ad crudelitatem eius. Itaque uersamur in extremo discrimine. Deus nõ uidetur nos iuuare uelle. Si enim meditaretur nostri auxilium, certe statim uindicasset fulmine aut alio repentino supplicio tam horribilem blasphemiam nominis sui. Nos ipsi sumus imbecilliores, quam ut hunc partum eniti queamus. Reliqua igitur est certissima internecio, nisi Deus nos admirabiliter seruet. Habes extremam necessitatem aptissima similitudine adumbratam. Quid igitur dicemus? Si Deus cogitat populi sui liberationem, quo consilio sinit eos in extremam necessitatem ruere? Cur non statim ab initio afflictionis confert in eos manifestum suum auxilium? Respondeo: Nostra salus siue corporalis siue spiritualis semper pendet a potentia & clementia Dei. Itaque Deus solet nos diuersis modis tueri. Aliquoties seruat nos in hac uita, ne in pericula conijciamur. Vnde extat uulgatum dictum: Plures sunt gratiæ priuatiuæ quam positiuæ. Aliquoties obijcit quidem nos periculis, sed liberat priusquam in extremum discrimen uenerimus. Sed his modis liberationis non solet illustrem gloriam nominis apud homines reportare. Obijcit igitur nos aliquoties extremis periculis, in quibus nullum usquam auxilium apparet, quale fuit periculum Ezechiæ, & Dauidis conclusi in manibus Saulis. Id autem hoc consilio facit, non ut perdat inuocantes ipsum fiducia filij sui, sed ut excitet in eis feruentiorem ardorem inuocationis, & ut maiorem ipse gloriam ex liberatione reportet, ac in afflictione clariora & gratiora beneficia conferat. DOMINVS, (inquit) mortificat & uiuificat, DOMINVS deducit ad inferos & reducit. Et alias: Vt faciat opus suum, alienum est opus eius, &c. Aciterum: Viuo ego non lo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Si DOMINVS non uult afflictionem & mortem, quam minatur & immittit peccatori, sed potius uult eum excitare grauitate mor-

tis,ut quærat & consequatur in ipso salutem, quanto minus uult afflictionem & mortem, quam immittit pio, sed potius uult & nomen suum illustrare,& salutem pij glorioſiorem reddere. Hoc consilium Dei diligẽter in aduersis cognoscendum est, ut manum Domini obedienter sustineamus, & in inuocatione & uocatione Dei constanter perseueremus. Quid ergo de Ezechia dicemus? Quomodo se ipse gesit,in hoc extremo periculo? Magna est differentia inter Ezechiam & Ahab ac lorã reges Israel. Hi enim extremis periculis comprehensi, non agnoscunt consilium Dei, non conuertuntur ad Deum,sed potius conuertuntur ad blasphemias, & ad persequendos ac occidendos Prophetas Dei. Reiciunt omnem calamitatum causam, non in sua peccata,sed in Prophetas Domini. Ahab ad Eliam dicit: Tu ne es ille qui conturbas Israel? Ioram, cum audiuisset mulieres præ fame coquere filios suos in obsidione Samariæ, reiecit causam tantæ calamitatis in Elizæum. Hæc,inquiens,faciat mihi Deus,& hæc addat,si steterit caput Elizæi filij Saphat super ipsum hodie. Hic enim solennis est mos impiorum,quod culpam afflictionum suarum amoliantur a se in alios,ac præsertim in ministros uerbi Dei. Non transferunt culpam in sua peccata, quæ non uolunt agnoscere. Non audent præ metu supplicíorum transferre culpam in ciuilem suum magistratum. Et impudentissimum esset, palam accusare Deum, ac in ipsum transferre culpam afflictionum. Soli igitur ministri uerbi Dei,qui multa de peccatis & supplicijs eorum dicere solent, idonei uidentur, quos dicant esse calamitatum autores. Hi enim inermes sunt,& humana ope destituti, ac maxime iniurijs & contumelijs obnoxij. Ezechias autem rex pietate præstantissimus longe aliter se gerit. In summis enim periculis constitutus, & amissa iam tota regione sua, non inuehitur uirulenter in Prophetam DOMINI Esaiam,Sed primum conuertit se totum ad orationem. Deinde hortatur quoque Esaiam, ut se oratione sua adiuuet. Si forte,inquit,audiat Dominus Deus tuus, uniuersa uerba Rabsacis &c. Deus, inquit, TVVS. Ego quidem credo Deum etiam mihi esse propicium, propter uenturum e prosapia mea Christum, & me quoque ex fide inuocantem ipsum exauditurum. Sed multis argumentis cognoui Deum te singulari fauore prosequi, & ornasse te dono prophetiæ. Cum parens meus Ahaz periculoso bello premeretur a duobus regibus, Syriæ & Israelis, & si non obsequebatur tuo consilio, quo iubebas eum non Assyriaco, sed cœlesti auxilio confidere, tamen seruatus est, iuxta tuam propheciam, in regno suo. Sed quia usus est Assyriaco auxilio, contra quam DEVS per te præceperat, idcirco eodem tempore uaticinatus es de

his

his calamitatibus, quæ nunc nobis accidunt: Adducet, inquiens, Dominus super te & super populum tuum & super domum patris tui dies, qui non uenerunt a diebus separationis Ephraim a Iuda, cum rege Assyriorum &c. Non solum autem uaticinatus es de calamitatibus istis, uerumetiam de liberatione. Noli, inquiens, timere populus meus habitator Zion ab Assur. In uirga percutiet quidem te, & baculum suum leuabit super te, in uia Ægypti: Sed adhuc paululum modicumq; consummabitur indignatio mea, & furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum DOMINVS Zebaoth flagellum iuxta plagam Midian in petra Oreb, &c. Quod cum ita se habeat, oro obtestorq; te, ut leues orationem tuam erga Deum, qui per te auxilium antea promisit, pro reliquijs populi quæ adhuc supersunt, si forte Deus excitatus horribilibus illis blasphemijs Rabsacis, properet ad seruãdos nos, & opprimendos hostes nominis eius. Hæc fere sibi uolunt uerba Ezechiæ, quæ nunciat Esaiæ per Legatos suos. Vides autem in tanto periculo, non esse regi Ezechiæ & Prophetæ Esaiæ aliud asylum, præter orationem, seu preces ad Dominum Deum nostrum. Ad hoc enim asylum uocat nos Deus ipse, cum ait: Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me. Et: Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate, seu FIDE. Ac rursus: Tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

ET DIXIT ESAIAS AD EOS &c. NE TIMEAS A FACIE VERBORVM &c.

Quod Esaias renunciat Ezechiæ, non est sumptum ex generalibus promissionibus, quibus Deus recepit se defensurum populũ suum, & puniturum blasphemos, Sed est Esaiæ singulari dono spiritus sancti reuelatum. Propheta enim non solum adnunciat in genere interitum regis Assyriorum, id quod cuiuis pio non fuit obscurum, quippe quod ex generalibus Dei promissis & minis facile cognosci potest, impios non posse inæternum fœlices esse aduersus populum Dei. Sed addit etiam certas circumstantias, uidelicet quo modo, & quo in loco interiturus sit impius Assyrius. Dabo ei spiritum, inquit Dominus, uidelicet longe alium spiritum, quam nunc gerit. Nunc ualde inflatus est animo suo, & spirat horribilia. Sperat se & uos & regnum uestrum deuoraturum. Sed ego injciã in eum alium spiritum, spiritum formidinis & horroris. Audiet & uidebit in exercitu suo miserabilem cladem. Quæ res ita eum terrebit, ut continuo quærat sibi salutem fuga, & tamen ne sic quidem effugiet, sed in sua ipsius terra gladio occumbet. Vides circumstantias modi & loci interitus regis Assyriorum.

Et quod Esaias prophetat, hoc etiam historia sic impletũ esse testatur, quemadmodum postea sequitur. Hæc est insignis & perspicua prophetia, qua Deus per Esaiam consolatur miserrimum & afflictissimum regem Ezechiam. Obserua igitur, quam liberaliter solet Deus honorem, quo homines ipsum afficiunt compensare. Dicit enim 1. Reg. ij. Quicũq; honorificauerit me, glorificabo eum. Ezechias autem honorificabat Deum publice, inuocatione nominis eius in summo suo periculo, & uero usu Prophetæ Dei: tribuebat enim Deo hac inuocatione, honorem clementiæ, potentiæ, & ueritatis. Quare Deus uicissim eum honorificat, & cõsolatur eum per Prophetam insigni uaticinio de interitu hostis sui. Glorificemus & nos Deum in afflictionibus nostris, sentiamus ex animo, Deum nobis esse propicium propter filium suum, Deum esse omnipotentem adiutorem omnium sperantium in ipsum, Deum esse seruantem suarum promissionum, (hoc est tribuere Deo gloriam misericordiæ, potentiæ & ueritatis) ac inuocemus eum ex hac fide, tunc Deus teneri nequit, quin uicissim honorem sibi oblatum cumulate nobis compenset.

REVERSVS EST AVTEM RABSACES ET INVENIT REGEM ASSYRIORVM &c.

Ezechias accepit per Esaiã cœlestem promissionem, quod Assyrius non sit ipsum oppressurus, sed fuga sibi salutem quæsiturus, & in sua ipsius terra periturus. Quid ergo fit? Num Assyrius statim fugit? Num Ezechias continuo liberatur? Nihil minus. Nam interea temporis Assyrius expugnat urbem Lachis, & oppugnat iam aliam, Lobnam nomine, ut uideatur parum abesse, quin statim translaturus sit uniuersum exercitum suum ad oppugnandam metropolim regionis, Hierusalem. Et quanquam nunciatur Assyrio, quod rex Æthiopiæ susceperit aduersus ipsum bellum, tamen hoc nuncio Assyrius usq; adeo nec terretur, nec mitigatur, ut contra ferocior tam aduersus Ezechiam, quam aduersus Dominum Deum eius insurgat. Nam quod ante egit Legatis, hoc nunc agit literis, quas mittit ad Ezechiam plenas horribilium blasphemiarum aduersus Deum. Non te, inquit, decipiat Deus tuus, quo te confidere dicis &c. Itaq; post acceptam diuini auxilij promissionem, uidetur afflictio multo grauior cooriri, quam antea fuit. Certe nõ audire tantum, uerumetiam legere & relegere tantas nominis Dei blasphemias pio homini grauius est, quam mortem perferre. Sed hæc est solennis Dei consuetudo, quod sinat post promissionem auxilij sui, & liberationis, afflictiones crescere, & augescere, quod tamẽ non facit hoc consilio, ut deserat pium, & non seruet suam promissionem, sed ut probet fidem pij, & excitet atque accendat eum ad

uehementiam

uehementiam precationis. Omnino enim uult inuocari, ut nomen ipsius sanctificetur, & glorificetur, atq; reportet titulum Clementis adiutoris in necessitate. Vide mihi quid Abrahamo acciderit. Accepit promissionem terræ Canaan. Gen. 12. Sed cum in eam uenisset, confestim ejcitur fame in exilium, & periclitatur de pudicitia uxoris. In Exod. cap. 4. uenit Moses ad Israelitas in Aegypto oppressos, & adnunciat eis promissionem liberationis, quam etiam miraculis confirmat. Sed statim duplicatur seruitus & miseria in Aegypto. Hæc cõsuetudo Dei diligentissime cognoscenda est, ut aduersis, quæ post promissionem accidunt, non offendamur, sed agnoscamus consilium Dei, non uolentis nos fallere & perdere, sed probantis fidẽ, & exigentis orationem, ut quod beneficium differtur, maiori fœnore nobis reddatur. Vnde & apud Lucam dicitur, quod oporteat semper orare, nec defatigari, uidelicet aduersis &c.

ITAQVE CVM ACCEPISSET EZECHIAS LITERAS DE MANV NVNCIORVM &c.

Post acceptam liberationis promissionem, augetur quidem periculum, & minæ hostium intenduntur, Ezechias autem intantum non sinit sibi eripi fidem & precationem, ut uehementius instet & urgeat eam. Impius quispiam murmurasset aduersus Deũ, accusasset Prophetam mendacij, & quæsiuisset sibi in tantis periculis, contempto uerbo Dei, & abiecta precatione, aliam quandam, quoquomodo potuisset, euasionis uiam. Nam quemadmodum imperiti, cum laborant graui morbo, solent quidem uti medicina, sed cum ea, quæ iam admota est, nõ statim attulerit salutem, quam sibi finxerunt, mox, abiecta ea, utuntur alia, & hac etiam reiecta, subinde aliam atq; aliam usurpant, quo fit, ut morbus magis ingraueſcat, quam remittat: ita etiam impij properant ad salutem, quæ promissa est, statim pro suo arbitrio accipiendam. Quæ si non cõtigerit ipsis continuo, pro ipsorum sententia, quærunt, contempto Deo, aliena auxilia. Longe aliud est ingenium fidei. Hęc enim non properat, sed expectat, & quo magis aduersa intenduntur, eo diligentius Deum inuocat, & quo plus uidet omnia humana fallere, eo certius sperat diuinum auxilium. Quare cum pius Ezechias accepisset literas Assyrij plenas horribilium blasphemiarum aduersus Deum, & uideret pericula maiora esse, quam quæ possent humano cõsilio excuti, non murmurat aduersus Deum, aut uerbum eius, sed confert se iterum ad templum, & precationem, uetus suum in omnibus aduersis asylum, ac expandit blasphemas literas coram DOMINO Deo suo, cui etiam, quicquid hoc rei est, pijs precibus obedienter commendat. Hic uero ridere solent sapientes hu-

ius seculi,si audierint quempiam afflictum Deo causam suam iudi-
candam committere. Dicunt enim: Si quis commiserit controuer-
siosam suam causam hominibus dijudicandam,is cadit ab ea ex di-
midia parte. Qui autem commiserit eam Deo dijudicandam,is ca
dit ab ea tota. Significant enim,quod homines cum patiuntur iniu
riam,& non uident aliquod humanum auxilium,soleant Deo suã
causam cõmendare,hoc est,ut ipsi interpretantur, de causa sua de-
sperare. Sed profecto,si quis iniuriam passus,& ab hominum auxi
lio desertus,commendauerit causam suam Deo,ex fide,haudqua-
quam excipiendum est risu,sed ad horribile Dei iudicium contre-
miscendum. Nullus enim clamor citius penetrat ad Thronũ Dei,
quam clamor eorum,qui patiuntur iniuriã. Mea,inquit, est ultio,
& ego rependam. Et Psal.102.Faciens misericordias Dominus,et
iudicium omnibus iniuriã patientibus. Et Psal.145. Qui custodit
ueritatem in seculum,facit iudicium iniuriam patientibus. Et ite-
rum: Qui sanat contritos corde,et alligat contritiones eorum. Sed
audiamus precationem Ezechiæ. Est autem insignis precatio. Et
habet præcipuas conditiones precationis uere piæ. DOMINE
Zebaoth,inquit,Deus Israel,qui sedes super Cherubim &c. Pri-
mum,In pia precatione,solus uerus Deus inuocandus est. In hac
igitur precatione,Ezechias non solum recitat ea nomina & epithe
ta,quibus uerus Deus significatur,sed etiam diserte discernit uerũ
Deum,à ficticijs dijs,ac manifeste refutat impietatem & blasphe-
miã Saneheribi. Domine Zebaoth,inquit, Deus Israel, qui sedes
super Cherubim. Hæc est descriptio ueri Domini Dei nostri. In
Exod.cap.25.construitur diuino mandato arca & propiciatoriũ,
ac supra ponũtur duo Cherubim,hoc est,alatæ imagines. Et addi
tur promissio Dei. Inde,inquiens,pręcipiam & loquar ad te supra
propiciatorium & de medio Cherubim,cuncta quæ mãdabo per
te filijs Israel. Quare,cum Deus dederit filijs Israel arcam propicia
torij,quo ceu sacramento testaretur fauorẽ suum erga hunc popu
lum,& receperit se de medio Cherubim oracula sua daturum, dici
tur sedere super Cherubim. Psal.79. Qui sedes super Cherubim
manifestare coram Ephraim &c. Hæc autem descriptio respicit
in omnes promissiones,quas Deus dixit ad Israelitas,ac pręsertim
in eam,quæ dicta est Abraamo: In semine tuo benedicẽtur omnes
gentes terræ. Nam seminis huius,qui est Christus,adumbratio e-
rat propiciatorium Mosaicum,propterea quod solus Christus sit
uerum nostrum propiciatorium coram Deo patre,sicut Rom.3.
& 1.Ioan.2.scribitur. Itaq; etsi Ezechias hoc loco utitur uerbis sui
temporis,& dicit Deum sedere super Cherubim propiciatorij, ta
men spiritus nihil aliud his uerbis intelligit,quam quod nos nunc,
reuelato euangelio,dicimus: Deus pater Domini nostri Iesu Chri
sti.

sti. Et is solus est uerus ille Deus, qui, ut Ezechias addit, est Deus omnium regnorum terræ, & qui fecit cœlum & terram. Habes ergo tria epitheta, quibus uerus Deus explicatur. Vnū est, quod fecit cœlum & terram. Alterum, quod constituit & gubernat omnia regna terræ. Tertium, quod sedet super Cherubim propiciatorij, hoc est, promisit se daturum semen Abrahæ, propiciationem pro peccatis nostris, & manifestationem diuinæ sententiæ. Hoc semen est Iesus Christus Dominus noster, in quo habitat diuinitas corporaliter, & qui expiauit suo sanguine peccata nostra. Et addit Ezechias antithesin, qua refutat blasphemiam Assyrij. Fateor, inquit, Assyrium expugnasse multa regna ethnicorum, & exussérit deos eorum igni. Hi autem non erant uere dij, sed opera manuum hominum, ligna & lapides. Tu autem uerus & uiuus es Deus, qui non solum omnia creasti, sed etiam promisisti nobis exauditionem, & liberationem, in omnibus nostris afflictionibus. Obserua igitur, quomodo uerus Deus discernatur à ficticijs dijs. Ethnicus non inuocat uerum Deum, etiamsi iactat se inuocare mentem optimam maximam gubernatricem omnium rerum, quia non inuocat Deum sedentem super Cherubim propiciatorij. Mahumetista non inuocat uerum Deum, quia etsi gloriatur se inuocare unum Deum creatorem cœli & terræ, tamen quia non inuocat Deum patrem DOMINI nostri Iesu Christi per propiciatorium adumbrati, non inuocat uerum Deum. Iudęus, qui nunc est, non inuocat uerum Deum, quia etsi utitur his uerbis: Qui sedet super Cherubim, tamen neget eum, quem spiritus his uerbis significat, patrem uidelicet, Domini nostri Iesu Christi. Monachus non inuocat uerum Deum, quia iactat quidem hæc uerba: Pater Domini nostri Iesu Christi, sicut Iudęus sua uerba, Sedet super Cherubim, tamen non sentit Christum esse uerum propiciatorium, sed tribuit propiciationem & expiationem meritis suorum operum. Itaq; facit, quantum in ipso est, ex uero Deo, alienum Deum, qui uidelicet non sit propicius propter Christum, sed propter humanam iusticiam. Inuocat etiam mortuos, Ideoq; ab Ethnicis nihil coram Deo differt. Solus is inuocat uerum Deum, qui Patrem Domini nostri Iesu Christi ita inuocat, ut confidat se Deo propter Christum, non propter sua merita acceptum &c. Obserua & hoc, quod Ezechias uocat deos gentium, ligna & lapides. Gentes autem non fuerunt tam stultæ, quod existimauerint lignea illa & lapidea simulacra esse deos ipsos, sed senserunt partim uarias unius Dei uirtutes, partim deos ipsos per simulacra uaria significari. Et tamen simulacra uocantur dij, propterea quod Ethnici confidebant se cultu horum simulacrorum Deo gratos & acceptos fieri. Vnus enim solus est Iesus Christus uerus Deus ac Do

minus noſter,cuius cultu,hoc eſt,fide efficimur Deo grati & acce pti. Quare, quicquid aliarum rerum uſurpatur,ut recipiamur propter illud in gratiam Dei,hoc fit Deus alienus,& deſignatur idolatria. Sic ſtatuæ ſanctorum,quæ coluntur, ſic cucullæ mona chorum,ſic peregrinationes hypocritarum fiunt dij alieni &c.

Deinde ad piam inuocationem exigitur fides, uidelicet, ut cre das Deum tibi reconciliatum, per ſemen Abrahæ, ſeu per Ie ſum Chriſtum DOMINVM noſtrum. Hanc fidem ſignificat Ezechias ſe habere,cum ait: Qui ſedes ſuper Cherubim. Hoc e nim uerbo reſpicit ad propiciatorium,quo adumbrabatur Chri ſtus. Itaque etſi nondum poteſt pro ratione temporis,tam diſerte de Chriſto loqui,quam nos nunc,reuelato euangelio loquimur,ta men ſpiritus in Chriſtum reſpexit. Monachi iubent dubitare de fauore Dei,& dicunt eſſe præſumptionem temerariam,ſi quis ſen tiat Deum certo ipſi fauere. Hoc autem eſt prorſus uniuerſum e uangelion,quod nobis certam Dei gratiam per Chriſtum pro mittit per fidem,abnegare. Ac fieri quidem poteſt,quod non poſ ſis eſſe certus de impetranda ea re,quam precatione petis, præſer tim,ſi petis rem corporalem,non expreſſe uerbo DOMINI pro miſſam,tamen neceſſarium eſt in omni precatione,ut firmiter cre das,te certo eſſe Deo acceptum propter Chriſtum,firmiter etiam credas, quod Deus certo tibi daturus ſit, quod manifeſto uerbo promiſit,ſiue ea res ſit corporalis,ſiue ſpiritualis. Nemo enim po teſt Deum uere inuocare,quem putat ſibi hoſtem & inimicum,& de cuius gratia dubitat. Poſtremo, finis cuiuſuis piæ precationis referendus eſt,non ad carnalem noſtram uoluptatem, ſed ad glo riam & ſanctificationem nominis Dei. Omnia,inquit Salomon, operatur Deus propter ſemetipſum. Et in Pſalm. cum petitur li beratio ab inimicis iracundis,additur: Confitebor tibi in nationi bus DOMINE, nomini tuo pſalmum dicam &c. Sic & Eze chias in ſua precatione petit ſeruari ab Aſſyrijs, non ut ipſe frua tur delicijs carnalibus,ſed ut glorificetur nomen DOMINI in uniuerſa terra. Nunc DOMINE Deus noſter,inquit, ſalua nos de manu eius,ut cognoſcant omnia regna terræ, quod tu ſolus ſis uerus Deus. Et in oratione dominica,prima omnium precatio eſt: Sanctificetur nomen tuum &c. Hæ ſunt conditiones precationis uere piæ,& penetrantis ad thronum Dei.

ET MISIT ESAIAS FILIVS AMOS AD EZECHIAM DICENS: HÆC DICIT DOMINVS &c. PRO QVIBVS ROGA STI ME &c.

Ezechias pergit confidendo, & orando. Pergit igitur Deus per Eſaiam Prophetam ſuum, conſolando & promittendo, do nec

nec tandem manifesta liberatio contingat. Hoc autem illud est, quod postea Christus docuit, oportere semper orare, nec defatigari. Et mox, Si iudex iniquus exaudit improbitatem uiduæ, quomodo Deus non faceret uindictam electorum suorum clamantium ad se die & nocte, & in longum differret iram erga aduersarios eorum? Cum igitur Ezechias non defatigatur precatione, mittit ad eum Esaias diuinum oraculum, quo promittitur ei certus interitus hostis, & certa liberatio urbis Hierusalem. Recitat autem initio uerba Dei, de Saneheribo: Hoc, inquiens, est uerbum, quod locutus est DOMINVS de eo. Despexit te & subsannauit te uirgo filia Zion &c. hoc est: Sic loquitur Deus ad Saneheribum. Tu quidem Saneherib, magno fastidio præ te contemnis uirginem filiam Zion, & urbem Hierusalem, Sed illa uicissim te unà cum minis tuis, contemptissime despicit, & subsannat, ac mouet post te caput suum, hoc est, deridet te, & ipsa capitis motitatione significat te extremo contemptu dignissimum. Nam quod nos dicimus, Medium digitum ostendere, aut ciconiam ă tergo pinsere, hoc Hebræi dicunt caput mouere. Thre. 2. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per uiam, sibilauerunt, & mouerunt capita sua super filia Hierusalem &c. Et Psalm. 108. Ego factus sum opprobrium illis. Viderunt me & mouerunt capita sua. Vrbs autem Hierusalem, & habitatores montis Zion, uocantur uirgo filia, non religionis nomine, quippe quod & Babylon, Esaiæ 47. & Ægyptus Hierem. 46. uocentur uirgines filiæ, quæ tamen plenæ fuerunt idolatria, & impietate, Sed sic uocatur Hierusalem, uel quod regnum eius sit libera monarchia, nec seruiat externo regi, sed habeat proprium e suo corpore regem, sicut uirgo nullius alieni uiri iugo subiecta est: uel quod quemadmodum uirgo adhuc à uiro inuiolata & incorrupta est, ita urbs Hierusalem hactenus à nullo hoste deuastata est, nec ciues eius alio translati sunt. Sicut & Hieremias de Moab, alia metaphora dicit, Requieuit in fecibus suis, nec transfusus est de uase in uas, & in transmigrationem non abijt.

Dices autem: Quomodo urbs Hierusalem, & incolæ eius despiciunt & derident Saneheribum, cum tanta fuerit potentia eius, & urbs in tantum periculum adducta sit, ut plane non fuerit tempus despectionis, & derisus, sed extremi metus & trepidationis? Quis locus risus in tanto omnium rerum discrimine? Nullus certe, si carnalia & humana respexeris. Sic enim uides omnia trepidatione plena esse. Sed si consideraueris spiritum sanctum, qui est in pijs, tunc quemadmodum habet ille suum gaudium in medijs aduersis, ita habet etiam suum risum, & subsannationem erga aduersarios, in summa eorum securitate & fœlici-

Deus uidet et audit risum piorum, cum ne ipsi quidem ridere sibi uideantur.

tate, qua sese pios iam oppressuros, sine ulla difficultate sperant. Spiritus sanctus enim probe intelligit, quid illud Psalmi sit: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Sed audiamus nunc uerba ipsa Dei, quæ hoc loco Esaias nunciat Ezechiæ, & quibus commemorat duas præcipue causas, propter quas filia Zion, seu urbs Hierusalem tanta spe interitus hostis sui impleta est, ut audeat etiam ei insultare, & minas eius summo contemptu deridere. Vna est, quod Saneherib debacchatus est conuicijs suis, non in hominem quendam impotentem, & abiectum, sed in uerum DOMINVM Deum nostrum. Cui exprobrasti, inquit? quem blasphemia afsecisti? In quem edidisti uocem? contra quem sustulisti fastum oculorum tuorum? Non certe contra prophanum quendam homuncionem, sed contra sanctum Israelis. Nemo autem impune ferre potest, qui uerum Deum blasphemia afficit, & qui in uerum Deum conuicijs grassatur. Non insontem habebit DOMINVS eum, qui inuanum assumpserit nomen DOMINI Dei sui. Et alias: Qui me contemnunt, inquit Deus, erunt ignobiles. Quare spiritus ecclesiæ Dei merito insultat Saneheribo, quod cognoscat eum tam immanes blasphemias aduersus Deum haudquaquam impune laturum. Altera causa est, quod Saneherib gloriatur de suis ipsius uiribus, & iactat se sua fortitudine reliquas gentes deuicisse, & ciuitates regni Iuda expugnasse. Ego ascendi (inquit) iuga montium, multitudine equitatus mei, ascendi ad latera Libani: Succidi excelsa cedrorum eius, & electas pinus eius. Ascendi in summum eius cacumen, & perueni usque ad cultos eius agros.

Per montes et Libanon intelligunt terram regni Iuda. Sed quia Saneherib antea gloriatus est se suis uiribus in potestatem suam redegisse omnes terras & regna gentium, & postea cum DOMINVS increpat eum, & facit mentionem eradicationis munitarum ciuitatum, uidetur magis loqui de eradicatis Gentium, quam regni Iuda ciuitatibus, idcirco existimo per Montes & Libanon hoc loco generaliter intelligendas omnes ciuitates, & omnia regna gentium & populorum, quæ Saneherib suo imperio subiecit. Sicut & per Cedros ac pinus, & Cacumen Libani intelligendi sunt reges, principes & arces regnorum. Et additur: Ego fodi & bibi aquam, & exiccaui planta pedis mei aquas obsidionis, hoc est, Foueas aquarum, quibus munitæ erant urbes, ita perfodi, & aquas alio deriuaui, ut quasi multitudine exercitus mei epotæ uiderentur, & ut sicco pede in urbes incurrerem. Nam & Babylon posterioribus temporibus, tali aquarum

deriuatione

deriuatione & exiccatione capta est à Cyro, quemadmodum rerum scriptores tradunt. Habes iactantiam & arrogantiam Saneheribi. Manifestum autem est, quod non possit esse fœlix euentus arrogantiæ, & quod superbi diuinitus puniantur. In Psalm. decimo septimo dicitur: Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis. Et Prouerbiorum uigesimo nono: Superbum sequitur humilitas seu deiectio, & humilem spiritu suscipiet gloria. Et Christus ipse ait: Qui se exaltat humiliabitur. Testantur idem exempla Goliathis, Nabuchodonosoris, Herodis, & innumera alia. Dispergit enim Deus superbos mente cordis sui, & exaltat humiles. Cum igitur ecclesia Dei in Hierusalem, publice audiat blasphemias & iactantiam Saneheribi, & si in præsentia nihil minus uidet, quam tantum regem perituram, tamen manifeste ac certo cognoscit horribile ei supplicium imminere, ideoque ridet ex corde minas eius, & mouet post eum caput suum, ut significet iactantia eius nihil esse uanius.

Quanquam autem incolæ Hierosolymitani non potuerunt postea eodem modo insultare Nabuchodonosori, quo modo nunc insultant Saneheribo, tamen uera Dei ecclesia, etiam tunc, cum Hierusalem à Babylonijs deuastaretur, irrisit spiritu suo omnem Babyloniorum potentiam, & semper irridet iactantiam, superbiam, minas & persecutiones aduersariorum suorum, etiamsi uideatur extrinsecus prorsum opprimi & perire. Extant enim manifestæ & certæ promissiones, quibus Deus recepit se seruaturum sibi suam ecclesiam, & deleturum omnes aduersarios eius. Benedicam, inquit DOMINVS ad Abrahamum, benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Et in Cantico Mosi: Viuo ego in æternum, si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Ac mox: Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum ulciscetur. Et uindictam retribuet in hostes eorum, & propicius erit terræ populi sui. Et Psal. 1. Non sic impij non sic, sed sicut puluis, quem proijcit uentus à facie terræ. Et Psalm. 2. Quare fremunt gentes & populi meditantur inania? Astant Reges terræ, & Principes conueniunt in unum aduersus Dñm, & aduersus Christũ eius &c. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dñs subsannabit eos &c. Et Psal. 67. Exurget Deus & dissipabuntur inimici eius, & fugiẽt, qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficient, sicut fluit cera &c. Ecquis enumerare posset omnes promissiones, quę in scriptura de interitu impiorũ, & cõseruatione ecclesiæ Dei extãt? Quare, etsi ecclesia Dei grauissime affligitur, tamen quia spiritusancto prędita est, & uidet ex promissionibus Dei futurã liberationem suam,

& certum interitum impiorum, idcirco ridet & subsannat in corde suo omnem fastum & gloriationem hostium suorum. Sic in Ægypto, cum Pharao iuberet infantes Israelitarum proijcere in flumen, & Israelitas ipsos opprimere, risit conatum eius spiritus sanctus in cordibus piorum, & dixit: Tu Tyranne, non certe expugnabis cœlum, etiamsi tam crudeliter grassaris in terra. Sic risit & subsannauit ecclesia Dei Babylonios, cum rex eorum gloriaretur. In cœlum, inquiens, conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum. Sic subsannauit ecclesia Dei tyrannidem Antiochi, cum combureret libros sacræ scripturæ, & institueret Hierosolymis idola ac sacrificia gentium. Sic subsannauit Herodem, cum interficeret pueros Bethleemiticos. Sic Iudæi, sic gentes derisi sunt, cum persequerentur ecclesiam DOMINI. Sic nunc Turcæ ridentur, & omnes alij persecutores euangelij Christi. Spiritus enim sanctus in pijs sic cogitat: Quantumcunq; sæuieritis aduersus Christum & Euangelion eius, tamen certissimum est, quod non sitis Christum detracturi à dextris Dei, sed uobis ipsis perpetuo est pereundum &c.

Iam hæc spiritualis subsannatio, promissionibus Dei excitata, non solum usurpanda est aduersus externos hostes & persecutores ecclesiæ Dei, uerumetiam aduersus Satanam ipsum, & omnia aduersa, adeoque mortem & infernum. Siue enim paupertas famem, siue pestilentia mortem, siue peccata infernum minantur, cogitandum est illud iam ab initio mundi promulgatum: Semen mulieris conteret caput tuum. Et illud: O mors, ero mors tua, & morsus tuus inferne. Ex his & similibus promissionibus insultandum est Satanæ, & omnibus aduersis, quibus minatur nobis exitium, & dicendum est: Despicit te, & subsannat te uirgo filia Zion, post te mouit caput suum filia Hierusalem. In quem enim grassaris? in quem sæuis? certe non in hominem, sed in filium Dei, in Deum ipsum. Cum enim factus sim per fidem membrum filij Dei, totus tuus impetus incurrit, non in me, sed in filium Dei, quem cum deuorare non queas, necesse habebis & me, filio Dei incorporatum liberum dimittere &c. Hæ sunt spirituales insultationes, quæ nobis ad salutem necessariæ sunt, & excitantur ex promissionibus euangelij filij Dei per fidem. Quare euangelion filij Dei summa cura nobis cognoscendum & conseruandum est.

NVNQVID NON AVDISTI QVÆ OLIM FECERIM EI? &c.

Ab irrisione

Ab irrisione Assyrij, transit Deus ad refutationem impiæ eius gloriationis. Iactabat enim Assyrius tam legationibus, quam literis, quod subiecerit sibi sua uirtute & fortitudine omnia finitima regna, & expugnauerit ac deuastauerit suis ipsius uiribus munitissimas quasque urbes. Dicit ergo Deus: Quæ est illa blasphemia, quam de te audio? Existimas ne te tot urbium & regnorum potitum esse tua ipsius sapientia & potentia? Nunquid non audiuisti, quæ olim fecerim ei? hoc est, Quam cladem tu intulisti alijs regnis & urbibus, non est res in hoc mundo inaudita, aut humano consilio administrata. Ego enim iam olim, ab antiquis diebus, seu superiori tempore, reuelaui & adnunciaui per Prophetas meos, quod constituerim perdere impia regna & punire hominum scelera deuastationibus urbium, quod constituerim etiam, uisitare uirga correptionis meum populum. Nunc autem adduxi illud. Quod olim futurum prædixi, hoc uolui his temporibus per te, organon meum, exequi & complere, uidelicet, ut ciuitates munitæ deuastentur, & redigantur in aceruos & ruinas. Et ut incolæ earum fiant, quasi truncatis manibus, ripsaspides, ac trepident & confundantur. Similes quoq; fiant gramini agri, oleri uiridi, & fœno tectorum, quod priusquam in culmum enascatur, exarescit. Quare, etsi tu Saneherib ædidisti in expugnandis urbibus & regnis illustria strategemata, tamen ea omnia facta sunt, me autore & gubernatore. Habitationem tuam, egressum tuum, & introitum tuum ego noui. Ego te inicio excitaui, ut rex esses, & collocareris in regio throno. Deinde excitaui te, ut susciperes bella aduersus ea regna, quæ propter impietatem uolui punire. Ego omnes uias tuas, siue introitum siue exitum gubernaui. Sine mea administratione, ne potuisses quidem minimum uiculum expugnare. Sed interim uideo etiam & cognosco, quam impie his meis donis abutaris. Ego Deus Israel feci, ut ex omnibus regnis reportares uictoriam. Tu autem contra furis & insanis aduersus me. Ego tibi tradidi honorem & maiestatem uictoriæ, tu contra in meam maiestatem, & honorem blasphemus es. Existimas ne istam tuam insolentiam & arrogantiam me latere? Nihil certe minus. Tua enim temeritas, tua impia securitas ascendit in aures meas. Ponam igitur circulum in naribus tuis, ut tanquam bubali, nare traharis, & ponam frenum in labijs tuis, ut reducaris per uiam, qua uenisti. Recensuimus hactenus sententiam horum uerborum, quæ prælegimus. Quod igitur Deus dicit ad Sanheribum: Nunquid non audiuisti, quæ olim fecerim, aut constituerim? admirabitur quispiam, quomodo aut ubi Saneherib Ethnicus audierit uerba Prophetarum, de consilio Dei aduersus impias gentes. Sed apparet ex hoc loco, quod uaticinia Prophetarū populi Dei uulgata

& sparsa fuerint etiam inter Ethnicos. In cantico Mosi Deute. 32. manifesta extat Prophecia de interitu impiarum gentium. Leuabo, inquit Deus, manum meam ad cœlum, & dicam: Viuo ego in æternum, si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea. Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. In Psalmis quoq; Dauidis increpat DOMINVS gẽtes, & perit impius. Et, Sicut fluit cera à facie ignis, ita pereunt peccatores à facie Dei. Hæc certe & id genus alia, ut erant decantata in Israel, ita fieri non potuit, quin etiam ad exteras gentes uulgarentur. Sed & Ionas propheta, qui plus minus centum annis, ante hæc Sancheribi tempora, prophetauit, quemadmodum scriptum est 4. Regum 14. uenit ad Niniuen metropolin regni Assyriaci, ac uerisimile est eum non illam tantum unam concionem, quæ scripta est Ionæ 3. habuisse in Niniue, sed etiam prophetasse ibi de incremento regni Assyriorum, & quod Deus faueat huic Monarchiæ, ac daturus sit regibus eius prosperum euentum bellorum aduersus finitima regna & ciuitates, ut maiestas eorum fiat in toto orbe terrarum illustris. Ex cuius uaticinijs ad posteros Niniuitarum propagatis, facile potuisset Sancherib cognoscere, quod quas uictorias ipse & maiores eius ex gentibus reportassent, non essent beneficia suæ fortitudinis & sapientiæ, sed essent beneficia ueri Dei Israel, cuius nomine Ionas apud Niniuen prophetauit. Sed maluit in uerum Deum impius & ingratus esse, quam debitam ei gloriam dare. Quare digno factis suis supplicio diuinitus afficitur. Ex his autem, quæ hoc loco recensentur discamus primum omnipotentiam & prouidentiam Dei agnoscere, uidelicet, quod Deus non solum initio omnia creauerit, uerumetiam omnia adhuc administret. Vt nihil fit in cœlo, quod non diuina maiestate gubernetur, ita nihil fit in terris, ac regnis terrę, quod non ante sit diuinitus constitutum & ordinatum. Olim, inquit, ex diebus antiquis plasmaui illud. Epicurei sentiunt Deum non curare humana. Et uulgus eam ducit uitam, ut palàm factis declaret se sentire, quod Deus non curet res humanas. Nos autem detestari debemus hanc impietatem, & ex uerbo DOMINI cognoscere, Deum omnia nostra ita curare & administrare, ut ne quidem capillus sine uoluntate eius cadat de capite nostro. Quæ res confirmat fidem nostram in omnibus aduersis, & excitat reuerentiam erga Deum in omnibus operibus nostris. Deinde hæc uaticinia & iudicia Dei de mutatione regnorum, proponuntur gentibus cognoscenda, ut discant Deum timere, & non confidere munitis suis urbibus ac mœnibus. Non enim homo, sed Deus est, qui constituit & transfert regna, sicut Daniel ait: Et non homo, sed Deus excelsus dominatur super regnum homi-

hominum,& cuicunq; uoluerit dat illud. Quare non hoc agendum est,ut sanguine pauperũ extruantur arces, & munitæ urbes, sed ut Deus sit propicius. Hic enim si faueat,conseruabitur regnũ, etiamsi urbes non nisi ligneis sepibus munitæ fuerint. Si autem Deus non faueat,ne ahænei quidem muri proderunt. Fauebit autem Deus,si uerbum eius in regno locum habeat,& incolæ ueram pietatem honestate morum ornent. Dedit quidem Deus etiam impijs regnis aliquoties præclaras uictorias,sed quæ tamen uel tandem cesserunt ad gloriam nominis sui, & ad utilitatem ecclesiæ suæ,quemadmodum alias demonstratum est. Recitantur & istæ uaticina & iudicia Dei,ut Reges & Principes uictores discant humilitatem,& non glorientur coram Deo de sua fortitudine, sed agnoscant Deum,& obediant ei. In Deutero.cap.9.dicitur ad Israelem. Ne dicas in corde tuo,cum deleuerit gentes Dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iusticiam meam introduxit me Deus,ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sunt nationes. Sic nec Saneherib, nec Nabuchodonosor,nec Cyrus,nec Alexander magnus habent quod glorientur de suis uictorijs. Non concessæ fuerunt eis uictoriæ propter ipsorum iusticiam,aut fortitudinem,sed quia Deus ante decreuerat regna propter impietatem populi,& ad conseruandam ecclesiam sua am mutare,ut interim & hoc adijciam,quod Deus exaltet impios reges,ut grauiori casu ruant. Referendum & hoc est ad priuatam cuiusq; fortunam,quæ nulli contingit suo merito,sed tantum gratuito beneficio Dei,ut nulla caro in conspectu Dei glorietur.

Obserua & hoc loco,quantum impij sordident ornatissima dona Dei sua impietate. Nam uictoriæ,quas hactenus Saneberib ex omnibus regnis reportauit,fuerunt insignia dona Dei,sed Sanherib ita commaculat ea sua impietate & blasphemia, ut totum regnum Assyriorum incipiat iam coram Deo sordere,& in exitium ruere. Sic gentes habuerunt excellentissima dona industriæ,sapientiæ,fortitudinis,ciuilis iusticiæ,& aliarum multarum uirtutum, sed quia in his non cognouerunt uere Deum , nec glorificauerunt eum,ut Deum,idcirco fuerũt unà cum uirtutibus suis coram Deo abominabiles. Discamus ergo hic timorem Dei,& si quid insignium donorum nobis collatum est, agnoscamus in eis clementiam Dei, utamur ipsis ad gloriam nominis Dei, seruiamus per ea proximo. Hunc enim cultum exigit à nobis,in conferendis suis donis. Iam nec hoc prætereundum est, quod proponitur nobis hic exemplum , quo Deus testatur, se impijs uti quidem pro uirga , sed tandem etiam ipsam uirgam in ignem conijcere. Saneherib enim erat uirga furoris Dei, quemadmodum supra capite decimo dicitur , & potuisset in hac

uocatione Deo pie seruire. Sed quia abutitur sua uocatione ad impietatem, ad blasphemiam nominis Dei, idcirco necesse habet tandem horribiliter perire. Sic legitimus magistratus est uirga Dei, ad puniendos malos, sed si abutitur hac potestate ad opprimendos pauperes, ad delendam piam doctrinam, nihil aliud reliquum est, quam ut & hæc uirga proiiciatur in ignem. Metuant igitur Deum omnes potestate præditi, & sciant Deo esse exactissimam rationem officij reddendam.

TIBI AVTEM HOC ERIT SIGNVM, COMEDE HOC ANNO &c.

Dicet quispiam: Tu promittis quidem interitum regis Assyrij & liberationem urbis Hierusalem. Hæc autem est adhuc generalis concio, & nobis satis nota, uidelicet, quod necesse habeant impij interire, populus autem Dei seruetur. Sed quid si iste interitus regis Assyrij in longum differatur, & nobis interea uel fame, uel alijs calamitatibus moriendum esset? Scimus populum Domini liberandum ab impijs & blasphemis, & hos daturos pœnam impietatis suæ. Sed hoc præcipue fiet, in nouissimo demum huius seculi die. Interea temporis, ubi nos in tanta afflictione manebimus? Sic & Martha, cum audisset à Christo: Resurget frater tuus, respondet: Scio quod resurget in resurrectione in nouissimo die. Vertit igitur nunc Esaias sermonem suum ad Ezechiam, & ut consoletur eum, de præsenti & non in longum differenda liberatione, exponit ei circumstantias liberationis suæ, & interitus regis Assyriorum. Tibi, inquiens, o Ezechia, hoc erit signum, hoc est, Nolo existimes liberationem uestram reijciendam in mille aut duo millia annorum, sed his proximis annis liberabimini ab hoc hoste admirabiliter. In cuius rei signum & certitudinem exponam tibi ordinem huius liberationis. Hoc enim bellum, & hæc calamitas urbis Hierusalem durabit adhuc in tertium usq; annum. Etsi autem regio est deuastata, et omnis commeatus ablumptus, Deus tamen non committet, ut interea temporis fame pereatis. Hoc enim primo anno habebitis alimenta uestra ex deciduis, seu granis, quę messis tempore in terram cadere solent. Secundo anno, ex his quæ sponte, uel in agris, uel in arboribus nascuntur, ut sunt poma, pyra & id genus alia. Tertio demum anno ueniet manifesta ultio Dei in Assyrium, ac fugabitur hostis, & tunc incipietis iterū, pro ueteri more, seminare, plantare, metere, uindemiare, & labore uestro frui. Tunc etiam hi, qui adhuc ex tanta calamitate supersunt, conuenient iterum in unum corpus politicum, & quemadmodum arbor tempestiue plantata mittit deorsum radicem, sursum autē reddit fructum, ita superstites de domo Iuda florebunt, & fœlices erunt. Hoc autem beneficium continget eis, non merito ipsorum, sed

ſed zelo Domini, qui non potuit ferre inultam tantam blaſphemiam Aſsyriorum. Atq; hæc quidem contingent Ezechiæ & reliquiis eius. Supra enim Ezechias diſerte fecerat mentionem reliquiarum, cum ad Eſaiam dixerat: Suſcipias orationem pro reliquijs quæ adhuc ſuperſunt. Quod autem attinet ad Aſsyrium: Nequaquam, inquit, ingredietur in hanc urbem, nequaquam expugnabit eam, ac ne ſagittam quidem in eam iaciet, non afferetur ad eam uel unus clypeus Aſsyriacus, nec excitabitur contra eam agger, ſed rex ipſe neceſſe habebit turpi fuga ſalutem ſibi quærere. Ego enim, inquit Dominus, defendam hanc urbem, ad illuſtrandam nominis mei maieſtatem, & ad ſeruanda promiſſa Dauidi facta. Hic commemorantur duo maxima miracula. Alterum eſt, quod Eſaias non ſolum generaliter prædicit liberationem urbis Hieruſalem, & interitum Aſsyrij, ſed etiam exponit certas earum rerum circumſtantias, quo uidelicet tempore, & quo modo hæc futura ſint. Hoc non potuit colligi uel humana ratione, uel ex generalibus tantum promiſsionibus Dei, ſed neceſſaria fuit ſingularis reuelatio ſpiritus ſancti. Atque hoc, & huic ſimilia miracula in Prophetis populi Iſraelis manifeſta ſunt argumenta, quod is ſit uerus Deus, qui reuelatus fuit in Iſrael, & prædicatus a Prophetis, & quod Deus uere fuerit præſens in hoc populo, ac promiſerit Semen Abrahæ Ieſum Chriſtum, filium ſuum, ſeruatorem noſtrum, quæ & ſuo tempore nobis exhibuit. Alterum eſt, quod Deus ſeruat Ezechiam & populum ſuum, uſque ad tertium annum, in magna rerum penuria, ex deciduis tantum granis, & fructibus ſua ſponte enatis. Habes hic exemplum eius dicti, quod extat Deuteronomij octauo: Non in ſolo pane uiuit homo, Sed in omni uerbo quod egreditur de ore Dei. Hoc autem erat uerbum, quod egreſſum erat de ore Dei, per Eſaiam, ut Ezechias et populus eius expectarent in ſilẽtio & ſpe liberationem Domini ab Aſsyrijs. Quod cum rex & populus ſectarentur, conſecuti ſunt alimenta ſua, etiam ex ijs rebus, quæ alioqui uix pauperibus ſufficiebant. Hæc eſt benedictio Domini, qualis contigit Iſraelitis in deſerto: Eliæ ad torrentem Carith: Elizæo in centum uiris, quarto Regum quarto: Chriſto in deſerto, qui cũ quinq; panibus & duobus piſcibus pauit quinq; millia hominum. Non igitur ſolliciti ſimus de alimentis, ſed tantũ ſolliciti ſimus de obedientia uerbo Dei præſtanda, & de ſeruitute noſtra Deo exhibenda. Sic enim reliqua omnia adijcientur.

EGRESSVS EST AVTEM ANGELVS DOMINI, ET PERCVSSIT IN CASTRIS &c.

Hoc eſt illud memorabile miraculum, quo Rex Ezechias hacte-

nus usq; in tertium annum longe omnium afflictissimus, & urbs Hierusalem extremis periculis obiecta, ab hoste Assyrio diuinitus liberantur. Nam Sancherib rex Assyriorum, & potentissimus in terra Monarcha, qui ex omnibus regnis clarissimas reportauerat uictorias, & qui iam opinione sua etiam regnum Iuda & metropolin eius expugnauerat, & ut ita dicam, deuorauerat, amittit una nocte in exercitu suo centum octogintaquinque millia fortium uirorum. Misit enim Dominus angelum, ut scriptura inquit, qui percussit omnem uirum robustum, & bellatorem, & Principem exercitus regis Assyriorum. Quo metu rex blasphemus ita conterritus est, ut confestim soluto bello, cum paucis sese fœdissima fuga ad metropolin regni sui Niniuen proripuerit. Et tamen nec ibi potuit manum Domini effugere. Cum enim sacra faceret, ac dijs suis gratias ob liberationem ageret, duo filij eius, coniuratione facta, trucidant eum, horribili & miserabili cæde in ipso diuino cultu. Etsi autem immanissima ac plane Satanica est filiorum crudelitas, quod suum ipsorum parentem occidant, idq; in ipsis deorum suorum sacris, ac necesse habent filij ob tam nefarium scelus exulare, tamẽ rex meritus erat corã uero Domino Deo nostro, blasphemia sua, tam horribilem uitæ suæ exitum. Et quanquam alius filius eius, nomine Assarada successit ipsi in regno, tamen nulla amplius fuit eius regni fœlicitas, sed paulo post deuastatum fuit, quemadmodum scriptum est Hiere. quinquagesimo, & Ezech. trigesimoprimo, & creuit interim potentia Babyloniorum. Obseruabile exemplum, quod Deus uoluit in illustrissimo & potentissimo Monarcha terræ, & regno eius toti orbi proponere, ut ex eo non tam reges quam priuati quiq; peterent, quid sibi coram Deo sperandum, quid metuendum esset. Primum igitur, habes insigne exemplum diuinæ seueritatis aduersus blasphemiam nominis Dei. Sic enim Lex dicit: Non accipias in uanum nomen Domini Dei tui. Non enim habebit Dominus INSONTEM eum, qui nomen Domini Dei sui in uanum acceperit. Si ergo Deus tam seuerus fuit in blasphemum regem, eumq; potentissimum, & tot uictorijs insignem, quanto seuerior erit in blasphemos homines abiectos, & sordidos. Quæ autem sint blasphemiæ genera, alias expositum est. Secundo obseruanda est in hoc exemplo, etiam longanimitas Dei. Sancherib enim nõ statim punitus est, cum euomuit blasphemiã aduersus Deum, nec lingua eius adhæsit faucibus suis, prout dignissimum fuerat, Sed differtur pœna in tertium usque annum, & ad posteros quoque blasphemi regis, ut sciamas impios, etiamsi aliquandiu fœlices sunt, non tamen effugere iudicium Dei, & ut cognoscamus quid illud sit, Visitans iniquitatem patrum in filios in ter-

tiam

tiam & quartam generationem.

Tertio, considerandum est de fine liberationis impiorum. Saneherib seruatur quidem in exercitu suo, ne una cum alijs ab Angelo perimatur, sed effugiat ad metropolin suam, hoc autem effugio seruatur ad maiorem & grauiorem cladem, indignus uidelicet, quem Angelus Domini interficiat, interficiendus potius est a suis ipsius liberis, hoc est, crudelissime & immanissime. Sic & Pharao in multis calamitatibus seruatur, sed ad maiora supplicia, uidelicet, ut obruatur aquis marinis. Hæc est impiorum fortuna. Euadunt calamitates fœliciter, sed quia hanc fœlicitatem acceptam ferunt fictitijs dijs suis, sicut uides in Saneheribo, nec resipiscunt, nec agnoscunt uerum Deum, idcirco euadunt, ut grauioribus, adeoque perpetuis ærumnis obijciantur. Negari non potest, quin etiam pijs hoc accidat, ut ex una calamitate liberati, obijciantur grauiori. Sic enim Petrus educitur ab angelo e carcere, sed post aliquot annos iterum capitur, & crucifigitur. Sed hoc est discrimen inter piorum & impiorum fortunam, quod quo illorum calamitas grauior est, eo maiorem gloriam consequuntur apud Deum: horum autem calamitas subinde fit grauior, & durat perpetuo. Quare non possunt impij uere liberari, nisi conuertantur ad uerum Deum, & resipiscant. Ex his autem, quæ de Saneheribo recensuimus, admonemur de timore Dei, ut hoc exemplo excitati non peccemus aduersus Deum. Ex altera autem parte, uidelicet Ezechiæ & populi sui, admonemur de uera fide in Deum, & de inuocatione Dei nunquam intermittenda, ac de perseuerantia in uera Dei obedientia. Primum enim reportat Deus ex hoc miraculo laudem clementiæ erga populum suum, quod sit adiutor populi sui, in necessitate, & quod respiciat abiectos & contemptos. Quid enim fuit miserius, quid abiectius Ezechia & populo eius coram Saneheribo? Sed ecce Deus ex alto respicit, & seruat abiectos, atque contritos. Qui sanat, inquit, contritos corde, & alligat contritiones eorum &c. Secundo Deus reportat laudem & titulum Veritatis, uidelicet, quod sit Deus uerax, & seruans promissi. Vnde supra dixit: Protegam ciuitatem istam, ut saluem eam, propter ME, & propter Dauid seruum meum. Hoc autem non intelligitur, quod respiciat in seruanda urbe Hierusalem merita Dauidis, sed quod respiciat promissiones ad Dauidem dictas. Deus enim promiserat Dauidi, se conseruaturum thronum regni eius perpetuo. Sicut quarto Regum octauo dicitur: Noluit Dominus disperdere Iudam propter Dauid seruum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, & filijs eius, cunctis diebus. Etsi autem hæc promissio præcipue respicit in Christum, DOMINVM nostrum, tamen in-

Impiorum fortuna, ut reseruentur maioribus calamitatibus.

cludit etiam corporale regnum a Dauide usque ad Christum. Et quanquam in deuastatione Babylonica uidetur corporale regnum Dauidis concidisse, tamen Deus semen eius mirabiliter conseruauit, in aliquo splendore regni uel principatus, usque ad ea tempora, quæ de aduentu Christi per Prophetas determinata erant. Ac potuisset etiam Deus conniuisse Sancheribo, sicut postea conniuit Nabuchodonosori, ut deuastaret urbem Hierusalem, ac alia ratione conseruasse Ezechiam, ac semen Dauidis, Sed hoc tempore libuit ei isto modo & ratione, quam exposuimus, Ezechiam seruare. Reportat igitur laudem ueritatis, & confirmat fidem nostram, ut tuto queamus promissionibus eius confidere. Tertio habes hic exemplum efficaciæ piarum precum. Audiuisti supra uehementes precationes Ezechiæ & Esaiæ. Audis nunc manifestas earum impletiones. Ne igitur defatigeris precando, sed perseueres, donec Dominus misereatur nostri. Quarto, habes & hoc loco exemplum potentiæ Angelicæ. Vnus Angelus interficit una nocte 185000 fortissimos bellatores, immissa in eos pestilentia. Quid facerent centum Angeli? quid mille? quid duodecim legiones Angelorum, quas CHRISTVS dicit se in auxilium suum a Patre impetrare posse? quid innumerabiles? nimirum, non solum interficerent, quicquid in aere, terra & aquis spirat, uerumetiam conturbarent, & confunderent in se cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Ecce hæc est potentia, hæc est maiestas Dei, cui Angeli seruiunt. Et tales ordinauit Deus in custodes & ministros suorum piorum, credentium in filium eius Iesum Christum. Agnoscamus igitur Christum per fidem, & obediamus uocationi eius, ut hac tanta Angelorum custodia muniamur. Postremo obserua etiam in hoc loco exemplum, quo Deus comprobat se liberaliter restituere ea, quæ in seruitute & obedientia ipsius amittuntur. Ezechias amisit in hoc bello non solum omne aurum & argentum, uerum etiam uniuersam terram regni sui, præter urbem Hierusalem. Amisit autem ea in officio & obedientia, quam præstitit uerbo Domini, sed restituta sunt ei a Domino liberalissime. Sic enim dicit scriptura secundo Paralipo. trigesimosecundo. Saluauit Dominus Ezechiam & habitatores Hierusalem de manu Sancherib regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit ei quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Hierusalem, & munera Ezechiæ regi Iuda. Qui exaltatus est post hæc coram CVNCTIS gentibus. Vides quanta liberalitate Deus restituerit amissa Ezechiæ. Confidamus igitur hoc exemplo in rerum amissione, & perseueremus in fide, oratione, et obedientia Dei, quibus rebus fit, ut quod ablatum est, restituatur nobis cẽtuplum.

Caput

CAPVT XXXVIII.

IN DIEBVS ILLIS ÆGROTABAT EZECHIAS VSQVE AD MORTEM &c.

Victoriam, seu liberationem Ezechiæ, ab hoste Saneheribo, sequitur grauissimus morbus Ezechiæ. Etsi enim quidam putant Ezechiam ægrotasse sub incursionem Saneheribi in regnum Iudæ, sumentes hanc opinionem, ex ea quæ sequitur promissione: Eruã te & ciuitatem istam de manu regis Assyriorum, tamen hæc promissio pertinet ad eximendum eum metum, quo Ezechias & populus suus tenebantur, ne Assyrius post tam fœdam fugam reuerteretur maioribus copijs instructus, ad urbem Hierusalem. Et indicat legatio Principum Babylonis, quæ in sequenti capite describitur, quod hic morbus acciderit Ezechiæ, post fugam Assyriorum & liberationem urbis. De causa etiam morbi, alij aliter sentiunt. Iudæi more suo, nescio quæ, nugantur, Ezechiam idcirco affectum esse morbo, quod non uoluerit ducere uxorem. Alij, quod non egerit gratias Deo pro liberatione ab hoste. Sed nos mittamus ista, & consideremus ea, que ex reliquis scripturæ locis certa sunt, ac faciunt ad erudiendos nos in uera pietate. Nam Deus uarias habet causas, cur immittat pijs suis aduersa seu morborum, seu aliarum afflictionum. Nunc enim affligit eos, ut assuefaciat eos ad abijcien dum amorem huius mundi, & desiderandam futuram fœlicitatem: nunc ut compescat insolentiam carnis eorum, ne se in claritudine & magnitudine donorum Dei extollant, sicut Paulo immisit Angelum Satanæ: nunc ut admoneat eos de peccato, quod adhuc hæret in carne, & indiget spiritu expurgãte: nunc alijs de causis. Quare, cum legimus Ezechiam post liberationem ab hoste incidisse in grauissimum morbum, admonemur, nullam huius mundi fœlicitatem esse diuturnam, sed esse magnam rerum uicissitudinem, ideoque non esse fidendum præsenti in hoc seculo fœlicitate, nec esse ea abutendum ad impietatem, ad arrogantiam & elationem animi, sed esse quærendam fœlicitatem futuri seculi, quæ contingit nobis sola fide in Iesum Christum, quæ quidem fides, si uera est, præstat Deo in omnibus obsequium, gratias agit Deo in prospero rerum successu, manet in Dei uocatione, in aduersis rebus, & expectat obedienter liberationem æternam ab omnibus malis per Christum filium Dei. Genus autem morbi Ezechiæ putant pestem fuisse &c.

INTROIVIT AD EVM ESAIAS &c. DISPONE DOMVI TVÆ &c.

Horribilis nuncius Ezechiæ, qui etiam conijcit Ezechiam in extremum terrorem, & excitat in eo uehementissimum fletum, sicut mox sequitur. Sed mirãtur quidam, quid sibi hoc uelit, quod Propheta ex uerbo Dei dicat Ezechiam in hac ægrotatione morituru, & tamen postea hæc Dei sententia retractatur. Nunquid Deus est mutabilis? Nunquid Prophetæ Dei mutabilia & incerta prædicunt? Sed alias ueriſsime dicitur: Ego Deus, & non mutor. Et iterum: Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. Quod cum ita se habet, dicunt Iudæi duo esse genera propheciarum. Aliam enim uaticinari aduersa. Hanc dicunt mutari, si homines mutentur, & resipiscunt. Qualis fuit prophecia Ionæ de subuersione Niniue. Aliam autem uaticinari prospera. Hanc dicunt non mutari. Itaque si quispiam Propheta prædixerit prospera, & non euenerint, dicunt eum esse pseudoprophetam. Et hoc propheciarum discrimen conantur probare e uigesimooctauo Hieremiæ. Sed res ipsa testatur, quod non solum aduersa, uerumetiam prospera, a ueris Prophetis prædicta, aliquoties diuinitus mutentur. Nam Hiere. decimooctauo dicitur: Si gens illa fecerit malum in oculis meis, ut non audiat uocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei. Pœnitentiam, inquit, faciam, super BONO, hoc est, promissione rerum fœlicium. Et primo Reg. secundo. Sic ait Dominus Deus Israel. Loquens locutus sum, ut domus tua & domus patris tui ministraret in conspectu meo usq; in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus. Absit hoc a me. Sed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui aũt contemnunt me, erunt ignobiles. In Act. uigesimoseptimo, Angelus promittit Paulo, quod nõ sit periturus naufragio. Et addit: Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Quod & si reipsa impletũ est, tamen Paulus mox significat, eos qui in naui sunt perituros, nisi secum retineant nautas. Dicit enim ad Centurionem & ad milites. Nisi hi (nautæ) in naui manserint, uos salui fieri nõ potestis. Quare & hæc uaticinia, quibus ueri Prophetę pollicẽtur fœlicia, mutari possunt. Nostri ponunt aliud discrimen propheciarum, uidelicet, quod alia sit prophecia prædestinationis, quæ certo eueniat, alia sit prophecia comminationis, quę per hominũ resipiscentiam retractari queat. Sed quia propheciæ non constant tantum ex comminationibus supplicíorum seu afflictionum, uerumetiam ex promissionibus beneficiorum, idcirco ponemus hoc discrimen propheciarum, quod aliæ sint absolutæ, sine ulla conditione, quas non inepte dixeris prophecias prædestinationis, quæ non retractantur, sed certissime eueniunt. Qualis fuit illa Geneſis decimoquinto, dicta ad Abraham.

Prophecia rum duplex discrimen.

braham: Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti. Ac mox: Generatione quarta reuertentur huc. Qualis etiam fuit illa de Messia uenturo e semine Dauidis. Aliæ sunt conditionales, Quæ seruatis adiectis conditionibus, implentur, non seruatis autem retractantur. Quales sunt pleræque promissiones & Minæ in scriptura. Talis fuit promissio dicta ad Elí i. Reg. ij. de qua ante dictū est, & quam Deus ipse interpretatur, conditionem uidelicet in ea intelligendam esse. Et huc facit, quod supra ex Hieremia recitauimus: Si gens fecerit malum in oculis meis, ut non audiat uocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei. Tales etiã sunt multæ minæ. Iudic. decimo. Reliquistis me & coluistis deos alienos. Idcirco non addam ut ultra uos liberem, & tamen postea liberantur, quia agnoscunt peccata & resipiscũt. Sic Ionæ iij. dicitur Niniuen in quadraginta diebus subuertẽdam, & tamen seruatur, quia intelligenda fuit conditio: Si ciues intra hoc tempus non resipuerint. Deus enim, ut cap. quarto Ionæ sequitur, clemens est & misericors, patiẽs & multæ miserationis, & ignoscens super malicia. Sic & hoc loco Esaias prædicit Ezechiam hac ægrotatione moriturum & tamen retractatur, quia subintelligenda fuit conditio: Nisi Ezechias conuersus ad preces, impetrauerit diuturniorem uitam. Sic Matthæi decimoquinto, Cananea manifeste reijcitur a Christo, & uocatur insuper canis, attamen recipitur postea, quia subintelligendum erat, quod merito reijceretur, nisi firmam haberet de Christo fidem. Hæc idcirco nobis obseruanda commemorantur, ut in promissionibus diuinorum beneficiorum non simus carnaliter securi, & non negligamus nostrum officium, sed sciamus eas requirere fidem & obedientiam uocationis Dei. In comminationibus autem afflictionum, non despondeamus animum, sed excitemur ad preces, & confugiamus ad Dominum oratione, ut afflictiones uel omnino a nobis tollantur, uel mitigentur, aut si nullum horum fieri queat, saltem compensentur nobis cœlesti fœlicitate. Videamus autem, quomodo Ezechias hunc mortis nuncium exceperit. Tyrannus quispiam, iussisset nuncium tam horribilem abripi & duci in uincula. Ezechias autem excepit eum lacrymis & precibus. Fleuit (inquit) Ezechias fletu magno. Et: Conuertit faciem suam ad parietem, ac orauit. Quid ad ista dicemus? Ezechias ne rex tam fortis, & tam pius, lacrymatur tam muliebriter ad nuncium mortis? Quis diceret eum esse uirę militarẽ, qui tam pueriliter ad mortis mentionẽ eiularet? Sed bene habet: Quod Ezechias facit, per se non est impium. Natura. n. nobis insitũ est, ut horreamus et trepidemus ad mortẽ. Quem affectũ etiã Christus filius Dei in se assumpsit: Sed hoc

est discrimen inter Christum, & nos homines. Ille enim assumpsit nostras imbecillitates, sed sine peccato, Hebr. quarto. Nos autem habemus eas cum peccato, quod nobis natura adhæret. Itaq; & si Ezechias per se non peccat hoc fletu, tamen quia habuit legem in membris suis rebellantem legi Dei & reddentem ipsum captiuum legi peccati, idcirco fieri non potuit, quin carne sua indignaretur aduersus iudicium Dei. Et tamen quia pius fuit, compescuit hanc carnalem impietatem per spiritum sanctum, & subiecit se obedienti fide & precibus Domini Dei nostri uoluntati. Audiamus igitur preces eius. Obsecro Domine, inquit, memento quæso, quomodo ambulauerim corã te in ueritate seu in uera fide, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Principio, quia Ezechias uertit se ad preces, in denunciatione mortis, perspicue significat, se recte intelligere comminationes Dei, uidelicet, quod afflictiones a Deo propositæ & immissæ, possint pijs precibus aut tolli aut mitigari. Vnde apud Ezechielem cap. decimotertio & uigesimo secundo, exprobrat Deus Prophetis, quod nõ opposuerint murum pro domo Israel: Quæsiui, inquiens, de eis uirum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni &c. Deinde admirabilis uidetur oratio Ezechiæ, & iactantiæ plena. Gloriatur se corde perfecto ambulasse coram Deo. Quis autem potest dicere, Mundum est cor meum? Cõsiderandum igitur est, quod cũm postea dicatur Deum audiuisse orationem, & uidisse lacrymas Ezechiæ, manifestum sit, hanc orationem non fuisse impiam, sed uere piam. Cum autem sit pia oratio, non potest intelligi, quod Ezechias confidat iusticia suorum operum, & glorietur de ea coram Deo, tanquam de perfecta iusticia, qua lex Dei uere sit impleta. In Psalmo enim dicitur: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Et iterum: Si iniquitates obseruaueris Domine, Dñe quis sustinebit? Et Ezechias ipse postea in carmine suo cõfitetur peccata sua: Proiecisti, inquiens, post tergum tuum omnia peccata mea. Vt non & hoc addam, quod in legatione Principum Babylonis derelictus sit sibi ipsi a Domino, & manifesta facta est cordis impietas. Dereliquit (inquit scriptura) eum Dominus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius. Quare, cum hæ preces Ezechię sint piæ, non possunt intelligi de confidentia in humanam iusticiam, & de gloriatione perfectæ impletionis diuinæ legis: Sed hoc plane illud est, quod Paulus postea de se & suo ministerio dixit: Nihil, inquiens, conscius sum mihi, sed in hoc non sum iustificatus. Ezechias enim, quod attinet ad officium suum regium, omnia administrauit pro sua uirili, iuxta legem Dei, & instaurauit, abolitis impietatibus, omnia pia sacra, secundum

secundum quod præscripta & mandata erant diuinitus, quemadmodum scriptura perspicue testatur quarto Regum decimooctauo. Et secundo Paralipo. uigesimonono, trigesimo, & trigesimoprimo. Vnde & scriptura dicit de ipso testimonium: Operatus est, inquiens, bonum & rectum & uerum coram DOMINO Deo suo, in uniuersa cultura ministerij domus Domini iuxta legem & cerimonias, ut quæreret Deum, in toto corde suo fecit illud, & prosperatus est. Quod igitur Ezechias orat, hanc habet sententiam. Intelligo ex uerbo Domini, me in hoc morbo destinatum est morti. Ac obediam quidem clementissime Deus, uoluntati tuæ, suscipiamq; mortem obedienter: nec dubito, quin tu me pro immensa tua misericordia sis in media morte ad æternam salutem conseruaturus. Sed hactenus, dum ego administrationem regni suscepi, conatus sum pro mea uirili omnia iuxta uerbum tuum, tam in Ecclesia, quam in politea instaurare, & administrare. Non sum quidem in his meis operibus iustificatus, & agnosco me seruum inutilem, nihil autem mihi conscius sum. Feci omnia, quam perfecto corde facere potui. Et quia aliquanto tempore periculosissimum bellum gessimus, multa sunt iterum confusa & conturbata, & quantum mihi iudicare licet, indigent collapsa instauratore, & constituta conseruatore. Quare clementissime Deus, si uideor tibi alicuius esse usus in regno populi tui, obsecro te, ut lõgiorem mihi uitam concedas, quo ea quæ tuo auxilio cœpi, absoluam & perficiam, ac posteris sic conseruanda tradam. Hæc est sententia precum Ezechiæ, iuxta quam sententiam etiam Paulus ad Philippenses scribens: Coartor, inquit, ex his duobus, desiderans dissolui & esse cum Christo, multo longeq; melius est. Cæterum, manere in carne, magis necessarium propter uos. Licebit igitur hoc exemplo petere a Deo in morbis longitudinem huius corporalis uitæ, sed his conditionibus, ut non pugnes cum diuina uoluntate, si Deus uelit ut mortem suscipias, & ut petas longiorem uitam in hunc usum, non quo hellueris, sed quo gloriæ Dei in hoc mundo seruias &c.

ET FACTVM EST VERBVM DOMINI AD ESAIAM DICENS, VADE ET DIC, &c.

Exaudiuntur preces Ezechiæ. Et iubet Deus Esaiam, cum nondum esset egressus aulam, sicut in quarto Reg. uigesimo scriptum est, Ezechiæ exauditionem adnunciare. Ac initio recitatur insignis promissio, qua Deus recipit se non solum daturum regi sanitatem, ut tertia die ascendat in templum sanus, uerumetiam quindecim annos additurum uitæ eius, ac præterea effecturum, ut urbs

Hierusalem tranquilla,& tuta sit ab Assyrijs,quos metuebant Rex & Principes, post tam fœdam fugam, maioribus copijs reuersuros,& Hierusalem oppugnaturos, ut quam acceperunt ignominiam noua uictoria delerent. Deinde,quia hæc uidebantur incredibilia,& carni etiam impossibilia,additur illustre miraculum, quo fides Ezechiæ confirmetur. In quartō libro Regum petit Ezechias ipse signum, non ex incredulitate, sed ut fides eius adiuuetur. Sicut & ille in Euangelio dicit: Credo Domine, Succurre incredulitati meæ. Datur autem Ezechiæ optio eligendi miraculi in umbra Solis,si uelit, ut ascendat umbra decem lineis,aut ut reuertatur totidem gradibus. Eligit ergo Ezechias, ut umbra reuertatur decem gradibus seu lineis retrorsum, in horologio Ahaz. Apparet autem hoc horologium fuisse murale,ut uocant, seu perpendiculariter erectum, non horizontale. Disputant etiam interpretes quale miraculum fuerit. Num uidelicet Sol ipse retrocesserit decem horis. Quod si factum fuerit,dubitant, quomodo rationes & tabulæ Astronomorum non sint ex hoc miraculo confusæ, quas tamen cō stat ipsa experientia firmas fixasq; permanere. An uero miraculum hoc editum sit, non in ipso solis corpore, sed in umbra tantum,quæ a gnomone horologij Ahaz in lineas projciebatur. Nihil certe est, quod omnipotentia Dei non possit efficere. Et si sol sub Iosua stetit diuina potentia, spacio unius diei,potuit etiam eadem potentia sub Ezechia decem horis retrogredi, conseruata interim, aut mox restituta cœlestium motuum regula. Si uero umbra tantum retroacta est,magnum & hoc est miraculum,ad confirmandam fidem Ezechiæ satis sufficiens. Sed nolumus in his,quæ scriptura non aperte docet,asseuerandis,nimium esse peruicaces. Persequemur autem ea, quæ ad erudiendos nos in uera pietate utilia sunt. Ac inicio habes in precibus Ezechiæ exemplum eius præcepti,quod Christus postea de oratione recitat: Orantes, inquiens, ne sitis multiloqui,sicut Ethnici. In oratione enim exigitur multa et magna fides,sufficiunt autem pauca uerba. Magna est breuitas precationis Ezechiæ,Sed ecce impetrat non sanitatem tantum,uerum etiam longitudinem dierum,& publicam tranquillitatem. Fugiamus igitur Ethnicorum & hypocritarum battologiam, & sciamus nōs non exaudiri propter multiloquium, sed propter Iesum Christum,per fidem. Deinde habes exemplum in his precibus,quod liceat nobis inuocare Deum, non tantum pro bonis spiritualibus & cœlestibus,sed etiam pro bonis corporalibus & terrenis. Sunt em̄ multi tam superstitiosi, qui ne mediocrem quidem uictum corporis audēt a Deo petere. Et in oratione Dñica,noīe panis quotidiani nō intelligunt panem corporalem,sed panem cœlestem. Sed exemplum

Oratio exigit magnam fidem, et pauca uerba.

plum Ezechiæ refutat superstitionem eorum. Simile est exemplum Patriarchæ Iacob Gen. xxviij. Si Dominus dederit mihi panem ad uescendum, & uestimentum ad induendum &c. Et Paulus Acto. decimoquarto dicit, Deum conferre beneficia de cœlo dans nobis pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lętitia corda nostra. Si autem hæc sunt diuina beneficia, certe sunt etiam precibus petenda. In hunc autem finem petenda sunt, ut sanctificetur nomen Domini &c. Sed cum quæuis pia oratio debeat ex fide proficisci, hoc uidetur mirabile in oculis nostris, quomodo Ezechias potuerit ex fide orare pro sanitate & longiori uita? Esaias enim manifeste dixit ei ex uerbo Domini: Morieris & non uiues? Cum igitur Ezechias orauerit contra uerbum Domini, quomodo potuit orare ex fide, quæ in pia oratione necessaria est? Considerãdum igitur est, quod in quauis oratione, siue ea petat spiritualia & expresse promissa, siue corporalia non expresse promissa bona, semper necessaria est generalis illa fides, de placatione Dei, per semen Abrahæ, seu per Iesum Christum filium Dei. Petiturus enim aliquid a Deo, necesse est, ut credat certo, Deum sibi propicium, Deum sibi fauere, & uelle ipsum seruare in omnibus periculis. Hoc autem nemo uere credit, nisi qui credit in Iesum Christum. Deus enim placatus est nobis per solum Christum filium suum. Quare, qui ignorat aut contemnit Christum, non habet ueram fidem in precibus, nec preces eius sunt uere piæ. Quales sunt omnes Turcæ, hypocritæ, & impœnitentes. Sed o sceleratam impietatem Papistarum, qui damnant hanc fidei certitudinem in oratione, & uocant eam præsumptionem. Itaque damnant uniuersum Euangelion CHRISTI, quod hoc solum agit, ut certificet nos de fauore Dei erga nos propter Iesum CHRISTVM filium Dei per fidem. Deinde, magnum est discrimen earum rerum, quas petimus a Deo in precibus. Quædam enim sunt manifestis uerbis promissæ, ut sunt Remissio peccatorum, & uita æterna propter Christum. In harum igitur rerum petitione, nihil prorsus est dubitandum, & certa debet esse fides, quia uerbum promissionis est certum. Quædam non sunt disertis uerbis promissæ, ut hoc loco, Ezechiæ non erat promissa sanitas, Sed potius negata. Et nobis in genere promissa quidem est conseruatio nostri in fame, sed non sunt nobis diserte promissæ multæ diuitiæ. Et in morbis promissa quidem est salus Domini per CHRISTVM, sed non est promissa certa sanitas & certus numerus annorum uitæ. In harum igitur rerum petitione habenda & conseruanda quidem est generalis fides de fauore Dei propter CHRISTVM, non autem necessaria est fides specialis de certitudine rei petitæ, Sed subijcienda est uoluntas

noſtra uolũtati Dei. Sicut & Chriſtus ipſe, cum oraret pro longiõ/ri uita, quæ non erat ei diſerte promiſſa, dicit quidem, Pater tranſ/fer a me calicem hũc, Sed addit: Non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis. Ad hunc modum intelligenda quoq; eſt precatio Ezechiæ. Habet enim Ezechias generalem fidẽ in oratione ſua, uidelicet, quod cre/dit Deum ſibi propicium eſſe per ſemẽ Dauidis, ex poſteritate ſua uenturum. Sed quia nondum habet certam promiſsionem de lon/giori uita, ideo neceſſe habet ſuam uoluntatem ſubiȷcere uolunta/ti Dei. Sicut & tres iuuenes Daniel. iiȷ. Et leproſus: Domine, ſi uis, potes me mundare. Matth. viiȷ. Poſtremo habes etiam exem/plum eius dicti, quod eſt ſcriptum apud Paulum Ephe. iiȷ. De/us poteſt cumulate facere ultra omnia, quæ petimus aut cogitamus &c. Ezechias uix audet petere ſanitatem, in tam graui morbo, ecce autem Deus non ſolum præſtat ei ſanitatem, uerumetiam addit ui/tæ multos annos, & dat ei publicam tranquillitatem. Quæ duo, ui delicet, diuturna corporis ſanitas, & publica tranquillitas, ſunt prę ſtantiſsima inter corporalia bona. Hæc autem conceduntur aliquo ties hominibus diuina clementia, non ut abutamur iȷs ad helluatio/nes & alia ſcelera, ſed ad ſanctificationem nominis Dei, uidelicet, ut in tranquillitate ſit locus piæ doctrinæ, & diſcamus timorem Dei, fidem ac obedientiam. Quem finem Ezechias ſibi in oratione propoſuerat. Petiȷt enim longiorem uitam, non ut uenationibus tẽ pus tereret, ſed ut quæ collapſa erant in religione inſtauraret, & ut poſtea dicit, cantaret Pſalmos cunctis diebus ſuis in domo Dñi.

SCRIPTVRA EZECHIÆ REGIS CVM ÆGROTASSET ET CONVALVISSET &c.

Quod ſpiritus ſanctus in Pſalmis pro ſummis beneficiȷs a Deo præſtitis, exigit, & q̃d iam inde ab initio præſtiterũt piȷ quiq; Deo pro beneficiȷs ſuis, hoc idem Ezechias, poſtquam cõſecutus eſt ad/mirabiliter ſanitatem, Domino Deo ſuo præſtat. Nam Pſal. xlix. dicitur: Non in ſacrificiȷs tuis arguam te &c. Immola Deo ſacrifici/um laudis, & redde altiſsimo uota tua. Inuoca me in die tribulatio/nis, & eruam te, & honorificabis me. Hic exigit Deus pro benefi/ciȷs ſuis gratiarum actionem, laudem, & nominis ſui celebrationẽ. Et Pſal. lxviiȷ. Egõ ſum pauper & dolens, ſalus tua ſuſcepit. Quid ergo retribuam Deo? Laudabo nomen Dei cum cantico, & magni ficabo eum in laude. Et placebit Deo ſuper uitulum nouellum cornua producentem & ungulas. In quem autem uſum cedit lauda tio nominis Dei? Sequitur: Vt uideant pauperes & lętentur. Quę rite Deum, & uiuet anima ueſtra. Exempla uero multa extant pio/rum, qui beneficia Dei celebrauerunt, & conſecrauerunt poſterita ti per Pſalmos ſeu carmina. Sic Moſes, ſic Debora, ſic Anna ma/

ter

ter Samuelis, sic Dauid, sic Ionas, sic Zacharias, sic Simeon, sic Maria uirgo, mater Christi, laudarunt psalmis beneficia Dei, ut clemẽtia Dei illustretur, & homines ad fidem & inuocationẽm excitentur. Quare sequitur etiam Ezechias cohortationem spiritus sancti, & exempla piorum, & canit psalmum, quo non solum testatur gratitudinem animi sui, pro accepto tam insigni beneficio Dei, uerum etiam posteritatem admonet, quo in grauissimis morbis, alijsq; afflictionibus confugere debeat. Continet autem hic psalmus Ezechiæ duas partes. In priori commemorat horrorem suũ, quo ex conspectu mortis & inferni affectus sit. In posteriori recenset liberationem, ex horrore mortis, & declarat suam erga Deum gratitudinẽ. Obseruandum igitur est, quod Ezechias sit insigne exemplum, & unus ex his, qui in hac uita obijciuntur doloribus inferni, & aspiciunt mortem, qualis est natura sua ex peccato, non qualis est clementia Dei ex Christo. Vulgo dici solet, ignem inferni, & purgatorij, eundem esse, quod ad dolorem & pœnam attinet, & hoc tantum discrimen esse, quod in igne inferni nulla sit spes liberationis, in igne autem purgatorij, reliqua adhuc sit spes. Ac recte quidem hoc de purgatorio dicitur, si intelligatur, non de Papistico purgatorio, quod Pontifices finxerunt esse pœnam satisfactoriam pro peccatis post hanc uitam, sed de doloribus inferni, qui in hac uita solent cõtingere pijs. Sentiendum enim est, quod & si soli impij & abiecti a Deo conijciuntur in perpetuos dolores inferni post hanc uitam, tamen in hac corporali uita solent aliquoties non impij tantum, uerum etiam pij obijci horroribus perpetuæ mortis, & doloribus inferni. Sed magnum est discrimen, nõ quidem in sensu doloris, qui utrobiq; grauissimus est, sed in modo sustinendi, & in fine. Impij enim sic corripiuntur horroribus mortis & inferni, ut & plane desperent de salute, & maneant ijs perpetuo obnoxij. Et hi horrores dicuntur uere flãmæ ignis inferni. Exempla sunt Saul, Ahitophel, Iudas Ischariotes &c. Pij autem sustinent hos dolores, cum aliqua salutis spe, & inuocatione nominis Dei. Etsi enim pij aliquoties ne intelligunt quidem aut sentiunt suam spem & inuocationem, tamẽ spiritus intercedit pro ipsis, gemitibus inenarrabilibus. Et hi horrores in pijs, sunt quidem etiam ipsi, flammę ignis inferni, sed quia spes est salutis, & reliqua liberatio, recte uocantur Ignis purgatorius. Exempla sunt Iob, Dauid, Ionas, Ezechias, & Christus ipse filius Dei. Audiamus igitur nunc, quid nobis cantet Ezechias de flãmis ignis sui inferni, aut potius purgatorij. Ego dixi, in dimidio dierum meorum, uadam ad portas inferi &c. Hoc sic uertendum est. Ego dixi, in abscisione dierum meorum, eo ad portas inferi, priuor reliquo annorum meorũ. Et habet hanc sentẽtiam. Postq; cœpi

laborare grauissimo morbo, & Esaias iussit me disponere domui meæ, seu facere testamētum, atq; præcideret mihi dies meos, ac adnunciaret mihi moriendum & non diutius uiuendum esse, statim dixi, aut persuasum in animo meo habui, quod & si potui per ætatē adhuc multis annis uitam agere, tamen non sim reliquis annis uicturus, sed necesse habeam ingredi in portas inferni. Portæ autem inferni, sunt mors, qua infernus propter peccatum, ita potens est, ut quoscunq; corripuerit, perpetuo detineat. Porta enim non solum significat ostium, uel ianuam, qua est ingressus in domum aut ciuitatem, sed more hebræo significat etiam curiam senatoriam aut prętoriū. Et inde transsumitur ad significandam potentiā. Itaq; portæ inferni significant potentiam inferni, seu mortem ipsam, qua infernus est potens ad perdendos omnes, quoscunq; absq; Christo arripuerit. Ex hoc autem uersiculo facile intelligi potest, quomodo Ezechias in hac tentatione aspexerit mortē. Habet enim mors duos aspectus, seu duas facies. Altera est, sine Christo, qualis est mors natura sua, propter peccatum. Hæc est facies horribilis, & quā nullus hominū suis uiribus, sine sui perditiōe sustinere potest. Affert enim non solum corporis mortem, uerumetiam perpetuam damnationem, & sempiternos cruciatus propter peccatum. Sic enim mors est porta inferni. Altera est cum Christo, qualis uidelicet mors facta est per Christū, qui expiauit peccatū. Hæc est iucūda facies, aperiens Paradisum, & afferens hanc uocem, Hodie mecum eris in Paradiso. Non igitur mirandum est, q; etiam sancti tam uarie ad conspectum mortis afficiantur. Ezechias ad mortis conspectum ita turbatur, ut & lacrymas effundat, & existimet se perpetuo interiturū, quia aspicit mortem in hac tentatione sine Christo. Et tamen seruatur, quia Christus non omnino ei subducitur, & manet in inuocatione, ac subinde apparet ei illustrior lux diuinæ clementię. Paulus autem, etiam cupit mori, & uocat mortem lucrum suum. Aspicit enim mortem cum Christo. Cupio, inquiens, dissolui, & esse cum Christo. Et: Nostrū politeuma est in cœlis, ex quo & seruatorem expectamus &c. Quare summo studio incumbendum est in Euangelion Christi, ut ex eo Christū uere cognoscamus, & eum in obiectu mortis cōspiciamus. Sequuntur alij uersiculi. Dixi, nō uidebo Dominum Deum in terra uiuentium, non aspiciā hominem ultra, cum habitatoribus huius seculi, hoc est, cum Esaias significaret mihi moriendum esse, mox existimaui de uita mea ita actum esse, ut nunquam amplius uisurus essem cultum Domini Dei nostri, inter uiuentes, quo cultu instaurando, & conseruando unice, dum uiuerem, delectabar. Existimaui etiam me nunc̄q; amplius cum amicis meis superstitibus adhuc, uitam familiariter transacturę, quo mihi,

post

post cultum Dei, nihil in hoc seculo fuit iucundius. Conqueritur autem Ezechias, se per mortem priuari duabus iucundissimis rebus. Altera, publico cultu Dei, in templo, quo populus Dei conuenire, & sacrificijs ac Psalmis Deum laudare, ac fidem suam inuicem confirmare solet. Hæc quidem non est magna uoluptas impiorũ, cõtemnentium uerbum Dei. Maior uoluptas eorum est, si bonum uinum biberint, aut alijs corporalibus delicijs fruantur. Pio autem homini non potest in his externis cœtibus maior iucunditas accidere, q̃ audire in Ecclesia purum Euangelion Dei, & cum Ecclesia nomen Dei celebrare, ac fidem suam pascere. Vnde & Dauid ait Psal. lxxxiij. Melior est dies una in atrijs tuis super milia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis q̃ habitare in tabernaculis peccatorũ. Et Psal. xxvi. Vnum petij a Dño, & hoc requirã, uidelicet, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluntatem Dñi, ut uisitem templum eius. Altera est, familiaris uita cum amicis, cum quibus, ut tecum, loqui audeas, & quibus cum omnia læta, omnia tristia communia habeas. His iucundissimis rebus queritur Ezechias se per mortem priuari. Quid ergo? inquies. An non maior est uoluptas Deum ipsum in cœlis, q̃ cultum eius in terris uidere? An non iucũdior est uita in cœlis, cum Patriarchis, cum Prophetis et alijs pijs, q̃ in terra, cum hominibus adhuc infirmis & morosis? Cur Ezechias non potius ad hanc cœlestem q̃ ad terrenã fœlicitatem respexit? Causa manifesta est, quia aspicit in hac tentatione mortẽ, qualis est natura sua propter peccatũ. Sic enim mors est priuatio omnis uoluptatis & iucunditatis. Sed si quis aspexerit mortem qualis facta est per Christum, tunc & si amittit quasdã terrenas delitiolas, tamen recipit pro eis summam & æternam uoluptatem in regno cœlesti.

GENERATIO MEA ABLATA EST ET CONVOLVTA &c.

Pergit Ezechias exponere grauitatẽ doloris & afflictionis suæ, quam ei conspectus mortis incussit. Generatio, inquiens, mea ablata est, hoc est: Cũ uel morbus meus ingrauesceret, uel Esaias adnunciaret, moriendum mihi esse, non aliter afficiebar, q̃ si de generatione seu duratione uitæ meæ prorsus actum esset, & reliquum uitæ meę auferretur a me, sicut solent tabernacula seu tuguria pastorum auferri & alio transferri. Cogitaui mecum, q̃ non aliter succidar, ac disrumpar, q̃ si textor filum ex improuiso rumpit. Sensi me ita attenuari, seu exugi, quemadmodum auari fœneratores solent paupores exugere. Ita q̃ iudicaui me uitam meam ante uesperam finiturę. Cũ aũt uespera aduenisset, cogitaui, o si possem uita mea pertingere usq̃ ad mane, sed sic opprimebar, quasi ossa mea contererentur a

leone. Quare in tanta eram uitæ desperatione, ut nõ potuerim spe rare me peruenturꝫ uiuum usqꝫ ad uesperã seu noctem. In tanto do lore & ægritudine animi garriebam sicut grus, & hirũdo, & geme bam sicut columba. Oculi mei magis defecerũt præ dolore, q̃ ut po tuerim eos in sublime extollere. Vel, sicut alij interpretãtur, Oculi mei exaltati sunt in sublime, & clamaui, Dñe, uiolenter opprimor, mitiga, quęso, mihi hunc ingẽtem dolorem, & refocilla me iterum. Vides rursum, Ezechiã in aspectu mortis, de salute uitæ suæ pror sum desperasse. Ac tolerabile fuisset, si tm̃ amittẽda ei fuisset corpo ralis uita. Nunc aũt tentatus est etiã de amittenda æterna uita. Mox em̃ ãgit Deo gratias, ꝙ ꝓiecerit omnia pctã sua post tergũ suũ. Ex quo perspicuũ est, ꝙ Ezechias in hac tẽtatione non sustinuerit tm̃ corporis dolores ex morbo, uerumetiã iudicium diuinæ iræ ex pec catis suis. Vbi aũt peccata reuelãtur, ibi & corporalis & æterna pœ na ob oculos ponũtur. Ac plane hoc loco accidit Ezechiæ, q̃d Mo ses Deut. xxviij. impijs peccatoribus minatur: Dabit, inquiẽs, tibi Dñs, cor pauidũ & deficientes oculos, & animam consumptã mœ rore. Et erit uita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, et non credes te amplius uicturꝫ. Mane dices: Quis dabit mihi uespe rum? Et uesperi: Quis dabit mihi mane, propter cordis tui formidi nem &c. Quid ergo dicemus de Ezechia? Nũ quia obrutus est sup plicio impiorꝫ, abiectus est in ęternã damnationem? Nequaq̃. Fuit quidem pctõr, tentatus est diuinitus supplicio pctõrum, attñ con cepit fidem, qua Deum inuocauit, & petijt liberationẽ. Sic Petrus, erat quidem peccator, & tentabatur de morte tam externa q̃ ęterna. hoc est, de supplicio pctõrum, sed quia conuersus ad fidem in Chri stum, sperauit remissionem pctõrum, consecutus est salutem. Non sic Iudas Ischariotes, qui cum & ipse esset peccator & obrueretur iu dicio peccatorꝫ, non est conuersus ad fidem & inuocationẽ, ideoqꝫ in ęternum perijt. Etsi aũt non singulis hoĩbus reuelatur in hac uita iudiciũ peccati, & alius alio affectu mortem suffert, prout unicuiqꝫ Deus distribuit, tñ semper nos parare debemus ad sufferendas etiã grauissimas mortis et inferni tẽtationes, ne si subito et imparati his obruti fuerimus, in æternum pereamus. Sed quomodo nos ad exci piendas has tentationes pręparare debeamus, paucis exponendum erit. Christus ad discipulos suos ait. Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Duo nos docet: Vigilãdum uidelicet, & orandũ esse. Vigilia igitur non complectitur tm̃ corporalem uigiliam, quæ & ipsa suo tempore præstari debet, sed complectitur præcipue uigilã tiam & diligentiã officij nostri. Officium aũt nostrum est, ut ante o mnia agnoscamus pctã nostra, et horreamus ea, & credamus ea esse per Christum expiata. Deinde, ut studeamus uocationi nostrę, quã

ta

ta possumus diligẽtia seruire, & bona opera quæ Deus mãdauit facere. Postremo, ut oratione seu inuocatiõe nostra semper stemus in excubijs, aduersus publicas & priuatas calamitates. Hoc est se præparare ad excipiẽdas tam de corporalibus q̃ de spiritualibus rebus tẽtationes. Hoc quia Petrus & reliqui Apostoli neglexerunt, quãuis a Christo moniti, & cum prꝛeter expectationẽ a tẽtatione obruerentur, intrauerũt in tentationẽ, & defecerunt a Christo. Hoc quia uulgus hoĩm negligit. (Necꝫ. n. uigilant, necꝫ orãt, sed ducunt uitã securissimã) correpti ex insperato doloribus mortis, despondent aĩos suos, & pereunt inæternum. Quare muniamus nos uigilantia & oratione aduersus omnes tentationes, & insultus Diaboli.

QVID DICAM? AVT QVID RESPONDEBIT MIHI, CVM IPSE FECERIM &c.

Exposuit antea Ezechias, quantos dolores, & quantã animi ꝰgritudinem conceperit ex letali morbo, & horribili nuncio Esaiꝫ, quo indicta est ipsi certa mors. Nunc sequitur altera pars huius Psalmi, in qua Ezechias exponit, quantã uicissim consolationem, & recreationẽ ex promissione Dei, quã Esaias ipsi adnunciauit, conceperit. Dicit. n. Quid loquar? quid opus est pluribus uerbis? Quid tã diligenter cõmemoro meas ꝰgrumnas & dolores, cum multo magis cõmemoranda sit clementia Dei, qua mirabiliter ex morbo & morte liberatus sum. Etsi. n. grauissima fuit afflictio, tñ contigit etiã mihi dulcissima & iucundissima liberatio. Nam Dñs promisit mihi per Esaiã in medijs horroribus mortis, nõ solũ recuperationẽ sanitatis, uerumetiã plures adhuc uitæ annos. Et quod promisit, hoc etiã insigni clementia præstat. Quod. n. usitata lectio habet (Aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit) sic uerti debet. Dixit mihi, & etiã facit. hoc est, Deus promisit mihi sanitatem, et recepit se fidem meã admirãdo signo confirmaturꝫ. Quod igitur promisit, hoc etiam adimpleuit, & adhuc adimplet. Quod aũt sequitur. Recogitabo tibi oẽs annos meos in amaritudine animæ meæ, alij aliter interpretantur, ꝓpter ambiguitatem huius uerbi אדרדה. Ego existimo deducẽdum potius a נדד, quod præter alia, significat etiã consolari aut consolationẽ accipere, q̃ a uerbo נדר, ut sit sentẽtia. Cum Dñs restituerit mihi pristinam sanitatem, confirmata etiam fide mea insigni miraculo, & adiecerit uitæ meæ adhuc quindecim annos, compensat mihi cumulata consolatione amaritudinem & afflictionem, quam sustinui. Oẽs hi anni, qui adiecti sunt uitꝫ meꝫ, erũt mihi iucundissimo solatio ꝓ illa animꝫ meꝫ amaritudine, quam incusserunt mihi dolores mortis & horrores inferni. Et quod sequitur: Dñe si sic uiuitur, & in talibus uita spũs mei, interpretes uarie exponunt. Ac dictionũ quidẽ significationes etiã mediocriter hebraice erudito satis

notæ ſunt, ipſa aũt phraſis compoſitionis non eſt cuiuis, præſertim in aliena lĩgua educato, cognita. Diuinabimus igitur nos, ac ſequemur aliqua ex parte interpretationem pręceptoris noſtri D. Martini Lutheri. Cecinit iam Ezechias de annis ad uitam ſuam adiectis. De his igitur pergit loqui, Dñe, inqens, iuxta hos, uidelicet annos, uiuificabuntur, hoc eſt, erunt dies uitæ meę, & iuxta omnia, quæ inter hæc acta ſunt, eſt uita ſpiritus mei. hoc eſt, Promiſsi ſunt mihi quindecim anni, uerbo Dñi. Credo igitur certo fore, ut tamdiu duratura ſit uita mea, adeoq; omnia alia, quæ in hoc negocio confecta ſunt, uidelicet, Miraculum, & alia Dei beneficia, uere refocillant animam meam, & recreant ſpiritum meum. Antea ſpiritus meus totus pene defecerat, nunc aũt reſtitutus eſt mihi, per omnia ea beneficia, quæ Deus mihi in hoc negocio præſtitit. Et addit: Corripies me, & uiuificabis me, q̃d ita transferendum erat, Feciſti me ſomniare, & uiuificaſti me, hoc eſt, Etſi iecciſti mihi grauiſsimum ſomnium, uidelicet, q̃ exiſtimauerim mihi eſſe moriendũ, ac propemodũ perpetuo intereundum, tñ iterę me uiuificaſti & recreaſti. Ecce eñ amariſsima mea amaritudo mutata eſt in pacẽ, in iucũditatem, & in ſalutẽ, ac placuit tibi, ut erueres me a uetuſta ſeu putrida fouea, ſeu a ſepulcro, ne hoc tẽpore morerer ac in ſepulcro cõputreſcerẽ. Sed hæc de textu ſatis. Audiamus nunc quæ nobis obſeruanda proponantur. Dixit mihi, (inquit Ezechias) & etiam fecit. Quibus uerbis prædicat & cõmendat ueritatẽ & certitudinem diuinarũ promiſsionum. Nam hoc epitheton Dei, VERAX, in tota ſcriptura celebratur, ut excitetur fides noſtra, & cõfirmemur animo in oĩbus aduerſis. Neq; uerbis tm̃ recitatur, uerumetiam rebus, ſignis et miraculis confirmatur. Promiſſa eſt diuinitus poſteritati Abrahę terra Canaan, & data eſt. Promiſſa eſt Iſraelitis liberatio ex Ægypto, & contigit eis. Promiſſum eſt regnũ Dauidi per Samuelem, & Dauid, quãuis exul, factus eſt rex. Sed huiuſcemodi exempla plura ſunt, q̃ quę enumerari queãt. Hęc aũt & id genus alia exẽpla, non eo reſpiciũt, ut ſentiamus, nobis & eadem corporalia eſſe promiſſa, & eadem, eodemq; modo expectãda, abſq; certo & ſingulari uerbo Dei, ſed eo maxime oĩm reſpiciũt, ut cõfirment ueritatem promiſsionis Dei Patris de Chriſto filio ſuo, & certitudinẽ perpetuæ ſalutis oĩm credẽtium in eũ. Vna. n. & ſola ea, pmiſsio, quę dicta eſt de Chriſto filio Dei, affert nobis ueram & perpetuã ſalutem. Reliquę oẽs, de corporalibus beneficijs, & ſi ſunt inſignia teſtimonia clemẽtiæ diuinę, tñ per ſe nõ uere ſeruãt hoĩes. Vide mihi liberationẽ ex Ægypto. Ea fuit quidem magnũ beneficium Dei, ſed multi liberati ex Ægypto ut non placuerunt Deo, ita perierũt in deſerto, imo perierũt ſempiterno interitu, quia promiſsionẽ de filio Dei aut non agnoſcere uoluerunt,

luerũt, aut agnitã reiecerunt. Itaq; hęc promissio de filio Dei præcipua oĩm est, ac oẽs alię ꝓmissiones de corporalibus bñficijs, & admirãdę earꝝ impletiões sunt sigilla ueritatis & certitudinis istius de filio promissionis, ac perpetuę salutis, q̃ per eã credentibus contingit. Itaq; ꝓmissio & Euãgelion de Christo filio Dei, sunt uelut literę Originales, quas ita uocãt: Liberatio aũt ex Ægypto, Victoriæ Israelitarꝝ ab hostibus reportatę, liberatio Ezechię ex morbo, & reliqua miracula, quibus ꝓmissiones de rebus corporalibus impletę scribũtur, sunt uelut sigilla, quibus ueritas literarꝝ originaliũ cõfirmatur. Deinde Miracula & sanatiões corporales, quas Christus in Euangelio exhibuit, & se eas conferre fidei professus est, sunt testimonia, ꝙ salus in Christo promissa, per solã fidem accipiatur. Vnde & toties dicitur: Fides tua te saluum fecit. Et: Fiat tibi, secundũ fidem tuam. Postremo, Salus Euangelij de Christo, quæ fide accipitur, ea retinetur & conseruatur obedientia ex fide. De peccato, inquit Paulus, condemnauit peccatum per carnẽ, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem uersamur, sed secũdum spiritum. Nam si secundum carnem uixeritis, moriemini &c.

Est & hoc obseruabile, ꝙ Ezechias dicit Deũ cõpensare sibi amaritudinẽ aĩę suę, per annos quos adiecit uitę suę, & per reliqua bñficia, quę in ipsum cõtulit. Nam Ezechias cõmendat suo exẽplo liberalitatẽ Dei. Etem̃ Deus tam liberalis est in perficiẽdis uotis & cõpensandis dolorib. pioꝝ, ut primũ quidẽ eumulate faciat ultra oĩa quę petimus et cogitamus, quẽadmodum testatur Paulus Ephe. iij. deinde aũt cõpenset breuẽ carnis afflictionẽ æterna fœlicitate. Ro. viij. Nõ reputo pares esse afflictiones pręsentis tẽporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Et ij. Cor. iiij. Momentanea leuitas afflictionis nostrę mire supra modũ, æternũ pondus glorię parit nobis &c. Quare in aduersis non est insaniendũ, sed bene confidendũ, et expectandus Dñs. Iuxta illud: In silentio et spe erit fortitudo uestra &c. Iam nec hoc oscitanter prętereundum est, ꝙ Ezechias dolorem mortis & horrorẽ inferni, q̃s passus est, uocet Sõnium. Fecisti, inquit, me somniare, seu iniecisti in me graue somniũ, sed iterꝝ me uiuificasti. Memorabile epithetõ afflictionũ, q̃ pijs accidũt. Nã quẽadmodũ supra ca. xxix. fœlicitas impioꝝ, uocatur Somnium, Sicut somniat (inqt Esaias) esuriens, & comedit, cum aũt fuerit expergefactus, uacua est aĩa eius, sic erit multitudo oĩm gentiũ &c. ita & Ezechias hoc loco infœlicitatẽ pioꝝ uocat somniũ. Impij. n. & si aliquãdiu fœlices sunt, tñ imminet & irruit tandẽ in ipsos perpetua infœlicitas. Pij uero, & si aliquandiu sunt infœlices, tñ hæc infœlicitas non est nisi graue somnium, e quo liberaberis, mox cum excitatus fueris. Vnde ergo fit, ꝙ pioꝝ infœlicitas non sit res uera, sed tm̃

somnium? Non certe aliunde, q̄ ex resurrectione Dñi nostri Iesu Christi. Postq̄. n. hic resurrexit a mortuis, non tm̄ declarauit suam passionem, & mortem fuisse ueluti graue somnium, uerumetiam testificatus est omnium credentium in ipsum afflictiones esse mera somnia, quia Deus una cum ipso excitauit omnes credentes in ipsum, sicut Paulus scribit Eph. ij. & Colo. ij.

QVONIAM PROIECISTI POST TERGVM TVVM OMNIA PECCATA MEA &c.

Exposuit Ezechias & mœrorem seu dolorem suum, & liberatio nē ex mœrore. Nunc addit causas cur deus ipsum liberauerit, & restituerit sanitati. Quid. n. dicemus? Nū quia Ezechias, audito mortis nuncio, dixit se ambulasse coram Deo in ueritate & corde perfecto, sentiendum est, Deum in hac liberatione respexisse merita Ezechiæ, & contulisse in ipsum longiorē uitam propter iusticiam eius? Nihil certe minus. Cōmemorat quidē Ezechias se perfecto corde ambulasse corā Deo, hoc est, in administratione regni sui, & in instauratione ueræ doctrinę, ac piorum sacrorum religionis, nihil sibi conscium esse, sed necesse habuit & ipse addere, quod Paulus addit: Veruntamen, inquiens, in hoc nō sum iustificatus. Itaq̄ confitetur nunc ingenue peccata sua, & dat publice gloriā Deo, q̄ uidelicet ex hac afflictione liberatus sit, non merito suæ iusticiæ, sed tm̄ clementia Dei ignoscentis misericorditer peccatis suis. Proiecisti, inquit, post tergum tuum omnia peccata mea. Fui in maximo periculo, et siquidem tu, o Dñe Deus, uoluisses tibi peccata mea ob oculos ponere, iustissimas habuisses causas nō solum me occidendi, uerumetiam in perpetuum interitum conijciendi. Sed maluisti peccata mea post tergum tuum reijcere, ut non secundum ea de me iudicares, q̄ ut statueres ea tibi ante faciem tuā, & ea respiceres, ac mihi imputares. Locus hic diligētissime obseruādus est, ut discamus, quomodo in periculis comprehensi, Deum inuocare debeamus. Deus enim non est inuocandus fiducia nostræ iusticiæ, aut nostræ causæ iustæ, quam agendam suscepimus. Omnino quidem danda est opera, ut ambulemus in iusticia, & non nisi iusta faciamus, non est autē iusticia istarę actionum, aut propositorę fidendum & precandum, sed Deus inuocandus est, tm̄ fiducia ipsius misericordiæ & clementiæ per unigenitum suum filium seruatorem nostrum. Dicendum est, uel in instituto honesti & pij negocij, uel in periculis, quę pia & recta agēti accidūt: Ego quidē in hoc proposito, aut in hoc negocio nihil mihi cōscius sum. Delicta aūt quis intelligit? Et, Nō iustificatur in cōspectu tuo oīs uiuēs: ut nihil interim dicā de ijs pctis, quæ alias multa & magna me designasse agnosco. Quare, si Deus uoluerit ea sibi ante faciē suā ponere, & secundū ea de me iudicare, plane

mihi

mihi percundū esset. Sed spero & peto per Iesum Christum Dñm nostrum, ut proijciat ea post tergum suum, ne uideat, & ne mihi ea imputet, sed respiciat potius misericordiā suam, propter dilectū suum filium pro me intercedētem, ut clementia sua in me illustretur. Sic orat Asaph Psal. lxxviij. Ne memineris iniquitatum nostrarꝝ antiquarꝝ, cito anticipēt nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriā nois tui libera nos, & propicius esto peccatis nostris propter nomē tuum. Et Psal. cxxix. Si iniquitates obseruaueris Dñe, Dñe quis sustinebit? Quia apud te propiciatio est &c. Nam hæc est nostra fœlicitas & beatitudo, si Deus proiecerit post tergū suum pcta nostra, hoc est, si Deus non respiciat pcta, & non imputet ea nobis, sed clementer condonet. Sicut Psal. dicit: Beati, quorꝝ remissę sunt iniquitates & quorꝝ tecta sunt pcta. Remittuntur aūt peccata, & condonātur, ut nō amplius imputentur, ijs tm̄, qui credunt in filium Dei, cp ipse solus sit ppiciatio nostra. Quare Deus inuocandus est sola fiducia filij sui, non fiducia nostræ iusticiæ.

Deinde, postq̄ Ezechias cōmemorauit se nō causa suij ipsius meriti, sed diuina tm̄ clemētia & misericordia ereptum esse e faucibus mortis ac inferni, cōmemorat nunc, in quem usum, et ad quē finem tam clemēter a Deo sit liberatus, uidelicet, nō ut traducat deinceps uitam in delicijs corporalibus, & studeat tm̄ neglecta regni administratione, uenatiōibus, sed ut oībus diebus uitę suæ cantet psalmos Dñi, hoc est, ut illustret gloriā nois Dei, tā predicatione, q̄ conseruatiōe ueri cultus Dei, q̄ hoīes discāt Deū uere agnoscere, et iuocare. Nō infernus, inqt, confitebitur tibi, nec mors laudabit te, nō expectabūt etc. Sentētia horꝝ uersiculorꝝ sępe ī Psalmis recēsetur. Psal. vi. Saluū me fac ppter misericordiā tuā, qm̄ nō est in morte, q̄ memor sit tui, in inferno aūt q̄s cōfitebitur tibi. Et Psal. lxxxvij. Nūqd inter mortuos facies mirabilia, aut defuncti surgēt, & gratias agent tibi? Nunqd narrabit aliq̄s in sepulcro misericordiā tuā, & ueritatē tuā in perditione &c. Et Psal. cxiij. Nō mortui laudabūt te Dñe, neq̄ oēs qui descendunt in infernū. Sed nos q̄ uiuimus, bñdicimus Dño ex hoc nunc usq̄ in seculū. Initio aūt, nomen inferni in his locis nō est proprie intelligendum de æternę damnationis supplicio, sed simpliciter de interitu hoīm, siue pīorꝝ siue impiorꝝ, ex hac corporali uita. Sicut & Iacob utitur hoc noīe, cū amisso Iosepho dicit: Descendā ad filiū meū lugens in infernū. Vbi certe Iacob nō intelligit se perpetuo cū filio damnandum, sed simpliciter significat hoc uocabulo se traducturꝝ hanc uitā, & excessurꝝ ex ea in sepulcrū, cū summo mœrore, cp dilectū suū filiū amisisset. Sic et Christus, etsi in hac uita pertulit dolores inferni, tm̄ dicitur & per mortē descendisse

ad infernum,non q̄ tunc post mortē ullos dolores sustinuerit: Ho die enim,inquit,eris mecum in Paradiso,sed q̄ descenderit,ut Pau lus ait,in infimas partes terræ, hoc est, sepultus sit in terram,ut ui deretur aduersarijs suis prorsus interijsse. Deinde, necꝫ Ezechias, necꝫ Dauid negant his uerbis spiritus seu animas hominum post hāc corporalem uitam habere suas spirituales actiones,alioqui cur diceretur alias: Omnis spiritus laudet Dominum? Et: Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino. Sed significant mortuos, se pultos,& in inferno existentes,hoc est,in sepulcra conditos, & ter ra obrutos,non habere amplius actiones corporales in Ecclesia hu ius terræ,nec posse prædicare inter homines adhuc uiuentes, cle mentiam & bonitatem Dei,quemadmodum hi,qui aliquoties e pe riculis liberati,& nondum mortui sunt,prædicant. Itaqꝫ hic est sen sus horum uersiculorꝫ Ezechię. Quod me,clementissime Dñe De us,a morte mirabiliter liberasti, & sanitati restituisti,idcirco factū est,ut ego deinceps gloriam clementiæ tuæ inter homines prædica rem,& famam bonitatis ac misericordiæ tuæ ad posteros propaga rem. Quid enim profuisset tibi, si ego nūc hoc morbo interijssem? Quid item prodesset tibi,si omnes homines indiscriminatim morti traderes, ac nullos mirabiliter seruares, & ex morbis incolumitati restitueres? Nam ea est rerꝫ conditio, ut &si seruas pios etiā in me dia morte,& collocas eos in hæreditate cœlestis ac æterni regni, tñ nullus eorum,qui moriuntur, & obruuntur terra,redeat ad homi nes adhuc corporalē uitam agentes, & prędicet eis tuam clementiā, ac ueritatem tuarꝫ promissionum. Quod ad corpus illorꝫ attinet, quiescunt in terra. Quod ad animam,habent suas actiones coram Deo. Coram hominibus aūt in terra adhuc uiuentibus,& inter ho mines huius corporalis uitę,nullas habent amplius actiones. Non cantant psalmos,non concionantur in Ecclesia, non prædicant no men Domini, ut auditores concipiāt fidem & confirmati in fide,ex pectent impletionem diuinarꝫ promissionum & propagent glori am nominis Dei ad posteros. Sed hæc omnia sunt uiuentiū in hac terra officia. Viuens,uiuens,inquit,non mortuus,confitebitur,seu laudabit te,sicut & ego nunc facio,hoc psalmo,quod certe non po tuissem facere,si non fuissem tam mirabiliter e faucibus mortis ere ptus. Et sicut ego facio,ita & meo exemplo excitabūtur alij,ut ueri tatem promissionum tuarꝫ adnunciēt filijs suis,ac propagent famā clementiæ tuæ ad posteros. Quare ad gloriā nominis tui pertinet, ut non sinas omnes hoīes statim,ut morbis corripiuntur,& pericu lis obijciuntur,mori ac interire,sed ut aliquos mirabiliter serues in hac uita, & e periculis liberes, quo inter homines clementia tua, prędicatione ipsorum cognoscatur,et gloria nominis tui per ipsos

illustretur

illustretur atq; ad posteros propagetur, ideoq; etiam ob hanc causam seruasti me in hoc extremo uitę meę periculo, ut cantemus Psalmos nostros cunctis diebus uitæ nostræ in domo Domini, hoc est, ut toto uitę meę tempore clementiam ac bonitatem tuam celebrem, & alios ad fidem & ueram nominis tui inuocationem excitem. Notabis igitur initio, quod cum Deus seruat afflictum mirabiliter & potenter, ne morte extinguatur, sed diutius in terra uiuat, seruet eū in hunc usum, non ut genio indulgeat, & corporalibus delicijs fruatur, sed ut adnunciet nomen Domini, ut prędicet clementiam Dei, ut commendet suo exemplo gloriam ueritatis diuinarum promissionum, quo non solum præsentes, sed etiam posteri excitentur ad agnitionem Dei & fidem, atq; inuocent Deum in omnibus aduersis, eiq; obediant. Sic Dauid utitur sua liberatione Psal. xxxiij. Magnificate, inqens, Dñm mecū, & exaltemus nomē eius in id ipsum. Exquisiui Dñm & exaudiuit me, & ex omnib. tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum & illuminamini, & facies uestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, et de omnibus tribulationibus eius saluauit eum &c. Et Psal. lxx. Deus docuisti me a iuuentute mea & usq; nunc. Pronunciabo mirabilia tua. Et usq; in senectam et senium Deus ne derelinquas me. Donec adnunciem brachium tuum generationi omni quæ uentura est &c. Et Paulus ij. Cor. i. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est Pater misericordiarum & Deus omnis cōsolationis, cōsolans nos in omni afflictione nostra, in hoc, ut possimus cōsolari eos, qui sunt in quauis afflictione per consolationem qua nos ipsos consolatur Deus &c. Et mox: Supra modum grauati sumus supra uires, adeo ut desperauimus etiā de uita, quin ipsi in nobis ipsis sentētiam mortis acceperamus, ne confideremus in nobis ipsis, sed in Deo, qui ad uitam suscitat mortuos, qui ex tanta morte eripuit nos & eripit, in quo spem fixā habemus, q; iam & posthac erepturus sit, simul adiuuantibus & uobis per deprecationem pro nobis, ut ex multis personis, p dono in nos collato, per multos gratię agātur pro nobis &c. Deinde admonet etiā Ezechias in his uersiculis patresfamilias sui officij, dum ait: Pater filijs notam faciet ueritatem tuam. Cōiugium enim diuinitus institutum est, non in hūc præcipue usum, ut coniuges carnali uoluptate fruantur, sed ut educent liberos in cognitione Dei, ac uerbi eius, & propagent gloriam nominis Dei ad filios filiorum suorum. Cum dixerint, inquit scriptura, uobis filij uestri: Quę est ista religio? dicetis eis: Victima trā situs Domini est, quādo transiuit super domos filiorum Israel &c. hoc est, Officium uestrum est, ut doctrinam ueræ religionis propagetis ad posteros uestros. Et Deut. vi. Narrabis ea filijs tuis &c.

ET IVSSIT ESAIAS VT TOLLERENT MASSAM FICVVM &c.

Hoc sic transferendum fuisset. Et iusserat (uidelicet priusquam Ezechias consecutus esset sanitatem, et composuisset hunc Psalmũ) Esaias, ut acciperent massam &c. Et mox: Dixerat Ezechias, quam admirandum quod ascensurus sum in domum Domini? Sentiunt enim hæc ad finem huius capitis adscripta esse per ὕστερον πρότερον, cum debuissent recitari statim post promissam, nondum aũt consecutam sanitatẽ. Porro alij sentiunt hoc emplastrum ex ficubus seu carycis confectum prorsus ex diametro pugnasse cum morbo seu ulcere Ezechiæ, Esaiam autem iussisse hoc ulceri imponere, quo illustrius fiat miraculum Dei, sicut & Elizæus sanauit aquas steriles, & effecit eas fœcundas, iniecto sale, re uidelicet cum fœcunditate pugnãte. Sed quia ignotum nobis est, quale genus morbi Ezechię fuerit, & scriptura nõ tradit hoc emplastrum natura cum morbo Ezechiæ pugnasse, idcirco sentiamus hoc loco commendari usum medicinæ. Etsi enim Deus promiserat sanitatem, & confirmauerat fidem nouo miraculo, ita & Ezechias ipse ad tam insigne miraculum quo dammodo obstupesceret, tamẽ admouetur ulceri emplastrum medicum, ut ostendatur Deum non esse tentandum, sed obedienter utendum esse rebus ac medijs propositis & diuinitus ordinatis, ut simus cooperarij Dei. Habes & in hoc exemplo, quo ordine utendum est medicina, út sit salutaris, Ezechias non admouet primum omnium, emplastrum ulceri suo, sed properat primum ad pharmacopolion cœleste, per precationem, & postquam impetrata est ibi sanitas, per fidem ex diuina promissione ac miraculo suscepta, tum demum usus emplastri ex terreno pharmacopolio accepti, salutaris est. Quare, si quis ordinaria medicina recte, & salubriter in morbis uti uoluerit, necesse habebit primum omnium fide & precibus adire cœlestem medicum, quo propicio, usus medicinæ corporalis ita benedicetur, ut & si non consequeris sanitatem corporis, tamen consequeris, quod est longe omnium maximum, sanitatem animæ, adeoq; beatitudinem æternam.

CAPVT XXXIX.

IN ILLO TEMPORE MISIT MERODACH, &c.

Descriptum est supra, quàm pie gesserit sese Ezechias in rebus aduersis. Nunc describitur, quam praue sese gesserit in rebus prosperis. Continet autem hoc caput, quatuor præcipue locos. Primus est de legatione Babylonica ad Ezechiam. Secundus, de ostentatione Eze-

ne Ezechiæ, erga Babylonicos legatos. Tertius, de uaticinio Esaiæ, quo prædicitur uentura uastatio urbis Hierusalem a Babyloniis. Quartus, de resipiscentia Ezechiæ. Initio igitur mittit rex Babylonius legatos cum literis & muneribus ad Ezechiam, ut congratularetur ei de recuperata sanitate, & cognosceret aliquid certius de miraculo retrogradæ umbræ in horologio Ahaz, quod miraculũ iam fama ubiq; terrarum uulgauerat. Sic enim scriptum est ij. Paralipo. xxxij. In legatione Principum Babylonis, qui missi fuerãt ad eum, ut interrogarent de portento quod acciderat super terram &c. Hic agnoscenda est magnitudo clementiæ Dei erga Ezechiã. Deus eñ non solum belligeratur pro eo per angelum aduersus regem Assyriorum, nec tantum seruat eum incolumem in extremo uitæ periculo, & restituit eum sanitati, uerumetiam facit eum uenerabilem apud exteros reges, ac præsertim apud Babylonium, qui eo tempore incipiebat caput suũ super Assyrios attollere, & ad Monarchiã aspirare. Quibus ergo meritis suis consecutus est Ezechias tanta dona Dei? Nullis certe suis meritis, sed tantum ex mera & gratuita Dei clementia. Nam Ezechias antea in carmine suo, ingenue confessus est peccata sua: Proiecisti, inquiẽs, post tergum tuum omnia peccata mea. Et mox palam declarabitur cordis eius peruersitas. In quem autem usum, & in quem finem contulit Deus in eum tãta dona? In hunc uidelicet finem, ut gloria nominis Dei per Ezechiam illustraretur, & clementia diuina toti orbi per eum commendaretur. Nam hic est proprius usus donorũ Dei, siue corporalium siue spiritualium, ut per ea agnoscatur clementia Dei, & propagetur gloria nominis eius, quo & fides nostra confirmetur, & ad inuocationem atq; gratiarumactionẽ excitemur. Quod igitur ad Ezechiam attinet, quæ beneficia consecutus est a Deo in rebus aduersis, ea cõtulit antea diligenter ad illustrationem nominis Dei. Postquam enim liberatus est mirabiliter hoste Assyrio, & letali morbo, declarauit gratitudinem suam publico carmine, & consecrauit memoriam diuinæ clementiæ sibi exhibitæ pio psalmo. Quæ autem beneficia contingunt ei nunc in rebus prosperis, ea magis in sui, q; Dei nominis gloriam transfert. Cum enim legati Babylonij aduenissent: Lætatus est, inquit scriptura, super eis Ezechias, & ostendit eis uniuersa quæ inuenta sunt in thesauris suis. Non fuit ulla res, quam non ostenderet eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua. Hæc lætitia, & ostensio non sunt sic intelligenda, quod processerint ex simplicitate cordis, & honesta morum ciuilitate, sed ex animi ambitione, & arrogantia, qua Ezechias suo potius, quam diuino nomini famam & gloriam quærebat. In secundo enim libro Paralipo. cap. trigesimosecundo sic dicitur: Non iuxta beneficia,

quæ acceperat Ezechias, retribuit, quia ELEVATVM est cor eius. Et mox: In legatione Principum Babylonis dereliquerat eum Dominus ut tentaretur, & nota fierent omnia, quę erant in corde eius. Debuisset enim Ezechias Legatis Babylonijs diligentissime exponere uictoriam seu liberationem ab hostibus Assyrijs, & sanitatem e periculosissimo morbo contigisse sibi tantum beneficio & clementia Domini Dei Israelis. Nec esse alium Deum, qui credentes in ipsum & inuocantes ipsum ex fide tam clementer in omnibus aduersis seruet. Quare debeant Legati, et ipsi hunc uerum Deũ agnoscere, et suos Babylonios hortari, ut abiectis idolis, hunc solum Deum agnoscant, colant, & inuocent. Sed Ezechias neglecta & contempta hac concione occupatur magis in ostentandis thesauris suis, & propaganda fama sua ad Babylonios, quam in illustranda gloria ueri Dei, & propaganda uera cognitione Dei ad exteras nationes. Quare hac lætitia & ostentatione grauius peccat, q̃ extrinsecus re ipsa appareat. Non peccat quidem extrinsecus aduersus secundam tabulam homicidio, adulterio, aut alio id genus scelere, sed peccat aduersus primam tabulam, contemptu nominis Dei, & uiolatione gloriæ Dei. Quod genus peccati corã Deo grauissimum est. Quale est etiam peccatum Adæ, & Saulis, cum illeue sceretur prohibito pomo, hic sacrificaret, non expectato Samuele. Sed quid est, quod Deus, sicut antea seruauit Ezechiam in fidei & inuocationis obedientia, cum Assyrius in regnum eius incurreret, & cum morbo affligeretur, ita nunc non seruet eum in obedientia modestiæ, & confessionis gloriæ Dei? Causam huius rei scriptura perspicue tradit, cum ait: Dereliquit eum Dñs, ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. hoc est, Deus non deseruit Ezechiam, ut perderet ipsum, sed ut Ezechias relictus suis uiribus, sibi ipsi manifestus fieret, & agnosceret, ac reipsa in se experiretur, quanta esset malicia humani cordis, si Deus non gubernaret illud spiritu sancto suo, ideoq; excitaretur ad maiorem agnitionem clementiæ Dei antea exhibitæ, & ad obedientiorẽ gratiarum actionem. Solenne enim Deo est, postquam sanctis suis multa beneficia contulit, quibus caro eorum incipit paulatim insolescere, ut abstrahat ab eis manum suam, & sinat ipsos pro naturali sua ratione, & prudentia ferri. Quod cum fit, continuo solent ruere in grauissima peccata. Ad quod Deus conniuet, non ut pereant, sed ut his casibus ad ueram suæ impietatis agnitionem perueniant, & ad clementiam Dei cupidius aspirent. Sic ruit Iob, post multam patientiam, in blasphemias. Sic Dauid, in adulterium & homicidium. Sic Petrus in abnegationem. Eodem consilio permisit Deus Paulum angelo Satanæ, uidelicet, ut contineret eum in sui ipsius agnitione,

& ut ipse dicit, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Discamus igitur exemplo Ezechiæ, primum q̃p difficile sit, etiam pio, in prospero rerum successu uerum pietatis officium sectari. Ezechias constitit in aduersis, in prosperis autẽ ruit. Sic & Dauid. Quare, cũ semper, tum maxime omnium in prosperis inuocandus est Dominus, ut nos spiritu sancto suo regat, & in officio pietatis contineat. Deinde admonemur exemplo Ezechiæ, quanta sit malicia humani cordis, suis uiribus relicti, & gratia Dei destituti. Meminerimus, quid sibi uelit illud uulgatum dictum: Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est. Semper igitur cum Dauide orandum est: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis mũda me. Et: Ne proijcias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Tertio loco sequitur uaticinium Esaię, de Hierusalem per Babylonios uastanda. Ecce, inquit, dies uenient, & auferẽtur omnia quę in domo tua sunt, & quæ thesaurisauerunt patres tui &c. Quæ uaticinatur Esaias uentura erant post centũ annos, & impleta sunt sub Iechonia & Zidekia. Cũ hoc uaticinio consentiebãt etiam Amos, Micheas, & alij Prophetæ σύγχρονοι Esaię. Quare ab eo tempore publica fuit fama per regnum Iuda, quod quemadmodum Samaria uastata est per Assyrios, ita etiam Hierusalem uastanda sit per Babylonios. Præcipua causa huius uastationis erat Idolatria & contemptus uerbi Dei: Subsannabant, inquit scriptura, nuncios Dei, & paruipendebant sermones eius, illudebãtq̃ Prophetis. Sed hoc loco Esaias etiam aliam causam commemorat, uidelicet, q̃p Deus puniat direptione hostili ostẽtationem diuitiarum, thesaurorum, & magnificentiæ humanæ. Obserua igitur Deum grauissime punire superbiam & ostẽtationem elatorum hominum. Alius aliud ostẽtat, hic diuitias, ille precios as uestes, hic gemmas, ille magnificas ædes. Memineris igitur, q̃p cum aliquid tuarum rerum superbe ostẽtaueris, statim iudiciũ Dei ferri, ut illud diripiatur, & alienis uel hostibus, uel ingratis tradatur. Quare, dona, quæ a Deo contigerunt, non sunt uane ostentanda, sed sunt pie utenda, in gloriam Dei, & proximi utilitatem.

ostẽtationis supplicium.

Postremo describitur resipiscentia Ezechiæ. Admonitus enim a Propheta de peccato ostentationis, & de futura calamitate, nõ inuehitur contumeliose in prophetam, sed agnoscit peccatum suum, & tribuit Deo gloriam. Bonum (inquiens) uerbum Domini, quod locutus est. Fiat tantum pax & ueritas in diebus meis. hoc est, Agnosco me grauiter peccasse. Quare iudiciũ Dñi quod aduersus me & posteros meos tulit, bonum, rectum, & iustum est. Deus est uerax, Ego mendax. Deus est iustus, ego iniustus, & longe maiora supplicia, q̃ quę nũc minitaris, meritus. Etsi aũt cupio, quoquo modo fieri

potest,irã Dei ita mitigare,ut etiã posteris parcat,tñ cum id fieri nẽ queat,ago Deo maxĩas gratias, ꝙ cum ꝓmiserit mihi se defensurꝫ me & urbẽ Hierusalẽ,q̃ ad ego uixero,seruet mihi constanter hanc promissionẽ,& largiatur nobis publicã pacẽ et trãquillitatẽ,oĩbus meꝫ uitꝫ diebus. Exẽplum pœnitẽtiꝫ, qua fit,ut etsi nõ tollitur tota pœna corporalis propter pc̃tm̃ infligenda, in hoc seculo,mitigatur tñ,& redditur in prꝫsentia tolerabilis. Nam q̃d ad Deũ attinet, uera quidẽ pœnitẽtia ita placatur,ut & remittat pc̃tã,& recipiat pœnitentẽ in hꝫredẽ ꝫternꝫ fœlicitatis, solet tñ aliquoties pœnã sed tolerabilẽ in hoc seculo etiã post pœnitentiã infligere,uel exẽpli causa, ut in Dauide,uel ad agnoscendum ꝓccatum, ut in Adamo,& toto humano genere,uel etiam alĩs de causis, nonnunquam quidem occultis,nunc̃ꝫ tamen iniustis. Quare ut uera pœnitentia nunquam est uana,ita pœnæ corporales post pœnitentiam uel immissꝫ uel relictæ non sunt pœnitenti incommodo,sed lucro etc.

CAPVT XL.

CONSOLAMINI, CONSOLAMINI POPVLVM MEVM DICIT DEVS VESTER &c.

Sequitur quasi nouus liber Esaiæ. Ab hoc.n.capite usq̃ꝫ ad finẽ libri,capita carent titulis,ut uix discernere queas,nũ una sit oratio, ab Esaia ad hunc modum cõtinuis diebus aut annis, literis mãdata, an sint diuersꝫ cõciones, diuersis tẽporibus habitꝫ. Nã res ipsa declarat,singula capita nõ esse singulas distinctas conciones. Sed utcunq̃ꝫ se illa habeãt,certe perspicuum est hanc partẽ Esaiæ,maxima autoritate a Christo ipso,& Apostolis eius confirmatã esse,& manifestissimas cõtinere de Christo & regno seu Ecclesia eius conciones,quẽadmodum postea oñdetur. Quare,cum hæc legimus,non existimemus nos uersari in obsoleto aliq̃ scripto,quod tractet de rebus,nescio quibus,antiquissimis,& ad nos plane nihil pertinentibus, sed sentiamus nos uersari in ipsissimo Euãgelio Christi,in eo uidelicet scripto,quod nobis uerã cognitionẽ filĩ Dei oñdit,& est potẽtia Dei ad salutẽ omni credenti. Primum aũt oĩm uideamus occasionẽ,qua Propheta uidetur initio ad habendã hãc concionẽ excitatus esse. In superiori capite,prædixit Esaias fore,ut Babylonĩ dominentur urbi Hierusalẽ,& diripiãt eam. Ecce, inquiens,dies uenient,& auferentur oĩa quꝫ in domo tua sunt,& quæ thesaurisauerũt patres tui usq̃ꝫ ad diẽ hanc,in Babylonẽ. Non relinquent quicq̃ dicit Dñs &c. Cum hoc uaticinio consentiebant etiam reliqui Prophetꝫ, σύγχρονοι Esaiꝫ, uidelicet Hoseas, Amos, Michæas, et alĩ, qui oẽs uno orꝫ cõcionabantur, instare tẽpus, quo Hierusalẽ esset a Babylonĩs

bylonijs uastãda, & populus in captiuitatẽ abducendus. Etsi aũt im pij florentibus rebus regni Iuda, magno risu, & ut scriptura loquitur, subsannatione has conciones exceperunt, tñ fieri non potuit, quin uere pijs harũ concionum auditores mirũ in modum cohorruerint. Cogitabant. n. secum, atq; etiam querulis sermonibus usurpabant, Quid? Deuastabitur ne Hierusalem? Abducetur ne populus captiuus in Babylonẽ, & dispergetur ubiq; in Babylonicã monarchiam? Queso igitur te, quid salui reliquum erit tam in politea, q̃ in uera religione nostra? Habemus nunc regnũ diuinitus institutũ, & optimis legibus excultum. Habemus legem diuinitus latam, & multis miraculis confirmatã. Habemus terram fertilẽ, lacte & melle fluentẽ, multis & magnis urbibus ornatam. Hæc omnia nõ tã nobis deserenda, q̃ ab hostibus demolienda erunt, si uastata metropoli, incolæ aut trucidentur aut captiui abducãtur. Tolerabilis aũt esset externarũ istarũ rerũ iactura. Sed hoc demum grauissimum est, q̃ hac uastatione & captiuitate periclitabitur ueritas ꝓmissionũ Dei, conculcabitur gloria Dei, euacuabitur uera religio Dei, ac plane actum erit de uera et perpetua nostra salute. Promissum. n. est nobis diuinitus, q̃ Deus daturus sit ex Abrahamo semen, quo benedicẽdæ sint oẽs gentes. Promissum est, q̃ Deus conseruaturus sit sceptrũ seu regnũ in Iuda, donec uenerit Silo, seu saluator Messias. Si aũt Hierusalem deuastabitur, & populus in gentes dispergetur, an non promissiones Dei iudicabuntur mendaces? Quomodo. n. conseruatur regnum, quod deuastatur? quõ manebit certitudo familiæ eius populi, qui in tot uarias nationes, per uniuersum orbem terræ dispergitur, & in seruitutẽ cõijcitur? Et quid dicemus de offendiculis Idolatriæ? Monarchia. n. Babylonis non sectatur uerã religionem, sed impietatem & idolatriam. Quocunq; in ea ire perrexeris, nõ inuenies nisi impium idolorũ cultũ. Et in hoc cultu Babylonij sunt lõge oĩm fœlicissimi. Quascunq; gentes adeunt, eas sua potentia domant. Quamcunq; urbem oppugnandã suscipiunt, eam expugnãt. Quocunq; arma sua ferunt, uictoriã reportant. Quid plura? Deus uidetur manifeste a parte eorum stare, & nos deserere. Videtur ergo & religionẽ eorum probare, & nostram dãnare. Etsi aũt nos maiores natu, eruditi uerbo Dñi, possumus diuina clemẽtia huic offendiculo mederi, quid fiet de posteris nostris? Hi. n. e patria terra ejecti, legitimis sacris spoliati, & uerbo Dñi priuati, cũ uiderint impiam idolatriã Babyloniorũ tam fœlicẽ, nostram aũt religionem tam infœlicem esse, ita offendẽtur, ut a uera pietate ad impietatem prorsus deficiant. Nos longe omnium miserrimos. Vbi manebit Ecclesia Domini? ubi salus nostrorum liberorum? An non meliusfuisset, si nunc q̃ nati essemus, q̃ ut una cum posteris nostris in tantam

calamitatem & internecionem conijciamur? Hæc & id genus multa alia uenerunt in mentem pijs, cum audirent Esaiam, & collegas suos omnes uno ore uaticinari de uentura uastatione urbis Hierusalem, & de populo Dei dispergendo in Monarchiam Babylonicam. Quare spiritus sanctus excitat Esaiam, ut non solum uaticinetur de excidio Hierosolymitano, uerumetiam cohortetur Ecclesiam, ut caueat sibi ab offendiculo Idolatriæ, & concionetur de conseruatione Ecclesiæ Dei, de regno Christi instaurando, inter omnes gentes propagando, & inæternum duraturo, quo pij in tantis afflictionibus suam habeant consolationem, & uera salute conseruentur. Consolamini (inquit) consolamini populum meum dicit Deus uester. Hic Deus, qui loquitur, est filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui & si nondum erat incarnatus, (sic enim libet maioribus nostris loqui,) tamen semper fuit sollicitus pro Ecclesiæ suæ salute, & excitauit spiritu suo Prophetas, quem-
admodum Petrus ait, ut de uentura in nos gratia uaticinarentur. 1. Pet. 1.
Sed & mox Esaias ipse significabit filium Dei hic loqui, ut postea copiosius declarabitur. Alloquitur autem Prophetas, ut non tantum terreant populum suum uaticinio imminentis calamitatis, uerumetiam consolentur Euãgelio territos, ut concipiant fidem, & in calamitatibus conseruentur. Sicut enim Deus non occidit, ut perdat, sed ut uiuificet, ita etiam terret suos, nõ ut tristicia absumantur, sed ut uera lætitia afficiantur. Itaque duplex est piorum ministrorum Ecclesiæ officium. Alterum, ut terreant homines explicatione legis Dei, & indicatione suppliciorum, quæ Deus propter peccata hominibus immittere solet. Alterum, ut territos consolentur Euangelio, quo concepta fiducia, iustificentur coram Deo, & proferant ueros fructus fidei. Dicit ergo filius Dei: Vos, o Prophetæ, iubeo consolari populum meum. Video enim eos ex uaticinio Babylonicæ captiuitatis, & ex agnitione peccatorum suorum, ita territos esse, ut existiment de sua, & totius Ecclesiæ meæ salute actum esse. Audiunt urbem Hierusalem uastandam, & populum in captiuitatem abducendum propter peccata ipsorum. Quæ peccata, postquam ob oculos conscientiæ suæ ponuntur, excitant in eis non tantum mortis horrores, uerumetiam inferni dolores, & efficiunt, ut sentiant se diuina ira conijciendos in perpetuam internecionem. Quare consolamini eos, & ne existimetis hoc uerbum temere mihi excidisse, iterum dico, Consolamini eos. Nec hoc uolo, ut uerbis in aure tantum sonantibus, quasi aliud agentes, aut quasi stertentes, consolemini meum populum, & ciues Hierusalem, Sed uolo ut loquamini ad COR Hierusalẽ, hoc est, uolo ut iucundissimo Euangelio meo totum cor & animũ Ecclesiæ meæ exhilaretis,

hilaretis, quo ſumma mentis lætitia perfundatur. Et ut intelligatis me omnino hoc ſerio exigere, ut populum meum exterritum recreetis, uolo, non ut alloquamini eum ſubmiſſa uoce, & confuſo quodam murmure, quem non intelligat, aut ad ſe pertinere non putet, ſed ut acclametis ei clara & perſpicua uoce, qua intelligat hanc eſſe meam certam & firmam uoluntatem, ut abijciat mœrorem, & capiat conſolationem. Sed reſpondebunt Prophetæ. Quibus, obſecro, argumentis conſolabimur populum tuum, & excutiemus eis mœſticiam? Si poſſemus eos certiores reddere, quod metropolis eorum non eſſet uaſtanda, & ꝙ ipſi aut poſteri eorum non eſſent abducendi in captiuitatem Babylonicam, aut ꝙ nullos amplius hoſtes habituri eſſent, nonnihil fortaſsis efficeremus, in excutienda animi eorum ægritudine. Nunc autem, quod tu Domine Deus noſter ſemel decreuiſti, retractari non poteſt, & ut ſupra dicitur. Dominus Zebaoth decreuit, quis poterit infirmare? & manus eius extenta, quis auertet eam? Fieri ergo nõ poteſt, quin captiuitas Babylonica ſit euentura. Et quanq̃ non eueniet tempore Ezechiæ ac eorum, qui nunc ætatem agunt, tamen eueniet temporibus poſteritatis eorum, & interea accident his, qui nunc uiuunt, alia ab hoſtibus ſuis incommoda, quæ non minus eos affligent, quam ſi uaſtata urbe aut trucidarentur, aut captiui abducerentur. Quid ergo dicemus, ut loquamur ad cor eorum, & ut ex animo exhilarentur? Audi igitur, quid ſequatur. QVONIAM (inquit) completa eſt militia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Hæc ſunt illa argumenta, quibus excitãda eſt in populo Dei conſolatio. Non adnũciatur quidem, ꝙ poſteri non ſint abducendi in captiuitatẽ, & ꝙ urbs Hieruſalem nõ ſit a Babyloniis deuaſtanda, ſed promittuntur multo maiora beneficia, quæ ſi contingant, efficiunt, ut nulla corporalis calamitas tam grauis ſit, quæ poſsit populum Dei ſeu Eccleſiam opprimere. Recenſentur autem tria beneficia, quæ contingunt Eccleſiæ, per filiũ Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. In his autem recenſendis, utitur Propheta præterito tempore pro futuro. Completa eſt, pro complebitur. Dimiſſa eſt, pro Dimittetur. Recepit, pro Recipiet. Sicut & alias ſæpe. Ac facit hoc duabus de cauſis, una eſt, quod hac loquẽdi forma ſignificet huius promiſsionis certitudinem. Etſi enim, quod promittitur, adhuc futurũ eſt, ut impleatur, tamen tam certum eſt, quam ſi eſſet iam reipſa impletum. Altera eſt, ꝙ & ſi his tẽporibus, quibus Eſaias hęc concionatus eſt, filius Dei Ieſus Chriſtus nõdum uenerat in carnem, tñ qui tum crediderunt in uenturũ, non minus fuerunt participes beneficiorum eius, cq̃ ſi iam aduenisſet, & curſum ſuum in his terris cõpleuiſſet. Abrahã, inquit, pater

ueſter exultauit, ut uideret diem meum, uidit & gauiſus eſt. Et, Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros, quemadmodum ET ILLI. Audiamus igitur nunc beneficia per Chriſtum tunc quidem reuelanda & exhibenda, nunc autem reuelata & exhibita. Primum, Completa eſt militia eius. Militia hoc loco non intelligenda eſt de corporali militia, qualis in externo bello ſuſcipitur. Nam talis militia in hoc ſeculo nunq̃ completur, & nunq̃ finitur. Vbicũq; ſunt regna & politiæ in hoc mundo, ibi ſuis temporibus militandum eſt. Nec eſt finis harum militiarũ, niſi cum aduenerit finis huius mundi. Sed militia hoc loco intelligenda eſt pro ſpirituali militia, uidelicet pro ea, quæ populo Dei ſuſcipienda erat in lege aduerſus Satanã. Nam grauis quidem erat ea corporalis militia, quã neceſſe habebãt ciues Hieroſolymitani aliquoties, pro patria, aduerſus externos hoſtes ſuſcipere. Grauior autẽ erat ea, ad quam uictores Babylonij cogebãt ciues Hieroſolymitanos, & qua hi ad captiuitatem abducebãtur. Sed longe omnium grauiſsima erat illa, quæ in lege diuina aduerſus hoſtem Satanam exercebatur. Lex enim Dei data eſt, & impoſita hominibus, ut in ea militent bonam militiam, ut impleant eam, ut ſatisfaciant ei, quo uincant mortem & Satanam, & conſequantur æternam uitam. Cuſtodite, inquit, leges meas & iudicia, quæ faciens homo uiuet in eis. Et Chriſtus ait. Hoc fac, & uiues. Sed cum homines intuentur in legem, & conferunt ad eam uires ſuas, tunc tantum abeſt, ut queant uoluntati eius ſatisfacere, & conſequantur ex ea iuſticiam ac uitam, ut potius agnoſcant ex ea peccata ſua, & intelligant ac etiam ſentiant ſe æternæ morti obnoxios. Per legem, inquit Paulus, agnitio peccati. Et Lex occidit. Itaq; fit, ut in hac legis militia Satan aduerſarius noſter uincat nos, & reportet a nobis uictoriam. Hoc autem uictore, quid nobis miſerius, quid calamitoſius? Non enim affligimur tantum ſeruitute corporalium maledictionum, ſed etiam captiuitate æternorum ſuppliciorum, in gehenna ignis. Quare ſi politicæ militiæ, & incommoda eius ad hanc conferantur, tantum eſt inter eas diſcrimen, ut cœlum & terra magis inter ſe diſtare uideantur. Sed bono animo ſitis, optimi ciues Hieruſalem. De ueſtra ſalute non eſt conclamatum. Veniet enim tempus, quo hæc tam grauis militia cõpleatur & finiatur. Quod & tam certũ eſt, ut merito dicere poſsim, eam militiam iam completã & finitam eſſe. Etſi enim poſteri ueſtri abducentur in captiuitatem Babylonicam, & urbs Hieruſalem deuaſtabitur, tamẽ Chriſtus filius Dei, qui eſt Patriarchis promiſſus, non capietur a Babylonijs, nec delebitur ab eis. Veniet enim

enim suo tẽpore,& tollet ab Ecclesia sua imo nunc tollit ab omnibus credentibus in eum,iugum tam grauis militiæ. Primum enim Christus abrogat legem & exonerat Ecclesiam suam lege. Quo? Num a facienda lege, ut nõ amplius necesse habeat legi Dei obedire? Nihil minus. Sẽper facienda sunt bona opera, quæ in diuina lege mandata sunt. Semper obediẽdum est legi Dei. Etsi.n. pij post reuelatũ Euangelion nõ subijciuntur legibus cerimonialibus & iudicialibus Mosi,tñ subijciũtur legi naturali seu morali, ac decalogo. Quare Christus nõ sic exonerat Ecclesiã suã lege,ut non sit decalogo obediendũ,quẽadmodum alias copiosius de abrogatione legis docetur,sed exonerat eã maledictione legis. Nam,lex,cum non impletur ab hoĩbus,deuouet eos diris,execratur eos,maledicit et addicit ipsos morti,ac ꝑternę dãnationi. Maledictus,inquit,oĩs qui nõ permanet in oĩbus sermonibus legis huius. Christus aũt filius Dei uenit in hunc mundum,& suscepta in se maledictione legis, liberat Ecclesiã suam a maledictione,ut lex nõ possit amplius credentes in Christum diris deuouere,& æternę morti addicere,sed necesse habeat eos liberos dimittere,ut ꝓpter Christum cõsequantur uerã iusticiã, ꝑternã uitã,& cœlestẽ tranquillitatẽ. Sic docet Paulus: Rom. viij. Lex spiritus uitę per Christum Iesum liberę me reddidit a lege pcti & mortis &c. Gala. iij. Christus redemit nos de maledicto legis,factus ꝓ nobis maledictum &c. iij. Cor. v. Eũ,q nõ nouit pctm̃, fecit pro nobis pctm̃, ut nos efficeremur iustícia Dei per illum. Et Christus ipse ait: Si filius uos liberauerit,uere liberi estis &c. Deinde Christus nõ solum exonerat Ecclesiã suã lege,seu maledictione legis,uerꝫ etiã uincit Satanã,principẽ huius mundi,ut &si conatur Ecclesiã opprimere,tñ necesse habeat potentiæ filij Dei cedere. Ioan. xij. Nunc iudiciũ est huius mundi,nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et Ioã. xv. Princeps huius mundi iudicatus est. Et Paulus Colo. ij. Expoliatos principatus & potestates ostentauit palam,triumphans de illis per semetipsum. Et Hebr. ij. Vt per mortẽ aboleret eum, q mortis habebat imperium, hoc est, diabolum &c. Cum igitur Christus filius Dei liberet urbem Hierusalẽ,seu Ecclesiam suam ab hac grauissima militia, qua sub lege militat Satanæ, nõ habet amplius Ecclesia,quod cõqueratur,& ꝓpter quod doleat,etiãsi instet captiuitas Babylonica, & obijciatur omnibus huius mundi calamitatibus. Secundum beneficium Christi,quod confertur in urbem Hierusalẽ,seu in Ecclesiam,& propter quod consolatio animi capitur,hoc est,quod sequitur: Remissa seu placata est iniquitas eius. Filius enim Dei in hoc promissus fuit, ut suscepta carne & cruce,peccata nostra corã Deo expiaret,& nos cum Deo recõciliaret. Ecce,inquit Ioannes,agnus Dei,qui tollit pctm̃ mundi. Et

Paulus: Qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον ꝓ oĩbus. Et iterum, Chriſtus ingreſſus eſt per proprium ſanguinem ſemel in ſancta, æterna redẽptione reperta &c. Et Ioannes: Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tm̃, ſed etiam pro totius mundi. Ac profecto hoc bñficium expiationis & remiſsionis peccatorꝝ noſtrorꝝ, quod nobis contingit per fidem propter Chriſtum, & ſi pauciſsimis uerbis hoc loco commemoratur, tm̃ maius eſt, q̃ quod humana mens satis cõplecti queat. Vbi.n. eſt peccatorum remiſsio, ibi nullũ poteſt incommodum afferre uel ſeruitus Aſsyriaca, uel captiuitas Babylonica, uel exilium, uel paupertas, uel morbus, uel mors denicꝫ ipſa. Nam qui habet remiſsionem pctõrꝝ propter Chriſtum per fidem, hunc Deus ſummo ſuo fauore cõplectitur. Si aũt Deus pro nobis, inquit Paulus, quis contra nos? Et quis ſeparabit nos a dilectione, qua Deus nos proſequitur? nũ afflictio? num anguſtia? num perſecutio? nũ fames? nũ nuditas? num periculũ? num gladius? Vbi aũt non eſt remiſsio peccatorꝝ, ibi nullũ affert cõmodum uel ipſa urbs Hieruſalem, quamuis munitiſsima, uel publica pax & trãquillitas, uel uictoria ſuper externos hoſtes, uel ſanitas, uel diuitiæ, uel gloria, uel quodcunꝫ aliud in his terris bonum. Nam qui caret peccatorum remiſsione, nec aſſequitur eam, is moritur in peccatis ſuis. Qui aũt in peccatis ſuis moritur, eum nihil omnium rerum terrena rum iuuare poteſt, quin cõñciatur in æternam damnationem. Quare ſentiamus beneficiũ remiſsionis peccatorꝝ per Chriſtum, quod hic cõmemoratur, lõge omnium maximum eſſe, & in hoc ſtudium incumbamus toti, ut hoc beneficium in Chriſto filio Dei per fidem cõſequamur. Nam qui hoc habet beneficium, omnia habet, etiãſi alioqui nihil habuerit. Qui aũt hoc non habet, nihil habet, etiamſi alioqui omnia poſsideat. Tertium beneficiũ eſt: Suſcipit de manu Dñi duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Vide mihi liberalitatẽ filij Dei, in conferendis beneficijs ſuis, ut urbs Hieruſalẽ, hoc eſt, Eccleſia, nullam prorſus habeat cauſam, cur nõ admittat conſolationẽ, & non concipiat ſummã animi læticiam. Non.n. exoneratur tm̃ mi litia legis, nec accipit tm̃ expiationem pctõrum, uerumetiam accipit de manu filij Dei, DVPLICIA ꝓ omnibus peccatis ſuis. Ecquę, obſecro, ſunt illa duplicia, quæ pro peccatis redduntur? Num ſunt ſupplicia, quæ lex peccatis minatur? At hic enumerãtur beneficia, non ſupplicia. Nũ ergo pro peccatis repẽduntur a filio Dei beneficia? Non confert quidẽ filius Dei beneficia in Eccleſiã ſuã, propter pctã, quibus magis ſupplicia q̃ beneficia debentur, ſed q̃d dicit, Eccleſiã ſuſcipere de manu Dñi duplicia ꝓ oĩbus pctis ſuis, hoc plane illud eſt, quod Paulus ad Rom. ſcribẽs: Non ut peccatũ, inquit, ita & donũ. Nam ſi unius peccato multi mortui ſunt, multo magis gratia

tia Dei,& donum per gratiã,quæ fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Ac mox: Vbi exuberauit peccatũ,ibi magis exuberauit gratia. Filius enim Dei tanta clemẽtia complectitur Hierusalem seu Ecclesiam,ut etiamsi conferas OMNIA hominum peccata in unum aceruum,tamen ipse confert in Ecclesiam suam lõge maiora,et duplo plura beneficia. Non enim tm̃ remittit ei omnia peccata,sed etiam donat ei omnem suam iusticiam,ut possit ea corã tribunali Dei non aliter confidere,q̃ si ipsa eam operibus suis præstitisset,& impleuisset. Quod lex,inquit Paulus,præstare non potuit,ea parte,qua imbecillis erat per carnẽ, hoc Deus proprio filio misso in similitudine carnis peccatricis præstitit, ac de peccato condemnauit peccatũ,ut iustificatio legis impleretur in nobis. hoc est, Quã perfectam iusticiã lex a nobis exigit,donatur nobis per Christum,factum pro peccatis nostris uictimã,ut tantum iusticiæ possideamus in Christo per fidem,quantum a lege exigitur. Quid hoc beneficio excellentius,quid etiam optabilius? Et tamen hic nõdum est beneficiorum filij Dei finis. Nam & hoc beneficiũ addit,q̃ cooptat ecclesiam suam,in cohæredem omnis suæ cœlestis hæreditatis. Qui enim uere credunt in Christum,nõ reputantur tm̃ iusti coram Deo,sed etiam adoptãtur in filios Dei, & in fratres Christi. Si autem filij,inquit Paulus,ergo & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et hoc beneficium accipiunt,non de manu hominum,aut ex merito suorum operum,sed accipiunt illud de manu Domini,hoc est,propter filium Dei,per fidem. Quid aũt & hoc bñficio amplius,quid eo augustius excogitari potest? Hoc certe uere est a filio Dei duplo maiora beneficia accipere, q̃ sint omnia peccata. Nisi enim magnitudo & multitudo beneficiorum filij Dei excellerent magnitudinem & multitudinem omnium peccatorũ nostrorũ,quis nostrum salutem consequeretur? Nisi gratia superabũdaret delictum,quis a perpetua morte seruaretur? Cum igitur affligimur flagellis conscientiæ nostræ,propter peccata,properemus ad hanc Esaiæ concionem,& sentiamus, q̃ etiamsi designassemus omnia ea peccata,quæ ab initio orbis terræ designata sunt,& adhuc designari possunt,tm̃ duplo maior sit clemẽtia Dei,propter filium suum,erga omnes eos,qui filium fide sua uere agnoscũt. Habes argumenta,quibus spiritus sanctus iubet Prophetas ac ministros suos consolari urbẽ Hierusalẽ,quę est Ecclesia Dñi nostri Iesu Christi. Sed spiritus sanctus non est contentus enumeratione bñficiorum, quæ Christus filius Dei confert in Ecclesiã suam, & ex quibus Ecclesia consolationẽ capere põt in omnib. aduersis, uerumetiã recenset circũstantiam eius tẽporis, qũo filius Dei uenturus est in hunc mundum,& beneficia sua per Euangelion reuelaturus, ut & maior

consolatio contingat ijs, qui uaticinio captiuitatis Babylonicæ exterriti sunt, & posteri eorum habeant certissimum signum, quo admoneantur, filium Dei in propinquo esse, & regnum cœlorum appropinquasse. Postq̃ enim pij in regno Iuda, ac etiam in toto populo Israel audiuerunt urbem Hierusalem subuertendam, & Israelitas in omnes gentes dispergendos, sollicitati sunt existimare, quod actum sit de promissione salutis ipsorum, quam salutem consecuturi essent in Messia. Si enim Hierusalem subuertetur, & populus Israel dispergetur, quomodo constabit promissio illa, qua dictum est, Messiam emissurum uirgam uirtutis suę ex Zion? Aut quomodo sperabimus quod contingant nobis per Messiam ea beneficia, quæ iam enumerata sunt, cum dubitandum nobis sit propter Hierosolymitanam illam uastitatem, de aduentu eius? Respondet ergo spiritus sanctus, & non solum docet aduentum Messiæ certissimũ esse, uerumetiam commemorat signum, quo tempus aduentus eius cognoscatur.

VOX, inquit, CLAMANS IN DESERTO, PARATE VIAM DOMINO, RECTAS &c.

Primum, non est nobis sollicite circumspiciendum, ut perscrutemur, quæ sit sententia huius loci. Nam Euangelistæ, qui sunt ueri, ac diuinitus electi interpretes Propheticorum scriptorum, manifeste ostendunt hunc locum, non secundum allegoriam, sed κατὰ ῥητὸν, de Ioanne Baptista intelligendum esse, Matth. iij. & xi. Mar. i. & Lu. iij. & Ioannis i. Quare ne angelus quidem audiendus est, si quis hunc locum aliter, q̃ de Ioannne Baptista interpretaretur. Deinde perspicue uides, q̃ sicut nomine uocis clamantis seu concionãtis in deserto, intelligendus est Ioannes Baptista, ita nomine Domini, qui antea iussit consolari urbem Hierusalem, & cui concionator in deserto iubet uiam parare, intelligendus sit filius Dei, Iesus Christus, ut sciamus eum prædicari a Propheta uerum ab æterno Deum, & Dñm nostrum. Iam & hoc mihi perpendas uelim, quãto spiritus dono ornatus fuerit Esaias, q̃ octingẽtis plus minus annis antea uiderit non solum Christum uenturum, sed etiam Ioannem Baptistam concione sua eum præcessurum. Nec id uiderit generaliter, sed cum circumstantia loci, uidelicet, concionaturum eum in deserto. Quod enim dicit, VOX CLAMANS IN DESERTO, hanc habet sententiam. Vos quidem ciues Hierosolymitani exterriti nũc estis uaticinio subuersionis Hierusalem, & existimatis uanissima esse, quę de aduentu Messiæ seruatoris promissa sunt. Ego uero non tantum adnuncio uobis, Messiam certissime aduenturum, & beneficia sua, quæ iam enumeraui allaturum, sed etiam significabo uobis, quo argumẽto posteri uestri possint tẽpus

aduentus

aduentus eius cognoscere. Non enim adueniet ex improuiso, sed præmittet ante se uocem clamantem, hoc est, concionatorem, qui non concionabitur pro more, in templo aut synagogis, sed concionabitur in deserto. Cum ergo audierint posteri nostri exortum esse concionatorem in deserto, tunc sciant, Messiam, uerum Dominum Deum nostrum in propinquo esse. Sed quid concionabitur hic concionator? Sequitur.

PARATE VIAM DOMINO, RECTAS FACITE &c.

Principes huius seculi, si quando primum ingrediuntur regionem aut urbem solent magna pompa excipi. Purgantur plateæ, auferuntur obstacula uiarum, ornantur domus, sparguntur uiæ floribus, & nullum non magnificentiæ genus excogitatur, quo nouus princeps honorifice excipiatur. Quare, cum Ioannes Baptista diuinitus electus sit ut adnunciet aduentum Messiæ, principis principum, & monarchæ monarcharum, cohortatur populum, ut studeat eum excipere summa magnificentia. Parate, inquiens, seu expurgate uiam, ne quid sordium ibi relinquatur, quod aduenientem Messiam offendat. Nec in urbe tantum expurgandæ sunt uiæ seu plateæ, uerum etiam semitæ in solitudine, in agro, sunt directæ faciendæ, ne opus sit ei longis ambagibus errare. Adhæc, ualles sunt replendæ, & montes ac colles sunt deiciendi, ut complanentur, ne montium decliuitas, & uallium profunditas aduentantem offendat. Præterea, quæ curua sunt, fiant recta, & quæ prærupta sunt, complanentur, ut plane nihil sit in uijs, quod incedentem remoretur. Hæc autẽ idcirco fieri debent, quia GLORIA DOMINI REVELABITVR, ET VIDEBIT OMNIS CARO &c. hoc est, Messias, uerus Dominus Deus noster aduenict, ac reuelabit euangelij prædicatione gloriam & maiestatem suam, ut coram omnibus hominibus manifestum fiat, quod os Domini loquatur, hoc est, quod qui loquitur, & concionatur euangelion, non sit simplex homo, sed sit uerus Dominus Deus noster. Christus enim reuelauit gloriam suam prædicatione euangelij sui, & miraculis, quibus testatus est, se esse uerum illum Messiam filium Dei, qui ab initio mundi promissus fuit. Sed num in aduentu Christi complanandi erant montes & ualles externo opere? Quis hunc laborem conficere potuisset? Metaphora igitur est, qua Propheta monet excipiendum esse Christum summa, eaq; qua decet, reuerentia & obedientia. Quale enim est regnum Christi, talis etiam exigitur excipiendi reuerentia. Regnum autem eius non est corporale, aut huius mundi, sed est spirituale, & cœleste. Excipiendus igitur est, non complanatis corporalibus huius mundi montibus & collibus, sed extirpatis uitijs mentiũ, & cor

rectis impietatibus cordiũ,ac emendatis prauis uitæ moribus. Vn de & Ioannes Baptista recte intellexit sententiam horum uerbo rum,& quasi commentarium proposuit,cum ait: Pœnitentiam a gite. Et iterum,Facite fructus dignos pœnitentia. Et,Ne fitis hac mente,ut dicatis,patrem Abraham habemus. Ac rursus, Omnis ārbor,non faciens fructum bonum,exciditur. Et aliàs, Prædicat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorũ,propter Chri stum. Agere ergo pœnitentiam,& credere euangelio de remissio ne peccatorum propter Christum,est complanare montes & col les,et rectificare curua,ut Christum debito honore suscipiamus,et beneficijs eius fruamur. Magnus enim & altus,& præruptus mons est,confidere sua ipsius iusticia & arrogare suis operibus merita æ ternæ uitæ. Hæc est arrogantia,quæ elatione sua pertingit usq; ad cœlum: sed hęc altitudo ac sublimitas dejcienda est,& complanan da,ut Christus reuerenter excipiatur. Non enim confidendum est meritis operum suorum,sed tantum merito & iusticia Christi. Al tissimus mons erat,cum Pharisæi cogitabant, Patrem Abraham habemus: sed hic mons dejciendus erat,abjcienda erat fiducia ex terni generis,& concipienda fuit fiducia tantum in Christum filiũ Dei,ut fructus beneficiorum eius perciperetur. Econtra autem, profundissima uallis & prauissimum ac lutosum iter est, abjcere spem salutis suæ,uolutari in cœno auariciæ, inuidiæ, libidinis, & aliorum scelerum. Hæc uallis exæquanda,& hoc lutosum iter ex purgandum est,ut Christus reuerenter suscipiatur. Agenda enim est pœnitentia, agnoscenda sunt peccata,concipienda est spes in Christo,per euangelion eius. Sic enim fiet,ut exęquatis uallibus,et expurgatis uijs,Christus sine offensione incedat & adueniat, atq; afferat secum omnia genera æternorum beneficiorum. Sed perga mus audire,quid præterea mandetur concionatori in deserto,hoc est,Ioanni Baptistæ,ut concionetur. VOX, inquit, DICE BAT, CLAMA. ET DIXIT, QVID CLAMA BO? OMNIS CARO, GRAMEN &c. Initio obser ua mihi,quod spiritus sanctus non temere instituit hic quasi dialo gum. His enim interrogatiunculis et responsionibus significat con cionatorem in deserto,Ioannem Baptistam,non temeritate qua dam carnis,sed uocatione spiritus sancti suscepisse suum ministeri um. Et conciones suas non esse humana somnia,sed diuina oracu la. Ioannes enim non ex suo arbitrio accessit ad officium cõcionan di euãgelij de Christo,sed audijt uocem cœlestem,quæ iussit eum clamare,hoc est,concionari. Vox enim dicebat CLAMA. Nec hac uocatione cõtentus est,uerum etiam petit scire & cognoscere, quid sit clamandũ,quid concionandum. Quid,inquiẽs, clamabo? Non enim satis est,quod uocatus sis diuinitus seu legitime ad concio

nandum,

nandum, niſi etiam cognoſcas uerbũ Domini, quod ſit concionandum. Caiaphas eſt in legitimo ordine Pontificatus, ſed non concionatur legitimũ uerbum Domini. Multi epiſcopi ſunt ordinarij & legitimi ſucceſſores in eccleſiaſtico miniſterio, ſed aut omnino nihil concionantur, aut deprauata, ſeu humana ſomnia cõcionantur. Ioannes aũt Baptiſta, ut diuinitus uocatur ad eccleſiaſticã functionem, ita diuinitus quoq; excitatur, ut cognoſcat, quid ſit in hac functione prædicandum. Quid, inquit, clamabo? quid concionabor? Hoc illud eſt, quod Euangeliſta Lucas ca. 3. ſimpliciter ita recitat. Anno decimo quinto Imperij Tiberij Cæſaris, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caiapha, FACTVM eſt VERBVM DOMINI ſuper Ioannem Zacharię filiũ in deſerto &c. Quod in Propheta dicitur: Vox dicebat, Clama, hoc euãgeliſta exponit: Factum eſt, inquiens, uerbum Domini ad Ioannẽ. Quare uocatio Ioannis eſt diuina, & concio eius non eſt humanum ſomnium, ſed cœleſte oraculum. Quid ergo iuſſus eſt clamare, ſeu cõcionari? Sequitur: Omnis caro, gramen, & omne beneficium eius, quaſi flos agri. Vbi nos dicimus beneficium eius, uetus interpres habet, Gloria eius. Exiſtimo autem eum pro חסדו chaſdo, quod ſignificat, bonum ſeu beneficiũ eius, legiſſe כבדו cabdo, quod ſignificat gloriam eius. Et tamen ne ſic quidem fit aliqua iactura ſentẽtię. Oppo nuntur enim hoc loco per antitheſin, inter ſe Caro, & Verbũ Domini. Omnis, inquit, caro eſt ſicut gramen, & omne bonum, quod caro poſsidet, eſt ſicut flos agri. Nam quemadmodũ gramen mane uireſcit, poſtquam autem demeſſum fuerit, & uẽtus à Domino excitatus ſufflauerit in ipſum, ſtatim exareſcit, & priuſq; ueſper præterierit, fit fœnum aridum: ita & omnis caro, cum omnibus bonis ſeu beneficijs, quæ habet, uidetur initio florere, ſed iudicãte Domino, fieri non poteſt quin exiccetur. Et quemadmodum flos agri mane uidetur adhuc firmus ſtare, ac optimum odorem ſpirare, ueſperi autem decidit, & ſtatim ita emarceſcit, ut & odorẽ ſuũ amittat, ita eſt & caro cum bonis & donis ſuis. Videtur primo aſpectu eſſe optima, & diuiniſsima, ſed ſi iudicium Domini reuelatũ fuerit, ſtatim etiam reuelatur eam eſſe fœdiſsimam, & contemptu digniſsimam. Quæ ergo eſt illa caro? quæ ſunt boua eius? Hic audiamus Prophetam, ſe ipſum interpretantem. Profecto, inquit, fœnũ eſt populus, hoc eſt, Per carnem illam & gramen, de quibus iam dixi, uere intelligo populum Iſrael, adeoq; omnes homines in terris. Ac primum, ſi de populo Iſrael, & de bonis eius uniuerſaliter dicendũ eſt, tũc manifeſtum eſt, quod ducat originem ſuam ab Abrahamo & reliquis ſanctiſsimis Patriarchis. Manifeſtum etiã eſt, quod hic populus multiplicatus ſit innumera multitudine, & acceperit legẽ, tam moralem, quæ eſt Decalogus, quam cerimonialẽ & politicã,

ac possederit terram gentium Cananæarum, habueritq; regnum, & reportauerit sæpenumero insignes uictorias ab hostibus suis. Hæc sunt bona huius carnis, hæc sunt beneficia, quæ habuit hic populus: sed omnia hæc uelut gramen exaresc̄ut, & sicut flos decidut. Neq; em̄ populus ipse manet populus Dei, neq; hæc beneficia possunt populum ab interitu conseruare, nisi accipiat uerbum euangelij Dei, & agnoscat filiū Dei per fidē. Quare, etsi populus Israel est à Deo electus, & accepit multa à Deo beneficia, tamen quia est carnalis populus, & abutitur beneficijs Dei carnaliter, necesse habet emarcescere & decidere. Si autem loquēdum est de unoquouis in populo Dei priuatim, tunc quemadmodum publice populus ipse natura sua carnalis est, ideoq; internecioni obnoxius, ita priuatim unusquisq; hominum, & quicquid est bonorum in homine naturaliter, non est, nisi caro, hoc est, gramen & flos, quæ mane uirent, uespері emarcescunt. Ac sunt quidem multi homines pij et sancti, qui non secundum carnem uiuunt, hi autem non habent pietatē & sanctitatem suam ex carne, sed ex spiritu. Propheta uero loquitur nūc de hominibus quales sunt natura sua. Sic em̄ sunt caro cum omnibus suis bonis. Habent terram Canaan, quę est quidem donū Dei, sed hoc dono non iuuantur, ut sint uere iusti & fœlices. Habent legem Dei, sed quam uiribus suis implere nō possunt. Habent rationem, & suo quodam modo liberum arbitrium, sed quibus nō possunt consequi coram Deo uerā iusticiam. Faciunt bona opera, sed quæ sunt imperfectiora, quam ut queant sua bonitate coram iudicio Dei constare. Quid plura? Vt homines ipsi natura sua sunt caro, ita omnia eorū bona tam corporis quam animæ sunt caro, corrupta uidelicet peccato originali, ut etsi uidentur coram mūdo speciosa, tamen coram Deo sunt abominanda. Quod de populo Israel dictum est, multo magis intelligendū est de populo gentiū, qui habet quidem publice magnam potentiam, regna & politias optime constitutas, priuatim aūt magnam sapientiam, & multas pręclaras atq; insignes uirtutes. Quæ omnia reddiderunt gentes in hac terra claras & illustres, coram Deo aūt, non sunt, nisi CARO, nisi gramen, quod nunc est uiridis herba, mox autem fit fœnum aridū, & flores, qui mane uirent, uespері exarescunt & decidunt. Quo ergo nos uertemus? quomodo coram Dei tribunali constabimus? quomodo seruabimur, si & nos & omnia nostra bona sunt caro, et fœnum, quod cum hodie sit, cras in clibanum mittit̄? De hac re audiamus alterā partem ἀνυπόστατος. Verbum aūt Dñi (inquit) manet, seu cōsurgit & stat inæternum. Nec hic nobis diu ac multum sudandū est, ut cognoscamus, q̄d sit illud uerbum, q̄d perpetuo maneat fixū ac firmum, & quo omnes, ipso confidentes, inæternum cōseruant. Apostolus em̄ Petrus, in priori sua epist. ca. j. ꝓspicue interpretat de

de Euangelio Dñi nostri Iesu Christi. Renati, inquiens, non ex semne mortali, sed ex immortali, per uerbũ Dei uiuentis, manens inęterinum. Propterea ꝙ omnis caro ueluti gramen sit, et omnis gloria hominis, quasi flos graminis. Exarescit gramen, & flos decidit, Verbũ aũt Dñi manet inęternum. Hoc aũt est uerbum, q̊d euangelizatũ est uobis. Hic manifeste scribitur, ꝙ hoc uerbum Dñi sit Euangeliõ de Iesu Christo filio Dei, seruatore nostro. Ac primũ quidẽ hoc Euangelion ita cõfirmatum est, ut cœlum & terra sint transitura, hoc aũt non transeat. Hoc illud uerbũ est, quo fundata est Ecclesia, & aduersus q̊d portę inferi non possunt pręualere. Deinde hoc euangeliõ institutum est ad hunc usum, ut sit potentia Dei, sicut Paulus loquitur, ad salutem omni credenti. Per hoc em̃ renascuntur homines, ad iusticiam, & ad ęternam uitam ac salutem. Prędicate, inquit, Euangeliõ omni creaturæ. Qui crediderit (euangelio) & baptisatus fuerit, saluus erit. Et Ephes. 5. Christus dilexit ecclesiam, mundans eam lauacro aquę per uerbum. Vides igitur ex hac antithesi, q̊d ad cõsequendam ueram & æternam iusticiam ac salutem faciendum sit. Non em̃ cõfidendum est externo genere Abrahę, nõ externa terra Canaan, non operibus legis, nõ humana iusticia, nõ humana sapientia aut potentia, nõ humana ratione aut libero hominis arbitrio, quia hęc omnia sunt caro, sunt gramen, mane uirens, uesperi exarescẽs, sunt flos, nunc florens, mox decidens. Sed audiendum est Euangelion de filio Dei Iesu Christo, credendum est huic euangelio, obedienti fide, q̊d ut consurgit et stat firmum perpetuo, ita etiam perpetuo conseruat omnes credentes ei, ꝓpter Iesum Christum seruatorem nostrũ. Habes, quã cõcionẽ spiritus sanctus Ioãni Baptistę pręscripserit. Inquiramus nunc ubi Baptista eã habuerit. Omnino em̃ obsecutus est spiritui sancto. Porro aũt spiritus sanctus nõ exegit à Baptista, ut hæc uerba κατὰ τὸ ῥητὸν semper recitaret, sed maxime omniũ, ut sententiam eorum exponeret. Ecce igitur, cum Baptista ad Pharisæos dicit: Genimina uiperarũ. Et: Ne cœperitis dicere, Patrẽ habemus Abraham, certe nihil aliud dicit, q̃ꝫ quod ei in Propheta præscriptum est, Omnem carnem, seu totũ populum Israel esse gramen et florem. Et cum ait: Pater diligit filium, & omnia tradidit in manũ eius. Qui credit in filium, habet uitam ęternam, idem illud est, ꝙ Esaias dicit: Verbum Dñi manet inęternũ. Cum igitur spiritus sanctus tot annis ante cõmendauerit nobis conciones Ioannis Baptistę, agitedum, excipiamus eas obuia fide, ut ex his filium Dei, unicũ seruatorem nostrũ cognoscamus, & in ipso ueram ac perpetuam iusticiam & salutẽ habeamus. Cęterum spiritus sanctus nõ tantũ excitat Ioannem Baptistam, & hortatur eum, ut paret uiam Dño, et adnunciet euangelion filij Dei, uerumetiam excitat Apostolos, & hortatur eos, ut euangelion Christi confidenter prædicent in toto orbe terrarum, inicio fa-

cto à Zione seu Hierosolymis. Voluit aũt hęc tot annis ante per Esaiam uulgare, non tantum ob hanc causſam, ut cum postremis temporibus implerent, sciremus ea diuinitus sic cõstituta esſe, & cognosceremus non esſe alium, in quo æternam iusticiam et salutẽ cõsequemur, prętercę filium Dei, Iesum Christũ, tot annis antea per Prophetas in populo Dei adnunciatum, sed etiam ꝓpter istam causam, ut q eo tempore, quo Esaias hæc cõcionatus est, uitã egerunt, quicę postea ante aduentum Christi, uariis casibus, & calamitatibus iactati fuerunt, nõ desponderent animum, sed cõciperent ex his cõcionibus fiduciã, qꝑ etsi urbs Hierusalem deuastatur, & populus Israel ab externis hostibus opprimitur, reposita tamen sit ipsis uera salus in filio Dei, quẽ cõcionator in deserto suo tempore sit demonstraturus, & quem Apostoli in toto orbe terrarum per euangelion sint uulgaturi. SVPER MONTEM, inquit, EXCELSVM ASCENDE TV QVÆ EVANGELIZAS ZION &c. Hoc sic legi debet. Super montem excelsum ascende tibi o Euangelisatrix Zion. Exalta fortiter uocem tuam, o Euangelisatrix Hierusalẽ, exalta, ne timeas &c. Alloquit aũt spiritus sanctus, quemadmodum iam diximus, Apostolos Christi. Ac primum quidẽ uocat eos, Zionẽ & Hierusalem euangelizatricem, hoc est, cœtum adnunciantem Euangeliõ filij Dei, inicio facto in Zione et Hierusalẽ. Apostoli em̃, post quam donati sunt spiritu sancto in die Pentecostes, in urbe Hierusalẽ, inceperunt in eo loco Euangeliõ filij Dei prędicare, & ab eo loco in totum orbem terræ uulgare. Sicut & in Psalm. dicitur: Virgã uirtutis tuę emittet Dñs ex Zion. Et Esa. 2. De Zion exibit lex, et uerbum Dñi de Hierusalem. Idem affirmat Christus ipse, hęc propheticа scripta exponens, cum apud Lucam ait: Sic scriptũ est, sic oportebat Christũ pati, et resurgere à mortuis tertio die, et prędicari nomine eius pœnitentiã ac remissionẽ peccatorũ in omnes gẽtes, inicio facto ab Hierosolymis. Et iterũ: Eritis mihi testes nõ solum Hierosolymis, uerumetiã in uniuersa Iudęa Samariacę, denicę usqꝫ ad extrema terrę. Quare, cũ Apostoli inchoauerint, accepto spiritu sancto, prædicationem euangelij Christi primum omnium in Ziõ, & in Hierusalem, recte uocant à Propheta Euãgelisatrices Zion & Hierusalẽ. Deinde iubentur Apostoli Ascendere in excelsum montẽ, exaltare uocem suam fortiter, et nõ metuere. Quo significat Euangeliõ Christi nõ sonaturum tantum in Zione, aut urbe Hierusalẽ, sed Apostolos tam alte, tam fortiter clamaturos, ut in omnem terrã exeat sonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. Ne metuas, inquit. Dñs em̃ dedit Apostolis tantum animi robur, ꝑ spiritum sanctum, ut qui paulo ante, ne coram ancilla quidẽ, de Christo hiscere audebãt, mox Christum publice nõ in priuatis tantũ domibus, sed etiam in tectis, nõ in pagis tantum, sed etiam in ipsa urbe Hierusalem, nõ coram uulgo tantum, sed etiam coram Põtificibus, Regibus et Principibus, nõ

in Iudæa tantum, sed etiã inter barbarissimas & immanissimas gentes ac nationes adnunciauerint. Porro, quemadmodũ spiritus antea prẽscripsit Ioanni Baptistę suas conciones, ita etiam nunc prẽscribit Apostolis, qd cõcionari debeant. Tu, o cœtus Apostolice, dic ciuitatibus Iuda, hoc est, uniuersę ecclesiæ. In quocũqꝫ em̃ loco, in quacũqꝫ regione adnunciat̃ & recipitur euangeliõ Christi, q̃d primum oĩm in Hierusalem, et finitimis urbibus regni Iuda reuelatum est, ibi dicitur esse ciuitas Iuda, et filialis, ut uocãt, ecclesia urbis Hierusalẽ. Quid ergo dicendum, quid prẽdicandum est? Ecce (inquit) Deus uester. Apostoli debent reuelare & prẽdicare Iesum Christũ, et docere, qꝫ nõ sit tantũ homo, natus de semine Dauid, uerumetiam qꝫ sit uerus Deus, ab ęterno à Deo patre suo genitus. Nec hoc tantum, quod sit DEVS, sed addere debent, VESTER, uidelicet, qꝫ sit Deus suę ecclesiæ, quã seruet, quã tueat̃, quà liberet ex oĩbus malis, & quã faciat cohęredẽ omniũ cœlestium bonorũ. Sic Petrus de Christo cõfessus est, Tu es Christus filius Dei uiuentis. Sic Thomas: Dñs, inqens, meus, & Deus meus. Sic Petrus iterũ: Certo sciat tota domus Israel, qꝫ Dñm & Christũ fecerit, hoc est, declarauerit Deus hunc Iesum, quẽ uos crucifixistis. Et rursus: Nõ est aliud nomen sub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Paulus: Genitus est, inquit, ex semine Dauid secundũ carnem, definitus est filius Dei secundum spiritum sanctificationis &c. Ac iterũ: Ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnẽ, qui est in omnibus Deus benedictus in secula. Et Ioannes: Dedit nobis mentẽ, ut cognoscamus illũ, qui uerus est, et sumus in uero, in filio Iesu Christo. Hic est uerus Deus, et uita ęterna. Ex his & alĩjs cõcionibus Apostolicis, uides Apostolos per spicue iuxta prẽscriptũ spiritus sancti prẽdicasse de Christo, qꝫ sit uerus Dñs Deus noster. Sed pergit spũs cõmemorare Apostolicã doctrinam. Ecce, inquiens, Dñs Deus ueniet in fortitudine, et brachiũ eius dominatio eius erit. Vtĩ futuro tempore. Loquitur em̃ p Prophetam, qui ministerio suo longe ante Apostolos functus est. Apostolis aũt utendũ erat præsenti tempore. Deinde sic describit regnũ Christi, perinde ac si esset regnum mundanum. Dñs, inquit, uenit in fortitudine, hoc est, Christus dominatur maximis uiribus, & regnũ eius est potentissimum ac fortissimum. Cum aũt regnum Christi nõ sit de hoc mũdo, intelligẽda sunt hæc nõ de corporali, sed de spirituali potentia ac fortitudine, atqꝫ adeo de resurrectione Christi ã mortuis, de ascensu eius in cœlũ, et de sessione eius ad dextram Dei. Itaqꝫ ubicunqꝫ Apostoli prẽdicant Christũ dextra Dei exaltatũ, et sedere ad dextrã patris, ibi prẽdicãt Dñm uenisse in fortitudine, & brachiũ eius esse dominationẽ eius, hoc est, dominationẽ eius esse potentissimã. Dextera Dei (inquit Petrus) exaltatus et ꝓmissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc, q̃d nunc uidetis. Et iterꝫ: Hic est lapis ille qui reiectus est ã uobis ędificantibus, qui factus est caput anguli,

nec est in alio quoq; salus. Et Paulus: Suscitauit eũ Deus à mortuis, & sedere fecit ad dextram suã in cœlestibus, supra omnẽ principatũ & potestatem & uirtutem, & dominium, & omne nomẽ q̃d nomi-natur non solum in seculo hoc, uerũetiam in futuro. Et omnia subie cit sub pedes eius. Et dedit eum caput ecclesiæ. Ac iterũ, Deus extu lit illum in summam sublimitatem, & donauit illi nomen quod est su pra omne nomen &c. Nondũ est finis Apostolicę cõcionis de Chri sto. Sequitur eñ: Ecce merces eius cũ ipso, & opus eius, hoc est, pre ciũ operis eius coram eo. Christus nõ tãtum dominat potenter, sed etiam clementer. Nõ est tãtum magnus maiestate, sed etiam largus & liberalis beneficijs. Ecce eñ affert secum suam mercedem, & pre-cium operis ac laboris sui. Nam opus seu labor Christi est passio & mors eius, qua persoluit precium ꝓ peccatis nostris, & qua intrauit in gloriam patris sui. Hoc eñ opere, qꝑ suscepit in se mortẽ obedien ter, & obsecutus est uoluntati patris usq; ad mortem crucis, intantũ delectatus est pater, ut pro mercede huius operis non solum suscita uerit eum à mortuis, nec tantum exaltauerit eum ad dextram suã in summam sublimitatem, uerumetiam cõcesserit ei, ut quotquot in ip sum credunt, accipiant ꝓpter eum remissionem peccatorũ, reputen tur iusti, adoptentur in filios Dei, et cohęredes Christi. Quare Chri stus non est talis, qui sibi soli suam mercedem, & suum precium, q̃d ꝓ opere suo à Deo accepit, retineat, sed uult ea cõmunia habere cũ omnibus ijs, qui ipsum fide agnoscunt & recipiũt. Hoc Apostoli de Christo diligenter exposuerunt Ecclesiæ. Ioannes ait: De plenitudi ne eius accepimus omnes, gratiam ꝓ gratia. Et iterum: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem, ut fierent filij Dei, his qui cre-dunt in ipsum. Et Petrus: Huic omnes Prophetę testimoniũ ferũt, qꝑ remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum. Et Paulus: Per hunc uobis remissio peccatorũ an nunciatur, & ab omnibus à quibus nõ potuistis per legem Mosi iu-stificari. Per hunc omnis qui credit iustificatur. Ac rursus: Deus pro posuit Christum propiciatorium per fidem interueniente ipsius san guine &c. Et iterum: Accepistis spiritum adoptionis filiorũ Dei, in quo clamamus Abba pater &c. Habes quam mercedem et q̃d preci um Christus secum afferat credentibus in ipsum. Nunc uideamus e-tiam curam eius ꝓ ecclesia sua. Pascet, inquit, gregem suum, sicut pa stor, et brachio suo colliget agnas, et feret in gremio suo, fœtas quo que sustentat. Suauissima concio de Christo. Nam Christus aliãs quoque pastor dicitur. Ezechie. 34. Zach. 13. Ioan. 10. Hebre. 13. Et 1. Petri 2. Si autem est pastor, idq; bonus, habet etiam conditiones pastoris boni. Harum una hic recensetur. Bonus enim pastor non curat tantum adultas & sanas oues, sed præcipue curat agnos ad-huc teneros, quos diligenter colligit, & portat gremio suo ad o-uile, Oues autem recens fœtas, & adhuc ex partu imbecilles

non cogit duriter, ut reliquum gregem celeri cursu sequantur, sed ducit eas pedetentim, aut etiam ipsas, si infirmiores sunt, q̄z ut incedere queant, brachijs suis ad ouile portat. Talis pastor est & Christus. Non agnoscit tantum sanos, firmos et fortes fide, sed agnoscit etiam imbecilles in fide. Et quo quis est infirmior & abiectior, eo magis est curæ Christo. Linum, inquit, fumigans non extinguit, & calamum quassatum non confringit. Et iterum: Non ueni ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

QVIS MENSVS EST PVGILLO AQVAS &c.

Siue hæc quæ sequuntur sint una concio, cum superioribus, siue alia, certe sermo nunc fit de eodē Dño, hoc est, de æterno filio Dei, de quo antea dictum est, q̄ cōcionator in deserto iussurus sit parari ei uiam, & de quo Apostoli cōcionaturi sint, eum esse uere Deū nostrum. Supra em̄ ostendimus, Esaiam instituisse hanc concionē occasione uaticinij de captiuitate Babylonica, ut pij acciperent consolationem, et munirentur aduersus offendicula. In hac aūt Babylonica afflictione duo præcipue offendicula obijciebantur pijs. Alterum, q̄ Babylonij erāt fœliciſsimi in sua idolatria et impietate. Sollicitabantur igitur infirmi, q̄ existimarēt idolatriam Babyloniorū placere Deo, & esse ueram pietatem. Alterum, q̄ ciues et incolę regni Iuda, qui dicebant̄ populus Dei, erant in sua religione & expectatione Christi filij Dei, infœliciſsimi, et opprimebantur ab hostibus suis crudeliter. Ideoq̄ uidebatur Deus eos abiecisse, nec habere aliquam ipsorū curam, nec approbare eorū religionem et expectationem seu fidem in Christum. Quare, sicut Propheta antea cōsolatus est ecclesiam populi Dei, euangelio de certiſsimo aduentu Christi & reuelatione regni eius, ita nunc munit ecclesiā aduersus hęc offendicula, & exponit maiestatem, sapientiam et potentiam filij Dei, & sollicitudinem eius p̄ ecclesia sua, ut doceat, q̄ etsi hostes sunt fœlices, et pij infœlices, tamē idolatria hostiū sit impia, Deoq̄ abominanda, & pij consecuturi sint cura filij Dei ueram fœlicitatē. Ac inicio recensēt maiestatem filij Dei. Quis, inquiens, metitur aquas pugillo? Quis concludit cœlos palmo? Quis comprehendit puluerem terræ, mensura ternaria, hoc est, minima, et quę tres digitos non excedat? Quis ponderat montes statera, & colles bilance? Hęc est descriptio maiestatis filij Dei Dñi nostri Iesu Christi. Omnia em̄ per ipsum facta sunt, et sine ipso, inquit Ioannes, factū est nihil &c. Et Paulus, Per illū creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes, siue principatus siue potestates, omnia per illū, & in illū creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia p̄ illū cōsistunt. Cū igitur Christus filius Dei sit rerū omniū, tā cœli & terrę, q̄z earū q̄ in his continent̄, creator, & conseruator, necessario sequitur, tantam eius maiestatē

esse,ut uniuersa moles aquarum,uix possit pugillum eius implere, & totum cœlum,quamuis spaciosissimũ,non queat pertingere ad mensurã palmi eius. Quid dicemus de alijs rebus? Multus est puluis terræ,quem nullus hominum metiri potest,nec est ulla tanta inter homines mensura,qua hic puluis possit comprehendi. Tanta autem est maiestas filij Dei,ut hic tantus puluis nõ excedat coram eo mensuram trium digitorum eius. Sunt & in terra colles et montes maximi,atq; altissimi,quos nullus hominũ,nullus quamuis potẽtissimus Monarcha in statera collocare & ponderare potest. Solus filius Dei tantæ est maiestatis,ut posset omnes montes et colles in stateris sic ponderare,quemadmodũ numularij solent ponderare unum aut alterum aureum numum,aut mínutos lapides. Deinde recenset Propheta sapientiam filij Dei. Quis eruditit spiritum Domini? Quis fuit ei à consilijs? Cum quo inijt consiliũ,ut doceret ipsum prudẽtiam,& erudiret ipsum quid esset iustum,ac redderet eum rerum peritum,& intelligentem? Ex hoc loco concionatur etiam Paulus Ro.11.& 1.Cor.12.de sapientia filij Dei. Ac profecto, nulla humana ratio satis admirari potest,tantam sapientiam,qua filius Dei in creandis rebus usus est. Quid enim illa rerũ omniũ dispositio,quid proportio,quid magnitudo,quid perduratio, quid pulchritudo,quid æquabilitas motuum,quid tanta rerum multitudo,quid uarietas in stellis,in animantibus,in plantis? Quomodo filius Dei potuit omnia ista excogitare,ut non dicã,perficere & absoluere? De ea autem sapientia,qua usus est in redimendo homine à morte & Satana,præstat hoc loco silere,quam pauca tantum dicere. Tantam autem sapientiam nullus angelorum,nullus hominũ eum docuit,sed possidet eã natura sua ab æterno à Deo patre suo, cum quo eiusdem est essentiæ & maiestatis. Post expositionem sapientiæ filij Dei redit Propheta iterum ad expositionẽ maiestatis eius. Ecce,inquiens,tãta est maiestas eius,ut omnes gentes in terra reputentur coram ipso,tanq; guttula aquę,quæ remanet aut pendet in situla,& tanquam tenuissima quædam particula,quæ ex rebus ponderatis adhæret stateræ. Ecce etiã tanta est maiestas eius, ut posset magnas insulas maris,tã facile tollere & alio projcere ac transferre, q; facile homo quispiã minutissimũ puluerẽ aut stipulã leuaret ac projceret. Quod si uero susceperis ei sacrũ,p dignitate sua faciendũ,tãta est maiestas eius,ut nec omnes bestię,nec omnia ligna in Libano sufficerent in holocaustũ amplitudine eius dignũ. Quid pluribus opus? Omnes gẽtes in toto orbe terrarum collatæ ad ipsum,sunt res uanę,et quasi nihilũ. Habes descriptionẽ maiestatis & sapientię filij Dei. Quid ergo sibi uult hæc descriptio? aut in quẽ finẽ tẽdit? Diximus antea,q; Propheta susceperit medendũ offendiculo,q̃d obijciebat̃ pijs ex fœlici idolatria Babyloniorum. Re

futat

lutat igitur hanc idolatriam,& docet impietatem eius,argumento ducto à ſapientia & maieſtate filij Dei. Nam filius Dei maieſtate ſua amplior eſt,& ſapientia excellentior,quam quem ullus humanus captus comprehendere queat.Cui ergo ſimilem, inquit Propheta,facietis Deum,ſeu Dei filium? aut quodnã ſimulacrum adorabitis ei? Et ut ſpiritus ſanctus palàm derideat uanitatem Babyloniorum ac cæterarum gentium,& doceat cultum eorum non eſſe diuinum inſtitutum,ſed humanum figmẽtum,deſcribit fabricationem Idolorum,de qua tamen fabricatione infra cap.44.copioſius. Artifex (inquit) architectatur ſculptile, Aurifaber obducit illud auro,& addit ei catenulas argenteas. Qui uero pauperior eſt,ꝙ ut queat precioſum ſacrum facere, ſeligit ſibi lignũ,quod non putreſcit,& tradit induſtrio artifici,ut faciat ex eo ſculptile durabile. Sed ut hęc recte intelligamus,diligenter conſiderandum eſt,quod Babylonij non fuerint rerum diuinarũ tam rudes,& ignari,ut opinione ſua exiſtimauerint ſimulacrum aureum,aut ligneum eſſe uere Deum ipſum cœleſtem.Etſi enim in uulgo fuerunt inſani quidam homines,qui ſtatuam pro Deo coluerint & adorauerint, tamen prudentiores non uoluerunt uideri ſe habere ſtatuas aut ſimulacra pro dijs ipſis,ſed uel pro ſignis,quorũ cultu Deus delectetur, & propter quæ ad conferenda cultoribus beneficia excitetur: uel pro organis,per quæ Deus miracula operetur. Hoc autem eſt ex ſtatua,ex idolo & ſimulacro facere Chriſtum filium Dei. Chriſtus enim is ſolus eſt,cuius cultu ſeu fide Deus ita delectatur,ut cultoribus,hoc eſt,credentibus in ipſum faueat,& conferat in eos omnia genera beneficiorum,adeoꝙ adoptet eos in filios & hæredes cœleſtium ſuorum bonorũ,propter ipſum.Quare,cum gentes ſperauerint ſe hæc diuina beneficia conſecuturas à Deo,non per cultum ſeu fidem in Chriſtum,quẽ aut neſcierunt,aut contempſerunt,ſed per cultum ſuorum idolorum & ſimulacrorum,uere dicuntur,ꝙ fecerint,quantum in ipſis fuit,ex idolis & ſimulacris ſuis Chriſtum filium Dei,ſeu uerum Deum,etſi nihil minus coram ijs,qui exprobrabant eis idolatrian & impietatẽ,facere ſe confitebantur. Quod cum ita ſe habeat,facile nunc intelligi poteſt,quæ ſit ſentẽtia expro brationis huius propheticæ.Cui,inquit,ſimilẽ facietis Deũ? Vos Babylonij inſtituitis idola, & ſperatis ꝙ Deus ſit uobis propter idolorum cultum propicius.Quæ autẽ hæc eſt inſania,quis furor? Nihil enim manifeſtius eſt,quam quod hic idolorum cultus ſit humanum figmentum.An non idola fiunt ab artificibus,ex auro et ligno? An non uos inſtituitis ea & colitis ſine ullo uerbo Dei, tantũ ex ueſtro arbitrio? Dñs aũt Deus noſter nõ eſt tã ſordidi & abiecti animi,ut delectet humanis figmẽtis,& fiat propicius,ꝓpter iſta artificum opera,ſed uult coli per ſuũ ipſius filiũ,qui eſt eiuſdẽ cum ipſo

ipsa essentiæ & maiestatis,& uult propicius fieri per cultum solius filij sui,qui tantę est maiestatis,ut comprehendat molem aquarum pugillo,& metiatur cœlos palmo: qui etiam tantæ est sapientię,ut sine ullo alieno consilio cœlum & terram condiderit,& adhuc conseruet. Quare,etsi diuinus cultus,quem exercent Babylonij, uidetur esse fœlicissimus,tamen est cultus uere impius,& Deo abominabilis,ideoq; uobis pijs detestandus & fugiendus. Quod Esaias dicit de cultu Dei apud Babylonios usitato,hoc transferendum etiam est ad cultum Pharisaicum apud Iudæos,ad cultum Mahumeticum apud Turcas,& ad cultum monasticum ac Sophisticum inter Christianos. Sunt enim,qui confidunt se reddere Deum propicium obseruatione regulæ suæ monasticæ,aut sacrificio Missæ. His dicitur: Cui similem facitis filium Dei? aut quodnam simulacrum adornatis ei? Perspicuum enim est,quod ordinum Monasticorum regulæ sunt ab hominibus compositæ. Alius enim cauit in regula de forma uestitus,alius de cingulo,alius de calceis, alius de cuculla,alius de somni & uigiliæ temporibus,alius de ieiunijs,alius de faciendis sacris,alius aliud ad hoc institutum contulit,donec tandem prodijt idolum illud,quod uocatur Ordo monasticus. Sic dicendum est de sacrificio Missæ. In huius enim effictione multi fuerunt artifices. Postquam enim Christus instituit cœnam dominicam, quæ ecclesiæ esset distribuenda, fecerunt illi ex ea sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Et alius quidem adiecit Introitū, alius κύριε ἐλέησον, alius graduale,alius Alleluia,alius Symbolum Nicænum,alius Offertorium, alius Canonem ex uarijs consutum,alius alia,donec tandem perfectum est hoc idolum, quod uocatur Missa,& quod habetur pro summo sacro, quo Deus intantum delectetur,ut propter ipsum remittat peccata uiuis & mortuis. Deus autem non uult coli humanis institutis,nec placatur cultibus humana industria excogitatis. Sed placatur uno tantum cultu solius filij sui Domini nostri Iesu Christi,qui est eiusdem cum ipso essentiæ & maiestatis. Quare,qui confidit se Deo placere merito cucullæ aut Missæ suæ,is facit,quantum in ipso est, ex cuculla & Missa,Christum filium Dei,& facit Deum cucullatum, ac Missarium,quod quanta sit abominatio,non pij tantū nomen Domini eruditi,uerumetiam alij alios sapientia quadam humana superantes facile intelligere possunt.

NVNQVID NON SCITIS? NVNQVID NON AVDISTIS &c.

Dicent Babylonij. Quid nos accusas impietatis,quod non colamus Deum per suum filium,sed per nostra sacra & idola? Quis nobis Ethnicis aliquid de filio Dei dixisset? Quomodo uenire nobis in mentem potuisset,Deum colendum tātum esse fide in filium suum,

ſuum, & non potius per hæc ſacra, quæ non nos primi excogitauimus, ſed accepimus ea a maioribus noſtris? Hanc obiectionem refutat nunc Eſaias. An, inquiēs, nihil harum diuinarum rerum ſcitis? An de uera religione nūquam aliquid certi audiuiſtis? An non ab initio uobis adnunciatum eſt, qua in re conſiſtat uera religio? An non de hac edocti eſtis iam inde ab eo tempore, quo fundamenta orbis terræ iacta ſunt? His uerbis admonet Propheta Babylonios eius doctrinæ de Deo, quæ a primis Patriarchis ab initio mundi, ad poſteros propagata eſt. Etſi enim negari non poteſt, quin quam religionem Babylonij tunc ſectabantur, acceperint a proximis ſuis maioribus, non tamen acceperunt eam a primis illis Patriarchis, a quibus & ipſi duxerunt originem. Deſcendunt enim Babylonij, ſicut & aliæ gentes, a Patriarcha Noha, Noha autem diſcendit ab Adamo per Seth. Porro, hi Patriarchæ haud obſcure docuerunt de ſemine mulieris ſeu de filio uirginis, quod contriturus ſit potentiam Satanæ, & quod ira Dei placanda ſit per ſacrificium eius. Vnde etiam ſpiritu ſancto excitati inſtituerunt ſacrificia (Commemorat enim ſcriptura ſacrificia Abelis, Nohæ, Abrahami,) non ut merito eorum placaretur Deus, ſed ut ſacrificiū ſeminis promiſsi, quo ſolo Deus placandus erat, adumbraretur, & quo doctrina de hoc ſemine inter poſteros conſeruaretur. Nec hoc tantum tradiderunt Patriarchæ poſteris ſuis, quod promiſſum ſemen ſit futurus homo, ſed etiam quod ſit uerus ueri Dei filius. Hoc enim ſignificat Eua, cum nato Caino, exiſtimaret ſe hunc Dei filium iam peperiſſe, (Sed fallebatur miſera mulier) & exclamaret, ſe acquiſiuiſſe uirum Dominum, hoc eſt, uerum illum Dei filium, in Paradiſo prōmiſſum. Hoc illud eſt quod Propheta dicit: An non iſta adnunciata ſunt uobis ab initio mundi? An non propagata ſunt a Patriarchis iam inde ab eo tempore, quo iacta ſunt fundamēta orbis terræ? Quare, ſi Babylonij tam ſtudioſi fuiſſent ſectandæ pietatis, quam ſtudioſi fuerunt acquirendæ potentiæ, & propagandæ gloriæ nominis ſui, potuiſſent nō magno admodum labore cognoſcere, quæ religio diuinitus eſſet tradita, & propagata per primos illos Patriarchas, a quibus & ipſi duxerunt originem, & quæ etiam religio conficta eſſet a proximis illis parentibus: potuiſſent & ueram religionis doctrinam a populo Iſraelitico petere, penes quem uetuſtatis monumenta conſeruata erant. Sed quia maluerunt ſine ulla cognitione, proximorum parentum figmenta ſectari, ac noua quoq; confingere, quam certam ueritatem a primis Patriarchis propagatam pie & diligenter inquirere, nullam prorſus habent impietatis ſuæ coram Deo excuſationem. Eadem dicenda ſunt Turcis, Monachis & ſacrificulis. Hi enim, ſi tanto ſtudio tenerentur cognoſcen

dæ ueræ pietatis, quanto tenentur sectandæ uoluptatis, & retinendæ suæ potentiæ ac dignitatis, facile cognoscerent suam religionem non esse traditam a Prophetis & Apostolis, sed institutam ab hominibus, ideoque hoc uerbo Christi damnatam: Frustra colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Nunc autem, quia malunt impietatem ab hominibus acceptam sectari & defendere, quam ueram pietatem & salutem inquirere, nõ habent, quod suæ impietati coram Deo prætexant.

Sed pergit Esaias iterum reuerti ad descriptionem maiestatis filij Dei, ut adhuc clarius coarguat Babylonios & omnes alias gentes suæ uanitatis & Idolatriæ. Filius enim Dei is est, qui supra sphæram terræ tanta maiestate sedet, ut coram ipso omnes incolæ terræ uideantur tanquam examen locustarum. Deinde is est, qui extendit cœlos, sicut tenuem pellem, & expandit eos instar tentorij, quod ad inhabitandum figitur. Sic & Psalmo centesimo tertio: Extendens cœlum sicut cortinam &c. Præterea is est, qui deijcit Principes, ut non sint amplius Principes: & qui Iudices, seu potentes in terra ita subuertere solet, ut omnis autoritas & potentia eorum uana fiat. Sed & sic eos extirpare aliquoties solet, ut stirps eorum uideatur nunquam plantata, aut seminata, aut radice fundata in terra fuisse. In potestate enim sua ita eos continet, ut quamprimum aspiraverit tantum eos, continuo exarescant, & tollantur, quemadmodum turbo stipulam tollere solet. Hæ sententiæ de subuersione Principum terræ multis alijs tam dictis quam exemplis & sacræ scripturæ, & aliorum scriptorum comprobantur. Docet etiam ueritatem earum quotidiana rerum experientia. Effundit, inquit Psalmus, Contemptum super Principes. Et rursus. Deponit potentes de sede. Testantur hoc exempla Pharaonis, Zidekiæ, Nabuchodonosoris, & multorum aliorum. Hæc sunt opera maiestatis & potentiæ filij Dei. Cum ergo tanta sit maiestas eius, cui me, inquit, assimilabitis? Cui me similem facietis? Nam sic est a Deo constitutum, ut quicunque uelit eum recte & pie colere, atq; fauorem eius consequi, colat eum, per me, Sanctum Israelis, per me Christũ filium Dei. Si enim quis in me credit, Deus Pater, qui me promisit, & suo tempore missurus est, tanto fauore eum complectitur, ut non tantum remittat ei peccata, sed etiam adoptet eum in filium & hæredem bonorum suorum. Vos autem Babylonij non colitis Deum, per fidem in me Christum filium eius, sed suscipitis eum colendum per uestra idola, & alia uestra commenticia sacra. Itaq; facitis me similem idolo aureo, aut ligneo. Sic & uos Monachi non colitis Deum, per fidem in Iesum Christum, sed per instituta uestrorum monasticorum ordinum, & per uestras Missas. Itaque facitis

facitis me similem monasticæ cucullæ, & hypocriticæ Missæ. At Christus maiestate sua longe superat omnia illa humana idola siue inter Ethnicos, siue inter Christianos, quemadmodum nunc maiestas eius aliqua ex parte commemorata est. Quare impie peccant in Deum, & filium eius, quotquot idolorum aut aliorum humanorum operum culturam sectantur. Hæc sunt, quibus Esaias uoluit in præsentia mederi offendiculo, quod Ecclesiæ suę ac posteris, ex fœlici Babyloniorum Idolatria obijciebatur.

LEVATE IN EXCELSVM OCVLOS VESTROS, ET VIDETE &c.

Ostendimus Ecclesiæ Israeliticæ duo præcipue offendicula ex uaticinio de captiuitate Babylonica obiecta fuisse. Alterum, quod sollicitarentur existimare Idolatrian Babyloniorum esse ueram & Deo placentem religionem, quia Deus conferat in eos, qui illam colunt, magnas & præclaras uictorias. Sed Esaias hactenus refutauit eam, & docuit eam esse impiam, ideoque omnibus pijs fugiendam. Duxit autem argumenta a maiestate & sapientia filij Dei, cuius honor nequaquam transferendus sit ad opera manuum hominum. Alterum, quod sollicitarentur existimare Deum deseruisse ipsos, & abiecisse, quia cõijciat eos in extremas afflictiones, ac in interneciones. De hoc offendiculo nunc concionatur Esaias, ac suscipit ei medendum, ut cõtineat Ecclesiam in officio fidei, & doceat eam, etiã in summis angustijs, & ęrumnis filio Dei maximę curę esse, atque conseruari. Vocat autem Ecclesiam nomine Iacob & Israelis, partim, quòd ciues Hierosolymitani, qui tunc dicebantur populus Dei, & Ecclesia, duxerint originem suam ab hoc Patriarcha: partim, quod sicut Patriarcha Iacob uicit in certamine suo angelum Dei, et reportauit nomen Israel, quod significat Victorem Dei, ita Ecclesia dicatur uincere Deum, dum omnes afflictiones a Deo immissas, fide sua in filium Dei uincit & superat. Cur, inquit, o Iacob sic dicis, cur o Israel sic loqueris: Via mea abscondita est a Domino, & Iudicium meum transiuit a Deo meo? hoc est, Cur tu Ecclesia Dei, conquereris, Dominum non respicere te, non curare te, & non requirere, quid mali aut aduersi tibi accidat? Cur conquereris te a Christo filio Dei desertam & abiectam? & Dominum plane in tot ærumnis tui oblitum esse? Sic enim homini afflicto, & maximis calamitatibus obruto uidetur, quod non sit amplius Deo curæ, quod Deus abiecerit ipsum, ut necesse habeat perpetuo interire. Recitat igitur Propheta argumenta, quibus probat tantum abesse, ut Deus negligat in afflictionibus populum suum, ut tunc maxime omnium eum adiuuet, & conseruet. Attollite, inquit, oculos uestros in sublime, & uidete, quis creauerit hæc. Filius nimi-

rum Dei creauit ea, qui & producit seu oriri facit exercitū eorum, qui est exercitus stellarum, iuxta numerum & ordinem ipsorum. Vocat & singulas stellas suis nominibus. Sic & in Psalmo centesimo quadragesimosexto dicitur: Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocans. Dicitur autem filius Dei stellas nominibus suis uocare, quod habeat eas in sua potestate, & cognoscat eas, alioqui incognitas. Ac tantum est ei uirium & roboris, quod ita conseruet eas, ut nulla ex eis iam inde ab initio orbis terræ concidat, ac pereat. Nam quæ stellæ fuerunt ante diluuium in firmamento, adhuc firmissime constant, suisq; temporibus & in suo ordine oriuntur & occidunt. Hoc est argumentum a minori, quemadmodum colligitur ex Deuteronomij capite quarto, ubi dicitur, quod Deus creauerit Solem, Lunam, stellas, & uniuersum exercitum cœlorum, in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Sententia igitur argumenti hæc est, Si filius Dei stellas, quas creauit, non ut essent dominæ, sed seruæ tuæ, ac etiam reliquarum gentium, tanta cura & sollicitudine conseruat, ut tanto tempore nullam ex eis amiserit, sed potius faciat eas singulis diebus, suo tempore, & ordine oriri ac occidere, etiamsi cœlum obductum uideatur crassissimis nebulis, quanto magis curat & conseruat, etiam in extremis ærumnis te populum & Ecclesiam suam, in cuius ministerium hæc cœlestia corpora creauit. Scilicet seruos curaret, & non curaret dominos? Hic locus admonet nos de Theologico usu stellarum in cœlo. Hæc enim pulcherrima corpora, cœlo infixa, non sunt aut rustice, aut mathematice tantum, sed multo magis Theologice aspicienda, uidelicet ut ex eis excitemur ad considerandam non solum potentiam & industriam creatoris, uerum etiam curam & sollicitudinem eius pro salute Ecclesiæ suæ. Ac profecto Theologicus usus stellarum multus est. Abraamo ostenditur multitudo stellarum, ut confirmetur fides eius de multiplicatione seminis eius. In Iobe commendatur nobis ex stellis potentia & maiestas Dei. Qui fecit, inquit, Arcturum, Cynosuram, & Pleiadas, & penetralia Austri. Similiter in Psalmo: Qui numerat multitudinem stellarum &c. In Hieremia demonstratur ex stellis firma conseruatio Ecclesiæ Dei: Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumen diei, ordinem Lunæ & stellarum in lumen noctis, qui turbat mare & sonant fluctus eius, DOMINVS Zebaoth nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. Attollamus igitur & nos oculos nostros in sublime, & aspiciamus hæc illustrissima cœli corpora, ut confirmemus fidem nostram, & autori eorum ex fide obediamus.

Stellarum usus Theologicus.

Sed

Sed hoc argumento, quod iam de cura filij Dei recitatum est, nondum sibi satisfieri putat imbecillis animus, præsertim graui ærumnarum mole prostratus. Solet enim humanas imbecillitates ad diuina transferre, ac existimare, quod quemadmodum in magno huius terræ Imperio unus Princeps non sufficit omnibus rebus in Imperio curandis & administrandis, sed fractus negociorum magnitudine, & defatigatus, aut abijcit omnino curam, aut reijcit eam in alios: ita filius Dei, non sufficiat tantæ moli cœli ac terræ gubernandæ, quin potius tot laboribus defessus, curet tantum, quæ in cœlo aguntur, aut, si respiciat etiam terras, gubernet tantum summorum Monarcharum negocia, non autem curet miserum & abiectum illum populum, qui se Ecclesiam Dei esse profitetur. His igitur seu cogitationibus seu obiectionibus imbecillium respondet Spiritus sanctus. An nescis? inquiens, an non audiuisti, quod sempiternus ille Deus & DOMINVS, qui omnes fines terræ creauit, non fatigetur labore, nec frangatur lassitudine? Neque enim quisquam est hominum, qui etiamsi sollicite inuestiget, intelligentia tamen sua consequi possit, quam longe distet diuina maiestas ab humanis imbecillitatibus. Nam tantum abest, ut Deus negociorum mole succumbat, & lassitudine frangatur, ut potius ipse det lasso uires, & eum quem uires destituunt, robore abundanter reficiat. Hæc est insignis & obseruabilis concio de clementia & cura filij Dei erga miseros & afflictos. Sed quo diligentius obseruetur, & cognoscatur etiam, qui proprie capiant fructum curæ filij Dei, illustrat Propheta hanc concionem collatione. Pueri, inquit, seu adolescentes deficiunt, redduntur fessi & defatigati; & iuuenes robore præstantes, præ imbecillitate concidunt. Qui autem expectant DOMINVM, mutabunt fortitudinem, seu nouas subinde uires recipiunt, sustollent alas, sicut Aquilæ: Current, & non defatigabuntur; ambulabunt, & non erunt fessi. Quos hic pueros, seu adolescentes, & Iuuenes dicit, intelligit homines robustos, & potentes, qui suis uiribus confidunt. Qui autem expectant DOMINVM, sunt afflicti & abiecti, qui præter cœleste auxilium, non habent aliud, quo e malis eripiantur & seruentur. Iudicium igitur filij Dei hoc est, ut confidentes carnali suo robore & fortitudine deijciantur & opprimantur, etiamsi fuerint iuuenes longe omnium robustissimi, & Principes potentissimi. Sententia huius γνώμης sæpe in scriptura repetitur, & multis exemplis probatur. Arcus fortium, inquit Anna, superatur. Et Dauid: Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neque in tibijs uiri beneplacitum est ei. Et Hie-

remias: Maledictus homo, qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suũ, & a Domino recedit cor eius &c. Sic Pharao, sic Sancherib, sic Nabuchodonosor confisi sunt suo robore, sed defatigati sunt, & præ imbecillitate conciderunt. Econtra uero, Miseri & afflicti homines, qui e solius Domini auxilio pendent, & solum Dei auxilium expectant, hi intantum non destituuntur cœlesti ope in aduersis suis, ut non solum conseruentur, uerumetiam nouas subinde uires recipiant, & tam agiles fiant, ut uelut aquilæ in alta subuolent. Et currunt quidem, hoc est, aduersis premuntur, sed non opprimuntur. Et ambulant quidem, hoc est, grauibus ærũnis affliguntur, sed non succumbunt, nec pereunt. Tria enim sunt bñficia, quæ filius Dei confert ad Ecclesiã suam in afflictione eius. Primum est, quod nõ sinat Ecclesiam grauius affligi, quam commode tolerare potest. Et quemadmodum posuit mari suos terminos, ita circumscribit etiam suis finibus afflictiones Ecclesiæ suæ. Ad Satanam de Iobe dicitur: Ecce uniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Et postea: Ecce in manu tua est, ueruntamen animam eius serua. Et Paulus. Fidelis, inquit, est Deus, qui non sinet uos tẽtari supra id quod potestis, sed faciet una cum tentatione euẽtum, ut possitis sufferre. Hoc illud est, quod Esaias dicit: Current & non laborabunt: Ambulabunt, & non deficient. Et Paulus iterum. In omnibus premimur, at non anxij reddimur. Laboramus, at non destituimur. Persecutionẽ patimur, at nõ deserimur. Deijcimur, at non perimus. Secundum est, q̃ filius Dei non solum dat in afflictione euentum, ut possit sufferri, uerumetiã reddit afflictos fortiores, sicut Esaias dicit: Mutabũt fortitudinem, hoc est, nouas subinde uires recipiũt. Et Paulus: Nõ defatigamur, sed quanuis externus noster homo corrumpitur, internus tamẽ renouatur in dies singulos. Tertium est, q̃ filius Dei tandem liberat Ecclesiam ab omnibus afflictionibus, & donat eam ẽterna tranquillitate, ut perpetuo cũ ipso fœliciter regnet. Quid igitur habes, q̃d in aduersis cõqueraris? Veniet captiuitas Babylonica. Grauissimũ malum. Non tñ extremum, quia filius Dei recepit se daturum euentum, ut possit sufferri, & redditurum captiuos fortiores, ac nouis uirtutibus ornatiores, ac tandem captiuitatem compẽsaturum ẽterna libertate. Sed quibus? num indiscriminatim omnibus? Promissio proposita quidem est omnibus, sed non omnes eam accipiunt, ideoq̃ non omnes ea fruuntur. Fruuntur aũt hi, qui expectant Dominum: In silentio, inquit alias, & in spe erit fortitudo uestra. Beati omnes, qui expectãt eum. Et in Psal. Expecta Dñm uiriliter age, & confortetur cor tuũ. Et Abacuc: Si morã fecerit, expecta eũ. Quare

si

si uolueris his beneficijs filij Dei frui, primum omnium necesse habes membrꝝ eius esse per fidem. Deinde necesse habes in uocatione eius perseuerare, & in ea auxilium Dei obedienter expectare. Quod si feceris, dubium non est, quin consequaris ueram ex omnibus malis liberationem.

CAPVT XLI.

TACEANT AD ME INSVLÆ, ET GENTES MVTENT &c.

In explicandis Prophetarum concionibus plurimum refert, ut semper tibi statum earꝝ concionum, quas explicãdas suscepisti, ob oculos ponas. Nam si hunc non diligenter intuearis, fieri quidẽ potest, ut pia dicas, sed ut Prophetæ apta dicas, uix fieri potest. Quare status harum concionum, quas Esaias in his capitibus recitat, iterũ nobis considerandus est, ut cum cognoscimus, quo omnia sint referenda, magis perspicua sese nobis offerant. Ostendimus igitur supra, & postea uulgabatur in Ecclesia Israelitica, ab Esaia & collegis eius, uaticinium de captiuitate Babylonica, maxima inuaserit pios quosque trepidatio. Metuebant enim non tam sibi, quorum temporibus tanta uastatio populi Dei nondum uentura erat, quam posteris suis, ac uniuersæ Ecclesiæ Dei, ne hi in captiuitatem abducti, offenderentur fœlicitate Babyloniorum, & deficerent ad Idolatriam eorum. Itaq; periculum erat, ne Deus abijceret populum suum, ac nulla uspiam remaneret Ecclesia Dei in toto orbe terrarũ. Quod si fieret, quid reliquum esset, nisi ut non solum impiæ gentes, uerũ etiam posteri seminis Abrahę, qui in populum Dei electi erant, uera sua & perpetua salute destituerentur, adeoq; uniuersum humanum genus periret? Hæc est grauissima afflictio, qua animi non de terrenorum bonorum, sed de ęternę salutis suæ amissione, ac de ueritatis promissionum Dei & gloriæ nominis eius interitu tentantur. Quare excitatur Propheta a spiritu sancto, ut suscipiat has conciones uel recitandas uel scribendas, quibus medeatur tantis offendiculis, & doceat tam præsentes suos auditores, quam posteros, quanta sit uanitas idolorum, & quanta cura uerus Deus populum seu Ecclesiam suam complectatur, & conseruet, etiamsi inter immanissimas gentes dispergatur. Ac primum, cum in præcedenti capite dederit præcipuas loquendi partes filio Dei, nunc in hoc capite tribuit eas Deo Patri una cum filio. Sic enim infra sequitur. Dicit DOMINVS & Redemptor tuus Sanctus Israel. Et iterum:

Manus Domini fecit hoc, & Sanctus Israel creauit illud: hoc est, Deus Pater & filius, duæ quidem distinctæ personæ, sed unus tantum Deus, unaque tantum diuina essentia. Et quia Petrus dicit, Spiritum Christi, qui est Spiritus sanctus, fuisse in Prophetis, ac Sanctos Dei homines impulsos esse ad loquendum a spiritu sancto, ideo in hoc capite non solus Pater & Filius, sed etiam Spiritus sanctus loquitur, ut sentiendum sit, hanc esse concionem non uani cuiusdam somniatoris, sed æterni Dei Patris Filij, & Spiritus sancti. Initio autem suscipit Deus, quasi forensem contentionem cum dijs & sacris Babyloniorum, atque omnium aliarum gentium, & cum eorum deorum ac sacrorum cultoribus, ut manifestis argumentis refutet idolatricam impietatem, & contineat Ecclesiam suam in cognitione & inuocatione unius ac ueri Dei per fidem filij eius, Domini nostri Iesu Christi. Taceant, inquit Deus, ad me Insulæ, & Gentes mutent fortitudinnem &c. Possem quidem pro iure maiestatis meæ, simpliciter, absque ulla humana ratione, fidem ab omnibus hominibus in me exigere, & alios Deos, uere ficticios damnare: Sed agite uos Insulani, & uos reliquæ Gentes, quotquot colitis alienos deos, cedam hac in parte iuri meo, & suscipiam uobiscum forensem actionem, coram humano Iudicio, de meæ diuinitatis ueritate, & de uestra uanitate. Expergiscimini ergo, & sistite uos iudicio. Tacete, ut audiatis meam aduersum uos accusationem. Mutate fortitudinem, hoc est, sumite uobis uires, & præparate uos ad respondendum meæ accusationi. Proferte, si quid habetis, in medium, ut in Iudicio uestram causam tueamini. Arrigamus & nos, amici in Christo carissimi, aures nostras, ut cognoscamus, quam afferat Dominus Deus noster accusationem aduersus deos gentium & cultores eorum. Quis suscitauit, inquit, ab Oriente Iustum, & euocauit eum, ut obediret, & relicta patria, in terram aliam, nondum cognitam, proficisceretur? Recitat exemplum Abrahæ, & miracula, quę in ipso diuinitus ædita sunt. Quę, cum non fuerint obscura, sed uulgatissima inter omnes eas Gentes, quæ tum in terrá erant, debuissent ea gentes diligenter considerasse, & ex ipsis cognouisse, hũc solum esse uerum Deum, quem Abraham coluit, & hunc solum Deum esse inuocandum. Non enim sentiendum est, quod Abraham fuerit suo tempore obscurus quispiam uir, cuius actiones, profectiones, & peregrinationes, tam ignotæ fuerint mundo, quam nunc sunt priuati cuiusdam eronis, aut mendici negocia: sed quod fuerit Patriarcha longe ōnium illustrissimus, & omnibus Gentibus, quæ tunc erant, notissimus. Duxit enim originem sum a Patriarcha Sem, filio Noe, qui

1. Pet. 1.
2. Pet. 1.

qui Sem ꝑs temporibus adhuc uitam in terris agebat, & cognominabatur Melchisedec. Etsi autem multi quoque alij descenderant ab huius Patriarchæ prosapia, tamen Abrahamum reddebat inter alios clariorem & illustriorem insignis illa uictoria, quam a quatuor regibus reportauit, Geneſis decimoquarto. Illustrabatur etiam nomen eius ex ea benedictione, quam accipiebat a Sem seu Melchisedec, qui tunc ab uniuersis habitus fuit Patriarcha maximæ omnium autoritatis. Quare fieri non potuit, quin res gestæ Abraami fuerint tunc omnibus Gentibus & populis notissimæ. Audiamus ergo, quæ Deus per Abraamum gesserit.

Primum, Cum Abraam esset in Oriente, hoc est, in Mesopotamia, ut Stephanus Actorum septimo dicit, apparuit ei Deus, & iussit eum deserere terram patriam, & cognationem suam, ac emigrare in aliam regionem, quam ipsi monstraturus esset. Nec fuit Abraham ad hanc Dei uocationem impiger. Statim enim, deserta patria, profectus est ab Oriente, in Haran, & postea, in terram Canaan. Hæc Abrahami peregrinatio non fuit inter homines eius gratis obscura, nec causa peregrinationis obscura fuit. Euocauit em̃ Deus Abrahamum de patria sua, ut palam significaret, se eam religionem, quam homines in patria Abrahami sectabantur, extreme detestari, per Abraamum autem meditari ueram religionis instaurationem ac reformationem. Maluit autem Spiritus sanctus Abrahamum, nomine Iusticiæ. (Hebræa enim ueritas sic habet: Quis excitauit ab Oriente Iusticiam?) quam nom̃ine Iusti significare, ut hac occasione subiiceret auditori uel lectori, illam insignem sententiam, quæ de Abraamo scripta est: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad Iusticiam. Nam cum Abraham, non ad suæ tantum personæ fœlicitatem, reputatus est iustus per fidem, sed etiam propositus est in exemplum uniuersæ Ecclesiæ Dei, ut quotquot credunt in Christum Abrahæ promissum, ijs reputetur fides ad Iusticiam, quemadmodum Paulus ad Romanos capite quarto docet, non inepte congruit, ut tribuatur Abraamo Iusticiæ potius, quam Iusti cognomen. *Abraam.*

Deinde, Deus dedit Abraamo hanc gratiam, ut quocunq; proficisceretur, formidabilis esset gentibus, & dominaretur Regibus. Hoc eo respicit, quod Abraam instaurauit Domino altaria in terra Canaan, & uulgauit inter gentes ueram doctrinam religionis impune, Geneſis duodecimo. Nisi enim Deus tutatus eum fuisset mirabiliter in hoc instituto, non potuisset euadere uiolentas impijssimarum gentium inter quas uersabatur manus. Quod aũt dicitur dominatus esse Regibus, respicit in eam historiam, qua scribitur, Pharaonẽ regem Ægypti afflictum fuisse propter Abraamũ,

& tractasse eum clementissime. Gen. duodecimo. Idem scriptum est de Abimelech rege Geraræ, Gen. uigesimo & uigesimoprimo. Nec hæc fuerunt obscura, sed gentibus ita conspicua, ut Abraam apud omnes esset terrori.

Præterea, Deus concesit Abraãmo admirabilem uictoriam in eo bello, quod cum paucis admodũ uernaculis, aduersus quatuor reges susceperat. De qua uictoria scriptum est Gen. decimoquarto. Et hic dicitur: Dedit eos gladio suo, ut puluerem, & arcui eius, ueluti stipulam, quæ propellitur. hoc est, Abraam tanta facilitate uicit cum paucis suis uernaculis, quatuor reges, quam facile puluis terræ excitatur, & stipula propellitur. Vnde & additur: Persequebatur eos, & transiuit in pace, hoc est, euasit incolumis, cum omnibus suis. Semita in pedibus eius non apparuerat, hoc est, nunquam antea fuerat eam uiam ingressus, nec emiserat ullos exploratores, & tamen uenit ad hostes, & reportauit ex eis uictoriam. Hæc est insignis & admirabilis uictoria, cuius fama longe lateque ita percrebuit, ut Abrahamus haberetur ab omnibus magnus ac summus ueri Dei, qui ei hanc uictoriam dederat, cultor & amicus, præsertim, cum Abrãam hac uictoria iustissime & moderatissime erga regem Zodomorum uteretur, & accederet quoque publica gratulatio & benedictio Melchisedeci.

Adhæc additur: Quis hæc operatus est, & fecit, uocans generationes ab exordio? Hæc alij sic interpretantur, quod Deus creet, ordinet ac disponat ab initio mundi usque ad finem eius omnes hominum generationes. Ac profecto hæc sententia uerissima est, & singulare atque admirabile opus Domini est, creare & conseruare in mundo hominum generationes. In quam sententiam Esaias postea capite quadragesimoquarto hoc dicto utitur. Sed ego existimo in hoc loco Spiritum sanctum adhuc commorari in recensendis miraculis, quæ Deus in Abrãamo & posteris eius ædidit. Deus enim is est, qui ut hæc omnia, quæ iam de Abraamo commemorata sunt, operatus est, & perfecit, ita uocauit etiam generationes eius ab initio. hoc est, effecit, (Vocare enim Dei est efficere eius. Vocat, inquit Paulus, ea, quæ non sunt, ut sint) ut & si Abraam ab initio unus tantum fuit, tamen tot generationes, tot milia hominum ab eo descenderint, ut posteri eius præ multitudine numerari non potuerint. Multiplicati sunt sicut stellæ cœli, & arena maris.

Hæc omnia sunt magna & stupenda miracula. Quis autem ea operatus est? quis ea ædidit? Respondet Deus ipse. Diximus enim supra, quod Deus causam suam, aduersus deos Gentium, & cultores eorum ita agat, quasi staret coram tribunali humani

iudicij.

iudicij. Cum igitur enumeraſſet miracula in Abraamo ædita, affirmat, non alium quendam, ſed ſeipſum ea ædidiſſe. Ego, inquiens, Dominus primus, & nouiſsima (uocans) ego ipſe inquam, (hoc eſt) Vt ego is ſum, qui primum ſeu initio euocaui Abraamum e patria ſua, ita etiam is ſum, qui nouiſsima & poſtrema in eo perfeci, & abſolui. Ego feci in Abraamo prima & ultima, hoc eſt, omnia miracula. Cum enim manifeſtum ſit, quod Abraamum euocauerim e patria ſua, ad fugiendam impiam ſympatriotarum ſuarum Idolatriam, manifeſtum quoq; ſit, quod miracula quæ in eo ædita ſunt, non potuerint humanis uiribus ædi, ſed neceſſario fatendum eſt, quod ædita ſint potentia Dei: manifeſtum etiam ſit, quod Abraam, poſtquam egreſſus eſt e patria ſua, non coluerit alium Deum præter me, nec inſtituerit altaria alteri Deo, præterquam mihi, nullum relinquitur dubium, quin præter me, nullus alius ſit tantorum miraculorum autor. Cæterum, hæc ſententia: Ego ſum primus, & nouiſsimus, & ſi accommodata eſt hic propoſito argumento de Abraamo, tamen per ſe late admodum patet. Et repetitur infra capite quadrageſimoquarto. Et in Apocalypſi, capite primo & uigeſimoſecundo. Ego ſum alpha & ω, primus & nouiſsimus, principium & finis. Initio enim deſcribitur hoc dicto æternitas Dei. Cum enim ipſe ſit rerum omnium primus & poſtremus, nihil eſt ante eum, nec poſt eum. Eſt igitur æternus, nec principium, nec finem habens, cum ipſe ſit rerum omnium principium & finis. Deinde ſignificatur hoc dicto, quod Deus omnia creauerit & conſeruet. Adhæc, hoc dictum ſubijcit nobis, quod Paulus ait: Quid habes, quod nõ accepiſti? Et, Ex ipſo, per ipſum, & in ipſum ſunt omnia. Et: Non, quod idonei ſimus ex nobis ipſis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipſis. Sed ſi ad aliquid idonei ſumus, id ex Deo eſt. Præterea docemur hoc dicto, Deum omnia implere, ſemper nobis in omnibus non tam actionibus, quam cogitationibus præſentem eſſe. Docet igitur nos hoc dictum fidem, docet timorem Dei, docet obedientiam, ut cogitantes Dominum Deum noſtrum eſſe primum & nouiſsimum, credamus eum nobis præſto adeſſe in omnibus periculis, & conſeruare ac tueri nos, ut in uocatione eius ire pergamus.

Sed audiamus, ad quod propoſitum Deus recitauerit res geſtas Abrahæ. Viderunt, inquit, inſulæ & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt &c. hoc eſt, Recitaui hanc hiſtoriam de Abraamo in hunc uſum, ut perſpicue conuincã omnes gentes, non ſolum impietatis, uerũmetiã manifeſtæ inſaniæ in ſua Idolatria, & cultu alienorum ſacrorum. Inſulæ enim, ſeu Inſulani, qui habitant in Meſopotamia, & circa ea loca, in quibus etiam Abraham habitauit: nec hi ſolum, ſed etiam omnes aliæ Gentes, uſque ad extremos

fines terræ, uiderunt & audierunt Abraamum diuinitus ab Idolatria euocatum, & alias res per Abraamū gestas, ac perspicue cognouerunt, quod tantæ res non potuerint geri humano cōsilio, & carnalibus uiribus, sed diuina tantum potentia, & benignitate. Itaque excitati sunt in tantam admirationem, ut nō solum cognouerint uere esse Deum in cœlis, omnia gubernantem, uerumetiam ad mentionem Dei, & tantæ eius maiestatis cohorruerint, ac ingenue confessi fuerint, hunc Deum esse colendum & inuocandum. Et tamen fuerunt tam ignaui, rerum diuinarum tam incurij, tam stulti, & insani, ut plane non inquirerent, uel ab Abrahamo, uel a Melchisedeco, uel ab alijs pijs Patriarchis quo modo hic Deus uelit coli, & quæ essent mandata, quæ præcepta, quæ promissa eius iam inde ab initio orbis terræ propagata, & multis miraculis confirmata, ex quibus uoluntas eius cognosceretur, & uera in ipsum fides concipereretur. Sed potius contempta & deserta doctrina Patriarcharum de uero Deo, conuenerunt inter se, ut Deum colerent fictitijs suis sacris & idolis. Appropinquauerunt, inquit, & cōuenerunt. Vnusquisque tulit proximo suo opem, & confirmauit eum, dicens: Sis fortis. Itaq; Faber lignarius conuenit cum aurifabro, ut expoliret bracteam malleo super incude. Quod, postquam fructum esset, dixit: Recte nūc se habet bractea, ut cum ligneo simulacro cōglutinetur. Quare coniungunt tandem clauiculis utrunq;, simulacrum uidelicet, & bracteam, ut fortiter inter se cohæreant, & non dimoueantur. Hæc est descriptio Conciliorum, in quibus conuenerunt impiæ gentes ad deliberationem de constituenda religione. Ac primum quidem, nullam habuerunt rationem doctrinæ Abrahami & aliorum piorum Patriarcharum, de religione, sed excogitarunt & instituerunt ipsi, pro suo arbitrio, absque omni uerbo Dei, colendum esse Deum his aut illis sacris, aut idolis. Deinde confirmarunt hunc cultum suis pactis, & decretis, & receperunt se collaturos omnes uires suas, ut hæc sacra tueantur. Hoc propemodum illud est, quod Paulus de gentibus ad Romanos scribens, Cum cognouissent, inquit, Deum, non ut Deum glorificauerunt, aut grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insipiens cor eorum: Cum crederent se esse sapientes, stulti facti sunt, mutauerunt que gloriam incorruptibilis Dei, per similitudinem imaginis corruptibilis hominis &c. Quid autem magis insanum dici potest, q̄ cū cognita maiestate Dei, liceat tibi a Patriarchis, & doctrina eorū, certo cognoscere, quæ sit uolūntas Dei, quos cultus, & quæ sacra Deus requirat, ea omnia contemnere & fastidire, ac uelle magis tuo ipsius somnio, quam apertæ uerbi Dei ueritati obsequium præstare? Quare dubiū non est, quin si causa inter Deum & cultores Idolorum,

lorum,coram humano tribunali ageretur,idolatræ cauſa caderent, ac damnarentur, etiam ipſa humana ratione iudice, impietatis, fierentq; prorſus inexcuſabiles. Hoc uoluit Dominus Deus noſter inferre & concludere, cum initio huius capitis ſuſciperet cauſam ſuã, etiam coram humano iudicio, aduerſus idolorum cultores tuendã, ut confirmaret populum ſuum in fide ueri ac uiuentis Dei Abrahæ, & contineret eos in officio fidei, ne offenſi fœlicitate Babyloniorum, ad impietatem & Idolatriam eorum deficerent. Non exiſtimes autem quod Deus talem & tam iuſtam cauſam habeat tantum aduerſus Babylonios, & reliquos Ethnicos Idolatras, ſed profecto tanta eſt certitudo, tanta claritas Euangelij de filio Dei, Ieſu Chriſto, ſeruatore noſtro, ut ſi de eo aduerſus Iudæos, quales ſunt his tẽporibus, & aduerſus Turcas, atq; Monachos ac Sophiſtas, coram iudice, quamuis a uera religione alieno, æquo tamen, & ſana ratione prædito, contendendum eſſet, non dubium eſt, quin Euangelion Chriſti cauſam obtineret. Demonſtrari enim poteſt ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, non poſſe aliũ eſſe Meſsiã ſeu Chriſtũ, prẽter hunc Ieſum filium Mariæ uirginis: nec poſſe ullum hominẽ ueram iuſticiam & ſalutem alia ratione conſequi, quam per fidem in hunc Ieſum Chriſtum. Non enim datum eſt aliud nomen hominibus, in quo ſalui fiant, ut Petrus ait. Etſi autem Iudæi agnoſcunt Prophetica ſcripta, & Turcæ, etiam aliqua ex parte Apoſtolica ſcripta, & Monachi ac Sophiſtæ utraq; , tamen expende mihi, quæſo, diligẽter, num in cognoſcenda & ſectanda uera religione meliores ſint Ethnicis Idolatris. Iudæi enim non hoc agunt, ut ex propheticis ſcriptis diſcant uerum officium, & uerum tempus aduẽtus Chriſti, & conferant cum rebus per Ieſum filium Mariæ geſtis: ſed potius conuenerunt inter ſe, & ſicut Eſaias de Gentibus dicit, Vnuſquiſq; opem tulit proximo ſuo, & cohortati ſunt ſe inuicem, ut eſſent fortes, ac tandem commenti ſunt magnum librum, quem uocant Thalmud, in quo, relicta cœleſti doctrina, tradiderunt poſteris ſuis uaria genera ſacrorum, quibus Deo ſeruirẽt, peccata expiarent, & ſalutem conſequerentur. Quem librum decretis & pactis ſuis ita confirmarunt, ut qui eum damnat execrandus habeatur. Sic Mahumetiſtę, nõ hoc agunt, ut ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, quæ aliqua ex parte probare uidentur, cognoſcant quis ſit uerus cultus Dei: ſed, poſtquam cognouerunt unum eſſe Deum, qui ſit colendus & inuocandus, conuenerunt inter ſe, ac ſtatuerunt Alcoranum ſuum, poſthabitis Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, accipiendum eſſe, & ex eo diſcendum, quo cultu Deus delectetur, & quibus ſacris ira Dei aduerſus peccata expietur. Sic & Monachi ac Sophiſtæ, non hoc agunt, ut ex ſacris literis doceant, quę ſit uera ra

tio Iustificationis coram Deo, sed conueniunt inter se, celebrant Concilia, excogitant ordines Monasticos, sacrificia Missarum, & conferunt in unum multa & uaria genera sacrorum, quorum merito homines consequantur coram Deo iusticiam & salutem. Quæ sacra, mãdatis, Decretis, pactis & fœderibus ita confirmant, ut qui contradixerit, publice proscribatur, & morti obnoxius habeatur. Sed horum omnium impietas, imo insania, manifesta est. Nam si quis inter eos sumeret sibi ex animo tantum ocij & diligentiæ, ut conferret suam illam religionem, quam ex humanis traditionibus accepit, cum scriptis Propheticis & Apostolicis, & cum uerbo Dei his scriptis tradito, ac cœlestibus miraculis confirmato, profecto re ipsa deprehenderet, sua sacra colẽdi Dei, quæ tam mordicus tenet, non esse nisi humana commẽta, et aniles fabulas. Quare, si cum causa Euangelij Christi aduersus hos recte exposita ueniendũ esset ad iudicium æqui & honesti Ethnici, dubium non est, quin is ita pronunciaret, ut & si ipse nullam adhibeat fidem Propheticis & Apostolicis scriptis, tamen censeat eos, qui docent remissionem peccatorum, iusticiam & salutem per solam fidem propter Iesum Christũ contingere, longe propius, quam illos alios, ad horum scriptorum sententiam accedere.

Sed reũertamur ad Prophetam. Postquam enim Deus muniuit concione, quam iam a principio huius capitis percurrimus, Ecclesiam suam aduersus Idolatrian gentium, suscipit nunc eam muniendam aduersus aliud offendiculum, quod ei ex uastatione urbis Hierusalem, ex captiuitate, ex infinitis alijs ærumnis suis obijciebatur. Nam cũ populus Dei tam misere & crudeliter ab impijs affligitur, ut & metropolis eorum deuastetur, & ipsi in captiuitatem abducantur, atq; adeo Ecclesia Dei, oĩbus temporibus suas habeat afflictiones & ærumnas, easq; longe omniũ maximas, cogitare solet, se esse a Deo desertam & abiectam, nec ullam reliquam esse spem salutis suæ. Quare uertit Deus nunc sermonem ad Ecclesiam suam, et instituit concionem aduersus hoc offendiculum, in qua concione copiose recitat multas, præclaras & insignes promissiones, quibus afflictos piorũ animos, & cõtrita eorũ corda, in aduersis suis cõsoletur.

TV AVTEM ISRAEL (inquit) SERVE MEVS IACOB QVEM ELEGI &c.

Singula pene uerba, singula continent argumenta consolandi. Etsi tu, populeus, dispergeris in totum orbem terræ, & affligeris innumeris calamitatibus, tamen nõ debes animum tuum despõdere. Primum em̃, memineris te uocari Israel & Iacob. Admoneris igitur ex his cognominibus, earum promissionum, quæ ad Patriarcham Iacob, cognominatũ Israel, dictæ sunt. Erit, inquit Deus, semen

ſemen tuum,quaſi puluis terræ:Benedicẽtur in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.Ero cuſtos tuus,quocunq; perrexeris &c. Hę promiſſiones dictæ quidem ſunt initio ad ſolum Iacobũ, & maiores eius, Abraamum & Iſaacum,non aũt ad hos ſolos,ſed ad uniuerſam Ecclesiam Dei ſuo modo pertinent. Ac præſertim,quod dicitur: In ſemine tuo benedicentur cunctæ tribus terræ,proponitur ſumma omnibus hominibus,non ſolum ijs,qui externum genus ducunt a Iacobo,uerumetiã illis,qui ſunt ex gentibus,conſolatio,ut quotquot credunt in ſemen Iacob,qui eſt, Chriſtus Dñs noſter, cõſeruentur in omnibus aduerſis,& conſequãtur æternam benedictionẽ. Quare,&ſi conĩcieris in captiuitatem,& opprimeris multis alijs calamitatibus,tñ ſi crediderís in ſemen Iacob, fieri non poteſt ut intereas. Deinde, Voco te,Seruum meũ,quẽ nos Germanice dicimus,Leibeigen. Solenne autem eſt in hoc ſeculo, ut domini tueantur ſeruos ſuos ab aliorum iniuria,& defendant eos,ſi poſſunt, in periculis eorum. Quid? Exiſtimas ne,me Dominũ Deum tuum, carnalibus dominis, in defendendis meis ſeruis,ignauiorem, & inclementiorem eſſe? Quare bono ſis animo. Cum agnoſcam te ſeruum meum,premit quidem te crux,non tamen committam,ut te opprimat. Hoc nomine cõſolatur ſe etiam Dauid. O Dñe,inquiens, quia ego ſeruus tuus,ego ſeruus tuus & filius ancillę tuæ. Et iterum:Perdes omnes qui tribulant animam meam,quia ego ſeruus tuus ſum.

Tertio dicit. Quem elegi. Hoc illud eſt, quod Deut. vij. ſcribitur. Populus ſanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus,ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Elegit autem Deus poſteros Abrahæ in populum ſuũ, non tam hoc nomine,ut eſſent cuſtodes promiſsionum de Chriſto, uſq; ad aduẽtum eius,quam ut ex eis colligeret ſibi Eccleſiam, quã per fidem in filium ſuum ſanctificaret,ac perpetuo ſeruaret. Quare ſi uos ciues Hieroſolymitani crediderítis in Chriſtum filium Dei, Patriarchis promiſſum,fieri non poteſt,ut pereatis,etiamſi abducamini ad Babylonẽ captiui,etiãſi in captiuitate & exilio moriamini.

Quarto. Semen Abrahæ amici mei. Semen Abrahæ, hoc loco, non intelligendum eſt,de ſemine,Chriſto, ſed de poſteritate Abrahæ,de qua extat promiſsio Gen. decimoſeptimo. Statuam pactum meũ,inter me & te,& inter ſemẽ tuũ poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno,ut ſim Deus tuus,& SEMINIS tui poſt te. Eſſe igitur Semẽ,ſeu de poſteritate Abrahę,ingẽs eſt cõſolatio in afflictionibus. Promiſsio enim certa eſt,quod Deus uelit eſſe Deus,hoc eſt,tutor,protector & ſeruator ſeminis Abrahę. Sed hoc opus,hic labor eſt, ut ſis & maneas uerum ſemen Abrahæ. Neque enim hi uere ſunt de ſemine Abrahæ, qui tantum de carne eius de-

scendunt, Sed hi, qui uere credunt in semen, Christū, Abrahę promissum, etiamsi alioqui ducant originem suam ex gentibus. Non omnes, inquit Paulus, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neq; quia sunt semen Abrahę, statim omnes filij, sed per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filij sunt carnis, hi sunt filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, recensentur in semen. Quare uos ciues Hierosolymitani, cōcionis huius auditores, nolite intra uos dicere: Patrem habemus Abraham, Nolite gloriari de carnali uestro genere, sed date operam, ut sitis spirituale semen Abrahæ, per fidem. Hoc si factum fuerit, nulla uobis internecio metuēda est, etiamsi uos aut posteri uestri abducamini in captiuitatem Babylonicam, & dispergamini inter omnes gentes.

Sed nec illud ociosum est, quod non simpliciter facit mētionem Abrahæ, sed addit cognomen amici. Semen, inquiens, Abrahę AMICI mei. Quo cognomine admonētur eius promissionis, quæ extat in principio Decalogi: Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me & custodiunt mandata mea. Cum igitur Abraham dilexerit me, & seruauerit mea mandata, uos autem sitis posteri Abrahæ, non committam, ut auferam a uobis meam misericordiam, etiamsi cruce, etiamsi captiuitate, etiamsi morte obruamini. Vos tantum date operam, ne degeneretis a Patriarcha uestro, sed sitis ueri eius posteri, per fidem in Christum, ut beneficijs ueræ posteritatis eius fruamini.

Quinto: Apprehendi seu eduxi te ab extremitatibus terræ, & a lōginquis, seu ut rectius exponitur, a magnatibus eius uocaui te. Hoc & si intelligi sic potest, quod Deus ab initio conditæ terræ Ecclesiam suam conseruauerit, & ab omnibus tyrannis defenderit, tamen uidetur potius dici de liberatione populi Israelitici ex Ægypto, quæ longe sita est a Hierusalem, & de redemptione, qua Israel a Pharaone & Principibus eius seruatus est. Reuocat enim Deus populo suo in memoriam insigne illud beneficium, quo ex Ægyptiaca seruitute, seu potius fornace liberati sunt, ut hoc beneficio excitati, concipiant fidem & consolationem, se etiam ex alijs ærumnis liberādos. Nam Ægyptiaca seruitus fuit longe omnium maxima, nec uidebatur unquam fieri posse, ut Israelitæ tantam tyrannidem euaderent. Deus tamen seruauit & liberauit eos, maximis miraculis. Quare etiam in captiuitate Babylonica, imo in omnibus afflictionibus uestris, bene uobis de clemētia Domini sperandū est.

Sexto. Et dixi tibi: Seruus meus es tu. Elegi te, & non abieci te. Repetit nomē serui, ut cor afflictum sciat sibi certam tutelam apud Dominum Deum repositam esse. Repetit etiam, quod ante dixit. Elegi te. Quæ repetitio non est inanis battologia, sed est perturbato

bato ănimo utilis consolatio. Et quo certior sit hæc affirmatiua, munitur negatiua. Additur enim. Et nõ abieci te. Nam ad illud, quod dicitur: Elegi te, conscientia afflictionibus concussa, & peccati sibi conscia, cogitare solet: Fieri quidem potuit, ut fuerim initio populus Dei electus, & Ecclesia eius dilecta, nunc autem, postquam polui me magnis & horribilibus peccatis, abiecit me Dominus, & nõ agnoscit me amplius suam Ecclesiam. Nam iram eius manifeste erga me declarat uastatione urbis Hierusalem, metropolis Ecclesiæ suæ, & captiuitate Babylonica, atq; multis alijs id genus ærumnis, quas Ecclesiæ suæ, quondam electæ immittit. Hanc cogitationem corrigit Deus hac negatiua appendice: Non abieci te. Etsi enim peccasti, & meritus es, ut propter peccata abijcereris, tamen remitto tibi peccata propter semẽ Abrahæ, propter promissum Messiam, si in eum credideris. Et affligo te, non quod abiecerim te, sed ut seruem te, ne abijciaris. Viuo ego, inquit alias Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Iam & hoc considera mihi, quod & si Ecclesia Dei habet adhuc sua peccata, tamen Deus non semper immittit ei afflictiones propter peccata, sed propter multas alias causas, uidelicet, ut glorificetur Deus, ut illustretur nomen eius admirabili conseruatione Ecclesiæ, ut probetur fides Ecclesiæ, ut mortificetur caro, ne aut lasciuiat, aut in excellentibus donis efferatur. Quare & si affligeris, non tamen sentiendum est, quod Deus propter afflictionem te abiecerit.

NE TIMEAS &c.

Hic est status, hic est scopus, quõ properauit Deus narratione iam commemorata, & quo etiam tendunt argumenta quæ sequuntur. Hortatur enim Deus Ecclesiam suam, ut etiamsi immineat ei uastitas urbis, & captiuitas Babylonica, & grauetur suo quoq; tempore, multis alijs miserijs, non tamen timeat, nõ metuat saluti suæ. Ne timeas, inquit. Quomodo autem nõ timerem, dicet quispiam, cum cogito, quanta mala sint in hac captiuitate subeunda, quanta aduersa perferenda, quãtum offendiculorum sustinendum, quid ciuibus nostris, quid liberis, quid posteris, denicq; quid uniuersæ Ecclesiæ Dei sit euenturum? Putas ne me saxeum habere pectus, qui tantis rebus commoueri non debeam? Recte. Non probo Stoicam ἀπαθείαν, non hoc uolo, ut nihil commouearis, alioqui quomodo accendereris ad piam orationem? Sed hoc uolo, ne in his malis ita timeas, ut frangaris animo, & de salute tua & Ecclesiæ desperes. Hoc uolo, NE DECLINES, hoc est, ne contempta uera Domini Dei tui cõsolatione, circumspectes de alieno auxilio, sed perseueres in uerbi Dei tui obedientia. Huc te uocant, quæ paulo ante recitata sunt. Huc etiam te uocant promissiones, quæ sequuntur. In aduer-

sis enim tuis, non debes ita timere, ut declines, ut deficias a Deo, quia EGO, (inquit) TECVM SVM. ET EGO DEVS TVVS SVM, QVI TE CONFORTO, QVI TIBI AVXILIOR, seu opem fero, ET SVSCIPIO, seu sustento TE DEXTERA IVSTIMEI. Hæc est amplissima promissio, quam Spiritus sanctus piis pericula adituris, aut iam afflictis sæpe proponit. In Exodo dicit Dominus ad Mosen: Ego ero tecum. Et ad Iosua: Sicut fui cum Mose, ita ERO tecum. Et Dauid in Psalmo ait: Non timebo mala, quoniam TV mecum es. Et ad Hieremiam. Ne timeas a facie eorum, quia EGO tecum sum, ut eruam te, dicit Dominus. Quanquam autem hæc promissio constet paucissimis uerbis, tamen si eam uel mediocriter explicueris, & intuearis, uidebis ea nihil esse amplius & augustius. Quis enim est, qui dicit, EGO tecum sum? Non est homo quispiam aut angelus, sed DEVS ipse. Ecquis est Deus? Vnus quidem essentia, sed tres personæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ergo cum Deus promittit se tibi affuturum, præsto adest Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et quæ est maiestas Dei? Deus est omnipotens, rerum omnium creator & administrator, cui seruiunt omnes creaturæ, tam spirituales quam corporales. In Daniele dicitur: Millies mille ministrabant ei, ac decies mille myriades ante eum stabant. Et in Psalmo dicit Dominus: Meus est orbis terræ, & omnis plenitudo eius. Cum ergo Deus promittit se tecum fore, num existimas, quod solus, ut priuatus quispiam homo, ueniat, & non accedat cum uniuersa sua maiestate? Imo ita sentiendum est, quod cum quo Deus se coniungit, cum eo coniungant se omnes angeli, imo omnes creaturæ tam cœlestes, quam terrestres. Nihil quidem uides rerum externarum e loco suo dimoueri, nisi quod rerum natura fieri solet. Sed fides, quæ ex certa promissione Dei concipitur, haud difficulter cognoscit, quod fauente Deo, a quo omnes creaturæ pendent, necesse habeant etiam creaturæ eius fauere. Non audimus externis auribus ullum lapidem, aut arborem, aut montem pro nostra salute ingemiscere. Et tamen Paulus dicit: Omnis creatura congemiscit, simulq; nobiscum parturit usque ad hoc tempus. Non uidebat Iacob externis oculis, angelos Dei comites itineris sui esse. Sed postquam aperti sunt ei oculi, exclamauit: Castra Dei hæc sunt. Puer Elizæi non uidebat præceptorem suum Elizæum circundatum esse angelorum exercitu. Sed postquam Dominus aperuit oculos eius, uidit montem plenum equis & curribus igneis circa Elizæum. Considera ergo mihi, quanta maiestate munitus sit is, cui Deus fauore suo præsto adest, ut rectissime dixerit Paulus: Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Et Dauid. Etsi ambulauero

in

in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam TV mecum es. Vnus angelus tam potẽs est, ut in exercitu Sancherib una nocte occiderit centum octoginta quinq; millia hominum. Quãta igitur potentia munitus est is, quem tuendum suscepit Deus ipse, nõ cum uno tm̃ angelo, sed cum uniuerso angelorũ suorum exercitu? Nec hoc dissimulat in Esaia. Non enim tãtum dicit: EGO tecum sum, Et: EGO sum Deus TVVS, uerumetiã addit: QVI te corroboro, qui tibi opẽ fero, & sustento te dextera iusti mei. Alij legũt, Dextera iusticiæ meæ. Sed eadem est sententia. Iustus em̃ seu iusticia Dñi, est filius eius Dñs noster Iesus Christus, qui nõ solum sua persona uere iustus est corã Deo Patre suo, sed etiam in huncusum a Patre ordinatus est, ut propter ipsum iusti coram Deo reputẽtur, quotquot in eum credunt. Dicit ergo Deus se suscipere Ecclesiam suam tuendam, corroborandam & seruandam dextera & potentia huius iusti, Domini nostri Iesu Christi. Nam Deus factus est Ecclesiæ propter Christũ, tam propicius, ut non solum remittat ei peccata, & reputet eam corã se iustam, uerumetiã in periculis & aduersis, primum quidem det ἐκβασιν, ut sufferri queant, deinde augeat ei robur, ut longe fortior, q̃ antea fuerat, euadat. Placeo mihi, inquit Paulus, in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor, tũc potens sum. Postremo, liberet eam ex omnibus aduersis, & donet eam æterna fœlicitate. Quare, etsi instat captiuitas Babylonica, aut alia calamitas, tamen non instat internecio Ecclesiæ, quam Deus tãto fauore complectitur, ut non immitteret ei ullam calamitatem, nisi antea constituisset se non modo eam seruaturum, sed etiam per calamitatem maioribus bonis cumulaturum.

ECCE CONFVNDENTVR ET ERVBESCENT OMNES QVI PVGNANT &c.

Aliud argumentũ consolationis ductũ ab interitu aduersariorũ Ecclesiæ. Dñs non tm̃ tuebitur & seruabit te in aduersis, sed etiã potẽter deijciet & opprimet oẽs aduersarios tuos. Obserua igitur initio, q̃p cum spũs sanctus dicit aduersarios, q̃ pugnẽt, q̃ ira & furore accendãtur, q̃ contradicãt, q̃ belligerentur cum Ecclesia, perituros, haud obscure significet populũ Dei, seu Ecclesiam nõ frui externa tranquillitate in his terris, sed semper habere suos hostes, q̃ eam immani odio prosequantur, & uirulẽtissimis uerbis incessant, ac quouis crudelitatis genere in eam grassentur. Nunq̃. n. desunt ei Babylonij, Cambyses, Antiochi, Herodes, Phariseĩ, Põtifices, Iudæi, Gẽtes, Nerones, Domiciani, Diocletiani, Monachi, Sophistæ, & id genus alij. Sed hæc est consolatio, hoc est gaudium eius, q̃p etiam nunquam defutura sit ei dextera iusti, qua & ipsa conseruatur, et hostes

eius opprimuntur. Confundentur, inquit, & erubescent omnes qui pugnant seu ira accenduntur aduersum te. Hostes populi Dei pollicentur sibi ex oppressa Ecclesia, æternam gloriam. Ac profecto res in oculis mundi ita se habet, ut Ecclesia sit longe omnium contemptissima, hostes autem eius sint uictores & triumphatores glorioſissimi. Obserua quæso, mihi diligenter quæ Deus ipse epitheta in hoc loco tribuat Ecclesiæ suæ. Noli timere, inquit, VERMIS Iacob. Et: Modici seu pauci Israelis. Vocat Ecclesiam, Vermem seu uermiculum. Nec mirum, quando filius ipse Dei caput & seruator Ecclesiæ uocetur Vermis. Ego sum uermis, inquit, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Quid autem contemptius, quid abiectius est uermiculis e terra prorepentibus? Conculcantur pedibus. Traduntur pueris uexandi. Sic & Ecclesia exponitur omnium hominum cõculcationi & uexationi. Vocat etiam Ecclesiam, תולעת hoc est, populum paucum, & contemptum. Sicut & Christus uocat eam, Pusillum gregem. Nolite, inquiens, timere Pusille grex. Qui locus uidetur ex hoc Esaiæ loco, a Christo desumptus ac mutuatus esse. In mundo autem, qui tantum ea quæ coram humanis oculis sunt conspicua, multa & magna admiratur, pauci numero, & pusillus grex nullius sunt reputationis. Quare de Ecclesia Domini non est iudicandum secundum externam coram mundo speciem. Hostes autem Ecclesiæ, non sunt uermes, sed leones, non sunt homines pauci, sed homines multi, magni, potentes, sapientes, sunt Principes & Reges, sunt Sacerdotes & Pontifices, sunt ij, quorum in hoc mundo maxima est potestas & autoritas. Sunt exaltati sicut Cedri Libani, ut Psalmus ait, sunt quorum arbitrio uidetur hic mundus stare, & gloria ac maiestas in æternum duratura. Sed audi, quæso, quale iudicium inter eos & Ecclesiam suam ferat Dominus Deus noster. Confundentur, inquit, & erubescent. Gloria & maiestas eorum, quam ex deuicta Ecclesia reportarunt, & quam adhuc sibi ex alijs pollicentur, uertetur in summam nominis eorum ignominiam. Nec hoc solum continget eis, uerumetiam redigentur in nihilum, & peribunt. Et ne quis existimet hæc uerba quasi per incuriam excidisse ei, addit: Quæres eos, & non inuenies, hoc est, ita peribunt, ut ne quidem reliquiæ eorum inueniri queant. Ac breuiter, erunt sicut nihilum, & ueluti ea, quæ nunquam fuerunt. Quid potest aduersus impios Ecclesiæ hostes grauius ac seuerius dici? Et ut sciamus hoc Dei iudicium serium ac firmum esse, sæpe etiam alias in scriptura repetitur. Iob uigesimo: Laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ adinstar puncti. Si exaltatio ipsorum ascenderit usque in cœlum, suumque caput extulerit usq; ad nubes, Peribit tamen

tandem

tandem,ut ſtercus,& qui uidebant eum,dicent. Vbi nãm is eſt? Auolabit ut ſomnium &c. Et Pſal.xxxvi. Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ut cedros Libani. Tranſiui,& ecce non erat,quęſiui eum,& non eſt inuentus locus eius. Et Eſaias ſupra cap.xxix. Erit ſicut puluis tenuis multitudo uentilãtium te, & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum qui contra te prævaluerunt &c. Quod uerbis dicitur,exemplis quoq; comprobatum eſt. Babylonij, Antiochi,Herodes,Pontifices,Nerones,Diocletiani,& alij hoſtes Eccleſiæ ita perierunt,ut ne reliquiæ quidẽ eorum ſaluæ manſerint: Eccleſia autem Domini,quam perſecuti ſunt,perduratũit, & perdurabit uſq; ad extremum diem huius ſeculi,ut nihil dicam de perpetua Eccleſiæ ſalute, & de ſempiterno hoſtium eius interitu poſt hanc uitam, in uenturo ſeculo.

Sed ne ea, quæ Deus antea de cura ſua in Eccleſia tuenda dixit, uideantur ei non in corde, ſed in ore tantum nata, & ſe tantum ciuilitatis gratia,nõ ſerio Eccleſiam conſolari,repetit,inculcat, & amplificat promiſsiones prius dictas. Ego ſum,inquiens, Dominus Deus tuus,qui apprehendo te manu dextera tua. Noli exiſtimare te a me eſſe deſertum,q; conniueam, ut grummis & aduerſis affligaris. Tãtum enim abeſt,ut te deſeruerim,& abiecerim,ut tunc maxime apprehẽdam te dextera tua,& cõroborem te. Magna afflictorum conſolatio, q; cum alias dicitur Deus,cor cõtritum & humiliatum reſpicere,hoc loco dicatur, etiam humiliatorum & contritorũ manus apprehendere,& corroborare, ne ita conculcentur, ut in æternum pereant. Cum autem hæc ſit magna promiſsio,exigit etiam magnã fidem. Reipſa enim nihil minus uidetur, quam q; Deus reſpiciat afflictum, & teneat eum dextera eius. Quis enim potuiſſet humano ſenſu comprehẽdere,q; Deus,cum urbs Hieruſalem, quę erat præcipuum hoſpitium Eccleſiæ Domini, a Babylonijs diriperetur,& incenderetur, & cum Babylonij Hieroſolymitanos ciues, una cum uxoribus & liberis,qui erant populus Dei,aut crudeliter trucidarent, aut miſerrime in captiuitatem abducerent, Eccleſiam ſuam reſpiceret,& dexteram manum eius teneret? Quis iudicaſſet Deum tunc apprehendiſſe manum populi ſui, cum Antiochus non ſolum prophanaret templum Hieroſolymis, & cremaret ſacros libros,uerumetiam interficeret pios quoſq; immaniter? Quis ſenſiſſet Deum corroborare manũ Eccleſiæ ſuæ,cum Diocletianus publico edicto mãdaret,ut cuncta quę uſquam eſſent Chriſtianorũ tẽpla,ſolo adæquarentur,Scriptura ſacra exureretur,Chriſtiani infames haberẽtur,miniſtri Eccleſię in uincula cõijcerentur,& crudelibus quibuſq; ſupplicijs,ad immolãdum idolis cõpellerentur? cũq; alij flagris diſcerperentur,alij ungulis foderẽtur,alij ignitis lami

nis urerentur? In hac tam crudeli laniena, quis secūdum humanam rationem iudicans, non pronunciaret Deum Ecclesiæ suæ oblitum esse? Sed aliud humano sensu percipitur, aliud uerbo Dei promittitur. Magis autem iudicandum est secundum uerbum Dei, quam secūdum humanum sensum. Etsi enim illis temporibus, quibus afflicta est Ecclesia Domini, nō uidebatur Deus tenere dexteram eius, tamen & pij ipsi sentiebant tunc ueram spiritus consolationem, ἔκβασιν, & mitigationem, atq; tandem liberatiōnem, & nunc res ipsa testatur, quod tanta impiorum crudelitas erga pios, magis adiuuerit & seruauerit, quam oppresserit Ecclesiam.

Deinde additur. Ego tibi dico, Ne timeas, Ego te adiuuo. Noli timere, uermis Iacob, & pusille Israel, Ego auxilium tibi fero, dicit Dominus & redemptor tuus Sanctus Israel. Vide, obsecro, quanta cura Deus promissionem præsentiæ & auxilij sui in aduersis cōmendet. EGO, inquit, iubeo te non timere. Audis ne, EGO, inquam, iubeo te non timere. EGO te adiuuo. EGO tibi auxilium fero. Quis est ille EGO? Non certe uanus quispiam somniator, non mendax homo, imo ne angelus quidem, Sed Deus ipse Dominus, & redemptor tuus Sanctus Israel, hoc est, Deus Pater et filius, ac etiam spiritus sanctus. Quid ergo nunc dubitas? quid adhuc conquereris? Fateor, inquis, Deum esse ueracem, sed metuo, ne hæc non sint uerba Dei, quia recitantur ab Esaia, quem aiunt quidem Prophetam fuisse, attamen homo fuit, qui & falli & fallere potest. At hic homo fuit spiritu sancto donatus, & habet uocationis atque concionum suarum cœlestia testimonia. Adde, quod autoritas eius per Christum filium Dei, & Apostolos eius ita confirmata est, ut si angelus aliud nobis adnunciaret, pro anathemate habendus esset. Sed aliud, inquis iterum, reipsa sentio, quam uerba mihi promittunt. Recte. Verba diuinæ promissionis non in hoc nobis proponuntur, ut res promissas continuo sentiamus, Sed ut CREDAMVS & EXPECTEMVS. Quod enim ad Paulum, deprecantem colaphos Satanæ, dictum est: Sufficit tibi gratia mea, hoc idem sciamus ad nos dici: Sufficiat uobis promissio Dei. Beneficia enim diuina, quæ uerbo Dei promittuntur, non continuo traduntur carni sentienda, non quod uerbum Dei sit uanum, sed ut interea temporis fides probetur, inuocatio accendatur, & magnitudo beneficiorum, sicut semen agro mandatum, augeatur. Et tamen ne sic quidem omni beneficiorum Dei sensu destituimur. Nam Deus, quemadmodum supra commemorauimus, dat ἔκβασιν & mitigationem, ut sufferre queamus, & reddit animum nostrum fortiorem, donec plene ac perfecte liberemur. Rursus audio, Sed quæ promittuntur a Deo, ea promittuntur Ecclesiæ

cleſiæ ſuæ ſanctæ, non priuatim mihi peccatori, qui toties maieſtatem Dei ſceleribus mei offenderim. Tu quidem recte & pie facis, quod agnoſcas tua peccata, non autem habes ullam iuſtam cauſam, cur teipſum a promiſsione diuinæ clementiæ ſecludas. Si enim Deus, inquit Paulus, pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiam proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nõ etiã omnia cum illo nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt, qui cõdemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imo q & reſurrexit, qui eſt ad dexterã Dei, qui & intercedit pro nobis. Et Ioannes: Si quis peccauerit, aduocatum habemus ad Patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum. Et ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris etc. Nam quod dicis hęc promiſſa eſſe Eccleſiæ ſanctæ, non tibi peccatori, quæſo te, conſidera mihi, quid uoces Eccleſiam ſanctã. Quaſi uero aliud ſit Eccleſia, quam membra ſua, ex quibus conſtat? Et ſancta uocatur, non quod propriam habeat e meritis ſuæ iuſticiæ ſanctitatem, ſed quod confidat aliena ſanctitate, uidelicet, filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, & q̃ hac ſanctitate expurget reliquias carnis adhuc pc̃tõ prophanatę, & dñetur peccato. Et in hunc uſum Sacramenta, quondã quidẽ circunciſio, nunc autem baptiſmus & cœna Dñi, diuinitus inſtituta ſunt, ut quod p̃miſsionibus gñaliter uniuerſæ Eccleſiæ offertur, hoc ſacramentis, unicuiuis accipienti, & credẽti, priuatim applicetur. Quare, niſi tu uelis eſſe incredulus, & tũa ipſius temeritate perire, nihil habes, q̃d uel de promiſsionum Dei ueritate erga te ſeruanda, uel de aduerſis & dilatione diuini auxilij conqueraris.

Tertio additur: Ecce ego pono te quaſi plauſtrum, & tribulã nouam dentãtam, ut trítures montes, atq̃ comminuas, & colles in puluerem redigas. Ventilabis eos, & uentus tollet, & turbo deſperget eos. TV autẽ exultabis in Domino, & in ſancto Iſraelis lætaberis. Ingẽs promiſsio, & quæ fide accepta, ingentem etiam conſolationẽ in aduerſis affert. Deus non ſolum iuuat & ſeruat Eccleſiã ſuam in imbecillitate eius, uerumetiã facit eam tam fortem et potentẽ, ut maxima quæq̃ Imperia & Monarchias huius mundi opprimat. Efficit ut Eccleſia ſit, quaſi plauſtrum, quo exploduntur & triturantur fruges, & quaſi tribula noua dentata, qua excutiuntur frumẽta. Sic Eccleſia tantis uiribus, tanta fortitudine donabitur a Deo, ut triturẽt montes & excutiat colles, in pulueres, qui a uento & turbine diſſipiantur. Montes & Colles ſunt magna & mediocria imperia atque regna huius mundi. Hæc, dicit Dominus, ab Eccleſia ita conterenda, ut ne ueſtigia quidem eorum ſalua remaneant. Amabo autem te, dic mihi, quando aut ubi unquam Eccleſia Dei tantas uires externas habuit, ut oppreſſerit uel unam tantum huius mundi

Monarchiam. Nihil enim nunc dicendum est de ingressu Israelitarum in Canaan, a quibus multa Cananęorum regna occupata sunt. Nec aliquid hic dicendum est de Victoriis Dauidis. Nam omnia hæc facta sunt, priusquam orirentur in mundo hi magni montes, seu Monarchiæ, quæ post hanc promissionem exortæ sunt, & quas Daniel commemorat. Huc accedit, quod quas uictorias Israelitæ ab hostibus suis reportarunt, eas non reportarunt propter suas iusticias, quemadmodum Deut. capite nono scribitur. Semper enim maior populi pars, etiam in Dauidis exercitu, fuerunt hypocritæ & impij. Quare tales uictoriæ non uidentur proprie adscribendæ esse Ecclesiæ, præsertim, cum & impiæ gentes sæpe parua manu magnos exercitus fuderint, fugauerint, & uicerint. Si uero dicēdum est de rebus gestis populi Dei, post hanc promissionem, & postquam uastata urbe Hierusalem, abducti sunt captiui in Babylonem, quos, quæso, montes, quas Monarchias, imo quos colles, quæ mediocria regna, quæ castella unquam postea expugnarunt? Insigne quidem est bellum Machabæorum, Sed quo uix sua tutati sunt, tantum abest, ut aliena regna deuicerint. Post diuulgationem autem Euangelij in orbem terræ, populus Dei seu Ecclesia magis insignis est cladibus & persecutionibus a gentium tyrannide perpessis, quam externis uictoriis, & expugnationibus regnorum. Quid ergo sibi uult hæc promissio, quam Dominus ad Ecclesiam suam dicit: Pono te quasi plaustrum, & tribulam nouam dentatam, qua cōcutiantur montes & colles? Audis quidem uerba, quæ externa bella, corporales uires, et mundanas uictorias sonant, sed ea intelligenda sunt more Ecclesiæ, & pro ratione regni Christi. Describit enim uictoriam Ecclesiæ, non qualis apparet in cōspectu mundi, qui non nisi externam maiestatem somniat, sed qualis uere est in conspectu Dei. Primum enim, Ecclesia Dei, uere, iuxta hanc promissionem, contriuit & comminuit montem, seu Imperiū Babylonicum, quia Deus propter Ecclesiam suam abstulit Monarchiam a Babylonijs, & posteris Nebacad Nezaris, ac tradidit eam Cyro regi Persarum, uidelicet ut hac occasione Iudæi, qui erant populus Domini, captiuitate liberarentur, & Ecclesia in Hierusalem instauraretur. Vnde postea cap. xlv. ad Cyrum dicitur: Propter seruum meum Iacob, & Israelem electum meum, uocaui te nomine tuo &c. Sic & cap. xliij. Dicit Dominus redemptor uester Sanctus Israel. Propter uos emisi in Babylonem, & detraxi uectes uniuersos, & Chaldæos in manibus suis gloriantes. Et paulo ante de oppressa Ægypto & Æthiopia, propter Ecclesiam, dicit. Dedi propiciationem tuam Ægyptū, Æthiopiam, & Saba pro te. hoc est, Perdidi has gentes propter te, ut cōseruareris. Sic etiam, quo tempore

uulgandum

uulgandum esset euangelion Christi in totum orbem terræ, tradidit Deus propter ecclesiam suam, monarchiam terrę Romanis, ut hac occasione liceret Apostolis, qui erant ciues & subiecti Romanorum, euangelion ubiuis terrarum circumferre, quod non sic licuisset eis, si orbis terrarum eo tempore, quemadmodū antea, sub Grecis diuisus fuisset in uaria, & inter se pugnantia regna. Quare, cum Deus mutet tam magna imperia, propter ecclesiam suam, recte dicitur ecclesia dentata tribula, qua montes & colles excutiuntur. Deinde, ecclesia dicitur conterere et comminuere montes, seu regna huius mundi, cum cœtus ecclesiæ Christi colligitur per euangelion, ex omnibus regnis & imperijs huius mundi, obsistentibus regibus & principibus, imo inuitis etiam inferorū portis. Vnde postea cap. 43. dicit: Ab Oriente adducam semen tuū, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere &c. Postremo, Veniet tandem tempus, quo uastatis et conculcatis omnibus imperijs huius mundi, sola ecclesia Christi, uicta morte & Satana, triumphet, ac fruatur in CHRISTO seruatore suo, perpetua fœlicitate. Hoc etiam sibi uult apud Danielem lapis ille de monte reuulsus, qui contritis ferro, ære, argento & auro, factus est mons magnus, & impleuit uniuersam terram &c. Quare sentiamus uere impleri hanc promissionem, qua ecclesia dicitur tribula dentata excutiens montes & colles, & in puluerem comminuens.

EGENI ET PAVPERES QVÆRVNT AQVAS &c.

Recenset Deus aliud beneficium quod collaturus sit in ecclesiam suam, ut non solum consoletur eam, sed etiam illustret suam ipsius maiestatem in toto orbe terrarum. Egeni, inquit, seu afflicti, & miseri quærunt aquas, sed non inueniunt, ideoq; lingua eorum præ siti exarescit. Ego autem Dominus exaudiam eos &c. Hęc uidetur esse concio de liberandis captiuis & miserrimis Iudæis e Babylone, & restituendis eis amœnę & fertili suæ regioni, quod cum essent in Babylone egeni, & oppressi, desiderauerint quidem magna animi cupiditate liberationem, non potuerint autem eam ulla humana ope consequi, sed Dominus ipse liberauerit eos manifestis miraculis, & restituerit eos suæ terræ. Bona sententia. Sed quemadmodum ea quæ proxime præcesserunt non pertinent proprie ad externum illum populum Israel, nec ad corporalia beneficia, sed ad uniuersam, ac ueram ecclesiam Dei, & præcipue ad spiritualia beneficia eius, & ad dilatandos fines eius inter omnes gentes, idcirco & hæc eo referenda sunt, ut intelligamus Prophetā generaliter concionari de seruandis miseris & afflictis ecclesiæ reliquijs, ac etiam de augendo numero eius, & de ampliandis termi-

nis eius. Sententia igitur hæc est. Non est uobis sentiendum, quod colligam meam ecclesiam tantum ex claris & insignibus urbibus, ex Hierusalem, & Samaria, aut ex nobilibus tantum, & potentibus hominibus, aut ex terra tantum fertili, qualis est illa uestra Canaan: sed colligo eam maxime omnium ex deserto, ex locis aridis, ex egenis, miseris & abiectis hominibus. Cum enim uideo hos destitutos omni humana ope, & quęrere aquas salutis, non tamen inuenire eas, sed præ siti exarescere, misereor eorum, & exaudio desideria ipsorum. Necp enim possum committere, ut afflictum, ueræ salutis sitientem & affectantem deseram. Malo, ut natura rerum inuertatur, quam ut ipsi siti pereant. Quare aperio flumina in editissimis montium uerticibus, aperio fontes in medijs campis, uerto desertum in stagna aquarum, & terram torridam in fontium scaturigines, ut hi egeni & miseri homines sitim suam, quocunque uenerint, copiose explere queant. Nec solum exhibeo eis abundantem aquam in deserto, uerumetiam paro eis ad usum & uoluptatem uaria genera arborum, Cedrum, Sithim, quarum ligna non putrescunt: Myrtum, Oleam, Buxum, ulmum, & Prisilium, quarum aliæ umbram, aliæ odorē præstant, aliæ ad alias res usui sunt. Hæc ita efficiam, ait Dominus, ut publice cognoscatur, quod non fiant lege naturæ, sed manu Dei, & cœlestibus miraculis. Hac autem deserti, aquarum, fontium, & arborum metaphora intelligitur, quod deus sit instauraturus inter gentes, quæ nomine aridæ terræ & deserti comprehenduntur, largissimum fontem prædicationis uerbi sui, ut quotquot ueram salutem sitiunt, hauriant ex eo fonte cœlestem & æternam beatitudinem. Hæc promissio primū omnium cœpit impleri, in ipsa Babylonica captiuitate. In Babylonico enim imperio nomen ueri Dei, & doctrina ueræ religionis diuulgata sunt in uniuersam Monarchiam ex occasione somnij, exposiți à Daniele, & ex miraculo, quod ædebatur in tribus adolescentibus, & ex decreto Nebucadnezaris, quę extant apud Danielem cap. 2. & 3. Similiter diuulgata est doctrina de uero Deo ex miraculo, quod æditum est in Daniele inter leones, & ex publico decreto Darij, Danie. 6. Hæc diuulgatio uerbi Dei, flumen est, & fons, & stagnum, & scaturigo aquarum in uerticibus montium, in campis, & in deserto, ex quibus non solum pij inter ludęos, uerum etiam multi inter gentes, hauserunt ueram & æternam salutem. Manifestum autem est, quod hæc non sint facta humanis consilijs, sed diuina potentia. Nam & miracula fuerunt diuinæ maiestatis: & quod uictores prædicent Deum eorum, qui uicti & captiui erant, diuinæ erat uirtutis. Deinde, multo magis impletur hæc promissio, ijs temporibus, quibus Apostoli diuulgant euangelion de Iesu Christo, inter omnes gentes, & quibus congregatur uera ecclesia

clesia Christi tam ex Iudæis, quam ex gentibus. Tunc enim erupit in montibus & desertis aqua illa, de qua Christus ipse concionatur: Quisquis, inquiens, biberit de aqua quam ego dabo, nunquam sitiet inæternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in æternam uitam. Postremo impletur in unoquouis pio, egeno, afflicto, & omni quidem humana ope destituto, inuocante autem DOMINVM Deum suum ex fide Iesu Christi. Deus enim hunc intantum non deserit, ut excitet in ipso flumina consolationum, ut & alios possit aqua consolationis potare. Sic enim Paulus 2. Corint. 1. ait. Deus omnis consolationis consolatur nos in omni afflictione nostra, in hoc ut possimus consolari eos, qui sunt in quauis afflictione, per consolationem, qua nos ipsos consolatur Deus.

PROPE FACITE IVDICIVM VESTRVM DICIT DOMINVS: AFFERTE.

Supra dictum est, quod Dominus instituerit in hoc capite quasi forensem actionem coram iudicibus, contra deos, idola & sacra Gentium. Ac ante quidem proposuit ἀντίθεσιν, seu Contentionem, qua se & opera, atq; maiestatem suam cum dijs seu idolis Babyloniorum ita confert, ut perspicuum fiat, se esse uerum æternum Deum, ac saluatorem populi sui: Idola autem gentium esse res ficticias & plane inutiles. Quam antithesin idcirco proponit, ut ecclesia ad uersus offendicula fœlicitatis Idolatrarum, et infœlicitatis piorum muniatur. Et hæc quidem satis, ut puto, copiose hactenus exposita sunt. Nunc sequitur alia ἀντίθεσις, qua Deus iterum, quasi in forensi iudicio opponit sese Idolis Gentium. Sicut autem in superiori antithesi contulit facta cum factis, ita in hac confert dicta cum dictis, hoc est, prophecias & uaticinia sua, cum prophecijs, & uaticinijs deorum Babyloniorum, ac etiam omnium gentium. Audiamus ergo inicio priorem ἀντιθέσεως partem, quam & paraphrasi percurremus. Prope, inquit, facite iudicium uestrum &c. hoc est, Vos idola, ac dij gentium, agite, proponite iterum in medium causam uestram, afferte omne argumentorum uestrorum robur, ut possitis uestram diuinitatem probare. Ne autem per uaria uagandum sit, sumamus in manus uaticinia. Nam si Idola gentium sunt ueri dij, agite dum, adnuncient, ac uaticinentur nobis quæ sint uentura. At nec hoc quidem tam seueriter exigo. Nam, si non possunt nobis prædicere futura, saltem adnuncient & commemorent nobis recte & uere, priora & præterita, ut ex his sciamus & cognoscamus, num etiam aliquid ueri possint de posterioribus, ac futuris uaticinari. Sed sit sane ita, quod uos seu uestri uates queant aliquam ueterem historiam uere commemorare: certe, si uultis probare uos esse ueros deos, necesse habebitis adnunciare, quæ poste-

rioribus temporibus euentura sint. Necesse habebitis uaticinari, quæ uel bona uel mala uestro populo, uestris cultoribus, aut etiam populo Dei, immittere in futurum uelitis ac posſitis. Num eueturum sit ipsis bellum, an pax. Num uastitas an tranquillitas: num captiuitas, an libertas, idq; iuxta suas circunstantias, quo tempore, quibus hostibus, quo liberatore, aut quibus alijs modis. Hoc si feceritis, & si ea, quæ prædixistis sic euenerint, tum perspicue cognoscemus, tum & fatebimur uos esse ueros Deos. Sed quid pluribus opus est? Vos estis ex nihilo, & opus uestrum ex eo quod non est (hoc est) ut uos nihil estis, ita nec quicquam ueri prædicere potestis. Et abominabiles sunt, quotquot eligunt & colunt uos, ut deos suos. Hæc est prior pars huius antitheſis. Mirum autem uidetur, quod uerus Deus tam seueriter prouocet ad uaticinia, cum obscurum non sit, quod etiam impij, & uates Idolorum multa prædixerint, quæ euenerunt. Et quid illud est, quod prouocet etiam ad commemorationem præteritorum, quasi homines Idolatriæ dediti, non possent aliquam ueram historiam, ante aliquot annos gestam, recitare? Obserua igitur, quod negari non potest, quin & sua sint impiorum & Idolatrarum uaticinia. Satan enim, quia non potuit quondam consequi, ut proturbato filio Dei e sede maiestatis suæ, ipse Deus esset, hoc nunc, quod proximum est, conatur, ut sit Simia ueri Dei. Itaq; quia uidit Deum edere miracula per Mosen, excitauit maleficos Pharaonis, ut & ipsi uiderentur miracula edere. Vidit Deum uerum responsa & oracula dare ex propiciatorio per Mosen diuina autoritate instituto. Conatus igitur est & ipse responsa per statuas, quas scribunt aliquoties locutas, & per alia instrumenta dare. Vidit uerum Deum habere suos uates & Prophetas, qui de rebus futuris uaticinarentur. Quare excitauit & ipse suos uates, qui de uenturis rebus prophetarent. In Deuteronomio capite decimotertio, significatur falsos Prophetas posse prædicere signa & portenta, quæ eueniant. In Samuele mulier Pythonissa excitat Samuelē, hoc est, Satanam in habitu Samuelis, qui prædicit Saulí, quod ei postera die accidit. In libro Regum: Ahasias rex Israel, cum cecidisset per cancellos cœnaculi sui, mittit nuncios ad Belzebub deum Accaron, ut scisciteretur, num recuperaturus esset sanitatem. Non misisset autem Ahasias ad hunc Deum, nisi is prædictionibus & uaticinijs suis consecutus fuisset aliquam autoritatem. Hic ergo considera mihi, quod cum Deus prouocet Idola aut uates eorum ad uaticinia, non intelligat ea uaticinia, quæ uel ex naturalibus causis colligi possunt, qualia & physici nonnunquam prædicunt, uel ex moralibus causis constant, sicut etiam prudentes Ethnici potuerunt prædicere, hominem elatum, arrogantem, & alios præ se contumelioſe fastidi-

entem,

entem, tandem in ignominiam deijciendum,& ab alijs contemnendum. Nec fit ſermo de his uaticinijs, quæ in hoc proferuntur,ut aboleant uerbum Dei,quod antea manifeſtiſsimis & certiſsimis miraculis,& alijs teſtimonijs confirmatum eſt. Nam hæc aliquoties accidere,permittente Deo, ut probetur fides populi Dei,ex Deuteronomio perſpicuum eſt. Nec de his loquitur Deus,quæ aut antea extant,& repetuntur tantum â uatibus Satanæ, quale eſt uaticinium excitati Samuelis,aut generaliter ſine circumſtantijs efferuntur,aut ſunt obſcura,ſeu ambigua,& flexiloqua, qualia fuerunt oracula Delphica: Sed loquitur de ijs uaticinijs, quæ & ſunt perſpicua, & efferuntur cum circumſtantijs ſuis,& denunciant publice gentibus uel bellum,uel pacem,uel internecionem,uel ſalutem. Tale fuit uaticinium Noe de diluuio,quo exprimuntur certæ circumſtantiæ. Non enim generaliter tantum dicitur, uenturum ſupplicium, ſed adduntur certæ circumſtantiæ, uidelicet, quod uenturum ſit ſupplicium ſuper omnem terram,ſuper omnem carnem. Item,ſupplicium ueniet, per aquam. Adducam (inquit) AQVAS diluuij ſuper terram. Additur & circumſtantia temporis. Centum & uiginti anni. Tale fuit uaticinium,quod Abraamo diuinitus reuelatum, & per ipſum uulgatum eſt,de multiplicando ſemine ſuo, de poſsidenda terra Canaan,& quod ſemen eius futurum eſſet peregrinum in aliena terra,quadringentis annis,deinde reuerſurum eſſet, cum multis diuitijs,& occupaturum Cynæos,Hethæos &c. Hic uides multas & uarias circumſtantias uaticinij,quas tanto ante tempore, priuſquam eueniant,prædicere,ſolius ueri Dei opus eſt,non ullius creaturæ. Tale eſt uaticinium de uenturo Meſsia, de quo non ſimpliciter prædictum fuit, quod eſſet uenturus, & gentes benedicturus, ſed adiectæ ſunt, & ſubinde clarius reuelatæ circumſtantiæ,uidelicet,e cuius familia,e qua tribu, e cuius poſteritate, quo tempore, quo Iudææ loco,quali matre, naſciturus eſſet, & multæ aliæ circumſtantiæ. Tale eſt & uaticinium de uaſtatione urbis Hieruſalem,& Babylonica captiuitate, Item de liberatione e captiuitate & reſtauratione urbis Hieruſalem. Sunt & in hoc uaticinio circumſtantiæ expoſitæ, quis ſit futurus uaſtator urbis, quanto tempore captiuitas duratura, quis redemptor e captiuitate. Hæc & id genus alia uaticinia,uere ſunt miranda,& quæ manifeſte ueram diuinitatem eius Dei, à quo reuelantur,teſtantur. Et de talibus fit hic ſermo, quod nihil unquam talium uaticiniorum ab idolis aut cultoribus eorum prædictum ſit,nec etiam prædici queat. Atqui,ſi uere eſſent dij,& uera eſſet religio eorum, certe deberent talia uaticinia, quibus publice aut ſalus, aut in-

ternecio denunciatur, perſpicue, & cum certis ſuis circumſtantijs, per cultores ſuos reuelare & uulgare. Quare apte concluditur, quod & nihil ſint, & nihil poſsint, & abominabilis ſit, qui eos colit ac ueneratur. Sed quid illud eſt, quod Deus affirmat idola non ſolum non poſſe de futuris uere uaticinari, uerum etiam non poſſe priora ſeu præterita recte commemorare? Non omnino negat, quod idola ſeu cultores eorum, non poſsint aliquid ueri de rebus in hoc mundo geſtis recitare, ſed hoc negat, quod cum deſeruerint doctrinam Patriarcharum de uero Deo, & uera religione, non poſsint aliquid certi & ueri de initio & creatione huius mundi, & de rebus per pios Patriarchas ā condito orbe geſtis, quæ hiſtoria præ omnibus ſcitu digniſsima eſt, cognoſcere, & commemorare. Ac profecto res ualde mirāda uidetur, quod in Ethnicis ſcriptoribus, de tantis rebus, nihil certi extet, ſed omnia plena ſunt fabulis. Alij ſentiunt, mundum nunquam incepiſſe, ſed ſemper fuiſſe. Alij etſi affirmant eum cœpiſſe, tamen numerant ante ſe, multas annorum myriadas, quod de Chaldæis Cicero ſcribit. Alij alia nugantur. Sed ſi recte hoc perpendas, non eſt admodum mirandum, quod qui deſeruerunt primorum Patriarcharum doctrinam de uero Deo, & ſectati ſunt alienos deos, non retinuerint etiam ueram de initio huius mundi, & de alijs Patriarcharum geſtis, hiſtoriam. Auguſtinus ſcribit alicubi (In libris de Ciuitate Dei) ſe in doctrina Ethnicorum deorum obſeruaſſe, quod plane nihil, aut pauciſsima doceant de bonis moribus, & de honeſtis uitæ officijs, ſed tantum præſcribant ritus quoſdam, & cerimonias ſacrorum, & ludos ſcenicos, & exigant alias quaſdam friuolas nugas, quæ ad ueram animi pietatem aut tranquillitatem, & ad uitæ honeſtatem nihil faciant. Itaque arguit eos non poſſe ueros eſſe Deos. Nam ſi eſſent ueri dij, certe maiorem habuiſſent rationem honeſtorum officiorum in hominum uita, quam iſtarum ineptiarum, quas de ſacris ſuis & obſcœniſsimis ludis tradunt. Hoc Auguſtini argumentum non longe abeſt ab eo, quod Eſaias hic recitat, uidelicet, Idola non poſſe eſſe ueros deos, propterea quod cultores ſuos non ſolum non doceant res futuras, ſed ne præteritas quidem, à condito orbe, quas maxime omnium ſcire & cognoſcere referret, cum interea doceant eos, neſcio quas uaniſsimas nugas, quæ indignæ ſint, ut publice in cœtu honeſtorum hominum recitentur.

SVSCITAVI AB AQVILONE, ET VENIT

VENIT, AB ORTV SOLIS VOCAT NOMEN MEVM &c.

Hæc est altera pars antitheſis, in qua Deus commemorat nonnulla, quæ ipſe uaticinetur, & quæ etiam ſint certiſsima, ac eiuſcemodi, qualia nullus ficticiorum deorum uaticinari poſſit. Suſcitaui, inquit, ab Aquilone, & uenit &c. Hæc ſic recitantur, ut uideantur poſſe intelligi de Abraamo, quem DEVS excitauit ab Aquilone, hoc eſt, Chaldæa, & ab ortu ſolis, hoc eſt, à Meſopotamia, de quo & Deus prædixit, quod nomen ſuum ſit prædicaturus inter Gentes, & quod poſteritas eius ſit conculcatura reges, quæ omnia ſic, ut prædicta fuerunt, in poſteritate Abrahæ ſunt impleta. Alij intelligunt de rege Babylonio, uaſtatore urbis Hieruſalem, & de Cyro redemptore captiuorum Iudæorum. Alij intelligunt de Chriſto DOMINO noſtro. Quæ ſententiæ non ſunt damnandæ. De his enim omnibus extant certa uaticinia Dei Iſraelis, quæ ut uere impleta ſunt, ita manifeſte coarguunt deos Gentium uanitatis, quod ipſi talium rerum plane nihil poſsint prædicere. Sed quia mox ſequitur. Primus ad Zion dicet, Pro quo ſic legendum eſt, Ego primus (dico) ad Zionem: Ecce ipſi, & ad Hieruſalem, Euangeliſtam (tibi) dabo. Quæ intelligenda ſunt, de uocatione gentium ad agnitionem CHRISTI, & de diuulgatione euangelij, ab urbe Hieruſalem, in totum orbem terræ, idcirco puto etiam hæc uerba: Suſcitaui ab Aquilone, & uenit &c. intelligenda eſſe de uaticinio uocationis Gentium ad eccleſiam, ut ſit hæc ſententia. Ego uaticinor & prædico per meos Prophetas, quod eccleſia mea non ſolum colligatur ex Iudæis, ſed quod etiam Gentes ab Aquilone, & Ortu ſolis excitandæ ſint, & acceſſuræ ad meam eccleſiam, Quæ & uocabuntur nomine meo, hoc eſt, uocabuntur populus Dei, ſeu inuocabunt nomen meum, ac incedent ſuper principes, tanquam ſuper cœnum, & conculcabunt eos, quemadmodum figulus ſolet conculcare lutum. Qualis autem ſit hæc conculcatio, e ſuperius dictis intelligendum eſt, cum dicitur: Ego poſui te quaſi plauſtrum, & tribula noua dentata, triturabis montes, & comminues &c. Qualis eſt hæc trituratio & comminucio, talis etiam eſt ulla conculcatio, uidelicet, non carnalis, ſed ſpiritualis. Cum enim euangelion CHRISTI inter Gentes prædicatur, tunc hi, qui credunt euangelio, ſequuntur uocationem eius, etiamſi id prohibeant & perſequantur principes & magiſtratus. Sic & infra dicit ca. 3. Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente colligã te. Dicam Aquiloni, da, & Auſtro, noli prohibere.

Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ &c. Sic & Matthæi octauo, Dico uobis, multos ab Oriente & Occidente uenturos esse, & accubituros cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum &c. Quod autem in hoc Esaiæ loco tantum fiat mentio Aquilonis & Ortus solis, non item Austri & Occidentis, ideo factum esse existimo, quod eum eo tempore uenerint ab Aquilone & Ortu solis uastatores regni Iuda & urbis Hierusalem, qui fuerunt Sancherib & Nabuchodonosor, Assyrij & Babylonij, significetur, rem diuina clementia in diuersum ita mutandam, ut unde antea uenerint ecclesiæ uastatores, inde postea uenturi sint ecclesiæ ædificatores: & unde prius populus Dei diminutus est, inde postea populus Dei multiplicandus sit. Et hæc quidem futura esse uerus Deus Israelis uaticinatus est, quæ & euenerunt, ac reipsa impleta esse uidemus. Sed nihil talium rerum unquam potuerunt Idola seu dij Gentium aut cultores eorum prædicere. Vnde sequitur: Quis (horum deorum) adnunciauit hæc ab initio, & antequam fierent, ut ea cognoscere potuissemus? Nam si talem quendam ex his dijs in medium proferre potestis, certe fatebimur eum iustam habere causam, & uerum esse Deum. Sed quid pluribus opus est? Nullus est inter omnes deos gentium, qui talia adnunciauerit, ac prædixerit. Nec ullus est inter cultores & auditores uestros, qui unquam talia à uobis audiuerit. Ego autem primus & solus ille sum, qui dico Zioni: Ecce ipsi, hoc est, qui adnuncio populo meo, quod colligam ecclesiam meam non tantum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Ecce enim ipsi, ecce gentes, quæ excitatæ per euangelion, magna multitudine accedunt ad meam ecclesiam. Ego quoque primus & solus sum, qui dico ad Hierusalem, Dabo tibi euangelistam, hoc est, Ego sum ille, qui adnuncio, quod uenturus sit Messias, qui uerus est euangelista, & quod etiam uenturi sint in Hierusalem euangelistæ seu Apostoli eius, qui initio in Hierusalem facto, uulgabunt euangelion in totum orbem terræ, & colligent ecclesiam ex omnibus gentibus, tantum abest, ut ecclesia mea, & regnum meum periturum sit ex uastatione urbis Hierusalem, & ex captiuitate Babylonica. Ego, inquam, uidi hæc futura, & nullus alius. Nec erat quisquam ex istis dijs gentium, qui me potuerit consilio suo iuuare, aut interrogatus, uel uerbum respondere. Concluditur ergo, quod omnes hi dij sunt uani, & opera eorum sunt nihil, & simulacra eorum, sunt uentus, & inane. Hæc est sententia definitiua huius Iudicij, coram quo uerus DEVS causam suam tuendam aduersus falsos deos Gentium suscepit. Quod autem

autem de dijs gentium dicitur, hoc sentiendum est de sacris humana prudentia institutis, de humanis traditionibus, de ordinibus Monasticis, de sacrificijs Missarum, & de meritis humanorum operum, si conferantur ad Christum filium Dei, & ad fidem, quę est in ipsum. Sacra enim humano arbitrio excogitata & instituta, nō possunt nobis uere uaticinari de æterna iusticia & fœlicitate consequenda, non possunt nobis cœlestia beneficia uere polliceri, etiamsi diligentissime à cultoribus suis sint peracta. Nec possunt quempiam æternis supplicijs uere addicere, etiamsi omissa & contempta fuerint. Quare non sunt nisi uana sacra, de quibus & alias dicitur: Frustra colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Solus autem Iesus Christus filius Dei, uere uaticinatur nobis per euangelion suum, quod qui credit in ipsum, habeat æternam uitam, qui autem non credit, condemnetur perpetuo. Sed de Christo, Caput, quod mox sequitur, insignem continet concionem.

CAP. XLII.

ECCE SERVVS MEVS, SVSCIPIAM EVM, ELECTVS MEVS &c.

Absoluimus forensem contentionem, quam in superiori capite DOMINVS Deus noster, quasi coram legitimis & ordinarijs iudicibus, aduersus deos gentium susceperat. Nunc in hoc 42. capite instituit insignem concionem de DOMINO nostro Iesu Christo, ut doceat, ueram nostram salutem & redemptionem non constare in dijs aut sacris gentium, nec etiam in incolumitate externæ huius urbis Hierusalem, sed tantum in Iesu Christo, uero redemptore nostro. Nam in superiori capite dixit Deus, se suscipere ac fulcire populum suum dextera IVSTI SVI, Dixit, populum suum lætaturum in sancto Israelis. Dixit se missurum urbi Hierusalem Euangelistam, qui uera bona adnunciaret. Cogitant igitur, & quærunt secum pij Israelitæ, Quis sit ille Iustus Dei? Quis sit sanctus ille Israelis? Et quis sit Euangelista ille, ut audiant eum, & petant ex ipso ueram læticiam ac salutem. Damnauit etiam in eodem capite deos gentium, ac perspicue indicauit, quod plane nullam queant cultoribus suis salutem conferre. Possent igitur & gentes quærere, quem tamen Deum colere debeant, ut iuuentur & salutem ueram consequantur. Respondet ergo DOMINVS Deus noster, cœlestis pater, utrisq; tam Iudæis, quam Gentibus, & ostendit eis, quasi digito, Ie

ſum Chriſtum filium ſuum, ut hunc colant, hunc fide ſua complectantur, & ſeruentur. Ecce, inquiens, ſeruus meus &c. Nullum dubium eſt, quin hic locus intelligendus ſit de Ieſu Chriſto, DOMINO noſtro. Sic enim Matthæus capite duodecimo interpretatur. Ieſus, inquiens, curauit omnes, & præcepit eis, ne manifeſtum eum facerẽt, ut adimpleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ &c. Sed & Matthæi 3. & 17. cum cœleſtis pater concionaretur e cœlo de Chriſto filio ſuo, & commendaret eum uniuerſo humano generi audiendum, utitur uerbis huius loci: In quo (inquiens) mihi bene complacitum eſt, ut palam ſignificaret, quod hæc Eſaiæ concio, non in alium, quam in Ieſum Chriſtum reſpiceret. Quare non eſt alia interpretatio recipienda, etiamſi angelus de cœlo eam adnunciaret. ECCE, inquit, SERVVS MEVS. Quem in Pſalm. 2. uocat filium ſuum, Filius meus es tu, inquiens, ego hodie genui te, eum uocat hic ſeruum ſuum. Ac recte quidem dicitur, Chriſtum uocari ſeruum, propterea quod cum in forma Dei eſſet, ut Paulus loquitur, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo, ſed ſemetipſum inaniuit, forma ſerui ſumpta &c. In hoc autem loco cognominatur ſeruus, magis propter fideliſsimam diuini mandati executionem, quam propter externi habitus contemptum. Id quod indicat uerbum, quod ſequitur: Suſcipiam eum. Pro quo rectius legitur, Quo nitor: ut ſit ſenſus. Sicut inter homines, ſi quis habet ſeruum, cuius fides cognita eſt & perſpecta, ſic eo nititur, ut nihil ſuarum ipſe rerum curet, ſed omnia permittat adminiſtrationi ſerui, nec dubitet, quin ſeruo tam fideli adminiſtratore, recte omnia conficiantur, qualem ſeruum fuiſſe Ioſephum, ſcriptura Geneſis trigeſimonono teſtatur. Ita Deus pater uocat Chriſtum ſeruum ſuum, quo nitatur, uidelicet ſignificans, quod Chriſtus tam fidelis ſit adminiſtrator cœleſtis regni, ut curæ eius omnia commendauerit. Nec neceſſe habeat ipſe de rebus ſuis ſollicitus eſſe, quando hic Chriſtus tantæ ſit in officio ſuo fidei ac diligentiæ, ut non dubitet, quin negocia tam recte & probe adminiſtret, quam ſi ipſe ſuis manibus ea conficeret. Obſeruabile dictum de Chriſto, ut cognoſcamus, quid nobis de Chriſto polliceri, & in eo expectare debeamus. Nam, quod hic in Eſaia dicitur: Ecce ſeruum meum, quo nitor, an denen Ich mich verlaß / wie ſich ein herr an einen trewen knecht verlaſſt / hoc Ioannes Baptiſta, uelut exponens, ſic effert: Pater diligit filium, & omnia tradidit in manum eius. Et aliàs dicit Chriſtus ipſe: Pater omne Iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. Ac iterum: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo et in terra. Hoc multo latius

patet,

patet, quam prima fronte apparet. Si enim pater nititur Chri-
sto, sicut herus fideli seruo suo, et si pater tradidit omnia in manum
eius, superuacaneum est, ut coneris ascendere in cœlum, & cogno
scere arcanam Dei uoluntatem. Vade tantum ad Christum filium
Dei, audi euangelion eius, quo cognito, cognosces etiam uolun-
tatem Dei. Item superuacaneum & curiosum est, ut sollicite inqui
ras, num nomen tuum scriptum etiam sit à Deo inter alios sanctos
in libro uitæ. Inquire saltem Euangelion Christi, & si inueneris te
in Euangelio scriptum, per FIDEM, dubitandum nõ est, quin
uere scriptus sis à Deo in libro uitæ, quia Deus Christo filio suo ni
titur, & tradidit ei omnia in manus suas. Item ociosum est, & ua-
num, ut cogitationibus tuis coneris penetrare in abscondita consi
lia Dei, & perspicere, quæ te sententia maneat post hanc mortem,
& num tibi uel ad cœlum uel ad infernum petendum sit. Hæc non
uult Deus à se exquiri, sed remittit nos ad Christum suum, & ad e-
uangelion eius, ut qui inuenit se per fidem in Christo, sciat sibi
post hanc uitam petendum esse cœlum. Qui autem contemnit,
aut abijcit Christum & euangelion eius, sciat sibi post hanc uitam
petendum esse infernum. Item, stultus est labor, si quispiam per-
scrutari uelit, num Deus reputet ipsum iustum, & num uelit ip-
sum seruare in omnibus periculis. Quin potius accedito ad Chri-
stum & euangelion eius. Si inueneris in euangelio Christi absolu-
tionem à peccatis, & promissionem salutis, propter Christum, ni-
hil certius erit, quam quod reputeris coram Deo iustus, & serue-
ris in omnibus aduersis, quia Deus nititur Christo suo, & tradidit
ei omnia in manus, ut quicquid Christus egerit ac pronunciaue-
rit, hoc sit in conspectu Dei firmum ac ratum. ELECTVS
MEVS. Nec hoc epitheton temere tribuitur Christo. Opponi
tur enim omnibus alijs hominibus. Nam alij homines, quotquot
ex Adamo nascuntur, sunt coram Deo abiecti, propter pecca-
tum. Omnes, inquit, declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nõ est
qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Solus autem Christus est
Electus, quia peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in lingua
eius. Sed etsi solus est electus, tamen non uult solus sua electione
frui, sed habet eam communem cum omnibus credentibus in ip-
sum. Ego, inquit, gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint u-
num, sicut nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint con-
summati in unum. Quare, qui cupit à Deo, ad ueram & æter-
nam gloriam electus esse, coniungat se fide sua cum Christo, E-
lecto Dei, ut & beneficijs eius fruatur. Quod probat eti-
am id, quod additur: COMPLACVIT SIBI IN
ILLO ANIMA MEA. hoc est, Is solus est, quem sum
ma mea beneuolentia complector, & quo unice delector. Sunt

quidem multi alij homines,& fuerunt à condito mundo innumerabiles,nullo autem horum Deus unquam (ſiquidem naturam eorum,peccato deformatã reſpexerit) uere delectatus fuit: Sed hoc Chriſto ita delectatur,ut non in ipſum ſolum conferat omnia ſua bona,uerumetiam condonet peccata,reputet iuſtos,& adoptet omnes eos,qui in ipſum credunt,& in quibus ipſum per fidem inuenit,in filios,& heredes ſuos,& ſeruet eos,propter ipſum,in morte ad æternam fœlicitatem. Ioan. 1. De plenitudine eius accepimus nos omnes,gratiam pro gratia,quia lex per Moſen data eſt, gratia autem & ueritas per Ieſum Chriſtum. Quare, ſi quis requirit,quomodo debeat colere Deum,ut placeat ei,& quomodo conſequatur à Deo ueram ſalutẽ,is habet in hoc loco perſpicuam doctrinam. Si quis enim crediderit euangelio Chriſti tantopere à patre ſuo commendati, et ſecutus fuerit uocationem eius ex fide,hic demum uere eſt cultus Deo gratus, per quem & Deus ueram largitur ſalutem.

DEDI SPIRITVM MEVM SVPER EVM, IVDICIVM GENTIBVS PROFERET.

Idem de Chriſto etiam ſupra cap. 11. dicitur: Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. Et infra cap. 61. Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me &c. Nec obſcurum eſt, quod cum Chriſtus baptiſaretur,deſcenderit ſuper eum ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ,& uox patris de cœlo ſonuerit. Quo ſpectaculo aut potius miraculo Chriſtus manifeſte ſanctificatus fuit,ut ſuſciperet publicam functionẽ ſui officij,ad quod e cœlo in terram miſſus erat. Vnde & hic additur,Iudicium gentibus proferet. Hoc ita dicitur, perinde ac ſi Chriſtus eſſet inter gentes dominaturus more regio, aut mundano. Sed & ipſa regni Chriſti ratio,& res geſtæ Chriſti interpretantur hoc dictum. Proferre enim iudicium gentibus, in regno Chriſti,non eſt gentibus leges politicas præſcribere,ſed eſt Euangelion de remiſsione peccatorum,& uita æterna adnunciare. Hoc enim eſt iudicium,quo uniuerſus mũdus arguitur de peccato,de iuſticia,& de iudicio. Ac cœptum quidem eſt adnunciari per Chriſtum ipſum,cum baptiſatus eſſet à Ioanne. Poſtquam autem aſcendit in cœlum & miſit ſpiritum ſanctum,uulgatum eſt in uniuerſum orbem terræ,ut omnis qui crederet euangelio & baptiſaretur, fieret ſaluus: Qui autem non crederet,condemnaretur. Nam quod hoc iudicium non intelligendum ſit de politicis legibus,& de mundano imperio,exponunt ea,quæ ſequuntur.

NON CLAMABIT, NEQVE ACCIPIET PERSONAM, NEC AVDIETVR VOX EIVS FORIS.

Pro

Pro,neq; accipiet personam,hebræus habet. Nō tollet,hoc est, non sustollet, non exaltabit uocem suam tumultuose. Opponuntur autem hæc partim promulgationi Decalogi, quæ facta est in monte Sinai,partim promulgationi legum politicarum,in mundanis imperijs.Nam in Decalogi promulgatione tantus clamor, tam horrenda uox audita est,ut auditores Israelitæ retrocederent,ac præ metu tantum non examinarentur. Et in promulgatione legum seu edictorum ciuilium, solet publice signum dari aut buccina,aut tumultuoso sono tympani.Et præco, quam potest intentissima uoce, in plateis clamat,ac seueriſsime minatur,ut nisi quis edicto pareat, extremo supplicio afficiatur. Hic est horribilis sonus, quo homines magis terrentur, quam tranquillitatem consequuntur. Christus autem filius Dei, Dominus noster, non est talis præco, aut promulgator.Non uociferatur horribiliter. Non extollit uocem suam tumultuose. Etsi enim & ipse aliquoties in concione clamasse dicitur,tamen clamor eius non fuit bellicus, non sedicioſus,non tumultuosus, non terribilis, Sed placidus, gratus, & iucundus, ut quotquot audirent,magis recrearentur, quam exterrerentur. Nec uox eius,inquit,audietur foris,hoc est,non iactabit,non gloriabitur de maiestate sua inepte,importune & inuidiose, sed cum ediderit miracula,interminabitur,ut Euangelista ait,ijs,qui consequuntur sanitatem,ne se manifestum facerent,tantum abest,ut ambitiose,sicut solent Principes huius mundi, inculcet suæ maiestatis titulos,& sua strategemata. Hoc autem intelligendum est,non solum de personali Christi prædicatione,sed etiam de Euangelij eius propagatione. Propagabit enim Euangelion suum inter gentes, non clamore bellico,non tumultu bombardarum, nō strepitu militum & equitum,quemadmodum Principes huius mundi solent sua regna proferre,& sua edicta promulgare.Sed propagabit illud iucūda & amabili prædicatione suorum Apostolorum. Vnde & capite quinquagesimo secundo dicitur:Quam pulchri sunt pedes adnunciantis & prædicantis pacem &c. Voluit autem Christus Euangelion suum sic propagare, ut hoc argumento intelligeremus Euangelio adnunciari nobis non iram,sed gratiam,non exitium,sed salutem,non mortem,sed uitam. Quare,qui ex Euangelio Christi concipiunt terrores ad desperationem salutis suæ, hi abutuntur Euangelio,& suo ipsorum non Euangelij uitio pereunt.

CALAMVM QVASSATVM NON CONTERET, ET LINVM FVMIGANS NON EXTINGVET &c.

Suauissima de Christo concio,& dignissima quæ non auro tantum comprehēdatur,uerumetiam gemmis ornetur.Nam Christus

longe alius est doctor, rex, bellator, quam Moses, ac mundani reges & bellatores. Moses enim cum sua lege, nec calamo nec lino parcit. Omnia uastat. Non est contentus honesta coram hominibus, & ciuili iusticia: sed, nisi inuenerit iusticiam perfectam, & sanctitatem ex omni parte absolutam, conterit & damnat omnes homines. Maledictus, inquiens, omnis, qui non permanserit in omnibus uerbis legis huius. Et iterum dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omni fortitudine tua. Non requirit aliquam tantum partem cordis aut animæ, sed exigit totum cor, & totam animam, cum omnibus uiribus suis. Nullus autem hominum est, qui non aliqua ex parte in corde coram Deo claudicet. Et quanquam sit in homine naturalis quædam notitia Dei, & nonnullus amor honesti, quę sunt uelut calamus quassatus, & linum fumigans, tamen quia hæc sunt multis modis per originale peccatum uitiata, non agnoscuntur a Mose & lege eius, sed potius damnantur, propterea quod lex tantæ sit seueritatis, ut perfectam, & nulla parte uitiatam iusticiam requirat. Deinde mundani reges ac bellatores, non solent admodum clementes esse erga miseros, & eos, qui humana quadam imbecillitate deliquerunt. In pace, si fur deprehensus fuerit, non auditur, etiamsi inopiam & famem furto prætexat. In bello sæuitur quidem præcipue in uiros, sed sæpe ne infantibus quidem, & mulierculis, & decrepitis senibus, qui sunt calami quassati & lina fumigantia, parcitur. Christus autem longe aliter se gerit. Calamum quassatum non conterit, sed in integrum restituit. Linum fumigans non extinguit, sed potius accendit. Calami quassati, & lina fumigantia sunt corda iudicio peccati prostrata, & uarijs afflictionibus, ac etiam horrore mortis & inferni contrita, in quibus uix adhuc scintilla fidei lucet, imo uix fumus relictus est. Christus igitur hoc ingenio præditus est, quod corda prostrata & contrita, intantum non conculcet & perdat, ut potius erigat ea & corroboret. Non est talis, tam imperitus, tam infœlix medicus, qui imbecilles reddat imbecilliores, aut morti tradat, sed qui ipsos sanitati ac uitæ restituat. Non idcirco abijcit hominem, quod sit contritus, aut infirmus, sed potius, quia est contritus, & infirmus suscipit eum curandum, & seruandum. Quemadmodum enim mater non ideo deserit filiolum suum, quia uidet eum periculoso morbo grauari, sed potius maiori cura eũ tractat: ita & Christus tanta cura erga miseros, afflictos, & abiectos homines afficitur, ut ad hos seruandos susceperit, exinanita maiestate sua, mortem crucis, tantum abest, ut sint ei abominabiles. Ac sæpe quidem alias repetit scriptura diligentissime, quod Deus contritos non conculcet, sed restituat potius, & quod miseros atq; abiectos non despiciat, sed respiciat. Psalmo undeci-

mo,

mo: Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus, Ponã in salutari, fiducialiter agam in eo. Psalmo trigesimotertio. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit, Psal. ci. Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus cõpeditorũ, & solueret filios interemptioni destinatos. Et multa id genus alia dicta extant, quibus significatur nobis, q̃ Deus respiciat & seruet miseros homines sperantes in ipsum, hoc est, q̃ restituat calamum quassatum in integrum, & accendat linum fumigans. Sed nusq̃ certius, nusquam clarius hoc comprobatur, quam per filium Dei Iesum Christum, cui pater omnia demonstrat, & cui omnia dedit in manus. Hic enim & aduentu suo in hunc mundum, & Euangelio suo, & miraculis suis, denicq̃ dictis & factis suis testatus est, se diuina ordinatione in hunc usum positum, ut calamum quassatum non conculcet, sed restituat, & linum fumigans non extinguat, sed reaccẽdat. Filius hominis, inquit, uenit, ut seruet, quod perierat. Calamus quassatus erat mulier peccatrix, Lucæ vij. Christus autem non conterit, non conculcat hunc quassatum calamum, sed restituit eum in integrum. Vade inquiẽs, fides tua te saluam fecit. Calamus quassatus erat Petrus, cum abnegauerat filiũ Dei, sed Christus hunc calamum ita seruat, ut factus sit maxima in tẽplo Dei columna. Linũ fumigãs erat is, qui apud Marcum dicebat ad Christum: Succurre incredulitati meæ. Christus autem non extinguit, sed accendit, & confirmat fidem eius, ædito etiam miraculo. Lina fumigantia erant Apostoli omnes, cum fugerent, & desererent Christum solum in manibus persecutorum suorum. Christus autem in tantum non extinxit hunc fumum, ut potius accẽderit, & fecerit ex Apostolis clarissima mundi lumina. Quid plura? Christus uenit, quemadmodum Paulus ait, ut peccatores saluos faceret. Hoc uere est calamũ quassatum restituere & linum fumigans accendere.

IN VERITATE EDVCET IVDICIVM &c.

Pro quo rectius sic legitur. Ad ueritatem proferet Iudicium. Diximus autem supra, q̃ in hac concione de Christo, Iudicium sumatur pro doctrina Euangelij, quæ affert credentibus salutem, incredulis autem, exitium. Dicit ergo, Christũ proferre iudicium ad ueritatem, hoc est, restituere ueram doctrinam salutis. Scribæ enim et Pharisæi non proferebant iudicium ad ueritatem, quia traditionibus suis obscurabant tam legem, q̃ promissiones de Messia. Doctrina eorum fuit & mendax, & pernicioſa. Christus autem uere protulit eam doctrinam, quæ sola est salutaris. Verba mea, inquit, spiritus sunt, & uita. Et iterum. Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

NON ERIT TRISTIS, NEQVE PERTVRBATVS &c.

Alij aliter hoc interpretantur, sed quia uulgata tralatio non repugnat significatis hebræarum dictionum, sequemur nunc sententiam eius. Opponitur autem hoc loco Christus iratis & perturbatis Principibus, quos, dum sic affecti sunt, non licet adire, aut quicquam ab eis petere, ne irritati, nõ solum recusent beneficium quod petitur, uerumetiam petentem male afficiant. Christus non est talis ἀπροσηγόρευτος, aut Stoicus Princeps, sed est aditu facilimus. Non aspicit adeuntes duro, toruo aut truculento uultu, nec dat eis responsa perturbato animo, Sed uocat ipse ad se omnes humanissime, & dimittit a se clementissime. Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Et: Sinite pueros ad me uenire &c. Et: Omnem, qui uenit ad me non eiiciam foras. Et: Vade in pace, Fides tua te saluũ fecit. Hæc autem humanitas & clementia, non fuit in Christo brevis & inconstans hypocrisis, conficta tãtum ad tempus, ut hac animus uulgi captaretur, & tyrannis compararetur, (Sic enim solent tyranni humanitatem & clementiam fingere, donec assequuntur tyrannidem) sed fuit in Christo perpetua uirtus, ab initio suscepti officij sui, donec posuit iudiciũ in terra, & insulæ, legem eius quam expectabant, acceperunt, hoc est, donec uulgauit doctrinam Euangelij sui (quæ nomine iudicij & legis intelligitur) tam in urbibus terræ, quam in insulis maris, adeoq; in toto orbe terrarum. Nec exhibuit in terris tantũ Ecclesiæ suę hanc uirtutem, sed adhuc retinet eam iam sedens ad dexteram Patris sui. Non enim sedet ociosus, sed ut Paulus ait, intercedit pro nobis, & est aduocatus noster. Hęc descriptio uirtutum Christi eo pertinet, ut omnes gentes inuitentur ad credendum Euangelio Christi, & sciant, se non posse Deo cultum uere gratum præstare, nec ueram salutem consequi, nisi hunc Christum fide sua complectantur, & uocationẽ Euangelij eius sectentur.

HÆC DICIT DOMINVS DEVS, CREANS COELOS ET EXTENDENS EOS &c.

Pergit Propheta recensere concionẽ Dei Patris de Christo filio suo. Et cum antea Pater locutus sit de filio in tertia persona, nunc facit apostrophen ad eum, & loquitur ad ipsum in secunda persona. Sed priusq; alloquitur eum, cõmemorat titulos suos, & opera diuinæ suę maiestatis, partim, ut discrimen faciat inter se & uanos deos gentium, qui ne muscam quidem creare, aut claudum equum sanare possunt: partim ut testetur hęc, quæ loquitur, cum Christo filio suo, tam firma & certa esse, q; ipse est rerum omnium creator & conseruator: partim etiam ut significet, q; habeat cum Christo ad quẽ

loquitur,

loquitur, hãc ſuam maieſtatem communem, imo ꝙplane eadem ſit ſua & filij ſui maieſtas. Hæc dicit Dñs Deus, CREANS cœlos. In principio, inquit Moſes, creauit Deus cœlum & terrã. EXTENDENS eos, quia dixit: Fiat firmamentũ in medio aquarꝝ &c. FIRMANS terram, & quæ germinãt in ea. Dixit. n. Congregentur aquæ quę ſub cœlo ſunt in locum unum, & appareat arida &c. Et iterum dixit: Germinet terra herbam uirentem &c. DANS flatũ populo &c. Sic. n. habet ſcriptura: Formauit Dñs Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ &c. Cum aũt Deus creauerit & conſeruet iſta per Verbum, ſeu filium ſuum, qui eſt Ieſus Chriſtus, haud obſcure ſignificat, filium eiuſdem eſſe cum ipſo maieſtatis, ideoꝙ ipſum, nõ deos gentium, eſſe ut uerum & ęternum Deum colẽdum & adorandũ. Ego igitur Dñs ille, Vocaui te Chriſtum, filium meum, in luſticia, & apprehendi manũ tuam &c. Hæc uerba præteriti tẽporis interpretanda ſunt, iuxta Prophetica phraſin, pro uerbis futuri aut preſentis temporis. Ego uocaui te in luſticia, hoc eſt, ego uoco, egó celebro, ego illuſtro nomẽ tuum iuſte, & merito. Primum, ꝙ ſis filius meus ab ęterno, & eiuſdem mecum maieſtatis. deinde quia & tu illuſtras nomen meum coram hominibus. Sic. n. Ioan. xvij. dicit Chriſtus. Ego te glorificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi ut facerem, & nunc glorifica me tu pater apud temetipſum, gloria, quam habui apud te priuſquam hic mundus eſſet &c.

APPREHENDI MANVM TVAM, ET SERVAVI TE &c.

Hoc illud eſt, quod poſtea Chriſtus homo factus, cum aggreſſurus eſſet mortem, precatur, & quod uiciſsim Pater filio Dei reſpondet. Sic. n. ſcribit Ioannes. Nunc aĩa mea, inqt Chriſtus, turbata eſt. Et quid dicã? Pater ſeruato me ex hac hora. Sed propterea ueni in hanc horam: Pater illuſtra nomen tuum. Venit ergo uox e cœlo, dicens: Et illuſtraui, & rurſum illuſtrabo. Huc pertinet etiã quod eſt in Pſal. xv. Prouidebam Dñm in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne cõmouear &c. Iam, ſi Chriſtus apprehenditur manu Patris ſui, & defenditur ac ſeruatur ĩ morte, certe apprehẽdit etiã manũ & ſeruat oẽs eos, ꝙ ſunt Chriſti mẽbra, per fidẽ. Quare ſi credis in Chriſtũ, dubitandũ nõ eſt, ꝙn ſerueris a Deo in morte.

DEDI TE IN FOEDVS POPVLI, IN LVCEM GENTIVM &c.

Idem de filio ſuo dicit Deus infra cap. xlix. Parũ eſt, ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob & feces Iſrael conuertendas. Dedite in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſqꝙ ad extremum terræ &c. Ex his locis cõtexuit Simeon uerſiculum in carmine ſuo: Lumen ad

reuelationem gentiũ,& gloriam plebis tuæ Israel. Dicitur em̃ Christus,fœdus populi,uidelicet Israelitici, ꝙ sit huic populo ex fœdere,quod Deus cũ Abraamo, Isaac & Iacob inierat,promissus: In Semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Vnde & gloria eius a Simeone uocatur, propterea ꝙ soli Israelitæ hanc gloriam præ omnibus alijs gentibus habeãt, ꝙ Christus filius Dei ex ipsorum genere natus sit. Sed & Christus generaliter dicitur fœdus,non tm̃ Israelitici populi,uerꝝ etiã totius humani generis. Quia Pater iniꝭt per Christum filium suum fœdus cum humano genere, ꝙ quicũqꝫ agnoscit filium per fidem et credit in ipsum,uelit ei propicius esse,peccãta remittere,in filium & hæredem adoptare,& in morte ad ueram & æternam uitam seruare. Et in huius fœderis certissimum pignus,dedit Pater Christum ipsum,filium suum,ut hoc confirmati,de fœderis sanctitate haudquaqꝫ dubitaremus. De hoc fœdere dicit Hier. xxxi. Ecce dies uenient,dicit Dñs,& feriam domui Israel,& domui Iuda fœdus nouum,nõ iuxta fœdus,quod pepigi cum patribus eorum &c. Et cap. xxxiij. Si irritum potest fieri pactum meum cum die & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo. Et pactum meum irritũ esse poterit cum Dauid seruo meo &c. Qꝫ autem Christus etiam sit pignus huius fœderis, significat Paulus, cum uocat eum propiciatorem. Quem proposuit Deus, inquiens, propiciatorẽ per fidem in sanguine ipsius &c. Et Ioãnes: Aduocatũ habemus apud Patrẽ,Iesum Christũ Iustũ. Et ipse est ꝓpiciatio etc. Quare si Satã minatur nobis exitiũ ꝓpter peccata, per afflictiones, per mortẽ,per horrores inferni,reuocemus in mẽtem fœdus,quod Pater nobiscũ per filiũ suum iniꝭt, opponamus Satanæ,pignus nostrum per fidẽ, ut eo confirmati,oẽm tentationẽ superemus.

IN LVCEM GENTIVM. Christus,etsi tm̃ e Iudæis natus est,tñ non est Iudæorꝝ tm̃ salus,sed & Gentium. Illuminat,inqꝫ Ioannes,omnem hominem uenientem in hũc mundum,hoc est,nõ Iudæos tm̃,sed etiam gẽtes,quotquot uidelicet eum per fidem recipiunt. Et Paulus Act. xiij. Vobis oportebat primũ loqui sermonẽ Dei,sed qm̃ repellitis illũ, & indignos uos iudicatis ꝛterna uita,ecce cõuertimur ad gẽtes. Sic.n. nobis præcepit Dñs. Cõstitui te lucẽ gentium,ut sis salus usqꝫ ad extremũ terrꝛ etc. Et Act. xv. ex Amos: Oẽs gẽtes super quas inuocatũ est nomẽ meũ &c. Sed qd opus est pluribus,cũ & Prophetarꝛ et Apostolorꝛ scripta plena sint testimoniorꝛ de uocatione gentiũ,quã ꝓbat etiã manifestus rei euẽtus.

VT APERIRES OCVLOS CÆCORVM &c. Non in hunc usum missus est filius Dei in terram, ut ijs tm̃,qui corporaliter cæci sunt,uisum redderet. Etsi.n. multis talibus cæcis restituit uisum,tñ hoc est præcipuum eius officium,ut aperiat oculos

los eorum, qui ſpiritualiter cæci ſunt. Omnes aũt homines, ſicut cõtrahunt ab Adamo pcti̇m̃, ita cõtrahunt etiã ab eo cæcitatem mẽtis, ut natura ſua non queant uidere uiam, qua ſit euadendum ex pcto̅, ex tenebris mortis & inferni, & ingredi in iuſticiam, & in ſplendorem uitæ ac regni cœleſtis. Quid ergo homini nihil aliud prꝑter naturalia habẽti calamitoſius? Vetus dictũ eſt: Cæcus homo, miſer homo. Blind man, arm man. Et tanto miſerior eſt cæcitas aĩæ, q̃ corporis, quãto aĩa dignitate ſua ſuperat corpus. Quis igitur liberare poteſt hoĩem ab hac tam pernitioſa cæcitate? Non certe humana ratio, nõ liberũ arbitriũ. Hæ, n. ſunt potẽtiæ animæ. Cum aũt aĩa hoĩs ſit in cœleſtibus rebus, natura ſua cæca, etiã potẽtiæ eius cæ. æ ſint, neceſſe eſt. Solus aũt Ieſus Chriſtus filius Dei ĩ hũc uſum datus eſt nobis, ut aperiat oculos cæcorũ. Sed quõ? Suſcipit in ſe expianda pcta̅ noſtra, & placandã irã Dei erga nos. Et hoc officiũ ſuũ expoſuit ab initio orbis per Patriarchas & Prophetas. Deinde expoſuit ipſe corã, cũ ueniſſet in carnẽ. Poſtremo uulgauit per Apoſtolos ſuos in totũ orbẽ terræ, & cõſeruat cõtra portas inferorũ hoc officiũ ſui Euangelii on uſq; ad nouiſsimũ huius mũdi diẽ. Quicũq; igitur recipit Chriſtũ per fidẽ, & uere credit Euãgelio eius, huic oculi mẽtis per ſpũm ſanctũ ita aperiuntur & illuſtrantur, ut recta incedat a pcto̅ ad iuſticiam, a morte ad uitã, ab inferno ad cœlum, quia reputatur propter Chriſtum iuſtus, ſeruatur in morte, & deportatur in cœlum. In cuius rei fidem, uoluit Chriſtus cum adhuc in terra præſens eſſet, aperire eorum etiam oculos, qui corporaliter cæci erant, ut hoc miraculo teſtaretur ſe uere eſſe illum, qui oculos mentis illuſtraret.

VT EDVCERES DE CONCLVSIONE VINCTVM, DE DOMO CARCERIS &c.

Eadẽ de Chriſto ſcribũtur & infra ca. lxi. Vt prædicarẽ captiuis libertatẽ, & clauſis apertionẽ. Nõ uenit aũt Chriſtus ĩ hũc mundũ, ut effringeret externos politicorũ magiſtratuũ carceres uiolẽta manu, et educeret eos, q̃ ibi capti tenẽtur. Etſi. n. aperuit aliq̃ties, miſsis angelis, ianuas carcerũ, in q̃bus Apoſtoli eius recluſi erãt, quẽadmodũ teſtãtur Acta Apoſtolica, hæc tñ miracula nõ ꝓbãt Chriſtianiſmũ eſſe uel effractionẽ uel abolitionẽ ciuiliũ carcerũ, ſed ꝓbant potius ueritatẽ doctrinæ Euãgelij, uidelicet q̃ Chriſtus educat uictos, e ſpũalibus carceribus, & liberet ſedẽtes in tenebris aĩarũ ſuarũ. Spiritualis carcer eſt Mors, & Infernus. In hos carceres cõiecti ſumus oẽs, ꝓpter pcta̅. Tenebræ ſunt, uariæ afflictiones in hoc mũdo, horrores mortis & inferni. Sumus & ĩ has tenebras, ꝓpter pcta̅ coniecti. Chriſtus igitur filius Dei ſuſcipit pcta̅ expiãdũ, & efficit, ut q̃t q̃t agnoſcũt ipſum per fidẽ, cõſequantur remiſsionẽ pcto̅, et reputẽtur ꝓpter ipſum iuſti. Vbi aũt pcta̅ eſt expiatũ et remiſſum, ibi nõ

possunt amplius incommodum afferre afflictiones, mors, & infernus. Nec possunt hominẽ opprimere, etiamsi aliquanto tẽpore uideantur molestiã inferre. Christus. n. qui peccatum expiauit & remisit, idem etiã seruat credentẽ in morte, et horroribus inferni, ut liberetur. Quare, si qs uinctus fuerit doloribus uel corporis uel animi, properet ad Christũ, qui etsi non statim liberat inuocantẽ externis uinculis, tñ liberat eum spirituali uinculo, quod est pctñ. Hoc autẽ uinculo soluto, & effracto, certissima erit liberatio, etiam corporalis, Sed tum, cum nobis utile, & Domino uisum fuerit.

EGO DñS. HOC EST NOMEN MEVM &c.

Vt intelligamus, quomodo hæc conueniant cum præcedẽtibus & sequentibus, intuendũ est in statum huius concionis. Verus. n. Dñs Deus nõster asserit maiestatem & diuinitatem suam aduersus uanos & fictitios deos gentium, quẽadmodum sæpe iam indicauimus. Cum aũt reñcerentur hi uani dñi una cum sacris suis, & cultores eorum uiderentur petere, quem nam Deum inuocare, & quę sacra facere debeãt, ut consequantur salutem, ostendit eis Deus, quasi extento digito, filium suum Dñm nostrum Iesum Christum. Ecce inquiens, seruum meũ, quo innitor. Et cõmemorat uirtutes ac ofticium eius, ut inuitet auditores ad fidem filij sui, per quem solum homines ad ueram salutem peruenire possunt. Cum igitur hãc cõmorationem absoluisset, addit quasi conclusionem, EGO, inquiẽs, Dñs seu Iehoua. Hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri nõdo, nec laudem meã sculptilibus. (hoc est) Recitaui iam officium & uirtutes Christi, fidelis serui mei, sed quid plura de ipso addam? ut uno uerbo exponam maiestatem eius, audite, quæso, attentis animis. Ego uocor יהוה Iehoua. Etsi autem habeo multa alia nomina, Vocor enim EL, Vocor Elohim, Vocor Adonai, sed hæc nomina sunt mihi cum angelis & hominibus communia. Illud autem nomen יהוה Iehoua, mihi soli competit, quemadmodum perspicue significaui Mosi, in Exodo, cap. vi. Præterea, Soli mihi competit hæc laus & gloria, quod sim lux hominum, quod aperiam oculos cæcorum, quod educam de carceribus & tenebris mortis ac inferni uinctos. Intãtum igitur delector seruo meo, filio meo, Iesu Christo, ut cum ipso & nomen meum Iehoua, & omnem laudem, omnem gloriam, omnem maiestatem meam communia, imo indiuidua habeã. Absit a me, ut hoc meum nomen, & hanc meam gloriam ac maiestatem tradam alienis dijs, aut idolis & sculptilibus eorum: quid em hæc aliud sunt, q̃ figmenta hominum? Sed trado ea soli seruo meo, & nulli alteri, præterquam huic Christo. Habes ergo pauciss. mis maiestatem eius, habes diuinitatem eius, ut scias nullum alium Deum, nullum alium seruatorem agnoscendum & colendum esse.

esse. Nam, quod textus dicit. Ego Iehoua, Hoc est nomen meū, Gloriam meam alieno non do, nec laudem meam sculptilibus, subintelligendum & addendum est tale quiddam, Prętereą Seruo meo, quē nunc allocutus sum, & cuius uirtutes paulo ante exposui. Hic obserua mihi primū, ąp cum Deus dicit, Ego Iehoua, hoc est nomē meū, respiciat in eum locum, qui est Exo. vi. Ego Dñs, Et apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente, Et in nomine meo Iehoua non sum eis cognitus. Exposuimus aūt in Exodo copiose, quid nobis de hoc nomine Iehoua uideatur. Deducitur. n. a uerbo היה qđ significat Fuit. Hinc tertia persona futuri, est יהיה, quod significat ERIT, seu FIET. Existimo igitur hoc futurum usurpatum esse ąp uero & proprio nomine Dei, nō tam ad significandā imperscrutabilem & æternam eius essentiam, cąp ad significandā certitudinē omnium promissionum eius, ut Dñs Deus noster dicatur יהיה ERIT aut FIET, propterea ąp certissime efficiat, ut uere futura sit, & fiat, & impleatur, quicquid promiserit. Vnde ad Mosen dicit: In nomine meo יהוה Iehoua non sum Patriarchis cognitus (hoc est) Promisi Patriarchis, me uelle eis dare terram hanc Canaan possidendam. Non autem impleui tunc, quod promisi, sed nūc implebo, nunc dabo rebus ipsis, ąp hoc nomen Iehoua (hoc est) ERIT, uel FVTVRVM est, uere mihi cōpetat. De quare in Exodo cōpiosius. In hoc autem Esaiæ loco tribuitur hoc nomen Iehoua Christo Domino nostrō. Ac profecto, si probe rem expēdas, ubicunąp in Propheticis scriptis inuenias hoc nomen Dei יהוה Iehoua, ibi fere semper intelligendus est Christus filius Dei. Hic enim Patriarcharum & Prophetarum temporibus uere dictus est Iehoua, hoc est, Erit, quia ut promissus erat, ita etiam certo uenturus erat, ut sit ERIT, quasi dicas, uenīet, uel implebitur, quod de Christo filio Dei promissum est. Et huc facit, quod in Esaia sequitur: Priora ecce uenerunt. Noua nunc adnuncio, quæ ego uobis nota facio, priusquam eueniant (hoc est) Promisi prius maioribus uestris liberationem ex Ægypto, et terram Canaan. Et ecce euenerūt, sicut promissum fuit, & sicut indicant uerba Exodi cap. vi. Nunc aūt promitto & adnuncio uobis noua, uidelicet quod missurus sim seruum meum fidelē, filium meum, qui est fœdus populi & lux gentium, ut aperiat oculos cæcorum, & educat uinctos de carceribus & tenebris. Hæc promissio de Christo, non est quidem ita noua, quod ante non extiterit a condito orbe, Sed dicitur Noua, quod concionibus Propheticis renouetur, & illustrius quam antea explicetur. Quare sicut priora illa de liberatione ex Ægypto, & possessione terræ Canaan uere impleta sunt, ita & hæc promissio de Christo uere implebitur. Christus enim certo uenīet suis temporibus, & palam declarabit se

recte dictum fuisse יהוה ERIT, quia efficiet, ut uere sit & fiat, quod de ipso promissum est. Cum igitur audimus Christo filio Dei tribui nomen יהוה Iehoua, admoneamur tam de diuinitate Christi, quam de certitudine & ueritate promissionum Dei in ipso, uidelicet, quod sit uerus ab æterno Deus, & quod omnes promissiones Dei sint in ipso Etiam & Amen. Deinde obserua, quod cum hoc loco gloria et maiestas Dei tribuatur tantum Christo filio Dei, manifeste significetur, quod ea maiestas nõ tantum auferatur a dijs gentium & sacris eorum, uerumetiam ab omnibus creaturis, ab omnibus operibus, & uirtutibus hominũ. Maiestas autem Christi est, quod Deus innitatur ipso, quod solus ipse sit expiator peccatorum, quod propter ipsum solum Deus sit humano generi propitius. Quare contumelioſi sunt in Christum, & designãt idolatrian, quotquot sentiunt, se consequi remissionẽ peccatorum, & propicium Deum propter merita suarum uirtutum, aut suorum operum, quæ ipsi pro uera iusticia excogitarunt.

CANTATE DOMINO CANTICVM NOVVM, LAVS EIVS AB &c.

Postq; Esaias audiuit insignem concionem Dei Patris de Christo filio suo, & cognoscit, quanta sit filij Dei maiestas, & quanta beneficia afferat humano generi, spiritu sancto ita impletur & accenditur, ut teneri non possit, quin & summo gaudio gestiat, & in media concione exclamet ac erumpat in carmẽ gratulatorium, quo cohortatur omnes gentes, ut hũnc filiũ Dei agnoscant, & huic sese p tantis beneficijs, gratos, quoquo modo possunt declarẽt. Nam, qd ad Prophetam attinet, cum intelligat beneficia Christi maiora esse, q̃ quæ possint humana gratitudine satis digne rependi, & nunc nõ habeat aliud, quo aliquo saltem modo gratum animum suum ostendat, suscipit carmen cantandum, quo gloriam nominis Christi illustret, ut non solum conseruetur ipse in agnitione Christi, & fruatur beneficijs eius, uerumetiam excitet alios, ac posteros etiam, ut Christum fide complectantur, & ueram in ipso salutem consequantur. Vtitur autem distributione, cuius usus frequẽs est in Psalmis. Distribuit enim hominum genera in suas species, & hortatur, ut omnes cantent Dño, & laudent Christum Dñi. Cantate, inquiens, Domino canticum nouum. Non abijcio, non damno uetera, Dauidis & aliorum piorum patrum carmina. Volo, conseruetis ea, & ijs diligentissimẽ utamini. Sed quia audiuimus nouam, & insignem concionem atq; explicationem eius promissionis de Christo filio Dei, idcirco congruens est, ut etiã nouo carmine declaremus animi nostri lætitiam & gratitudinem. Cantate ergo nouum carmen Domino. Cui Domino? nimirũ ei, quem Deus Pater hactenus nobis commendauit,

Psal. 97. Psal. 148.

commendauit, & cum quo commune, imo indiuiduum habet nomen Domini. Hic est Iesus Christus filius Dei, uerus ab æterno Deus. Cantate igitur huic Domino carmen nouum, Cantate ei laudem. Celebrate eum laudibus, ut nomen eius illustretur. Sed qui sunt illi, qui debent Christum Dominum laudare & carminibus celebrare? Num soli ciues Hierosolymitani? Num soli Iudæi? Nequaquam. Christus enim non est tantum Iudęorum Christus, Sed laudent eum primum, omnes gentes, quæ habitant in planis & terrestribus regionibus, usq; ad extrema terræ. Deinde laudent eum omnes qui descendunt in mare, & plenitudo eius, (hoc est) qui non commorantur in terra inter homines, sed transigunt uitam suam in nauibus, in mari. Vocat autem plenitudinem maris hoc loco, quicquid hominū commoratur in mari, siue in magnis, siue in paruis nauibus, & siue summa gubernacula in nauibus teneant, siue ad extrema & abiectissima nauium ministeria religati fuerint. Tertio laudēt eum Insulæ & habitatores earum, hoc est, Insulani, quorum terra non est continens, sed mari undiq; circundatur. Quarto, Subleuetur desertum & ciuitates eius, hoc est, Qui habitant in deserto & in urbibus deserti, tollant & ipsi uocem suam, & laudent hunc Dominum, Christum filium Dei. Quinto, Subleuentur, seu extollant etiam uocem suam, & laudent Dominum uillæ, in quibus habitat Cedar. Hi sunt Arabes, qui cum sint pastores, non habitant in urbibus, sed in uillis, in tentoriis seu tabernaculis. Sexto, Laudate habitatores Petræ. Iubilēt, plaudant & exultent præ gaudio etiam hi, qui incolunt edita petrarum, & uertices montium. Hi sunt, qui habitant in arcibus, quæ sitæ sunt in petris & montibus. Ac breuiter, ponant, seu tribuant Domino Christo gloriam et laudem omnes habitantes tam in continenti terra, quam in insulis maris. Habes, quod hoc carmen cohortetur omnia hominum genera ad celebrandum nomen Domini Christi, filij Dei. Sed quæ sunt causę, cur filius Dei sit laude celebrandus? Quod est strategema eius, propter quod publicis laudibus sit ornandus? Sequitur: Dominus sicut fortis egreditur, & sicut uir præliator suscitabit zelum &c. Hæc est causa, cur filius Dei sit laudandus, quia Egreditur ad bellum, sicut heros, & accensus est zelo defendēdi populi sui, sicut magnanimi bellatores solent. Extollit clamorem bellicum. Aggreditur horribili uociferatione hostes suos, & reportat magna fortitudine ab ipsis uictoriam. Hæc sic recitantur, perinde ac si Christus filius Dei gesturus esset cum hostibus suis externum bellum. Sed nota est ratio regni Christi, e scriptis Apostolicis. Perspicuum eñ est, quod quēadmodum regnū Christi nō est mundanū, ita nec bellū eius mundanū est. Suscepit bellū gerēdum, cū Satana, cū morte,

& cum inferno, propterea quod Satan detinebat morte & inferno omnes homines, propter peccatum captiuos. Et suscepit hoc bellū armis, non corporalibus, sed spiritualibus, uidelicet, prædicatione Euangelij sui, obedientia erga patrem, patientia in aduersis, oblatione corporis & sanguinis sui in cruce, tolerantia in horroribus inferni, precibus & clamoribus ad Patrem, & ingressu in mortem. Hæc est pugna Christi, hæc sunt arma Christi, quibus & hostes suos ita deuicit, ut eos non modo sibi, sed etiam omnibus ijs, qui in ipsum credunt, subiecerit & oppresserit. Vos, inquit Paulus, cum essetis mortui, per delicta, & per præpucium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto, quod aduersus nos erat, chirographo, quod erat nobis contrarium per decreta, & illud sustulit e medio, affixum cruci, expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit palam triumphans de illis per semetipsum. Et iterum: Quia pueri commertium habēt cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eū, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Ac rursus: Qui in diebus carnis suæ, cum & precationes & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum a morte seruare, cum clamore ualido & lacrymis obtulisset, & exauditus esset pro reuerētia, tametsi filius esset, didicit ex his quæ passus est obedientiam, ac perfectus redditus est omnibus qui sibi obedierunt, causa salutis æternæ. Quare, cum filius Dei gesserit bellum suum animo plane heroico, & reportauerit ab hostibus suis eam uictoriam, quæ non sibi tantum gloriam, uerumetiam omnibus gentibus in terra salutē pepererit, merito debet ab omnibus quoq; gentibus laudari, & carminibus celebrari. Docet autem hic Psalmus, primum, quod Deus pro summis beneficijs suis, exigat carmina laudatoria, quibus gratitudinem animi tui erga ipsum declares. Ac usitatissimū est in scriptura, quod pij rependerint Deo Psalmos, pro maximis beneficijs, quibus affecti fuerant. Exemplum est Moses, Debora, Hanna mater Samuelis, Dauid, Ionas, Ezechias, Zacharias pater Baptistæ, Maria uirgo, Simeon, & multi alij. Vnde in Psal. dicitur: Immola Deo sacrificium laudis. Et mox: Sacrificium laudis honorificabit me. Et in alio Psalmo: Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super uitulum nouellum producentem cornua & ungulas &c. Et Oseas. Reddemus uitulos labiorum nostrorum. Porro autem Deus non exigit a nobis pro gratiarum actione Psalmos & carmina laudatoria, quod delectetur per sese humanis uel uocibus uel laudibus, uel ipsa huius operis actione, qualē hypocritę Monachi, & Canonici obtrudunt ei in

cantandis

cantandis aut potius eiulandis horis Canonicis. Hæc est battologia, quam Deus non respicit. Sed exigit Psalmos, ut gloria nominis eius, quæ est Omnipotētia, Seueritas, Iustitia, Clementia, bonitas, Misericordia, longanimitas, & infinitæ aliæ uirtutes, hoc genere elocutionis, in memoria hominum conseruetur, & ad posteros propagetur, quo & nos & posteri excitemur ad timorem Domini, ad fidem, ad inuocationem, ad obedientiam, ad patientiam, & ad omnia officia, quæ Deo debemus. Hic est uerus finis Psalmorum, hic est scopus, quem Deus nobis in exigendis Psalmis proponit. Quare, cum recitamus Psalmos, non existimemus uoluntati Dei satisfactum ipso recitationis opere, Sed studeamus, ut ex Psalmis fiamus meliores, uidelicet, ut augeatur in nobis timor Domini, ut cōfirmetur fides, ut excitemur ad ueram & continuam inuocationem, ut obediamus uocationi Dei, & præstemus quicquid uirtutum uerbum Dei a nobis requirit. Deinde, cum hoc carmen cohortatur omnes gentes ad laudandum Dominum Christum filium Dei, significat, beneficium Christi non pertinere tantum ad Iudæos, ad unum genus hominum, sed ad omnes gentes, & ad omnia hominum genera, siue in terris, siue in mari. Non capiunt quidem omnes homines fructum beneficiorum Christi, quia nō omnes credunt in Christum, omnibus tamen offeruntur beneficia eius per Euangelion. In omnem terram, inquit, exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Quare, qui pereunt, suo ipsorum, non Christi & Euangelij eius uitio pereunt.

TACVI SEMPER, SILVI, PATIENS FVI, SICVT PARTVRIENS &c.

Absoluto carmine, redit Deus ad concionem suam, quam spiritus sanctus per Prophetam cantico suo interruperat. Et quia supra dixerat, se daturum seruum, seu filium suum, in lucem gentium, ut aperiat oculos cæcorum, & educat uinctos de carcere & tenebris, reuertitur nunc ad idem argumentum, & exponit, se hactenus tacuisse quidem & conniuisse ad impietatem & idolatriā gentium, nunc autem, se, misso filio suo, nō amplius eam toleraturum, sed eos quidem, qui abiectis seu relictis idolis, filium suum fide agnoscunt, seruaturum, alios aūt, qui in ueteri sua idolatria perdurāt damnaturæ. Tacui, inquit, semper, & Silui. Pro (Semper) hebræus habet, A seculo. Et est sententia. Hactenus tacui, & conniui multo tempore, iā inde fere a Diluuio, ad idolatriam gentium. Dissimulaui impietatem earum, & continui iram meam, ac longanimiter tuli abominanda ipsarū sacra. Hoc plane illud est, quod Paulus postea, quasi hoc dictū Prophetæ interpretās, ad Lycaones dixit. Docemus, inquens, uos per Euangelion, ut ab istis uanis conuertamini ad Deum uiuū, Act. 14.

qui creauit cœlum & terram,& omnia quæ eis comprehenduntur: Qui PRÆTERITIS ÆTATIBVS sinebat omnes gentes ingredi uias suas. Ecce quod Dñs in Esaia dicit: Tacui, dissimulaui, toleraui, hoc Paulus ait, Deum fuisse, ut omnes gẽtes pro more & instituto suo uiuerent. Et adhuc clarius Act. xvij. ad Atheniẽses. Genus, inquit, cum simus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi arte sculpto & inuẽto hominis, numen esse simile. Et Tempora quidem huius ignorantiæ, cum hactenus dissimularet Deus, nunc adnunciat hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant &c. Ex his Pauli uerbis, Esaias hoc loco interpretãdus est. Hactenus, inquit Deus, Tacui, Silui, toleraui ignorantiam & impietatem gentiũ. Num ergo semper mihi ea tolerãda est? Nihil minus. Nunc enim cum mitto filium meum, loquar sicut parturiens: hoc est, quemadmodum prægnantes mulieres, quæ ad tempus partus peruenerunt, ex toto corde clamant, & omnibus uiribus suis elaborant, ut partum enitantur, ita ego toto conatu elaborabo, ut quod de gentibus in animo meo concepi, pariam, ac reipsa adimpleã. Suscipiam enim deuastationem & desolationem in omnibus regnis gentium faciendam. Nec montes nec colles obstabunt meo proposito. Vastabo montes & colles, exiccabo omne gramen eorũ, & efficiam ut flumina fiant insulæ, hoc est, ut fiant terra arida, & ut stagna quoq; exiccentur. Hæc, nec de externo bello, nec de externa uastatione & exiccatione intelligenda sunt: sed quia fit concio de uulgando regno Christi per Euangelion in totum orbem terræ inter omnes gentes, idcirco intelligamus talem gentium, montium, & fluminum uastationem, qualis Euangelio Christi congruit, uidelicet, q; Euangelion peruagabitur, potentia Christi, totum orbem, per mare, per terras, per montes & colles. Obsistent quidem reges & Principes huius mundi. Sed nullus rex tam potens est, nullus mons tam altus est, nullum mare tam profundum est, quod cursum Euangelij impedire queat. Quare metaphora non incongrua dicitur, quod coram Euangelio Christi uastentur montes, & exiccentur maria, propterea, quod nulli montes, nulla maria possint efficere, ut Euangelion non perueniat ad omnes gentes. Quid ergo inter gentes, per Euangelion filij Dei fiet? Sequitur. Educam cæcos in uiam quã nesciunt &c. Ad prædicationem Euangelij diuidentur gentes in duas partes. Alij enim agnoscent Euangelion per fidem, et credent in Iesum Christum. Alij autem perdurabunt contempto Euãgelio, in ueteri sua impietate et Idolatria. Dicit ergo de prioribus, seu pijs. Educam cæcos, in uiam quam nesciũt. Omnes enim homines sunt natura cæci, & nesciunt, qua fit euadendum ex iniusticia ad iusticiã, ex morte ad ũitam, ex inferno ad cœlum. Quotquot autem Euan-

gelion

gelion fide accipiunt, fiunt ex cæcis, uidentes, ut uiam, quam antea ignorauerunt, ambulent, & ut tenebrę eis illustrentur, ac ut ea quæ erant praua, fiant eis recta. Hæc faciam, inquit, eis, nec derelinquã eos. Hæc beneficia conferam in gentes, quæ Euangelion meum recipiunt, & credunt in Christum filium meum. Ducam eos in iusticiam, quia remittam eis peccata, & reputabo eos coram me iustos, propter Christum per fidem. Ponam seu conuertã tenebras coram eis in lucem, quia mors & infernus, quæ sunt crassissimæ tenebræ, erunt eis uia ad ueram & perpetuam uitam. Efficiam etiam ut praua, seu obliqua conuertantur in rectum seu planum, quia quicquid aduersi acciderit ipsis, erit eis adiumento in bonũ. Et additur: Nec derelinquam eos. Hoc illud est, quod Christus Ioan. x. ait: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Illas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient. Acmox: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequũtur me, & ego uitam æternã do eis, nec peribunt in æternũ. NEQVE RAPIET EAS quisquã e manu mea. Pater meus, qui dedit mihi eas, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei &c. Sed hactenus de pijs. De alijs aũt, ac de maiori parte gentium dicit. Conuersi sunt retrorsum, confundantur confusione, qui confidunt sculptili, & qui dicũt conflatili: Vos dij nostri. hoc est. Alij inter gentes, etiamsi audiunt Euangelion de Christo, tamen retrocedunt, non recipiunt, sed perdurant & pergunt in sua impia idolatria. Quare pudefiẽt perpetua confusione. Ex his initio de gentibus considerãdum est, quod cum Deus palam affirmet, se tacuisse, & conniuisse ad impiam earum idolatriam, uideantur habere suæ impietatis excusationem. Cur enim non reuelatum est eis Euangelion de filio Dei ab initio, a tempore Diluuij, a tempore Abraami, sicut Iudæis? Cur non & inter ipsas fuerunt Prophetæ, qui promissionem de Christo explicarent, sicut inter Iudæos? Cur Deus tanto tempore ad impietatem earum conniuit, & tempus ignorantię earum, ut Paulus ait, dissimulauit? Sed profecto, si rem recte perpendamus, Gentes prorsus nihil habẽt, quo possint suam impietatem coram Deo excusare. Nam quo propius adhuc a diluuio aberant, eo certius potuerunt cognoscere non solum originem suam a Patriarcha Noha, uerum etiam ueram religionis doctrinam de semine mulieris contrituro caput Serpentis, quæ doctrina ab eodem Patriarcha ad posteros suos propagata est. Deinde, cum Abraham eligeretur a Deo, ut in Semine eius, qui est Christus, benedicerentur omnes gentes, non est hoc gestum in obscuro mundi angulo, sed uulgatum fuit publice inter gẽtes, quæ tunc terram incolebant, quemadmodum supra demonstratum est. Præterea, cum Iudæi essent in Ægypto, non dissimulaue

runt ueram doctrinam de promisso semine Abrahæ, sed uulgauerunt eam inter omnes homines. Fuit enim eo tempore Ægyptus, regnum in toto orbe clarissimum, ut quod in eo gerebatur, omnibus gentibus perspicuum esset.

Deinde, postquam Iudęi redierunt in auitã possessionem terræ Canaan, & iam Reges e suo corpore crearent, nõ potuit esse obscurum inter gentes, quæ esset religionis doctrina apud Iudæos, præsertim cum Dauid & Salomon & alij reges Israel fuerint longe omnium illustrissimi. Quare si quem inter gentes tantum desiderium cognoscendæ ueræ religionis tenuisset, quãto tenebatur consequendæ uel potentiæ, uel diuitiarum, uel uoluptatis corporalis, non defuisset ei occasio & uia desiderio suo satisfaciendi. Adhæc, cum Samaria ab Assyrijs, & Hierusalem a Babylonijs uastarentur, sparsi sunt Iudęi inter omnes gentes, inter quas certe non dissimulauerunt fidem & religionem suam. Quare si libuisset gentibus pijs esse, potuissent in suis ipsorum regionibus ueram de Deo doctrinam cognoscere: ut nihil præterea dicam de ijs miraculis, quæ inter gentes ædita sunt, & de edictis Monarcharum Babyloniorum, ac Persarum de uero Deo, quæ extant apud Danielem. Sed & si non dubium est, quin nonnulli ex gentibus conuersi sint ad uerum Deum, tamen maxima pars maluerunt sectari paternam impietatem, quam auitam, a Patriarchis uidelicet propagatam pietatem. Non habent igitur ullam impietatis suæ excusationem, & quod perierunt, non est Dei culpa, sed suum ipsorum uitium, & incredulitas, quod cum natura fuerint ex peccato cæcati, non quæsiuerint lucem diuinitus per Patriarchas reuelatam, nec admiserint eam, ob oculos ipsorum positam. Nam quod Deus tanto tempore ad impietatem gentium conniuerit, & propter idolatriam eas nõ deleuerit, explicat Paulus, quid sibi uelit, cum ad Romanos scribens, An diuitias, inquiens, bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans, quod benignitas Dei, ad pœnitentiam te inuitat. Deus igitur tolerauit impietatem gentium, non quod approbauerit eam, sed ut gentes haberent spacium pœnitentiæ, & conuertendi se ad uerum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi. Deinde, quod dicit se educere cæcos, in uiam, quam nesciunt, & in semitas, quas ignorant, palam significat, omnes homines natura propter peccatum cęcatos esse. Si qui autem inter hos cæcos, illustrentur & seruentur, non esse humanæ iusticiæ, aut sapientiæ, sed tantum diuinæ clementiæ ac misericordiæ. Concluśit Deus, inquit Paulus, omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur, hoc est, ut omnes qui seruantur, scirent, se non suis meritis, sed misericordia Dei seruari. Et iterum. Non est uolentis, nec currentis,

currentis, sed miserentis Dei. Ac rursus: Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quare agnoscamus in incredulis & abiectis, nostram ipsorum naturam, & quid nobis deberetur: in nobis autem agnoscamus donum Dei gratuitum, & exhibeamus nos erga Deum tam clementem Seruatorem gratos. Postremo, cum dicit, quod etiam post reuelatum Euangelion inter gentes, conuertantur aliqui retrorsum, ab Euangelio, & perdurent in sua idolatria, perspicue docet, quod & si Euangelion Christi prædicatur inter gentes, exempli gratia, in urbibus, in pagis, & in uillis gentium, tamen non est sentiendum, quod urbes, pagi & uillæ gentium sint Ecclesia Christi, sed quod in his gentium locis, in quibus Euangelion adnunciatur, Deus suam Ecclesiam seligat, quæ cum inter suos ciues, qui perdurant in ueteri impietate, commoretur, habitat in medio inimicorum suorum. Non enim est omnium fides. Et, Multi quidem uocati, pauci uero electi. Multi uocati, sunt ciuitates, & regna, in quibus Euangelion adnunciatur. Pauci electi, sunt Ecclesia, quæ ex his locis per Euangelion Christo filio Dei sanctificatur. Quare non offendamur, etiamsi uideamus uulgum in aduersis ab Euangelio Christi deficere, sed potius confirmemur in fide, quod Christus prædixerit, angustam esse portam & strictam uiam, quæ abducit ad uitam, & PAVCI sunt, qui inueniunt illam. Et: Filius hominis, cum uenerit, num inueniet fidem in terra?

SVRDI AVDITE, ET CÆCI INTVEMINI AD VIDENDVM &c.

Dixit, quid eo tempore, quo uenturus est Messias seu Christus, de Gentibus fiat. Nunc exponit, quid fiat de Iudæis. Quæ enim ab hoc loco, usque ad finem huius capitis, sequuntur, intelligenda sunt de Iudæis, qui cum CHRISTVM abiecerint, uicissim abiecti sunt & ipsi, ne sint amplius populus Dei. Surdi, inquit, audite, & cæci intendite oculos ad uidendum. Alloquitur & cohortatur Iudæos, ut cum iuxta promissiones ad Patriarchas dictas, Christus uenerit ad ipsos, & prædicauerit inter eos Euangelion suum, audiant tamen, & non sint tam stupidi surdastri, ac aperiant oculos suos, & non sint tam cæci, ut non gentes tantum illustrentur luce Euangelij, sed et ipsi ueram doctrinam cognoscãt, & salutem consequãtur. Sed quid dicam? Quis magis cæcus, quam seruus meus? Quis magis surdus, q̃ nuncius, quem misi? Quis magis cæcus, q̃ perfectus? Et quis magis cæcus, q̃ seruus Domini? Hęc ab alijs aliter exponuntur. Quidã intelligunt dictum esse de Esaia, alij de Christo. Sentiũt enim, q̃ spiritus sanctus recitet opprobria, quibus uel Esaias, uel Christus ab impijs Iudæis affectus sit. Cum

enim impij arguuntur a cõcionatore suo cæcitatis & surditatis, ipsi uicissim regerunt in concionatorem hęc uerba, & dicunt: Neminẽ esse concionatore illo magis cæcum & surdum. Nec obscurum est, quanta sæpe contumelia grassati sint Iudæi in Christum. Alicubi uocant eum bibonem & helluonem, alicubi Samaritanum & dęmoniacum. Hoc certe plus est, quam si simpliciter dixissent eum cęcum & surdum. Quare non est absurdum, quod hæc de Christo, aut etiam de Esaia exponantur. Sed quia agitur hic de excæcatione & abiectione Iudæorum, cuius præcipui autores fuerunt Pontifices, Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi, qui inter Iudæos summum locum Religionis tenebant, ideo hæc uerba proprie intelligenda uidentur de cęcitate & surditate Iudaicorum Pontificum, Sacerdotum, & Pharisæorum. Pontifices sunt serui mei, quos constitui ut seruiant Ecclesiæ meæ, in docenda uera religione. Sacerdotes sunt nuncij mei, quos ordinaui, ut explicent populo legem meam. Pharisęi sunt perfecti, hoc est, profitentur tam in doctrina, quam in genere uitæ suę perfectionem. Existimãt omnes alios esse imperfecte sanctos, imo iudicãt eos esse plane prophanos, se aũt esse perfecte sanctos, & iustitia alios homines longe post se relinquere. Sed profecto, ut dicã quod res est, nemo est ijs magis cæcus, nemo magis surdus. Debuissent primi esse, qui agnouissent Christum, & recepissent Euangelion eius, sed ecce non est gens, quæ minus audiat, uideat, seu cognoscat Euangelij ueritatem. Videtis quidem, uos Pontifices & Pharisæi, multa, existimatis uos haudquaquam cæcos esse: sed cum habeatis Mosen & Prophetas, multum laboris in his perlegendis & perscrutãdis collocatis. Et tamen nullus uestrum est, qui legem uere obseruet. Habetis quidem aures apertas, sed cum proponitur uobis Euangelion de filio Dei, perinde est, ac si quis cum surdo aut absente loquatur. Hoc idem obijcit Pharisæis etiam Christus ipse: Si cæci, inquiens, essetis, non haberetis peccatum. Nunc uero dicitis, VIDEMVS, hoc est, iactatis uos legem recte cognoscere, & multa uidere supra captum uulgi, idcirco peccatum uestrum manet. Et Paulus: Ecce tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uoluntatem, ac probas eximia, institutus ex lege, confidisque teipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac ueritatis per legem. (hoc est Multa uidere, & apertas habere aures, sicut Propheta ait) Qui igitur doces alium, teipsum non doces. Qui prædicas, non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulterium committis &c. Hoc illud est, quod Propheta ait: Non custodis, & non audis. Et rursus: Israel sectando legem iusticiæ,

stitiæ, ad legem iustitiæ nõ peruenit. Hoc iterum est multa uidere, sed non custodire aut obseruare. Quid ergo dicemus? Cuius ne culpa accidit, quod Israelitæ multa uidendo, nihil uideant, & multa audiendo, nihil audiant? An accidit hoc culpa Domini Dei nostri? Minime omnium. Sic enim sequitur: Dominus uoluit, ut sanctificaret eam &c. Hoc ita legendum est: Dominus beneuoluit (eis) propter iustitiam suam, ut legem redderet illustrem & insignem. Ipse autem populus est direptus & uastatus &c. Et est sententia, Quod Israelitæ sint cæcati, non accidit culpa Domini, sed ipsorum Israelitarum uitio. Nam quod ad Dominum attinet, delectatus est populo Israelitarum, non quidem propter populi, sed propter suã ipsius iustitiam. Promisit Patriarchis eorum, quod missurus sit filium suum e semine Abrahæ. Promisit Dauidi, q̃ Messias, uerus seruator, uenturus sit e sua familia. Promisit se posteris Patriarcharum benefacturum, si promissum Messiam receperint. Iustissimũ aũt est, ut quod promiseris, reipsa obserues, ac factis præstes. Quare Dominus considerans hanc iustitiam, & ueritatem suarum promissionũ, nihil earũ rerum, quod pollicitus est, omittit. Dat Messiam, Christum suum e familia Dauid & Abrahæ. Reuelat Euangelion suum, primum omnium in hoc populo Israel. Non enim mittitur Christus, nisi ad oues Israelis. Inter Israelitas uersatur Christus, Inter Israelitas concionatur. Inter Israelitas edit miracula, & consulit, quoquomodo potest, saluti Israelitarum, adeoq̃ cupit tam ipsos Israelitas, q̃ legem & politeam eorũ insignem ac illustrem reddere, & conseruare. Sed quid fit? Populus est direptus & uastatus &c. Hoc non est intelligendum de externa direptione & uastatione, quæ tamen postea Iudæis a Romanis illata est, sed est intelligendum de uastatione, quæ facta est in populo Israel, humanis constitutionibus & Pharisaicis traditionibus. Populus est direptus, uastatus, & proculcatus nugis humanarum traditionum. Quibus ita sunt immersi & suffocati, ut non possint amplius caput, ad percipiendam ueram legis & Euangelij doctrinam, attollere. Nec seniores tantum irretiti sunt Pharisaicis impietatibus, sed quia hæ impietates publice docentur, & summa potentia & autoritate defenduntur, idcirco capiuntur his laqueis etiam iuuenes, & retruduntur in carceres ignorantiæ oĩm diuinarũ rerũ, & conijciuntur in tenebras cęcitatis. Quid plura? Pharisaica et impia doctrina, ppagatur etiam ad posteros, & efficitur, ut pateãt predę & rapinę cuiusuis Pharisęi aut Rabini, nec ullus sit, q̃ possit eos ex his laqueis, ex hac cæcitate, ex his tenebris eruere. Nec est, q̃ dicat Redde, hoc est, Pharisæi & Rabini intantũ tenẽt auditores suos impia sua doctrina captiuos, ut aut nullos aut pauciss imos queas e manibus eorũ extorquere, & ad

sanitatem reducere. Hoc conqueritur & Paulus Acto. xxviij. Cum enim perspicue adnunciasset Iudæis suis Euangelion, & pauciſsimi adhiberent fidem, reliqui uero plurimi perstarent in Phariſaica sua impietate, dixit: Bene spiritus sanctus locutus est per Esaiã Prophetam, ad Patres nostros dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis, & non intelligetis, et uidentes uidebitis, & non perspicietis &c. Quanq̃ autem Iudæi sic sint excęcati, ut uidentes nõ uideant, tamen hoc longe omnium pesſimum est, q̃ non intelligant suam cæcitatem, sed existiment se rectiſsime uidere. Quis est in uobis, inquit, qui hæc auribus capiat? qui aduertat, & attẽdat, ut in posterum ab hac impietate caueat, & resipiscat? Et quis ille est, qui tradidit Iudæos in tantam cæcitatem, ut pateant direptionibus, & conculcationibus cuiusuis Phariſæi ac Rabini? Tam cæci enim sunt, ut etiam somnia suorum Phariſæorum pro certiſsima ueritate amplectantur. Quis ergo eos sic excęcauit? Non certe alius, præterq̃ Dominus Deus noſter. Iudæi enim peccauerunt, & noluerunt ambulare in uijs eius, nec obedire legi eius, hoc est, noluerunt agnoscere ueritatem Euangelij, noluerunt recipere Meſsiam, in lege promiſsum. Quare effudit Dñs super eos indignationem furoris sui, ut quemadmodum in graui bello, robuſti hoſtes solent omnia conculcare, & incendio deuaſtare, ita Iudæis cęcitate percuſsis, nihil incolumitatis ac salutis relinquatur. Et tñ tanto stupore sunt cõprehensi, ut ne sic quidẽ cognoscant, ac intelligant irã Dei super ipsos effusam esse. Habes concionem de excęcatione & abiectione Iudæorũ, propter Euangelij contẽptum. Dices ergo: Quid hæc ad pręsentes auditores Esaiæ? Quid ad eos ciues, q̃ tunc in Hieruſalẽ habitabãt, cum Esaias hanc concionem haberet? Quod Esaias de excęcatione concionatur, euenturũ erat post septingentos annos, quo tempore nullus eorum, qui hanc concionem audiebãt, superstes esse poterat. In quem ergo usum recitat eam Esaias? Hæc concio, ut pertinet ad uniuersam Eccleſiam Domini, ita etiam affert ijs, qui tunc erant auditores Esaię, suam utilitatem. Posteri enim eorum abducendi erãt in captiuitatem Babylonicam, sicut supra sæpe dictum est. Et dubiũ non est, quin multi ex Iudæis in captiuitatem abductis, offenſi fœlicitate Babyloniorũ, & coacti quoq̃ metu Babylonici decreti, de adoranda aurea statua, Dan. iij. defecerint a uera fide ad Babylonicã Idolatriã. Quo defectionis exẽplo, uere pij afficiebãtur nõ tm̃ mœſticia, sed etiã magno metu, ne nõ ueturus esset, propter tantã impietatẽ populi Dei, Christus, & ne Eccleſia Dñi prorsus periret. Sed huic offendiculo medetur spũs sanctus hac concione. Prædicit enim, q̃ futurũ sit, ut cũ uenerit Christus, maxima Iudæorũ multitudo sit ab ipso defectura. Et tñ ne sic quidẽ peritura sit eccleſia Dei. Quare

Iudeorum excæcatio et abiectio.

nec

nec hoc tempore nimium solliciti sint pij de Ecclesiæ conseruatione, quod & si multi in Babylone deserunt uerum Dei cultum, & sectantur idolatriam, Deus tamen non modo conseruet suam Ecclesiam inter Iudæos, uerumetiam dilatet eam inter gentes. Nouit enim Dominus, qui sunt eius. Et solet sibi in populo suo reseruare septem milia, qui non curuant genua sua ante Baal. Deinde, quod dicit seruos & nuncios suos, hoc est, Pontifices & Pharisæos, cæcos esse, in nostri doctrinam & consolationem scriptum est. Hi enim erant summi in populo Dei, & tenebant primas in religione. Et tamen publice proclamantur cæci & surdi. Sciamus igitur Ecclesiam Domini non esse alligatam ad dignitatem & autoritatem Pontificum, ac eorum, qui sedent publice ad gubernacula Ecclesiæ, sed tantum alligatam esse ad Christum seruatorem nostrum, & ad Euangelion eius. Quare ubicunque Christus & Euangelion eius synceriter prædicantur, ibi scias esse Ecclesiam Domini, etiamsi non sit illustri Pontificum & sacrificulorum dignitate ornata. Qui autem contemnunt Christum & reijciunt Euangelion eius, hos scias non esse Ecclesiam Domini, etiamsi iactent se summum in Ecclesia locũ tenere, & salutem Ecclesiæ ex ipsorum administratione ac potestate pendere. Obserua præterea, quod cum dicit Dominum dedisse Israelitas in direptionem Phariseorum, hoc est, exegisse Israelitas, ut credant quibuslibet nugis suorum Rabinorum, eo quod non audierint legem eius, perspicue doceat, cæcitatem mentis esse diuinum supplicium contemptus uerbi Dei. Etsi enim sumus natura cęci ad uidenda cœlestia, tamẽ, cum proponitur nobis lux uerbi Dei, & nos non recipimus, sed contemnimus eam, tunc naturalis cęcitas ita induratur, ut subinde crassior fiat, & reddat hominem prorsus furiosum. Si uocẽ, inquit Moses, Domini Dei tui nõ audieris, percutiet te Dominus amẽtia & cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut solet palpare cæcus in tenebris, & non dirigas uias tuas. Et Paulus: Pro eo quod amabilem ueritatem non receperunt, ut salui fierent, mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio &c. Quare nihil nobis maiori studio faciendum est, quam ut cognoscamus, & amemus doctrinam uerbi Dei, ut mente illustrati, rectam uiam coram Deo ambulemus.

CAPVT XLIII.

ET NVNC HÆC DICIT DñS CREANS TE IACOB ET FORMANS TE ISRAEL &c.

In fine prioris capitis recitata est concio de excæcatione & abiectione Iudeorũ. Dicet ergo quispiã illud Pauli Ro. xi. Num repulit

Deus populum suum quem ante agnouerat? Sed & idem Paulus respondet obiectioni. Absit, inquiens: Nam & ego sum Israelita, ex semine Abrahę, de tribu Beniamin. An nescitis de Elia, quid dicat scriptura? &c. De hoc igitur argumento concionatur nunc Esaias, & consolatur territos uaticinio captiuitatis Babylonicæ, & excæcationis Iudaicæ, ut sciant, quod & si Hierusalem deuastabitur, & ciues in captiuitatem abducentur, Deus tamen conseruaturus sit uerum & spiritualem suum populum, & quanquam maxima Iudęorum multitudo tempore Messiæ excæcabitur & abiicietur, Deus tamen non abiiciet ueram Ecclesiam suam, sed potius augebit eam accessione gentium. Quare, cum prædicatur de captiuitate Babylonica, & de excæcatione Iudaica, auditores non hoc agant, ut despondeant animum de ueritate diuinarum promissionum & sua salute, Sed potius, ut sint uera membra Ecclesiæ, per fidem Iesu Christi filij Dei. Sic enim conseruabuntur propter Christum, etiamsi fractus illabatur orbis. ET nunc (inquit) hæc dicit Dominus creans te o Iacob &c. Alloquitur ueram & spiritualem Ecclesiam, primum quidem, eam, quæ erat temporibus Esaiæ, ante captiuitatem Babylonicam, in populo Israel. Deinde, illam, quæ postea dispersa est in uastatione urbis Hierusalem, & in exilio Babylonico, ad omnes gentes. Postremo alloquitur uniuersam omnium temporum Ecclesiam. Hæc enim concio & si ad paucos ciues Hierosolymitanos dicta est, tamen pertinet ad omnes eos, qui sunt uera Ecclesiæ membra per fidem in Iesum Christum. Cum ergo suscipiat uniuersam Ecclesiam consolandam, statim in exordio, priusquam propositionem consolationis in medium affert, iis uerbis utitur, quæ singula de spe & consolatione auditorem admoneant. Vocat Ecclesiam nomine Iacob & Israel, ut his cognominibus excitentur ad cõsiderationem earum promissionum, quæ dictæ sunt ad Patriarcham Iacob, & ex his confirment fidem suam: Benedicentur in te & in Semine tuæ cunctæ tribus terræ. Et: Ero custos tuus, quocunque perrexeris. Sed multi, inquies, ex Iacob, abiecti sunt, & adhuc abiicientur. Quomodo ergo possum aliquam ex hoc cognomine consolationem concipere? Recte dicis. Abiecti sunt multi, & adhuc abiicientur. Hi autem, non fuerunt ueri posteri Iacob. Erant tantum carnales eius posteri. Nos loquimur nunc de spiritualibus eius posteris, de iis uidelicet, qui uere credunt in semen Iacobo promissum, in Iesum Christum Dominum nostrum. Hi sunt ueri Iacobitę, & Israelitæ. Et hi fruuntur etiam ueris illis beneficijs, quæ Iacobo per Semen suũ, qui est Christus, promissa sunt. Deinde ait: Hęc dicit Dominus creator & formator tuus. Offerũt & hęc uerba auditori seu Ecclesiæ territæ & afflictæ suam consolationem. Deus creauit

creauit te. Confide igitur, nõ abijciet, non deseret suam creaturam. Sed creauit etiam, inquies, arbores & bestias. Recte. Te autem longe alia ratione creauit. Ista enim creauit, uerbo quidem suo, sine singulari autem consilio. Te autẽ singulari consilio creauit. Et illa non creauit ad imaginem & similitudinem suam, te autem sic creauit, ut esses ipsius imago & similitudo. Faciamus, inquit, hominẽ, ad imaginem & similitudinem nostram. Vnde & hoc loco addit. Formator tuus, ut admoneret te eius dicti, quod est Gen. ij. Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit &c. Sed iterum dices: Multi etiam homines, quamuis ad imaginem Dei creati sint, tñ deseruntur, & pereunt inæternũ. Quomodo igitur capiã ex his uerbis consolationem? Nec hoc quidẽ negari potest. Hi autem pereunt, non creatoris & formatoris sui crudelitate, sed sua ipsorũ incredulitate, q̃ creatorem & formatorem suum aut non uolunt per fidem agnoscere, & inuocare, aut agnitũ contemnunt & abnegant. Da igitur tu operam, ut uere eum agnoscas & inuoces, & in inuocatione constãter perseueres. Sic enim certo futurum est, ut nunq̃ æternum pereas. Sed audiamus nũc, quid Dominus Deus creator & formator noster dicat. NOLI (inquit) TIMERE. Hęc est propositio consolationis, quæ certe propositio significat pios magno metu, partim ex uaticinio de captiuitate Babylonica, partim ex præsenti exilio, partim ex alijs afflictionibus & persecutionibus, quæ solent Ecclesiæ Dei ab impijs accidere, partim ex iudicio peccati, quod reuelatione legis, conscientiæ obijcitur, concussos & perterrẽtos esse. Metuunt enim, ne tantis malis non solum ipsi, uerumetiam uniuersa Ecclesia Dei perpetuo intereant. Sed spiritus sanctus opponit consolationem. Noli, inquiens, metuere. Sed quomodo in tãtis periculis non metuerẽ mihi & Ecclesiæ? Audi ergo uicissim sententiam spiritus sancti. Non hoc uult spiritus sanctus, ut sis saxeus, ut sis stoicus, & his malis non afficiaris. Alioqui enim, quomodo cognoscerestuam ipsius fidem? quomodo excitareris ad piam & ardentem Inuocationem? Nam Deus propter hanc causam immittit suis aduersa, ut probentur, & ad inuocationem excitentur. Quare non exigit saxeam cordis duriciem & stoicam ἀπαθειαν. Sed hoc uult, ut in affectu metus non despondeas animum, non abijcias inuocationem, non quæras aliena auxilia, non conferas te ad patrandam iniquitatem, Sed perseueres in fide, & pergas in inuocatione, & in Vocatione Dei. Nam hucte uocant rationes consolandi, & promissiones, quę sequuntur. Cur ergo non metuam mihi? Etsi deberes hoc solo uerbo, NOLI METVERE, contentus esse, quippe quod sit uerbum, non uani cuiusdam hominis, sed Dei seruatoris tui, tamen Deus tam clemens consolator est, ut etiam adij-

ciat rationes suæ consolationis. QVIA, (inquit) REDEMI TE. Hæc est prima,& obseruabilis ratio consolandi. Complecti/tur autem omnia genera diuinæ liberationis, tam præterita, quam præsentia & futura. Redemi te,primum,ex Ægypto,cum tam gra/ui seruitute oppressus esses, ut in omnibus terris nulla liberationis spes affulgeret. Ac redemi te,nõ simpliciter, sed magnis miraculis, non tua tantum euasione, sed etiam tyranni oppressione. Hoc igi/tur beneficium debet te excitare, ut etiamsi abducaris in captiuitatẽ Babylonicam, aut conijciaris in aliam calamitatem,confidas tamen me non defuturum tuæ inuocationi & saluti. Nam, quod præteri/ta beneficia confirment fidem ad spem futurorum beneficiorum,te statur etiam alias scriptura. Tu es,inquit Christus Psal.xxi.qui ex traxisti me de uentre,spes mea ab uberibus matris meæ. In te proie ctus sum ex utero. De uentre matris meæ Deus meus es tu. Ergo nec hoc tempore deseras me. Et Paulus. Deus nos ex tanta morte e/ripuit,& eripit,in quo spem fixã habemus,quod & posthac nos sit erepturus. Deinde,Redemi te,misso filio meo,ex peccatis,e morte, & potestate Satanæ. Etsi enim,filius Dei, nondum in hunc mun/dum aduenerat eo tempore, quõ hæc concio dicta est, tamen quia agnus occisus est ab origine mundi,quotquot ex promissionibus, crediderunt in eum ante aduentum eius, reportarunt ex eo non mi/norem salutis suæ fructum,quam hi,qui post aduentum eius in ip/sum credunt. Rectè igitur ad afflictam & perterritam Ecclesiam,eti am ante natum Christum dicitur,Noli timere,quia Redemi te. Nõ habes ullam legitimam & idoneam causam timoris tui etiam in ex/tremis afflictiõibus,quia Redemi te per filium meum. Condono ti bi propter ipsum,omnia peccata tua. Seruo te in morte. Tueor te in horroribus inferni. Quid ergo potest tibi nũc deesse,etiamsi ab/ducaris in Babylonem, aut premaris alijs aduersis? Hæc possunt quidem dolorem,& ægritudinem aliquam animi incutere,exitium autem & internecionem afferre non possunt.

Secundo additur: VOCAVI TE NOMINE TVO, MEVS ES TV. Est & hæc insignis conso/lãdi ratio. Non simpliciter te redemi ex Ægypto, sicut aliquoties, aliæ quoq; gentes meo beneficio, ex magnis periculis liberantur, quas tamen gentes non agnosco pro meo populo. Te autem,ME VM esse populum, singulari nominis tui uocatione, publice tum testificatus. Iussi de te ad Pharaonem dicere: Hæc dicit Dominus, Israel est filius meus primogenitus. Dixit & Moses ad te mandato meo: Populus sanctus es Domino Deo tuo, Et TE elegit,ut sis ei in populum peculiarem,de cunctis gentibus quæ sunt super terrã. Sed hæc,inquies,dicta sunt ad eum populũ,qui tunc Mosi tẽpore, uitam

uitam in terris agebat. Et dicta sunt ad populum in genere. Ego uero, ut longa generationum serie, post hunc populum, in terram ueni, ita sum homo priuatus, multis & magnis peccatis contamina tus, ideoq; Deus fortasis non sic agnoscit me suum, quemadmo dum uniuersum aliquem populum, præsertim, cum sciam, quod etsi Deus agnouit Israelem, suum primogenitum filium, tamē mul tos ex ipsis reprobauit, & abiecit. Quid si & ego in talium catalo go comprehenderer? Audi ergo. Vere quidem loqueris, hæc dicta esse ad populum ætate Mosi uiuentem, non autem sunt propter ipsum tantum dicta, sed propter uniuersam posteritatem, & ecclesiam Domini. Nam in hunc usum misit Deus Christum primogenitum filium suum in hunc mundum, ut propter ipsum, tota ecclesia fieret primogenitus filius Dei. Accessistis, inquit, ad montem Zion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem supercœlestem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, et ad concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis. Nam quod tu dicis te hominem priuatum, & peccatis obrutum, recte quidem facis, quod fatearis te peccatorem, non autem idcirco abiectus & contemptus es à Deo, quod sis homo priuatus, sed potius uocatus, & electus. Deus enim uocat gentem aliquam, suum populum, non quod omnes in eo populo sint sui, sed quod in eo sunt priuati aliquot homines, quos uere suos agnoscat. Et quid est ecclesia, nisi cœtus ex priuatis hominibus constans? Tolle homines priuatos, & sustulisti ecclesiam. Vnde & in hunc usum instituta sunt à Deo Sacramenta fidei. Quod enim uerbis generaliter de uocatione & electione populi Dei dicitur, hoc Sacramentis unicuiuis priuatim applicatur. Accepisti ante natum Christum Circumcisionem. Habes igitur certissimum signum, te nomine tuo uocatum et electum esse in membrum ecclesiæ Dei. Accipis post natum & exaltatum Christum, sacramentum baptismi. Habes igitur manifestum signum, te nomine tuo uocatum & electum, adeoque scriptum esse à Deo, in libro uitæ. Nam q̄ multi circumcisi & baptisati pereant, non eo fit, q̄ uana sint sacramenta, sed q̄ illi sacramenta, nulla fide uel accipiant, uel retineant. Quod autem ad peccata tua attinet, iam ante dixit Deus: Redemi te, uidelicet, non tantum ex Ægypto, quæ est corporalis redemptio, sed etiam e peccatis, quæ est redemptio longe omnium exoptatissima, & excellentissima.

Tertio additur. CVM TRANSIERIS PER AQVAS, TECVM ERO, ET FLVMINA NON OPERIENT TE. CVM AMBVLAVERIS &c.

Hæc promissio preciosior est auro et gemmis. Et est priorum consolationum quasi explicatio, aut amplificatio. Cum transieris

per aquas, inquit, TECVM ERO, & seruabo te, ne te flumina operiant. Et cum ambulaueris in igni, efficiam, ut nõ comburaris, imo ut flamma ne quidem lædat te. Audio, inquis, amplissimã promissionem. Sed quid dicam de ijs, qui aquis obruti, perierunt, & qui flamma ignis absumpti sunt? Dicam ne, aut ipsos non fuisse pios? aut non adfuisse eis Deum? Lego Israelitas profectos per mare rubrum, & per Iordanem illæsos. Lego tres adolescentes in fornace ignis Babylonici seruatos, ne comburerentur. Lego multos alios in aquis & igni seruatos. Sed lego etiam multos in aquis & igni periisse. Quot Martyres aquis sunt suffocati? Quot ignibus concremati? Referũt eccl esiasticę historiæ, urbem quandam apud Phrygiam fuisse, in qua & populus omnis, & magistratus, quod admodum rarum est, Christianam religionem ita professi sunt, ut mallent extrema pericula adire, quam idolis sacrificare. Romani igitur, (quod genus hominum semper fere persecuti sunt Christũ) circumdederunt urbem militibus suis, & concremarunt, iniecto igni, cunctos simul cum mulieribus uiros, cum paruulis senes, cum ciuibus ciuitatem. Dicemus ne Deum hos deseruisse, aut eos non fuisse uere pios, quod contra quam hæc prophetica promissio pol liceri uidetur, flamma ignis absumpti sint? Absit longissime. Nam & Deus non deseruit eos, & hæc promissio, si recte intelligatur, etiam in ipsis impleta est. Non enim sic intelligenda est hæc promissio, q̃ pijs semper externis miraculis, & corporali salute seruentur in igni, in aqua, & in alijs aduersis. Etsi enim Deus nonnullos seruat in his corporaliter illæsos, tamen hæc sunt miracula, testificantia tantum, tanquam publica sigilla clementiam Dei, & ueritatem promissionum eius, non autem significantia talem seruandi modum esse generalem, & contingere debere omnibus pijs. Sed intelligenda est de uulgari modo, quo Deus singula membra ecclesiæ suæ, siue in aquis, siue in igni, siue in alijs periculis & aduersis seruare solet. Vulgaris autem modus hic est. Primum, Deus propicius est afflicto, credenti ac inuocanti ex fide, & remittit ei peccata, agnoscit eum pro filio, & hærede cœlestium suorum bonorum propter Christum. Quam uoluntatem testatur tam euangelio suo, quam sacramentis eius. Hoc beneficium tantum est, ut etsi afflictio durat usque ad corporalem mortem, non tamen sinat afflictum perire. Vbi enim est remissio peccatorum, & adoptio in filios Dei, ibi nulla afflictio, quamuis durabilis, potest esse incommoda, sed necesse habet uel tandem parere fœlicitatem. Vbi autem non est remissio peccatorum, ibi nulla corporalis fœlicitas, quamuis diuturna, potest hominem iuuare. Quare, qui periculis aquarum, ignis aut aliarum rerum comprehenduntur, etiamsi aquis suffocantur, & igni concremantur, tamen, si habuerint remissionem

nem peccatorum propter Christum, & adoptati fuerint in filios Dei, per fidem, uerissime de eis iuxta hanc promissionem dicitur, quod flumina non operiant eos, nec igni absumantur. Sic & qui à leonibus discerpitur, si habet Christum per fidem, & remissionem peccatorum propter Christum, recte dicitur, quod non dilanietur, sed tantum à sordibus excutiatur, & purgetur. Vnde & Ignatius, cum damnatus esset ad bestias, & audiret leones rugientes. Frumentum, inquit, Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Deinde Deus non solum remittit peccata afflictæ ecclesiæ suæ, & afflicto membro eius, uerum etiam confert in afflictione τὴν ἔκβασιν, hoc est, euentum (sicut Paulus loquitur) ut afflictio sufferri queat. Deus enim tam clemens est, ut hoc ipso, quo finit afflictionem in ecclesiam aut membrum eius incurrere, definiat ei terminum, ultra quem progredi non debeat. Id quod manifesto exemplo Iobis comprobatur. Postremo liberat tandem ecclesiam ab omnibus corporalibus & spiritualibus periculis, ut perpetuo fruatur cum Christo filio suo omnibus cœlestibus bonis. Quare cum hic sit certissimus finis omnium periculorum & afflictionum, quæ accidunt ecclesiæ, uerissime dicitur, quod flumina non operiant eam, nec ignis comburat ipsam, etiamsi aquis suffocetur, & igni in puluerem redigatur.

QVIA EGO DOMINVS DEVS TVVS SANCTVS ISRAEL SALVATOR TVVS DEDI &c.

Aliud consolationis argumentum. Ecclesia in conspectu Dei tam honorabilis, & glorioſa habetur, ut dederit pro ea, & pro anima seu uita eius, Aegyptum, Aethiopiam, & Sabæam, adeoq; reges & populos, in propiciationem: hoc est, ut ecclesiam suam seruaret & liberaret, afflixit magna regna, potentes principes, & multas gentes. In Gene. 12. flagellauit Deus Pharaonem magnis plagis, & domum eius, propter Abraamum & uxorem eius. In Gen. cap. 20. reprehenditur à Deo grauissime, eadem de causa Abimelech rex Palestinorum. Et Gen. 35. Iacobo Patriarcha, proficiscente cum familia sua inermi & imbelli ad Bethel, immisit Deus in omnes ciuitates, quæ erant in circuitu illorum, tantum terrorem, ut nemo eos persequi auderet. Vnde & Psal. 104. dicitur: Cum essent numero breui pauciſsimi & incolæ eius. Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Cum autem Israelitæ egrederentur ex Ægypto, obscurum non est, quantis malis afflicti sint propter Israelitas Ægyptij, tam in terra, quam in mari rubro. Et adduntur hic Ægyptijs Æthiopes ac Sabæi. Nam Æthiopes & Sabæi sunt finitimi Ægyptijs, & autor est Iosephus,

quod Æthiopes ante exitum Israelitarũ ex Ægypto, uicti sint duce Mose, ab Ægyptijs, & subiecti regno Ægyptiorum. Testatur & Herodotus, Æthiopiæ regnum aliquoties subiectum fuisse regibus Ægyptijs. Itaq;, cum Pharao persequeretur Israelitas ad mare rubrum, fuerũt in exercitu eius non tantum Ægyptij, sed & Sabæi, & Æthiopes, quos omnes Deus afflixit, & aquis marinis obruit, ut seruaret & liberaret ecclesiam suam. Fuerunt quidem multi etiam inter Israelitas impij, quorum impietas postea in deserto reuelatur, hæc autem liberatio facta est, non propter impios, sed propter pios, propter ueram ecclesiam Domini, quæ in hoc populo continebatur, & propter quam etiam impij Israelitæ liberabantur Ægyptiaca seruitute. Si autem Deus tot argumentis, & tot miraculis probauit antea fauorem suũ erga ecclesiam, & palãm declarauit, ecclesiam in conspectu suo tam pretiosam & honorabilem uideri, ut ad seruandam eam corripiat tam potentes populos & principes, dubitandum non est, quin adhuc tanto fauore prosequatur eam, ut etiamsi dispergatur in totum orbem terræ, tamen ad seruandam & liberandam eam subuersurus sit, regna & Monarchias. Vnde paulo infra sequitur: Propter te emisi in Babylonẽ & detraxi uectes uniuersos. Et iterum: Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum uocaui te nomine tuo &c. Ac profecto maxima gloria ecclesiæ est, quod Deus dignetur eam tanta ueneratione, ut ad eam tuendam & conseruandam, constituat, mutet, deijciat, non unum tantum aut alterum huius terræ ducatum, sed etiam potentissimas Monarchias. Hoc autem intelligendum est, non solum de uniuersa ecclesia simul, uerũ etiã de singulis membris eius. Nam qui est uerum membrũ ecclesiæ, etsi alioqui in mundo contemptissimus est, tamen in conspectu Dei honoratior potentissimo huius terrę rege aut Monarcha iudicatur. Nec mirum: Si enim Deus intantum diligit ecclesiam suam, ut ad cõseruandam eam, non pepercerit unigenito filio suo, sed tradiderit eum in probrosam mortem, quomodo nõ Monarchas deijceret, ac opprimeret, si uideat eos exitium ecclesiæ suæ meditari? Gens (inquit Dominus alias per Esaiam) & regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes (uidelicet quæ te perdere conantur) solitudine uastabuntur. Et Zacharias: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi sui. Ad Saulem quoq; uastãtem ecclesiam dicit Dominus: Saul, Saul, quid me persequeris? uidelicet sibi inferri iudicans, quod ecclesię infertur. Hæc diligenter sunt cogitanda, partim ut excitemur ad conferenda officia nostra in ecclesiam, quo cultu nihil possumus Deo gratius præstare: partim ut in nostri abiectione & contemptu bene confidamus, propterea q; etsi conculcamur pedibus huius mundi, tamen quia sumus uera membra ecclesię, respiciamur à Deo, &

tanta

tanta cura conseruemur, ut Deus sineret potius maxima regna collabi, quam nos in aduersis perire.

NOLI TIMERE, QVIA EGO TECVM SVM, AB ORIENTE ADDVCAM &c.

Repetit propositionem, ut aliud consolandi argumentum subiiciat. Tu metuis, ne si urbs Hierusalem uastetur, & ciues abducãtur in captiuitatem Babylonicam, populus Domini intereat, & nulla maneat reliqua ecclesia Dei. Tu metuis, ne si reges & principes fremant aduersus ecclesiam, & cupiant eam extinctam, continuo fiat, ut extinguatur & pereat. At noli metuere, quia etsi ciues Hierosolymitani abducuntur in captiuitatem, & reges persequuntur ecclesiam, EGO tamen nõ desero eam. EGO, inquit, tecum sum. Ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cõsummationem seculi, ut adducam semen tuum, ut colligam membra tua ab Oriente, & ab Occidente. Dicam ad partem terræ Aquilonarem, uel Septentrionalem, Da mihi eos, qui ad meam ecclesiam pertinent. Dicam etiã ad Austrum, seu partem Meridionalem: Noli prohibere ad ecclesiam meã accedere eos, quos euangelio meo excitaui. Adduc mihi filios meos de longinquis regionibus, & filias meas ab extremis finibus orbis. Hæc est descriptio uocationis gentiũ ad ecclesiam. Ac plane hoc illud est, quod Christus apud Matthæũ dicit: Multi ab Oriente & Occidente uenient, & recũbent cum Abrahã & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Et in Actis Apostolicis: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, denicq; usq; ad extrema terræ. Quod cum ita se habet, tãtum abest, ut uera Dei ecclesia captiuitate Babylonica aut alia calamitate pereat, ut potius hac occasione conseruetur & augeatur. Non enim consistet ecclesia, sicut hactenus, in angustis finibus Iudææ, sed dilatabitur ad omnes fines terræ, & colligentur membra eius per Euangelion ex omnibus partibus mundi. Obsistent quidem reges & principes terræ, conabuntur cursum euangelij impedire, sed cum unum uerbũ dixero, Noli prohibere, necesse habebunt, quamuis inuiti, euangelio & ecclesiæ meæ locum dare. Quod aũt additur: Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum &c. opponitur ei dicto, quod extat Deut. 26. Faciet, inquit Moses ad Israelem, te excelsiorem cunctis gentibus quas fecit, ut sis in laudem, & nomen et gloriã eius, & sis populus sanctus Domino Deo tuo. Nam hoc sic uidetur à Mose dici perinde ac si soli Israelitę creati & uocati essent ad laudandum nomen Domini, & ad celebrandam gloriam maiestatis eius, hoc est, quasi soli Israelitæ essent populus Dei, & aliæ gẽtes prorsus abiectę. Sed illud exponitur nunc in Esaia: Omnem, qui inuocat nomen meum, hunc creaui in gloriã meam. Non creaui, non uocaui tãtum Israelitas, ut essent populus

meus, qui me laudibus celebraret, & meorum beneficiorum participes fierent: Sed creaui ad laudem, feci ad gloriam meam. Omnẽ, OMNEM, inquam, siue Israelitam siue Ethnicum, quicũq; meo nomine uocatus fuerit, quicunq; meum nomen inuocauerit. Sic et Paulus ex Ioele concionatur: OMNIS, qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in OMNES inuocantes se. OMNIS enim, quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Hic ergo obserua primũ, quod cum scriptura dicat nos creatos & formatos esse ad laudem & gloriam Dei, admoneat nos & dignitatis, & uocationis nostræ. Dignitatis est, quod cum uocati sumus ad laudem Dei, significetur Deum agnoscere nos suum peculiarem populum, & uelle nobiscum communicare omnia cœlestia sua bona propter filium suum Iesum Christum, ut manifesta fiat laus & gloria nominis sui, & prædicetur in toto orbe terrarum, quod sit Deus clemens, misericors, benignus, & seruator. Vocationis est, quod cum sumus creati ad laudem Dei, admoneamur nostri officij, ut laudemus Deum corã omnibus gentibus prædicatione, confessione, inuocatione, & honestate uitæ nostræ. In hũc enim usum positi sumus, ut nomen Dei per nos glorificetur. Vt uideant, inquit, bona opera uestra, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Nam si ad hunc modum confessi fuerimus filium Dei, confitebitur & nos ipse coram Patre suo. Deinde, cum dicitur, non Israelitas tantum, sed etiam OMNES, siue Iudæos, siue Gentes, nomen Domini inuocantes, creatos esse ad laudem Domini, palam prædicatur abrogatio Mosaicę politiæ, & tollitur omne meritum humanæ iusticiæ. Si enim gentes, quæ non solum sunt absq; meritis bonorum operum, uerumetiam contaminatę sunt horribili idolatria, eliguntur in populum Dei, & consequuntur ueram salutem Inuocatione nominis Dei, ex fide in Iesum Christũ, quis erit usus operum legis, aut humanę iusticiæ? Ac lex habet quidem suum usum, habet & nostra iusticia suum usum: sed ad consequendam iusticiam coram Deo, & ueram cœlestem salutem, sola ualet inuocatio nominis Dei per fidem in Iesum Christum. De qua re, cum alias sæpe dici solet, nunc non libet immorari. Postremo additur: Educ foras populum cæcum, & oculos habentem, & surdum, & aures ei sunt. Hoc intelligi potest de abiectione impiorum Iudæorum, Vt sit sententia. En mihi rem mirandam. Qui non uidebantur ecclesia Domini, hi ad ecclesiam ex omni parte huius mundi accedent, & fient membra ecclesiæ. Qui autem uidentur esse in ecclesia præcipui, hi abijcientur: & sicut Christus ipse dicit, filij regni ejicientur in tenebras exteriores. Hi sunt impij Israelitæ, qui etsi oculos habent, tamen sunt cæci, etsi aures habent, tamen sunt surdi,

nec

nec audiunt euangelion filij Dei. Quare merito educuntur foras, & pronũciuntur in tenebras. Sed si de gentibus malueris intelligere, hæc erit sententia. In diuulgatione euangelij mei iubebo ex omnibus partibus mundi ad ecclesiam meam educere aliquos Ethnicorum, qui nunc quidem cæci sunt, tunc autem reuelata luce euangelij recipient oculos, & dare uidebunt. Nunc quidem surdi sunt, tunc autem aures patefient eis, ut audiant euangelion fide, & consequantur iusticiam ac salutem. Sic & infra dicit cap. 65. Quæsierunt me, qui ante non interrogabãt, inuenerunt, qui non quæsierunt me &c. Iterum prædicatur gratuita clementia Dei, quod seruemur non propter merita humanæ iusticiæ, sed ex mera gratia et bonitate Dei, propter Christum filium eius, per fidem.

OMNES GENTES CONGREGATÆ SVNT SIMVL, ET COLLECTÆ SVNT TRIBVS &c.

Sic lege. Congregentur simul omnes gentes, & colligantur in unum populi. Quis ex eis adnunciat istud? & priora nobis significat? Producant testes suos, & absoluentur, ut audiant & dicant? Verum est &c. Sæpe iam dictum & repetitum est, quod uulgato uaticinio de uentura captiuitate Babylonica, spiritus sanctus excitauerit Esaiam, ad suscipiendas has conciones, ut muniret auditores suos & posteros eorum aduersus periculosissimum offendiculum, quod populo & ecclesiæ Dei, ex suis quidem ærumnis & calamitatibus, e Babyloniorum autem idolatria & fœlicitate, obsistebatur. Quis enim aut fide imbecillis, aut rerum diuinarum ignarus, uidens tantas afflictiones Iudæorum, & tantam fœlicitatem Babyloniorum, non iudicaret illorum religionem, qua unus tantum Deus promissor Christi filij sui seruatoris nostri colebatur, abominabilem, horum autem religionem, qua multi dij colebantur, & uaria sacra sine ullo certo autore instituta peragebantur, diuinitus approbari? Quare, cum Dominus Deus noster susceperit supra, in principio cap. 41. causam suam, quasi coram tribunali Iudicum, cum dijs & sacris Gentium, & cum cultoribus horum deorum agendam, ac postea in cap. 42. & in hoc 43. cap. exposuerit duas præcipue res, quibus comprobat diuinitatem & maiestatem suam, uidelicet, Vaticinium de uenturo Christo seruatore, Et admirabilem liberationem, tutelam, conseruationem, & dilatationem ecclesiæ suæ in omnibus periculis & aduersis, uertit se nunc ad Iudices (Hæ enim conciones sic habentur, quasi res coram Iudicibus, ut dictum est, ageretur) & postulat, ut pro officio suo efficiant, quo Gentes idolatræ, si omnino in asserenda diuinitate suorum deorum ac sacrorum perseuerauerint, probent ac testificentur eam talibus argumentis, qualibus

nunc uerus Deus suam diuinitatem testificatus est. Quod enim hic dicitur, hanc sententiam habet. Ego exposui modo argumenta meæ diuinitatis, uidelicet, quod Ego is sim, qui ab initio reuelaui Patriarchis & Prophetis meis, me missurum filium meum Messiam, humani generis seruatorem, & me populum ac ecclesiam meam non solum e præsentibus periculis liberare, sed etiam tueri, & augere, adeoq; ex omnibus gentibus congregare. Hæc partim rebus ipsis impleta sunt, partim adhuc certo implebuntur. Agite ergo, uos iudices appello, Efficite, ut Gentes & populi omnes, quotquot alios deos et alia sacra colunt, congregentur huc ante tribunal uestrum, & exponant nobis, an dij aut sacrificuli eorum, tale quid unquam adnunciauerint. Sed quid? inquiet quispiam his temporibus. An non extiterunt inter gentes etiam sua oracula? An non extant de Christo quoq; uaticinia Sibyllæ? De gentium oraculis supra nonnihil dictum est. Ea enim aut sunt obscura & flexiloqua, ac de rebus uanissimis, ad ueram salutem, nihilo magis, quam titiuilitium pertinentibus, aut sunt post rem gestam conficta, & quasi antea edita essent, à rerum scriptoribus uulgata. Nam quæ Sibylla de Christo uaticinata esse dicitur, uersus ipsi uaticiniorum haud obscure indicant, quod à græculo quodam non ante, sed post incarnationem Christi conscripti sint. Ac fortasis uoluit is, quisquis fuerit, autor, hac pia, ut ipsi uidebatur, fraude & impostura, Ethnicos ad fidem in Christum inuitare, quo consilio uidentur & hi Hebræi autores, quos Galatinus citat, sua de Christiana religione uaticinia uulgasse: sed profecto, qui talibus impostoris uoluerunt Christianæ religioni consulere, magis excitati fuerunt maligno Satanæ spiritu, quam sancto Dei spiritu. Voluit enim Satan hoc consilio, omnem uerorum de Christo uaticiniorum auctoritatem in suspicionem mendacij conijcere, ut quicquid apud ueros Prophetas de Christo prædictum extat, existimetur post rem gestam confictum. Quare mirandum est, q̃ Lactantius, uir tam disertus & eruditus, tanti fecerit Sibyllina uaticinia, ut auctoritate eorum Gentes ad Christianam religionem inuitet. Sed ualeant illa. Nos pergimus. Congregentur, inquit, Gentes, & adnuncient nobis, num unquam tale quiddam, tam firmum, tam certum, tam apertum, & de tantis rebus, à dijs & uatibus eorum prædictum sit? Aut saltem doceant nos, quod dij & uates eorum prædicauerint, non dico, quæ uentura erant, sed quæ prius, à condito orbe, acciderunt, quemadmodum meus Moses, & mei Prophetæ prædicauerunt. Quid autem dicam? Tam ignari sunt rerum diuinarum & cœlestium, ut non solum nesciant futura, sed etiam nesciant priora & præterita. Gentes enim non habent certam historiam de initio mundi, de doctrina religionis

ligionis Patriarchis diuinitus reuelata, deque rebus gestis & serie Patriarcharum. Nam, postquam homines, deserta doctrina Patriarcharum, secuti sunt in colendo Deo, & constituenda religione, suas opiniones & rationes, amiserunt etiam ueram rerum ab initio mundi gestarum historiam, & amplexi sunt fabulas plusquam aniles. Sic enim fieri solet, ut iis, qui non recipiunt ueritatem, mittatur efficatia, quemadmodum Paulus loquitur, illusionis, ut credant mendatio. Iactant quidem Gentes multa de uaticiniis suorum deorum, & de historiis multorum seculorum, sed DENT (inquit) TESTES SVOS. Producant uera harum rerum, quas dicunt, testimonia. Probent idoneis testibus ueritatem suorum uaticiniorum & historiarum. Quod si fecerint, reportabunt uictoriam, absoluentur ab accusatione, & celebrabuntur mutuis hominum sermonibus, quod uera sit religio eorum, quod dii eorum ueram habeant diuinitatem. Sed quando hoc facient? aut quos testes producent? Quos alios, nisi sui similes, hoc est, uanos & mendaces. Nam quę Ethnici habent de diis & religione, ea aut constant incertissimis autoribus, aut habent originem tam pudendam, ut turpe sit eam in honesto hominum cœtu commemorare.

VOS TESTES MEI, DICIT DOMINVS, ET SERVVS MEVS &c.

Gentes non habent idoneos testes, qui probent diuinitatem suorum deorum, & ueritatem suę religionis. Ego uero habeo meę diuinitatis, & maiestatis testes. Primum enim produco uos ipsos iudices, qui meam et alienorum deorum causam audiuistis, in testes. Non enim dubito, quin si attentis animis accepistis ea quæ à me contra idola aut deos gentium dicta sunt, conuincat uos conscientia uestra, ut testificemini me esse uerum Deum, illos aũt uanos & ficticios. Nam tanta est horum deorum uanitas, ut si originem, & doctrinam, & res gestas eorum recte perpendas, fieri non potest, quin etiamsi nondum cognoscas, quis sit uerus Deus, tamen testificeris ipse, hos non posse ueros esse deos. Quod autem de diis & religione Gentium dicitur, hoc idem intelligendum est de religione eorum Iudæorum, qui nunc sunt, de religione Turcarum, de religione Monachorum, & aliorum hypocritarum. Deinde produco in testem, Seruum meum, quem elegi. Etsi per seruum hunc, alii intelligunt Esaiam, alii Christum, qui glorificauit Deum patrem, & testificatus est de maiestate eius, per euangelium & miracula sua, tamen quia fit sermo de iis testimoniis, quæ diuinitus credita fuerunt Israelitis, idcirco per seruum hunc uidetur hoc loco intelligendus esse populus Israeliticus. Posteritas em̃ Abrahę, seu Israelitæ in hunc usum ā Deo fuerunt selecti, ut essent testes & custo

des doctrinæ & religionis à Deo ab initio orbis traditæ, & per Patriarchas propagatæ. Deus enim dedit Israelitis terram Canaan et regna eius, non ut in morem gentium uineis tantum plantandis & agris colendis, ac genio indulgendo operam darent, sed ut custodirent ritus & cerimonias, quemadmodum Moses ait, ā Deo traditas, quibus uera doctrina religionis, & promissiones de Christo à Patriarchis acceptas, conseruarentur. Vnde in Psalmis dicitur. Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres nostri adnunciauerunt nobis. Non sunt occultata ā filijs eorum, in generatione altera. Et mox: Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera, filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filijs suis, Vt ponant in Deo spem suam &c. Et in alio Psalmo: Qui adnunciat uerbum suum Iacob, iusticias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Vnde & Paulus ait: Quorum est adoptio, gloria, testamentum, legis constitutio, cultus et promissiones &c. Ac profecto magna fuit dignitas huius populi, quod Deus elegerit eum, ut esset publicus in orbe testis eius religionis, quam Deus ipse ab initio Patriarchis patefecit, & conseruaret monumenta ueræ doctrinæ de Deo, & de Messia eius seruatore nostro. Nam ab Adamo propagata est uera doctrina religionis per certos Patriarchas usq; ad Noham. Deinde à Noha usq; ad Abraamum. Postea ab Abraamo usq; ad Mosen, idq; manifestissimis ac certissimis testimonijs. Deinde ea doctrina mandata est à Mose literis, & posteritati Patriarcharum custodienda & conseruanda tradita. Post Mosen excitati sunt diuinitus Prophetæ, qui eam doctrinā sunt interpretati, & illustrarunt, donec ueniret Christus ipse, & defungeretur eo officio, ad quod à patre suo ante secula destinatus erat. Itaq; uides Israelitas in hunc usum à Deo uocatos fuisse, ut essent publici testes, & tutores, & propagatores eius doctrinæ, quam Deus Patriarchis reuelauerat. Hoc testimonium citat DOMINVS Deus noster in hoc loco aduersus Gentes & deos earum, apud quas nullum tale testimonium extabat. Vos, inquit, testes mei estis, & seruus meus, seu populus meus Israel, quem præter alias causas, etiam propter hanc e reliquis gentibus selegi, ut custodiret & conseruaret ueram religionis doctrinam: Vt sciatis, & credatis mihi, & intelligatis hoc testimonio, quod ego sim ille ipse uerus uidelicet Deus, ante quem nullus sit Deus formatus, & post quem non sit alius. hoc est, Ego sum uerus & æternus Deus, qui nec initium, nec finem habeat. Ego, ego inquam, sum Dominus, & præter me non est saluator. Ego is sum, qui & prædixi liberationem ex Ægypto, & quod prædixi, re ipsa etiā præstiti. Ego is sum, qui adnuncio liberationem ex Babylone, imo q; maximū omnium

nium est, liberationem ex peccatis, ex morte, & tyrannide Satanę. Et quod adnuncio, hoc etiam rebus ipsis implebo & perficiam. Ego, inquam, is sum, qui hæc omnia uobis nota feci per Patriarchas & Prophetas meos. Nec est alius quispiam Deus, qui potuerit uobis hæc patefacere. Quare uos ipsos, qui hæc â Patriarchis accepistis, & monumentis uestrarum literarum comprehensa tenetis, in testes produco, q̃ ego solus sim uerus Deus, quodque ego non habuerim initium, sicut dij Gentium, sed sim ille ipse à DIE, hoc est, ex quo dies esse cœpit, seu priusquam hic mundus cum diebus suis creatus esset. Sum uidelicet Deus ab æterno, & tam potens, ut quod ego cepero, nemo possit de manu mea extorquere, & quod ego faciendum suscepero, nemo possit auertere. Habes hoc loco epitomen eius testimonij, quod prophetica scriptura, quæ Israelitis tanquam custodibus & tutoribus diuinitus credita fuit, de Deo continet. Primum enim, testatur hunc solum esse uerum Deum, qui uoluntatẽ suam promissionibus & alijs argumentis, ab initio orbis terræ Patriarchis patefecit. Deinde testatur hũc Deum esse æternum. Tertio, testatur hunc Deum esse clementem seruatorem per filium suum, quem ab initio orbis promisit. Quarto testatur hunc Deum esse omnipotentem liberatorem ecclesiæ suæ, nec ullam creaturam posse oues suas de manu eius rapere. Agnoscamus igitur hunc Deum, & inuocemus eum per Christum filium suum, in spiritu sancto, ut non tantum in externis illis aduersis, uerum etiam in morte & horroribus inferni conseruemur.

HÆC DICIT DOMINVS REDEMPTOR VESTER SANCTVS ISRAEL. PROPTER VOS EMISI IN BABYLONEM &c.

Redit ad argumenta consolandi, sed interea semper quasi obliquis oculis respicit ficticios deos gentium, & exponit contra eos maiestatem suam, ut refutet ipsorum uanitatem, & contineat populum suum in officio ueræ pietatis, in media Babylone. Propter uos, (inquit ad piorum ecclesiam) emisi in Babylonem. Video uos ex uaticinio de captiuitate Babylonica magno metu concussos esse. Nec mirum. Quid enim posset honesto & pio homini grauius, quid acerbius, quid luctuosius accidere, quam uidere impios idolatras uictoria aduersus populum Dei potiri, patriam suam uastari, templum & sacra eius aboleri, ciues suos partim crudeliter occidi, partim in captiuitatem abduci, liberos â complexu parentum abripi, honestas uirgines & matronas stupris contaminari, alio maritum, alio uxorem & liberos in miseram seruitutem distrahi? Quid plura? Morte ipsa grauius est, tanta mala oculis ipsis uidere, & esse quoque non extremam eorum partem. Sed confidite, bono & tranquillo sitis animo. Tanta

cura,tanto amore complector meam ecclesiam,ut priusquam hæc mala eueniunt,constituerim mecum,quo pacto sim eam seruaturus & liberaturus. Decreui enim nunc,antequam uos in Babylonem abducti estis,me missurum suo tempore hostes,uidelicet Darium & Cyrum,Medos & Persas,in Babylonem, qui detrahant uniuersos uectes Babylonis,hoc est,qui omnem potentiam regni Babylonici deijciant,& Chaldæos, qui de classibus nauium suarum gloriantur,& ijs confidunt,opprimant. Ego,inquam,Dominus sanctus uester,creator Israelis,& rex uester,hæc iam decreui, me suo tempore curaturum,ut translato regno Babylonico in aliorum potestatem,uos dimittamini liberi,& reuertamini ex captiuitate ad restaurandam uestram urbem,sacra & politeiav. Memorabilis locus,quo docemur, q Deus uniuersam ecclesiam suam, & singula membra eius tanta cura,tanta caritate complectatur, ut etsi permittit eam affligi,tamen priusquam afflictio uenit, excogitet,ac decernat modum,ac rationem,qua uelit eam tueri,& liberare. Tanto enim clementiæ affectu in ecclesiam suam ardet, ut nisi antea sciret & definijsset,quibus modis seruanda,& maioribus beneficijs per afflictiones ornanda esset, nunquam committeret,ut ad inferenda ei aduersa conniueret. Vnde & hoc loco non dicit: Emittam in Babylonem,Sed E M I S I,ut significet,quod etiamsi captiuitas nondum aduenerit , excogitauerit tamen & decreuerit iam modum liberandi e captiuitate. In Genesi capite 15. prædicitur Abraamo,quod posteri eius peregrinaturi sint ad alienam terram,& ibi durissime tractandi. Quod dictum erat de seruitute Ægyptiaca. Et tamen priusquam hoc eueniat, definitur certum tempus seruitutis,& statuitur modus liberationis. Affligent(inquit)eos quadringentis annis. Verùntamen gentem, cui seruituri sunt,ego iudicabo: Post hæc egredientur cum Magna substantia. Ioseph filius Iacob uendendus erat in seruitutem & conijciendus in carcerem,Sed Deus antea quoq; præuiderat,quam mirabiliter esset liberandus,& quanta maiestate ornandus,id quod Iosepho,etiam per somnium,priusquam in seruitutem uenditus esset, declarauit,quemadmodum scriptum est Gene. 37. Dauid multa mala passurus erat in aula Saulis,& in exilio,sed antequam in aulam & exilium uenit,unctus est à Samuele diuino mandato,in regem. Qua unctione Deus non obscure significauit,se iam excogitasse & decreuisse rationem,qua conseruaturus esset Dauidem in aula & exilio. De Christo filio Dei,priusquam uenit in mundum, scriptura testatur , quod sit passurus maxima quæque aduersa, & probrosissimam mortem. Cum iniquis,ait,deputatus est. Sed eadem scriptura testatur etiam de resurrectione eius à morte, & de regno eius æterno. Deus pater enim intantum diligit filium suum,

ut

ut nisi antea potuisset excogitare uiam, qua eum ex aduersis & morte ducturus esset ad summam gloriam & fœlicitatem, nunquam ad crucem & mortem eius conniuisset. Quod in Christo capite nostro gestum est, hoc idem de membris eius, quæ sunt Ecclesia ipsius, sentiendum est. Hæc bene meditata habenda sunt, ut cum inciderint aduersa, non existimemus hoc, inscio, aut negligente Deo fieri, sed cogitemus, ne capillum quidem capitis moueri posse, nisi Deus ipse mouendum decreuerit, & rationem, qua hæc iactura compensetur, excogitauerit. Quod si Deus in his minutissimis rebus suam habet curam, quid non curæ susciperet, in illis rebus, quibus salus uniuersæ Ecclesiæ suæ, & singulorum membrorum eius constat? Bono igitur animo simus, in periculis. Liberatio enim, & modus ac tempus eius iam apud Deum definita sunt. Nobis obedienti tantum expectatione opus est. Reliqua Deo curæ erunt.

SIC DICIT DOMINVS, QVI VIAM PER MARE PRÆBET, ET IN AQVIS TORRENTIBVS SEMITAM &c.

Aliud argumentum cõsolationis, ductum a beneficio per Christum conferendo. Magnum est beneficium, quod Deus transfert Monarchiam Babylonicam ad alienos reges, ut liberet populum suum ex Babylone. Sed longe omnium maximum beneficium est, quod mittit in terras, filium suum, qui liberat Ecclesiam a Satana, a peccato, morte & inferno, & auget Ecclesiam populi sui uocatione Gentium. Priusquam autem Deus commemorat hoc argumẽtum, recitat suum ipsius titulum, seu epitheta, quæ ex operibus ac miraculis suis reportat, & quæ ei merito tribui debent. Nam quemadmodum Principes & reges huius terræ, uulgaturi edicta & mandata sua, præmittunt titulos, quos habent, & epitheta suæ maiestatis, & suorum regnorum ac imperiorum, ut hac recitatione conciliẽt edictis autoritatem, & inuitent subditos ad obedientiam: ita & Dominus Deus noster concionaturus de summo beneficio, quod conferat per filium suum in humanum genus, prẽmittit suum titulum, seu epitheta maiestatis suæ, ut conciliet concioni suæ autoritatem, & excitet in auditoribus fidem. Sic dicit (inquiens) Dominus, non homo quispiam gregarius, Sed Dominus ille, qui est uerus & æternus Deus: Qui prębet uiam per mare, sicut comprobauit in exitu Israelis ex Ægypto: Qui prębet Semitam per torrentes, seu per rapida flumina, sicut probauit in Iordane: Qui excitat & in campum seu prælium educit, quadrigas bellicas, copias equestres, copias pedestres, ac robustissimos milites. Sed hos omnes ita deijcit, ut una prostrati in terra iaceant, nec unquam possint recuperare uires, & ad resumendum pristinum robur resurgere, Sed necesse

habeant extingui,& absumi,sicut linum aut theda fumigans extin-
gui solet. Hunc titulum reportauit Deus, cum Abraam superaret
quatuor reges, cum Pharao & exercitus eius obruti sunt aquis ma-
ris rubri, cum Iosue & Iudices & Dauid & alij Reges Israelitarum
deuicerunt,autore Deo,tot gentes Cananæas, & hostes finitimos:
cum etiam exercitus Sanherib tanta clade afficeretur,ut in una no-
cte centum octoginta quinq; millia interirent. Hic est titulus,hæc
sunt epitheta Dei Patris & filij eius Dñi nostri Iesu Christi, qui
Christus defendit semper populum Ecclesiæ suæ,& dedit ei uarias
uictorias hostium,etiam priusquam hominem assumeret. Audia-
mus igitur,quid tantus & tam potens atq; gloriosus Deus nobis
cõcionetur. Ne memineritis,inquit,priorum,& antiqua ne intuea
mini. Contuli hactenus in uos multa & magna beneficia. Libera-
ui uos ex Ægypto. Dedi uobis terram Canaan. Dedi uictoriam
super hostes uestros. Liberabo etiam uos ex captiuitate Babylo-
nica. Sed uolo,ut horum beneficiorum nunquam amplius recorde
mini. Quid ergo dicemus? An tanta illa externa & corporalia bene
ficia Dei non sunt prædicanda? Absit. Memor ero,inquit Psalmus,
operum Domini,memor ero ab initio mirabilium tuorum. Medi-
tabor in omnibus operibus tuis,& in adinuentionibus tuis exerce-
bor. Nam, quod hic dicitur: Ne memineritis priorum, non uult,
ut abijciamus memoriam & prædicationem ueterum miraculorum
ac beneficiorum Dei, sed uult posteriora illa,quæ nobis conferun
tur per Christum,extollere super omnia corporalia beneficia, quę
quondam Patribus collata sunt. Et est sententia. Magna quidem
& insignia sunt ea beneficia,quæ populo Ecclesiæ meæ quondam
contuli in mari rubro, in deserto,in terra Canaan, & in regno suo
externo. Sed multo maiora, multo excellentiora sunt ea,quæ con-
fero in expiatione peccatorum, in uictoria mortis & inferni, & in
diuulgatione Euangelij mei in totum orbem terræ, inter omnes
gentes. Ecce facio noua,quæ nunc orientur aut matureſcent,& quę
palam cognoscetis. Ecquæ sunt illa noua? Ponam, inquit, in deser-
to uiam,& in solitudine flumina. Bestiæ agri,Dracones & struthio
nes prædicabunt gloriam meam, quod dederim aquas in deserto,
& flumina in inuio, ut potum habeat populus meus, electus meus.
Populus uidelicet iste,quem formaui mihi,ut prædicet laudem me-
am. Hæc sunt illa noua beneficia, præ quibus priora uidentur uti-
lia & abiecta. Quæso autem te,quid illud insignis beneficij est,da-
re fontem in deserto? An non præstitit Deus tale beneficium Is-
raelitis in deserto ex petra, cum egressi essent ex Ægypto? Et quid
prodest habere aquam, cum sis omnium aliarum rerum egens?
Sed quia his uerbis talia beneficia describuntur, qualia ante nun-
quam

quam exhibita fuerunt Israelitis, obscurum esse non potest, quod hæc uerba non sunt intelligenda de reditu ex Babylonica captiuitate ad instaurandam urbem Hierusalem. Hic enim reditus non fuit tam illustris, quam exitus ex Ægypto. Et Israelitæ, & si redierunt ad suam terram ex Babylone, non tamen redierunt ad libertatem, sicut eo tẽpore, quo ex Ægypto exierunt, sed manserunt in seruitute Persarꝝ. Nec sunt intelligẽda de alio quodam bñficio corporali, quod Israelitis ante aduentum Christi præstitum sit. Nullum enim tale eis contigit, quod uel egressum ex Ægypto, uel reditum ex Babylone æquare possit. Quare intelligenda sunt de diuulgatione Euangelij, post missum spiritum sanctum, in uniuersum orbem terræ, inter omnes gentes, siue illas humanis moribus excultas, siue feras & barbaras. Quod opus Dei longissime superat liberationem ex Ægypto, & Babylone. His enim liberationibus una tantum gens Iudaica erepta est e captiuitate, eaqꝫ corporali. Illo autem opere Dei, uidelicet diuulgatione Euangelij in orbem terræ, ereptæ sunt e captiuitate, eaqꝫ spirituali & æterna, plurimæ gentes. Et his liberationibus ducti sunt Iudæi tantum ad externam quandam terram & libertatem, illo autem opere Dei ducuntur innumeri ex gentibus ad ueram & spiritualem libertatem, ad cœleste regnum, ad æternam iusticiam ac fœlicitatem. Adeoque plane hoc opus Dei his uerbis describitur, quod supra dictum est: Ab Oriente adducam semen tuum. Et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni &c. Et Hieremiæ capite xxiij. Ecce dies ueniũt, dicit Dominus, & non dicent ultra, uiuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: Sed uiuit Dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eieceram eos &c. Et Hieremiæ capite trigesimoprimo. Ecce dies uenient dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda, fœdus nouum, non secundum fœdus, quod pepigi cum patribus uestris &c. Nam quod in Esaia dicitur: Ponam uiam in deserto, Et mox: Dabo aquas in deserto, metaphora est, qua significatur excitandum fontem prædicationis Euangelij inter gentes, quæ dicuntur Desertum & solitudo, quod fuerint hactenus sine ulla irrigatione uerbi Dei. Postquam autem Christus ascendit in cœlum, & misit spiritum sanctum discipulis suis, scaturierunt in deserto, in regionibus gentium tam largi fontes & tam copiosa flumina aquarum Euangelij de filio Dei, & regno eius, ut & bestiæ agri, & dracones gratias egerint DOMINO pro beneficio Euangelij sui. Hæ bestiæ & dracones sunt barbaræ & immanes gentium nationes, e quibus collecta est per Euangelion Ecclesia Christi, quæ, po

sita immanitate, excitata est ad inuocandum Deum, ad celebrandum nomen Domini, & ad præstandam proximis omnem mansuetudinem. Discamus hoc loco, quis sit fructus, & quæ ἐνέργεια, quæ efficacia prædicationis Euangelij inter homines. Recensetur autem hic duplex fructus eius. Vnus est, quod excitat in deserto largos fontes aquarum, hoc est, efficit in peccatoribus ac sceleratis hominibus studium ueræ pietatis, ut qui antea steriles fuerunt, ex Euangelio fiant bonorum operum feracissimi. Alter est, quod mutet immanitatem bestiarum in mansuetudinem, ut laudent & celebrent nomen Domini, hoc est, Euãgelion fide acceptum mutat crudelitatem hominum, in pietatem & benignitatem, ut incipiant inuocare Deum, & proximis suis benefacere. Quorsum autem hæc? nimirum, ut cum simus auditores Euangelij Christi, nos ipsos probemus, num Euangelion uera fide acceperimus. Nam si in prædicatione Euangelij uideas, non ex bestijs, homines, sed ex hominibus bestias, hoc est, helluones, impostores, crudeles, incestos, & id genus alios sceleratos homines fieri, certo sentias, Euangelion aut non recte prædicari, aut non recte ab auditoribus intelligi. Fieri enim non potest, quin si Euangelion Christi, uera fide, ut uerbum Dei, acceptum fuerit, efficax sit in credentibus, ut Paulus ait, & proferat fructum, ut Christus ait, centuplum.

NON ME INVOCASTI IACOB, NEC LABORASTI IN ME ISRAEL, NON OBTVLISTI MIHI &c.

Cum Moses recitaret Israelitis suis beneficia, quæ iam a Deo acceperant, & mox accepturi erant, uidelicet, quod magnis miraculis essent ex Ægypto liberati, & quod regna terræ Canaan possessuri essent, cohortatur eos ad modestiam, & monet, ne elati rerum fœlicitate, tanta beneficia suis iusticijs adscribant. Non propter iu-
Deut. 9. sticiam tuam, inquit, dat tibi Dominus Deus tuus terram istam bonam possidendam, cum sis populus durissimæ ceruicis &c. Sic & in hoc Esaiæ loco obseruat Spiritus sanctus eandem cohortationis rationem. Exposuit enim filius Dei, qui iam ab initio semper tutatus est Ecclesiam suam, se multo maiora beneficia in Ecclesiam collaturum, quam fuerit liberatio ex Ægypto & Babylone, & significauit se effusurum Spiritum sanctum suum, tanquam fontem & aquam uiuam, in Apostolos, ut Euangelion diuulgetur per eos in totum orbem terræ, tam inter Iudæos, quam inter gentes, ut quotquot Euangelio credunt, liberentur non iam ab exterha illa Pharaonis & Babylonicorum regum tyrannide, quæ liberatio, magnum quidem est beneficium, non autem est summum & optimum:

mum: Sed liberentur ab æterna Satanæ, peccati, mortis & inferni tyrannide, quæ tyrannis, ut est grauissima, ita liberatio ab ea est beneficium longe omnium excellentissimum. Quare addit nunc conciunculam, qua docet, quod hoc tantum & tam insigne liberationis beneficium contingat Israelitis, non meritis iusticiæ ipsorum, sed sua mere gratuita clementia, & liberalitate, ut hac expositione excutiat eis uanam fiduciam, quam de operibus suæ ipsorum iusticiæ conceperant, & inuitet eos ad modestiam, & ueram fidem in filium Dei, propter quem solum consequimur remissionem peccati, hoc est, liberationem a Satana, Morte, & Inferno. Percurremus autem initio textum qualicunque paraphrasi: deinde addemus, quæ præcipue obseruanda uidebuntur. Non me, inquit, inuocasti Iacob. Non nego quidem uos Israelitas accepisse a me legem, & uos multa legis opera facere. Recitatis Psalmos & precationes, offertis holocausta, adoletis thymiamata, Emitis calamos aromaticos ad compositionem olei sancti, sicut præceptum est, Exodi trigesimo. Incenditis adipem uictimarum. Denique multum est studium uestrum ad peragendum cultum Leuiticum, & alia id genus sacra. Sed profecto, ut dicam, quod res est, non agnosco uestram inuocationem, uestros Psalmos. Non agnosco uestrum studium, uestrum laborem in faciendis operibus legis. Non agnosco uestra holocausta, & uestras uictimas. Etsi enim præscripsi in legeritus sacrificiorum & uictimarum, tamen non non uolui, ut talibus opinionibus, quales uos concepistis, obtruderetis mihi uestra holocausta, uestra thura, uestros calamos aromaticos, & uestrarum uictimarum adipem. Suscipitis enim omnia hæc sacra facienda, non ut his conseruetis ueram doctrinam de gratuita remissione peccatorum in me solo, per fidem consequenda, & ut his fidem uestram in me confirmetis, qui solus est uerus horum sacrorum usus: Sed suscipitis ea facienda, ut meritis horum operum uestra peccata expietis, & per ea iustificemini. Hæc est impijssima opinio, qua intantum non fit, ut consequemini deletionem peccatorum uestrorum, ut potius peccata uestra augeantur. Non enim ego imposui uobis hoc onus & hunc laborem, ut uos uestris operibus expiaretis peccata: sed potius mihi hoc onus, propter magnitudinem & grauitatem uestrorum peccatorum ac iniquitatum impositum est, ut ego assumam formam serui, & omnes humanas ærumnas, ac tandem etiam probrosam mortem, quo uestra peccata expiem, & reconciliem uos cum Deo Patre cœlesti. Neque enim uestra iusticia potest peccata delere, sed ego,

EGO, inquam, ipſe, is ſum, qui mea paſsione & morte deleo peccata uestra, ac ita deleo, ut coram tribunali Dei non amplius extet aliquod uestigium, nec ulla unquam fiat mentio eorum. Deleo autem ea, non uestris meritis perſuaſus aut delinitus, ſed PROPTER ME. hoc eſt, propter meam clementiam, & gratuitam dilectionem, qua erga humanum genus, quamuis impium & rebelle, afficior. Quod ſi autem omnino contendis, te tantam habere operum iuſticiam, ut propter illam conſequaris peccatorum remiſsionem, agedum, producito hanc iuſticiam in medium; & quia fortaſsis hæc mihi, ſi qua eſt, e memoria excidit, admoneto me de ea, reuoca mihi eam in memoriam, ut inter me & te iuſtum fiat iudicium. Et iterum atque iterum te cohortor, ut ſi quid habes operum, quorum merito confidas te coram Deo abſolutionem peccatorum conſequi ac iuſtificari, commemorato ea nobis aperte & perſpicue, quo tu tua uirtute uere iuſtus pronunciéris. Sed nunquam hoc fiet, ut opus aliquod tuum, tam iuſtum, tam ſanctum proferas, quod non ſit uiciatum, & quod poſsit coram tribunali Dei conſtare. Non intres, inquit Pſalmus, in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. At enim gloriaberis fortaſſe, & confides iuſticia ac ſanctitate patrum & maiorum tuorum. Sed nec hoc modo ulla inuenies merita, quibus ſperare queas, te coram Deo iuſtificari. Recenſe tibi omnes maiores & Principes tuos, & deprehendes in ſingulis, quod ſit uitioſum, & Deo abominabile. Etſi enim duxerunt honeſtam uitam, & conſecuti ſunt iuſticiam per fidem in promiſſum ſemen, in me, filium Dei, tamen quod ad naturam eorum attinet, omnes fuerunt peccatores. Adam, primus peccauit, & propagauit peccatum ſuum, in omnem poſteritatem ſuam. Itaque & Noe & Abraham, & Iſaac & Iacob fuerunt natura ſua peccatores coram Deo. Trans fluuium, ut in Ioſua dicitur, habitauerunt olim patres uestri, Thare Pater Abraham, & Nahor, ſeruieruntque diis alienis. Deinde præuaricati ſunt aduerſum me etiam interpretes tui, qui ſunt Moſes & Aheron. Cum enim ille habuerit familiare colloquium cum Deo, & electus ſit in interpretem ac mediatorem Dei erga populum, & in legislatorem, hic autem primus ordinatus ſit, diuino mandato, in ſummum Pontificem, & diſpenſatorem ſacrorum, exiſtimari poſſet, quod etiamſi alij homines eſſent peccatores, iſti tamen eſſent uere coram Deo ita iuſti & ſancti, ut ſanctitate ſua etiam alios iuuare poſsent. Sed & illi habue-

runt

runt ſua uitia, & præuaricationes, eaſque non leues ac uulgares, ſed inſignes. Manifeſta enim eſt incredulitas eorum ad aquas contradictionis. Et nulli eſt obſcurum peccatum, quod Aheron in inſtituendo uitulo aureo deſignauit. Præterea contaminaui Principes Sanctuarij. Nam Moſen & Aheronem ſecuti ſunt multi Pontifices, qui ſacra legitima in ſanctuario meo peregerunt, ſecuti ſunt multi Principes & duces populi ſancti mei, qui, quia erant capita religionis, haberi poſſent tam iuſti & tam ſancti, ut ſua ſanctitate tam ſe quam alios coram iudicio Dei defenderent. Sed hos quoque contaminaui & prophanaui. hoc eſt, deprehendi etiam hos eſſe contaminatos & prophanatos innumeris uitijs & peccatis. Quid multis opus? Dedi Iacob anathemati, & Iſraelem execrationi. hoc eſt, Dedi legem, qua oſtendo non unum tantum Patriarcham, & Principem, ſed uniuerſos Iacobitas ſeu Iſraelitas anathemati, maledictioni, & execrationi obnoxios eſſe. Lex enim mea exigit perfectam iuſticiam & ſanctitatem: Sed quia in nullo Iſraelita, imo nec in ullo homine inuenit talem ſanctitatem, idcirco deuouet diris, & condemnat omnes Iſraelitas, adeoque omnes in toto orbe terrarum homines. Maledictus, inquit, omnis, qui non permanet in omnibus ſermonibus legis huius. Quod cum ita ſe habet, nihil aliud reliquum eſt, quam ut tu, populo meus, tu Eccleſia mea, ingenue fatearis, quod hoc meum ſummum beneficium remiſsionis peccatorum, & liberationis a tyrannide mortis ac inferni, non contingat tibi ullo uel tuo, uel tuorum Patrum ac maiorum merito, ſed tantum mea gratuita clementia & caritate, qua te immeritum, ex mera bonitate mea, & miſericordia complector. Habes loci huius paraphraſin. Obſerua igitur initio, quod cum dicitur, Tu Iacob non inuocaſti me &c. perſpicue docetur, nullum cultum, quamuis a Deo præceptum, placere Deo, niſi fiat legitime, ſecundum regulam uerbi Dei. Regula autem uerbi Dei non exigit tantum externos ritus & ceremonias cultuum, ſed exigit etiam fidem in promiſsionem de benedictione per ſemen Abrahæ exhibenda. Non exigit, ut facias tantum externos ritus ſacrorum, aut ut facias eos ad expianda coram Deo peccata tua, Sed exigit, ut ante omnia credas te conſequi peccatorum remiſsionem tantum propter ſemen Abrahæ, propter filium Dei Ieſum CHRISTVM. Et ex hac fide ſuſcipias facienda ſacrificia & alios cultus, non ad expianda peccata, quorum remiſsionem iam conſecutus es in CHRI-

sto, sed ad confirmandam, aut testificandam hanc fidem, quam de CHRISTO, & de gratuita peccatorum remissione in ipso, habes. Quare, & si sacrificia & alia Leuitica sacra, instituta fuerunt in Mosaica politia, diuina ordinatione, tamen quia hypocritæ faciebant ea illegitime, hoc est, non ex fide, sed tanquam ex operibus legis, ut Paulus loquitur, idcirco non hoc tantum loco, sed etiam alias passim in Prophetis ita reijciuntur & damnantur, ut non dicantur DEI, sed Idolorum cultus. Esaiæ primo: Ad quid mihi multitudo sacrificiorum tuorum &c. Et capite sexagesimosexto. Qui bouem mactat, quasi qui hominem occidit. Hieremiæ septimo. Holocausta uestra addite uictimis uestris, & comedite carnem, quia non sum locutus cum Patribus uestris &c. Oseæ sexto. Misericordiam uolo, & non sacrificium &c. Primo Regum decimoquinto: Nunquid uult DOMINVS holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci DOMINI &c. Quod autem dicitur de Leuiticis sacris, hoc idem intelligendum est etiam de moralibus, imo de omnibus operibus, lege Domini præceptis. Nulla enim placent Deo, nisi fiant ex FIDE, & non tanquam ex operibus legis, hoc est, nisi credamus, quod remittantur nobis peccata gratuita clementia Dei, tantum propter Iesum CHRISTVM filium eius, & faciamus ea opera, non ut expiatoria peccatorum, sed testificatoria gratitudinis nostræ, & declaratoria fidei. Nam si quis existimat se expiare coram Deo peccata meritis suorum operum, is facit opera, non ex fide, sed tanquam ex operibus legis, & contra fidem. Quod si talis est conditio eorum operum, quæ diuinitus præcepta sunt, qualis erit obsecro conditio illorum, quæ sine præcepto Dei, & tantum humano arbitrio, ad colendum Deum, & ad expianda coram Deo peccata, facienda suscipiuntur? Certe talia opera duplici nomine condemnantur. Vno, quod non sunt uerbo Dei mandata, ideoque de eis dicitur: Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Altero, quod constituunt se in locum Christi, & usurpant sibi eam maiestatem, expiandi, uidelicet peccata, quæ soli CHRISTO filio Dei competit. Hæc est manifesta impietas & Idolatria. Deinde, cum dicit: Narra, si quid habes, ut iustificeris. Et, Pater tuus primus peccauit &c. adimit omnibus hominibus, non tantum uulgaribus, sed etiam sanctissimis Patriarchis iusticiam, & damnat eos peccati, ac docet, quod nullus hominum possit aut sua, aut maiorum suorum, quam uis sanctorum, iusticia confidere. Lex enim Dei nullum hominem

pronunciat

pronunciat innocentem, sed concludit omnes sub peccatum, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Errant igitur Monachi, qui uendunt alijs sua bona opera, quibus in iudicio Dei confidant. Errant & alij, qui sperant se consecuturos apud Deum gratiã et remissionem peccatorum suorum, uel propter sanctitatem suorum maiorum, uel propter opera amicorum suorũ, quæ post ipsorum mortem fiunt. Præterea cum dicit: Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, proponit nobis, breuissimis uerbis, summam totius Euangelij de Iesu Christo. In hoc enim uniuersum Euangelion Christi consistit, quod non habeamus ullam peccatorum remissionem, nec reputemur iusti coram Deo, nisi tantum gratuita clementia Dei, propter solum Iesum Christum, per fidem. Hic est lapis ille reiectus, inquit Petrus, a uobis ædificantibus. Sed factus est in caput anguli, nec est in alio quoquam salus. Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Et Paulus: Notum sit uobis, inquit, uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorum adnunciatur, & ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, Per hunc, omnis qui credit iustificatur. Sed hic considera mihi, q̃ hoc idem confitentur de Christo, etiam aduersarij piæ doctrinæ, & dicunt, quod per solum Christum contingat nobis peccatorum remissio: addunt autem, quod hæc peccatorum remissio per Christum parta, applicetur nobis per sacrificium Missæ, ut qui uelit particeps fieri remissionis peccatorum, necesse habeat Missam sacrificuli audire uel uidere, uel approbare & appetere, ut opere sacrificuli consequatur beneficium illud, quod Christus nobis in cruce per mortem suam impetrauit. Sed hæc est mera impostura. Christus enim non sic instituit cœnam suam, ut corpus & sanguis eius a sacrificulo priuatim sacrificentur, & beneficium eius in cruce partum hoc sacrificij opere spectatoribus applicetur. Nam uera applicatio beneficij Christi, non potest fieri priuato murmure, & oblatione sacrificuli, Sed fit clara & perspicua prædicatione Euangelij de Christo, & legitima distributione Sacramentorum, quæ Christus in hunc usum instituit. Nec hic est status applicationis, sed necessarium est, ut Euangelion, quod prædicatur, & Sacramentum quod porrigitur, accipias & sumas per fidem. Itaque ubi non aperte prædicatur Euangelion, nec distribuitur rite Sacramentum Euangelij, ibi plane nulla est applicatio. Qua ergo fronte audes Missam priuatam, ubi nec est aperta prædicatio Euangelij, nec distributio cœnæ Dominicæ, pro organo applicationis beneficij Christi, Ecclesiæ obtrudere? Dein-

de, etiamsi fiat prædicatio Euangelij & distributio Sacramenti, tamen si Euangelion non auditur, nec sacramentum sumitur, idq; ex fide, nullus est ibi applicationis fructus. Prædicate, inquit Christus, Euangelion omni creaturæ. His uerbis iubet beneficium suum omnibus applicare. Et addit: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. His uerbis docet, qui fiant applicationis participes, & qui nō fiant. Et Paulus ait: Fides ex auditu est, Auditus autem per uerbum Dei, quod est Euangelion. Et iterum Christus: Oportet prædicari nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Hic iterum docet, applicationem fieri prædicatione Euāgelij sui, cui addita sunt duo Sacramenta, Baptismus uidelicet, & Cœna Domini, ut quod uerbis Euangelij dicitur, hoc sacris his signis sumenti per fidem applicetur. Quare murmur & oblatio priuatæ Missæ, in qua nec est prædicatio Euangelij, nec distributio Sacramenti, non est organon applicationis, sed tantummodo Euangelij prædicatio, & sacramenti dispensatio, quæ & fide sumenda sunt, ut quod applicatur nobis, uere & utiliter sumatur.

Postremo cum dicitur: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & non recordabor tuorum peccatorum, non significat, quod peccata in nobis per fidem in Christum ita deleantur, ut non amplius sentiamus peccatum. Semper enim remanet in nobis peccatum, nec in totum deletur, donec morte has corporis exuuias deponamus, sed delentur in nobis peccata, Remissione, & imputatione iusticiæ Christi. Vnde & in Michea dicitur: Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra, uidelicet, Remissione peccatorum, & imputatione Iusticiæ Christi. Et tamen hæc peccatorum remissio, per fidem accepta, non est ociosa, sed &si non tollit totum peccatum ex carne, tamen compescit, & mortificat ipsum, ut non dominetur in corpore nostro, sed ut subijciatur spiritui. De qua re uide Paulum, Romanorum sexto, septimo & octauo. Porro autem, quod dicit, Peccatorum tuorum non recordabor, Et apud Hieremiam: Peccati eorum non memorabor amplius, affert nobis ingentem consolationem, ac firmissimam certitudinem salutis nostræ, quod &si gestamus adhuc peccatum in carne, & sentimus intra nōs affectum peccati, & conscientia nostra, quæ est mille testes, accusat nos peccati, & habemus in corde chirographum nostrum, & registrum omnis generis peccati, tamen cum credimus in Christum, & mortificamus spiritu facta carnis, ac non uersamur secundū carnē, Deus cōplectitur nos propter filium suū tanta clementia, ut non uelit amplius peccatorum nostrorū meminisse.

Quis

Quis est, inquit Paulus, qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Agamus igitur pro tanto beneficio summas gratias Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, & oremus, ut spiritu sancto suo conseruet in nobis hoc beneficium suum, & tueatur nos in omnibus aduersis &c.

CAPVT XLIIII.

ET NVNC AVDI IACOB SERVE MEVS, ET ISRAEL QVEM &c.

Constat & hæc concio eodem argumento, quo illæ, quæ proxime præcedunt. Nam cum iuxta uaticinia Prophetarum instaret captiuitas Babylonica, concutiebatur populus Dei maximo metu, ne & Ecclesia Domini interiret, & omnis populus ad Idolatriam Babylonicam deficeret. Quid enim uastata urbe Hierusalem, quæ erat metropolis & sedes ueræ religionis, & dissipato inter Ethnicos populo Israel, qui hactenus nomen Ecclesiæ Dei habuit, aliud futurum uidebatur, quam non solum interitus externæ Iudæorum politiæ, a Deo ipso constitutæ, uerumetiam abolitio ueræ religionis, & extinctio omnis pietatis, ac salutis humanæ? Nõ difficile quidem fuisset perferre, ut domus igni absumerentur, ut multi ciues occiderentur, ut alij in captiuitatẽ abducerentur, ut liberi a complexu parentum diriperentur, ut miserrimæ uirgines & matronæ uictorum captiuæ esse cogerentur, & si talia perferre longe omnium grauissimum est: Sed ut in his malis uera religio concideret, ac populus Dei ad Idolatriam Ethnicorum deficeret, adeoq; perpetua sua salute destitueretur, hoc demum horrendum fuit, uel mente cogitare. Quare suscipit spiritus sanctus pios aduersus tantum offendiculum muniendos, ut cum euenerit uastitas & captiuitas, minus lædere queat. Sicut autem in superioribus concionibus, ita & in hac, duo præcipue tractat. Alterum est, quod consolatur imbecilles & meticulosos, & iubet eos bene confidere, quia hac captiuitatis afflictione Ecclesia Domini magis dilatabitur, q̃; abolebitur. Alterum est, quod opponit suam maiestatem dijs gentium, & docet impietatem Idolatriæ gentium manifestiorem esse, quam quæ pluribus refutari debeat, si modo quispiam adhibeat sanum humanæ rationis iudicium. Tam crassa enim est idolatria, ut uanitas eius, etiam ab ipsa humana ratione deprehendi queat. Quare, qui ea ita offenditur, ut ad eam, a uero Deo Israel deficiat, næ ille, humanum etiam sensum amisisse dicendus est. Audi nunc, inquit, serue

mi Iacob,& electe mi Israel. Scio, quanto tremore, ad mentionem Babylonicæ captiuitatis concutiaris. Sed audi quid concionetur tibi, non homo quispiam uanus,& nugiuendus, sed Dominus ille, qui initio te creauit,& postea mirabiliter;ab utero matris hactenus conseruauit. Potes autem huic tuto credere, propterea quod & possit, quia omnipotens,& uelit, quia clemens, Ecclesiam suam tueri. Quid ergo concionatur? Noli timere, inquit, serue meus Iacob, & Rectissime, quem elegi. Pro, Rectissime, hebræus habet ישרון Iesurun, quod idem est cum uocabulo Israel. Nam Genesis xxxij. imponitur Patriarchæ Iacob, nomen Israel, quod est deductū a uerbo שרה & significat fortem esse aut prævalere, propterea q̄ Iacob prævaluisset angelo luctatori. Ab eodem uerbo deducitur etiam Iesurun, ac significat fortem & prævalidum. Itaq̄ Israel & Iesurun, in significatis conueniunt. Voluit autem spiritus hoc loco nomen mutare, ac pro Israel uti Iesurun, ut auditorem admoneat de nominis Israelis etymologia, et confirmaret ex ea fidem suam. Israel enim idem est, quod prævalens Deo uel angelo Dei. Sed quia prę frequenti usu huius nominis auditor nō obseruat etymologiam eius, ideo pro Israel utitur spiritus nomine Iesurun, ut excitet auditorē ad considerationē deriuationis huius uocabuli Israel,& admoneatur de uictoria, quā Patriarcha Iacob, ex angelo luctatore reportauit. Hæc.n. est sentētia spiritus sancti. Volo te in trepidatione tua cōsolari. Quare uoco te nomine Iesurun, ut si nihil aliud addidero, tñ uel ex hoc cognomine satis consolationū capias. Scis enim, quid actū sit de Patriarcha tuo Iacob, in certamine, q̄d susceperat cum angelo Dei. Hic enim Iacob euasit uictor, & reportauit inde cognomen suum Israel, non sua tantum causa, sed propter uniuersam Ecclesiam Domini, ut quotquot constanti fide retineant promissionē Dei, sicut Iacob fecit, fiant ueri Israeles, hoc est, uictores Dei, nec possint unquam ad internecionem usq̄ opprimi. Hoc igitur nunc tibi cogitandum est, ut etiamsi Deus ipse uideatur Ecclesiam suam uastatione Hierosolymitana,& captiuitate Babylonica, abiecturus & oppressurus, tu tamen conserues promissiones eius,& adhæreas eis firma fide. Sic enim, & tu fies Iesurun, seu Israel, hoc est, uictor Dei. Sed audiamus promissionem, qua filius Dei consolatur Ecclesiam populi sui. Effundam aquas super loca siticulosa,& fluenta super aridam. Quid autem sibi uelit, exponit ipse: Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, hoc est, posteros tuos. Et crescent, sicut herbæ,& sicut salices iuxta riuos aquarum. Alius dicet: Ego sum Domini. Alius uocabit se nomine Iacob. Alius suo chirographo testabitur se Dñi esse, & nomine Israelis cognominabitur. Hæc est magna & insignis promissio

missio de conseruatione & dilatatione Ecclesiæ, nõ inter Iudæos tã tum, uerumetiam inter gentes. Tu metuis nunc, ne captiuitate Babylonica Ecclesia Domini pereat. At noli metuere. Ego em̃ Ecclesiam sic tuebor, ut non modo conseruetur in Babylonico imperio, inter medias gentes, uerumetiam futurum sit, ut ipsæ gentes accedant ad Ecclesiam, et fiant populus Domini. Effundam enim aquas super loca siticulosa, & flumina super aridam. Loca siticulosa & arida sunt Apostoli Domini, & alij discipuli Christi, qui non erãt in hoc mundo diuites & opulenti, sed uidebantur egentissimi, & sitiẽtissimi. Aquæ autem & flumina, ea sunt, de quibus Christus dicit: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Quibus uerbis Christus ad hunc Esaiæ locum respexisse uidetur, præsertim cum Euangelista addat. Hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant, qui crederent in ipsum. Et in Esaia sequitur: Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpẽ tuam. hoc est, super posteros tuos, qui sunt Apostoli & reliqui ex Iudæis, qui Euangelion receperunt. Cum hoc loco cõsentit & Ioel: Effundam, inquiens, de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ &c. Quid autem postea fiet, cꝫ Apostoli & reliqui Iudæi credentes acceperunt spiritum sanctum? Num soli ipsi erunt populus Dei, & fruentur beneficijs filij Dei? Nihil certe minus: Sed germinabunt sicut herbæ, & sicut salices iuxta riuos aquarum. Sic enim dicit Christus ad Apostolos: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, ut abeatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Et iterum: Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samaria cꝫ, denicꝫ usqꝫ ad extrema terræ. Hic est ergo fructus, quem Apostoli & reliqui discipuli accepto in die Pentecostes spiritu sancto, attulerunt, cꝫ collegerint Euangelij prædicatione Ecclesiam non ex Iudæis tãtum, sed etiam ex gentibus, ut irrigatione Euãgelij Ecclesia creuerit sicut herbæ, & sicut salices iuxta fluenta aquarum. Non omnes quidem gẽtes conuersæ sunt ad Christũ, sed ex omnibus gentibus, inter quas prædicatum est Euangelion, excitati sunt nonnulli, qui agnouerũt Christum, qui & uoce & scriptis confessi sunt Christum, & uoluerunt dici & haberi populus Domini, & posteri Iacob. Nam, cum antea nomen Iacob & Israel inuisum fuerit gentibus, effectum est prædicatione Euangelij, ut gentes non modo non abominarentur, sed etiam gloriarentur hoc cognomine, & iactarent se esse ueros Israelitas, & ueros posteros Iacob. In Actis Apostolicis, Cornelius & reliqui Ethnici, cum tam cupide audirent Euangelion Christi, ut statim nondũ baptisati, acciperent spiritum sanctum, & loquerẽtur

uarijs linguis, ac magnificarent Deum, nõne pro his habendi sunt, qui, quod est hoc loco apud Esaiam, dixerũt, Domini ego sum. Et, Volo esse Israelita? Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Basilius, Hieronymus, Augustinus, & alij Ecclesiastici scriptores, qui sunt ex gentibus, nonne, cum publicis scriptis suis confessi sunt Christum, & illustrarũt Prophetica & Apostolica scripta suis cõmentarijs & homilijs, impleuerunt, q̃d hic in Esaia dicitur, & scripserunt chirographo seu manu sua, se agnoscere Dominum Christum, & esse membra Ecclesiæ Domini? Hęc inter gentes futura esse uidet hoc Esaiæ loco spiritus sanctus. Quare cohortatur pusillanimes & terrefactos homines, ut etiamsi immineat captiuitas Babylonica, bene tamen tam de sua salute, si in promissum Christum crediderint, quam de Ecclesiæ salute & conseruatione confidant. Notabis autem hoc loco primum, quod cum dicit gentes uocari nomine Iacob & Israel, significet, eos non proprie ueros esse Israelitas, qui sunt de carnali posteritate Patriarchæ Iacob, sed eos, qui sunt de posteritate eius spirituali, uidelicet, qui credunt in semen Iacobo promissum, hoc est, in Iesum Christum filium Dei. Non omnes, inquit Paulus, qui sunt ex Israel, sunt Israel, neque quia sunt semen Abrahæ, statim omnes filij, sed per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis recensentur in semen. Hoc, cum propter multas alias, tum propter hanc etiam causam obseruandum est, ut cum multi in summa Ecclesiæ dignitate collocati, gloriantur se esse ordinarios successores Apostolorum, & ueterum Episcoporum, ideoq; decretis eorum, tanquam Apostolicis obediendum esse, sciamus uanissimam esse gloriationem eorum, si non habeant nec sectentur doctrinam Apostolorum, & piorum Episcoporum. Successio enim Apostolica non pendet ex titulis & locis, & dignitatibus, sed ex Apostolorum doctrina, quæ sola facit uere legitimam successionem. Nam si aliud docueris aut institueris, quam doctrina Apostolica probat, audiendus non es, etiamsi te angelum de cœlo iactaueris. Deinde, cum ait: Inter Gentes dicturum alium, alium scripturum manu sua, Ego sum Domini &c. haud obscure significat, non omnes gentes, sed tantum aliquot ex omnibus gentibus uere conuertendos ad Christum. Hoc idcirco obseruandum proponitur, ut non offendamur, cum multi in aduersis deserunt doctrinam Euangelij, & reuertuntur ad impietatẽ Papisticam. Sunt enim, quibus magno est offendiculo, quod quæ regna, quos principatus, & quas ciuitates putabamus Euangelion Christi uere amplecti, eos uideamus leui afflictione tentatos, piam doctrinam abijcere, & ueterem impietatem instaurare. Hi fortasis existimant tota regna, & totas urbes esse Ecclesiam

se Ecclesiam Christi. At hoc loco, non dicitur totas gentes, sed tantum aliquot ex genibus Christum agnituros. Regna enim huius mundi non sunt Ecclesia, nec ciuitates sunt Ecclesia, nec magistratus, nec uulgus sunt Ecclesia: sed, ubi prędicatur Euangelion Christi syncere, ibi ex regnis, ex ciuitatibus, ex magistratu & uulgo colligitur Ecclesia, quæ certe minor & abiectior hominum pars esse solet. Multi, inquit Christus, uocati, PAVCI uero electi. Et, Angusta porta, & arcta uia est, quæ ducit ad uitã, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Et Paulus: Nõ est omnium, inquit, fides &c. Et alias ex Esaia. Si fuerit numerus filiorum Israel tanq̃ arena maris, reliquiæ saluæ fient. Quare non offendamur defectione multitudinis ab Euangelio, sed potius sentiamus, multitudinem profitentem nomine tm̃ piam doctrinã, aduersis probari, ut electi manifesti fiant.

HÆC DICIT DOMINVS REX ISRAEL ET REDEMPTOR EIVS DñS EXERCITVVM, EGO PRIMVS ET EGO NOVISS. &c.

Altera pars huius cõcionis, in qua parte munit populum suum aduersus offendiculum Idolatriæ Babylonicæ & omnium aliarum gentium. Cum autem Deus supra in quatuor præcedentibus capitibus asseruerit maiestatem & diuinitatem suam aduersus deos gentium, argumentis ductis ab omnipotentia et omniscientia, a miraculis & uaticinijs, repetit nunc in hac concione eadẽ pene argumenta, non ut auditorẽ superuacanea uerborum repetitione obtundat, sed ut necessaria rerum expositione imbecillẽ in fide confirmet, ac in uero pietatis officio retineat. Animus. n. fœlici Idolatriæ successu offensus, indiget copioso uerbo, ut quasi manibus sustẽtetur, & in recte uiæ ꝓgressione cõseruetur. Continetur aũt in hac cõcione, tam insignis, tam illustris ὑποτύπωσις architectatiõis Idolorꝝ, ut stultitia & insania Idolatrarꝝ iucundissime, & apertissime deridenda & exibilanda propinentur. Quare conferamus nos ad huius cõcionis lectionem, quoties species idolatriæ, quam etiamnum adhuc impij exercent, nobis imponere conatur. EGO primus, inquit, & nouissimus, & præter me nullus est Deus. Hæc sententia etiam supra posita est, & late patet. Primum em̃ significat uerum Dñm Deum nostrum, nec principium nec finem habere, hoc est, æternum esse. Dij autem gentium, ac idola eorum, nõ sunt æterna, sed ab hominibus conficta. Deinde significat Deum omnia in omnibus, tam prima q̃ nouissima efficere. Ex ipso, inquit Paulus, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Dij aũt gentium & idola eorꝝ, nihil rerum nec primũ, nec ultimum possunt efficere: sunt enim imagines immobiles, stupidæ, mutæ, surdę, & omni sensu ac ratione carentes. Postremo significat Deum cognoscere & priora & posteriora, tam prȩterita q̃ futu

ra, quæ & per Patriarchas & Prophetas suos reuelauit. Dñs gentiũ aũt, et idola eorũ, nec præterita nec futura cognoscũt. Quis ergo similis (inquit uerus Deus) mei? Vocet & adnũciet (hoc est) Si quis deorũ gentilium existimauerit se mei similẽ, agedum, uocet, clara uoce dicat, & cõmemoret ac ordine exponat nobis, qd actũ sit ab initio mũdi, ab eo tẽpore, q̃ creauit hoĩem & populũ huius seculi habitatorẽ. Deinde, exponat & narret nobis non tm̃ præterita, sed etiã imminẽtia & futura, sicut ego per Prophetas meos tã præterita, q̃ futura exposui. Sed quid frustra hęc ab istis dñs exigo, cũ nihil minus facere queant? Quare nolite eos timere, nolite adiactantiã numinis eorũ ita expauescere, ut a me ad eorũ cultum deficiatis. Iam. n. inde ab initio (cuius rei uos ipsi testes mei estis) patefeci & prædixi uobis, q̃ præter me non sit alius Deus, nec alius rerũ creator & gubernator. Hęc est doctrina de Deo, quam Deus ipse ab exordio mundi reuelauit Patriarchis, & cõfirmauit magnis miraculis. A Patriarchis autem propagata est ad posteros, donec Moses mandauit eam literis. Et hæc non sunt incerta, aut dubia, sed habent testimonium ab uniuersa posteritate Abrahæ, quã Deus idcirco in populum suum elegit, ut esset certa gens, in quâ conseruaretur Patriarcharũ doctrina, & promissiones de Christo, ac Prophetica scripta, usq̃ ad aduentũ Christi, quemadmodum supra exposuimus. Sicut autem uniuersa gens Israelitarũ testificantur de uero Deo, ita ecõtra Ethnici ipsi necesse habent, si modo recta ratione rem considerauerint, testificari de religione sua, q̃ sit uanissima, q̃ plastæ seu formatores sculptilium sint homines caduci, & mortales, & sculptilia seu simulacra eorum nihil plane prosint, quia hæc simulacra nec uidẽt quicq̃, nec intelligunt. Quid ergo aliud reliquum est, q̃ ut tam formatores simulacrorum, cq̃ ipsa simulacra pudefiant? Nam, ut rem probe expendere possis, quæso te, ut iterum tecum cogites, qui tamen & quales sint isti qui formant deos, & fingunt simulacra eorum. Nimirum artifices sunt, non ex deorum, sed hominum genere, ex quo sumũt etiam sibi socios, & administros, qui iuuent ipsos architectari deum. Sed agite, dilectissimi, subiiciamus ὑποτύπωσιν huius opificij. Conuocentur ad architectandum opus suum magister, & administri eius, & spectemus, quanto studio conueniant, ac simul stent, ut absoluant opus suum. Et postq̃ absoluerint, uideamus, quam religiose trepident ad architectatum simulacrum, & quam reuerenter colant illud. Sic enim reipsa uidebimus omnes eos palam insanire ac pudefieri.

Nam ad fabricandum Deum, seu simulacrum Dei, primum omnium necessaria est opera fabri ferrarij, qui ad incidẽda ligna faciat securim, uel ad affigendum simulacrum faciat laminam ferream, id quod

quod fit, si imponat ferrum in ardentes prunas, & formet postea candens ferrum malleis, ut fiat securis uel lamina. Neque est, quod paruum laborem in hoc opere insumat, sed necesse habet ad hoc perficiendum conferre omnes brachiorum suorum uires. Et tantus est labor, ut ex eo fiat famelicus & siticulosus. Quod si nõ comederit & biberit, necesse habet uiribus deficere, & præ lassitudine concidere.

Deinde necessaria est opera statuarij, qui architecturus deum, ante omnia describit magnitudinem eius, & adumbrat, seu delineat illum creta, & definit flexuris, ac format eum circino, ut fiat tanquam species uiri, & imago hominis, quæ collocetur in templo. Porro, lignum, ex quo formatur simulacrum necesse habet e syluis conuehi. Abit enim artifex, uel alius quispiam confidenter in syluam, ad arbores, quæ non de cœlo demissæ sunt, sed quæ in terra plantatæ, & imbribus rigatæ, & incidit cedros ac ilices & quercus.

Hæc ligna, postquam conuecta sunt domum, uarijs usibus deputantur. Alia enim ponuntur in caminum, ut accensa calefaciant adstantes. Alia succenduntur, ut coquant cibum. Ex alijs autem faciunt Deum, quem adorent, & sculptile, coram quo procumbant. Itaq; diuidunt ligna e syluis domum conuecta in tres partes. Vna parte utuntur, ad calefaciendum se, quo sic delectantur, ut etiam exclament, heus tu, inquiunt, egregie calefio, & plurimum delector hoc igni. Altera parte utuntur ad coquendum cibum, & assandam assaturam, qua uescentes fiant saturi. Tertia parte utuntur ad faciendum simulacrum, coram quo procumbant, quod adorent, & ante quod effundant preces suas, ac dicant, Libera me, quia deus meus es tu. An non hæc est extrema dementia? Cæci illi homines, nihil nec sentiunt, nec intelligunt. Habent uelamen super oculos suos, ut non uideant, nec corde intelligant. Et cum careant sensu & intellectu, nullus est, qui redeat in mentem suam, & expendat secum, quod unam quidem partem lignorum accenderit ad calefaciendum, alteram ad coquendos cibos, quos comederit, ex tertia autem fecerit sibi Idolum, & ante hunc ligneum truncum procumbat. Hic truncus, & si ad nihil aliud utilis est, quam ut pascat cinerem, ut succendatur, & in cinerem resoluatur, tamen ita seducit cor impij, ut inclinet se, & genua sua ante illum, tanquam Deum suum, flectat. Et quanquam non queat uitam eius seruare, aut e periculis liberare, tamen ita fascinatus est, ut nec cogitet, nec fateatur, se decipi, & sectari uanum mendacium. Habes ὑποτύπωσιν architectationis Idolorum, quam imitati sunt Baruch capite sexto, & liber Sapientiæ capite decimotertio. Dicet autem Ethnicus quis-

piam, se falso accusari, quod sentiat ligneam statuam esse Deum, & adoret eam pro Deo. Etsi enim fortasse in uulgo nonnulli rudes & imperiti habent & adorant statuas pro dijs suis, tamen sapientes longe aliter sentiunt, quippe qui doceant statuam aut tantum esse simulacrum Dei, non Deum ipsum, aut organon, quo Deus suam singularem uirtutem declaret, & coram quo cultus Deo singulariter placeat. Fuerunt & multi inter Ethnicos, qui senserunt unum summum esse Deum, quem omnes homines colant, sed alijs atque alijs ritibus: Et Iudæis quidem sua esse sacra, Ethnicis sua, Christianis quoque sua, sed his omnibus unum & uerum Deum coli. Vnde & Maximinus Imperator in decreto suo concedit, ut quo quisque uelit ritu, Deum colat. Sunt alij qui suscipiunt in manus ἀναρμίας Idolorum, & partiuntur ea in suas partes, ac ex partibus conantur probare nihil esse impietatis in simulacro. Nam simulacrum constat ex ligno, aut auro, ex artificio sculptoris, ex industria pictoris, ex coloribus, & ex imagine hominis, aut alterius rei. Quid autem ex his rebus malum est? An non lignum est bona Dei creatura? Nonne artificium sculpendi & pingendi est donum Dei? Est & color Dei creatura bona. Nec hominis imago res est impia. Quid ergo? Dicemus ne impium esse, his bonis creaturis Deum creatorem colere, præsertim cum Deus omnia in laudem nominis sui creauerit? Hæc & id genus alia industrius quispiam Ethnicus obijcere posset concioni Esaiæ. Vsitatum enim est, quod ingeniosi homines pingant impietatem uerborum coloribus, & obtrudant eam hominibus pro uera pietate. Spiritus sanctus autem non agnoscit ea, quæ homines ad tegendam aut excusandam suam impietatem excogitant & prætexunt, Sed uidet, ut est oculatissimus, ea quæ latent in recessibus animorum, & iudicat secundum ea, quæ sunt in latebris cordis. In Deuteronomio benedicit sibi impius in corde suo, & ait: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Quis autem tam impudens esset, qui palam diceret suas uias esse prauas, & se in hac prauitate perseueraturum? In Psalmo dicit insipiens in corde suo, Non est DEVS. Quis autem uideri uult se hoc sentire? Ne Epicurus quidem dicere uoluit, Non est Deus. In Esaia alias, dicunt Impij. Posuimus mendacium, spem nostram. At quis unquam potuit ab impijs, adhuc fœlicibus, extorquere, ut faterentur spem suam esse mendacium? Sic & hoc loco, Idolatra dicit ad simulacrum, Libera me, quia Deus meus es tu. At Idolatræ nihil minus uideri uolunt, quam quod colant truncum ligneum pro uero DEO. Quare Spiritus sanctus recitat ea impiorum dicta, non quæ externis uerbis loquuntur,

Eusebius in Ecclesiast. histor. lib. 9. cap. 9

tur, ſed quæ uidet in receſsibus cordium eorum latere. Certiſsimum autem eſt, quod Idolatra, & ſi uociferatur ſe adoratione ſua coram ſimulacro, non colere lignum, ſed uerum DEVM in cœlo, tamen in receſſu cordis ſui dicit ad lignum, Tu es Deus meus. Quod dictum, ipſe quidem non audit, nec cogitare uidetur, res autem ipſa docet, quod hæc ſit prorſus animi ſui ſententia. In Exodo enim dicitur: Non habebis alienos deos coram me. Hoc ſcriptura tam Prophetica quam Apoſtolica ſic interpretatur, quod uerus DEVS non debeat, nec poſsit, nec uelit coli, niſi per fidem in IESVM CHRISTVM filium eius. Deus enim Pater, tranſtulit in hunc ſolum, de ipſo ab æterno genitum hanc maieſtatem, quod propter ipſum uelit propicius eſſe humano generi, & credentibus in ipſum remittere peccata, reputare iuſtos, adoptare in filios & hæredes cœleſtium bonorum. Quiſquis ergo non tribuit hanc maieſtatem filio Dei, nec quærit in eo fide ſua remiſsionem peccatorum, iuſticiam, & hæreditatem cœleſtem, ſed quærit ea uel in cultu ſimulacri ſui, uel in ſacrificio ſuo, uel in meritis aliorum ſuorum operum, is habet alienos deos coram uero DEO, & deſignat coram Deo Idolatrian, dicens in corde ad Idolum, aut opus ſuum, Tu es deus meus. De Chriſto enim dicitur apud Moſen: ILLVM AVDIES. Et in Eſaia, Dedi te in lucem Gentium, ut ſis SALVS MEA uſque ad extremum terræ. Et apud Matthæum. Nemo nouit Patrem niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et in Ioanne. Deum nemo uidit unquam. Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe expoſuit. Ac rurſus. Ego ſum uia ueritas & uita. Nemo uenit ad Patrem, niſi per me. Et in Actis Apoſtolicis: Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hæc & alia his ſimilia dicta docent, quod Deus non poſsit, nec uelit aut cognoſci aut coli, niſi per fidem in Chriſtum filium ſuum, & quod filius ſit hac diuina maieſtate præditus, ut quiſquis deſiderat remiſsionem peccatorum, iuſticiam, & fœlicitatem æternam, conſequatur ea in hoc ſolo, per fidem in ipſum. Interpretantur ergo primum præceptum decalogi, Non habebis alienos deos coram me, & docent, quod quiſquis quærit, præter Chriſtum per fidem, aliã rẽ, cuius cultu ſeu merito mitiget iram Dei & cõſequatur remiſsionem peccatorũ, & uitam æternã, dicat ad eã, Libera me, Tu es deus meus, & cõmittat idolatriã. Dubium aũt non eſt, quin gẽtes coluerint ſimulacra, ut hoc cultu reddãt ſibi Deũ propiciũ, & mereantur ab eo bñficia, quę petunt, accipere. Quare, ſiue adorauerint ſimulacra ipſa, ut ueros deos, ſiue ſenſerint ſimulacra eſſe tm̃ effigiẽ, autſignũ admonitoriũ Dei in cœlo habitãtis, nõ poſſunt effugere, quin

cum merito cultus sui sperauerint a Deo salutem, iudicentur coram Deo impij Idolatræ, & ligni ac lapidis cultores. Nam quod alij partiuntur, quasi ἀιαθμίαν, simulacra in suas partes, & conantur ex bonis partibus probare bonitatem totius compositi, non inepte quidem illi, si de simulacro per se sermo fuerit. Nunc autem nobis sermo est, de simulacro in Deum, aut cultum Dei instituto. Tale enim simulacrum est impium, non quod lignum uel aurum, ex quo est confectum, sit mala Dei creatura, aut quod ars sculpendi & pingendi non sit donum Dei, sed quod homines his bonis Dei creaturis impie abutantur. Instituunt enim hunc truncum, aut massam auri sic formatam, in cultum Dei, & aut adorant hæc pro Deo, aut colunt ea, ad mitigandam iram Dei, & ad consequenda beneficia eius. Hæc est opinio impia & blasphema aduersus Deum. Quare etiam simulacrum sit impium, & abominandum. Sed ab Idolis & simulacris gentium transeamus nunc ad Idola aliorum hominum. Et ecce Missa Papistica est Idolum, & cultores huius Missæ sunt Idolatræ. Quid ita? An non omnia, ex quibus hæc Missa composita est, sunt pia & sancta? Age igitur partiamur eam sua ἀιατομίαν, & perspicuum erit, non esse tantam abominationem, quantam uos recens exorti concionatores prædicatis. Præcipuum in hac Missa est, Recitatio uerborum cœnæ Dominicæ, & consecratio, ut putant, & loquuntur, panis ac uini, in corpus & sanguinem Christi. Quid hoc mali est? an non hæc uerba sumpta sunt ex Euangelistis, & sunt ea quæ Christus ipse in cœna sua dixit? Deinde hanc recitationem alia præcedunt, alia sequuntur. Quæ præcedunt ab initio, sunt, Introitus, κύριε ἐλέησον, precationes. Recitatio Epistolæ, Graduale, Recitatio Euangelij, Symbolum Apostolicum, Offertorium, & pars quædam Canonis, in qua fiunt preces pro magistratu: fit & memoria Sanctorum, & aliorum in Christo quiescentium. Num hæc sunt impia? Alia enim sumpta sunt ex sacra Scriptura, alia ab exemplis piorum Patrum. Condono enim nunc tibi, (inquis) ut abijcias inuocationem mortuorum, & merita Sanctorum. Certe alia non potes impia iudicare. Quæ autem sequuntur recitationem uerborum cœnæ Dominicæ, sunt precationes piæ, ac præsertim Oratio Dominica, quam profecto non damnabis. His accedit suus uestitus & ornatus, qui etsi non est necessarius, tamen non est inhonestum, ut singularia sacra habeant etiam sua singularia uestimenta. Habes partes Missæ. Ecquid in his reprehendere potes? Vt respondeam, Negare non possum, quin quæ recitasti in Missa, per se non sint impia: Sed omisisti, quod summum rei caput est, & quod reliqua omnia abominabilia coram Deo reddit. Primum enim sumis quidem ex Euangelistis

listis & Apostolo Paulo uerba cœnæ Dominicæ, ac panem & uinum, non autem conficis aut celebras in Missa tua cœnam Dominicam, sed peragis longe aliud opus, quam Christus instituit. Nõ enim recitas hæc uerba, ut iuxta institutionem Christi adnuncietur mors Domini, quia mandatur tibi a tuis Pontificibus, ut ea secreto tecum commemores. Nec recitas, ut fiat cœna, quæ alijs sumenda distribuatur, sicut Christus iussit, quia tu solus, quicquid id est cibi & potus sumis: sed recitas, ut offeras ibi Deo Patri corpus & sanguinem filij eius, pro peccatis uiuorum & mortuorum. Hæc est opinio impijssima. Christus enim nõ instituit cœnam suam, ut in ea fiat oblatio seu sacrificium corporis & sanguinis sui, p peccatis hominum. Nam hæc oblatio facta est semel in cruce, sed instituit, ut in ea fiat huius unius oblationis ac sacrificij publica commemoratio, quo sumentes eam, confirment fidem suam, quod in solo Christo & sanguine eius habeant remissionem peccatorum & æternam uitam. Tanta autem est contagio impiæ opinionis, ut non solum deprauet res per se indifferentes, uerumetiam inficiat res optimas, & reddat eas abominandas. Quare, cum cœna Dominica a sacrificulis Missarijs ita deprauetur, ut plane impium opus fiat, nihil aliud reliquum est, quam ut hac impietate omnia alia, etiam per se alioqui bona, fiant in Missa, coram Deo abominanda. Ac profecto, quod Esaias de architectatione Idoli Gentium dixit, uidelicet, alium artificem conferre ad architectandum Idolum aliam operam, & hunc quidem fabricare securim, aut laminam ferream, illum autem eligere arborem & conuehere domum, hunc uero exculpere formam, istum autem picturis ornare, donec conficiatur & instituatur idolum: idem plane in architectatione Missæ factum est. Non enim unus quispiam huius Missæ artifex est, sed alius contulit ad eam Introitum, alius ex Græca Liturgia, κύριε ἐλέησον, alius e sacra scriptura pericopas Epistolarum & Euangeliorum, alius e Niceno Cõcilio Symbolum, alius aliud quippiam. Ac ne Canon quidem, quem ita uocant, unum habet artificem, sed multi suas contulerunt operas, donec hoc idolum adornatum & institutum est, ut fiat sacrum, quo expientur peccata tam uiuorum, quam mortuorum. Et quemadmodum Ethnici procumbentes ante suum idolum, & si non uolunt uideri, se ad lignum dicere: Tu es Deus meus, libera me, tamen quia hoc cultu sentiunt se placare Deum, & mereri beneficia eius, uere dicuntur lignum adorare, & pro Deo colere: ita cultores Missæ Papisticæ, prostrati coram Missæ peractione, non uolunt uideri, se ad Missæ opus dicere: Libera me, quia Deus meus es tu. Sed quia pollicentur sibi merito huius operis gratiam Dei, liberationem a malis, remissionẽ peccatorum suo-

rum, & alia beneficia Dei, idcirco uere dicuntur Missam adorare, & opus Missæ pro Deo seruatore suo uenerari. Quod igitur ad impietatis opinionem attinet, cultores Missæ Papisticæ nihil plane differunt ab Ethnicis suorum Idolorum cultoribus. Deinde, & si nō nulli his temporibus sunt, qui patiuntur, ut e Missa eximatur hæc impia opinio, q̄ sit sacrificium expiatorium pro peccatis uiuorum & mortuorum, tamen contendunt, q̄ in Missa, non sit tantum memoria unius oblationis, quam Christus pro peccatis semel in cruce absoluit, sed etiam sit ipsa corporis & sanguinis Christi oblatio, nō quidem ad expiāda peccata, sed ad agendas Deo gratias, pro peccatorū expiatione semel in cruce peracta. Ideoq̄ cēsent priuatas Missas retinendas esse, ut hac oblatione semper Deo gratiæ pro tanto beneficio agantur. Hi uidentur quidem tolerabilius, q̄ isti priores sentire, nō effugiunt autem uanitatem. Siue enim Missam censeas esse oblationem pro peccatis, siue oblationem pro gratiarum actione, peruertis institutionem Christi. Christus enim nō instituit cœnam suam, ut in ea corpus & sanguis ipsius, quoquomodo fiat, offeratur, sed ut mors eius commemoretur, & ad confirmandam fidem pijs sumenda dispensetur. Sunt quidem Deo semper non pro hoc tantum, sed etiam pro omnibus beneficijs gratię agendæ. Christus aūt non instituit suam cœnā, ut esset oblatio corporis & sanguinis sui, ad gratiarum actionem. Cum igitur in priuata Missa nō fiat publica cōmemoratio mortis Christi, nec fiat dispēsatio cœnę Dñicę, perspicuum est, quod sit cultus, non a Christo institutus, sed ab hominibus excogitatus, ideoq̄ in eorum sacrorū ordinem reijciēdus, de quibus Christus ipse ait: Frustra colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum. Et Paulus: Quidquid nō est ex fide, peccatum est. Hactenus de Idolo Missæ. Aliud Idolum est Monachismus. Ἀναγμία autem monachismi hæc est, Paupertas, castitas, obedientia, Certę preces, certa ieiunia, χαμεύνια, ἀγρυπνία, flagellationes, certus uestitus, certi cibi, & multa alia. Quid in his impietatis dices? præsertim cum Paulus ait: Omnia, quæcunq̄ feceritis, in gloriam Dei facite. Monachi autem profitentur se omnia hæc non in dæmonum, sed in Dei gloriam facere. At enim aliud est, gloriam De humano arbitrio fingere, aliud gloriam Dei uere, & ex sententia spiritus sancti quærere. Nam id demum opus uere ad gloriam Dei cedit, quod ex uerbo Domini & fide faciendum suscipitur, etiamsi nō habeat coram hominibus ullam diuinæ gloriæ speciem. Quod uero suscipitur sine uerbo Domini, & contra fidem, hoc non illustrat sed obscurat gloriam Dei, etiamsi uideatur hominibus sacrum Dei excellentissimum: nisi forte gloria Dei fuit, quod Saul contra uerbum Domini pepercit armentis Amalecitarum, & obtulit

tulit ea Domino, & quod impij trucidauerint ad præstandum obsequiũ Deo, Apostolos, sicut Christus testatur: Veniet, inquiens, tempus, ut quisquis occiderit uos, existimabit se cultũ Dei facere, cum tamen hoc fuerit impia crudelitas, illud autem a Samuele dicatur inobedientia & peccatum magiæ. Obscurum autem non est, cp Monachi suscipiant professionem monastici ordinis, quasi nouum baptismum, & ut meritis horum operum, nõ sibi tantum, sed etiam alijs, qui communionem fraternitatis ipsorum mercantur, conciliet Deum, & consequantur cœlestia Dei beneficia. Fingamus nunc alias impietates, absurditates, et ineptias ab operibus monasticis lõge abesse, tamen hæc una impia opinio, qua maiestas soli Christo filio Dei debita, transfertur in merita monasticæ iusticiæ, contagione sua inficit omnia illa opera, & reddit ea coram Deo abominanda, etiamsi alioqui per se sint aut pia, aut ἀδιάφορα. Quod igitur Ethnicus ad suum ligneum uel aureum idolum dicit: Libera me, quia Deus meus es tu, hoc idem dicit Monachus ad suum monasticum idolum, ut in optima sua religione sit coram Deo abominabilis idolatra. In catalogum idolorum pertinent etiam statuæ sanctorum, quæ in Christianorum templis prostare solent. Etsi enim potest aliquis tolerabilis harum statuarum & imaginum usus esse, uidelicet si tantum pro monumentis rerum gestarum habeantur, tamen cum instituũtur ad singularem cultum Dei, & adorantur, & habentur eo loco, quod preces apud eas effusæ sint Deo acceptiores, quam domesticæ, & quod Deus propter hunc cultum singularia beneficia cultoribus exhibeat, uere fiunt detestanda idola, idcp eo magis, quo manifestior est impia quorundam scholasticorum theologorum de imaginibus doctrina, uidelicet, quod imagines rerum eadem adoratione adorandæ sint, qua res ipsæ, ut si res colitur adoratione latriæ, imago etiam latria colenda est: si autem res colitur adoratione duliæ aut hyperduliæ, imago quocp dulia aut hyperdulia adoranda est. Itaque hæc doctrina exigit, ut sicut Christum ipsum adoras adoratione uero Deo debita, ita etiam debeas lignum aut lapidem ad imaginem eius exculptum adorare, qua impietate, quid potest in Christianorum schola dici horribilius? Sed ualeant abominanda ista idola, Nos reuertemur ad Esaiam nostrum.

Occam in Sententijs.

MEMENTO HORVM IACOB ET ISRAEL, QVONIAM SERVVS MEVS ES TV &c.

Descriptioni architectationis idolorum, subijcit cohortationem Israelis, ut stulticiam & insaniam Idolatrarum diligenter sibi ob oculos ponant, & caueant sibi ab ea, ac maneant in uero cultu filij Dei, quo solo consequuntur coram Deo deletionem pctõrum, hoc

est, omnia genera cœlestium beneficiorum. Memento horum (inquit filius Dei) Iacob & Israel. Diligenter considera originem deorum Ethnicorꝝ & architectationem Idolorum, ut his refutatis uerā de me, de maiestate mea, de regno meo, de beneficijs meis doctrinā conserues. Quod officium mihi maxime omnium debes. Meus enī seruus es, quem in hunc usum formaui & selegi, ut mei nunq̄ obliuiscereris, hoc est, non tm̄, ut cœlestibus meis beneficijs priuatim fruereris, sed etiam, ut esses publicus custos promissionum, quę de me ad Patriarchas dictæ sunt, & propagares ueram de uero Deo & fide in ipsum doctrinam ad posteros, ac tam sacris ritibus, quam honesta uitæ disciplina meum nomē ubiq̄ prædicares & celebrares. Hic fuit obseruabilis usus Israeliticæ gentis. Filius enim Dei, cuius gubernationi hic populus traditus fuit, liberauit eos ex Ægypto, & dedit eis terram Canaan possidendam, non ad hunc usum, ut in delicijs fruerētur urbibus, agris & uineis gentium Cananæarum, Sed primum, ut essent conseruatores promissionum, quæ ad Patriarchas de filio Dei, & de uera liberatione per eum absoluenda dictę sunt. Deinde, ut esset certa ac definita gens & familia, e qua filius Dei nasceretur, & hominem assumeret. Postremo, ut fide, & confessione, ac prædicatione fidei de uero Deo & filio eius Domino nostro Iesu Christo, tam ipsi consequerentur salutem, quam nomen Domini inter alias gentes uulgarēt, quo & hæ fierent summę salutis participes. Sic & Ecclesia gentiū ad hunc usum diuinitus electa est, ut cum propter ipsam, promissiones de Christo, ab Israelitis conseruatæ sunt, cōseruet & ipsa has promissiones iam in Christo impletas, & propaget eas ad finitimos & posteros. Conseruantur aūt & propagantur hę promissiones, nō celebrationibus, ut uocāt, priuatarum Missarum, non collegijs ignauorum sacrificulorum, & Monachorum, sed pijs scholis, in quibus sacra scriptura syncere explicatur, & pia prędicatione Euangelij Christi, ac uero usu sacramētorum, & quod ex his necessario sequi debet, honestate uitæ, ne & nos priuatim contra conscientiam peccemus, & abijciamur, & publice nomen Dei, propter nostram turpitudinem, probro exponamus. Quare oremus Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut spiritu sancto suo inflammet corda nostra, quo id, quod debemus officium, fideliter faciamus.

Sed quod est beneficium illud, quod nulli dij gentium, nulla idola, nulla humanæ iusticiæ merita possunt præstare, & propter quod nomen filij Dei nunquam obliuioni tradendum, sed semper priuatim et publice celebrandū est? Sequitur: Deleui ut nubem, iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Cōuerte ad me, quoniam redemi te. Hoc est beneficium illud, quod solus filius Dei cultoribus

toribus suis præstare potest, & præstat quoq;. Redemi, inquit, te. Etsi quondam redemi te ex Ægypto, tamen hęc redemptio non fuit ad ueram salutem sufficiens. Nunc autem uere te redimo. A quibus? Ab iniquitatibus & peccatis tuis. Sicut enim uentus serenator sic dispellere solet nubes, ut ne uestigium quidem earum in aere uideatur: ita & ego deleo tuas iniquitates, ut coram iudicio Dei prorsus euanescant. Et quemadmodum Sol exoriens crassas nebulas sic deprimit & absorbet, ut ne guttula quidem, aut ἀτμὸς reliquus maneat: ita & ego peccata tua sic extinguo, ut ne scintillã quidem reliquam uideas. Conuerte igitur ad me, non ad Idola, ut tanto meo beneficio fruaris. Hoc autem intelligendum est, sicut supra ostendimus, non quod caro nostra, per spiritum sanctum in hoc mundo ita expurgetur, ut non maneant reliquiæ peccati, sed q; peccatum in carne, etiamsi adsit, non tamen imputetur, sed condonetur clementer propter filium Dei. Nos enim, inquit Paulus, spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus (hoc est) In hac carne etiamsi prædi ti sumus spiritu sancto, tamen nondum habemus perfectam iusticiam in carne, sed expectamus eam in futuro seculo, in nobis re ipsa perficiendam. Nunc autem habemus eam tantum spe, per fidem, ac interea spiritus sanctus compescit peccatum, ne regnet in mortali nostro corpore, donec perfecta iusticia post mortem induamur. Itaq;, si respiciamus carnem nostram, adhuc sumus peccatores, & confitendum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et orandum est: Dñe, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Si aũt respiciamus remissionem peccatorum, et imputationem iusticiæ Christi, quam in fide habemus, tunc sumus coram Deo ita sancti, ut nulla macula in nobis hęrere dicatur, & uere deleta sunt peccata, sicut nubes a uentis dispellitur, quia Christus, quem possidemus per fidem, & cuius iusticia nobis credentibus imputatur, totus sanctus est, nec est in ipso ulla macula peccati. Admiraberis autem fortasis, quid illud sit, quod cum filius Dei recipit se propositurum summum beneficium, propter quod nunq; sit obliuioni tradendus, & quod nulli dij gentium, nulla idola conferre possunt, producat in medium Remissionem seu deletionem peccatorum. Num hoc est beneficium longe omnium maximum? Certe, si rem probe expendas, non potes nec maius nec excellentius beneficium cogitare. Initio enim, homo conditus est uere iustus, immortalis, fœlix, & beatus. Per peccatũ autẽ factum est, ut priuaretur spiritu sancto, quo ornatus erat, & fieret iniustus, mortalis, perpetuo infœlix, & damnatus. Stipendiũ enim peccati, inquit Paulus, mors est. Nomine aũt mortis intelligẽdæ sunt omnes ærumnæ

& calamitates,tam corporales q̃ ſpirituales,tam externæ, q̃ æternæ. Cum igitur peccatũ,autor ſit tanti mali,facile iudicari poteſt, q̃ remiſſo & deleto peccato,deleantur etiam & tollantur omnes calamitates,quæ erant peccati ſtipendia. Itaq̃ perſpicuum eſt, q̃ ubi eſt remiſsio peccati,ibi nõ poſsit obeſſe nec morbus,nec paupertas, nec exiliũ,nec carcer,nec mors,nec infernus,quia peccatum, per quod ſolum hæc ſunt pernicioſa,ablatum & deletum eſt. Vbi aũt peccati remiſsio non eſt,ibi nihil prodeſt aut iuuat, nec liberatio ex Ægypto,nec fœlicitas in terra Canaã,nec reditus e Babylone,nec corporis ſanitas,nec uitæ diuturnitas,nec diuitiæ, nec imperiũ,quia peccatum,quo ſolo coniũcitur homo tam in corporales q̃ in æternas calamitates,reliquum adhuc eſt in homine, & tradit eum uel tandem extremæ internecioni,etiamſi magnam fœlicitatem,ad tempus habere uideatur. Quare deletio ſeu Remiſsio peccatorum,eſt beneficium longe omnium maximũ. Huc accedit, q̃ qui accipit remiſsionem peccatorum,per fidem, propter filium Dei,is non ſolum donatur ſpiritu ſancto,qui expurget & mortificet reliquias carnis,uerũ etiam reputatur coram Deo iuſtus,& adoptatur in filium ac hæredem Dei,& ſeruatur in morte,ut fruatur æterna beatitudine. Qui uero propter impietatem ſuam non habet remiſsionẽ peccati, is manet mancipium Satanæ,& eſt hæres æterni illius ignis,qui præparatus eſt Satanæ & omnibus angelis eius,Non poteſt igitur homini uel maius uel utilius beneficium contingere,q̃ quod accipiat per filium Dei remiſsionem peccatorum ſuorum.

LAVDATE COELI, QVONIAM MISERICORDIAM FECIT DOMINVS &c.

Poſtq̃ Eſaias audiuit concionem Filij Dei, de deletione peccati, maximo uidelicet beneficio, ſpũ ſancto ita impletur & exhilaratur, ut teneri non poſsit,quin non ſolum ipſe ſumma lætitia geſtiat,uerumetiam excitet ad lętitiam & gaudium,cœlũ,terram,ualles,montes,ſyluas & arbores. Nam quemadmodum Abraã ſummo gaudio geſtijt,ut uideret diem Chriſti,uidit & gauiſus eſt: ita & Eſaias, cũ hoc loco uideat in ſpiritu diem Chriſti, tanta lætitia perfunditur, ut etiam alias creaturas ad lętitiã cohortetur. Exultate,inquit,cœli, hoc eſt, omnes cœleſtes creaturæ. Iubilate inferiora terræ,hoc eſt, qui habitant in planicie aut in uallibus terræ. Plaudite lætitia montes, hoc eſt, habitantes in montanis. Plaudite ſyluæ & omnes arbores eiush oc eſt,omnes ſylueſtrium locorum incolæ. Sed quam obrem ſic exultandum & lætandum eſt? Num quia Dominus liberaturus nos eſt ex tyrãnide Babylonica,& redditurus nobis terram patriam noſtram? Hoc quidem ingens eſt beneficium Dei, digniſſimum gaudio, lætitia, & gratiarum actione, non autem eſt ſummum

mum & maximum, ſed hoc demum maximum omnium eſt, quod filius Dei in Eccleſiã ſuam confert, uidelicet, Deletio peccatorum. Dominus (inquit) fecit. Et, Dominus redemit Iacob, & gloria eius illuſtratur in Iſraele. hoc eſt, idcirco geſtiendum eſt gaudio, quia filius Dei, qui eſt uerus Dominus Deus noſter, cõfert in nos hoc beneficium, ut remittantur, et deleantur nobis omnia peccata. Et filius Dei redimit nos ab omnibus malis, a morte & æterna damnatione, ac efficit, ut gloria nominis eius in uniuerſa Eccleſia ſua, quæ eſt uerus Iſrael, illuſtretur. Poſtquam enim filius Dei expiauit peccata noſtra morte ſua, & reſurrexit a mortuis, miſit diſcipulis ſuis ſpiritum ſanctum, ut uulgarent Euangelion ſuum in uniuerſum orbem terræ, & confirmarent illud multis & magnis miraculis, quæ ſuo nomine ederentur. Quo factum eſt, ut nomen filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti fieret in toto orbe, in Eccleſia, ex omnibus gentibus collecta, illuſtriſsimum, & quotquot in ipſum crederent, conſequerentur ſummam & æternam ſalutem. De tanto beneficio filij Dei, non fuit exultandum ijs tantum, qui Apoſtolos ipſos audiuerunt, & miracula eorum uiderunt, nec nobis tantum, qui a maioribus noſtris Apoſtolicam doctrinã accepimus, ſed etiã illis qui fuerunt ante Chriſtum natum, & qui fuerunt auditores huius concionis Eſaiæ. Nam qui tunc uere crediderũt in Chriſtum uenturũ, non minus participes fuerunt beneficij eius, quod eſt remiſsio peccatorum, q̃ nos, qui iam poſt Chriſtum natum, Euangelio eius fidẽ habemus, quemadmodum alias ſæpe oſtendimus. Porrõ, quod dicitur: Gloria eius illuſtrabitur in Iſraele, poteſt & ſic intelligi, filius Dei naſcetur ex Iſraelitis, & inter Iſraelitas prædicabit Euangelion ſuum, & edet miracula ſua. Vnde & Zacharias in ſuo cantico uocat Chriſtum, gloriam plebis ſuæ Iſrael. Obſerua igitur hoc loco primum, q̃ Eſaias poſt expoſitionẽ beneficij filij Dei de deletione peccati, excitet tam cœleſtes q̃ terreſtres creaturas ad lætitiam, hoc nimirum conſilio, ut magnitudinem huius beneficij cõmendet, & admoneat nos, ut huius tanti beneficij ſemper ſimus memores, & id gratitudine noſtra conſeruare ſtudeamus. Magna enim pars hominũ hoc demum pro maximo beneficio habent, ſi conſequantur terrenã fœlicitatem, ſi prõptuaria eorum, ut Pſalmus ait, plena fuerint, eructantia ex hoc in illud: ſi oues eorũ ſint fœtoſæ, abundãtes in egreſſibus ſuis: & ſi domus eorũ, ut Iob inquit, fuerint ſecuræ, & pacatæ, nec ſit uirga Dei ſuper ipſos, ſi bos eorum concipit & non abortit, ac ducunt in bono dies ſuos. Beatũ dixerunt populum cui hæc ſunt. Qui ſic affecti ſunt, non curant, nec quærunt remiſsionem peccati, ſed magis quærunt remiſsionẽ caritatis frumenti & uini, remiſsionem paupertatis ſuæ, remiſsionem morbi ſui in corpore. Det uitam

(inquiunt) det opes, animum mihi ęquum ipse parabo. Nostri autē officij est, quærere & conseruare Remissionē peccati. Hoc eñ illud beneficium est, a quo oīa alia pendent, & sine quo nulla est salus. In uenimus aūt hoc in solo filio Dei per fidē. Huic, inquit Petrus, omnes Prophetæ testimonium ferunt, cp remissionem pctōrum accipi at per nomen eius, quisquis credit in eum. Conseruamus uero hoc bñficium, obediētia fidei, honestate uitæ, & uirtutibus, quibus nomē Dei glorificatur & illustratur. Deinde, cum Esaias excitat tā cœlum, q̄ terram ad gaudium & lęticiā, significat bñficium Christi nō tm̄ ad unum genus hominū, in terra Canaan inclusum, sed ad oēs gentes, imo ne quidem ad solos hoīes, uerum etiam ad angelos, denicp ad oēs creaturas tam cœlestes, q̄ terrestres pertinere. Cōplacitum est patri, inquit Paulus, inhabitare in illo uniuersam plenitudinē, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinē crucis eius per eundem, siue quę in terra sunt, siue quę in cœlis. Pertinet aūt bñficium Christi ad alias, pręter hominem, creaturas, non ęqualiter, sed pro sua cuiuscp ratione. Ad hoīes quidem, cp redimātur, remissis peccatis, a morte ad ueram & æternā uitam. Ad angelos aūt, cp reconciliato & redempto hoīe, ad similitudinē Dei creato, summa afficiantur lęticiā. Ad alias uero creaturas, quas ἀλόγους καὶ ἀψύχους uocāt, pertinet, cp & ipsæ, liberato hoīe, liberantur a seruitute corruptionis, ut Paulus loquitur. Cū igitur bñficium Christi tam late pāteat, non simus nos ipsi autores nostra uel incredulitate uel ingratitudine, ut auferatur a nobis, sed demus operam omnibus officijs fidei, ut eo inæternum fruamur.

HÆC DICIT DOMINVS REDEMPTOR TVVS ET FORMATOR &c.

Sequitur uscp ad finem huius capitis cōciuncula, breuis quidem illa, sed maiestatē filij Dei clarissime exponens. Nam cp filius Dei hęc concionetur, testātur non solū epitheta Redemptoris & Formatoris, quę personę filij tribui solēt, cp per ipsum oīa sint formata, & per ipsum redēptio humani generis facta sit, uerę etiam illud, quod in fine sequentis capitis Deus ait: Mihi incuruabitur oē genu etc. quam sententiā Paulus ad Ro. xiiij. exponit de filio Dei. Qua expositione docet Christū filium Dei nō tam hæc cōcionari, q̄ esse uerę ab ęterno Deū. Porro aūt filius Dei recenset in hac cōciuncula titulos, epitheta & cognomina sua, quæ ab admirandis suis operibus reportat. Ego, inquiens, sum Dñs, faciēs oīa. Hoc gñatim dicitur, sed statim distribuitur in suas partes. Duplicia. n. sunt opera filij Dei. Alia sunt opera gñalis creationis & conseruationis rerę. Oīa. n. per filiū Dei creata sunt, & cōseruātur per eū. Alia sunt opera specialiū miraculorę, q̄ tam rebus, q̄ uaticinijs cōstant. Videamus ergo hanc

operum

operꝝ filij Dei distributionē. Primū: EXTENDO COELOS SOLVS. De hoc opere habes Gen.i. Et Psal.ciij. Extendens cœlū sicut pellē. Secūdum. STABILIENS terram, & nullus mecū. Sic Gen.i. Dixit Deus congregentur aquæ quę sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida &c. Et Psal.ci. Initio tu Dñe terrā fundasti &c. Et Psal.cxxxv. Qui firmauit terrā super aquas. Tertium. IRRITA FACIENS signa diuinorꝝ, & reddēs ariolos stultos seu insanos. Hoc cōprobauit in Magis & diuinatoribus Ægyptiacis, Exo.vij. & viij. Et in Balaā Nu.xxij. Idem cōprobauit postea in diuinatoribus Babyloniorꝝ Dan.ij. Quartum: CONVERTENS sapientes retrorsum, & scientiā eorꝝ stultā faciens. Sapientia humanæ rationis est insigne donū Dei, sed si quis hoc dono abutitur aduersus Deū, aduersus populum Dei, & ad uiolandum uerbū Dei, non potest sapientia eius esse fœlix, sed filius Dei, qui est uera sapientia, conuertit impiorꝝ sapientiam in stulticiam, & facit eam infœlicem. Pharao cum sapientibus suis excogitauerunt prudentē rationem, qua opprimerent Israelitas, ne ab ipsis opprimerentur. Sed quod metuebāt impij, hoc accidit eis. Absolom uidebatur sapiēter excogitasse uiam, qua rex Israelis fieret, sed quia sapientia eius erat aduersus cōsilium Dñi, perijt una cum suo autore. Gentes uidebātur sapiēter instituisse diuinos cultus, sed qa hi cultus pugnabāt cū uerbo Dei, uersa est sapiētia eorꝝ in summā stulticiā & insaniā. Vnde Paulus ait: Cum se crederēt esse sapientes, stulti facti sunt &c. Et iterꝝ: Scriptum est: Perdam sapientiā sapientum, & intelligentiā intelligentium reijciā. Ac mox. Nonne Deus infatuauit sapientiā huius mundi? Quid ergo est? num quia filius Dei conuertit sapientes retrorsum, nō est opera danda sapientiæ? Imo, quia sapientia donū Dei est, ut diximus, magno studio est sectanda. Sed tum demum dānatur humana sapiētia, cum insurgit aduersus Deū, & uerbū eius, nec uult obedire, sed dñari uerbo Dei. Quintum. SVSCITO VERBVM Serui mei, & cōsilium nunciorꝝ meorꝝ perficio. Hoc intelligendum est de ueritate diuinarꝝ promissionum, & Prophetiꝝ uaticiniorꝝ. Nā quæ ꝓmittūt uates Ethnicorꝝ uanissima sunt. Quæ aūt serui & nuncij seu Prophetę filij Dei ꝓmittunt & adnunciant, ea certissime implentur. Patriarchæ, serui Dei ꝓmiserunt posteris suis ex uerbo Dñi liberationē ex Ægypto, & possessionem terrę Canaan. Quod aūt promissum erat, hoc etiā impletū est. Moses, seruus Dei, & Prophetę, nuncij Dei, ꝓmiserunt uenturꝝ Messiam, uerꝝ pōpuli sui seruatorem. Hoc etsi temporibus Esaiæ nondū impletum erat, quia nondum aduenerat definitum tēpus, tū nunc manifeste acuere impletū uidemus. Esaias seruus Dei prędixit, Hierusalē nec a rege Syrię nec a rege Israelis, nec a Saneheribo occupā

dam & deuaſtandam. Quod autem prædixit hoc euenit. Hæc ſunt admiranda opera filij Dei, qualia dij gentium non poſſunt facere.

Sextũ: QVI DICO HIERVSaLEM, habitaberis, & ciuitatibus Iudæ, Ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo. Filius Dei excitauit Prophetas ſuos, ut uaticinarentur nõ ſolum de uaſtatione urbis Hieruſalem, & de captiuitate Babylonica, ſed etiam de liberatione e Babylone, & inſtauratione Hieruſalem, ac ciuitatum Iudæ. Et quemadmodum uaſtatio uenit, ita & liberatio uenit, iuxta uerbum Prophetarum Domini. Tale quid nullus unquam Ethnicõrũ deus fecit. Quæ igitur inſania eſſet, filiũ Dei Patriarchis promiſſum abijcere, & fictitios deos ſectarij? Habes autẽ hoc loco iterum, quod filius Dei tanta cura Eccleſiam populi ſui tuetur, ut non conniueret ad aduerſa, niſi ante definiuiſſet modum conſeruationis in aduerſis, & liberationis ab aduerſis. Quo tempore hæc concio dicta aut ſcripta eſt ab Eſaia, nondum aduenerat uaſtatio urbis Hieruſalem, & reliquarum urbium regni Iudæ, nondum abductus erat populus captiuus ad Babylonẽ, & tamen prædicatur nunc de Hieruſalem, & aliarum urbium Iudæ inſtauratione. Confide igitur in afflictionibus tuis, & noli exiſtimare te a Deo deſertũ, quia priuſq̃ afflictiones uenerunt, excogitauit & definijt Deus rationem, qua te ſit ſeruaturus & liberaturus.

Septimum: QVI DICO PROFVNDO, DESOLARE (ſeu Areſce) ET Flumina eius arefacio. Si hæc ſine metaphora intelligere uolueris, manifeſtum eſt, ꝙ filius Dei reportauerit hunc titulum, & perfecerit, quod hic de ſeipſo concionatur, eo tempore, quo Iſraelem duxit ſicco pede per mare rubrũ, & per Iordanem. Sed quia quod præcedit & ſequitur, perſpicue concionatur de liberatione Iudæorũ ex Babylone, quæ liberatio non potuit fieri, præ ut Babylonij affecti erant erga Iudæos, niſi potentia eorũ Regum opprimeretur, & Monarchia eius mutaretur, idcirco hæc metaphoricõs de Babylonis expugnatione intelligenda ſunt. Profundum, n. ſeu Abyſſus eſt Babylon, & flumina eius ſunt regna uel ciuitates Babylonijs ſubiectæ. Hæc adminiſtratione filij Dei, deſolata, arefacta, ſeu expugnata ſunt, ut populus Dei liberaretur. Sed poſſunt & hæc intelligi de ipſa Euphratis exiccatiõe, qua Babylon expugnata eſt. Cyrus enim cum obſideret Babylonẽ, auertit mirabili induſtria alueum Euphratis, quo exiccato, duxit noctu exercitum ſuum in urbem, & occupauit eam, Babylonijs partim ſtertentibus, partim conuiuia celebrantibus, quemadmodum ſcribit Herodotus. Vides, ꝙ Deus non ſolum præuideat interitum hoſtium populi ſui, uerum etiam definiat longe ante, modũ, quo ſint interituri. Quid ergo conquereris, Deum in ærumnis tuis dormitare, ac tui eſſe oblitum?

Octauum

Octauum: QVI DICO CYRO, PASTOR MEVS ES, ET OMNEM VOLVNTATEM MEAM IMPLEBIS. Nõ solũ definit filius Dei modũ expugnatiõis Babylonis, uerũetiã definit regem & nomen eius, qui est Babylonẽ expugnaturus, ut Iudæi liberentur. Hæc est insignis & obseruabilis Prophetia, qua tot ante annis Cyrus rex Persarũ, nominatim denotatur, q̃ sit futurus Ecclesiæ Dei, in Babylonica Monarchia captiuæ liberator. Hęc em̃ Prophetia dicta est plus minus cẽtum quinquaginta annos, anteq̃ Cyrus nascereturaut nasciturus putaretur. Talis Prophetia extat etiã de Iosia, in tertio Reg. cap. xiiij. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias noĩe, & immolabit super te sacerdotes excelsorũ &c. Hęc sunt duo insignia uaticiniorum exẽpla, quibus uera diuinitas Dei Israelis manifeste comprobatur, propterea q̃ prædixit futura, nõ tantum generaliter, sed etiam cum indicatione circumstantię nominis eorum, per quos futura sint complẽda. Quod certe superat sciẽtiam & cognitionem oĩm deorũ gentilium, imo oĩm creaturarũ siue in cœlo siue in terra. QVI dico (inquit) Cyro, pastor meus es. Vocat Cyrum pastorem suum, q̃ sit beneuolẽter tractaturus populum Ecclesię suæ, & restituturus eum libertati, iuxta decretũ uoluntatis suæ. Sed de Cyro postea. Nunc considera mihi, quanta cura filius Dei cõplectatur Ecclesiã suam, q̃ tot ante annis, q̃ inferatur calamitas, noĩatim definiat liberatores. Nec̃ enim hæc propter Iudęos tm̃ gesta & scripta sunt, sed propter uniuersam Ecclesiã Dei, & singula mẽbra eius. Nam si es uerum membrũ Ecclesiæ Dei, id q̃d fit per fidẽ in filium Dei, tunc & si uideris in aduersis a Deo desertus, tm̃ tanta habetur a Deo ratio tui, ut non tm̃ ipsa liberatio, uerumetiam administri liberationis definiti sint. Vnde ca. xlix. dicit Dñs de Zion, hoc est, de Ecclesia sua, & singulis membris eius: Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Festinabũt ædificatores tui. Qui te euertũt, & q̃ te uastant, exibũt ex te etc.

Nonum: QVI DICO HIERVSALEM ÆDIFICABERIS, ET TEMPLO FVNDABERIS &c.

Filius Dei uidet Cyrum, nõ solum dimissurũ Ecclesiam populi sui liberã ex Babylonico Imperio, sed etiam edicturũ edictum publicum, quo præcipiat instaurari templum, & exhiberi ad hoc ædificium sumptus ac impendia. Nam quod hic ait: Qui dico Hierusalem ædificaberis, & Templo, fundaberis, respicit ad Edictum Cyri, quod extat in primo libro Esdræ capite primo. Sic dicit Cyrus rex Persarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse mandauit mihi, ut ædificetur ei domus in Hierusalem &c. Hoc illud est, quod Salomon Prouer. xxi. ait: Cor regis est in manu Domini, uelut riuus aquarum, quocunque uolet, inclinat illud.

Sic enim filius Dei nõ ſolum duxit Cyrum in urbem Babylonem, ſed etiam inclinauit cor eius, ut ꝓmulgaret publicũ edictum, quo mandabatur inſtauratio tẽpli. Vnde & Eſdras dicit: Excitauit Dñs ſpiritum Cyri regis Perſarũ, ita ut diuulgari faceret uocem, ſeu edictum, in toto regno ſuo &c. Non eſt igitur ꝙ metũas Reges aut tyrãnos huius ſeculi, ſi minati fuerint mala, aut execreris eos, ſi nõ iuxta expectationẽ tuam beneficia ſua in te conferãt: ſed metue Dñm Deum tuum, & inuoca nomen eius per filium ſuum, ut bñficia aregibus reportes. Cor. n. regis in manu Dñi. Quare ſi Dñs te tuebitur, cor regis, quantũuis crudelis, & extrema tibi minantis, uno uerbo, imo uno nutu Dñi ita inuertetur, ut neceſſe habeat tibi omnem clementiam præſtare. Et ſi Dñs e cœlo non faueat tibi regia beneficia, nihil impetrabis, etiamſi rex ambabus manibus tibi beneficia ſua accipienda offerat. Habes admiranda opera filij Dei, quibus & inſignia epitheta reportat. Hæc autem eo recitantur, ut diuinitas ueri Dei Iſraelis aduerſus Idola & deos gentium aſſeratur, & Eccleſia filij Dei confirmetur, ne offenſa Babyloniorũ fœlicitate, deſerat & abijciat cultum filij Dei, & ſectetur impietatem gentium. Sed quid hoc ſibi uult, ꝙ filius Dei ipſe ſui buccinator eſt, & ſuas ipſe laudes decantat? Sicut & in Euãgelio iactat ſeipſum: Ego, inquiẽs, ſum lux mundi. Et: Ego ſum uia ueritas et uita. Et multa alia. An nõ ſeipſum laudare, uani eſt? Vulgo dici ſolet. Eum, qui ſeipſum laudat, malos habere uicinos. Quid ergo? Num & filius Dei malos habet uicinos, & arguendus eſt uanitatis? Abſit longiſsime. Aliter eñ de homine, aliter de filio Dei ſentiẽdum eſt. Homo, ſi ſeipſum laudibus effert, merito uanus habendus eſt. Omnis enim homo mẽdax. Et, quid habes, quod non accepiſti? Quod autẽ filius Dei prædicat ſuas laudes, non eſt uanitas, ſed ueritas & neceſsitas. Primum enim, ſcriptum eſt de ipſo: Quis conſiliarius eius fuit? Quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Quare nihil ſibi tam excellens, tam inſigne tribuere poteſt, quod non ſit ueriſsimum. Deinde neceſsitas ſalutis noſtræ exigit, ut filius Dei ſuas laudes nobis uel per Prophetas ſuos, uel coram ipſe exponat. Non enim poſſumus ullam ſalutem conſequi, niſi uera eius cognitione. Hæc, inquit, eſt uita æterna, ut cognoſcãt te ſolum uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Nõ poſſumus aũt cognoſcere Chriſtum, niſi per uerbum eius, quod ipſe uel per Prophetas ſuos & Apoſtolos, uel coram, ſua perſona, adnũciat. Quare etſi ipſe non indiget ſua laude, nec quærit more ambitioſorum humanum diem, tamẽ nobis neceſſarium eſt, ut exponat laudem nominis ſui, quo nos ueniamus in cognitionem eius, & conſequamur per ipſum ex fide in eum, ueram & æternam ſalutem.

CAPVT

CAPVT XLV.

HÆC DICIT DOMINVS CHRISTO MEO CYRO, CVIVS APPREHENDI DEXTRAM &c.

Quod de Cyro in fine precedētis capitis cœptum est, hoc nūc copiosius exponitur. Initio aūt, hoc constanter tenendum est, cp q hic per Prophetā loqtur sit filius Dei Dñs noster Iesus Christus. Nā q̄d in fine huius capitis dicitur de Deo, Mihi curuabitur oē genu et iurabit oīs lingua &c. hoc Paulus ad Rom. scribens cap. xiiij. interpretatur de Christo filio Dei. Quare perspicuū est, cp hæc cōcio sit filio Dei tribuenda. Deinde filius Dei cōcionatur initio huius capitis de Cyro rege Persarū, q expugnauit Babylonē, & remisit Iudæis captiuitatē suam, ut instaurarēt urbē & tēplum Hierusalē. Tribuit aūt Cyro idē cognomē, q̄d & ipsi alias tribui solet. Vocat eū Messiam, seu Christū suū. Non. n. obscurū est, cp Reges Israelis dicti fuerint Messiæ seu Christi, a solenni illa unctione, qua reges inaugurabātur. Vnde & filius Dei, quia constitutus erat adeo Patre rex super Zion montē sanctum suū, dictus est Messias seu Christus, ab unctione quidē, non aūt illa externa seu Leuitica, sed uera & spūali spiritus sancti. Sic & hoc loco uocat Cyrum. Messiam seu Christū suum, non cp Leuitico oleo fuerit unctus in regē, sed cp ipse unxerit, hoc est, destinauerit, ordinauerit & uocauerit eum in hoc regiū officium, ut debellaret superbos Babylonios, & opem ferret miseris & afflictis Israelitis, hoc est, ut hostes Ecclesiæ suæ opprimeret, Ecclesiam autem iuuaret. Hæ enim sunt duæ præcipuæ regij muneris partes. Porro, ut hanc de Cyro cōcionem rectius intelligamus, diligenter legēda & expendenda sunt, quę Herodotus, Xenophō, Iustinus, Iosephus, et alij scriptores tradiderūt de Cyro, de admirabili cōseruatione eius in infantia, de insigni fœlicitate eius, qua expugnauit regna, de illustrissimis uictorijs, quas ex hostibus suis reportauit. Etsi em̄ dicitur postremo trucidatus esse a regina Scythica crudeliter, tamen scriptores testantur regnasse eum triginta annis, non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu admirabiliter insignem. Quare si quis hæc probe considerauerit, reipsa comperiet, tantam fœlicitatem non potuisse Cyro, nisi diuina clementia & gubernatione, contingere. Audiamus ergo de eo concionem filij Dei. Apprehendi, inquit, dextram eius, ut subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum uertam, seu, ut hebræus legit, Lumbos regum aperiam seu dissoluam, hoc est, reddam eos corā Cyro imbelles. Sicut em̄ lūbos accingere est parare se & expedire ad capessendum demandatū negocium, ita lumbos aperire, seu

ſoluere eſt exarmare, & ad ocium componere. Promittit igitur Cyro, ſe ita eum, quaſi manu ducturũ, ut omnes reges, aduerſus quos arma ſumpſerit, fiant coram eo ὑπήκοοι, & tradant ſe ei captiuos. Et ſequitur. Aperiam coram eo ianuas ſeu ualuas portarum. Portæ ante eum nõ claudentur. Nulla ciuitas tam munita erit, quã non expugnabit. Sed ut ſententia filij Dei de Cyro manifeſtius cognoſcatur, non tantum de ipſo, uerumetiã ad ipſum loquitur. Ego ante te, inquit, ibo, ero dux profectionis tuæ, & glorioſos terræ humiliabo, pro quo alij legunt, obliquas uias faciam rectas, portas æreas conteram, & uectes ferreos confringam. Nec his contentus ero, ſed dabo etiam tibi theſauros abſconditos, qui in tenebris latẽt, & tradam in tuam poteſtatem ea, quæ in occulto abſtruſa ſunt, ut tu ipſe perſpicue cognoſcas, & neceſſe habeas fateri, ꝙ hæc tibi non contingant humanis conſilijs aut uiribus, ſed mea ſolius potentia, qui hęc omnia tibi nominatim euentura per meos uates Iſraeliticos prædixi, priusq̃ tu naſcereris, & nomen tuum orbi cognitum eſſet. Quod autem filius Dei ante tot annos de Cyro futurum prędicat, hoc ſcriptores rerum geſtarum, non noſtri tantum, ſed etiam exteri impletum eſſe teſtantur. Cyrus enim ſubegit Mediam, Babyloniam, Lydiam, & regem eius Crœſum, qui fuit longe omniũ ditiſſimus, & redegit in poteſtatem ſuam uniuerſum orientem. Cum nullo hoſtium unq̃ congreſſus eſt, quem non uicerit. Nullã urbem obſedit, quam non expugnauerit. Nullam gentem adijt, quam nõ cauerit. Nec fuit tantum fœlix fortuna, ſed etiã ornatus multis uirtutibus. Zenophon ſcribit eum fuiſſe φιλανθρωπότατον, φιλομαθέστατον, καὶ φιλοπονώτατον. Nam ꝙ nõnulli ſcribunt eum a Tomyri Scythãrum regina cum uniuerſo exercitu deletum, diſſentit Xenophon, qui ſcribit eum tranquilla morte obijſſe. Euentus igitur ipſe probauit, quod filius Dei apprehenderit dexteram Cyri, & ſubiecerit ei reges, & perfecerit omnia alia, quæ hic ſunt cõmemorata. Ex his obſeruabis initio, ꝙ cum filius Dei tot ante annis, de Cyro nominatim cogitat, & uictorias eius diſponit, ſignificet oẽs homines maxime autem fideles, ut Paulus ait, tantæ ſibi curæ eſſe, ut nondum ne- 1. Timoth. 4.
conceptos quidem agnoſcat, & res eorum diſponat. Non enim temere concipiuntur & naſcuntur homines, ſed quemadmodum Adam initio creatus eſt conſilio & deliberatione Dei, Priusq̃ enim crearetur, dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ita & reliqui omnes homines creantur a Deo, nũc quidẽ per maſculũ & fœminam, cõſilio aũt bene & lõge ante apud Deũ deliberato. Ac de alijs quidem hoĩbus, q̃ poſtq̃ nati & adulti fuerint, nõ agnoſcunt Deũ, & bñficia eius, aut agnitũ reñciũt, nihil modo dicemus: de pñs aũt Deũ et bñficia eius per fidẽ agnoſcẽtibus

dicendum

dicendum est. Deus enim non curat tantum Reges & Monarchas huius seculi, quales fuerunt Nabuchodonosor, Cyrus, Alexander Magnus, & reliqui, sed maxime omnium curat suam Ecclesiam, & singula membra eius. Nam, quod heroum & Monarcharum curam habet, magis Ecclesiæ suæ, quam ipsorum causa facit, quemadmodum mox sequitur. Quare Ecclesia id κειμήλιον est, quod sibi filius Dei semper curandum & conseruandum ob oculos ponit, etiam priusq; membra eius in hunc mundum prodeunt. Imperfectum meum, inquit Dauid, uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. hoc est, Oculi tui uiderunt me, cum adhuc essem fœtus informis, & omnes dies mei, cum nondum ullus aduenissent, apud te in libro tuo descripti erant. Et Paulus: Elegit nos per ipsum, antequam iacerentur fundamenta mundi &c. Hæc eo nobis recitantur, non ut temere quiduis agendum aggrediamur, prætexentes libidini nostræ prædestinationem Dei, quam cauere non queamus. Hoc enim est, optima doctrina, impiissime abuti, sed recitantur nobis, ut in tentationibus, in afflictionibus, in aduersis erigamus mentem & fortes simus fide, quod qui pro nostra salute, antequam hic mundus conderetur, ita sollicitus fuit, ut statuerit se morte sua nos redempturum, non deseret nos in præsentibus ærumnis, nec abiiciet nos, si modo nos ipsum, incredulitate nostra non deseruerimus. Non enim dormit, neq; stertit, qui custodit Israel. Deinde considerabis hoc loco, quod uictoriæ regni, & mutationes regnorum non fiant temere & casu fortuito, sed contingant diuino consilio & administratione. EGO. (inquit) ibo ante te. EGO, conteram æreas portas, EGO, confringam uectes ferreos. Habebis quidem tu Cyre magnum exercitum, sed nisi ego agmen tuorum præcederem, & reluderem tibi ciuitates & arces, exercitus tuus magis tibi impedimento, quam adiumento esset. Docet igitur hic locus Reges & Principes timorem Dei ac fidem. Non est confidendum robore exercitus, aut munitionibus urbium, sed est confidendum clementia Dei, qui solus est autor uictoriæ. Quare sollicite ambulandum est in uocatione Dei, ne impietate & iniquitate nostra Deum ad iracundiam prouocemus, & a nobis, ad hostium castra eum effugemus. Nec in regnorum aut politiarum mutationibus inuehamur in homines, qui uidentur nobis mutationum autores, sed agnoscamus gubernationem Domini Dei nostri, & inuocemus eum, ut præsentia mala mitiget, & mutationem regnorum Ecclesiæ suæ utilem reddat.

PROPTER SERVVM MEVM IACOB, ET ISRAEL ELECTVM MEVM VOCAVI TE &c.

Exponit causas, propter quas tot annis ante cõcionetur nomina tim de Cyro, & sit in eum collaturus Monarchiam huius terrę. Vocaui te, inquit, tuo noĩe, & cognominaui te, hoc est, Tribuo tibi nomen & cognomen, priusq̃ nascaris. Voco te noĩe Cyrum, Voco te cognomine Messiæ, seu Christi mei, priusq̃ me cognosceres. Et ego, qui sum solus Dñs & uerus Deus, & quanq̃ gentes iactẽt suos deos, tñ prẽter me non est alius Deus, ego, inquã, is sum, qui te Cyrum, priusq̃ me cognouisti, imo priusq̃ nascaris, accinxi, qui statui te excitare & accingere uiribus, ut Babylonicã Monarchiam suo tẽpore tibi subijcias, idq̃ non propter tuã iusticiam aut fortitudinẽ, sed PROPTER SERVVM MEVM Iacob, & Israelem electũ meum. Et ut ubiq̃ tam in oriẽte, q̃ in occidente cognoscatur, q̃ ego sum solus uerus Deus, & non sit alius deus. Nec sit ullus inter gentium deos, qui possit diuina opera facere: sed Ego solus sum uerus Deus, qui formo lucem, & creo tenebras, qui facio pacem, & creo malum, seu bellũ. Breuiter ego solus sum horum omniũ siue fœlicitatis siue infœlicitatis, siue pacis siue belli autor. Duæ causæ cõmemorantur, propter quas filius Dei ante ducentos fere annos nominatim designauit Cyrum, uictorem Babylonis & Monarchã terrę. Vna est: Propter Iacob, inquit, seruum meum, et propter Israelẽ electum meum. Cyrus. n. euectus est in tantam maiestatem, nõ propter suam ipsius iusticiam, nec ex sua uirtute, sed propter populum Dei, propter Ecclesiã Dñi, ut & ipsa liberaretur e captiuitate Babylonica, & punirentur Babylonij, hostes Ecclesię Dei, qui iam eo impietatis uenerant, ut non solum Iudæos, hoc est, Ecclesiam Dei, nõ dimitterent liberam, uerum etiam Deum eorum, ut impotẽtem, & abiectum irriderent, ac mediũ ei digitum ostenderent. Quid ergo? Exclamat quidem alias Psalmus, Exurge, inquiẽs, quare obdormis Dñe? exurge & ne repellas in finem. Quare faciẽ tuam auertis, obliuisceris inopię nostrę & tribulationis nostræ? Sed hoc exemplo uidemus filium Dei intantum non repellere populum suum, nec obliuisci inopiæ & tribulationis Ecclesiæ suæ, ut ad liberandam eam euertat potentissimas Monarchias, ac tandem ipsemet descenderit e cœlo, & maluerit probrosissimam mortem suscipere, quam conniuere, ut Ecclesia sua periret. Quare, cum affligimur, non sentiamus filium Dei nostri oblitum, sed eum tanto diligentius de salute nostra curare, quanto maior & diuturnior uidetur afflictio. Altera causa est, Vt sciant, inquit, hi qui ab ortu solis &c. Filius enim Dei tot annis ante denunciauit res gerendas Cyri, ut, cum reipsa implerentur, ubique in omnibus gentibus illustretur nomen ueri Dei, & ab hac præscientia cognoscatur, non deos Gentium, sed Deum Israelis esse uerum & æternum Deum, cuncta creantem

antem & administrantem. Vnde Cyrus (si Iosepho credimus) cũ ei ostenderetur liber Esaiæ, de nomine & rebus eius gerendis tot annos ante prædictis, intantum delectatus est, ut & fateretur, se Deum Israelis pro uero Deo agnoscere, & multa beneficia in Iudæos conferret. Certe in Esdra cap. 1. extat edictũ eius, in quo cõtinetur insignis confessio de uero Deo Israelis. Ex quo regio edicto & confessione, non dubium est, quin multi homines, etiam inter gentes, in Oriente & Occidente, ut hic in Esaia dicitur, cognouerint uerum Deum, & consecuti sint ex fide in eum æternam salutẽ. Discamus igitur hic usum Propheticorum uaticiniorũ, uidelicet, quod cum uaticinia Israeliticorum Prophetarum reipsa implentur, probent Deum Israelis esse uerum Deum, & ducant homines in cognitionem ueri Dei, ut credant in ipsum, & accipiant ab ipso iusticiam, ac seruentur perpetua salute.

Deinde, obseruabile est, quod dicit se creare lucem & tenebras, pacem & malum. Manifestum quidem est, quod Deus creauerit initio lucem, quæ uocata est Dies, & Tenebræ, quæ uocatæ sunt Nox, sed hoc loco, pro luce, fœlicitatem, & pro tenebris, infœlicitatem intelligamus. Sicut et mox, pro Malo, intelligendum est Bellum, quod est oppositum paci. Duplex enim malum est: Alterum uocant malum culpę, quod est peccatum: Alterum malum pœnę, quod est supplicium peccati. Ac Deus quidem, etsi administrare, seu ut illi loquuntur, ordinare solet peccatum, in nominis sui gloriam, sicut administrauit indurationem Pharaonis, et execrationem Semei, tamen non est autor peccati. Non enim Deus uolens iniquitatem tu es. Et: Cum diabolus loquitur mendacium, de suo loquitur. Sed Deus est autor mali pœnæ, seu supplicij peccati. Itaq; non creat tantum tranquillitatem, et pacem, sed creat etiam tumultus & bella, quæ sunt peccati supplicia. Sic & de alijs id genus rebus sentiendum est. Deus non est tantum autor sanitatis corporalis, diuitiarum, gloriæ et libertatis, sed est etiam autor morborum, paupertatis, infamię, seruitutis, & captiuitatis. Qui despicit, inquit Salomon, pauperem, probro afficit factorem eius. Ergo & paupertatis factor Deus est. Et alias. Bona & mala, uita & mors, paupertas & opes à Deo proficiscuntur. Hæc nobis de Domino Deo nostro diligenter cognoscenda sunt, non tantum ut discernamus eum à uanis dijs gentium, qui suis cultoribus nec bene, nec male facere possunt, sed etiam ut tam in prosperis quam in aduersis attollamus oculos fidei nostræ ad Dominum Deum horum omnium autorem, ac in illis quidem agnoscamus clementiam eius, & gratias ei agamus, ac bene eis ad gloriam nominis sui utamur. In his autem agnoscamus seueritatem eius, sustineamus obediẽter manum eius, petamus ab ipso auxilium, quod etsi immittit aduersa, non tamen cogitat nostri internecionẽ, sed salutem. Viuo ego, dicit alias,

nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Et iterum. Venite, reuertamur ad Dominum, quoniam ipse cepit, seu discerpsit, & sanabit nos, percussit, & curabit nos, &c.

RORATE COELI DESVPER, ET NVBES PLVANT IVSTVM &c.

Cum hactenus quædam dicta sint de liberatione, quæ contingeret Iudæis per Cyrum, ex captiuitate Babylonica, sentiunt nonnulli etiam hæc, quæ nunc dicuntur, eo referenda esse, ut his uerbis optent pij aduentum Cyri, qui sit ipsis salutem & liberationem e seruitute & tyrannide Babyloniorum allaturus. Sed ego puto hæc magis per antithesin, cꝫ recta de Cyro intelligenda esse. Nam liberatio ex Babylone, quæ per Cyrum contigit, etsi fuit magnum Dei beneficium, & oppressis Iudæis gratissimum, tamen nec fuit uera, nec præcipua. Si respicias politica, redierunt quidem multi ex Babylone ad instaurandam urbem & templum Hierusalem, sed & multi remanserunt inter gentes, ad quas dispersi erant. Et qui redierunt ad Hierusalem, necesse habuerunt manere serui Persarum. Vnde & ædificium templi multis annis à Persis impeditum fuit, adeoꝫ, si externa consideraueris, parum fuerunt domi fœlicitores, quam cum adhuc inter gentes uitam agerent. Si autem respicias spiritualia, etsi hoc reditu instauratum est templum, instaurata sunt sacra Leuitica, tamen hæc externa e Babylone liberatio non contulit in reduces ueram iusticiam & salutem. Quare, cum pij suspiciunt in cœlum, & petunt, ut cœli & nubes stillent e super nis iusticiam, longe maiora spirant, quam externam illam e Babylone liberationem. Itaqꝫ, quod dicunt hanc habet sententiam. Audiuimus quidem, o fili Dei, qui solus es uerus seruator noster, promissionem tuam de excitando & mittendo Cyro, qui nos aut posteros nostros liberet e captiuitate Babylonica, & concedat eis reditum ad patriam suam terram. Hoc beneficium, grati, ut debemus, agnoscimus, nec dubitamus, quin quod promisisti, reipsa sis completurus. Sed ut dicamus, quod res est, hoc beneficium non affert nobis ueram iusticiam & salutem. Qui redituri sunt e Babylone ad urbem Hierusalem, adhuc obnoxij erunt, quantum quidem ad hunc reditum attinet, peccatis, morti, & inferno. Quid autem multum prodest, libertatem ab externa tyrannide consequi, sed interea subiectũ esse perpetuæ tyrannidi Satanæ, & sempiternæ damnationi? Rorate ergo cœli desuper, et nubes pluãt iusticiã. Aperiatur terra, & fructum ferat salutem, germinetqꝫ simul iusticiam. Vera iusticia, uera salus, non potest nobis per alium, siue illum Cyrum, siue alium quendam Monarcham, præterquam per te, filium Dei, DOMINVM nostrum, contingere. Agite igitur cœli, agite nubes, age terra, conferte simul omnes uires uestras: Vos cœli & nubes date pluuiam, tu terra exhibe agrum fertilem,

lem, ut producatur optimus ille fructus, qui est uera iusticia & perpetua salus. Hæc enim beneficia, nobis ita necessaria sunt, ut si his caruerimus, nihil nobis proderit liberatio ex Babylone, nec quicquam aliorum corporalium bonorum. Si uero hæc habuerimus, nihil nobis oberit, etiamsi externa seruitute aut captiuitate premamur. Non possumus autem hæc beneficia in alio consequi, præterquam in te, filio Dei. Tu es iusticia nostra, quia propter te reputamur per fidem coram Deo patre iusti, & imputatur nobis tua iusticia. Tu es salus nostra, quia tuo beneficio conseruamur in morte, ad æternam fœlicitatem. Quare etsi non reiicimus beneficium illud externæ liberationis ex Babylone, tamen hoc maxime omnium desideramus, hoc petimus o cœli, o terra, ut parturiatis nobis iusticiam & salutem, ut de cœlo mittatur filius Dei DOMINVS noster, & in terra assumat humanam naturam, quo nos per ipsum & in ipso uere iustificemur & seruemur. Non dissimile est, quod Gene. 49. scribitur. Cum enim Patriarcha Iacob recitasset benedictionem Dan, addit: Salutare tuum expectabo DOMINE. Nam, quæ de Dan commemorantur, respiciunt præcipue in Samsonem, qui incepit liberare Israelem de tyrannide Philistinorum. Itaque momordit sicut serpens, ungulas equi, ut ascensor retrorsum ceciderit. Sed quia hæc non fuit uera liberatio, additur mox de Christo: Salutem tuam o DOMINE expectabo. Continget quidem Israelitis grata liberatio per Samsonem, sed nisi tua, o Christe, liberatio, quam expectamus, nobis contingat, uere perimus, etiamsi in hac terra salui fuerimus. Admonemur autem nos hoc loco, ut cognoscamus, quod sit præcipuum studium piorum in hac terra. Magna enim pars hominum, hoc tantum agunt, ut uentri seruiant, & suas cupiditates terrenis bonis expleant. Existimant, se in hoc natos, & in hac terra collocatos, ut corradant undique opes, & fruantur huius seculi uoluptatibus. Hi magis porci sunt, & sterquilinia, quam homines. Qui autem uere sunt homines, hoc est, pij, etsi non damnant, nec abominantur terrena Dei beneficia, & utuntur eis, dum per DOMINVM Deum suum licet, tamen non sentiunt se propter horum fructum in terra collocatos, sed hoc unum maxime omnium agunt, ut ueram iusticiam & cœlestem salutem consequantur. Consequuntur autem ea, non odio & contemptu piæ doctrinæ, non neglectione, sed magno desiderio, & ingenti cupiditate cognoscendi Christi filij Dei. Non exclamandum est cum Poëta: Det uitam, det opes, animum mihi æquum ipse parabo, sed exclamandum est cum Propheta: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iusticiam: aperiatur terra, & germinet salutem. Et Christus ait: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quare si recte uolumus nostro of-

ficio fungi,& si uerę iusticiæ ac salutis desiderio tenemur,in hanc curam,in hoc studium nobis incumbendùm est,ut Christum filium Dei per fidem cognoscamus,& uocationi eius obsequamur. Deinde obserua Christum prædicari hic non tantum iusticiam & salutem,sed etiam cœlestem & terrestrem,hoc est, uerum Deum & uerum hominem. De cœlo enim uenit,& in terra nascitur. Deus est in cœlo,& assumit hominem in terra,ut hominem e terra in cœlum euehat,& participem omnium cœlestium suorum bonorum reddat. EGO DOMINVS CREAVI ILLVM. Pro hoc ita legendum est: Ego DOMINVS creo illam,uidelicet iusticiam & salutem. Respondet autem filius Dei ecclesiæ suæ tam ardenter ueram iusticiam & salutem petenti. Video desiderium uestrum. Audio gemitus & clamores uestros, quod teneamini longe maiori cupiditate liberationis à peccatis & morte,quam à seruitute & captiuitate Babylonica. Bono igitur animo sitis. Confidite, Ego enim ipse is sum,qui creo,qui affero, qui dono uobis iusticiam & salutem,ut liberati à peccatis & morte ueram & perpetuam possideatis uitam. Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me,etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me,non morietur inæternum. Habes hic testimonium,non tantum,quod uera iusticia & salus à solo Christo filio Dei per fidem petenda sint,sed etiam,quod patres ueteris testamenti non sint saluati,nisi per gratiam (sicut Petrus in Actis capite decimoquinto ait) DOMINI nostri Iesu Christi. EGO DOMINVS, inquit, creo, facio, affero & trado uobis salutem. Non possunt uos seruare dij gentium. Non humana potentia, non humanæ uirtutes, non humana iusticia, non liberatio ex Babylone,non lex Mosi, denique nulla creatura siue angelorum, siue hominum,siue operum,siue passionum, Sed ego DOMINVS, ego filius Dei,uerus ab æterno Deus creo uobis salutem: Creo, inquam. Notum est quid sit Creare,uidelicet,aliquid ex nihilo facere. Creat igitur Christus nobis salutem, quia non inuenit in nobis ullam materiam meritorum, ex qua conficeret salutem,& propter quæ merita conferret salutem,Sed inuenit nihil,inuenit peccatum. Quare,quantum miraculum est, quod filius Dei creauit ex nihilo cœlum & terram, tantum etiam miraculum est, quod creat in homine iusticiam & salutem.

VÆ QVI CONTRADICIT FACTORI SVO, TESTA &c.

Postquam filius Dei confirmauit suo responso fidem piorum, de communicanda cum ipsis sua iusticia & salute,uertit se ad impios,& inuehitur in eos,quod cum sint in ecclesia,in qua doctrina de uero Deo publice prædicatur,non tamen Deum uere agnoscant,sed potius ei contradicant. Non enim sentiendum est, quod omnes

omnes hi, qui habent nomen populi seu ecclesiæ Dei, sint uera ecclesiæ membra, sed unumquodque ecclesiæ tempus habet admixtos suos hypocritas & impios, qui aut ueram ecclesiam persequuntur, aut in aduersis ab ecclesia, ad fœliciorem in hoc seculo partem deficiunt. Sic dubium non est, quin tempore captiuitatis Babylonicæ, multi Iudæi blasphemia affecerunt uerum Deum Israel, quod populum suum coniecerit in extremas calamitates, & Babylonios, impiam gentem, summo in terris honore afficiat. Sic etiam, quo tempore filius Dei uenit in terram, & prædicauit euangelion suum, scribæ, Pharisæi & Pontifices, qui uidebantur capita ecclesiæ Dei, blasphemijs affecerunt eum, & persecuti sunt factorem suum, quod iactaret quidem se esse Christum, à Prophetis promissum, sed non uidebatur pro ipsorum arbitrio mundanam, quam expectabant, fœlicitatem afferre. Reprehendit igitur filius Dei impietatem eorum, & minatur eis æternum supplicium: Væ, inquiens, contradicenti, uel disceptanti cum factore suo. Hoc enim perinde est, ac si testa seu uas fictile susciperet contentionem cum figulo luti. Nunquid enim dicit lutum figulo suo: Quid facis? Aut nunquid opus dicet ad artificem suum, Cur me non elegantius feci sti? Hoc enim significat, quod ait: Opus tuum absque manibus est, hoc est, Vel non satis me absoluisti, uel non satis elegans me confeciſti. Deinde, si quis disceptauerit cum Deo creatore suo, perinde est, ac si quis expostularet cum parentibus suis, quod uel genuissent ipsum, uel non pulcriorem aut nobilorem procreassent. Quid autem absurdius dici aut fieri posset? Et tamen sic disceptarunt cum Deo hi Iudæi, qui in captiuitate Babylonica expostularunt cum ipso, quod obiecisset ipsos tantis afflictionibus, & quod ornaret hostes ipsorum omnibus bonis huius seculi. Sic etiam disceptarunt cum filio Dei scribæ & Pharisæi, quod si sit uerus Messias, cur regnum suum non alio modo & alia ratione, quam abiecta specie, paupertate, passione & morte administrandum suscipiat? Tanta enim libidine contradicendi Christo tenebantur Pharisæi, ut quicquid faceret, etiam manifesta miracula, calumniarentur. Vnde & hoc eis coram exprobrat: Iustificatur, inquiens, sapientia à filijs suis. Hæc est uere, ut uocant, μεγαντομαχία. Quare dignum eorum supplicium est, ut pudefiant, & pereant. Porro usus huius dicti: Nunquid lutum dicit figulo suo, Quid facis &c. late patet. Primum enim admonemur hoc dicto, ne expostulemus cum Deo, quod hos eligat in uasa misericordiæ & salutis, illos autem in uasa iræ, & damnationis. Sic utitur eo Paulus Roma. nono. Cui uult, inquiens, miseretur, quem uult indurat. Dices ergo mihi: Quid adhuc conqueritur? Nam uoluntati eius quis resistet? Atqui o homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, cur me finxisti ad hunc mo-

dum? Deinde hoc dictum admonet nos modestiæ & toleran-
tiæ in aduersis, aut in abiectione, ne uidelicet expostulemus cum
Deo, quod nos, credentes in ipsum, tam grauiter affligat, cum in-
terea conferat maxima quæque beneficia in manifestos contem-
ptores suos: aut quod nos fecerit pauperes, ignobiles, abiectos, a-
lios autem, qui nostra opinione sunt nobis multo iniquiores
aut stultiores, fecerit diuites, nobiles, illustres & potentes. Hæc
non est alia expostulatio, quam si matula expostularet cum figu-
lo, quod non fecerit ex ipsa insigne & regium poculum. Huc re-
spicit Psalmus trigesimus octauus, cum ait: Obmutui & non ape-
rui os meū, quoniam TV fecisti. Prę terea, hoc dictum excitat nos
ad timorem Dei, in prospero rerum successu, & ad resipiscenti-
am, in aduersis, & supplicijs Dei. DOMINVS enim ha-
bet nos in potestate sua, sicut figulus lutum. Quare, si fœlices fu-
mus, sollicite ambulandum est in uocatione Dei, ne si peccaueri-
mus, infœlices reddamur. Sumus enim in manu DOMINI,
qui uno momento potest nos in infœlicitatem conijcere. Si au-
tem affligimur aduersis propter peccata nostra, non cogitemus
deploratum esse de nostra salute, sed resipiscamus, quia ut lutum
in manu figuli, sic nos sumus in manu DOMINI. Itaque etsi ui-
demur perijsse, tamen DOMINVS uno momento potest &
uult, si resipuerimus, infœlicitatem nostram in ueram & perpe-
tuam fœlicitatem mutare. Hunc usum docet nos Hieremias ca-
pite decimo octauo: Factum est, inquiens, ad me uerbum DO-
MINI, dicens: Nunquid sicut figulus iste non potero uobis fa-
cere domus Israel? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic uos in manu
mea. Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum, ut
eradicem & destruam & disperdam illud. Si autem egerit pœni-
tentiam gens illa &c.

HÆC DICIT DOMINVS SANCTVS ISRAEL PLASTES EIVS: VENTV-RA &c.

Reuertitur filius Dei ad commemorationem maiestatis, hoc
est, omnipotentiæ & omniscientiæ suæ, non solum, ut contineat
populum suum in officio, ne ad Idolatrian Babylonicam deficiat,
& deos gentium aut alia illegitima sacra sectetur, uerumetiam ut
consoletur afflictos, & certam spem eis præbeat, fore, ut in affli-
ctione conseruentur, & ex ea liberentur. Porro, cum antea dixe-
rit, Væ disceptanti cum fictore seu formatore suo. Et: Nunquid
dicet lutum figulo suo? manifeste nunc explicatur, quis sit ille for-
mator, seu figulus. Hæc, inquiens, dicit DOMINVS Sanctus
Israel, plastes, hoc est, formator (Est enim eadem dictio, quæ su-
pra ponitur) seu figulus eius. Hic est filius Dei, figulus Israelis seu
ecclesiæ suæ, non tantum generali creatione, sed etiam singulari re-
creatione,

creatione, & conseruatione. Quid ergo dicit? Interrogate (inquit) me uentura &c. hoc est, Agite uos Gentes, commemorabo uobis, (Si modo id serio quis postulauerit, ac fieri petierit) futura & præterita opera mea, non tam ea, quæ creatione iam olim perfeci, quam illa, quæ adhuc in filijs meis, in populo ecclesiæ meæ perficiam, ut perspicuum fiat, diuinam maiestatem non ad deos gentium, sed ad me solum pertinere, & me solum esse ecclesiæ seruatorem.

Primum ergo opus est, Ego feci terram, & hominem super eam creaui. Hoc opus filij Dei manifestius & testatius est in scriptura, quam ut diu hic in explicando eo immoremur.

Secundum est, Ego sum, cuius manus tetenderunt cœlos, & qui mandato meo omnem militiam eorum feci. Est & hoc opus filij Dei notissimum & testatissimum.

Tertium, Ego excitabo illum, uidelicet, Cyrum in Iustitia, hoc est, iuste & merito, ut deuictis Babylonijs, meum populum liberum dimittat. Hæc enim est iustitia, ut oppressis impijs, pij seruentur. Et dirigam omnes uias eius, reddam eum fortunatum bellatorem, dabo ei uictoriam. Ipse ædificabit, seu iubebit ædificare ciuitatem meam Hierusalem, & dimittet captiuos populi mei liberos. Id autem faciet nullo nec precio nec muneribus adductus. Meus enim populus pauperior est, quam qui possit se pecunia e captiuitate redimere. Sed Cyrus dimittet eos gratis, & insuper iubebit eis sumptus ad ædificandum templum exhiberi, tantum abest, ut ab ipsis aliquid precij pro libertate accipiat. Quod manifestum argumentum est, me esse tanti beneficij autorem. Alioqui enim quomodo Ethnicus rex, & Idolatra, esset tam clemens, & tam liberalis in eos, qui diuersam religionem sectantur? Hæc de Cyro, tum, cum ista dicebantur, futura erant. Nunc autem reipsa suo tempore ita impleta scimus, ut perspicuum sit, hoc uere diuinum fuisse oraculum.

Quartum. Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ, & Sabæorum, qui sunt uiri longæ staturæ, transibunt ad te, & tui erunt &c. Vt hæc recte intelligamus, initio considerandum est, quod per laborem & negociationem intelligendi sint homines laborantes, & negociantes, aut laborioſi agricolæ & piscatores in Ægypto, & mercatores in Æthiopia. Deinde dirigitur hic sermo ad cœtum Israelis, seu ad ueram ecclesiam DEI, in qua sola uerus est DEVS, & uerus cultus DEI. Promittit ergo filius DEI, quod non solum missurus sit Cyrum, qui dimittat populum suum liberum, & iubeat externam urbem Hierusalem ac templum eius instaurari, sicut antea dictum est, Sed etiam Ecclesiam suam ita sit multiplicaturus & dilataturus, ut subijcianatur ei exteræ gentes, & agnoscant eam pro domina sua Ægyptij,

Æthiopes & uicinæ his gentes Sebaim. Efficiam ut labor (inquit) Ægypti, ut incolæ Ægypti, duriter laborantes, & Æthiopes negociationibus dediti, & Sebaim, quorum incolæ celebres sunt longitudine staturæ, ueniant ad te, populum seu ecclesiam meam, & tradant se tibi captiuos. Sequentur te uincti compedibus. Venerabuntur te, tanquam Regem seu magistratum suum, & erunt tibi supplices. Hæc non possunt referri ad tempus reditus ex captiuitate Babylonica. Iudæi enim post reditum suum, nunquam uenerunt in tantam uel potentiam, uel maiestatem, ut Ægyptij & Æthiopes agnouerint & coluerint eos, tanquam reges & magistratus suos: Sed referenda sunt ad tempus reuelati & uulgati euangelij DOMINI nostri Iesu Christi per Apostolos in totum orbem terræ. Tunc enim Ægyptij, Æthiopes & finitimæ Gentes, tradiderunt se captiuos Iudæis, & facti sunt eis supplices, cum subiecerunt se prædicationi Apostolorum, & crediderunt euangelio per Apostolos prædicato. An non Æthiops Eunuchus, præfectus Candaces reginæ Æthiopiæ, factus est captiuus & supplex Philippo, iuxta hanc Esaiæ propheciam, cum tradidit sese ei non tantum erudiendum, sed etiam baptisandum in nomine Iesu Christi, quemadmodū scriptum est Acto. octauo? Extat in Ecclesiasticæ historiæ monumentis, quod cum Marcus Euangelista Euangelion de Iesu Christo in Ægypto prædicaret, tanta uirorum & mulierum multitudo Christum per fidem agnouerint, & honestate uitæ suæ fidem testati sint, ut omnibus, etiam Ethnicis fuerint miraculo. Hoc certe illud est, quod in Esaia ad ecclesiam dicitur: Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ, & uiri longi Sebaim ad te transibunt, Tui erunt, post te ibunt in compedibus. Quotquot enim Euangelion fide accipiunt, ijs injiciuntur compedes, ut uelut captiui comprehendantur. Sed sunt fœliciſsimæ compedes, quibus abducuntur homines ab impia idolatria ad uerum cultum Dei, à peccatis ad iusticiam, à morte ad uitam, ab inferno ad cœlum, per Iesum Christum filium Dei. Huc facit, quod & infra capite 49. dicitur: Reges erunt nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedem tuorum lingent &c. Et capite 60. Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt uestigia pedum tuorum &c. Sed quid causæ est, quod aliæ gentes fiant Iudæis, seu Apostolis, & ecclesiæ Dei supplices, & tradant sese eis quasi captiuas? Sequitur:

TANTVMMODO IN TE EST DEVS, PRÆTER QVEM NVLLVS EST DEVS. Dicuntur & hæc uerba ad Apostolos, & cœtum, Apostolica doctrina collectum, sed de Christo filio Dei, qui ab Apostolis in tali cœtu prædicatur. Hæc igitur est causa, propter

pter quam Ægyptij & reliquæ gentes accedunt ad Iudæos, seu Apostolos, & ecclesiam eorum, quia tantummodo in te est Deus, præter quem nullus est Deus. In nulla alia gente, in nullo alio cœtu reperitur uerus Deus, Sed in solo Apostolico cœtu. Is uerus Deus, est DOMINVS noster Iesus Christus. Primum enim, Christus filius Dei, uerus ab æterno Deus uersatus est externo suo contubernio, & prædicatione tantum inter Iudæos, & inter Apostolos ac reliquos suos discipulos. Non uenit personali sua prædicatione ad exteras gentes. Quare de cœtu Apostolico inter Iudæos, uere dicitur: Tantummodo in te est Deus, præter quem nullus est Deus. Etsi enim præter Christum, sunt in diuina natura aliæ duæ personæ pater & spiritus sanctus, tamen præter eum non est alius Deus, etiamsi sunt, ut Paulus ait, qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra. Deinde, Christus inuenitur in sola Apostolica doctrina. Non inuenitur in doctrina Philosophorum, non in doctrina deorum gentilium, non in doctrina Poëtarum, sed in sola Apostolorum doctrina. Quare uere dicitur, quod tantummodo in Apostolica ecclesia uerus sit Deus, præter quem nullus est Deus. Postremo, quia Christus, uerus Deus inuenitur in sola ecclesia per doctrinam Apostolorum ædificata, idcirco inuenitur etiam in ea sola uerus cultus Dei, uera inuocatio, uera iusticia & salus. Neque enim aliud est nomen hominibus datum, præterquam Iesus Christus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare separemus nos fide & moribus ab omnibus alijs cœtibus siue Turcarum, siue Iudæorum, siue Papistarum, & Monachorum, & coniungamus nos cum ea ecclesia, in qua sonat doctrina Apostolorum, & in qua tantummodo inuenitur uerus Deus, & uera salus. Habes causam, cur Ægyptij & aliæ gentes subijcient sese Israelitis, non quidem carnalibus illis & sordidis, tantum in sua circumcisione & Pharisaismo gloriantibus, sed ueris Israelitis, qui sunt Apostoli, qui & in hunc usum à Christo filio Dei uocati sunt, ut colligant doctrina euangelij ecclesiam ex omnibus gentibus. Vnde & supra capite secundo, Gentes euangelio Apostolorum excitatæ cohortantur sese mutuo, Venite, inquiens, ascendamus ad montem DOMINI, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas &c. Et Zacha. 8. In diebus illis, apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium fimbriam uiri Iudæi, dicentes: Ibimus uobiscum. Audiuimus enim, quoniam Deus uobiscum est.

VERE TV ES DEVS ABSCONDITVS, DEVS ISRAEL SALVATOR &c.

Cum filius Dei confessus sit, & dixerit testimonium de Apostolis, & de ecclesia per doctrinam Apostolicam ædificata, quod in ea sola inueniatur uerus DEVS, & uera salus, confitentur uicissim, & dicunt testimonium Apostoli & ecclesia eo-

rum de Iesu Christo: Vere, inquiunt, tu es Deus absconditus, & Deus saluator Israelis. Hæc est insignis confessio de Christo & maiestate ac officio eius. Ac plane conuenit cum Apostolica illa confessione, qua Petrus suo & collegarum nomine dicit: Tu es Christus filius Dei uiuentis. Et Paulus: Qui est Deus benedictus in secula. Et Ioannes: Hic est uerus Deus, & uita æterna. Vocatur autem Christus, Deus absconditus, ob alias, atq; alias causas. Primum, absconditus nobis est, quod ad essentiam eius attinet. Sicut enim nemo nouit patrem, nisi filius, ita filium nemo nouit nisi pater. Videbimus quidem eum in futuro seculo, sicut est, ut Ioannes ait: in hoc autem seculo, maiestas essentiæ eius, etsi fide agnosci debet, non tamen cognitione & intelligentia humanæ rationis comprehendi potest. Deinde absconditus est ab hominibus, quod ad consilia operum eius attinet. Opera enim sua ita instituit, ut longe alius sit finis eorum, quam initium polliceri uideatur. Permisit quondam ut Ioseph à fratribus suis uenderetur, ac postea in carcerem conijceretur. Hoc opus uidebatur Iosepho minari & afferre exitium, sed filius Dei meditatus est eo opere magnam & insignem gloriam Iosephi, quam etiam in ipsum suo tempore contulit. Indurauit Pharaonem in Ægypto, ut susciperet Israelitas opprimendos & delendos. Quo opere uidebatur gens Israelitica perritura. Sed consilium filij Dei erat, ut hac ratione Israelitæ & multiplicarentur, & liberarentur. Vocauit ex Babylone Nabuchodonosorem, ut uastaret urbem Hierusalem, & reliquias Iudæorum captiuas abduceret. Quid hoc aliud uidebatur, quam non solum Iudaicæ gentis, uerumetiam totius ecclesiæ Dei interitus? Sed filius Dei est absconditus Deus. Consilia operum eius initio sunt ab humano captu abscondita, in nouissimis autem cognoscuntur. Hac enim urbis Hierusalem uastatione maiestas Dei inter gentes reuelata, & ecclesia eius aucta est, quemadmodum supra sæpe indicauimus. Quid plura? Cum immittit populo suo bella, cogitat pacem: cum immittit morbos, cogitat sanitatem: cum immittit ignominiam, cogitat gloriam: cum immittit mortem, cogitat uitam: cum immittit horrores inferni, cogitat gaudium cœli. Sed quis talem finem, in operis initio, humana ratione comprehendere potest? Quare filius Dei, quod ad consilia operum suorum attinet, uere dicitur Deus absconditus. Postremo dicitur etiam Deus absconditus & tectus humana natura, humanis imbecillitatibus, cruce & morte. Cum enim uenit CHRISTVS in hunc mundum, uisus est tam imbecillis, ut esuriret, sitiret, algeret, doleret, caperetur, crucifigeretur, & moreretur. Quis talem iudicaret esse uerum DEVM? Et tamen uerus est DEVS, sed absconditus. Non tamen ita absconditus, ut nullo modo sese reuelarit. Cognitio enim eius necessaria nobis est ad iusticiam & salutem.

salutem. In cognitione sui, inquit Esaias aliàs, iustificabit multos. Et Ioannes: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quomodo ergo hic absconditus Deus reuelatur, ut cognoscatur? Non reuelatur externa & uisibili maiestatis suæ specie, sed prædicatione euangelij sui, & miraculis. Non cognoscitur ratione in homine nata, sed cognoscitur Fide e cœlo accepta. Audiamus igitur euangelion de Christo, & accipiamus doctrinam eius obedienti fide, ut cognito Christo, habeamus iusticiam & uitam æternam. Deinde, quod additur in confessione: Deus saluator Israelis, proprium est epitheton, imo officium filij Dei. Ipse enim, inquit angelus, saluum faciet populum suum, à peccatis suis. Et Petrus: Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

CONFVSI SVNT ET ERVBVERVNT, OMNES, SIMVL ABIERVNT &c.

Additur & in hac confessione antithesis piorum & impiorum, credentium & incredulorum, ut sciamus quæ beneficia consequatur ecclesia piorum, ab hoc abscondito Deo, & quæ supplicia maneant impios & contemptores huius Dei. Prior antithesis pars est de impijs, Confusi sunt &c. Hæc uerba legenda sunt, uel in præsenti, uel in futuro tempore. Fabricatores errorum, architecti idolorum, cultores alienorum deorum, sectatores humanæ iusticiæ meritorum confundentur, pudefient, & afficientur perpetua ignominia. Pollicentur sibi cultu idolorum suorum salutem, sed cum existimant se salutem accepturos, accipient interitum. Pollicentur sibi meritis operum suorum iusticiam coram Deo, & liberationem à morte, sed cum fruendum est iusticia & liberatione, non inuenient nisi peccatum, & infernum. Itaque tum maxime confundentur & pudefient, cum præsentissimum sacrorum suorum fructum sperauerint. Posterior pars antithesis est de ecclesia piorum. Israel autem, Saluatur in Domino æterna salute. Non pudefient, nõ erubescent usq; in seculum seculi. Israel est ecclesia credentium in Iesum Christum. Hæc saluatur in DOMINO, in Christo seruatore suo, salute æterna. Neque confundetur unquam per æterna secula. Diligenter hic obseruandum est quod diserte dicat, ecclesiam consequi æternam salutem, & non pudefieri in seculum seculi. Nam si statum ecclesiæ Christi in hoc seculo consideraueris, certe non uidetur nisi perire, & palãm pudefieri. Nec mirum. Sic enim accidit & Christo ipsi, capiti & seruatori ecclesiæ. Hic prædicauit se esse Messiam, & populi sui seruatorem. Sed captus et raptus postea ad crucem, ita pudefiebat, ut hostes eius non solum in sinu suo gauderent, uerumetiã publice ei insultarent, & in contumeliã eius exclamarent: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Si est rex Israelis, descendat nunc de cruce, & credemus ei. An non

hoc est publice coram uniuerso mundo pudefieri? Eadem est fortuna ecclesiæ Christi. An non ecclesia Domini pudefiebat, cum metropolis eorum Hierusalem ab impijs Babylonijs deuastaretur? An nõ confundebatur, cum post ascensum Christi in cœlum, Stephanus lapidaretur, alij uiri & mulieres in uincula conijcerentur & occiderentur? Obserua igitur, quod diserte dicatur de æterna, ęterna, inquam, ignominia & salute. Christus caput ecclesię notatus quidem est ignominia, non autem ęterna, sed tantum temporaria. Non descendit ad clamorem impiorum de cruce, sed paulo post resurgit â morte, & sedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Sic etiam ecclesia eius solet pudefieri, & uidetur perire, in hoc uidelicet seculo, & ad tempus, sed interea seruatur & glorificatur salute æterna. Vtrum ergo eligis? Ad tempus pudefieri, ut inæternum glorificeris, an ad tempus glorificari, ut in ęternum pudefias? Si sana mente præditus es, dubitare nõ potes, utrum sit eligendũ. Ne metuatis, inquit, ab ijs, qui occidunt corpus, animam autẽ non possunt occidere: Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Et: Melius est tibi ad uitam ingredi claudum aut mutilum, quam duas manus uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Habes igitur in hac confessione epitomen totius Euangelij, & Apostolicæ doctrinæ de Christo & maiestate eius. Nam quod dicitur: Vere tu es Deus absconditus, & Deus Israelis saluator, hoc illud est, quod Petrus ait: Certo sciat tota domus Israel, quod Dominum & Christum fecerit (seu declarauerit) Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Aut illud, Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et quod dicitur: Confundentur, erubescent omnes &c. hoc illud est, quod ad Apostolos dicitur: Qui crediderit (euangelio) & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur.

QVONIAM SIC DIXIT DOMINVS CREANS COELOS, IPSE DEVS FORMANS TERRAM &c.

Etsi filius Dei oppositus hactenus sæpe ac multum maiestatem suam dijs & idolis gentium, ut contineat pios in officio pietatis, tamen quia animi offensi fœlicitate impiorum & sua infœlicitate indigent copioso uerbo, tractat iterum idem argumentum, & facit inter se et deos gẽtium antithesin, in duabus rebus, in publica uidelicet prædicatione legis & euangelij, & in liberatione e periculis. Sed priusquam hanc antithesin in medium proponit, recitat more suo titulos & epitheta sua, ut explicata maiestate sua paret sibi audientiam & autoritatem, ac his quoq; afflictos consoletur, & bene eos de sua salute & liberatione sperare iubeat. Sic, inquiens, dicit Dominus. Quis Dominus? Primum, Creator cœlorum. Deinde,

inde, Deus ille, qui finxit seu formauit terram. Adhæc, Deus ille, qui non solum finxit, sed etiam parauit terram, uidelicet, ornans et uestiens eam uarijs herbis, fruticibus & arboribus. Præterea Deus ille, qui non frustra creauit, & parauit terram, qui non in hoc eam formauit, ut esset uasta, & tantum ferarum habitaculum, sed ut inhabitaretur. Hoc, cum intelligi possit de uniuersa terra, tamẽ quia Deus præcipue in terra Israel reuelatus est, sentiamus hic præcipue de Israelis terra sermonem fieri. Verbum autem inhabitandi non tantum respicit ad externum hominum incolatum, & agrorum culturam, sed maxime omnium, ad culturam piæ doctrinæ & ueræ religionis. Filius enim Dei dedit posteris Patriarcharum terram Canaan, non in hunc finem, ut tantum urbes possiderant, & agros colant, & ut delicijs in ea fruantur, sed is est principalis finis huius inhabitationis, ut incolæ Israelitæ essent custodes uerbi Dei, Propheticorum uaticiniorum, ac precipue promissionum de Christo, & propagarent nomen & gloriam Dei ad posteros, donec filius ipse Dei ueniret & uulgaret euangelion suum in uniuersum mundum. De qua re supra copiose diximus. Cum igitur hic sit principalis finis inhabitationis terræ Canaan, non est difficilis ratio, quod uerbum inhabitandi hęc omnia complectatur. Nec ociose recitatur, sed proponitur ad consolandos eos, qui uaticinio futuræ uastationis Hierusalem, aut postea præsenti captiuitate cõterriti fuerunt. Si enim terra Israel precipue ad hunc usum selecta, & posteris Abrahę inhabitanda diuinitus data est, ut conseruaretur in ea promissiones de Christo, certa esset gens, certa familia, e qua Christus nasceretur, certus quoque locus, in quo nasceretur, & euangelion suum concionaretur, facile potuit conijci, quod etiamsi ea terra aliquanto tempore uasta esset, tamen quia Christus nondum aduenerat, fieri non potuit, ut semper maneret uasta, sed necesse esset, ut uel tandem reducerentur in eam Israelitę. Sic et his temporibus Christus filius Dei instaurauit mirifice in ecclesia sua syncerum euangelion salutis, & dedit ecclesiæ clemẽter huius euangelij possessionem. Contra autem, instituta etiam est ab aduersarijs manifesta euangelij corruptela, nec aliud ab ipsis agitur, quam ut hanc lucem diuinitus accensam, in ecclesia, extinguant. Sed bene confidamus. Filius Dei non ostentauit nobis uanam tantum speciem instaurationis ecclesiæ, sed absoluet opus, quod instituit, & tuebitur beneficium suum, ut quanto horribiliorem uastitatem euangelij hostes meditantur, tanto maiori gloria potentia filij Dei in cõseruando euangelio suo illustretur. De his autem aliàs. Nos reuertemur ad propositum. Nam in titulo filij Dei etiam hoc additur: Ego Dominus & nullus alius. Hoc est breue compendium omnium titulorum & epithetorum filij Dei. Sententia enim hæc est. Quid pluribus opus est? Quid necesse est multis uerbis meam ma-

ieſtatem exponere? Conferam in pauciſsima. Ego ſum Dominus Deus ille, præter quem non eſt alius Deus. Audiamus igitur, quid ille tantus concionetur. Non in abſcondito, inquit, locutus ſum, nõ in loco terræ tenebroſo &c. Supra dixi, filiũ Dei opponere in hac concione maieſtatem ſuam dijs & idolis gẽtium, in duabus rebus. Vna eſt publica prædicatio legis & euangelij. De hac ergo dicit: Non in occulto locutus ſum &c. hoc eſt, Magnum eſt diſcrimen inter me & deos gentium. Ego enim ſemper hoc ab initio mundi egi, ut ueram & piam doctrinam, quæ ad conſequendam ueram iuſticiam & ſalutem neceſſaria eſt, publice, aperte, & diſerte per meos miniſtros adnunciarem. Non abſcondi meam legem, nõ cẽ laui meas promiſsiones. In hunc uſum ſelegi Patriarchas, ut per eos uera doctrina uulgaretur, & propagaretur. In hunc uſum elegi poſteros Patriarcharum, ut eſſent publici cuſtodes meæ doctrinæ. Ac primum quidem promulgaui decalogum meum, non in antro quodam obſcuro, ſed in publico monte Sinai, audientibus pluſquam ſexcentis milibus hominum, & cœleſtia miracula cõram uidentibus. Deinde collocaui Iſraelitas in terra Canaan, ut ibi conſtituta politia promiſsiones meæ per Prophetas explicarentur & conſeruarentur. Hæc terra non eſt ignobilis & obſcura, ſed eſt clariſsima. Etſi enim non eſt ualde ab Ethnicis ſcriptoribus, ſuarum tantum gentium admiratoribus, celebrata, tamen quia in ea terra dicitur Adam creatus, & fuit prima ſedes Patriarcharum, habuitque præterea multa alia commoda, non potuit non eſſe ſuo tempore inter gentes celeberrima. Cum igitur filius Dei patefecit doctrinam ſuam in hac terra, uere dicitur non in abſcondito, nec in terræ loco tenebroſo locutus eſſe. Et additur: Non dixi ſemini Iacob fruſtra: Quærite me. Pro fruſtra, hebræus habet תֹהוּ Thohu, quod ſignificat uaſtum ſeu incultum. Sententia igitur eſt, Non reuelaui uerbum meum, in loco uaſto, & inculto, & in ſolitudine, in qua nulli homines erant, ſed in maxima hominum frequentia. Etſi enim deſertum dicebatur is locus, in quo promulgabatur inicio decalogus, tamen tunc non erat ab hominibus uacuus, ſed frequentiſsimus, quippe quod Iſraelitarum erant ſexcenta milia hominum, præter uulgum, pueros & mulieres. Quare, quod ad hanc eius temporis frequentiam attinet, fuit locus minime obſcurus & priuatus, ſed publicus et longe omnium clariſsimus. Nec uolo, conſideres tantum claritudinem loci, in quo promulgaui doctrinam meam, ſed etiam materiam & argumentum doctrinæ. Dixi ſemini ſeu poſteris Iacob: Quærite me, Et ego ſum Dominus loquens iuſticiam, & adnuncians, quæ recta ſunt, hoc eſt, Verbo meo, quod promulgaui, non docui uana, futilia, & anilia, ſed docui timorem ueri Dei, docui facere quæ iuſta & recta ſunt, docui ueram fidem, ueram inuocationem, & ueram uitæ honeſtatem, ut

qui

qui uerbum meum sectaretur, ueram & æternam salutem consequeretur. Hæc est materia, hoc est argumentum meæ doctrinæ, quam ab initio per Patriarchas reuelaui, & postea per Prophetas in terra Canaan illustraui. Postremo, filius Dei non intelligit hac concione ea tantum, quæ de promulgato decalogo, & illustratis promissionibus per Prophetas, in terra Israelitarum prȩterierant, uerum intelligit etiam ea, quæ futura erant de diuulgando euangelio suo ex Zion, in totum orbem terræ. Hæc diuulgatio, ut non est facta in obscuro terræ loco, quia cœpta est in Hierusalem, ita non est obscuro modo facta, sed maximis & stupendis miraculis. Nec est cœpta inter paucos homines, sed publice in die festo Pentecostes, quo maxima hominum multitudo congregari solebat. Et hæc doctrina, quæ per Apostolos in die Pentecostes promulgata est, non continet uana quædam somnia de rebus futilibus, sed affert ueram & æternam iusticiam ac salutem. Quare, si hanc doctrinam autore filio Dei promulgatam respexeris, uerissime dicit, se non in deserto aut uasto loco semini Iacob dixisse: Quærite me, nec locutum esse uana, sed locutum esse iusticiam, & adnunciasse, quæ recta sunt. Huc mihi nunc confer deos gentium, & doctrinam eorum. Primum enim, si quid docuerunt per suos uates, ea docuerunt in obscurissimis locis, in antris & speluncis, ac nullis plane testibus. Habent suos magos, suos diuinaculos, suos ἐγγαστριμύθους, quos uerius murmurare q̄ loqui dicas. Deinde, doctrina eorum de quibus, obsecro, rebus constat? non certe de uera iusticia, de bonis moribus, de æterna salute, sed de rebus uanissimis, de asini, quod aiunt, prospectu, de turpitudine patranda, de crudelitate exercenda, & de id genus alijs. Quod si oracula eorum consideraueris, ea aut sunt ambigua, & flexiloqua, aut obscura. Quare ex ipsa doctrinæ collatione perspicue patet, deos gentium esse uanissimos, Deum autem Israelis esse solum uerum adorandum & colendum Deum. Hic nunc uide mihi, quanti doctrina, quæ sacris literis continetur, facienda sit. Filius Dei tanti eam facit, ut auctoritate eius probet suam diuinitatē & refutet gentilium deorum uanitatem. Quid igitur nos faciamus? Certe omne studium nostrum in cognoscenda ea collocandum est. Nam, ut hæc sola doctrina, est uere cœlestis, & cœlestibus miraculis confirmata, ita affert nobis ueram & cœlestem iusticiam, ac patefacit nobis aditum ad sempiternam salutem. Aliæ doctrinæ, uel Philosophorum, uel Iurisconsultorum, uel medicorū, uel aliarum id genus rerum, sunt ad hanc quidem humanam uitam utiles, & possunt studiosos suos reddere eruditos, aut diuites, aut potentes, & celebres in hoc seculo, non possunt autem eos reddere coram Deo iustos, ac uere beatos. Sola hæc doctrina, quam hoc loco filius Dei nobis commendat, & quæ in sacris literis continetur, utilis est, ut Pau-

lus ait. ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quę est in Iusticia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Sed persequamur & alterum, quo filius Dei opponit sese dijs gentium. Nam dij gentium non possunt ullum hominem e periculis liberare & seruare. Filius autem Dei, ut longe ante promisit suis liberationem & salutem, ita etiam pręstat eam illis liberalissime. Nec uni tantum genti, sed uniuerso orbi terrarum offert salutem suam. Sic enim sequitur: Congregamini & uenite, accedite simul uos liberatores Gentium. Nam pro eo quod uulgata editio habet: Qui saluati estis ex gentibus, legendum est, Saluatores seu liberatores Gentium. Alloquitur autem deos Gentium, & sacrificulos eorum, qui cultoribus suis promittebant quidem salutem & liberationem ex omnibus periculis, sed nihil harum rerum unquam uere pręstare potuerunt. Agite ergo (inquit) uos Gentium saluatores conferte in unum omnia consilia, omnes uires, omnē potentiam uestram, non tamen potestis pręstare, quod uestris cultoribus pollicemini. Sed quid opus est hos pluribus alloqui? Res ipsa docet, quod Gentium sacrificuli sint homines stupidi & omnium diuinarum rerum ignari. Leuant lignum sculpturæ suæ, portant ligneum simulacrum humeris suis, & inuocant eum Deum, qui non potest saluare. Tam stupidi sunt, ut etiamsi reipsa, adeoque humeris suis sentiant, quod is Deus, quem inuocant, non possit seipsum seruare, nec possit seipsum mouere, sed necesse habeat humanis humeris gestari, & hinc inde transportari, adhuc tamen sperant se cultu eius consecuturos salutem, & liberationem ā malis. Quid magis insanum excogitari potest? Vos igitur sacrificulos, imo etiam deos Gentium appello. Conuenite, conferte consilia uestra, & dicite nobis, quis iam olim ita uaticinatus sit de salute suæ gentis, ut etiam eam præstiterit? Et quis hactenus suo populo liberationem e malis ita prædixerit, ut etiam reipsa impleuerit? Certe non inuenietis ullum talem Deum aut sacrificulum inter uos, & in uestro ordine, sed ego filius Dei hoc præstiti, qui solus sum uerus DOMINVS ac Deus, & præter quem non est alius. Non enim est Deus iustus & saluans, præter me. Non est Deus, præter me, qui cultores suos uere iustificet, & saluet. Quare cohortor uos omnes Gentes, omnes fines terræ, ut relictis idolis uestris, ad me respiciatis. Hac enim sola uia ueram salutem consequi potestis. Ego enim solus sum uerus DEVS, nec præter me est alius. Sed ut diuinitatem & maiestatem meam apertius testificer, confirmo eam meo ipsius iuramento. Iuro per meipsum (non enim habeo me maiorem) & quod uerbis meis iuro, hoc tam iustum, tam rectum, tam uerum & firmum est, ut retractari non queat. Iuro igitur per meipsum, quod tanta sit mea maiestas & dominatio, ut omne genu mihi incuruetur, & omnis lingua per me iuret,

me iuret, (hoc est) omnia, siue cœlestia, siue terrestria, siue infera na necesse habeant mihi subijci, & me superiorem ac Dominum ipsorum agnoscere. Per quem enim quis iurat, eum maiorem se agnoscit. Porro, inter homines, quisquis dixerit: In DOMINO duntaxat sunt meæ iusticiæ & imperium seu robur: quisquis ex fide confitebitur, quod non habeat in se ullam iusticiam & uires consequendæ salutis, sed habeat ea tantum in DOMINO, in filio Dei, Iesu Christo, is etiam perueniet ad eum, adoptabitur per eum in filium Dei, fiet cohæres eius, fiet particeps omnium bonorum eius, & erit, ubi ipse est. Reliqui autem, qui repugnant ei, confundentur. Breuiter, Omne semen Israelis iustificabitur & laudabitur seu gloriabitur in DOMINO, hoc est, Vniuersa ecclesia credentium, consequetur in DOMINO Iesu Christo filio Dei, tantam iusticiam, ut de ea etiam coram tribunali Dei gloriari queat. Hactenus percurrimus hanc παραφραστικῶς paraphrasticõs, nunc perstringemus quædam singulariter obseruanda. Sed priusquam ad ea exponenda accedamus, non est oscitanter considerandum, quod hoc dictum, Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua, citet Paulus in Epistola ad Romanos capite decimoquarto, & interpretetur de Christo. Sic enim ait: Omnes sistemur tribunali Christi. Scriptum est enim: Viuo ego dicit DOMINVS, quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur (Sic enim legunt LXXta, pro eo quod est in Hebræo, Iurabit) Deo. Hic manifeste uides, quod Paulus eum DOMINVM, cui sese flectant omnia genua, intelligat Iesum Christum filium Dei. Sciamus igitur, quod testimonio Pauli, qui est organon spiritus sancti, & optimus interpres scripturæ, non solum tribuenda sit hæc Esaiæ concio Christo filio Dei, quemadmodum supra admonuimus, sed etiam quod Christus prædicetur uerus ab æterno Deus. Hoc diligenter est obseruandum, ut habeamus perspicuum spiritus sancti testimonium, quod opponamus impijs Arrianis, Mahumetistis, & omnibus alijs, qui negant perpetuam Christi diuinitatem. Primum igitur, cum Christus dicit: Non est alius Deus præter me, Iustus & saluans, plane idem est, cum eo, quod in Euangelio dicit: Ego sum uia ueritas & uita, Nemo uenit ad Patrem, nisi per me. Et Petrus: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Nam cum uocatur Iustus, non est proprie intelligendum de iusticia, qua in se tantum iustus est, sed qua credentes in ipsum iustificat, aut reputat iustos. Vnde Roma. tertio dicitur: Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu. Si enim filius Dei, sic tantum iustus esset, quemadmodum seuerus iudex iustus est, reddens unicuique iuxta merita sua, quis posset coram hac iusticia consistere? quis tantum habet meritorum, ut queat de his coram

tribunali filij Dei gloriari, & præmium postulare? Sed bene habet. Filius Dei, etiam sic iustus est, ut iustificet, seu reputet iustos, quotquot in ipsum credunt. Tantæ enim est clementiæ & bonitatis, ut quam ipse iusticiam habet coram Deo patre suo, eam donet ac imputet omnibus in ipsum credentibus, ut etsi habent adhuc peccatum in carne & sanguine, tamen possint in conspectu Dei hac iusticia, extra se, in solo CHRISTO posita, non aliter gloriari, quam si eam in carne & sanguine suo possiderent ac sentirent. Quemadmodum & Dauid (inquit Paulus) explicat beatitudinem hominis, cui Deus imputat iusticiam, absque operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauerit DOMINVS peccatum. Et 2. Corinth. 5. Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis, quandoquidem Deus erat in CHRISTO, mundum reconcilians sibi, NON IMPVTANS eis peccata ipsorum. Habes, quomodo Christus sit Deus iustus, non imputans uidelicet, credentibus peccata, sed imputans suam iusticiam. Nunc uideamus etiam, quomodo sit Deus SALVANS: nam & hoc epitheton tribuitur ei. Non enim talis est saluator, qualem eum fingunt hypocritæ, qui sedeat in cœlis ociosus spectator humanorum meritorum, iuxta quæ alium seruet, alium damnet, quales sunt agothetæ, qui præmia pro meritis distribuunt, sed est talis, qui credentes in ipsum, nullis prorsum meritis, sed tantum gratuita sua clementia & misericordia seruet. Gratia, inquit Paulus, saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Et iterum. Bonitas & amor seruatoris nostri Dei apparuit, non ex operibus, quæ sunt in iusticia, quæ nos faciebamus, sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit &c. Quid ergo dicemus? Num Christus talis gratuitus est saluator, ut interea non sit quoque iustus & seuerus iudex? Cur ergo dicitur Reddere unicuique secundum opera sua? Certe Christus est, & manet semper iustus & seuerus iudex omnium hominum, uiuorum & mortuorum. Sed in hoc iusto & seuero iudicio, nemo constare potest, præter eos, qui agnouerunt ipsum ex euangelio eius, & credunt in ipsum, & afferunt secum iusticiam donatam seu imputatam à Christo. Reliqui enim omnes homines, qui Christum aut non quæsierunt, aut contempserunt, non afferunt secum ad tribunal Christi, nisi sua humana opera. Quare iudicabuntur etiam secundum merita eorum. Qui autem uere credunt in Christum, hi afferunt secum, non operum suorum merita, sed iusticiam Christi. Quare & secundum hanc iudicabuntur, ut fiat iustissimum iudicium, & reddatur unicuique secundum opera sua, illis quidem damnatio, quia non habent nisi humana

mana merita, quæ coram Deo non sunt tanti, ut possint factorem seruare: his autem salus & uita, quia afferunt secum, non humana merita, sed tantum meritum filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi, quod solum potest coram tribunali Dei constare, & credentem seruare.

Secundo, quod dicit, Conuertimini seu Respicite ad me, et salui eritis omnes fines terræ, Primum quidem docet salutem Christi omnibus offerri & proponi, sine ulla personarum acceptione, non Iudæis tantum, sed etiam gentibus. Omnes, inquit, fines terræ. Quod alias Paulus ait: Non est distinctio uel Iudæi, uel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit. Deinde docet, quo modo, quo medio, qua ratione homines consequantur salutem Christi. Non enim consequuntur eam auersione uultus à Christo, sed respicientia ad ipsum. Respicite, inquit, ad me. Vt fruaris mea salute, non est respiciendum ad idola, ad deos gentium. Nec est respiciendum ad ἐθελοθρησκείαν, ad cultus humana ratione confictos. Nec est respiciendum ad ulla ullorum humanorum operum merita, sed est respiciendum ad me Iesum Christum filium Dei. Quomodo ergo respicitur ad Christum? Respicitur ad eum sola fide. Non enim est alia uirtus, non est aliud organon, quo Christus apprehenditur & accipitur, præterquam fides. Nam quemadmodum hi, qui in deserto, ab ignitis serpentibus uenenati erant, consequebantur solo ænei serpentis, à Mose, diuino uerbo instituti, aspectu, sanitatem, ita oportet, inquit, exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Nihil ne aliud faciendum, quam ut respicias, hoc est, credas in Christum, et statim consequeris salutem? Sic certe Paulus custodi carceris quærenti, quid oporteat facere, ut saluus fiat, respondet: Crede inquiens, in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Sic ad mulierem peccatricem dicitur: Mulier, fides tua saluam te fecit, uade in pace. Licet igitur alioqui quiduis facere? Minime omnium. Vt iustificeris, ut consequaris remissionem peccatorum, ut reputeris coram DEO iustus, ut saluus euadas mortem ad æternam uitam, sola fit fide in Iesum Christum. Sed accepta hac fide diuinitus, accipitur etiam spiritus sanctus, qui mortificat carnem, qui excitat in corde nouos motus, spem, inuocationem, caritatem, & omnia genera uirtutum. Fidem enim regeneratio necessario sequitur, ut exuto uetere homine, nouum induamus, qui secundum Deum creatus est. Quare, qui sectatur cupiditatem carnis suæ, & sinit peccatum in corpore suo dominari, etsi gloriatur de fide in Christum, tamen reipsa declarat & probat se non habere ueram fidem, sed tantum ficticiam, & qualem so-

lent etiam dæmones habere, qui credunt quidem, imo sentiunt Christum esse uerum filium Dei, & contremiscunt, nihil autem meliores aut fœliciores fiunt.

Tertio, Quod dicitur: Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua, hoc, ut Paulus ad Romanos scribens, quemadmodum ante ostendimus, interpretatur de Christo filio Dei, ita ad Philippenses scribens, copiose explicat: Humilem, inquit, præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu, OMNE GENV se flectat, cœlestium, terrestrium, ac infernorum, omnisque lingua confiteatur, quod DOMINVS sit Iesus Christus ad gloriam Patris. Habes maiestatem Iesu Christi filij Dei, cuius consideratio late patet, ac multum habet usum. Nam si Christus est omnium cœlestium, terrestrium ac infernorum DOMINVS, certe solus hic metuendus, solus colendus & inuocandus est. Non sunt colendi, non inuocandi dij Gentium, non Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non alij sancti mortui, sed mihi, MI HI, inquit, filius Dei, curuabitur omne genu. Et: In nomine Iesu, ait Paulus, omne genu se flectat. Adhæc, si curuatur Christo omne genu, consequitur eum esse omnium DOMINVM & iudicem, ante cuius tribunal omnes nos, ut Paulus ait, stare oportet. Si autem omnes sistemur tribunali Christi, cur iudicas tu fratrem tuum? cur despicis fratrem tuum? Vnusquisque enim nostrum de seipso reddet Deo rationem. Præterea, si Christo necesse habet omne genu curuari, & eum iudicem suum agnoscere, quid aut tam cupide ambis hominum fauorem, aut tam muliebriter metuis hominum minas? Neque enim hominum fauor te iuuare potest, hoc iudice irato, & te odio habente, neque hominum minæ lædere possunt, hoc iudice propicio. Si enim DEVS pro nobis, quis contra nos? Quare hoc solum nobis est metuendum, ne hunc iudicem impietate nostra ad iracundiam prouocemus, sed danda est summa opera per fidem, & obedientiam fidei, ut nobis faueat, & fauorem suum erga nos perpetuo retineat.

Quarto, quod ecclesia confitetur: Tantum in DOMINO (inquiens) sunt iusticiæ meæ & robur. Et mox: In DOMINO iustificabitur & gloriabitur omne semen Israelis, perspicue reijcit omnem iusticiam operum, & commendat solam iusticiam fidei. Ac plane illud est, quod Paulus ad Corinthios scribens, IESVS CHRISTVS, inquit, factus est nobis sapientia à Deo, iusticiaq; & sanctificatio & redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in DOMINO glorietur. Nostra enim iusticia non est in operibus: Etsi operum iusticia necessario faciendа

enda est, sed est tantum in DOMINO Iesu Christo. Non est in nobis, re, sed fide. Non est intra nos, sed extra nos, In solo Christo, quia etsi accipimus spiritum sanctum, qui excitat & inflammat nos ad facienda opera iusticiæ, tamen quia caro adhuc rebellat spiritui sancto, ea opera non sunt perfecta iusticia, sed quia credimus in Christum, imputatur nobis iusticia Christi, quæ sola est perfecta, & constare potest coram tribunali Dei. Et hæc quidem intelligenda sunt de statu piorum in hoc seculo. Nam cum abiectis imbecillitatibus carnis resurgemus per Christum DOMINVM nostrum, tunc non erimus amplius fide tantum, & extra nos iusti, sed habebimus reipsa ueram & perfectam intra nos iusticiam, & fruemur perpetuo eius fructu, cum IESV CHRISTO, iustificatore nostro. Nunc filij DEI sumus, inquit Ioannes, & nondum apparuit id quod futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est &c.

CONFRACTVS EST BEL, CONTRITVS EST NEBO: FACTA SVNT SIMVLACHRA EORVM &c.

Siue hæc περικοπὴ pertineat ad finem præcedentis capitis, siue ad principium sequentis, siue sit fragmentum concionis ex ore Esaiæ exceptum, & literis mandatum, siue inter chartas Esaiæ post mortem suam repertum, & in hoc loco ab ijs, quibus prouincia componendarum & ordinandarum in unum uolumen concionum Esaiæ demandata fuit, collocatum, certe speciem habet carminis, quo idolorum uanitas palam traducitur, & idolatræ suauiter ridentur. Etsi autem hæc pericope possit generaliter intelligi de impotentia & ruina idolorum, quod sint imbecilliora, quam quæ per se consistere queant, quod necesse habeant ab alijs de loco in locum transferri, quod sint oneri gestantibus etiam iumentis, tantum abest, ut hominem seruare, & ab oneribus suis liberare possint, tamen quia interpretes, moti ex eo, quod dicitur: Anima eorum in captiuitatem ibit, referunt huius uaticinij impletionem ad tempora Cyri, qui expugnata Babylone, diripuit & auexit aureos & argenteos deos eorum, sequemur & nos hanc sententiam, & intelligemus Prophetam uaticinari de ruina Babylonicorum idolorum sub Cyro facta. Confractus est Bel, uel ut hebræus legit: Incuruatus est seu inclinauit Bel, ruit Nebo. Belum fuisse Deum seu Idolum Babyloniorum notum est ex Apocrypha seu historia seu fabula quæ Danielis libro adiecta habetur. Et testantur post Berosum, Diodorus Siculus & Agathias, quod Babylonij & Persæ Iouem uocauerint Belũ. Fortasis nomen Bel בל detruncatũ est ex nomine, בלע bld & ipsum absq; pun

ctis, legitur Bæl. Alij scribunt Belum fuisse patrem Nini. Et hinc ex statua Beli, quam Ninus in honorem parentis instituerat, ortam esse Idolatrian. Sed hæc uteunque se habeant, manifestum est ex hoc Esaiæ loco, Bel fuisse Idolum Babyloniorum, similiter & Nebo. Hæc dicit Esaias iam cadere & corruere. Et addit: Simulacra eorum facta sunt bestijs & iumentis: hoc est, imponuntur asinis & equis ut auehantur. Intelligenda igitur sunt hæc de aureis & argenteis idolis. Nam lignea non habentur tantæ curæ, ut magno impendio alio auehantur. Sed pergamus. Onera uestra graui pondere usq; ad lassitudinem &c. hoc est, Vestra simulacra, pondere suo tam grauia sunt, ut etiam fortissima iumenta, quibus auehenda imposita sunt, defatigent. Et quid plura? Idola uestra simul ceciderunt & corruerunt, nec possunt suum ipsorum onus seruare aut liberare, sed necesse habent hostium captiua esse, & in reliqua præda abduci. Tribuit autem eis animam. Anima eorum, inquit, in captiuitatem abit, non quod idola uiuant, sed quod Propheta rideat ea, quæ si animam haberent, potuissent aufugere, & sese liberare, aut iumentis non essent tanto oneri. Vide autem mihi rem mirandam. Quo tempore uaticinatus est Esaias, Idolatria Babyloniorum uidebatur firmissime constituta, & confirmabatur postea insigni illa uictoria, quam rex Babylonius, non tantum ex alijs gentibus, quæ Idolatriæ seruiebant, sed etiam ex Iudæis, qui gloriabantur se uerum Deum colere, reportabat. Præterea, ab huius uaticinij tempore, usque ad uictoriam Cyri, quo tempore Belus Babyloniorum confractus, & auectus esse dicitur, aberant pene ducenti anni. Et tamen Propheta dicit: Belum iam incuruari & cadere, imo iam incuruatum & deiectum esse. Sed meminerimus Prophetarum esse, futura commemorare, non quemadmodum in oculis hominum apparent, sed quemadmodum uere sunt coram Deo. Idola Babyloniorum erant coram Deo abominanda, & sententia Dei iam lata erat, quod essent diripienda & confringenda. Quare recte dicuntur iam esse direpta & confracta, præsertim cum talia quoque haberentur in cordibus piorum, etiamsi extrinsecus maxime omnium florere adhuc & constare uidebantur. Quod Esaias de Idolis Babyloniorum uaticinatur, hoc transferendum est ad omnia impia sacra quarumcunq; gentium, quæ etsi firmantur non potentia tantum Monarcharum, sed etiam consensu totius orbis, tamen coram Deo iacent iam, et sunt uere conculcata. Iulianus Imperator, cognomento apostata, etsi primum profitebatur Christianam doctrinã, tamen, cum Romanarum rerum potitus esset, iussit instaurari non tantũ templa Ethnicorum, seu ut tunc loquebantur, paganorum, uerumetiam templum Hierosolymitanum, iamdudum diuino decreto dirutum. Sed quid effectum est? Hæc omnia erant coram Deo abominanda,

minanda,& iam lato iudicio abrogata. Quare etsi Monarcha conferebat uires suas ad ea instauranda & tuenda,tamen non potuerunt diutius constare,quam Dominus sententiam iudicij sui reuelaret,& exequeretur. His temporibus restituitur alicubi impietas Missarum Papisticarum. Sed confidenti animo simus,Missæ impietas cecidit in conspectu Dei.Non potest igitur fieri,ut homines,quantauis potentia præditi sint,queant ipsam diu conseruare & tueri. Sententia Dei in Missam Papisticam lata & reuelata est. Quare nihil aliud reliquum est,quam ut pia obedientia expectemus huius diuinæ sententiæ executionem.

CAP. XLVI.

AVDITE ME DOMVS IACOB, ET OMNE RESIDVVM DOMVS ISRAEL, QVI PORTAMINI &c.

Sepe admonuimus antea lectorem,quod cum futura esset captiuitas Babylonica,Esaias susceperit in his capitibus ecclesiam Domini erudiendam & exhortandam,ne offensi sua infœlicitate,& Babyloniorum fœlicitate,deserat cultum ueri Dei,qui est fides in Christum promissum,& deficiat ad Idolatrian Babyloniorum. Idem argumētum tractatur etiam in hoc capite. Ac initio commemorat Christus filius Dei beneficia sua in ecclesiam. Deinde confert ad ea impotentiam & uanitatem ficticiorum deorum,ut hac collatione excitet populum suum ad contemptum idolatriæ,& ad studium ueræ pietatis. Audite me,inquit,domus Iacob,& omnes reliquiæ domus Israel,uidelicet,quæ ex tot cladibus,nunc per Syros,nunc per Assyrios,nunc per alios hostes illatis,adhuc supersunt. Audiat,inquam,uniuersa ecclesia Dei. Quid audiat? hoc mirum,quod sequitur: Portamini à me in utero,Gestamini à meæ uulua. Ego etiam is ipse sum,qui baiulabo uos usq; ad senectā,usq; ad caniciem. Ego,qui ab initio uos feci,uos condidi,uos in populum meum elegi,uos regeneraui, & hactenus educaui, suscipiam etiam uos humeris meis gestandos,baiulabo uos,& saluabo. Hæc est insignis & memorabilis concio,qua filius Dei pingit affectum suum erga ecclesiam populi sui iucundissima matris imagine. Sicut enim initio ὃ ἔμβρυον admirabiliter in utero matris formatur,deinde suis certis mensibus gestatur et fouetur,donec grandescat,& tēpus partus aduenīat. Interea mater sollicite curat,ne fœtū in utero gestatum ullo incommodo,quoad eius fieri potest,afficiat. Postq; aūt infans natus est,tractatur à matre magna cura,Lauaī,pānis inuoluitur, alitur,gestatur,mouetur. Breuiter,mater in hanc unam

rem

rem toto ſtudio incumbit,ut infans conſeruetur,& adoleſcat,ita etiam filius Dei,geſtat eccleſiam,tanquam mater in utero, & parit eam,ac ſumma ſollicitudine alit atq; educat ipſam. Et quidem longe ſuperat maternam curam in conſeruanda eccleſia ſua. Nam matres carnales,educant quidem natos ſuos mediocri cura,dum adoleuerint,& ad uirilem ętatem peruenerint. Poſtea autem,etſi non omnino ponũt curam ſuam,tamẽ quo grandior fit ætas natorum, eo minor quoq; fit matris ſollicitudo,quippe quod nati iam ſuo uiuunt arbitrio,& mater imbecillior redditur,quam ut poſsit natos iuuare:aut morte abripitur,ut non queat amplius natis in ſenecta ipſorum operam ſuam impendere. Filius autem Dei ſic amplectitur eccleſiam ſuam,ut curet eam ſumma ſollicitudine non tantum in infantia & adoleſcentia,uerumetiam in ſenecta,& decrepita ætate eius. Partiamur ergo eccleſiam in duo tempora,& clare uidebimus quanta ſemper cura filius Dei eam tam in infantia,quam in ſenectute conſeruauerit. Vnum tempus eſt,iam inde ab initio mundi,ab Adamo & Abraamo,uſq; ad aduentũ Chriſti in hunc mundum. Hoc tempore eccleſia habuit ſuam infantiam,adoleſcentiam, uirilem ętatem et ſenectutem. Infantia & adoleſcentia eius erãt ſub Patriarchis,& in exitu ex Ægypto. Quantis autẽ miraculis,quam admirabili potentia & cura educata & conſeruata tunc ſit eccleſia, notius eſt,quam ut hoc loco recenſeri debeat. Virilis ætas eius fuit ſub Dauide & alijs regibus. Ac tunc quidem maxime florere uiſa eſt. Senectus autem eius fuit,cum Iſraelitæ ejicerentur in exilia, cum reduces opprimerentur à finitimis gentibus,ac præſertim ab Antiocho,donec peruenirent ſub Herode Idumęo & Phariſæis ad decrepitam uſq; ætatem. Sed nec hoc tempore deſeruit eccleſiam ſuam filius Dei,quin potius ſicut ab initio in infantia,ita etiam tunc in ſenecta baiulauit eam,& inter medios hoſtes conſeruauit. Quo tempore Phariſæi rerum in Iudęa potiebantur,& Herodes tyrannidem inuadebat, uera eccleſia Domini uidebatur prorſus extincta,& ſepulta. Et tamen filius Dei geſtabat eam humeris ſuis ſaluam et incolumem. Etſi enim multitudo populi Iſraelitici ſequebatur Phariſaicas & Saduceicas impietates,tamẽ uera fides remanſerat in Zacharia,Elizabeth, Anna Prophetiſſa,Ioſeph,Maria,Paſtoribus,& in multis alijs. Alterum tempus eſt ab aduentu Chriſti uſq; ad finem mundi. Habet & hoc tempore eccleſia ſuam infantiam,adoleſcentiam,uirilem ætatem,& ſenectam. Ac in his ſingulis ætatis partibus filius Dei geſtauit & ſeruauit eam. Infantia & adoleſcentia erat,cum Chriſtus ipſe,& Apoſtoli eius prædicauerunt euangelion. Ætas uirilis erat, cum per Apoſtolicam doctrinam eccleſia colligeretur ex omnibus gentibus, & propagaretur ad poſteros gentium. Quantum ibi miraculorum inuenies? quam admiranda potentia filij Dei, in tuenda eccleſia ſua,ſub aduerſa-

rijs tam

ris tam Iudæis, quam gentibus, tam regibus, q̃ Cæsaribus, & alijs tyrannis. Nunc autem peruenit Ecclesia usq; ad senectam. Quid? Sentiemus ergo eam defecturam? Etsi uidetur minari maximam ruinam, quod & impia Sophistarum & Monachorũ doctrina, & grauissima hostium piæ doctrinæ tyrannide prematur, Salua tamen res est, quod filius Dei, qui ab initio eam infantem in utero gestauit, nec nunc quidem in senecta eius abiecit ipsam, sed quo infirmior uidetur senectutis morbo, eo diligẽtiori cura a Christo fouetur. Huc respicit etiam Esaias alias, cum ait, cap. xlix. Nunquid obliuioni tradit mulier infantem suum, quo minus misereatur filio uteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar, &c. Huc respexit Christus ipse, cum propter Ecclesiã suscepisset crucẽ: Tu es, inquit, qui extraxisti me de uentre, spes mea ab uberibus matris meę, In te proiectus sum ex utero. De uentre matris meę Deus meus es tu. Ne discesseris a me. hoc est, Cum me tutatus sis ab infantia usque, ne, quæso, hoc tempore, postquam grauatus sum cruce, & quasi ad senectam perueni, deseras me. Et in alio Psalmo: In te confirmatus sum ex utero, de uentre matris meæ tu es protector meus. Ac mox: Ne proijcias me in tempore senectutis, cum defecerit uirtus mea ne derelinquas me. Et iterum. Vsque in senectam & senium Deus ne deseras me. Consolemur igitur nos hac promissione filij Dei, in his tristissimis temporibus, & confirmemus animum nostrum, certa fiducia concepta, quod etiamsi Ecclesia uideatur morbis senectutis suę pene deficere, filius tamen Dei gestet adhuc eam ulnis suis, & cõseruet ipsam in omnibus malis, præsertim, cum & alias tam perspicue dicat: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.

CVI ASSIMILASTIS ME, ET ADÆQVASTIS ET COMPARASTIS ME &c.

Commemorationem beneficij accommodat ad propositum suum, uidelicet, ad refutandam Idolatriam, & ad conseruãdum populum suum in officio pietatis. Cui, inquit, assimilastis me? Cum ego tanta beneficia in uos conferam, ut tuear & cõseruem uos, sicut mater fœtum suum, ab infantia usq; ad senectam, ac ne in senecta quidem deseram uos, cur, quæso, me tam uilem, tam abiectum æstimatis, ut uel instituatis, cõtra quam uerbo meo præcepi, in honorem, sicut uos iudicatis, nominis mei imagines, siue illas ligneas, siue etiam aureas, uel ab alijs institutas, ueneratione uestra adoretis? Etsi enim prætexitis huic cultui meum, non fictitij cuiusdam dei nomen, tamen hoc non est me colere, sed potius me ignominia & contumelia afficere, quippe qui hoc simulacrorum cultu existimatis me his uanissimis rebus, quas nõ præcepi, delectari, & me similem

esse sordidæ creaturæ, ex qua imaginem meam fingitis. Cogita ẽm mihi tu ipse, quanta sit stultitia, quanta insania eorum, qui instituunt & colunt imagines & statuas in honorem, ut ipsi loquuntur, Dei. Nam proferunt, & profundũt ex marsupio suo magna copia & pondere aurum & argentum. Et conducunt mercede conflatorem, qui faciat ex illo auro & argento Deum, seu Dei simulacrum. Quod cum confectum fuerit, instituunt in honorem Dei, & procumbunt ante illud, ibiq; preces suas tanquam nusquam alias Deo acceptiores effundunt. Ecce autem simulacrum, quod colunt, tam imbecille est, ut non possit se suis uiribus mouere, sed necesse habet humeris gestari, ac portari ad eum locum, in quo instituendum est. Et cum institutum fuerit, non potest amplius sese de eo loco mouere. Et si quis inuocauerit opem eius, nihil plane respondet, nec potest inuocantem e sua tribulatione liberare. Istud, inquit, memente, & reputate cum animis uestris, ut uosipsi cognoscatis quanta sit uanitas cultus simulacrorum. Sed priusquam cohortationem, quæ sequitur, perstringamus, ostendemus paucis, quæ singulariter obseruanda censemus, in his, quæ iam percurrimus. Ac primum, cum Paulus apud Athenienses concionaretur, Actorum decimoseptimo, uidetur omnino hanc concionem imitatus esse, ac explicasse. Deus, inquit, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt &c. Ac mox: Quamuis non longe absit ab unoquoq; nostrum. Per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus, sicut quidam uestratium poetarum dixerunt. Nam huius progenies sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapide arte sculpto & inuento hominis, numen esse simile &c. Deinde cum ait: Cui assimilastis ME, & cui comparastis ME, haud obscure significat, quod Iudæi, ut nec sapientes Ethnici, non fuerint tam stupidi, ut senserint externa illa simulacra siue lapidea siue aurea esse ueros deos: sed tantum adumbrare diuinam maiestatem, & esse aliqua ex parte Dei in cœlo habitantis effigiem. In Exodo, cum institutus esset uitulus aureus, uociferantur: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Atqui sciebant tunc uitulum nondum fuisse conflatum. Quare non sentiebant hunc uitulum esse uerum Deum, sed esse simulacrum, & cultum, eius Dei, qui ipsos e terra Ægypti liberauerat, & propter quem cultum is Deus collaturus esset in ipsos multa alia beneficia. Vnde & Aheron consecraturus hunc cultum, non clamat: Cras erit solennitas uituli, sed solennitas Domini, ueri uidelicet Dei. Hoc idem significat Psalmus centesimus quintus: Mutauerunt gloriam suam in similitudinem uituli comedentis fœnum. Et Paulus ad Romanos, de gentibus ait: Mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei per similitudinem imaginis

imaginis corruptibilis hominis,& uolatilium,& quadrupedum,& reptilium. Non dicit Gentes ſenſiſſe lapides,ligna,aurum & argentum eſſe ueros deos, ſed gloriam ueri & incorruptibilis Dei eſſe mutaſſe imaginibus rerum corruptibilium. Quid igitur eſt, quod cultus talium imaginum, quæ ad honorem ueri Dei, (ut & Iudæi & Gentes ſentiebant) inſtitutæ erant,habetur pro Idolatria,& eſt coram Deo tam abominabilis? Duæ ſunt præcipue huius rei cauſæ. Vna eſt,quod inſtitutio & cultus imaginum erant manifeſte uerbo Domini prohibita. Non facies tibi,inquit, ſculptile, neque omnem ſimilitudinem &c. Quare,&ſi inſtitutor imaginis exiſtimabat ſe hoc opere præſtare cultum uero Deo,tamen non potuit hũc præſtare ex uera fide,quæ eſt ex auditu per uerbum Dei. Omne autem,quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Altera cauſa,quod inſtitutor Imaginis pollicebatur ſibi hoc cultu Deum eſſe propicium, & preces ſuas exaudire,ac omnia beneficiorum genera conferre. Hæc eſt abominabilis Idolatria. Verus enim Deus non eſt propicius, nec exaudit preces, niſi ſolo cultu unigeniti filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui cultus eſt Fides in ipſum. Solus em̃ filius Dei, eſt uera,&,ut Epiſtola ad Hebræos ait, expreſſa imago ſubſtantiæ eius. Sicut & ipſe inquit: Qui me uidet, uidet & Patrem meum. Quare,qui ſuſcipit Deum,alia imagine,quam filio ſuo Chriſto honorandum,& alio cultu,quam fide in Chriſtum, colendum, deſignat coram Deo execrabilem Idolatrian. Vult quidem Deus,etiam in proximo homine, quia & ipſe eſt aliqua ex parte imago Dei, ſuo quodam modo,nimirum dilectione, & operibus caritatis coli. Quod autem attinet ad eum cultum,quo Deus nobis fit propicius, remittit peccata, reputat nos iuſtos, exaudit preces noſtras, & adoptat nos in filios, & confert in nos cœleſtem hæreditatem, nec uult,nec fert a nobis alium cultum, niſi eum,qui exhibetur expreſſæ imagini ſuæ,Chriſto filio ſuo. Hic cultus eſt fides in ipſum, uidelicet,ut credamus,quod Deus propter ſolum Chriſtum filium ſuum,ſit nobis propicius, & donet nobis æternam uitam. Sic Deus,inquit, dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis,qui credit in eum,non pereat,ſed habeat uitam æternam. Et alias: Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum inter homines,in quo oporteat nos ſaluos fieri. Ac rurſus: Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt,quod remiſsionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius,quiſquis crediderit in illum. Hæc ſolent quidem ſimpliciter recitari,ſed profecto patẽt latiſsime. Cum enim ſolus Chriſtus ſit expreſſa imago Dei,qua Deus ita delectatur,ut omnibus in ipſum credentibus propicius fiat per fidem, manifeſtum eſt, quod quiſquis aliud quiddam,preter hanc imaginem & fidem in eam,ad

placandum & colendum Deum ſuſceperit, affingat Deo longe ali-
am imaginem, quam quæ ipſum exprimat, & ab ipſo agnoſcatur.
Hoc autem uere eſt alienum Deum fingere & inſtituere. Sic cucul-
la, quo nomine intelligimus ordines monaſticos, fit alienus Deus,
cum ea opinione induitur & geſtatur, quod propter eam Deus ſit
propicius, & ſeruet in morte, ad ęternam uitam. Hoc eſt facere De-
um cucullatum. Quo quid poteſt dici abominabilius? Sic Miſſa pa
piſtica, quę peragitur ad expiãda peccata uiuorum & mortuorum,
fit Deus alienus, & qui eam hac opinione colunt, faciunt Deũ Miſ-
ſarium. Sic peregrinatio ad oſſa mortuorũ, quæ ad placandam iram
Dei ſuſcipitur, fit Deus alienus, & qui ſic ad mortuorum ſepulcra
peregrinantur, faciunt Deum peregrinatorem. Quid plura? Quale
opus ad ſatisfaciendum prõ peccatis in conſpectu Dei, & ad mitigã
dam iram Dei, perficiendum ſuſcipis, talem imaginem affingis ue-
ro Domino Deo noſtro. Cum autem non ſit alia imago, quæ eum
uere exprimit, præter Ieſum Chriſtum filium eius, qui ſola fide cõ-
prehenditur, dubitari nõ poteſt, quin abominandum idolum inſti-
tuas, & execrabilem idolatrian committas, cum aliquid aliud, præ-
terq̃ fidem in Chriſtum, pro impetranda uenia peccatorum coram
Deo, & aſſequenda æterna fœlicitate, faciendum ſuſceperis. Sunt
quidem multa alia bona opera diuinitus præcepta, & diligẽtiſsime
facienda, ſed longe alio uſu & fine, q̃ ad expiationem peccatorum,
coram Deo, & ad placationem iræ Dei. De qua re alias copioſius
tractatur. Poſtremo, non eſt oſcitanter prætereundum, quod dici-
tur: Qui profertis aurũ de ſacculo, ſeu ut hebræus habet: Qui pro
fuſe exponunt aurum e marſupio &c. Deſcribitur enim hic uulga
re ingenium hominum, q̃ ad inſtituendos impios cultus liberaliſsi
me & profuſiſsime opes ſuas exponant: ad inſtituendos autẽ, & tu-
endos ueros Dei cultus ſunt parciſsimi, & auariſsimi. Cum Aherõ
conflaturus erat uitulum aureum in cultum diuinum, Iſraelitæ ple-
na manu inaures uxorum & liberorum ſuorum obtulerunt. Sed cũ
poſt reditum e Babylone inſtauranda eſſent legitima ſacra, tam
illiberaliter conferebant ſua tributa, ut & Leuitæ neceſſe haberent
ſua miniſteria deſerere, & illi grauiter a Propheta reprehenderen-
tur. Domus mea, inquit, adhuc deſerta eſt, uos autem curritis, ut
quiſq̃ domum ſuam habeat. Sic & ſuperioribus temporibus maxi-
mæ diuitię collatę ſunt in impium uſum Miſſarum, & aliorum ille-
gitimorum ſacrorum. Nunc autem ad inſtauranda & conſeruanda
uera ſacra Dei, nihil eſt hominibus illiberalius & tenacius. Quid,
quæſo, cauſæ eſt, q̃ homines ad mendacia & impia inſtituenda &
tuenda ſint tam liberales, ad uerum aũt cultum Dei iuuandum, tam
ſordidi & auari? Si deprauatam hominum naturam probe expẽdas,
non

non mirāberis hos præposteros eorum mores. Postq̄ enim hómo amísit spiritum sanctum per peccatum, & factus est filius iræ, tradítus est tyrannidi Satanæ, ut quod hic uult & cupit, hoc etiam homo, seruus eius, uelit & cupiat. Satan autem non tantum amat mendacia, sed est etiam autor mēdaciorum. Quare & homines subiecti Satanæ natura sua amant mendacia, ideoq̄ ad instituendos & tuendos mēdaces ac falsos cultus Dei, opes suas liberaliter & ex aīo conferunt. Deinde Satan natura sua odit Deum, ac uerbum eius. Quid igitur reliquum est, q̄ ut etiam hominem sibi subiectum faciat osorem Dei & uerbi eius? Nemo autem sponte sua aliquid confert, ad conseruandum illud quod natura odit & abhorret. Quare non est mirum, q̄ homines, facti osores Dei, ægre aliquid ad sacra uerbo Domini constituta conferant. Sed qui uere pij sunt, hi, ut Satanæ abrenunciauerunt, ita in hoc studium præcipue incumbunt, ut quo quo modo queant, uerum cultum Dei adiuuent, conseruent, tueantur, & ad posteros quoq̄ propagent.

MEMENTOTE ISTVD ET FVNDAMINI, REDITE PRÆVARICATORES &c.

Subijcit exhortationem, qua mónet populum suum ad idolatriam propensum, ut diligenter inter se conferant ficticiorum deorum uanitatem, & ueri Dei maiestatē. Ex qua collatione perspicuū fiet, q̄ idolatria sit fugienda, & cultus ueri Dei sectandus. Ac primū de dijs ficticijs. Mementote (inquit) istud, & confundamini. Pro, Confundamini legendum est, Fundamini, seu Confortamini. Et est sensus. Vos prǣuaricatores, uos propensi ad idolatriam, uos, qui tam facile offendimini fœlicitate impiorǣ, ut statim cogitetis defectionem ad impietatē, confortamini, corroboremini, fitis animo fortiori, & constantiori. Non sinatis uos tam facile de statione uestræ religionis depelli. Mementote istud, quod iam de dijs gentium & eorum origine cōmemoraui. Reputate illud diligenter cum animis uestris, & cognoscetis reipsa uanitatē eorǣ. Manifestum enim est, q̄ tales dij sint ab hominibus excogitati & instituti, nec possint seipsos iuuare. Ciuis quispiam profert de arca sua aurum & argentum, & cōuénit cum aurifabro de architectatione simulacri. Habes initium huius dei. Atqui uerus Deus est ab æterno. Non habet initium nec finem. Similiter uera ueri Dei imago, quæ est Christus filius eius, est æterna. Nec unquam fuit alius cultus ab initio orbis terrǣ, quo cultu homines consecuti sunt ueram salutē, præter cultum huius imaginis, qui est, fides in Christum filium Dei. Quare hæc noua Dei aut simulacri eius architectatio, & institutio non potest esse uerus ueri Dei cultus. Deinde, postq̄ aurifaber conuenit cum ciue, formát pro industria ingenij sui, simulacrum. Quod cum fuerit

confectum,portatur humeris, (&si enim pedes habet, non tamen potest ambulare)& collocatur in sacrario,& dedicatur solenni ritu, ut sit deus, ante quem homines procumbant, & preces suas effundant. Quid ergo fit? Simulacrum tam impotens est,ut se de loco,in quo collocatum est, mouere non possit,tantum abest, ut cultorem ex ærumnis & afflictionibus suis liberare queat. Os habet,& non loquitur. Oculos habet,& nō uidet: aures habet,& non audit. Nares habet & non olfacit: pedes habet,& non ambulat. Hæc,inquit, mementote,hæc uobiscum conferte,hæc diligenter considerate, & nisi caretis sensu communi,deprehēdetis ipsi, quod hi dij aut hi cultus,non sint diuinitus ostensi & commendati,sed ab hominibus efficti et excogitati. Tales collationes,et ἀναλογισμοὶ multum prosunt, ad inueniēdam & cognoscendam impiorum cultuum uanitatē. Extat in Eusebio iucunda historia de Gregorio Neocæsariensi,& sacrificulo Apollinis. Cum enim Gregorius suscepisset profectionē per alpes,& occupatus nocte,ac impeditus niuibus nō posset ad destinatum locum peruenire,diuertit ad phanum Apollinis, quod in summo montis iugo positum erat. Ac usus quidem est ea nocte, quod ad ipsum attinebat, satis tranquillo hospitio. Postq; autem discessisset, & sacrificulus eius phani, responsa pro more, ab Apolline suo peteret, Apollo,ne gry quidem, quamuis multis uictimis sollicitatus,respondit. Qua re sacrificulus plurimum perturbatus, (Hic enim erat quæstus eius),non potuit ullam tam pertinacis silentij causam excogitare. Noctu igitur apparet ei Apollinis sui spectrum,& exponit ei causam silentij,uidelicet, quod a Gregorio illo,quem ipse hospitio excepisset,eiectus esset e phano, nec posset ad hunc locum, nisi permittente Gregorio, redire. Quibus acceptis,sacrificulus contento cursu Gregorium assequitur,& commorās ei rem gestam,petit, ut referat ipsi gratiam hospitij, & sinat Apollinem, e cuius responsis uictum sibi pararet, ad phanum suum redire, & responsa pristino more dare. Gregorius nihil cunctatus,scribit Apollini epistolam in hæc uerba. Gregorius Apollini. Permitto tibi ut redeas ad locum tuum,& agas, quę consueuisti. Sciebat enim uir pius Apollinis uanitatem hoc modo magis illustrandam,quam commēdandam. Sacrificulus igitur, accepta hac epistola redit domum,ponit epistolam ad statuam Apollinis,repetit oracula, audit iterum responsa. Sed quod Propheta hic monet, sacrificulus redit ad cor, confert inter se res gestas, cogitat secum: Quid? Hiccine meus Apollo tam infirmus,tam impotēs deus est, ut sinat se ab homine peregrino a statione sua depelli? Quanto potentior,quāto melior est,uel hic ipse homo,uel quē colit ipse,deus eius? Itaq; relicto phano ac deo suo,properat ad Gregorium,expo-

nit

nit ei rem gestam, tradit sese ei in uere pia doctrina erudiendum. Et quid plura? Sic proficit studio Christianismi, ut nō tm̄ baptismum suscipiat, uerumetiā Gregorio in Episcopatu Ecclesiæ succedat. Tā tum potuit diligens collatio de conditione rerum uani Dei. Sic cogitanda & cōferenda sunt iuter se, quæ traduntur, de cultibus Pharisaicis, de ordinibus monasticis, de Missis Papisticis, de Indulgentijs Romanis, de Purgatorio, de peregrinationibus, decȝ alijs id genus sacris. Quod si diligenti studio fiat, dubium non est, quin manifeste deprehendatur, quod sint cultus non instituti diuinitus, sed excogitati humanitus, & quod sint meræ superstitioſorum hominum imposturæ. Deinde hortatur Dominus per Prophetam, ut cō feramus nobiscum non solum uanitatem ficticiorum deorum, sed etiam maiestatem ueri Dei, & beneficia eius, quæ in suos cultores conferre solet. Recordemini (inquit) prioris seculi, quoniā ego sum Deus, & non est ultra Deus etc. hoc est, Memineritis, quomodo iā inde ab initio huius seculi declarauerim, & cōprobauerim, cꝓ ego solus sim uerus Deus, nec sit alius, præter me, deus. Primo enim, ad nūcio ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt. Ego is sum, qui nouissima, seu quæ post futura sunt, longe antecȝ fiant, reuelo & adnuncio. Necȝ hæc mea uaticinia sunt uana, sicūt uaticinia deorum gentilium. Sed consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet. Quæcunqȝ uaticinatus fuero, rata & firma sunt, & quęcunqȝ prædixero, reipsa uere implentur. Testātur hæc, promissiones, quæ dictæ sunt ad Patriarchas, de multiplicatione seminis Abrahæ, de liberatione Israelis ex Ægypto, de instituendo regno in terra Canaan, & de multis alijs rebus, ut interea non commemorem priuatas Prophetias, quæ adnūciatæ sunt post Mosen, per Prophetas sub Iudicibus, per Samuelē, per Eliam, per Elizæum, & alios. Hoc est illustre argumentum ueræ diuinitatis, de quo supra sæpe dictum est. Secundo. Ego is sum, (inquit) qūi uoco ab Oriente Auem, & de terra longinqua uirum, qui uoluntatem meam exequetur. Hunc sicut loquor, ita uere etiam adducam. Et quodcunqȝ instituí, hoc per ipsum certissime perficiam. Loquitur autē de Cyro, quem uocat auem ex oriente, quod magna celeritate uenturus esset e Persia in Babyloniam, & quod in Babylonem sit irrupturus, quemadmodum agmen uolucrum in destinatum agri locum irruere solet. Quod autem sic de Cyro & expugnatione Babylonis, ac liberatione captiuorum Iudæorum, per Prophetas diuino mandato prædictum erat, hoc ita rebus ipsis suo tempore impletum est, ut perspicuum sit, eum esse uerum Deum, cuius spiritu Prophetæ hoc prædixerunt. Tertio. Ego etiam is sum, qui non solum confero in populum meum corporalem salutem, sed

etiam confero in eum iusticiam & salutem æternam. Prope enim facio iusticiam meam, quæ non elongabitur, & Salus mea non morabitur. Dabo in Zion salutem, & Israeli gloriam meam. Hoc est uaticinium de aduẽtu ueri Messiæ, seu Christi Domini nostri. Sed præmittit huic uaticinio increpationem duricordium & incredulorum. Audite me, inquiens: Propositæ quidem sunt uobis hactenus multæ promissiones Dei, sed uos tanta estis duricordia, ut nullam aut paruam eis fidem adhibeatis, & a iusticia, hoc est, fide, qua consequimur iusticiam, longe absitis. Audite ergo me, uel hoc tempore. Non tantum promitto uenturum Cyrum, & liberaturum captiuos meos e Babylone, Sed etiam ego ipse ueniam, & adducam mecum meam iusticiam. Videbitur quidem incredulis, nullam deuastata urbe Hierusalẽ, & disiecta politea Mosaica, reliquam esse populo meo iusticiam & salutem. Ego uero affirmo, nec iusticiam, nec salutem unquam defuturam. Nõ elongabitur iusticia, nec morabitur salus. Etsi enim post septingentos demum annos uenturus sum in carne, tamen quia aduentus meus certissimus est, & qui credunt in me, non minus fruuntur, etiam hoc tempore, beneficijs iusticiæ ac salutis meæ, quam si eo demum tempore, quo hominem assumpturus sum, uitam in terris agerent, iure optimo dixerim, me am iusticiam & salutem non longe abesse nec diu differri. Nihil eñ certius est, q̃ q̃ daturus sim salutem in Zion, et reuelaturus sim gloriam ac maiestatem meam in Israel, quia in Zion, in urbe Hierusalem, inter Israelitas prædicabo Euangelion meum, & illustrabo illud magnis ac multis miraculis, ac mittam ex Zion Apostolos meos in uniuersum mundum, ut prædicent Euangelion meum omni creaturæ, ut quicunq; crediderit & baptisatus fuerit, seruetur. Quicunq; autem non crediderit, condemnetur. Habes hoc loco tria præcipue argumenta, quibus filius Dei afferit suam diuinitatem aduersus fictitios deos, & quę uult diligenter meminisse. Vnum ducitur a prioribus uaticinijs: alterum a corporali salute & liberatione conferenda per Cyrum regem Persarum. Tertium, a spirituali & æterna salute, per seipsum, suo aduentu in carnem conferenda. In hac autem ultima huius capitis pericopa obserua filium Dei diserte pollicerí suam iusticiam, & suam salutem: MEAM (inquit) iusticiam adducam, & MEA Salus non morabitur. Duplex enim est iusticia. Altera est Mosi, seu legis. Altera est Christi seu fidei. Iusticia Mosi consistit in perfecta obedientia, & absoluta obseruatione legis. Sed hæc infirmatur, ut Paulus ait, per carnem. Dum enim in hac carne peccato obnoxia uitam agimus, nõ possumus legem Dei operibus nostris perfecte implere. Affectus carnis (inquit) inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei nõ subditur. Siquidem ne

poteſt

pōfest quidem. Promittit igitur Christus suam iusticiam, quia cum ipse perfecte sit iustus, nec uelit sua iusticia solus frui, afficitur tam pie erga humanum genus, ut omnibus in ipsum credentibus imputet ac donet suam iusticiam, qua non aliter coram iudicio Dei confidere & gloriari debeant, q̄ si ipsi suis operibus uniuersam legem perfecte impleuissent. Hæc est, non operum, sed FIDEI iusticia, nec habetur sensitiue, sed imputatiue. Quæ tamen per fidem accepta, & si reipsa est in Christo extra hominis carnem, tamen non est in hominis carne ociosa, sed mortificat affectus carnis, & ducit atq̄ accendit hominem ad quęuis pia opera, quæ uerbo Domini pręcepta sunt. Sic etiam duplex est Salus. Altera corporalis, altera cœlestis. Ac illa quidem prior, ingens Dei beneficium est, sed nec est uera, nec optima, hæc autem posterior proprie pertinet ad regnum Christi, & est æterna, & longe omnium optima. Quare, & si sæpe ac multum destituimur corporali salute, tamen semper adhærendū est filio Dei per fidem, ut consequamur æternam salutem. Deinde, cum ait, Dabo in Zion salutem, sicut & alias, De Zion exibit lex, &c. significat, quod extra eam doctrinam, quæ in Zion est reuelata, & per Apostolos in orbem uulgata, & extra eam Ecclesiam, quę hac doctrina colligitur, nulla sit uera salus. Itaq̄ non est ulla salus in doctrina Mahumetistica, in doctrina Monastica, in doctrina Papistica, quia hæ doctrinæ non sunt in monte Zion uulgatæ, sed ab hominibus excogitatæ. Quare in hoc studium incumbamus, ut quam doctrinam spiritus sanctus in Zion reuelauit, nō audiamus tantum, uerumetiam obedienter & perseueranter custodiamus.

CAPVT XLVII.

DESCENDE, SEDE IN PVLVERE VIRGO FILIA BABYLON &c.

Solent parentes huius seculi, liberos suos, quos uirga paulo acrius castigauerint, & ad uehementiorem fletum permouerint, consolari iterum, & recreare, non tantum promissionibus munusculorum, uerumetiam increpatione uirgæ, & proiectione eius in ignem. Id enim est ingenium pueri, ut existimet sibi iam probe consultum, nec meminerit amplius ullius doloris, si uiderit uirgam, qua illatus est ei dolor, igni ardere. Populus autem, & Ecclesia Dei, non habentur a Deo loco seruorum, sed liberorum. Filius meus (inquit) primogenitus Israel. Et supra testatus est se portare domum Israel in utero suo, & gestare usque ad senectam. Quo significat se esse populi sui parentem. Cum igitur DEVS susciperet liberos suos, populum Israel, grauissima

uirga Babylonicæ captiuitatis castigandos, ut retinet erga eos affectum uerorum parentum, ita induit etiam parentum mores, et promittit affligendis, ac postea afflictis, non solum liberationem a captiuitatis uirga, uerumetiam uirgę combustionem, hoc est, Babylonicæ Monarchię destructionem, ut manifesto argumento uideant, quod Deus, non Babylonios, sed ipsos Israelitas, pro populo & Ecclesia sua agnoscat. Quęso autem te, obserua mihi insignem Dei clementiam erga populum suum, quod priusquam ueniat afflictio captiuitatis Babylonicæ, promittat ipsis suam quidem liberationē, hostium autem interitum. Deus enim tanto fauore complectitur Ecclesiam suam, ut nullo modo ad affligendam eam persuaderi posset, nisi ante definiret, qua ratione eam seruaret, & ex afflictione liberaret. De qua re lectorem etiam supra admonuimus. Sed audiamus nunc Prophetam nostrum, clare & perspicue de Babylonicæ Monarchię destructione uaticinantem. De qua destructione extat etiam alia concio supra cap. decimotertio & decimoquarto. Descende, inquit, sede in puluere uirgo filia Babylon. Monarchia Babylonica uocatur Virgo, ꝙ hactenus fuerit ab hostibus suis inuiolata, & postquam ad tantam potentiam peruenit, nunquam interea temporis alienis regib. subiecta, aut deuastata. Sic & supra cap. xxxvij. Hierusalem dicitur uirgo, non propter religionem. Nam quod ad hanc attinet, fuit Hierusalem multis sordibus idolatrię contaminata, sed uirgo dicitur, ꝙ ab eo tempore, quo sub Israelitis in tantā magnitudinem & splendorem excreuit, usq; ad tempus Babylonicæ captiuitatis, nunq; fuerit dominationi alienorꝫ regum tradita, quanꝯ sæpe ac multum sit afflicta. Dicitur & Babylon filia, more hebraicę consuetudinis, qua urbes, & pagi dicuntur eorum regnorum, quibus subijciuntur, filiæ. Hanc igitur uirginem filiam, hanc Monarchiam hactenus inuiolatam alloquitur Propheta: Descende, inquiens, sede in puluere. Hactenus fuisti collocata in altissima summæ maiestatis sede, inter omnia regna huius mūdi. Et ut postea Daniel dicit: Deus cœli dedit tibi regnum & fortitudinē, & imperiū & gloriam, & omnia, in quibus habitāt filij hominum, & bestiæ agri, uolucres quoq; cœli, dedit in manu tua, & sub ditione tua uniuersa cōstituit. Quid throno huius maiestatis in terra, inter homines, sublimius? Nūc autem, inquit Propheta, tempus est, ut de tam alti throni fastigio descendas, aut deijciaris, & sedeas in puluere. Sedere in puluere est abiectissimum esse. Vnde alias Psalmo septimo dicitur: Gloriam meam in puluerem deducat, hoc est, reddat me contemptissimum. Contra, ad Hierusalem, infra capite lij. dicitur: Excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem, hoc est, exalteris ex humilitate & contemptu ad gloriam & maiestatem. Cum igitur Babylon

iubetur

iubetur ſedere in puluere, ſignificatur eam de maieſtate ſua deiſciendam. Vnde & additur. Sede in terra. Tu enim filia Chaldæorum, Tu Monarchia Chaldæa, Tu Babylon, metropolis huius Monarchiæ, non habebis amplius, ſicut hactenus, ſolium, ſeu Thronum regium, ideoque ſedendum tibi erit in terra. Nec uocaberis ultra mollis & tenera. Hactenus tam delicata fuiſti, ut præ teneritudine uix potueris plantam pedis in terra collocare, ſed portabaris cunctarum gentium manibus. Nunc autem neceſſe habebis, nō ſolum pedibus incedere, uerumetiam duriſsimam uiam ambulare. Tollenda tibi eſt mola, & molenda farina. Conijcieris in extremam ſeruitutem. In piſtrino enim molere, abiectiſsimæ eſt ſeruitutis. In Exodo dicitur: Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius, uſq; ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam. Et Iudic. decimoſexto, Philiſtini clauſum Sampſonem in carcere, molere fecerūt. Nec ſerua tantum eris, Tu Babylon, uerumetiam diſſolues comam, ſeu cincinnos tuos, denudabis plantam tuam, & incedes retectis cruribus, quaſi qui ſuffarcinati per flumina ambulant, ut reteganturu. renda tua, & uideantur pudenda tua. hoc eſt, exponeris omnium hominum ludibrio, ignominiæ, & opprobrio. Capiam enim tam grauem ultionē, & ſumam de te tam ſeuerum ſupplicium, ut nullius hominis interceſsionem pro te admittam. Nullus hominum poterit ſeueritatem meam auertere, ut non crudeliter in te ſæuiatur. Quis autem hæc loquitur? Quis hæc faciet? Redēptor (inquit) noſter, cuius nomen eſt Dominus Zebaoth, Sanctus Iſraelis. Gaudete, uos Iſraelitæ, Eccleſia Domini, & exultate lætitia, q̄ tam propiciū habeamus Deum, ut & ſi afflixit nos, & tradit nos hoſtibus diripiendos, tamē ſic tuetur nos, ut ad nos liberandos deiſciat & opprimat potentiſsimas Monarchias. Videmur quidem omnium hominum abiectiſsimi, ſed ſumus coram Deo, nō noſtro quidē merito, ſed clementia eius, tantæ reputationis, ut malit perdere omnia huius mundi regna, q̄ ut ſinat nos perire. Quare bene cōfidamus, & in noſtro officio pergamus. Etſi enim tu filia Chaldæorum, Tu Monarchia Babylonica, hoc tempore celeberrima & illuſtriſsima es, in toto orbe terrarum, tamē futurum eſt certo ſuo tēpore, ut ſedeas tacita, & ingrediaris in tenebras, & fias obſcuriſsima, & infœliciſsima. Non uocaberis ultra domina regnorum. Sed quēadmodum nunc omnes te ſuſpiciūt, admirantur, reuerentur, & de te honorificentiſsime loquuntur, ita tunc omnes te faſtidient, pedibus ſuis conculcabunt, & loquētur de te contemptiſsime. Priusq̄ autem reliqua in hac concione percurramus, cōſideranda ſunt circūſtantiæ huius uaticinij, ut cognoſcamus, quæ ſit p̄miſsionū & minarū Dei ratio. Nā ab hoc tēpore, q̄ Eſaias

uaticinatus est hæc de Babylonica Monarchia, usq; ad initium impletionis eorum, erant anni pene ducenti. Interea temporis res longe aliter, quam uaticinium sonabat, euenire tam apud Israelitas, q̃ apud Babylonios, uidebatur. Israelitis promittitur tutela Domini, & liberatio, sed ecce, uastatio urbis Hierusalem, & captiuitas. Babyloniis prædicitur interitus, sed ecce excrescunt in tantam magnitudinem, ut fiant omnium gentium, adeoq; etiam Israelitarum domini. Quid igitur dicemus? Num arguemus Prophetam mẽdacij? Non dubium est, quin multi impij fuerint, qui eum præsentem Babyloniorum fœlicitatem, & Israelitarum infœlicitatẽ intuerentur, existimauerunt hæc uaticinia esse delyria & uana somnia. Sed euentus, qui postea secutus est, & quem monumẽta rerum gestarum tradunt, ac multa alia, manifeste testificãtur, quod hæc oracula fuerint cœlestia & diuina. Docemur ergo quòd non debeamus de ueritate uerbi Dei ex præsenti rerum sensu, sed ex futura uerbo Dei definita determinatione iudicare. Ac si quidẽ, quod pijs promissum est, & quod uerbum Dei impijs minatur, aliter in præsentia accidere uidetur, præstanda est fides, conseruãda est spes, concipienda est patientia, & perseuerandũ in uocatione Dei. Si moram fecerit, (inquit) expecta illum, quia ueniẽs ueniet, & non tardabit. Et, Expecta Dominum, & custodi uiam eius, & exaltabit te, ut hæreditate capias terrã, cum perierint peccatores uidebis. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, Et trãsiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

IRATVS SVM SVPER POPVLVM MEVM, CONTAMINAVI HÆREDITATEM, &c.

Post narrationem uaticinij de destructione Babylonicæ Monarchiæ, cõmemorat peccata, propter quæ Monarchia illa deiecta est. Alij sentiunt regna habere suas naturales περιόδους, & mutationem regnorum esse fatalem, seu pẽdere ab astris, sed hoc caput Esaiæ docet peccata, causam esse mutationis regnorum. Sicut & Salomon dicit Prouerb. xxviij. Propter peccata terræ multi Principes eius, hoc est, propter præuaricationem eorum, qui habitant in terra, fit, ut alij atq; alij subinde imperent. Cõmemorantur autem hic non omnia peccata Babylonis. Quis enim ea uerbis complecti posset? Nec enumerantur Generalia, & quæ Babylon habuit cum alijs gẽtibus communia, Qualia sunt, Idolatria, Adulterium, Impostura, & multa alia: Sed enumerantur tantum ea, quę designauit aduersus Ecclesiã Dei, & quibus præ omnibus alijs gentibus insignis fuit. Primũ igitur peccatũ, propter quod Deus ordinauit, ut Babylonica idolatria destrueretur, est tyrãnis, seu crudelitas, qua Babylonij grassati sunt in populum seu Ecclesiam Dei. Etsi. n. Deus susceperat populum

suum

ſitum puniendum,& tradiderat eos ad exequendam pœnam,in ma nus Nabuchodonoſoris,regis Babylonici: Vnde & Nabuchodonoſorem uocat ſeruum ſuum Hiere. xxv. tamẽ Babylonij utebãtur uictoria crudelius & immanius, q̃ par erat,ac non erãt contenti uaſtatione urbis Hieruſalem,& captiuitate ciuium,ſed meditabantur internecionem uniuerſæ tam gentis Iudaicæ,q̃ religionis eius. Sic enim dicit,Iratus fui ſuper populum meum,Contaminauit hæreditatẽ meam,hoc eſt,Cum populus meus,qui eſt mea hereditas,peccaſſet,prouocauit me in tantam iracundiam,ut proiecerim eum tanquam prophanum,& contaminatum,à conſpectu meo,& tradiderim eum in poteſtatem Babyloniorũ,non ut omnino eum delerẽt, ſed ut publico & uulgari gentium more uictis parcerẽt,& miſeros humaniter tractarẽt. Tu autem,inquit ad Babylonicam Monarchiam,non poſuiſti eis miſericordias. Non tantum iuuenes oppreſſiſti,uerumetiam aggrauaſti iugum tuum ualde ſuper Senes,quibus tamen gentes alioqui Barbaræ parcere ſolent. Huc conuenit,quod Zacha.cap.i.dicitur. Hæc dicit Dominus Zebaoth, Zelatus ſum Hieruſalem, & Zion zelo magno. Et ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas,quia ego iratus fui parum. Ipſi uero adiuuerũt in malum:hoc eſt,multo crudelius & immanius afflixerunt populum meum,q̃ uolebam,aut iuſſerã. Vide Threnos Hieremiæ,ut aliqua ex parte cognoſcas,qua crudelitate Babylonij in miſeros Iudæos ſeuierint. Pellis,inquit,noſtra exuſta eſt,quaſi clibanus,a facie tẽpeſtatum famis. Mulieres in Zion oppreſſerunt,atq̃ uirgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu eorum ſuſpenſi ſunt,facies ſenum nõ erubuerunt. Adoleſcentes tulerunt ut molerent,& pueri in ligno corruerunt &c. Habes immanitatem Babyloniorum aduerſus Eccleſiam Dei. Primum ergo obſerua mihi immẽſam clementiã Dei erga ſuam Eccleſiam,q̃ & ſi tradit eam hoſtibus affligendã propter peccata,tamen non abiiciat eam ex animo,nec delectetur ſeuicia hoſtium,ſed multo magis hoſtibus, quam Eccleſiæ ſuccenſeat. Nam quemadmodum parens, cum tradit filiolum ſuum ſeruo caſtigandum,non hoc uult,ut ſeruus immaniter in filiũ ſæuiat,ſed ut ſumma,qua poteſt,moderatione pœnam exequatur:& quanq̃ uerbis inſtet ac urgeat,ut ſeruus uirga acriter utatur,tamen delectatur ſerui remiſsione,& interceſsione. Quod ſi intelligat ſeruum,ex animi uoluptate,puerum caſtigare, & paulo ſeuerius uirga uti, concipit graue admodum aduerſus eum odium: ita Dominus Deus noſter complectitur populum ſuum,tanquam dilectiſsimum filium. Itaq̃ ſi populus fecerit digna plagis,tradit eum externis gẽtibus tanq̃ ſeruis puniendum,ſed hoc affectu,ut impias gentes,quarum opera ad pœnã populi ſui utitur,ex animo odiat,præſertim,cum illæ omnes

humanitatis fines, in affligenda Ecclesia Dei, excedere soleant. Do nec enim Deus agnoscit populum, pro sua Ecclesia, nunquam ita in eum afficitur, ut cupiat eius interitum. Quare si uiderit aduersarias gentes hoc agere, ut Ecclesiam suam prorsus opprimant, & conculcent, effundit in eas omnem iram suam, ut ipsæ quidem intereant, Ecclesia autem perpetuo seruetur. Viuo ego, (dicit Dominus de sua Ecclesia, peccatis obnoxia & afflicta) nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur et uiuat. Et in Threnis Hieremię: Nō repellet Dominus in sempiternum. Quia, si abiecit, etiam miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Non enim humiliauit ex corde suo, nec abiecit filios hominum &c. Hæc nobis in aduersis diligenter sunt meditanda, ut intelligamus consiliū Domini in afflictione, & de liberatione bene confidamus. Deinde admonetur hoc loco magistratus, ne potestate sua ad tyrannidem & crudelitatem abutatur. Gestat, inquit Paulus, gladium ad iram ei, qui quod malum est fecerit: Sed ita, ut in puniendis malis & legis ductum sequatur, & humanitatis non obliuiscatur. Accidit nōnunquam, ut lex ipsa sæuiat, ut de mendaci teste dicitur: Non misereberis eius. Et ad Saulē, de Amalecitis: Interfice a uiro usq; ad mulierem, & paruulum atq; lactantem. Sed ubi lex, aut uerbum Domini non urget seueritatem, & circumstantiæ facti ac personarum exigunt τὸ ἐπιεικὲς, seruanda est summo studio moderatio, ne & nobis dicat Dñs: Ego iratus eram parum, ipsi uero aduuerūt in malū &c.

ET DIXISTI, IN SEMPITERNVM ERO DOMINA. NON POVSISTI &c.

Aliud peccatum Babyloniorum, propter quod Monarchia eorę deiecta est, uidelicet, Elatio animi, & securitas carnalis, quæ oritur ex fiducia humanæ potentiæ, & sapientiæ. Sic enim sentiunt & loquūtur Babyloniį de sua Monarchia: Ego ero Domina in æternū. Et mox: Ego sum, & non est pręter me amplius. Nō sedebo uidua, & ignorabo sterilitatem. Et iterum: Nō est, qui uideat me. Et supra cap. xiiij. In cœlum conscēdam, supra astra Dei exaltabo solium meum. Ascēdam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Habes elationem animi et securitatem Babylonicæ monarchię. Sed audi etiam iudicium ac supplicium eius. Tu quidem, inquit, effers te superbia & arrogantia tua super omnia regna terræ, & tā secura es, ut haudquaq; cum animo tuo reputes, quæ possint esse nouissima uel tua, uel populi Dei, quid uel de te uel de populo Dei futurę sit, sed existimes te sic fundatam & stabilitam, ut inæternum in toto orbe terrarum domineris. Dominus autem Deus noster lōge alia de te cogitauit. Putas te non fore nec uiduam, nec sterilem, putas nunquam futurum, ut careas rege & subditis: Sed hęc duo, Viduitas &

Sterilitas

Sterilitas uno die tibi accident. Vno tempore occidetur rex tuus, & auferentur a te omnia regna quę hactenus tibi subiecta fuerunt, nec unquam poteris ea tuæ ditioni iterum subijcere. Hæc est uiduitas & sterilitas. Et additur. Veniet super te malum, & nescies ortū eius. Veniet super te uastatio, quam non præuideras, nec uēturam putaueras. Hæc impleta sunt, cum Cyrus, securis & choreas ducentibus Babylonijs, inuasit noctu Babylonem, & occupauit eam, quē admodum supra cap. xiij. exposuimus. Obserua hic exēplum diuini supplicij in elationem animi, & securitatem carnalem. Supplicium enim elationis animi, est probrosa & ignominiosa deiectio. Supplicium securitatis carnalis est repentinus interitus. Qui se exaltat, inquit, humiliabitur. Et, Deus superbis resistit. Et, Cū dixerint pax & tuta omnia, repentinus superueniet interitus &c.

STA CVM INCANTATORIBVS TVIS, ET CVM MVLTITVDINE MALEFICORVM &c.

Aliud peccatum Babyloniorum, quod præ alijs gentibus designarunt, & quod etiam una cum alijs peccatis causa est deiectionis eorę. Nam Babylonij seu Chaldæi magnam operam impenderunt in Mathematicam, in Magiam, in artem diuinandi, & in Incantationes. In Daniele, Nabuchodonosor rex Babyloniorum conuocat ariolos, magos, maleficos, & Chaldæos, ut indicent ipsi somnium. Testantur etiam exteræ literæ, Babyloniam seu Chaldæam præ omnibus alijs gētibus studiosam fuisse obseruationibus stellarum, & prædictionibus ex stellis. Cicero de diuinatione sic scribit. Principio Assyrij, ut ab ultimis autoritatem repetam, propter planiciē, magnitudinemq; regionum, quas incolebant, quum cœlum ex omni parte patens atq; apertum intuerentur, traiectiones motusque stellarum obseruauerūt, quibus notatis, quid cuiq; significaretur, memoritę prodiderunt. Qua in natione Chaldæi, non ex artis, sed ex gētis uocabulo nominati, diuturna obseruatione syderum, scientiam putantur effeciſſe, ut prædici posset, quid cuiq; euenturum, & quo quisq; fato natus esset. Et alias. Aiūt quadringenta septuaginta milia annorum in periclitandis, experiundisq; pueris, quicunq; nati essent, Babylonios posuisse. Vides Babylonios magno studio sectatos μαθηματικὴν ex astris notatam, & reliqua genera superstitiosarę diuinationum. Hoc igitur unum est ex peccatis illis, propter quę deiecta est Babylonica Monarchia: Propter multitudinem, inquit, maleficorum tuorum, & magnum numerum incantatorum tuorum, uenient super te orbitas & uiduitas perfectissime. Tua sapientia, & scientia, hoc est, Philosophia, seu Mathematica, decepit & seduxit te. Non damnarem quidem in te studium Philosophiæ aut mathematum, si rectam huius studij rationem sectareris. Nunc autem re-

licta uera scientia, & recto usu eius, sequeris superstitiosas, impias, & Satanicas diuinationes, & incantationes. Age igitur, cum tot nearis tanta libidine prædictionum, sta, quæso, cum incantatoribus tuis, coniunge te cum ueneficis & mathematicis tuis, quibus cum negocium tibi fuit ab adolescentia. (Supra enim indicatum est Babylonios primos fuisse, qui scientiam diuinãdi ex astris commenti sint) si forte in tantis tuis calamitatibus iuuari ab eis, aut confirmari animo, aut liberari queas. Multa extant decreta, multæ leges, multæ regulæ tuarum diuinationum, adeoq; tam copiosæ, ut libri de his conscripti, præ multitudine ab uno aut altero homine uix ferri humeris possent. Adsint igitur nunc, & seruent te contemplatores illi cœlorum, & inspectores stellarum, qui solent tibi euentura singulis mensibus prædicere. Sed quid faciant? Tanta erit afflictio, ut ne seipsos quidem seruare queant. Accendetur enim ignis, nõ qui calefaciat aut foueat assidentes, sed qui una tecum omnes astrologos & magos tuos, quasi stipulam, cõburet. Nam circulatores illi, quos magno semper sumptu iam inde ab initio tuæ potentiæ in hunc usum aluisti, & conseruasti, ut tibi diuinationibus suis in periculis uel opem uel consolationem afferrent, intantum nihil te iuuabunt nec seruabunt, ut quo ipsi sese uertant, & euadant, prorsus ne sciãt. Hactenus percurrimus hanc περικοπὴν qualicunq; paraphrasi. Non est autem sentiendum, quod hoc loco damnetur ea pars Astronomiæ, quæ ex longa temporum obseruatione tradit certas leges cursus & motus syderũ, quam docet μεγάλη σύνταξις Ptolemæi, & ἐπιτομὴ eius, quam uocant Theoricas planetarum. Etsi enim multi abutuntur hac scientia, tamen illustre donum Dei est, & continet multas utilitates tam Ecclesiasticas quam politicas. Iucunde dicit Augustinus, Astronomia studiosis est documentum, curiosis tormentum. Nec damnatur altera pars, quam uocant Iudiciariam seu diuinatricem, quatenus quidem sequitur certas rationes Physicas. Habet enim & hæc suam utilitatem. Sed damnatur disciplina eorum Mathematicorum seu Chaldæorum, qui non Physicas rationes, sed superstitiosas notationes & incertas obseruationes sequuntur. Quos etiam Ethnici ipsi reiecerunt. Cicero de diuinatione scribens: Ad Chaldæorum, inquit, monstra ueniamus, de quibus Eudoxus Platonis auditor, & in Astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps, sic opinatur, id quod scriptum reliquit, Chaldæis in prædictione, & notatione cuiusque uitæ ex natali die, minime esse credendum &c. In Hieremia autem capite decimo, dicitur: Viam gentium ne discatis. Et a cœli signis ne formidetis. Non reiecit Hieremias eam partem Astrologiæ, quæ sequitur manifestas naturæ rationes, in rebus corporalibus, sed quæ tribuit astris

astris & configurationibus eorum propriam quandam uim constituendi aut euertēdi regna, & dirigendi omnia humana negocia. Itaq; hortatur Hieremias Ecclesiam Domini, ut non metuant sibi ab his Astrologis, qui prædicunt ex astris regnum Babylonicum fore sempiternum, & nugantur multa alia de perpetua fœlicitate Babyloniorum. Sed audiant uerbum Domini, quo promittitur ipsis liberatio, & Babylonicę Monarchiæ interitus. Quod de disciplina uanæ Astrologiæ dicitur, hoc idem intelligendum est de scientia Augurali, de artibus Magicis, de ueneficijs, de incantationibus, & alijs id genus uanitatibus. Omnino enim nobis audiendum & sequendum est, quod Deut. decimooctauo dicitur: Non inueniatur in te nec diuinus, qui diuinando futura prædicit, nec præstigiator, nec ueneficus, nec maleficus. Nec incantator, nec consulens Pythonem, nec magus, nec a mortuis scisciţans. Et mox: Prophetam de medio tui ex fratribus tuis, sicut me, excitabit tibi Dominus Deus tuus, IPSVM audietis. Hic Propheta est Dominus noster Iesus Christus. Huius Euangelion est nobis audiendum. Ex huius Euangelio petenda est cognitio diuinæ uoluntatis erga nos, non ex astris, non ex auiū garritu uel auditu. Oremus igitur Deum Patrē Dñi nostri Iesu Christi, ut spū sancto suo illuminet nos, q̄ Euāgelij doctrinam & recta fide accipiamus, & iusta obedientia sequamur.

CAPVT XLVIII.

AVDITE HÆC DOMVS IACOB, QVI VOCAMINI NOMINE ISRAEL, ET DE AQVIS IVDA EXISTIS &c.

Audiuimus aliquot conciones de liberatione Israelis ex Babylonica captiuitate, Sed quia Iudæi fuerunt iam inde ab initio incuruiceruici, increduli, & inobedientes, ideo filius Dei instituit in hoc capite concionem, qua seueriter reprehendit incredulitatem populi sui, & exhortatur eos, ut abiecta hypocrisi & impietate sua, uerā & rectam promissionibus suis de uentura liberatione fidem adhibeant. Audite hæc, (inquit) domus Iacob, qui uocamini nomine Israel &c. Sicut filius Dei alias solet in initio cōcionum commorari in recensendo titulo nominum, aut strategematum suorum, ut excitet in auditore attentionem & conciliet sibi autoritatē, ita & hoc loco increpaturus concione sua Israelitas, propter incredulitatem eorum, commoratur in titulo ipsorum, ad reprehensionem accommodato, ut ducat eos ad agnitionem suæ impietatis, & reuocet ad ueram pietatem. Domus Iacob, inquiens. Hoc uno uocabulo satis intelligeretur, ad quē fiat hic sermo; sed quia instituit in hac concione reprehē

sionem hypocriseos,& impietatis domus Iacob,explicat hunc titu/
lum copiosius,& addit: Qui uocamini noīe Israel. Vocamini Israe
litæ,& tamen nihil minus facitis,q̄p q̄ fidem patris uestri Israelis se
ctemini. Et. Qui exīstis de aquis Iuda. Notū est ex Gene. cap. xlix.
q̄ Patriarchę Iudæ promissus sit non tm̄ principatus populi,sed e/
tiam Christus e familia eius descensurus. Quare Reges & Princi/
pes in Hierusalem gloriabantur se de huius Patriarchæ scaturigine
ortos. Sed & reliqui in regno Hierosolymitano, etiamsi descende/
bant e tribu Benlamin,aut ex alijs tribubus,tamen gaudebant uoca
ri Iudæi,quasi et ipsi originem haberēt ex aquis,e fonte,e scatebris,
e semine Iuda: non autem hoc agebant, ut hoc cognomine digni es/
sent. Deinde additur & illud. Qui iuratis in nomine Dñi, & recor
damini Dei Israel. In colloquijs uestris, aut publicis iudicijs soletis
dicta uestra confirmare iuramētis,per nomen Domini,& in sermo
nibus uestris multam facitis mētionem Dei Israelis. Siue suscipitis
iter,optatis,ut Dñs Deus Israel fortunet iter. Siue mane uel uespe/
ri acceditis proximū,iubetis eum in Domino Deo Israel saluere: si/
ue receditis, iubetis eum in Dño Deo Israel ualere. Siue forte ad
prandium aut cœnam uicini ueneritis, soletis ei cibum benedicere
in nomine Domini Dei Israel. Siue præterieritis quempiā labori
deditum,soletis ei precari,ut Dominus Deus Israel adiuuet ipsum:
adeoq̄p ualde plurimus est uobis sermo, & frequentissima mentio
Dñi Dei Israel in locutionibus uestris, Sed non in ueritate,neq̄p in
iusticia. Omnia sunt hypocritica. Nō seruatis uerā fidem,nec Deo
nec hominibus. Non facitis ueram iusticiam, nec coram Dño, nec
coram ciuibus & uicinis uestris. Dei nomen frequentissimum est
in ore uestro,sed Dei mandatorum obseruatio,nulla prorsus inter
uos inuenitur. Præterea additur & hoc. Vocamini de ciuitate San/
cta,& innitimini super Deū Israel, cuius nomē est Dñs Zebaoth.
Vultis uocari ciues Hierosolymitani,in qua urbe est templum san
ctum Domini,et uultis uideri,q̄p innitamini,& confidatis solo Do
mino Zebaoth,Deo Israelis,sed nulla est in uobis nec Sāctitas,nec
uera fides. Multum quidem est uerborū,sed parū rerum. Multū est
iactātiæ,sed parum ueritatis. Hactenus titulus,seu præfatio,in qua
uides,q̄p turpe sit nomen populi Dei gestare,indigna aūt hoc noīe
facere. Ethnicus,seu alienus a populo Dei,cū peccat, grauiter qui/
dem se ipsum lędit,& Deū offendit,attn̄ pctō suo non dat occasionē
execrandi noīs Dei. Qui aūt de Deo gloriatur, & facit indigna pro
fessione sua,nō tam nocet pctō,q̄ exemplo suo exponit nomē Dei,
quē profitetur,publico ludibrio & cōtumelię. Quare quod de Co
razin,Bethsaida,& Capernaū dicitur,hoc idem de ijs,q̄ cū gestant
nomē populi Dei,sceleratā uitā ducunt,dicendū est,q̄p tolerabilius

cum

cũ Ethnicis,q̃ cũ illis,in iudicio Dei agetur. Sed audiamus nunc cõ cionem ipſam. Priora,inquit,ex tunc adnũciaui,& ex ore meo exie rũt,& expoſui ea tibi. Nec diu diſtuli impletionem harꝫ prędictio nũ,ſed repẽte operatus ſum, ſtatim effeci,ut euenirent,ac impleren tur. Sciebã.n. ꝙ durus eſſes, ſciebã ceruicẽ tuam eſſe neruũ ferreũ, & frontẽ tuam ęream,ideoꝙ te incuruiceruicũ eſſe,& nõ poſſe fle cti,ac permoueri,ut promiſsionib.meis fidẽ adhiberes, niſi eas ſta tim reipſa impleuiſſem. Et tñ nõ uolui te liberare,niſi ante tib. prę dicerem,et indicarem, quid euenturꝫ eſſet,ne ſi abſqꝫ præuia uerbi mei reuelatione cõtingeret tibi liberatio,diceres idola,ſculptilia,et conflatilia tua excitaſſe tibi,& miſiſſe liberatorem,& acceptum fer res hoc beneficium,non mihi,ſed idolatriæ tuæ,& meritis iuſticiæ tuæ. Quare effeci,ut primum oĩm,meam promiſsionẽ audires,de inde reipſa impletionẽ eius uideres. Quæ omnia,an nõ ita impleta ſunt,ut uoſipſi ea hactenus adnunciaueritis,& celebraueritis? Hæc uidentur quidem dici de omnibus ꝓmiſsionibus,& earꝫ impletio nibus,quę apud maiores,ante ętatẽ Eſaię inter Iſraelitas factę ſunt; ſed reſpiciũt præcipue in liberationẽ Iſraelitarꝫ ex Ægypto. Sũt.n. ductæ inſignes corporales liberationes Iſraelitarꝫ. Vna eſt, ex Ægy pto. Altera ex Babylone. Nã liberatio, quę per Chriſtum contigit, ut eſt ſpũalis,ita pertinet ad oĩa ſecula. Nunc aũt fit ſermo de corpo ralibus liberationibus. Et q̃d in hac pericopa dicitur, hoc uidemus in liberatione ex Ægypto,ordine confectũ eſſe. Primũ.n. liberatio ex Ægypto,non ex improuiſo accidit,ſed Deus reuelauit eã Abrã hę,priusq̃ Iſraelitę nati eſſent,& in Ægyptũ ueniſſent. Gẽ.xv. De inde,cũ iam tẽpus liberationis aduenisſet,excitauit Deus Moſen,q̃ ꝓfectus in Ægyptũ,adnũciauit ex ore,ſeu mãdato Dei,liberationẽ inſtare. Ac Pharao indurabatur quidẽ et ĩcipiebat Iſraelitas,ad mẽ tionẽ liberationis,durius affligere,Deus aũt eo feſtinãtius ꝓpera bat ad liberandũ populũ ſuũ,quo grauior fiebat afflictio eorꝫ. Vi dit.n.populũ ea eſſe impudẽtia & impietate,ut niſi cito cõpleuiſſet uerbũ ſuũ,quod Moſes adnũciauerat,abieciſſent oẽm uerã Patriar charꝫ ſuorꝫ religionẽ,& ſectati fuiſſent idolatriã Ægyptiorꝫ,quam iam & didicerãt, & uſurpauerant. Quare,poſtq̃ liberatio per Mo ſen,pręcepto Dei adnũciata fuit,nõ diu dilata eſt,ſed confeſtim eſt ſecuta,ut ueritas promiſsionis Dei perſpicue cõprobaretur. Volu it aũt Deus ut hæc liberatio nõ ueniret ex improuiſo,ſed antea per Moſen,mãdato Dei Abraã,Iſaac et Iacob adnũciaretur,ne ſi pręter uerbi Dei adnunciationẽ ueniſſet,Iſraelitæ,q̃ iam inceperant idola trian Ægyptiacã & aliarꝫ gẽtium ſectari, ferrent eam acceptam ido lis,aut meritis ſuæ ipſorum iuſticiæ. Quare præmiſit prędicationẽ uerbi ſui,ut manifeſtum fieret,Iſraelitas liberari,non potentia alie

norum deorum, non iusticia & meritis eorum, sed tantum potentia & clementia unius ueri Dei, qui se Patriarchis reuelauerat, & hanc liberationem promiserat. Sic etiam in Ezech. cap. xx. dicit. In die illa leuaui manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, & dixi ad eos. Vnusquisq; offensiones oculorum suorum abijciat, & in idolis Ægypti nolite pollui &c. Et mox: Et dixi ut effunderē indignationem meam in eis in medio terræ Ægypti, & implerem iram meam in eis: Sed feci, (seu liberaui eos) propter nomē meum, ut non uiolaretur coram gentibus &c. Primum autem obserua, q̄ spiritus sanctus nomine & exemplo Israelitarum exprobrat omnibus hominibus duricordiam, & incredulitatem suam. Si enim posteri sanctissimorum Patriarcharū tam duri erga uerbum Dei fuerunt, ut ceruix eorum dicatur neruus ferreus, & frons, grea, quid aliud, de alijs hominibus, qui ab impijs parentibus descendunt, sentiendum esset? Quod de carne, inquit Christus, nascitur, caro est. Nascimur aūt omnes de carne. Quid igitur natura sumus, nisi caro, hoc est, peccato, morti & Satanæ obnoxij? Et in Psalm. dicitur: Dñs de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat, si est intelligēs aut requirens Deum. Omnes declinauerunt &c. Et Ro. iij. Omnes peccauerunt, ac destituūtur gloria Dei. Hæc concio non eo tm̄ pertinet, ut deijciat nostram arrogantiam erga proximū, Sed maxime oīm eo pertinet, ut excitet nos ad quærendam pctī, cui natura obnoxij sumus, remissionem, & ut admoneat nos, q̄ nō possimus in nobis ipsis, & in meritis nostrorum operū ueram iusticiam & salutē inuenire, sed ea reportāda sunt e solo filio Dei Dño nostro Iesu Christo per fidem. Deinde habes exemplū eius dicti, quod extat in Paulo ad Ro. cap. iij. Nūquid incredulitas illorū fidem Dei facit irritā? Absit. Imo sit Deus uerax. Omnis aūt homo mendax. Israelitæ em̄ in Ægypto, erant idolatræ, increduli, & rebelles, ac meriti erant sua impietate, nō ut liberarentur, sed ut opprimerētur a tyrānide Ægyptiaca. In Ezechiele dicitur: Irritauerunt me, noluerunt me audire, unusquisq; abominationes oculorū suorū nō ꝓiecit, nec idola Ægypti reliquerunt &c. In Exodo exprobrāt Mosi & Aaroni suas cōciones de liberatione: Videat Dñs (inquiūt) & iudicet, quia fœtere nos fecistis &c. Quanq̄ igitur Israelitæ fuerint indigni liberatione, Deus tm̄ seruauit suam promissionē dictam ad Patriarchas, ut hoc exēplo cōprobaretur, ueritatem promissionum eius tantæ esse constantiæ, ut nullo hominum mendacio seu incredulitate irrita fieri queat. Si increduli sumus, inqt alias Paulus, ille fidelis manet, negare seipsum nō pōt. Quid igitur dicemus? Si Deus seruat suas ꝓmissiones, etiāsi hoīes non credāt, qd opus est fide? Ergo etiā increduli fruūtur rebꝰ a Deo ꝓmissis? Hic cōsiderandū est discrimē diuinarū promissionum,

promissionum. Aliæ enim simpliciter ita promittuntur, ut exigant quidem fidem ad iustificationē coram Deo: In omnibus. n. diuinis promissionibus necessaria est fides ad iustificationem, quia sine fide nemo iustificatur: non exigunt autem fidem ad impletionem earum coram hominibus. Talis fuit promissio, quæ dicta fuit ad Patriarchas de liberatione ex Ægypto. Hanc liberationem multi inter Israelitas, quāuis impij, consecuti sunt. Patres nostri, inquit Paulus, oēs sub nube erant, & omnes per mare transierunt. Et additur: Sed plures illorum nō approbauit Deus. Talis fuit etiā promissio de liberatione ex Babylone, de qua mox dicetur. Talis fuit etiam promissio de mittendo Messia. Etsi enim maxima pars Iudæorum, præsertim sub Antiocho, aut non credidit Messiam uenturum, aut non recte credidit de regno eius, tamen hæc Dei promissio seruata est, & missus est suo tempore Messias. Aliæ sunt promissiones Dei, quæ non simpliciter proponuntur, sed exigunt manifeste fidem, ad impletionem earū in ijs, quibus promittuntur. Talis est, promissio remissionis peccatorū, iusticiæ, salutis, adeoq; omnium cœlestium bonorum, in Christo Iesu filio Dei. Hæc promissa bona in Christo nulli hominum sine fide contingunt, quia aperte dicitur: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, nimirum his, qui credunt in nomē eius. Et iterum: Qui credit filio habet uitam æternam. Ac rursus: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui uero nō crediderit, condemnabitur. Et Paulus: Euāgelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Porro, Impletiones illarum priorum promissionum, quę etiam indignis & incredulis contigerunt, sunt confirmationes & sigilla huius posterioris promissionis de bonis cœlestibus in Christo consequendis, ut sciamus, quod cum Deus tam uerax sit in promissionibus suis, ut seruarit eas etiam incredulis & indignis, multo magis seruabit promissionem Euāngelij in Christo, quamuis indignis, credentibus tamen, sicut hæc promissio exigit. Quare, non respiciamus, in credendo Euangelio, & expectandis bonis eius, nostram indignitatem, sed Dei ueritatem, quæ ut firmissima est, ita nullum uere credentem, quamuis indignissimum, bonis suis destituet.

AVDITA FECI TIBI NOVA ANVNC, ET CONSERVATA SVNT QVÆ &c.

Diximus duas esse insignes liberationes corporales Israelitarū. Altera est ex Ægypto, Altera ex Babylōe. Ac de illa quidē priori, prius dictū est. Nūc cōcionatur filius dei de hac posteriori. Audita (inquens) feci tibi noua &c. hoc est: Nō solū reuelaui tibi Ægyptiacā liberationē, priusq; aduenerat, sed etiā nunc, hoc tēpore, adnūcio

& reuelo tibi nouam liberationem, antequam non solum ipsa liberatio, uerumetiã afflictio & captiuitas, e qua liberandus es, adueniat, atq; adeo patefacio tibi ea, quæ adhuc abscondita sunt, & quæ hactenus non cognouisti. Nam, quæ statui de deiectione Monarchiæ Babylonicæ per Cyrũ Persam, & liberatione tui ex Babylone, & si apud me sunt æterna, tamen non sunt ex tunc seu olim patefacta, sed nũc primum creaui aut ordinaui, ut reuelentur & publice prædicentur, Nec tu antea audiuisti ea. Quis enim antea unq; de Cyro nominatim concionatus est? Sed patefeci ea ante diem, hoc est, paucis ante diebus, ne forte glorieris, te longe ante cognouisse ea, ac tibi ea esse plane trita & uulgaria. Sed quid metuo, ne glorieris te hæc cognouisse, cum sciam te ab initio semper fuisse populũ præuaricatorem, & ab utero, cum adhuc infans uidereris, cum ex Ægypto educereris, uocatus sis transgressor, & contemptor uerbi Dei. Lege Deuteronomium, & præsertim Canticum Mosi: tibi inuenies titulos tuos, & ornamẽta tua. Tu em̃ es tam incuruiceruicus populus, ut iam inde ab initio, quo cœpisti multiplicari, semper restiteris spiritui sancto, & nunq; uolueris eo studio, quo debuisti, uerbum Dei audire, cognoscere, & patulas seu obedientes ei aures præbere. Grauissima Israelitarũ increpatio. Sed quod Christus his, qui afferebant ei nuncium de Galilæis a Pilato interfectis, respondet, Putatis hos Galilæos præ cunctis Galilæis peccatores fuisse, quia talia passi sunt? Non dico uobis, sed nisi resipueritis, omnes simul peribitis: ita & de nobis qui ex gentibus in Christum credimus, dicendum est. Num existimandum est solos Iudæos tam incuruiceruicos fuisse, ut nunq; passi sint sese ad ueram obedientiã uerbi Dei flecti? Nihil certe minus. Tale est omne hominum uulgus, nõ inter alienos tantum, sed in ipso Christianismo. Etsi em̃ uulgus uidetur aliquoties amare ueram doctrinam Christianismi, tamen hunc affectum nõ diutius retinet, q̃ dum fœlix est Christianismus, & sua ex eo carnalia commoda sperat. Postq; autem pia doctrina incipit in hoc mundo esse infœlix, & non affulget amplius ex ea spes mundani lucri, nihil est ea doctrina in uulgo cõtemptius et abominabilius. Sunt em̃ ab utero, ut Propheta ait, trãsgressores, & præuaricatores. Non audiunt, nõ cognoscunt, nec patulas habẽt aures ad Euãgelion Christi. Sola Ecclesia, quæ ex uulgo colligitur, & paucissima pars est populi, uere amplectitur uerbum Euangelij, in quo etiam ita constat diuina clemẽtia, ut tã in externis illis & mũdanis periculis, q̃ in morte quoq; conseruetur. Reliqua aũt turba, etsi uidetur aliquãdiu in hoc seculo fœlix esse, necesse tñ habet propter impietatem & cõtemptum Euãgelij, perpetuo una cũ omnibus impijs Iudæis & Turcis interire.

PROPTER NOMEN MEVM LONGE FACIAM

FACIAM FVROREM MEVM &c.

Dicet quispiã. Si populus Israel tã sceleratus est, cur liberas eos ex Babylone? cur nõ finis eos, pro merito ipsorum, inter hostes perire? Huic cogitationi respondet filius Dei. Longe, inquiens, faciã furorem meum, hoc est, Longanimis ero & patiens, ac parcens, nõ propter uestram iusticiã, aut merita, sed propter NOMEN meum. Et laude mea infrenabo te, pro quo sic legendum est, cohibebo me quasi freno tui causa, ne te omnino perdã, ꝓpter LAVDEM meam. Ecce enim excoquam quidem seu examinabo te captiuitate Babylonica, sed nõ in argento, non in fornace argentaria. Argentũ cum probatur in fornace ignea, tam purum redditur, ut nihil sordium in eo relinquatur. Ignis absumit omnes sordes, & omnem scoriam. Ego autem captiuitate Babylonica, non sic te probabo, ut omnes impios perdam. Quanta enim populi portio remaneret? Sed seligã uos promiscue tam pios q̃ impios, ex Babylone, in camino afflictionis. Affligam uos aliqua ex parte, non autem perdam uos in totum, Sed restituam uos uestræ regioni & politiæ. Futurum quidem erat tempus, quo populus Israel probandus esset sicut probatur argentum igni, ut pij seruarẽtur, Impij autem abijcerentur. Hoc impletum est sub Christo & Apostolis eius. Reuelato enim Euangelio Christi reliquiæ Israelitarum seruatæ sunt, reliqui sunt excæcati & abiecti. In liberatione autem Babylonica, quę non erat spiritualis, sed tantum corporalis liberatio, restituti sunt una cum pijs, etiam multi impij, in patriam suam. Vnde dicit, Excoxi seu excoquã te, sed non in argẽtaria fornace, & eligam te, seruabo te, impium cũpio, in hoc Babylonicæ captiuitatis camino. Id aũt faciam, non propter te, non propter tuam iusticiam, sed propter me, PROPTER ME, inquam, ut non blasphemer, & gloria mea alteri non detur, ut non audiam inter gentes, Deus mendax, & impotẽs, qui nec uelim nec possim meum populum seruare ac liberare, & ne gẽtes eãm gloriam, quæ mihi soli competit, adscribant idolis, seu potentiæ deorꝫ suorum. Ego. n. is sum, qui Israelẽ, alioqui mea ꝓtectione inuictũ, tradidi in manus Babyloniorꝫ. Hæc gloria, hæc maiestas ad me solum pertinet. Liberabo igitur rursus populum meum de manibus eorꝫ, ut manifestum fiat, non deos gentium, sed me esse solum uerũ Deum, qui castigem quidẽ meum populum, sed tñ seruem eum in tempore necessitatis mirabiliter. Cæterꝫ, quod dicitur: Excoxi te, sed non quasi argentum, hebræus pro (Quasi argentum) habet, In argento. Præter eam autẽ sententiam, quam iam recitaui, potest & hic esse huius dicti sensus. Excoquo te, castigo te aduersis, sed nulla pecunia, nullo precio, nulla utilitate. Nullum facio operæpretium in castigando te. Tam duræ ceruicis es, ut ne plagis quidem

emenderis. Liberabo igitur te e Babylone, non tuo merito, sed mea tantum bonitate, & ut uindicem mei nominis gloriam ac maiestatē. Hæc collatio impietatis populi, cum clementia & bonitate Dei illustrat utrumq; insigniter. Vide enim, quanta sit populi impietas, & iniquitas. Nam, cum populus non tantum sit natura peccator, sed etiam cumulet peccata peccatis, Deus tantæ est bonitatis, ut non cupiat mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat, ideoq; inuitet eum uarijs modis ad conuersionem. Nunc enim allicit eos benefaciendo, nunc male affligendo. Nunc donat eos libertate, nūc conijcit eos in captiuitatem, si ullo modo fieri posset, ut ad ueram agnitionem & obedientiam conuerterentur. Sed quid fit? Diceres eos impietatem iuramento confirmasse. Tanta est impudentia peccandi. Siue enim benefacias, siue male afficias, semper fiunt peiores & sceleratiores. Deus liberauit eos ex Ægyptiaca tyrannide, & dedit eis regnum ac sacerdotiū, instituit inter ipsos Ecclesiastica & politica, ut uerum Deum, uera fide agnoscerent, & obediēti tranquillitate colerent, siue, quemadmodum scriptura loquitur, ut facerent omnia legitima & timerent Dominum Deum suum. Sed audi, quā gratiam Deo uicissim repēderint. Dicamus autem hoc uerbis Mosi. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo saluta ri suo &c. Deinde Deus abstulit iterum ab eis regnum, & tradidit eos in captiuitatem Babylonicam, si forte aduersis emendarentur. Sed quos beneficia non inuitauerant ad pietatem, eos aduersa sollicitabant ad maiorem impietatem. Nam & hoc loco perspicue significat Propheta Israelitas non fore emendatiores captiuitate: Scio, inquiens, quia præuaricās præuaricaberis, & transgressorem ab utero uocaui te. Et Hiere. ca. v. Sicut dereliquistis me, & seruistis deo alieno in terra uestra, sic seruietis alienis in terra nō uestra. Et cap. xvi. Eijciā uos e terra ista, in terram quam nec uos nouistis, nec patres uestri, ibi seruietis dijs alijs noctu diuq;. Etsi aūt Israelitæ non minus peccabant in Babylone, q̄ ante in sua terra peccauerant, tamen Deus tantæ fuit clementiæ, ut nulla impietatis eorum ratione habita, liberauerit eos e Babylone, & restituerit eos in terram auitam. Primum igitur diligenter cōsidera hoc Israelitarum exemplo, magnitudinem corruptionis humanæ naturæ, q̄ nec beneficijs, nec supplicijs excitetur ad uerā pietatem. I nunc & gloriare de uiribus liberi arbitrij, q̄ possit sese sua natura ad ea quę sunt salutis suæ uertere & applicare. Nam si ullę tales uires in homine essent, certe emicuissent in populo Dei. Nunc autem omnes dicūtur deflexisse, nec unum quidem esse, qui faciat bonum. Quare pendendum nobis est a sola Dei gratia per fidem Iesu Christi. Deinde consídera magnitu-

dinem

dinem diuinæ clementiæ, quod etsi homines nec sunt meriti, nec sunt digni suis beneficijs, soleat tamen beneficia in eos conferre, ut seruet promissiones suas, & illustret gloriam nominis sui. Deus enim audit Verax, audit Clemens, audit Liberator in necessitate, audit Respector & seruator afflictorum. Hi tituli, hæc epitheta sunt gloria nominis eius. Quod autem principes huius mundi ambitiose faciunt, ut pro conseruando titulo suo non dubitent tota regna in summum discrimen adducere, multo magis Deus noster iuste ac necessario facit, ut malit indignos & immeritos suis beneficijs frui, imo cœlum & terram miscere, quam gloriam tituli seu nominis sui amittere, & uanus, mendax, crudelis, ac afflictorum desertor haberi. Quare comprehensi aduersis, non deterreamur nostra indignitate ab inuocatione, sed excitemur Dei ueritate & bonitate, ac admoneamus eum in precibus gloriæ nominis sui, ut conseruet nos, non quia beneficiorum eius digni simus, sed quia ipse dignus est, qui tueatur gloriam suam, & iustificetur in sermonibus suis, cum iudicatur. Talibus certe precibus seruauit Moses populum suum, ne à Deo deleretur in deserto. Exod. trigesimo secundo. Et Numerorum 14. Huc respicit etiam precatio Psalm. 102. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius.

AVDI ME IACOB, ET ISRAEL QVEM EGO VOCO, EGO IPSE, EGO PRIMVS &c.

Repetit iterum ἀντίθεσιν, quam supra aliquoties in medium proposuit, & qua opponit se ficticijs dijs gentium, in uaticinijs rerum futurarum, præsertim aũt liberationis e captiuitate Babylonica. Ac initio commemorat pro more, epitheta maiestatis & omnipotentiæ suæ, ut non tam auditores ad attentionem excitet, quam præ se impotentes deos gentium condemnet, & populum suum in uera ueri Dei pietate retineat. Audi, inquit, Iacob, audi Israel, qui es uocatus & selectus meus ex omnibus Gentibus. Ego sum, uerus uidelicet, Deus. Ego, inquam, sum primus & nouissimus. Nec initium habeo, nec finem. Omnia à me pendent. Omnium rerum creator sum & conseruator. Fundaui, & stabilem confirmaui mea manu terram. Metior & comprehendo palmo meo cœlos. Quamprimum uocaui ea, quamprimum dixi, Fiat firmamentum, factum est. Quamprimum dixi: Appareat terra, statim & hoc factum est. Agite ergo, uos omnes siue Gentes, siue Iudæi, qui cultu ficticiorum deorum delectantur, conuenite, & producite in medium omnium deorum uestrorum maiestatem, num inter omnes eos possitis uel unum aliquem reperire, qui tot ante annis adnunciet ista, quæ ego de Cyro, & de liberatione populi mei ex captiuitate Babylonica adnuncio. Ego enim Dominus selegi Cyrum,

quem fauore meo ita prosequor, ut expleat uoluntatem suam in capienda Babylone, & subiiciat sibi potenti manu Chaldæos. Hæc, inquam, ego Dominus reuelo per Prophetas meos, longe antequam fiant, quæ certe nullus ficticiorum illorum deorum prædicere potest. Ego, inquam, ille sum, qui excitabo Cyrum, & adducam eum aduersus Babylonem, ut omne institutum suum in capienda Babylone fortunetur. Quarum rerum nihil prorsus efficere possunt uanissimi illi dij Gentium. Quæ est ergo impudentia, quæ est cęcitas illa uestra, ꝙ me contempto & abiecto aspiretis ad ficticiorum illorum deorum cultum? Lege Herodotum de capta Babylone à Cyro, & expende consilia, quæ Cyrus ad capiendam eam urbem suscepit. Videbitur autem res prudentia tantum humana, aut casu & fortuna gesta: sed hic locus Esaiæ, & supra caput 45. interpretantur historiam Gentium de capta Babylone à Cyro, quod res gesta sit nulla plane nec prudentia humana, nec fortuna temeraria, sed diuino tantum consilio & gubernatione. Non est autem quod existimes, Deum curare tantum Monarchas, priuatos autem homines negligere. Sic enim priuata, ut publica, sic parua, ut magna curat: Et ita uniuersa, quasi singula, & ita singula, quasi sola administrat. Hoc testantur dicta, hoc confirmant exempla scripturæ. Nam si Deus implet cœlum & terram, & filius Dei est caput ecclesiæ suæ, quomodo non impenderet curam suam, tam singulis, quam uniuersis, ac maxime omnium priuatim unicuique membro ecclesię suæ? Et Prospicit, inquit Psalmus, DOMINVS de excelso sancto suo. DOMINVS de cœlo in terram aspicit. Vt audiat gemitus compeditorum, & soluat adductos interemptioni. Bene igitur confide, quod non tantum Cyrum monarcham, sed te quoq;, & tuum imperfectum uideant oculi Dei, ac tanto plus respiciant te, quanto abiectior in hominum, & tuis ipsius oculis uideris.

ACCEDITE AD ME, ET AVDITE HOC: NON A PRINCIPIO IN ABSCONDITO LOCVTVS SVM &c.

Pertinent & hæc ad cohortationem, qua admonetur populus Dei, ut non accedat, non audiat deos Gentium, sed accedat, & audiat uerum Dominum Deum suum, & uaticinium eius de liberatione ex Babylonica captiuitate. Alij autem sentiunt hæc esse uerba Prophetæ Esaiæ, alij uerba Christi filij Dei. Nos, cum ostendimus antea filium Dei habere hanc concionem per os Esaiæ, sequemur eorum sententiam, qui hæc uerba tribuunt Christo, ut maneat continua oratio. Accedite, inquit filius Dei, ad me, non ad deos Gentium. Et hoc, quod nunc dico de liberatione ex Babylone, audite diligenter & reponite alta mente. Neque enim nunc primum incipio uobiscum per os Prophetarum meorum loqui, sed

me ego sum, qui quondam, diserte & manifeste uobis adnunciaui per Mosen liberationem ex Ægypto. Ab initio, cum adhuc eratis oppressi Ægyptiaca tyrannide, & destituti omni humano auxilio, aderam ibi, & exhibui me Mosi coràm, in rubo. Exposui ei, non in abscondito, non obscuris, sed apertis uerbis, non solum quis essem, uerumetiam quid gesturus essem in opprimendo Pharaone, & in liberandis uobis ex Ægypto. Quæ omnia rebus ipsis ita impleta sunt, ut nihil his sit aut manifestius, aut testatius. Sicut ergo tunc aderam coràm, ut uestris maioribus ea reuelarem, & implerem, ita & nunc misit me Dominus, pater meus cœlestis, & spiritus sanctus eius, ut reuelem uobis per Prophetas meos liberationem ex Babylone. Quare hortor uos, ut hæc Prophetarum meorum uerba, non ut humana somnia, sed ut diuina oracula suscipiatis. Etsi autem hic locus de tribus personis in una diuina essentia, facile eludi potest à Iudæis, quod dicant hæc uerba non filio Dei, sed Prophetæ Esaiæ tribuenda, tamen quia habemus perspicua testimonia in Apostolicis scriptis, de tribus personis in diuinitate, & Apostolica scripta sunt commentarius & interpretatio Propheticorum scriptorum, referemus & hunc locum in catalogum eorum testimoniorum, quibus tres personæ diuinitatis nobis commendantur. Etsi enim absurdum uidetur, quod cum tres personæ diuinitatis sint eiusdem essentiæ & maiestatis, filius à patre, tanquam minor dicatur mitti, tamen sicut in Gene. capite 11. filius Dei descendit de cœlo, ut uideret turrim, quam ædificabant filij hominum, & capite 19. pluit sulphur & ignem à Domino, nihil interea de sua æquali cum Patre maiestate amittens: ita & hoc loco mittitur à Patre, & spiritu sancto, & tamen manet æqualis maiestatis. Sed & hoc quoq; cõsiderandum, quod filius Dei iam tum meditabatur assumptionem humanæ naturę, qua & patre minor, & ab eo mitti dicitur.

HÆC DICIT DOMINVS DEVS REDEMPTOR TVVS SANCTVS ISRAEL &c.

Dicet quispiam: Quid opus est tot concionibus & promissionibus de liberatione e captiuitate Babylonica, cum ea captiuitas nondum aduenerit, & possit Dominus, uel uno uerbo, aut saltem nutu impedire, ne unquam ueniat? Cur ergo Dominus non potius efficit, ut Babylonij non abducant Iudæos captiuos à terra sua, quam quod tanta sollicitudine curet, ut priusquam captiuitas eueniat, promissionibus de liberatione muniantur? Ad has siue cogitationes siue obiectiones respondet filius Dei, significans causam captiuitatis esse peccata populi. Nam si attendissent mandata Dei, nunquam fuissent tam misere afflicti. Ac initio, pericopæ huius concionis iterum præponuntur, pro more, tituli seu epitheta

filij Dei,ut auditor excitetur ad attentionem & fidem. Sic dicit (inquiens) Dominus. Non homo quispiam uanus,non angelus,sed Dominus ipse,uerus ab æterno Deus. Et additur Redemptor,ut scias hunc Dominum,qui concionatur, eo esse affectu & instituto,ut etiamsi affligat,& conijciat populum suum in captiuitatem, tamen non faciat hoc, ut perdat,sed potius ut seruet & redimat eum. Titulus eius non est Vastator,seu Oppressor,sed Seruator et Redemptor. Quare,etsi uidetur aliquoties populũ suũ uastare, tamen nõ meditatur nisi salutẽ & redemptionẽ. Scio (inquit alias) cogitationes,quas ego cogito super uos,cogitationes pacis, et non afflictionis,ut dem uobis finẽ optatũ & expectatũ. Sequitur & aliud epitheton, Sanctus Israelis. Multæ autem sunt causæ, cur filius Dei proprie dicatur Sanctus Israelis. Primum, quod reuelauerit sese singulariter Patriarchis Israelitarum,& elegerit posteritatem eorum in populum suum. Deinde,quod instituerit in populo Israel sacra & cerimonias, quibus sanctificaretur et coleretur,hoc est, quibus adumbraretur,& cognosceretur,ut homines per fidem in ipsum salutem consequerentur. Adhæc,quod sit diuinitus sanctificatus,seu ordinatus,ut ex Israele hominem assumeret,& in Israel euangelion suum prædicaret,atq; sacrificium suum ad redemptionem humani generis perageret. Postremo,quod solus ipse sit Sanctitas,& iusticia uerorum Israelitarum,qui sunt credentes in ipsum. Solus enim ipse est,qui in se uere est sanctus,& qui alios in ipsum credentes sanctificat, ut reputentur propter ipsum coram Deo Patre sancti & iusti. Sed pergamus etiam ad alia. Ego sum (inquit) Deus tuus, DOCENS te utilia, GVBERNANS te in uia,qua ambules. Cum mox fiat mentio mandatorum Dei, perspicuum est,quod hæc intelligenda sint de doctrina diuinæ legis,quæ sectatoribus affert summam utilitatem,& ostendit tutissimam uiam,qua sit ambulandum,ne offendas ad lapidem pedem tuum,& corruas. Primum enim filius Dei docuit Israelitas legem per Mosen. Et cum humana natura imbecillior aut corruptior sit,quam ut queat legem perfecte implere, proposuit per Mosen, promissionem de seipso,ut quotquot ipsum audiant,& credant in ipsum,consequantur fide sua impletionem legis, ac ueram iusticiam. Hæc sunt certe utilissima,uidelicet ut proposita lege agnoscamus peccata, & proposita promissione de filio Dei,credamus in ipsum,& consequamur remissionem peccatorum. Hæc est uia,in qua sola ad salutem perueniri potest. Deinde quod filius Dei docuit Israelitas per Mosen, hoc postea explicuit per Prophetas. Nam,cum semper à Mosis morte,excitauerit in populo Israel suos Prophetas,tum præcipue misit multos,ante captiuitatem Babylonicam,qui docerent populum utilia,& gubernarent eos in recta uia,ut imminentia mala effugerent. Sic enim testatur liber secundus

cundus Paralipom. capite 36. Mittebat DOMINVS Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum de nocte consurgens, & quotidie commonens, eo quod parceret populo & habitaculo suo. At illi subsannabant nuncios Dei, & paruipendebant sermones eius, illudebantq; Prophetis &c. Nunc ergo sequitur concio filij Dei, qua significatur causa captiuitatis Babylonicæ. De hoc enim argumento nunc agitur. Vtinam, inquit, attendisses mandata mea. O si aduertisses animum ad præcepta mea, nunquam peruenisses in tantam calamitatem, sed potius pax tua redundasset instar fluminis, habuisses pacis abundantiam. Iusticia quoque tua fuisset sicut gurgites seu fluctus maris. Nullus hostium potuisset te iniuste opprimere, sed potius iusta regni tui administratio fuisset omnibus terrori & admirationi, ut non ausi fuissent tibi ulla inferre arma. Et semen tuum, liberi tui, non fuissent ab hostibus occisi, & imminuti, sed potius, iuxta promissionem, multiplicati sicut arena maris. Ac stirps seu propagines uteri tui, tam non potuissent numerari, quam numerari non possunt lapilli seu calculi arenæ maris. Præterea: Si obseruasses mandata mea, non interiret, non succideretur, non aboleretur gloria nominis tui coram me, etiamsi coram Gentibus sorderet. Nunc autem, quia intantum non obseruastis mea mandata, ut etiam Prophetas ea adnunciantes subsannaueritis & deriseritis, idcirco accidit uobis uastatio & captiuitas. Nec ego autor sum uestræ calamitatis. Nec hostes tam fortes fuerunt, ut potuerint uos suis uiribus opprimere, & in captiuitatem abducere, Sed Vos ipsi, uestra, inquam, peccata fuerunt omnis uestræ calamitatis autores. Hæc concio sumpta est ex Leuitici capite uigesimosexto, & Deuteronomij uigesimo octauo, & accommodata ad præsentem Iudaicarum rerum conditionem. Seruantibus enim diuinam legum ordinationem promittitur benedictio pacis, tranquillitatis, ubertatis, posteritatis, & omnium aliarum rerum. Violantibus autem, & abijcientibus eam, promittitur omnium rerum maledictio. Cum igitur Israelitæ non solum uiolarent diuinam legum ordinationem, uerumetiam detestarentur Prophetas doctores & exactores eius, iusto Dei iudicio factum est, ut maledictionibus in lege Dei propositis, obruerentur. Cæterum, quod obseruantibus mandata Dei promittuntur pax, iusticia, multiplicatio & conseruatio posteritatis, non significat spiritus sanctus, homines posse mandata Dei obseruare suis uiribus, & mereri hæc beneficia Dei suis operibus, sed proponit exhortationem, qua docet quid nostri sit officij, & quæ beneficia Dei obedientiam nostram sequantur. Nam si mandata Dei seruantur ciuiliter & publice, sequuntur etiam, diuino fauore, ciuilia & publica beneficia, publica uidelicet pax, tranquillitas, ubertas, & id genus reliqua. Si autem seruantur uere &

ſpiritualiter,ac perfecte,prout ſpiritus ſanctus exigit,ſequuntur etiam uera,ſpiritualia,ac perfecta Dei beneficia,uidelicet,pax conſcientiæ,iuſticia coram Deo,æterna uita & fœlicitas. Si uis, inquit,ad uitam ingredi,ſerua mandata Dei. Nullus autem hominum eſt,qui poſsit operibus ſuis mandata Dei perfecte implere. Non iuſtificatur,inquit,in conſpectu tuo omnis uiuens. Et: Caro legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Et: Si dixerimus,peccatum non habemus,nos ipſos fallimus,et ueritas in nobis non eſt. In quem ergo uſum data ſunt mandata Dei? Non in hunc uſum,ut teſtificentur humanas uires integras eſſe ad obediendum ipſis,ſed ut oſtendant humanarum uirium imbecillitatem, & corruptionem,& excitent homines ad quærendam aliam,quam in operibus ſuis impletionem mandatorum Dei. In hac autem deliberatione,& inquiſitione oſtenditur nobis per Euãgelion Chriſtus filius Dei,qui cum ſit Sanctus Iſraelis,donat ſe, credentibus in ipſum,una cum uniuerſa ſua iuſticia & ſanctitate,ut quotquot in eũ credunt,reputentur coram Deo propter Chriſtum,tam ſancti,& iuſti,perinde ac ſi ipſi ſuis operibus omnia Dei mandata perfecte impleuiſſent. Credentibus enim in Chriſtum imputatur aliena iuſticia,ut quemadmodum natis ab Adamo imputatur aliena iniuſticia,applicata iam ipſis per natiuitatem:ita renatis in Chriſto,imputetur aliena iuſticia,applicata iam eis per euangelion,& accepta per fidem. Sicut per inobedientiam,inquit Paulus,unius hominis peccatores conſtituti fuimus multi,ita per obedientiam unius iuſti conſtituentur multi. Et iterum: Quod lex præſtare non potuit,ea parte,qua imbecillis erat per carnẽ,hoc Deus proprio filio miſſo in ſimilitudine carnis peccatricis præſtitit,ac de peccato condemnauit peccatum,per carnẽ,ut iuſtificatio legis impleretur in nobis, hoc eſt,ut iuſticia quam lex exigit,imputaretur nobis,quæ imputatio eſt impletio legis in nobis. Hinc et Ioãnes dicit: Mandata eius non ſunt grauia,uidelicet his,qui ſunt in Chriſto per fidem. Hi enim,etſi non implent,nec implere poſſunt mandata Dei ſuis operibus (ſic enim homini ſunt impoſsibilia) tamen habent Chriſtum per fidẽ,cuius iuſticia,quæ perfecta eſt,imputatur eis,& cuius ſpiritu excitantur,ut mandatis obediant,quæ obedientia adhuc quidem imperfecta eſt,& manet imperfecta uſq; in mortẽ hominis, ſuppletur autem imputatione illa,qua tota Chriſti iuſticia coram Deo per fidem poſsidetur. Quare ſciamus in doctrina mandatorum Dei confugiendum eſſe ad Chriſtum filium Dei,ut quod iuſticiæ noſtrorum operum deeſt, ſuppleatur iuſticia Domini noſtri Ieſu Chriſti,quæ nobis applicatur et imputatur per fidem &c.

EGREDIMINI DE BABYLONE, FVGITE A CHALDÆIS, IN VOCE EXVLTATIONIS &c.

Quid

Quid ergo dicemus? Num, quia Iudæi traditi sunt in captiuitatem Babylonicam, propter peccata sua, sic à Deo sunt deserti, ut nunquam ex Babylone liberentur? Num necesse habebunt perpetuo esse captiui? Nihil minus. Etsi enim meriti sunt peccatis suis non tantum captiuitatem, uerumetiam internecionem, tamen conuersum est intra ipsum, ut Oseas dicit, cor eius, conturbata est pœnitudo eius, non faciet furorem iræ suæ. Et Hieremias: Non repellet Dominus in sempiternum. Quin si affligit, miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. Quare excitat nunc captiuos, ut accingant se itineri, & proficiscantur, relicta Babylone, ad auitam suam terram, sicut olim Israelitæ ex Ægypto profecti sunt. Est autem admiranda concio, si circumstantias consideraueris. Quo enim tempore Esaias hæc concionatus est, nondum erant Iudæi in Babylone captiui, nec hoc unquam futurum existimabatur. Et tamen iubentur e captiuitate liberi exire. Sed uisum est spirituisancto sic longe ante munire pios, ut cum necesse habeant unà cum impijs captiuitatis miseriam suscipere, forti animo ferant, quicquid acciderit. Dominus enim hac captiuitate non cogitat interitum sed salutem ecclesiæ suæ. Egredimini, inquit, e Babylone, fugite à Chaldæis. Hactenus multa cõmemoraui de liberatione uestra e Babylone, per Cyrum. Sed quid pluribus opus? Omnino hoc constitutum est à me, ut ex hac captiuitate liberemini. Quare agite, expergiscimini, egredimini, fugite e Babylone. Nihil uos detineat in Babylone. Patet uobis liber exitus e Chaldæa, & reditus ad uestram Cananæam. Nec sit hæc profectio tristis aut obscura, Sed egrediamini læta & hilari uoce. Prædicate & diuulgate hoc beneficium Dei, & efferte, spargite in uniuersum orbem terræ, ut omnes Gentes cognoscant, Dominum mirabiliter redemisse populum suũ Iacob ex diuturna sua captiuitate. Nec est quod deterreant uos pericula itineris. Sicut enim quondam Deus Israelitas liberauit ex Ægypto, & conseruauit eos potenti manu inter infestissimas Gentes, ac tantum abfuit, ut desereret eos, ut cum in deserto carerent aqua, maluerit rerum naturam inuertere, & aquam e petra dare, quam conniuere, ut siti interirent: ita & hoc tempore, quo e Babylone redeundum est ad terram auitam, Dominus ita tuebitur populum suum, ut nec hostes eum opprimere queãt, nec quicquam rerum necessariarum ei desit. Scio quidem, inquit Dominus, hæc frustra commemorari impijs Iudæis, quibus nulla est pax, nulla tranquillitas. Sicut enim pigri, ita & impij uocati ad obedientiam uerbi DEI, semper occinere solent illud Salomonis, Leo est in uia, Leæna est in itineribus, in medio platearum occidendus sum. Sed ego uos pios alloquor. Sitis tranquillo animo, sequimini meam uocationem ex Babylone obedienter, ego sic admirabiliter tuebor uos, ut omnes Gentes obstu-

pefiant. Habes hoc loco insigne exemplum, quo docemur, quod Deus magna cura eos tueatur & conseruet, qui ex uocatione eius in periculis ambulant. Gene. 35. proficiscitur Iacob ex uocatione Dei, cum imbelli familia, ad Bethel, sed terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, ut non insequerentur filios Iacob. Israelitæ ambulant ex uocatione Dei per desertum, inter medios hostes, ad terram promissam, sed mittit DOMINVS terrorem & formidinem in omnes finitimos populos, ut qui uel famam Israelitici populi audiunt, expauescant & contremiscant. Et in Esdra capite octauo, Esdras ascensurus cum suis, iuxta uocationem Dei ad Hierusalem, non petit exercitum & equites, qui defendant ipsos in itinere, ne uideatur gloriam nominis Dei obscurare, sed petit auxilium & defensionem à Deo. Quare manus Dei fuit cum ipsis in itinere, & liberauit eos de manu inimici & insidiatoris in uia. Hoc idem Christus significat, cum ait: Si quis ambulat interdiu, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Nam quemadmodum principes huius seculi solent legatos suos publica tutela munire, ut sint ad obeundam legationem tuti: ita multo magis Deus suscipit omnes eos tuendos, qui in legatione seu uocatione eius ambulant. Qui habitat, inquit, in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commoratur. Quare respiciamus in suscipiendis periculis, ad uocationem Dei, & aggrediamur ea confidenter, quod qui in nobis est, & qui nos ad pericula uocauit, maior sit, quam qui est in mundo. Deinde docet etiam hic locus, quem cultum Deus exigat pro beneficijs suis. Adnunciate hoc, inquit, prædicate, diuulgate, efferte usque ad extrema terræ. Vult enim celebrari, uult commendari, uult laudari, pro beneficijs suis, ut illustrata gloria nominis sui, alij ad fidem inuitentur, alij in fide conseruentur, & confirmentur, ac omnes excitentur ad inuocandum nomen suum, quo semper habeat benefaciendi, ac perpetuo quoque saluandi occasionem. His enim publicis laudationibus quærit gloriam suam non sua quadam ambitione, sed nostra utilitate, ut nos cognita & inuocata clementia eius salutem consequamur. Psalmo 21. Salua me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Quid aũt retribues Deo pro hoc beneficio? Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et Psalmo 68. Ego sum pauper & dolens, Salus tua suscepit me. Idcirco Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum cum laude. Et placebit Deo super uitulum nouellum, cornua producentem & ungulas. Et Psal. 115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, hoc est, Accipiam oblatam salutem, & prædicabo nomen Domini &c.

Sed nec illud oscitanter prætereundum est, quod dicit Dominus

nus, Non est pax impijs, Et repetitur postea ca. 57. Quid enim dicemus? An non impij dicunt: Pax mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei? Et supra ca. 28. dicunt: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Et in Psalmo: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Ideo tenet eos superbia &c. Hæc & id genus alia intelligenda sunt de carnali securitate, quam impij iudicio Dei nondum reuelato habent. Nam postquam Deus incipit impios iudicare, nihil est conscientia eorum turbulentius & inquietius. Cum enim impij, dum adhuc scelices sunt, contemnant & persequantur uerbum Dei, quo solo consequimur pacem, tranquillitatem & salutem per fidem, & pergũt impudenter peccare ac Deo obsistere, fieri non potest, quin reuelato Dei iudicio, conijciantur in extremam inquietudinem, & perpetuam animi perturbationem. Cain, iudicio Dei perterrefactus, nescit ubi consistere debeat, ac omnia etiam tuta metuit. Saul obijcit se gladio trucidandum. Ahitophel & Iudas ad laqueos properant. Amplectemur ergo uerbum Domini, et conseruemus Euangelion Christi, ut iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.

CAP. XLIX.

AVDITE INSVLÆ, ET ATTENDITE POPVLI DE LONGE, DOMINVS AB VTERO VOCAVIT ME &c.

Hactenus audiuimus aliquot conciones, in quibus filius Dei collocutus est cum Israelitis, de sua diuinitate, quam asseruit aduersus idola Gentium, & de liberatione eorum ex captiuitate & tyrannide Babylonica, quam liberationem ostendit per Cyrum conficiendam. Nunc sequuntur aliquot conciones, in quibus filius Dei colloquitur cum Gentibus de tua humanitate, de suo officio, & de uera & æterna liberatione ecclesiæ suæ, ex captiuitate & tyrannide Satanæ, mortis ac inferni, quæ liberatio perficienda erat, non per hominem quendam Monarcham, sed per ipsummet filium Dei, uerum ab æterno Deum, & uerum hominem, ut posset esse uerus Dei & hominum mediator. Cum autem conciones filij Dei sint nobis de cœlo commendatæ. Moses enim dicit de eo: Ipsum audies. Et pater de cœlo clamat: Hunc audite, nihil prius, nihil maiori cura, nihil frequentiori studio, nobis agendum est, quam ut has filij Dei conciones cognoscamus. Non agitur hic de euanidis huius seculi rebus, sed de uera, summa & perpetua hominum salute. Magna laus est uulgarium illarum humanarum artium, quod reddant studiosos honestos, & tam ad

publicarum,quam ad priuatarum rerum administrationem idoneos.In his autem filij Dei concionibus traditur nobis ea ars, qua reddimur non solum coram Deo uere iusti & sancti,sed etiam uictores mortis ac inferni,& hæredes cœlestis regni. Quare excutiamus ignauiam, & attendamus animum, ut ex his concionibus eum,qui nobis diuinitus offertur,fructum reportemus. Non est autem dubium,quin hæc concio,quæ in hoc capite recensetur, sit concio de filio Dei Domino nostro Iesu Christo. Etsi enim Iudæi sua sequuntur in his concionibus interpretandis delyria, tamen certissimus nobis interpres est diuus Paulus,qui perspicue testificatur,quod quæ hic recitantur,sint de filio Dei intelligenda. Cum enim Paulus concionaretur in Antiochia Pisidiæ euangelion de Iesu Christo filio Dei,& reijceretur ā Iudæis,qui illic commorabantur,conuertit se ad Gentes,& allegat testimonium ex hoc capite. Vobis, inquiens, oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum,& indignos uos iudicatis æterna uita,ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Constitui te lucem Gentium,ut sis salus usque ad extremum terræ. Et ad Corinthios: Obsecramus,inquit,ne inuacuum gratiam Dei receperitis. Dicit enim: In tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. Hæc sumpta sunt ex hoc Esaiæ capite,& exponit Paulus ea de tempore seu regno Christi. Ecce, inquiens, nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. In Apocalypsi quoq; recitatur fœlicitas credentium in Christum,ex hoc Esaiæ loco: Non esurient,inquit,nec sitient amplius,nec cadet super illos sol,neque ullus æstus &c. Sed & senex Simeon,cum puerum Iesum in ulnas accepisset,& maiestatem eius carmine celebraret,uidetur hoc,quod hic de Christo dicitur: Dedi te in lucem Gentium in carmen suum transtulisse,cum uocat Christum: Lumen ad reuelationem Gentium. Quare dubitandum non est,quin,quæ in hoc Esaiæ loco commemorantur, de Christo filio Dei intelligenda sint. Primum autem filius Dei, significans se assumpturum humanam naturam, commemorat uocationem suam: deinde exponit officium suum. Postremo pollicetur multiplicationem, dilatationem,& conseruationem ecclesiæ suæ. Hæc fere sunt, quæ in hoc capite continentur. AVDITE ME INSVLÆ. Loquitur, ut diximus,filius Dei,& alloquitur Gentes, Incolas maris & terræ,quia Euangelion eius non erat includendum in unum tantū angulum terræ Canaan,& ad unum tantū populum Iudæorū,sed diuulgandum erat in totū orbem terrę,ad omnes Gentes,siue in insulis maris,siue in regnis terræ,procul à regione Canaan habitantes. Dominus ab utero uocauit me,de uentre matris meæ recordatus est nominis mei. Hæc est uocatio Christi. Venio in hūc mundū,ut assumpta humana natura seruem humanum genus ab æterno suo interitu.

Act. 13.

interitu. Hunc honorem non usurpaui ego mihi, carnali arbitrio, sed uocatus, sanctificatus et ordinatus sum ad suscipiendum eum, à Deo patre meo, iam inde ab utero matris. Cum nondum egressus essem de uentre matris meæ, Pater meus cœlestis destinauit me ad hoc muneris, ut humanum genus à miseria sua liberarem. Vnde & inditum est ei nomen Iesu, priusquam in utero Mariæ conciperetur. Iesus enim saluatorem significat, quia saluat populum suum à peccatis eorum. Nec nomen tantum impositum est ei ante natiuitatem suam, sed multa alia miracula contigerunt, de Ioanne Baptista percursore eius, de Angelorum cantu in natiuitate eius, de uaticinijs Simeonis & Annæ, de Magis, quæ omnia autoritatem eius commendauerunt. Commemorat autem uocationis suæ autoritatem, non eo tantum, ut amoliatur à se suspicionem temeritatis usurpati officij, sed ut excitet gentes ad habendam fidem euangelio suo, quod non humana sed diuina autoritate sit ad id officij uocatus. Sic ad Hieremiam dicitur: Priusquam te formarem in utero, noui te, & antequam exires de uulua sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te: hoc uidelicet significante spiritu sancto, quod uerba Hieremiæ non sint accipienda, ut humana somnia, heri nata, sed ut diuina oracula, iam ante in cœlo decreta. Et Paulus ad Galatas: Segregauit me (inquit) Deus ab utero matris meæ, & uocauit per gloriam suam in hoc, ut reuelaret filium suum per me. Hoc sibi uult Paulus, quod non temere susceperit officium docendi euangelij, sed destinatus sit diuinitus ad id officij longe antequam hoc cognouerit, ideoque euangelion suum ita excipiendum sit, ut si angelus de cœlo aliud adnunciauerit, pro anathemate habeatur. Non est autem sentiendum, quod tantum uocatio filij Dei, ac præcipuorum ministrorum eius, Hieremiæ & Pauli, curæ fuerint Deo patri iam inde ab utero matris, alij autem temere ferantur, sed Deus complectitur ecclesiam propter filium suum, tanta sollicitudine, ut super singula membra eius, firmet oculos suos, sicut Psalmus loquitur, ab initio conditionis eorum. Imperfectum meum, inquit Psalmus, uiderunt oculi tui, & omnes dies mei, cum adhuc nullus eorum esset, scripti fuerunt in libro tuo. Et iterum: In te confirmatus sum ex utero, de uentre matris meæ tu es protector meus. Nec id solum, uerumetiam iam inde ab exordio mundi curæ fuit Deo ecclesia filij sui. Elegit nos, inquit Paulus, per ipsum, antequam iacerentur fundamenta mundi. Hæc scriptura eo nobis recitat, non ut doceat incuriam & ignauiam, sed potius ut excutiat nobis ignauiam, & excitet nos ad recte & pie ambulandū tam in prosperis, quam in aduersis. Nam in prosperis cogitandū est, ꝙ ea donentur nobis diuinitus, non propter nostra merita, nō ꝓpter nostras uirtutes, sed ex gratuita Dei clementia & miseri cordia propter filiū suū, quippe ꝙ Deus iam olim, priusq̄ nati esse

mus,ea nobis dare constituerit. Quare agendæ sunt gratiæ Deo patri Domini nostri Iesu Christi,& summa opera danda, ne his prosperis ad impietatem abutamur,sed gloriæ Dei seruiamus. In aduersis autem cogitandum est, quod ea accidunt nobis, Deo haudquaquam ignorante,aut contemnente,sed optime sciente, ac etiam operante,qui non solum hæc aduersa longe ante euentura præuiderit,uerumetiam rationem inierit, ac constituerit, qua afflictum sit seruaturus,& liberaturus. Quare non abijciamus animum, sed pergamus in Dei uocatione,donec reipsa comperiamus,omnia aduersa fuisse nobis adiumento in bonum.

ET POSVIT OS MEVM, VT GLADIVM ACVTVM: IN VMBRA MANVS SVÆ PROTEXIT ME &c.

De uocatione sua hactenus.Nunc de officio & ministerio suo concionatur filius Dei. Posuit (inquiens) Os meum,quasi gladium acutum.Primum,cum dicit: Os meum, significat Deum patrem non mandasse sibi in hac terra administrationem mundani regni,quod gubernatur externis & corporalibus armis,sed mandasse officium concionandi, quod administratur ore seu sermone. Sic & alias dicit:Spiritus DOMINI super me,eo quod unxerit me,ad prædicandum euangelion pauperibus misit me.Et in Ioanne:Regnum meum non est de hoc mundo.Ego ueni in hunc mundum,ut testimonium feram ueritati, hoc est, ut doceam uerum euangelion.Quod autem Christus uenerit, non ut mundanus rex,& terrenus saluator,sed ut concionator euangelij,& cœlestis saluator, latissime patet,& alias copiose à nobis explicatum est. Quare pergemus nunc in nostro instituto. Deinde, cum addit,Quasi gladium acutum,Vmbra manus suę protexit me, & posuit me sicut sagittam electam seu tersam,& expolitam, quam reposuit in pharetram suam,significat,quod etsi officium docendi euangelij sibi à patre mandatum,non habet insignem & illustrem speciem coram mundo,qualis est maiestas mundani regni,nec habet terrenos defensores & tutores:Si ex hoc mundo, inquit, esset regnum meum,ministri mei decertassent,ne traderer Iudæis,tamen hoc officium non solum sit diuina potentia munitum & armatum,uerumetiam sit efficacissimum,& penetret per medias hostium suorum cohortes. Ponit os meum , ut gladium acutum. Non utor quidem externo gladio,in proferendo meo regno, sed os meum,sermo meus,gladius meus est,idq; minime obtusus, sed acutus.In cuius usu,destituor quidem humano non autem cœlesti præsidio.DOMINVS protegit & defendit me potenti manu sua,aduersus omnes hostes meos.Ponit me,ut sagittam expolitam.Non utor corporali sagitta ad deijciendos hostes meos, sed ego ipse sagitta illa sum,quam pater in hunc usum in pharetram suam

ſuam repoſuit, ut ea ſuo tempore emiſſa omnes inimicos ſuos proſternat. Quod autem filius Dei de ſuo officio hic concionatur, hoc non tantum Acta Euangelica & Apoſtolica teſtificantur impletum eſſe, uerumetiam reſipſa adhuc & priuatim & publice impleri palam confirmat. Cum enim Chriſtus filius Dei homo factus, ſungeretur iuxta uocationem ſuam concionandi officio inter Iſraelitas ſuos, non docuit tam obtuſe, tam ignauiter, tam frigide, quam ſolebant Scribæ & Phariſæi, ſed ita docuit, ut homines ſuper doctrina eius obſtupeſcerent. Docebat illos, inquit Euangeliſta, ut habens autoritatem, & non ſicut Scribæ. Adijciebat doctrinæ tanta miracula, quanta nunquam a condito orbe audita erant. Quare doctrina eius tot & tam ſtupendis miraculis confirmata, penetrabat animos auditorum altius, quam ullus acutus gladius. Et quanquam in hoc officij ſui curſu aduerſarios & inſidiatores uitæ ſuæ habuerit Principes populi Iudaici, tamen Pater ita eum in medio inimicorum ſuorum tutatus eſt, ut ante definitum tempus ne uno quidem capitis ſui pilo eum lædere potuerint. Vide mihi Petrum, Andream, Ioannem, Iacobum, Matthæum, & alios, quos uno tantum & altero uerbo ita excitauit, ut relictis omnibus, ſecuti ſint eū. Num putas ullum gladium tam potentem fuiſſe, qui horum animos illi ſic deuinxiſſet? Deinde, ſi conſideraueris ea, quæ Chriſtus, miſſo ſpiritu ſancto, in die Pentecoſtes, & poſtea peregerit, reipſa comperies nullum gladium ore aut ſermone eius acutiorem, & nullam ſagittam Euangelio eius expolitiorem, ac uelociorem eſſe. Nam, cum Apoſtoli accepto ſpiritu Chriſti, Euangelion in die Pentecoſtes, audiſtes, in urbe Hieruſalem publice prædicandum ſuſcepiſſent, auditorum corda ita, quaſi telo, concitarunt, ut non tantum obſtupeſcerent, uerumetiam multa milia hominum ad ſubijciendum ſe fide ſua Chriſto filio Dei permouerentur. Petrus Cæſareæ unam tantum concionem habebat, qua tamen nondum finita, ecce ſtupendum miraculum. Adhuc enim, inquit Lucas, Petro loquente, cecidit Spiritus ſanctus in omnes, qui audiebant ſermonem, qui & loquuntur linguis, & magnificant Deum. Ab eo autem tempore, Euangelij prædicatio totum terræ orbem breui ita peruagata eſt, ut nulla fere regio fuerit, ad quam nomen Chriſti non fuerit diuulgatum. In omnem (inquit) terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et Paulus: Euangelion (inquit) prædicatum eſt in Vniuerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt. Etſi enim huic prædicationi obſiſtebant Iudæi & Gentes, hoc eſt, maxima & potentiſſima pars huius mundi, tamen tanta Dei potentia munita fuit, ut non aliter quam acutiſsimus gladius, & expolitiſsima ſagitta, per medium inimicorum eius penetraret. Et hæc quidem de publica

oris aut sermonis Christi efficacia. Quid autem dicemus de priua/ ta eius in hominum cordibus efficacia? Siue enim ad incredulos & obstinatos peruenerit, uere est, ut Apostolus ait, uiuus, & efficax, & penetrabilior quouis ancipiti gladio, pertingens usque ad diui/ sionem animæ simul & spiritus, compagumque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis: siue ad pios & credulos peruenerit, agit in eis, non ut sermo hominum, sed, sicut uere est, sermo Dei, ut credentes adoptentur in filios Dei, & fiant plane noui homines, ad imaginem & similitudinem eius, qui con/ didit ipsos. Armat & Paulus nos gladio uerbi Dei, ut possimus sta re aduersus assultus Diaboli. Quare exhibeamus nos obedienter huic gladio secandos & muniendos, ut quæ carnis sunt, amputen/ tur, & quæ spiritus, defendantur & conseruentur.

ET DIXIT MIHI, SERVVS MEVS ES TV (IN) ISRAEL &c.

Commemorauit filius Dei uocationem & officium suum. Nunc commemorat partes sui officij. Missus enim est in hanc ter/ ram, ut primum quidem Iudæis, populo & consanguineis, adnun/ ciaret Euangelion suum: deinde ut diuulgaret Euangelion etiam inter gentes, per suos Apostolos, quo esset tam Iudæorum quam Gentium salus. Hæ sunt duæ partes officij eius. De priori ergo prius. Et dixit mihi, uidelicet Pater meus cœlestis, Seruus meus es tu Israel. Etsi interpretes per Israelem intelligunt hoc loco Chri/ stum, quod sit natus ex Israele, tamen quia Christus mox conque/ ritur se frustra operam suam impendisse in conuertendo Israele, & paulo post Pater affirmat filium suum non in hoc tantum de/ stinatum, ut conuertat tribus Israelis &c. existimo hoc, quod dici tur, Seruus meus es tu Israel, sic intelligendum esse, quod Christus dicatur seruire Deo in Israele, uidelicet conuertendo, seu reducen/ do ad ueram Dei agnitionem. Sicut & in Matthæo dicit: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, Israelis. Et ad Romanos dicitur: Minister circumcisionis, hoc est, Iudæorum. Nec hoc nobis mo/ lestum sit, quod filius Dei uocetur Seruus. Hoc enim non est dic/ tum secundum eius diuinitatem, sed humanitatem. Exinaniuit, in/ quit Paulus, seipsum, forma Serui assumpta. Hac igitur forma fa/ ctus est seruus Dei in populo Israel, quod iuxta uocationem Dei functus sit inter Israelitas ministerio prædicandi Euangelij, & con firmauerit illud in eo populo miraculis. Et additur: IN TE GLORIFICABOR. Hoc plane illud est, quod Christus ipse apud Ioannem capite decimoseptimo dicit: Ego te glorificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi. Pater igitur glorificatus est per Christum filium suum in terris, primum, quod

ministerio

ministerio suo comprobauerit Deum Patrem esse ueracem. Deus enim promiserat se missurum filium suum ex Israelitis, qui & inter Israelitas prædicaturus esset Euangelion suum, & æditurus miracula. Cum igitur filius hanc Dei Patris sui promissionem aduentu suo impleuerit, illustrauit gloriam Dei, quod sit Deus uerax, & promissi seruãs. Dico Iesum Christum, inquit Paulus, ministrum fuisse circumcisionis, pro ueritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Deinde glorificatus est Deus Pater per filium, in ædendis miraculis, quibus Christus Euangelion suum confirmabat. In Matthæo, cum homines uidissent paralyticum uerbo sanatum, admirati sunt, & glorificauerunt, inquit Euãgelista, Deum, qui dedisset talem potestatem hominibus. Præterea glorificauit filius Patrem obedientia sua. Quia factus obediens Patri usq; ad mortem crucis, palam testificatus est, Deum tantæ esse dignitatis & maiestatis, quod omnia tam in cœlo, quam in terra debeant mandatis eius obedire, etiamsi uita sit amittenda. Si enim filius reputauit eum tanti, ut maluerit extremis malis affici, quam uocationi eius obsistere, qui nos sumus, qui obedientiam detrectaremus? Quid autem plura? Filius gloriam Dei Patris sui Euangelio suo ita illustrauit, ut in Ecclesia nihil uulgatius, nihil etiam certius sit, quam Dominum Deum esse clementem nostrum Patrem, & omnipotẽtem seruatorem, qui nobis credentibus daturus sit æternam iusticiam & fœlicitatem, propter Iesum Christum filium suum. Deum, inquit Ioannes, nemo uidit unquam, Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse exposuit.

ET EGO DIXI, INVACVVM LABORAVI, SINE CAVSA &c.

Filius Dei audiuit se a Patre uocatum & ordinatum in ministrum circumcisionis, seu concionatorem Israelis. Quare, & si obedienter suscipit hoc ministerium, tamen quia uidet pertinacem & obstinatam Iudæorum suorum impietatem, conqueritur de superuacaneo labore suo inter Iudæos, & de paucitate credentium Euangelio inter ipsos. Frustra, inquiens, laboro: sine causa & uane fortitudinem seu uires meas consumo, etiamsi iudiciũ meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. hoc est, Etsi meum iudicium, meum officium, est diuinum, & meum opus, meũ ministerium est mihi a Deo meo mandatum, tamen tanta est Iudæorum pertinacia, tanta peruersitas, tanta obstinatia, ut uideam meas conciones plane superuacaneas inter ipsos esse, nec ullum aut paucissimum afferre fructum. Ego summo studio & diligentia ac totis uiribus meis concionor eis Euangelion meum, Et confirmo ueritatem eius stupendis & inauditis miraculis. Ex quibus etiam perspicue cõproba

tur,meam uocationem non esse humanã,sed diuinam,& opus mei ministerij esse mihi diuinitus mandatum, ea tamen est istorum Iudæorum impietas,& impudentia,ut non uereantur apertæ & confirmatæ ueritati reclamare. Hoc illud est,quod Euãgelista dicit: In sua uenit,& sui eum non receperunt. Et iterum: Cum multa signa ædidisset coram eis,non tamen credebant in eum. Et additur ratio huius incredulitatis. Vt sermo,inquit, Esaiæ Prophetæ implerẽtur,quem dixit: Domine,quis credidit auditui nostro,& brachium Domini cui reuelatum est? Et iterum: Excæcauit oculos eorum,& indurauit cor eorum &c. Sed de Iudæorum excæcatione & abiectione,uide Paulum ad Rom.cap.x.& xi. Nũquid ergo,quia Christus filius Dei frustra uidetur ministerio suo inter Iudæos laborasse,& uires suas inutiliter absumpsisse, idcirco non habebit ullam in terris Ecclesiam,& totus Israel perijt? Nihil certe minus. Etsi enim nõ multi Iudæi crediderunt Euangelio, crediderunt tamen aliqui,quibus accessit magna gentium multitudo,ut ex Iudæis & gentibus facta sit Ecclesia numero haudquaq̃ pœnitendo. De qua re ita pergit filius Dei in Esaia loqui. Et nunc,inquiẽs,hæc dicit Dominus,qui formauit me ab utero seruum sibi,ut reducam ad se Iacob, ne Israel in paruum numerum redactus pereat. (Sic enim legendum est,propter eo quod uulgata tralatio habet: Et Israel ad eum non congregabitur)& quamuis abiectus sum in oculis hominum, & contemnor a maxima parte mei ipsius populi, ac uideor longe omnium impotentissimus,tamen glorioſus sum in oculis Domini, & fortitudo mea erit Dominus,quo quis est potentior siue in cœlo,siue in terra? Vides iterum,quam prolixum sit, pro more, procœmium, antequam recenseatur concio,quam dixit Dominum dicturum. Repetit autem id quod ab initio capitis dixit: Dominus uocauit me ab utero, & postea,Seruus meus es tu in Israel. Sed addit nunc ea, quæ uiam ad sequentem promissionem faciunt,& quæ ei conueniunt. Glorioſus,inquiens, ero in oculis Domini, & Dominus erit fortitudo mea: hoc est,& si meus labor uidebitur contemptus & inutilis inter Iudæos,tamen Dominus efficiet, ut consequar meo labore summã gloriam,& iuuabit me tota fortitudine sua,ut congregem magnam Ecclesiam. Sic enim dixit ad me. Parum est,ut sis mihi seruus ad excitandas tribus Iacob, & ad conuertendas feces Israelis, hoc est,ad restituenda deserta seu deuastata Israelis. Pro quo in Euangelio dicit,Ad oues perditas domus Israelis. Non solum ad hunc usum misi te filium meum in terras, ut seruires mihi in uocandis Iudæis,& conuertendis reliquijs eorum ad ueram Dei agnitionem, sed dedi etiam te in LVCEM GENTIVM, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Ostendimus ãntea, quod Paulus hunc locum

interpretetur

interpretetur de Christo filio Dei, & de uocatione gentium. Quare etiamsi Angelus de cœlo aliam interpretationem afferret, tamen non huius, sed Pauli sectanda est. Itaq; habemus duas partes ministerij Iesu Christi. Vna est, quod uocatus sit diuinitus ad colligendas reliquias ex Israel, ut per Euangelion eius salutem consequantur. Altera, quod non sit tantum Iudęorum, sed etiã gentium Christus & Saluator, & quod Euangelion eius non sit includendum in angulum terræ Canaan, inter solos Iudæos, sed diuulgandum in uniuersum orbem terræ, inter omnes Gentes. Dedi, inquit, te in Lucem GENTIVM, ut sis Salus mea usque ad extremum terræ. Hoc, & id genus alia dicta de Christo, non sunt tam oscitanter prætereunda, quam breuiter recitantur. Ac debent nobis acceptiora esse omni auro, argento & gemmis. Sunt enim potentia Dei ad salutem omni credenti. In hoc igitur dicto Christus filius Dei primum uocatur Lux Gentium. Sic postea de Christo cecinit Simeon, Lumen ad illustrandas gentes. Et Ioannes: Erat, (inquit) Lux uera, quæ illuminat omnem hominem (uidelicet non Iudæos tantum, sed etiam Gentes) uenientem in hunc mundum. Et iterum: Ego sum Lux mundi, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lumen uitę. Verum enimuero Christus non eo tantum Lux dicitur, quod doctrina sua ostendat rectam uiam ambulandi, & præluceat exemplo uitæ suæ, qualis Lux fuerunt & Moses, & Prophetæ, & Apostoli: Sed maxime omnium, quod ipse sit uera illa Lux, quæ per fidem ex Euangelio accepta, dispellat & dissipiat in credente omnes tenebras peccati, mortis & inferni. Qui enim Christum per fidem possidet, reputatur coram Deo Iustus propter Christum. Itaq; non sunt amplius in eo tenebræ peccati. Etsi enim peccatum reipsa, & ut isti loquuntur, actu, manet in carne, tamen credenti in Christum, & per fidem expurganti reliquias peccati, non imputatur. Et qui Christum per fidem possidet, seruatur etiam in media morte & horroribus inferni. Itaque hac luce discutiuntur in credente tenebræ mortis & inferni. Moriuntur quidem homines, & tenebris inferni exterrentur, sed qui habent Christum per fidem, ita illustrantur, ut has tenebras, quamuis crassissimas, illęsi & inuiolati perrumpant. Dominus, inquit Psal. illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? Et: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum. Deinde Christus uocatur SALVS. Vt sis salus, inquit, mea, usq; ad extremum terræ. Vocat Pater, filium, Salutem suam, non qua ipse saluatur, sed qua homines saluat. Vnde & inditum est ei nomen IESV, quod significat Salutem, seu Saluatorem. Quia saluat,

(inquit angelus) populum suum a peccatis eorum. Et quæ maior salus populo contingere posset? Nullum enim grauius, nullum pernicioſius malum est peccato. Per peccatum Deus abalienatus est ab homine, per peccatum accensus est ignis inferni, intrauerunt in orbem omnia genera afflictionum tam corporalium, quam spiritualium, intrauit et mors ipsa, non illa tantum corporalis, sed etiam æterna, qua homines sempiterna internecione pereunt. Quid ergo peccato est pernicioſius? Sed bono & confidenti animo simus. Deus misit filium suum, ut sit SALVS populi sui, ut saluet populum suum a peccatis eorum. Pauciſsima dicuntur, sed latiſsime patent. Videtur uile beneficium commemorari, sed nihil potest eo maius & excellentius excogitari. Nam qui saluus est a peccatis suis, primum reconciliatus est cum Deo, & habet Deum propicium: deinde liberatus est a iure inferni. Infernus nullum habet amplius ius in ipsum. Adhæc non possunt ei nocere ullæ afflictiones, quippe quibus adēptus est aculeus. Postremo ne mors quidem afferre potest ei incommodum, quod remisso & condonato peccato, non sit amplius stipendium peccati, sed ostium uitæ. Hoc autem beneficium cōtingit nobis per Iesum Christum filium Dei, dum eum fide accipimus & tenemus. Quare nulla maior salus est, quam filius Dei, Dominus noster Iesus Christus. Additur autem, Ad extremū terræ. Hæc enim salus non est passa se includi in unam terram Canaan, sed uoluit diuulgari in omnes fines terræ. Sicut & Christus ipse dixit: Ite in uniuersum orbem, prædicate Euangelion omni creaturæ. Et iterum: Eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerumetiam in Iudæa Samariaq; , deniq; usq; ad extrema terræ.

HÆC DICIT DOMINVS REDEMPTOR ISRAEL, SANCTVS EIVS &c.

Pergit Pater maiestatem filij sui explicare, & exponit filiō, quod quo abiectior sit in hoc mundo, eo maiori ab ipso gloria & honore ornetur. Hæc dicit Dominus Redemptor Israelis, Sanctus eius. Paulo ante, cap. quadragesimooctauo, hæc epitheta attributa sunt filio Dei. Nunc tribuuntur Deo Patri, ut cognoscas, quod & si Pater & filius sunt duæ personæ, una tamen est essentia & diuinitas. Ad quem ergo loquitur Pater? Ad animam, (inquit) contemptibilem, ad abominabilem genti, ad seruum dominorum. Hæc est periphrasis humilitatis & abiectionis Christi filij Dei in hoc mundo. Filius enim Dei est anima contemptibilis, seu homo contemptus, quia, ut infra dicit, despectus fuit, & nouissimus seu contemptissimus uirorum. Vidimus eum, & non erat aspectus, quem desiderare possemus. Præterea est abominabilis genti, uidelicet Iudaicæ. Iudæi enim sic eum abominati sunt, ut non solum uerbis honori eius detraherent,

detrahcrent, uerumetiam auerterent uultus ab ipso, & cum productus esset a Pilato, uociferarētur: Tolle, tolle, Crucifige eum, significantes eum & terra & hominum aspectu indignum esse. Quę maior abominatio potest homini contingere? Adhæc, Seruus est dominorum. Etsi enim Dñs est non regum tantum & principum, sed etiam omnium creaturarum, tamē factus est in hac terra Seruus dominorum, imo seruus seruorum. Nō enim uenit ut ipsi ministraretur, sed ut ipse alijs ministraret. Quid autem Pater ad hūc tam abiectum loquitur? Reges, inquit, uidebunt, & assurgent Principes, & adorabunt, propter Dñm, qui est fidelis, et (propter) Sanctum Israelis, qui te elegit. hoc est, Etsi Iudæi te abominantur, & damnant, tñ tanta gloria te ornabo, ut multi reges cupiant te uidere, & assurgāt tibi honoris gratia, ac Principes te sint adoraturi propter Dominū & propter Sanctum Israelis, quē uident, quod sit fidelis & uerax, quia cum te promisit, impleuit etiam suam promissionem, & elegit ac misit te in hanc terram, ut ueram hominibus salutem afferres. Imo, idcirco assurgent coram te & adorabunt te, quia non solum uident Deum uere a parte tua stare, & per te implere fœdus suum, quod cum Patriarchis iniit, sed etiam uident te ipsum esse uerum illum Dominum Deum, & Sanctum Israelis, qui se hactenus multis & magnis miraculis in Israel manifestauit. Quod autem hic Pater ad filium dicit, idem illud est, quod antea Psalmus dixerat: Minuisti eum paulo minus ab Angelis, Gloria & honore coronasti eum. Et alius: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et postea Paulus: IESVS CHRISTVS, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus exaltauit illum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat &c. Dubitasne, Christum filium Dei, cum uitam in his terris ageret, hęc de se in Psalmis & Esaia legisse? Non dubium est, quin non solum ea legerit, & intellexerit, uerumetiam ex ijs animum suum, in tanto odio & abominatione, qua inter Iudæos suos laborauit, confirmauerit. Sed quia seruus non est maior domino suo, & quod in capite, Christo, gestum est, hoc etiam ad membra, quæ sunt Ecclesia eius, pertinet, idcirco sentiamus, quod, quemadmodum Christus in hac terra fuit anima contempta, & hominibus abominabilis, ac dñor seruus: ita & Ecclesia eius habeatur in hoc seculo abiecta & abominanda, & necesse habeat scabellum pedū esse. Sed bene habet, Christus

exaltatus est, exaltabitur & Ecclesia eius, & regnabit una cum ipso in æternum. Quare non despondeamus animum in tanto contemptu, quo ab hoc mundo, nos qui Christo seruimus, conculcamur, sed respiciamus ad eam gloriam, quæ nobis in Christo parata est, certo scientes, quod si commortui sumus, conuiuemus etiam, & si sufferimus, conregnabimus etiam.

HÆC DICIT DOMINVS, IN TEMPORE PLACITO EXAVDIVI TE &c.

Repetitur in singulis fere pericopis persona Dei loquens, ut autoritate eius attentio auditoris renouetur. Quæ enim hic Pater ad filium loquitur, magna sunt, & obseruatione dignissima, nec propter filium tantum, sed propter uniuersam Ecclesiam recitantur. Pergit autem iterum, non solum salutem & maiestatem Christi filij sui, uerumetiam dilatationem & fœlicitatem Ecclesiæ eius commemorare. Hæc dicit DOMINVS Pater ad filium suum Christum. In tempore placito seu accepto exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum, seu adiuui te, & seruaui te. Quod sit tempus illud acceptum, & dies salutis, Paulus exponit, in posteriori ad Corinthios capite sexto ita scribens: Ecce NVNC tempus acceptum, ecce NVNC dies salutis, significans ab eo tempore, quo Christus filius Dei homo factus est, & prædicauit Euangelion suum, ac diuulgauit illud per Apostolos in totum orbem terræ, reuelatum esse tempus acceptum, & diem salutis. Postquam ẽ uenit Christus in hunc mundum, hoc solum egit, & eo tantum spectauit, ut iram Dei placaret, & humanum genus cum Deo reconciliaret, ac liberaret. Nam scriptura uocat eum perpetuum Sacerdotem. Tu es, inquiens, Sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedec. Sacerdotis autem est hominum peccata expiare, & homines cum Deo reconciliare. Suscepit igitur filius Dei officium sacerdotis, in aduentu suo in carnẽ, ac primum quidem obtulit Deo Patri pro populo suo ardentissimas preces: deinde obtulit pro salute eius suam ipsius animam & uitam. Ac sæpe quidem & multum precatus est Christus Patrem totis etiamnũ noctibus, sed ea precatio, quam post nouissimam cœnam fecit, ualde memorabilis est. Precatur enim non tantum ut ipse glorificetur, sed ut Apostoli eius, & omnes, qui Euangelio eorum fidem habent, perpetuo seruentur. Pater sancte, inquiens, serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Et mox. Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Et in Psal. sexagesimooctauo. Non erubescant in me, qui expectant te Domine Dñe uirtutũ. Non confundãtur super me, qui quærunt te Deus Israel. Quid ergo factũ est? Num filius Dei passus est a Deo Patre in

in precibus suis repulsam? Nihil certe minus. Sic enim exauditus est, ut Pater non solum seruauerit ipsum in omnibus aduersis, sed etiam receperit, se exauditurum preces omnium eorum, qui ipsum propter filium suum inuocant. Nec hoc tantum, sed adoptaturum quoq; eos in filios & hæredes suos, ac tutaturum ipsos in media morte, ad æternam uitam. Amen amen dico uobis, (inquit Christus) si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis. Hactenus non petijstis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Et Hebræ. quinto. Qui in diebus carnis suę cum & precationes et supplicationes apud illum, qui poterat ipsum a morte seruare cum clamore ualido, & lacrymis obtulisset, & exauditus esset pro reuerentia, tametsi filius esset, didicit ex his quæ passus est, obedientiam, ac perfectus redditus est omnibus, qui sibi obediunt, causa ęternę salutis &c. Cum igitur Christus filius Dei impetrauit precatione sua non sibi tantum gloriam, uerumetiam uniuersæ Ecclesiæ suæ aditum ad Patrem, & patefecit omnibus credentibus in ipsum ianuam ad thronum gratiæ, merito sentiendum est, ab eo tempore, quo Christus uenit in mundum, & diuulgauit Euangelion suum in totum orbem terræ, usque ad finem huius seculi, tempus esse acceptum, & diem salutis. Quod cum ita se habet, admoneamur & nos, sicut Apostolus Corinthios & Hebræos admonet, ut operam demus, ne gratiam Dei inuacuum recepe-rimus, neue tempus hoc acceptum negligamus, sed accedamus ad thronum gratiæ cum fiducia, ut consequamur misericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunum auxilium.

ET DEDI TE IN FOEDVS POPVLI &c.

Iucundissima concio de filio Dei. Pater non tantum exaudit preces eius, & liberat eum ex omnibus malis, uerumetiam dat seu constituit eum in Fœdus populi, ut sit pignus & arrhabo reconciliationis Dei, cum humano genere. Sed collatione magis perspicuum fiet, quomodo Christus sit fœdus populi. Quondam enim iniit Deus fœdus cum Abrahamo & posteritate eius, ac in signum huius fœderis dedit ei Circumcisionem. Hoc est, inquiens, fœdus meum, quod obseruabitis inter me & uos, & semen tuum post te. Sed maximum est discrimen inter fœdus, quod Deus cum Abrahamo & posteris eius per circumcisionem iniit, & quod Deus cum uniuerso humano genere per Christum filium suum iniit. Illud enim continet carnalia tantum & mundana beneficia, quod semen Abrahæ esset multiplicandum, quod reges ex ipso orituri essent, q̄ posteritas eius possessura esset terram Canaan &c. Hoc autem continet cœlestia & ęterna bñficia, uidelicet q̄ Deus uelit omnibus cre-

dentibus in filium ſuum, eſſe propicius, quod adoptet eos in filios, quod ſeruet eos in morte, quod donet eis æternam iuſticiam, gloriam, & fœlicitatẽ. Hæc beneficia maiora ſunt, quam quæ humanus animus comprehendere poteſt. Deinde, cum Moſes in Exodo confirmaturus eſſet librum legis, quam legẽ populus perpetuo obſeruare deberet, tulit ſanguinem, & ſparſit ſuper populũ hiſce uerbis: En hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus uobiſcũ ſuper cunctis hiſce ſermonibus. Hic autem ſanguis nec pópulum coram Deo purificauit, nec effecit ut ſermones legis perfecte implerent. Sed ſanguis Chriſti eiuſmodi fœderis ſeu teſtamenti ſanguis eſt, ut quotquot eo in conſcientia per Euãgelion aſperguntur & eum fide ſuſcipiunt, coniungantur æterno fœdere cum Deo, & non ſolum emundentur a peccatis, uerumetiam certiſsimum habeant pignus, quod ſint filij Dei & hæredes omnium cœleſtium bonorum eius. Vnde ad Hebr. dicitur: Nihil ad perfectionem adduxit lex, uerum erat introductio ad autorem ſpei melioris (Chriſtum) per quã appropinquamus Deo, atq; hoc potiorem, quod non abſq; iureiurando res acta ſit. Et mox: Tanto potioris teſtamenti SPONSOR factus eſt Ieſus &c. Huc pértinet etiã quod Chriſtus ipſe apud Ioannem ait: Sic Deus dilexit mũdum, ut unigenitum filium ſuum daret, (uidelicet in certiſsimum fœdus, aut pignus) ut omnis quí credit in eum, non pereat, ſed habeat æternã uitam. Et ad Ro. iij. Quẽ propoſuit Deus propiciatorium per fidem, interueniẽte ipſius ſanguine. Et i. Ioan. ij. Si quis peccauerit Aduocatũ habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtũ Iuſtum. Et ipſe eſt prõpiciatio pro peccatis noſtris &c. Cum igitur intuemur Chriſtum, per fidem, in cordibus noſtris, ſciamus nos certiſsimum habere pignus, q; Deus ſit nobis propicius, & elegerit nos in hæreditatem ſuam, ut cœleſtibus bonis, una cum filio ſuo, in æternum fruamur. Sed pergamus audire uerbis Prophetæ, in quem uſum datus ſit nobis filius Dei. Vt ſuſcites, inquit, ſeu inſtaures terram, ut poſsideas hæreditates deſolatas, ut dicas uinctis, Exite, & his, q; in tenebris ſunt, Reuelemini. Hæc ſic recitantur, perinde ac ſi filius Dei accepturus eſſet mundanũ imperium, & reſtituturus populum ſuum diſſectum aut captiuum in terram & libertatem ſuam. Sed hæc uerba intelligenda ſunt pro ratione regni Chriſti. Sicut. n. regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, ita neq; inſtauratio terræ, neq; poſſeſsio deſolatarũ hereditatũ, neque liberatio captiuorum ſunt mundana, ſed ſpiritualia. Chriſtus enim inſtaurat terram, cum iuxta Paulum, reconciliat Deo Patri cuncta, pacificans per ſanguinem crucis ſuæ ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Poſsidet hæreditates diſsipatas ſeu deſolatas, cum iuxta Amos, ſuſcitat tabernaculum Dauidis collapſum,

collapsum, & reædificat aperturas murorum eius, hoc est, cum, iuxta Ioannem, congregat filios Dei dispersos, in unum, ut fiat unus pastor, & unum ouile. Dicit uinctis Exite, & his qui in tenebris sunt, Reuelemini, cum prædicat Euangelion suum de Remissione peccatorum, & diuulgat illud per Apostolos in totum orbem terræ. Vere enim uincti sunt, non qui catenis in carceribus uinciuntur, sed qui peccatorum uinculis sunt obnoxij. Vere in tenebris sunt, non qui in obscuro & tetro carcere huius mundi sunt cõclusi, sed qui propter peccata sunt in potestate Satanæ & mortis. Euangelion autem adnunciat nobis remissionem peccatorum, & liberationem a Satana & morte propter Christum. Quare solus Christus uere liberat uinctos a captiuitate, & educit eos, qui in tenebris sunt, ad lucem, illos uidelicet, qui Euangelion suum fide accipiunt. Sed quid profuerit multum e carcere & tenebris liberari, postea autem famelicum, sitibundum, ac omnium rerum egentem errare? Huic autem sollicitudini medetur statim Dominus, cum addit: Super uias pascentur, & in omnibus planis, seu ripis pascua eorum. hoc est, Vbicq; in campis obuia erunt irrigua pascua. Sicut enim pastor ducit oues suas ad loca pascuosa, ita filius Dei pascet liberatos suos abundanter, ut nõn esuriant, nec sitiant, nec percuti at eos æstus & Sol, propterea quod is qui miseretur eorum, filius Dei, regit eos, & ducit eos ad fontes aquarum. Habes iterum liberalissimam promissionem diuinæ curæ & tutelæ erga Ecclesiam. Non esurient, inquit, non sitient, non percutiet eos æstus & Sol. Vnde & in Psal. dicitur: Ecce nõ dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, adstans tibi ad dexteram. Per diem Sol non uret te, neq; luna per noctem. Quid ergo est, quod alias Christus ipse ait: In mundo afflictionem habetis? Et Paulus: Omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur? Et testantur Ecclesiasticæ historiæ, quod multi pij martyres fame sint absumpti, alij igni cremati. An hoc nõ est esurire, & ab æstu uri? Consideremus igitur, quod hæ promissiones non auferant a pijs externas afflictiones in hoc mundo. Nec in hunc usum uenit Christus in hunc mundum, ut Ecclesiam, quandiu quidem est in hoc seculo, ab aduersis liberam reddat. Non rogo, inquit, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos a MALO. Quare hæ, & id genus aliæ promissiones intelligendæ sunt secundum rationem Euangelij & regni Christi. Primum enim in Ecclesia, quæ est regnum Christi, nullus esurit, nec sitit, nec solis æstu percutitur, quia quisquis in Christum credit, accipit remissionem peccatorum propter Christum. Peccata autem sunt aculeus afflictionum. Neque enim possunt afflictiones hominem pungere,

si non subsunt peccata, sicut nec uespa adempto aculeo, pungere potest. Quare, cum peccatum remissum, hoc est, aculeus ademptus sit per Christum, non possunt amplius nec fames, nec sitis, nec æstus solis, nec ulla alia afflictio credentem lædere, sed necesse habent ei adiumento esse in bonum. Deinde, quisquis in Christum credit, & est per fidem membrum regni Christi, & si uel fame uel siti uel alijs aduersis affligitur, tamen datur ei per Christum ἔκβασις seu euē tus, ut tam facile ferat aduersa, q̄ impius quispiam prospera. In Actis Apostolicis, q̄dūtur Apostoli in Cōcilio. Ipsi aūt ibant GAVDENTES a conspectu concilij, quod digni habiti essent, qui pro noīe Iesu contumelia afficerentur. Vix aūt inuenias, inter impios, q̄ tanto gaudio a cōuiuio discedat. Et Paulus: In oībus, inquit, premimur, at nō anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionē patimur, at non deserimur: deijcimur, at nō perimus. Et mox: Quasi impostores, & tamen ueraces, quasi ignoti, & tamen noti, quasi moriētes, & ecce uiuimus, quasi correpti, & non occisi, quasi dolētes, semper tamen gaudētes, quasi pauperes, multos tamen ditantes, ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes. Et alias: Didici his in quibus sum contentus esse. Noui & humilis esse, noui & excellere. Vbiq̄ & in omnibus institutus sum. Et saturari & esurire, & abundare & penuriam pati: omnia possum per Christum, qui me corroborat. Vides igitur hanc esse piorum prærogatiuam, q̄ & si fame & siti & alijs aduersis obruūtur, tamen habent in his per Christum seruatorem suum tantam mitigationem, ut leuius ferant suas in hoc seculo infœlicitates, q̄ alij suas fœlicitates. Postremo, nihil certius est, q̄ q̄ pij liberabuntur uel tandem etiam ab omnibus externis & mundanis afflictionibus, et consequentur ęternum gaudium propter Christum, quē fide amplexi sunt. Itaq̄ quod hic dicitur: Non esurient, neq̄ sitient, & non percutiet eos æstus solis, non fide tantum & spe, in hoc seculo, sed etiam re & sensu in futuro seculo, in uera Ecclesia seu regno Christi impletur. Reputo, inquit Paulus, non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leuitas afflictionis nostrę, mire supra modum ęternum pōdus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam, quæ uidentur, temporaria sunt. At quæ non uidentur, æterna. Quod cum ita se habet, nihil habet pius, quod de aduersis conqueratur. Aut enim commoratur diutius in hoc seculo, tunc aduersa sic diuinitus mitigātur, ut & ferre queat, & magnam ex eis utilitatem capiat. Aut euocatur ex hoc seculo, tunc pro aduersis, accipit æternam salutem & tranquillitatem. Sed quid? Num tantis filij Dei beneficijs fruetur tantum populus Israel? Ita uero est, ut dicis. Tantum

tum Israel fruetur Christi beneficijs, non autem carnalis, sed spiri-
tualis, qui colligitur per Euangelion non solum ex carnali posteri-
te Israelis, uerumetiam ex omnibus gentibus, e toto orbe terrarum.
Vnde additur: Ponam omnes montes meos in uiam, reddam om-
nes montes peruios, & sternam omnes semitas meas, ut ad accipien
da beneficia filij mei non solum Israelitæ ex uicinia, sed etiam gen-
tes ex longinquis regionibus accedant. Ecce enim alij uenient à lon
ge, hoc est, ab Oriente: alij ab Aquilone, seu parte Septentrionali:
Alij a mari, seu ab Occidente: alij a terra Sinnim, hoc est, Australi
seu meridionali. Venient autem, non externa profectione ad exter
nam Hierusalē, sed fide in Euāgelion, ad ipsos usq; in longinquas
eorum regiones diuulgatum. Sic et Christus apud Matthæum con
cionatur: Multi ab Oriente & Occidente uenient, & recumbent cū
Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Cæterum, cum Pro-
pheta, in cōsideratione magnitudinis beneficiorum, quæ filius Dei
in Ecclesiam suam confert, intelligit ea excellentiora & digniora es-
se q̄ quæ humanis uerbis explicari queant, tanta eorum admiratio
ne capitur, ut teneri non possit, quin excitet omnes creaturas, cœle
stes & terrestres, in læticiam, in laudem & gratiarum actionem filij
Dei, qui nobis tantorū beneficiorum autor est. Sic enim sequitur.
Iubilate cœli, & exulta terra, plaudite iubilo mōtes, quia cōsolatur
Dominus populum suum, & miseretur pauperum suorum. Quid
misero & afflicto populo aut gratius, aut magis salutare contingere
posset? Afflictus est populus, Sed filius Dei, qui est uerus Domi-
nus Deus noster, consolatur eum. Pauper & abiectus est populus,
Sed filius Dei miseretur eius. Quomodo? Venit in hunc mūdum,
prædicat Euangelion suum, expiat peccata populi, reconciliat popu
lum cum Deo Patre suo, & impetrat, ut quotquot in ipsum credūt,
adoptentur in filios Dei, & in cohæredes suos, ut una cum ipso fru
antur in cœlesti regno æternis bonis. Hoc certe uere est consolari
in afflictione, & misereri in paupertate. Non igitur indignum est,
ut ad tanti beneficij mentionem exultent & iubilent omnes creatu-
ræ. Sed uide mihi quanta sit iniquorū hominum ingratitudo. Cum
& cœlestia & terrestria exultent & iubilent propter beneficia Chri
sti in Ecclesiam collata, maxima pars hominum, etiam eorum, qui
Christiano nomine gloriantur, tam incurij, tam ignaui sunt, ut nul
lam prorsus habeant horum beneficiorum rationem, sed transigūt
uitam sicut equus & mulus, quibus nō est intellectus. Quorum cer
te hominum longe deterior est conditio, q̄ iumentorum. Hæc em̄
una cum corpore suo intereunt, & ut post hanc uitam nihil habent
fœlicitatis, ita etiam nihil infœlicitatis sentiunt, quia tota pereunt.
Homines aūt impij & ingrati, etiam post mortem uiuunt, sed infœ

licissime, & resurgent a morte, sed ad æterna supplicia. Quanto tolerabilior esset eorum cõditio, si aut nunquam essent nati, aut ut iumenta morerentur? Incumbamus igitur in hoc studium, ut fœlicitate non uincamur a iumentis, sed ut pietate, & obseruantia beneficiorum Christi fructus uerę fœlicitatis consequamur.

ET DIXIT ZION: DERELIQVIT ME DOMINVS, ET DOMINVS OBLITVS EST MEI &c.

Insignis promissio est: Dominus consolabitur populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Sed Zion, hoc est, uera Dei Ecclesia longe diuersa sentit. Expectat consolationem, sed ecce tristiciam. Expectat misericordiam, sed ecce seueritatem, & crudelitatem. Expectat liberationem Domini, sed ecce desertionem. Cum urbs Hierusalem a Babylonijs uastaretur, & templum cremaretur, acciues in captiuitatem abducerentur, an non uidebatur Dominus Zionem deseruisse, & populi sui oblitus esse? Nã si omnino libuit Domino malos & impœnitentes punire, cur uera piorũ Ecclesia, abrepta est una cum impijs in captiuitatem? In Babylone autem, quam multorum Iudæorum defectio ad Idolatrian, & ad contemptum ueri Dei Israel? Et sicut Iudæi deserebãt uerum Deum, ita uicissim uidebatur Deus deseruisse Iudæos, quorum paucissimi in uera pietate perseuerabãt. Cum Antiochus ἐπιφανὴς grassaretur in Israel, multus quidem numerus erat Iudęorum, sed paucissimi erant uera Dei Ecclesia, & hi tam crudeliter opprimebantur, ut nulla gens Deo magis inuisa uideretur. Consideremus etiam Herodis tempora. Externa Iudæorꝝ, qui tunc audiebat populus Dei, politeia erat oppressa tyrannide Herodis. Ecclesiastica autem politeia corrupta erat Pharisaicis & Sadducęicis, hoc est, bis impijs traditionibus. Paucissimi quidam, uix numero digni, Zacharias, Elizabeth, Ioseph, Maria, Simeon, Anna, pastores & nonnulli alij, tenebãt ueram de Messia doctrinam, & erant uera Dei Ecclesia. Hi ergo, cum intuebantur suum cœtum, & conferebant eum cum multitudine impiorum Principum, Pontificum, Pharisæorum & Vulgi, an falso uidebantur dicere: Dereliquit nos Dominus, oblitus est Dominus nostri? Sed his seu cogitationibus seu tentationibus piorum obuiam procedit nunc Dominus insigni & memorabili concione, in qua initio exponit summam suam curam pro sua Ecclesia: deinde pollicetur se Ecclesiam admirabiliter multiplicaturum & cõseruaturum: Postremo pollicetur Ecclesiæ, non spiritualia tantum auxilia & hospitia in cœlis, uerumetiam mundana Principum & Regum auxilia, & externa hospitia in terris. Nunquid, inquiens, obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Maxima est

στοργὴ & cura matrum erga liberos suos. Neque enim solum pro ijs sollicitæ sunt, cum gestant eos adhuc in utero, sed maxime omnium, cum eos in lucem ediderint, ut conseruentur, ut foueantur, ut adolescant, ut bene & iucunde habeant. Siue ocientur siue negocientur matres, liberos cogitant. Suus cuiq; filius, alioqui aspectu etiam fœdus, uidetur pulcerrimus. Si quid aduersi filio acciderit, in se cupit mater, si queat, transferre. Denicq; morti quoque sese objicit, ut filium tueatur. Hic autem affectus non temere nascitur in corde matris, sed est creatio Dei, qui cum condiderit hominem ad suam imaginem, uoluit hac matrum στοργὴ adumbrare ardorem eius affectus, quem ipse erga Ecclesiam, filiam suam habeat. Ac fieri quidē potest, ut amor matrum erga liberos, & si diuina creatione naturaliter mulierculis inhæret, tamen aliquoties, tyrannide Satanæ subuertatur, & in crudelitatem atque immanitatem mutetur. In obsidione Samariæ matres uincuntur magnitudine famis, ut coquant pueros suos, & ijs uescantur, quemadmodum scriptum est, quarto Regum sexto. Et in oppugnatione urbis Hierusalem, manus mulierum misericordium, inquit Hieremias, coxerunt filios suos, ut essent eis cibus. Affectus autem Dei erga Ecclesiam suam non potest sic subuerti aut immutari, sed est in Deo cōstantissimus & perpetuus. Nam quemadmodum Deus, ipsa est caritas, sicut Ioannes ait, ita est & ipsa στοργὴ, ac maternus ipse affectus erga suam Ecclesiam. Quare sicut nec Deus ipse, ita nec hic affectus in Deo mutabilis est. Si illa, inquit, oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Et apud Lucām: Quis ex uobis pater, a quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? & si piscem, num pro pisce, serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium? Si ergo uos, cum mali sitis, nostis bona dona dare liberis uestris, quanto magis Pater cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus ab ipso. Sed Deus Pater non uoluit parentum tantum affectu adumbrare suam beneuolentiam & curam pro Ecclesia sua, uerumetiam uoluit eam lōge omnium maximo argumento testificari, morte uidelicet unigeniti filij sui, Domini nostri Iesu Christi. In hoc, inquit Ioannes, est caritas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & emiserit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Et Paulus: Commendat (inquit) Deus suam caritatem erga nos, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et iterum: Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Cum igitur Deus tanto caritatis ardore Ecclesiam suam complectatur, fieri non potest, ut tradat eam obliuioni, & sinat eam in periculis & aduersis perire. Sed reuertamur ad concionem nostram in Propheta, in qua Deus pergit curam suam pro

Zione seu Ecclesia exponere. Ecce, inquiens, in manibus istis ambabus descripsi seu insculpsi te. Muri tui perpetuo sunt coram me. Vt manus nostræ semper nobis ob oculos uersantur, ita & quicquid in manibus insculptum est, offert sese continenter oculis, ut non possit e memoria excidere. Quare, cum Deus affirmat se gestare secum Zionem seu Ecclesiam in manibus insculptam, & muros eius (utitur enim pro more ijs uerbis, quibus externa Zion describi solet, cum tamen intelligat spiritualem Zionem) semper ob oculos suos habere, significat curam salutis & conseruationis Ecclesiæ suæ sic sibi meditatam, & infixam esse, ut deleri ex animo suo nunquam possit. Hoc idem adumbrauit spiritus sanctus, in duobus lapidibus onychinis, in quibus sculpta erant nomina filiorum Israel, & quos portabat Aheron coram Domino, in utroque humero, ad monumentum. Idem adumbrabant etiam duodecim gemmæ in rationali seu pectorali Iudicij inclusæ, quas duodecim nominibus filiorum Israel insignitas, Aheron ingressurus in Sanctuarium, in pectore suo affixas gestare solet, memoriale, ut scriptura Exodi uigesimooctauo loquitur, coram Domino in æternum. Institutus em̄ fuit hic ornatus in sacerdotij ministerio, nō quod eo Deus per se delectaretur, aut placaretur, sed ut Ecclesia admoneretur, se non solum Deo semper curæ esse, sed coram eo omnibus gemmis pretiosiorem reputari. Et ut nomina filiorum Israel in gemmas insculpta, deleri, nisi confractis gemmis, non potuerunt, ita fieri non potest, ut ex animo Dei Ecclesia eius aboleatur. Quare, & si Ecclesia in hoc seculo affligitur, tamē non habet, quod conqueratur se a Deo desertam, quippe quod quo maior est afflictio, eo propior sit salus Domini.

Non existimes autē, Deum sic pro Ecclesia sua sollicitum esse, ut tamen nullam det externam sollicitudinis suæ significationem. Non enim tantum in corde suo curam gerit, sed testificatur eam publice admirabili multiplicatione & defensione Ecclesiæ. Sic enim sequitur. Venerunt structores tui. Destruentes te, & dissipantes a te exibunt, hoc est, efficiam, ut qui hactenus uel tyrannide uel impia doctrina uastarunt & euerterunt Ecclesiam, abijciantur & condemnentur. Mittam autem architectos, qui te Zionem seu Ecclesiam non tantum instaurent, uerumetiam multo latiorem, quam antea eras, faciant. Age em̄ tu, expergiscere, attolle & circumfer oculos tuos, & uidebis maiorem ciuium tuorū numerum ex oībus gentibus ad te accedere, quam unquam tibi in mentem uenire potuit. Viuo ego, dicit Dominus, Sicut sponsa ornatur torque & monilibus suis, ita tu Ecclesia, mea dilectissima sponsa, his ciuibus ex omni natione selectis ornaberis. Et hactenus fuit quidem terra tua deserta,

ferta, & uasta, ut paucissimos in ea incolas inueneris. Nunc autem tanta multitudo adueniet, ut terra futura sit angustior, quam quæ tot habitatores capere possit. Accedet & hæc fœlicitas, quod ex ea terra fugabuntur, qui antea te oppressérant, ut liceat tibi in ea magna securitate uitam agere. Etsi enim nunc uidearis sterilis, tamen tot erunt tibi filij, ut conquerantur de terræ angustia, & postulent terram latiorem, in qua habitare possint. Sed & tu ipsa admirabéris, qui factum sit, quod cum antea fueris sterilis, infœcunda, exul, uaga, & captiua, tot simul liberos possideas, Et unde nam ad te uénerint? Ego uero, inquit Dominus, paucis exponam tibi, unde sint uenturi. Nam ego leuabo manum meam ad Gentes, & erigam uexillum meum ad populos. Vnde fiet, ut allaturi sint filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros. Sed quid proderit magnam esse liberorum meorum multitudinem, & tamen non esse, qui hanc multitudinem nutriat, foueat & defendat? Multitudo liberorum præsertim infantium, egeno, inopi, & infirmo parenti magis sunt oneri quam gaudio & delectationi. Quare si daturus es multitudinem liberorum, da etiam nutricios & tutores. Recte admones. Excitabo igitur, non sordidos quosdam & mendicos, sed Reges, & Reginas, Principes, & potentes urbes, qui erunt Nutritores & defensores tui, quique tanta ueneratione te colent, ut capita suæ coram te usque ad terræ puluerem, honoris gratia demittant. Eo tempore manifeste cognosces, quod ego sim uerus Dominus Deus tuus, & quod haudquaquam pudefiant, qui in me credunt, & meam opem obedienter expectant. Hæc est manifesta concio de uocatione gentium, & de augenda atq; conseruanda Ecclesia in terris usque ad nouissimum huius seculi diem. Initio autem obseruabis, quomodo conueniant hæc Prophetica de multitudine eorum, qui ad Ecclesiam accedent, cum dictis Euangelicis, quæ testantur multos quidem uocatos, paucos autem electos. Et, Angustam esse portam, & strictam uiam, quæ abducit ad uitam, & paucos esse, qui inueniant illam. Sed bene habet, Multi sunt, & pauci electi. Multi, si nunc consideres eos per se? Sic enim maxima est credentium multitudo, nunc conferas gentes per Euangelion uocatas, ad paucitatem Iudæorum, qui Christo crediderunt. Sic enim tantam inuenies gentium multitudinem ad Ecclesiam Christi accessisse, ut præ ea Iudæorum paucitas uix numero digna uideatur. Pauci autem sunt electi, si conferas eos, uel ad uniuersum hominum genus, uel etiam ad eos, qui gloriantur quidem nomine populi Dei, non sunt autem uere populus Dei. Querebatur quondam Elias, se solum ex populo Dei & prophetis eius reliquum esse, Sed audiebat uicissim, DOMINVM seruasse sibi reliquos

septem millia, quorum genua non sint incuruata ante Baal, nec ora eorum osculata sint eum. Et hic quidem numerus per se satis multus est & copiosus: sed quid, quæso, collatus, ad tot aliorum Israelitarum Myriades? In Actis Apostolicis, uno Pentecostes die accedunt ad Ecclesiam tria millia hominum. Et mox etiam alia duo millia. Multi sane, si seorsim eos statueris: sed si conferis eos cum reliqua multitudine, quæ solebat festis illis diebus ad Hierusalem conuenire, uix millesimam eius partem diceres. Conueniisse enim Hierosolymis ad solennes dies festos maximam hominum turbam, autor est Iosepus, libro septimo capite decimoseptimo de bello Iudaico. Hæc nobis eo recitantur, non ut paucitate uere credentium a sectanda Euangelij uocatione deterreamur, sed potius, ut iam uocati, & per fidem in communionem bonorum CHRISTI susceptí, ad retinenda ea excitemur, ne una cum impia multitudine pereamus. Deinde, cum dicit: Leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum seu uexillum meum, descriptio est ministerij Euangelij, quo Gentes ad communionem beneficiorum CHRISTI uocatæ sunt. Dicit enim, Gentes leuatione manus suæ, & exaltatione uexilli sui ita excitatas esse, ut non solum ipsi turmatim ad Ecclesiam Christi properarent, uerumetiam secum filios & filias in humeris suis asportarent. Non est autem obscurum, quod Gentes uocatæ & excitatæ sint per prædicationem Euangelij de Christo. Manifestum igitur est, hoc ministerium esse Manum & Vexillum DOMINI, quo Deus efficax est, ad congregandam Ecclesiam suam ex omni hominum natione. Euangelion, inquit Paulus, Potentia Dei est ad salutem omni credenti. Quare qui aut contemptu, aut fanatica superstitione negligunt conciones aut lectiones Euangelij, & expectant eruditionem religionis e supernis absque uerbo Domini, hi subtrahunt sese sua sponte manui Dei, & fugiunt uexillum eius. Itaque ut Deus non est in eis efficax, ita nullum habent locum in exercitu populi sui. Quod autem dicitur: Afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros, suauissima est hypotyposis turbæ cum liberis suis ad Ecclesiam Domini festinantis. Ac Spiritus sanctus respicit quidem his uerbis generaliter ad patresfamilias inter Ethnicos, qui Euangelio CHRISTI illustrati, erudiunt liberos suos in uere pia doctrina, quam ipsi didicerunt: non dubito autem, quin direxerit etiam oculos suos specialiter in hoc spectaculum, quo infantes solent a maioribus natu ad baptismum afferri. Infantem enim ad baptismum afferre, quid aliud est, quam eum ad Zionem, ad Ecclesiam DOMINI, ad DOMINVM ipsum Iesum Christum afferre, ut per baptismum sanctificetur

ſanctificetur ad accipiendam promiſſam in cœlis hæreditatem, propter Ieſum Chriſtum? Quare, cum uidemus turbam hominum afferentium in ulnis ſuis infantes ad baptiſmum, admoneamur huius Prophetici uaticinij, & agamus DOMINO gratias, quod impleat in oculis noſtris ſua promiſſa, & pergat Eccleſiam ſuam, inter tot & tantas Satanæ inſidias, augere & conſeruare. Sed nec illud, quod mox ſequitur: Erunt Reges nutricij tui &c. oſcitanter prætereundum eſt. Primum enim, promittitur hic Eccleſiæ hoſpitium, & tutela in Imperijs & Politijs, ſeu urbibus huius ſeculi. Reges, inquit, erunt Nutritores tui, & Reginæ, hoc eſt, magnæ urbes erunt Nutrices tuæ. Etſi enim Eccleſia ſubiecta eſt crucj in hoc mundo, & maxima quæque Imperia, ſolent maxima mala Eccleſiæ inferre, tamen quia neceſſe eſt, ut Eccleſia pia doctrina eruditatur, & ad poſteros propagetur, neceſſe etiam eſt, ut habeat ſua in his terris hoſpitia, & ſuas ſedes, in quibus doctrina Euangelij uulgetur, & poſteritati tradatur. Non eſt quidem Eccleſiæ certus locus, & certum regnum, ſicut olim poſteritati Abrahæ, in hac terra definitum. Poſtquam enim dictum eſt Apoſtolis: Ite in uniuerſum orbem, Prædicate Euangelion omni creaturæ. Et iterum: Eritis mihi teſtes uſque ad extrema terræ, ſedes Eccleſiæ non eſt ad unum tantum, & alterum locum terræ affixa: ſed ut ibi eſt ſedes eius, ubi Deus reuelat Euangelion filij ſui, & eo transfert ſedem, quo & Euangelion transfert, ita excitat etiam Eccleſiæ ſuos nutricios & nutrices, Principes uidelicet, & Reſpublicas, qui Eccleſiam aut ſua opera adiuuant, aut ſaltem tolerant, & non tyrannice nec uiolenter perſequuntur. Nec hoc tantum promittitur, Reges & Principes fore Eccleſiæ nutritores, uerumetiam fore eos Eccleſiæ ſubiectos. Vultu, inquit, in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Hoc non eſt intelligendum, quod Reges debeant oſculari pedes Romani Pontificis, & armis tyrannidem, impietatem & Idolatriam Pontificum tueri, ſed quod nonnulli Principes & Reges excitabuntur prædicatione Euangelij, ut & ipſi credant in CHRISTVM, & coniungant ſeſe obedientiſsime cum Eccleſia CHRISTI, & ſeruiant ei, quibus poſſunt officijs. Bene igitur in perſecutionibus confidamus, quod & ſi hoſtes piæ doctrinæ meditantur internecionem ueræ Eccleſiæ, tamen Deus ſemper aliquos Principes in imperijs huius mundi excitabit, apud quos Eccleſia ſuum habebit hoſpitium. Deinde hæc promiſsio, etiam admonitio eſt Regum, Principum, & Rerumpublicarę, ut cognoſcãt ad quod præcipue officium in gubernatione ſua diuinitus uocentur. Non enim in hunc tantum uſum uocantur, ut externam tranquillita-

tem conſeruent, ſed maxime omnium, ut Eccleſiæ Chriſti benefaciant, & quoquo officio poſſunt, adiuuent eam. Et nunc, inquit, Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite DOMINO in timore, & exultate ei cum tremore. Oſculamini filium, ne pereatis a uia. Et Eſaias alias: Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Non indiget quidem Eccleſia humano præſidio, quippe quæ habitat in adiutorio altiſsimi, & commoratur in protectione Dei cœli, ac ſuos ſemper, diuina clementia, nutricios inuenit, ſed Principes indigent ad conſequendam ueram & æternam ſalutem communione Eccleſiæ. Nam quod Mardochæus ad Eſther dicit: Si nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi, tu uero & domus patris tui peribitis: ita etiam ad Principes & reſpublicas dicendum eſt: Si uos non adiuueritis Eccleſiam, ſeruabitur ipſa alia quadam occaſione, uos autem neceſſe habebitis una cum regnis ueſtris perpetuo interire. Quare meminerint Principes, ſe benefaciendo Eccleſiæ, magis ſibi, quam Eccleſiæ benefacere.

Sed ſi quis conferat ſtatum populi Iſraelitici, cum Eccleſia ex Gentibus uocata, exiſtimabit fortaſsis, quod quemadmodum populus Iſraeliticus initio tantum & progreſsione ſua auctus & defenſus ſit a Deo, poſtea autem abiectus & deſertus, ita etiam Eccleſia e Gentibus uocata initio quidem, & aliquot poſt annis admirabiliter ſit a Deo aucta & conſeruata, nūc autem, poſtquam ad ſenium peruenit, deſeratur ſubinde, donec tota deficiat. Obſeruabile quidem eſt, quod Paulus ad Romanos ſcribens, Gentibus dicit: Tu fide conſtitiſti, Ne efferaris animo, ſed timeas. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Nunquam autem committet Deus, ut non habeat & tueatur ſuam in his terris Eccleſiam, donec uenerit nouiſsimus dies. Vnde Dauid precatur, Ne proijcias, inquiens, me in tempore ſenectutis, cum deficiet uirtus mea, ne derelinquas me. Et mox: Deus docuiſti me a iuuentute mea, & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua. Et uſque in ſenectam & ſenium Deus, ne derelinquas me. Et Chriſtus ait: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Quare, & ſi uidemus Eccleſiam ſeneſcere & uiribus deficere, tamen conſeruabitur in his terris diuinitus ad id uſq; tempus, quo aduenier de cœlis ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, qui transfigurabit, ut Paulus ait, corpus noſtrū humile, ut cōforme fiat corpori ſuo glorioſo, per efficaciā, qua poteſt ſibi omnia ſubijcere. Dices iterum. Non dubito quidem, q; Deus non obliuiſcatur ſuæ in terris Eccleſiæ, nec deſerat eam, ſed metuo, ne MEI obliuiſcatur, & ne me, ME inquam, deſerat.

Certe

Certè non immerito hoc metuis, si fueris contemptor uerbi Dei, & non sis membrum ueræ Ecclesiæ per fidem in Iesum Christum. Qui enim talis est, & talis manet, nõ est in memoria, sed in obliuione Dei æterna. Nobis autem nunc sermo est de ijs, qui Euangelion Christi fide sua amplectuntur, & qui per fidem sunt uera membra Ecclesiæ. Quare si in horum fueris catalogo, id quod docet πληροφορία spiritus, ut Paulus loquitur, Spiritus uidelicet adoptionis, qui clamat Abba Pater, nihil amplius habes, quod metuas, ne Deus tui obliuiscatur. Deus enim non ideo dicitur tueri Ecclesiam suam, quod unum quidem membrum conseruet, aliud autem negligat seu abijciat. Sed quod curæ ei sint singula Ecclesiæ membra. Et Ecclesia seruatur diuinitus, non quod alius in Christum credens, liberetur, alius autem similiter in Christum credens, pereat, Sed quod OMNIS, OMNIS inquam, in Christum credens liberetur. Non est distinctio, inquit Paulus, uel Iudæi uel Græci. Nam idem Dominus OMNIVM, diues in OMNES inuocantes se. OMNIS enim, quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et hoc Esaiæ loco. Scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum. Non unus tantum, & alter, sed unusquisque, qui expectat Dominum, nõ confundetur, non pudefiet. Quæ sententia sæpe ac multũ, præsertim in Psalmis, repetitur, ut sciamus, nihil certius esse, quam quod beneficia Christi, non ad multos tantum, nescio quos, sed ad unumquemlibet expectantem Dominum pertineant. Expectat autem Dominum, qui uere credit in Iesum Christum, & perseuerat ex hac fide, & spe promissionum, in inuocatione, & officio suæ uocationis, etiamsi omnia non diuersa tantum, sed etiam aduersa uidentur. Nam in hunc usum instituta sunt Sacramenta, Baptismus uidelicet, & Cœna Dominica, ut quod in Euangelio generaliter omnibus promittitur, hoc in dispensatione Sacramentorum unicuiuis specialiter, seu priuatim & nominatim applicetur. Reliquum igitur est, ut quod tibi tam generaliter, quam specialiter & nominatim offertur, hoc fide tua obedienter accipias, & diligenter conserues. Quod si factũ fuerit, nihil certius est, quam quod sis in æterna memoria Dei, & seruetis in omnibus aduersis.

NVNQVID TOLLETVR A FORTI PRÆDA, AVT QVOD CAPTVM FVERIT &c.

Dixit antea. Tollam manum meam ad Gentes, & signum meum ad populos, & afferent tibi filios in ulnis, & filias super humeros. Significauit autem, magnam gentium multitudinem excitandam per Euangelion, ut accedãt una cũ liberis suis ad Ecclesiã, & agnos-

cant ſolum Chriſtum Dominum ſuum, ſed admirantur Apoſtoli, & alij pij ex Iſraelitis, quomodo fieri poſsit, ut tot gentes, repugnā tibus ſuis Regibus & Tyrannis, abduci queant ad Chriſtum & Ec cleſiam eius. Nunquid, inquiunt, tolletur præda a forti? Gentes ſubiectæ ſunt fortibus Heroibus, & potentiſsimis tyrannis. Quo modo, quæſo, fiet, ut ab his inuitis, & reſiſtentibus, populus, quaſi præda, ad regnum Chriſti abducatur? Aut quod captum fuerit a Robuſto, ſaluum eſſe poterit? Pro hoc ita legendum eſt: Num ca ptiuitas eripietur iuſto? Iuſtus autem hoc loco dicitur potens, Ro buſtus ſeu Metuendus. Sic enim mox hoc uocabulum per עריץ Ariz exponitur. Et Captiuitas ſumitur pro captiuis, alienæ domi nationi ſubiectis. Hic eſt ergo ſenſus. Num hi qui ſunt in poteſta te tam potentum Principum, & Regum, quorum maieſtas omni bus eſt terrori, poſſunt ipſis eripi, & Chriſto, alteri uidelicet Regi, ſubijci? Reſpondet igitur Dominus, ſe effecturum, ut non hoc tan tum fiat, uerumetiam ut Principes ipſi, Reges, Heroes, & Tyran ni, qui obſiſtunt, ſuis ipſorum uiribus pereant. Certe, inquiens, ca ptiuitas tolletur à Forti, Et præda eripietur Robuſto. Nec hoc ſo lum fiet, ſed & eos qui iudicauerunt te, ego iudicabo, & filios tuos ſaluabo, hoc eſt, Efficiam, ut non tantum abducantur ad Chriſtum hi, qui Heroibus & potentibus Principibus ſunt ſubiecti, ſed etiam affligam eos, qui te, Eccleſiam meam, hactenus afflixerunt. Filios autem tuos, eos uidelicet, qui in iſtorum regnis Euangelion fi de excipiunt, & fiunt filij Eccleſiæ, ſeruabo perpetua ſalute. Porro, hoſtes tuos, qui obſiſtunt, ne ſubditi eorum agnoſcant Chriſtum, & accedant ad Eccleſiam Chriſti, cibabo carnibus ſuis, & inebria buntur ſanguine ſuo, quaſi muſto: hoc eſt, aut ſibijpſis erunt exi tio, aut tanta erit calamitas eorum, ut præ fame & ſiti ſuas ipſorum carnes, ſua brachia ſint uoraturi, & ſuum ſanguinem pro potu ſum pturi. Ex quibus rebus perſpicuum erit, quod ego ſim Dominus Seruator tuus, & fortis redemptor tuus, ô Iacob. Etſi autem hæc, quæ dicuntur de Forti & Robuſto, ac de captiuis eorum, intelli gi poſſunt de tyranno Satana, & de humano genere, quod propter peccatum eſt captiuum Satanæ, tamen, ut cum ijs, quæ præcedunt, conuenientius cohæreant, referenda ſunt, κατὰ ἀναγωγὴν, ad uocatio nem & abductionem Gentium ex Imperijs & regnis huius ſeculi, ad regnum & Eccleſiam Chriſti. Sic uero recitantur, perinde ac ſi hæc abductio eſſet corporalis, & interitus hoſtium Eccleſiæ, acty rannorꝫ fieret mundano modo. Sed intelligenda ſunt, iuxta modū & rationē regni Chriſti. Primum em̄, quia regnum Chriſti eſt re gnum ſpirituale, idcirco abducūtur etiā ſpiritualiter ſubditi regno rum mundanorꝫ ad regnum Chriſti. Euangelion. n. quo uocantur

Gentes

Gentes ad regnum Christi, & quod Paulus prædicauit in Galatia, in Corintho, in Thessalonica, Athenis, Romæ, & in alijs urbibus ac regionibus, nõ abduxit ciues ex his locis ad urbem Hierusalem, ut ibi dominationi Christi, tãquam mundani regis subijcerentur: nec iussit eos suis politicis magistratibus, in rebus ciuilibus, inobe/ dientes & rebelles esse: sed docuit de spiritualibus & æternis bonis, quæ consequerentur per fidem in Christum, & monuit, ut abiecta impietate & iniquitate, agnoscerent & inuocarent uerum Deum, per Iesum Christum filium suum, & ducerent honestam uitã, in ex/ pectatione cœlestium bonorum, exigẽs interea, ut omnis anima es/ set sublimioribus potestatibus subdita. Quotquot igitur ciues hoc Euangelion fide acceperunt, nõ necesse habuerunt suas ciuitates & suos magistratus deserere, nisi forte tyrannide eorum eijcerentur, sed necesse habuerũt Idolatrian deserere, et uerum Deum per Chri/ stum agnoscere ac inuocare, & inter suos ciues honestam ac trãquil/ lam uitam ducere. Quæ officia, tm̃ abest, ut pugnent cum recta dña/ tione politici magistratus, ut potius eam adiuuent, & uicissim ab ea adiuuari debeãt. Hoc sibi uult Christus, cum coram Pilato ait: Rex/ sum ego: Sed ad hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testi/ monium feram ueritati. hoc est, Non sum talis rex, qui alijs regi/ bus mundanam suam dominationem auferam, sed qui doceam ue/ ram agnitionem Dei. Omnis ergo, qui est ex ueritate, qui tenetur desiderio agnoscendi ueri Dei, & consequendæ cœlestis salutis, au/ dit uocem meam. Quod si quis impius rex existimet hac doctrina dominationem & maiestatem suam imminui, huic respondendum erit uerbis Ecclesiastici huius hymni: Herodes hostis impie, Chri/ stum uenire quid times? Non arripit mortalia, qui regna dat cœle/ stia. Deinde, quod de interitu hostium Ecclesiæ dicit, Cibabo eos carnibus suis, & sanguine suo inebriabuntur, intelligendum est & ipsum pro ratione regni Christi. Etsi enim nõnunquam fieri solet, ut tyrannus quispiam qui crudeliter grassatus est in Ecclesiam, hor/ ribili genere mortis intereat, ut Herodes, Nero, Maximinus et alij, & pij nonnullam in hoc mundo tranquillitatẽ aliquoties ex interi/ tu hostium suorum consequantur, tamen maxima hostium Ecclesiæ pars fœliciſsimã transigunt uitã in his terris, & ut Iob dicit: Tenẽt tympanum & citharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bo/ nis dies suos, & momento descendunt in sepulcrum: hoc est, impij sunt etiam in suscipienda morte fœlices. Non enim diu, ac magnis doloribus cruciantur, sed cum moriendum est, cito moriuntur: Pij autem, perpetuo in hac terra cruciatu afflliguntur, & aut diu/ turno morbo exhausti moriuntur, ut Lazarus ille Euangeli/ cus, aut e carcere & uinculis ad mortem ducuntur, & contume/

lioſe occidũtur, ut Ioãnes Baptiſta, Apoſtoli, Martyres & innume ri alij. Quomodò ergo quod hic dicitur, ſeruantur filij Eccleſiæ, & cibantur carnibus ſuis hoſtes eius? Breuiſsimum reſpõſum ex uer bis Chriſti. Qui crediderit, inquit, ſaluus erit, etiamſi perpetuo uitæ ſuæ tempore crucietur, & probroſiſsima morte intereat. Qui uero non crediderit, condemnabitur, etiamſi fœliciſsimam, uſq; ad extremum ſpiritum, uitam duxerit. Et prodibunt illi quidem, in reſurrectionem uitæ, hi autem in reſurrectionem iudicij. Et audient illi, Venite benedicti Patris mei, poſsidete regnum, quod paratum eſt uobis a primordio mũdi, hi uero audient: Diſcedite a me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Hoc eſt Iudicium, quod uel tandem coram uniuerſo mũdo ita reuelabitur, ut manifeſtum fiat in conſpectu omnium populorum, quod ſolus Ieſus Chriſtus ſit uerus Dominus Deus, & fortis ac admirãdus Ecclesiæ ſuæ redemptor. Expectemus igitur in fide & obedientia beatam illam ſpem, & illuſtrationem gloriæ magni Dei, & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, ut una cum ipſo hæreditate cœleſtium bonorum fruamur.

CAPVT L.

HÆC DICIT DOMINVS. QVIS EST ISTE LIBER REPVDII &c.

Video, inquit Iudæorum Synagoga, maximam Gentium multitudinẽ agnoſcere Meſsiam, & cõgregari ad Eccleſiam populi Dei. Quid igitur accidit, q̃ nos Iudæi abijcimur, & non recipimur tanta multitudine ad communionem beneficiorum Meſsiæ? An nõ fuimus nos hactenus electus populus Dei? An non promiſſus eſt nobis Meſsias? Cur igitur nunc a Meſsia repellimur & excludimur? Etſi autem Iudæi etiam blandiuntur ſibi, q̃ non agnoſcant uerum Meſsiam noſtrum, tantum abeſt, ut ſeſe ab eo abiectos conqueran tur, tamen quia natura ſolemus culpam noſtri interitus transferre in alios, idcirco filius Dei initium huius cõcionis ita proponit, perinde ac ſi Iudæi conquererentur, ſe non ſua ſed Meſsiæ culpa abijci, ut hac occaſione perueniat ad expoſitionem earum rerũ, quibus ipſos in miniſterio ſuo ad accipiẽdam uerã ſalutem inuitauit. Querelæ igitur ſeu exprobrationi Iudæorũ reſpondet filius Dei, uerus Meſsias hac concione, quæ ſequitur, & docet, culpam reiectionis Iudæorum, non in ſe, ſed in Iudæos ipſos transferendam. Se enim nihil prorſus earum rerum omiſiſſe, quibus ad cognoſcendũ Meſsiam, & conſequendam ſalutem excitarentur, ſed tantam eſſe ipſorum impietatem, ut oblatum Meſsiam non ſolum contempſerint, uerumetiam

uerumetiã in crucem adegerint. Quis eſt, inquit, hic liber repudij matris ueſtræ, quo dimiſi eã? Vos Iudæi conquerimini, quod ego uos abiecerim & repudiauerim, ut non ſitis amplius populus Dei: Sed facitis mihi luculentam iniuriam. Nam ſi ego uos repudiaui, agitedum, producite libellum repudij, quo probetis uos a me repudiatos. Lex em̃ eſt Deut. xxiiij. cp maritus repudiaturus uxorem, debeat ei dare libellum repudij. Agnoui autem matrem ueſtram hactenus, tanc̃p meam uxorem. Quare ſi ego eam repudiaui, quemadmodum accuſor a uobis, libello repudij teſtificandum erit. Deinde, Quis eſt creditor meus, cui uendidi uos? Vos accuſatis me, cp ego tradiderim & uendiderim uos alteri, ut iam non ſitis uerus populus Dei. Sed accuſor a uobis iniuſtiſsime. Nam ſi uendidi uos, oſtendite fœneratorem, ſeu mercatorem, qui uos a me emerit. Lex enim Exo. xxi. concedit, ut pater uendat filiam ſuam, ſed certis conditionibus, ut fiat legitimus contractus inter uenditorem & emptorem. Si ergo uos uendidi, agite, oſtendite emptorem, qui teſtificetur ſe uos a me emiſſe. Sed mera eſt calumnia. Profecto enim, non mea, ſed ueſtra culpa abiecti eſtis. Vos ipſi, ſine ullo repudio, ſine ullo legitimo contractu deſeruiſtis me, & ſectamini alienos maritos ac dominos. Ecce enim propter iniquitates ueſtras uẽditi eſtis, & propter ſcelera ueſtra, dimiſſa ſeu repudiata eſt mater ueſtra, hoc eſt, Iniquitates & ſcelera ueſtra in cauſa ſunt, cur abiecti ſitis. Quæ ergo ſunt inquitates & ſcelera illa, propter quæ Iudæi repudiati ſunt, ut non ſint populus Dei? Etſi ea multa ſunt, & magna, tamen hic recenſetur unum tantum ſcelus, quod ut omnia alia in ſe complectitur, ita eſt lõge omnium grauiſsimũ. Sic enim ſequitur.

QVIA VENI, ET NON ERAT VIR, VOCAVI ET NON ERAT, QVI AVDIRET.

Hebræus effert hoc interrogatione, ſed eadem ſententia. Cur ueni, & nullus erat, uidelicet, qui me reciperet? Cur uocaui, & non erat, qui reſpõderet? Hęc eſt illa iniquitas, hoc ſcelus, propter quod Iudæi ſunt e catalogo populi Dei deleti, uidelicet, quod Ieſus Chriſtus filius Dei in ſua uenit, ut Ioannes dicit, & ſui eum non receperunt. Et iterum: Hæc eſt condemnatio, quod Lux uenit in mundũ, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Multa quidem ſunt genera ſcelerum & iniquitatum, quæ merentur tam publicum gentis ſupplicium, quam priuatum hominis exitium. Grauiſsima enim peccata ſunt abuſus diuini nominis ad execrationes, impoſtura, furtum, homicidium, adulterium, peiurium, addo etiã, Idolatria. Et tamen, ſi quis populus ſeu publice ſeu priuatim his obnoxius fuerit, nondum de ſalute omnino condamatum eſt, & po-

test rebus, quanq; prope desperatis adhuc succurri, uidelicet, si agnitis peccatis agnoscatur per fidem Christus filius Dei, qui est propiciatio nostra. In Christo enim omnia scelera, quantumuis grauia & immania absorbentur. Quod si uero quis eo impietatis uenerit, ut non solum grauia quæq; peccata designet, uerumetiam Christū peccatorum expiatorem uel promissum, uel reuelatum, & ob oculos positum cōtemnat, abiiciat, & persequatur, quid reliquum est, nisi ut perpetuo cōdemnetur? Quare, si Iudæi amplexi essent Christum, in aduentu suo, per fidem, etiamsi antea fecerant horrenda & immania scelera, tamen mansissent populus Dei, & consecuti essent ueram salutem. Postquam autem non solum fuerunt omnibus flagiciorum generibus sordidati, uerumetiam contempserunt & condemnauerunt Christum filium Dei, non possunt amplius causam internecionis suæ, in filium Dei transferre, sed necesse habent eam ipsi culpam præstare. Hæc enim est, (inquit) condemnatio: Quæ? Num, si in tenebris peccatorum fueris? Recte, si quidem in his perduraueris. Sed patet adhuc uia, si uoles, euadendæ condemnationis, uidelicet, si oblatam lucem receperis. Hæc autem demum uera & æterna est condemnatio, quod cum lux, quæ est Christus, uenit in mundum, homines magis diligant tenebras, quam lucem. Hac enim luce repulsa, aut extincta, non est alia reliqua uia euadendarum tenebrarum.

NVNQVID ABBREVIATA ET PARVVLA FACTA EST MANVS MEA &c.

Postq; filius Dei exposuit Iudæos abiectos esse propter suā ipsorum impietatem, q; cum uenisset in mūdum, & attulisset eis ueram salutem, non solum non receperint eam, sed etiam quasi pedibus cōculcauerint, recenset nunc quę ipse in hac terra, & in suo ministerio gesserit, ut prouocaret eos ad accipiendam, quę tam liberaliter offerebatur, salutem. Sunt autem pręcipue quatuor, quę Christus in ministerio suo, inter Iudæos gesit. Vnum est, q; ediderit magna & insignia miracula. Alterum, q; docuerit saluberrima. Tertium, q; fecerit bona opera diuinitus præcepta, obedientissime. Quartum, q; tulerit mala diuinitus immissa patientissime. Hæc fere sunt, quibus Christus absoluit ministeriū suum in hac terra, & quibus testatus est se & posse & uelle eos, qui in ipsum credunt, seruare. Primum igitur, de miraculis. Nunquid abbreuiata, & paruula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me uirtus ad liberandum? Nec facultas, nec uoluntas uos seruandi mihi deest. Sed uos uestra ipsorum impietate in exitium ruitis. Vide enim mihi, quanta sit mea facultas, quanta potentia? Ego sola increpatione, solo nutu meo exicco pelagus, flumina conuerto in desertum, ita ut

pisces

piſces eorꝝ aquę penuria cõputreſcant,& ſiti pereãt. Ego induo cœ los tenebris,& operio eos ſacco. Hęc ſic recitãtur,perinde ac ſi fie ret mentio eorꝝ miraculorꝝ,quæ filius Dei in Ægypto & mari ru bro ædidit. In Exo. cap.vij. Aqua fluminis uertitur in ſanguinem, & piſces moriũtur ac cõputreſcunt. Cap.x. fiunt tenebrę tam obſcu ræ,ut alter alterꝝ inter Ægyptios tribus diebus uidere nõ poterat. Hoc fuit cœlos tenebris induere,& ſacco operiri. Ca.xiiij. Mare ru brum ita exiccatur,ut Iſraelitæ ſiccis pedibus tranſirent. Quibus mi raculis teſtatus eſt filius Dei admirandam & immenſam ſuam potẽ tiam. Nec dubium eſt,quin quæ in hoc Eſaiæ cap. recitãtur, ad iſta miracula reſpiciant: ſed quia filius Dei cõcionatur hic de illis mira culis,quæ ipſe,poſtq̃ hominem aſſumpſit,in miniſterio ſuo ędidit, idcirco per ſpecies miraculorꝝ Ægyptiorꝝ,quæ hic cõmemorãtur, intelligendũ eſt genus,uidelicet, filiũ Dei tanta maieſtate potentiã ſuam in miniſterio ſuo teſtari,ut ſicut quondã in liberatione Iſraeli tarꝝ ex Ægypto, tanta miracula ædidit,ut rerꝝ naturam inuerterit, ita nunc in liberatione humani generis e poteſtate Satanę ea quoq; miracula ædat,quibus ſe & naturę rerum dominari,& longe omni um potẽtiſsimum ſeruatorem eſſe probet. Nota aũt ſunt miracula, quæ Chriſtus in terris,cũ prędicaret Euãgelion ſuum,ædidit,quæ etiam non minus ſupraq̃ naturæ uires efficere poſſunt facta ſunt, q̃ illa in Ægypto. Claudos uerbo ſanauit,Cæcis uiſum reſtituit, Le proſos mũdauit, Mutos loqui,Surdos audire fecit, & quod omnẽ admirationem excedit,mortuos ad uitam excitauit. Quorꝝ miracu lorꝝ mentione filius Dei exprobrat Iudæis ſuam impietatem,nõ ſo lum in hoc Eſaiæ loco,uerumetiam in Euangelio. Si non facio,in quit,opera patris mei,nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi nõ uultis credere,operibus credite. Et poſtea Euãgeliſta admirabũ dus dicit: Cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum &c. Ac profecto nihil admirabilius eſt, q̃ cum Chriſtus tam mul ta & inſignia miracula inter Iudęos ędidit, nõ tñ fide ſua eum agno uerint,prędertim cum & Prophetarꝝ oracula in id temporis reſpice rent,& Ioannis Baptiſtę,uiri longe omnium ſanctiſsimi,teſtimoni um accederet. Sed hoc de Iudæis futurꝝ Prophetę etiam prędixerãt, quemadmodum idem Euãgeliſta in eodem loco docet. Propterea, inquiẽs,non poterãt credere,quia iterꝝ dixit Eſaias: Excæcauit ocu los eorꝝ & indurauit cor eorꝝ,ne uideant oculis &c. Excæcauit aũt eos,non ut autor,ſed ut punitor induratæ impietatis. Reſipiſcamus igitur in tempore, & abiiciamus impietatem,dum nondum callum obduxerit,ut ſi audierimus Deum,cum ipſe clamat,uiciſsim audiat cum & nos clamamus. Secundo loquitur de doctrina Euãgelij ſui, cum ait: Dñs Deus dedit mihi linguam eruditam,ut ſciam ſuſtẽtare

eum qui lassus est uerbo. Hieronymus scribit Iudæos hanc πρόκρισιν separare a superioribus, & referre ad personã Esaiæ. Etsi aũt habuit & Esaias eruditam linguã per spiritum sanctum, & adnunciauit Euangelion Christi perspicue, sicut res ipsa testatur, tñ quia nobis nihil certius est, q̃ Iesum Christũ, esse uerũ Deũ, ac uerũ quoq; hominẽ, & dedisse corpus suũ percutientibus, & genas suas uellentibus, ut pcta nostra expiaret, idcirco recte sentimus, q̃ sicut Christus filius Dei cœpit a principio huius capitis cõcionari, et exposuit suã potentiã, miraculis testificatã, ita pergat nũc cõcionari de sua doctrina, & suo Euãgelio. Dñs Deus, inquiẽs, dedit mihi linguã doctã, linguã eruditam, linguã eloquentẽ, ut sciã opportune cum lasso, cũ afflicto loqui & eũ consolari. Hæc erudita & eloquẽs lingua Christi est adnũciatio Euãgelij eius, quo pauperes, miseros & afflictos ita cõsolatur & uiuificat, ut in medijs angustijs, lęticiã, in media morte uitã consequantur. Habẽt & Philosophi ac Oratores huius seculi suã eruditionẽ et eloquentiã, qua conãtur hoĩbus tranquillitatẽ, & quam ipsi uocãt εὐθυμίαν, in omnibus aduersis afferre. Extãt eruditorũ scripta, in quibus docẽt, nec paupertatem, nec exilium, nec mortem, nec alias afflictiones esse incõmodas et malas: sed quas afferunt rationes, sunt quidẽ eruditæ, ac in rerũ tranquillitate iucundę, in ueris aũt tentationibus, & reuelata ira Dei, nullã prorsus afferũt utilitatẽ, sed sicut fluit cera a facie ignis, ita omnes illę Philosophicę rationes in tenues auras euanescunt. Solus aũt Christus filius Dei, ea est eloquentia, ut põssit afflictum uere consolari, & in media ira Dei conseruare. Afflictiones enim & mors in homine, oriuntur ex peccato, Cuius causæ nulla est notícia apud Philosophos & Oratores huius seculi. Vbi aũt est peccatum, ibi est æterna dãnatio. Quo igitur se uertatis, in cuius animo reuelatum est iudicium peccati, & qui iam adhuc in hoc seculo incipit flammis inferni aduri? Hic muti & stupidi sunt omnes huius mundi Sapientes, & eloquentes. Solus aũt Christus filius Dei eam habet linguã, qua his malis medeatur. Primum eñ docet se esse expiatorẽ peccati, & placatorem iræ Dei. Expiato autẽ peccato, & placata ira Dei, quid nocere posset mors, aut anteambulones eius, afflictiones? Aculeus mortis, inquit Paulus, peccatum. Expiato igitur & remisso peccato, amisit mors aculeum suum. Quid? an Vespæ punctionẽ metues, adempto ei aculeo? Susurrare potest, pũgere non potest. Sic & mors, postq̃ ademptus est ei aculeus, qui est peccatum, minitari potest exitium, inferre nõ potest. Hæc est uera cõsolatio, quæ per fidem accepta, nõ affert tñ temporariã, sed æternã tranquillitatẽ. Deinde docet suos quidẽ in hoc seculo affligi, ac etiã occidi, sed quia Deus sit ꝓpter ipsum propicius, ideo dari in afflictione euentũ et mitigationẽ, ut ferri queat.

In

In mundo, inquit, afflictionem habetis, sed bono aïo sitis, ego uici mundũ. Et, Plorabitis, et lamẽtabimini uos, mũdus aũt gaudebit, et uos mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudiũ. Postremo, ꝓmittit nõ tm̃ mitigationẽ afflictionum in hoc seculo, uerꝝ etiã certissimã liberationẽ ab oĩbus malis, & perpetuũ gaudium in cœlesti regno. Sic Deus, inquit, dilexit mundũ, ut daret unigenitũ filiũ suũ, ut oĩs qui credit in eũ, nõ pereat, sed habeat ꝛternã uitã. Et iterꝝ: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet. Et oĩs qui uiuit & credit in me, nõ morietur inꝛternũ. Hꝛc est illa eruditio & eloquẽtia filij Dei, qua lassos et defessos calamitatibus huius mundi ita sustẽtat, ut nõ solũ nõ succumbant, uerũ etiam ad cœlestẽ et perpetuã tranquillitatẽ erigantur. Tertio loquitur de obediẽtia sua, quã prꝛstitit Deo Patri in uocatiõe & ministerio suo. Sed quẽadmodum Deus uerbo legis suꝛ duo exigit, alterũ, ut bona diligẽter facias, alterꝝ, ut mala patiẽter feras, ita filius Dei prꝛstitit patri suo duplicẽ obedientiã. Vnã in actiõibus uirtutum, alterã in passionibus aduersitatũ. Dicit ergo. Erigit mane, mane mihi erigit aurẽ. hoc est, Quꝛ loq̃r & facio, non facio a meipso, sed Pater meus excitat me mane, seu tẽpestiue, excitat aut uellicat mihi opportuno suo tẽpore aurẽ meã, ut audiã eũ, sicut discipuli præceptores suos audire solẽt. Dñs, inquã, Deus aperit mihi aurẽ, docet me, quid faciendũ, quid nõ faciendũ sit. Ego uero, nõ facio, q̃d rebelles discipuli solẽt, nõ cõtradico doctori meo, nõ retrocedo, sed facio omnẽ uoluntatẽ eius, idq; nõ in ĩjs tm̃, q̃ iubet me bonis operib. facere, sed etiã in illis, q̃ iubet me malis aduersis perferre. Præbeo corpus meũ percutiẽtibus, & genas meas uellicãtibus. Nõ auerto faciẽ meã a cõtumelijs & sputis. Audio. n. hãc esse uoluntatẽ Patris mei, & hꝛc Deo Patri meo placére. Non igitur repugno, sed suffero oĩa obediẽtissime. Filius Dei cõcionatur de duplici sua obediẽtia, quẽ admodũ paulo ante diximus. Altera est, qua perfecte impleuit uniuersam legẽ faciẽda prꝛcipientẽ. De qua obediẽtia dicit: Non ueni ut destruã legẽ aut ꝓphetas, sed ut impleã. Et Esaias de ipso: Pc̃tm̃, inquit, non fecit, nec est inuẽtus dolus in ore eius. Vniuersa. n. lex summatim cõtinetur in his duob. prꝛceptis: Diliges Dñm Deũ tuũ ex toto corde &c. Et ꝓximum sicut teipsum. Filius aũt Dei habuit perfectã dilectionẽ Dei & proximi, nõ sicut Patriarchꝛ aut Prophetꝛ, aut Apostoli, aut alij sancti, q & si & ipsi dilexerunt Deũ & ꝓximum, autore spũ sancto, tm̃ dilectio eorꝝ nõ fuit per se perfecta, nec caruit oĩ uitio. Filius autẽ Dei sic dilexit Deum & hoĩes, iuxta legẽ, ut in ea dilectione nihil uitij unq̃ aut imperfectionis, etiã in diuino iudicio deprehensum fuerit. Quare filius Dei impleuit uniuersam legẽ perfectissime, & fuit secundum legẽ uere iustus & sanctus. Al

tera obediẽtia est, qua mãdatũ patris sui de sufferẽda cruce patiẽtissime obseruauit, nec unq̃ aduersus patrẽ, ĩ summis etiã afflictiõib. murmurauit. De hac obediẽtia cõcionatur filius Dei nõ hoc tm̃ loco Esaiæ, uerũ etiã Psal. xxxix. Sacrificiũ & oblationẽ noluisti, aures aũt perfecisti mihi. Holocaustũ & p̃ pct̃õ nõ postulasti: tũc dixi, Ecce uenio. In capite libri scriptũ est de me ut facerẽ uoluntatẽ tuã Deus meus, uolui, & legẽ tuã ĩ medio cordis mei. Sic & ĩfra Esa. ca. liij. Cũ multaretur et affligeretur nõ aperuit os suũ, sicut ouis ad occisionẽ ducitur, & quasi agnus corã tõdẽte se obmutescit. Et Petrus: Cũ maledictis, inq̃t incesseretur nõ regessit maledicta, cũ malis afficeretur, nõ minabatur, sed tradidit uindictã ei, q̃ iuste iudicat. Quod cũ ita se habeat, manifestũ est, q̃ filius Dei absoluerit ĩ dieb. carnis suę & in ministerio suo oẽs partes iusticię, & inuẽtus sit, etiã in diuino iudicio, uere ac perfecte iustus. Hęc de perfecta obediẽtia et iusticia filij Dei sunt nobis diligẽtissima obseruatiõe cognoscenda, ut sciamus, quãtũ thesaurę ĩ Christo nobis donatũ possideamus. Dicit. n. Paulus, Christũ nobis a Deo cũ uniuersis suis bonis donatũ. Qui p̃prio, inq̃ens, filio nõ pepercit sed p̃ nobis oĩbus tradidit illum, q̃ fieri põt, ut nõ & cũ eodẽ OĨA nobis donet? Et alias, cũ docet nos adoptari a Deo in filios p̃pter Christũ, & fieri cohæredes Christi, q̃d aliud significat, q̃ q̃ Christi bona fiãt nostra? In hoc aũt Esaię loco, quẽ nũc percurrimus, tribuitur Christo filio Dei perfecta obediẽtia, perfecta iusticia et sctĩtas. Quare, cũ Christus donatus sit nobis cũ oĩbus bonis suis, perspicuũ est, q̃ donata etiã nobis sit obedientia & iusticia eius, ut etsi pct̃m adhuc hęret ĩ carne nostra, tñ si credimus in Christũ, & cõfidimus iusticia & obediẽtia eius, nõ minus absoluamur in iudicio Dei, q̃ si nos ipsi nostris operib. perfectã iusticiã prę̃stitissemus. Hoc illud est, q̃d Paulus ait: Iesus Christus factus est nobis a Deo Sapĩa, Iusticia, Sctĩficatio & redẽptio. Et iterũ: Eũ, q̃ non nouit pct̃m, p̃ nobis fecit pct̃m (seu uictimam p̃ pct̃õ) ut nos efficeremur Iusticia Dei per illũ. Quid ergo? Nũ tam humilis & abiecta obediẽtia filij Dei, attulit ipsi aliq̃d incõmodum? Dedit corpus suũ percutientibus, & genas suas uellentibus. Nũ ergo corpus interijt, & totus ipse decaluatus est? Nõ auertit faciẽ suã a cõtumelijs & sputis, adeoq̃ factus est obediens usq̃ ad mortẽ crucis. Nũ ergo sputis et cruce ita sordidatus est, ut nullã unq̃ uenustatẽ et gloriã cõsecutus sit? Nihil certe minus. Audiuimus antea extremã filij Dei obedientiã. Audiamus nũc summã eius glorificationẽ. Sic. n. pergit cõcionari. Dñs Deus (inquit) auxiliator meus. Ideo nõ cõfundor, nõ pudefio. Ob quã etiã causã obfirmo faciẽ meã tãq̃ petrã durissimã, tanq̃ silicẽ, aduersus plagas, contumelias, sputa, crucẽ & mortẽ, p̃pterea q̃ sciã me his aduersis haudquaq̃ pudefactũ iri. Iu-

xta

xta est, q̃ iustificat me, Quis cõtradicet mihi? Accusor quidẽ grauissime a Pharisæis, a Pontificib. ab omni pene hoĩm ordine. Accusant me blasphemię & seditionis. Sed meus Pater non lõge a me abest, etiãsi uideatur me deseruisse, Is me iustificat, is testatur meã innocẽtiam excitatione a morte & exaltatione mei ad dextrã suã. Quis amplius mihi cõtradicet? quis mecũ iudicio contẽdet, aut me condẽnabit? Agite ergo, quotq̃t uestrũ libet mecũ iudicio congredi. Stemus simul corã Iudice Deo. Accedãt ad me, in iudicium, ut me accusent, si quidẽ ita ipsis uidebitur. Sed quid quæso, faciant? Res ipsa declarat, q̃ cum Dñs Deus, Pater meus opem mihi ferat, et eripiat me ex morte, de innocẽtia mea ita testificetur, ut nullus possit me condẽnare. Quin potius omnes hostes & aduersarij mei, qui me perditũ uolebant, & iam me perijsse putabant, peribunt ipsi, & omnes sicut uestimentum ueterascent & putrefient, adeoq̃ tinea corrodet eos. Hæc est manifesta concio de Glorificatione filij Dei, hoc est, de resurrectione & exaltatione eius ad dextram Patris. Si enim filius Dei, percussus, crines euulsus, contumelijs affectus, cõsputus, crucifixus & mortuus, non confunditur, nec pudefit perpetuo, etiamsi ad tempus apparet pudefactus, necessario sequitur, q̃ e morte eripiatur, q̃ resurgat a mortuis, & q̃ consequatur cœlestem gloriam. Conuenit autem hæc concio, cum ea, quæ est in Psal. viij. Minuisti eum paulo minus ab angelis. Gloria & honore coronasti eum. Et Psal. xv. Propter hoc lætatum est cor meũ, & exultauit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Qm̃ non derelinques aĩam meã in inferno &c. Et Paulus insigni cõcione exponit, ad quantã gloriã cesserit filio Dei ignominia, qua affectus fuit. Humilẽ, inquens, præbuit semetipsum, factus obediẽs usq̃ ad mortem, mortẽ aũt crucis. Quapropter & Deus extulit illũ in summã sublimitatẽ, ac donauit illi nomen supra omne nomẽ etc. Quę aũt dicũtur de glorificatione Christi filij Dei, non circumscribendũ & recondendũ in ipsius tm̃ personã, sed etiam transferendum est ad totum corpus eius, q̃d est Ecclesia. Quẽ. n. finẽ, quẽ euentũ habuerunt in Christo cõtumelię, sputa, crux & mors, eũ etiã finẽ habẽt ĩ oĩbus ijs, q̃ sunt uera mẽbra Christi per fidẽ. Christus per contumelias & sputa ab hoĩbus iniecta, peruenit ad cœlestẽ gloriã: per crucẽ & mortẽ peruenit ad uerã ac perpetuum gaudium & uitã. Idem prorsus accidit Ecclesiæ Christi. Beati (inquit) estis, cum probra iecerint in uos hoĩes, & insectati fuerint &c. Gaudete & exultate, q̃a merces uestra copiosa est in cœlis. Et Paulus: Siq̃dem simul cũ eo patimur, ut & una cũ illo glorificemur. Et iterum: Si commortui sumus, & conuiuemus. Si sufferimus, & cõregnabimus. Bono igitur aĩo simus, si mundus nos affligit, ejicit in exiliũ, & tradit morti. Etsi. n. molestum est carni tanta ad

uersa sufferre, tñ quia euentus est fœliciſsimus, & filius Dei uicit mundum, ut nos uictoria eius fruamur, ingentẽ capiemus utilitatẽ, tñ abest, ut habeamus, quod cõqueramur. Cęterꝝ, in fine huius seu capitis seu cõcionis additur, ut solet fieri: Quicũqꝫ ergo (inquens) inter uos timet Dñm, audiat uocẽ serui eius, hoc est, Christi Dñi nostri, qui cum esset in forma Dei, inaniuit semetipsum, forma serui sumpta. Et, Quicũqꝫ ambulat in tenebris, hoc est, ĩ aduersis, in afflictionibus, in cruce & morte, Et nõ habet lumẽ aliq̃d fœlicitatis aut tranquillitatis, is speret in noĩe Dñi, & innitatur Deo suo, hoc est, Dño nostro Iesu Christo, solo uero seruatore nostro. Vos aũt reliqui siue Phariſęi, siue Pontifices, siue Principes, siue uulgares, siue Iudęi, siue Ethnici, q̃ contẽnitis uocẽ Christi, seu prędicationẽ Euãgelij eius, accẽditis uobis ipsis impietate uestra ignẽ, cuius scĩtillis, flãmis & fulgore peribitis. Quod suppliciũ mea manu, mea potentia, inqt filius Dei, accidet uobis. Nihil.n. certius est, q̃ qꝫ iacebitis obruti perpetuis doloribus. Hęc est huius cõcionis cõclusio, in qua conclusione initio admonetur Ecclesia, ut audiat uocẽ Christi, q̃ est uox Euangelij, & cõfidat solo Christo uero Dño Deo suo. Tribuitur aũt Christo magna laus, uidelicet, qꝫ eripiat ambulãtes in tenebris infœlicitatis, & illustret sperãtes in ipsum uera luce fœlicitatis. Qui ambulat, inqt, in tenebris, & cui non est lumen, speret in noĩe Dñi, & nitatur Dño Deo suo. Hoc illud est, q̃d in Euangelio dicitur: Erat lux illa, uera lux, quæ illuminat oẽm hoĩem uenientem in mundum. Et iterꝝ. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, nõ ambulabit in tenebris, sed habebit lumẽ uitę. Quę quõ intelligẽda & in usum nostrꝝ trãsferenda sunt, explicuimus in Ioãne. Deinde addit postremo seuerã cõminationẽ aduersus impios contẽptores Euãgelij. Accẽditis (inquit) ignẽ, non q̃ in infœlicitate illustrabimini, sed cuius flãmis perpetuo dolore torquebimini. Hoc iudicium super impios futurꝝ sæpe repetitur in Euãgelio. Baptista dicit: Paleã exuret igni inextinguibili. Et Christus: Discedite a me maledicti ĩ ignẽ æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et Paulus: Reuelabitur Dñs Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammę, qui infligit ultionem his, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Dñi nostri Iesu Christi, qui pœnã luunt, ęternum interitum a facie Dñi, & a gloria fortitudinis illius &c.

CAPVT LI.

AVDITE ME, QVI SEQVIMINI QVOD IVSTVM EST &c.

Quæ sequitur cõcio, cõstat tota in genere cõsolatorio. Consola

tur

tur.n.Dñs miſerã ſuã Eccleſiã, ne offendatur paucitate uere pioꝝ, & multitudine afflictionum, quibus in hoc mundo ab impijs excruciatur. Producit aũt in medium uaria argumenta cõſolationis. Sed priusq̃ ea percurramus, admirabitur quiſpiã, quis fuerit uſus haꝝ concionũ apud auditores Eſaiæ. In his.n, cõcionibus prędicatur de regno Chriſti dilatãdo & cõſeruando inter gẽtes, quod tum demũ futurũ erat, cum Chriſtus aduenire in hũc mundũ, & iuberet Apoſtolos ſuos prędicare Euangelion in uniuerſo orbe terrarũ, hoc eſt, annis plusq̃ octingentis poſt Eſaię & auditorũ eius ętatẽ. Quid ergo iuuerũt eos in pręſentibus ipſorũ calamitatibus, hę cõciones, de rebus tam longe poſt futuris? Nobis quidẽ, q ætatem agimus poſt aduẽtum Chriſti, nõ ſolum iucundę ſunt, uerũetiã utiles ac neceſſarię in noſtris aduerſis, ut ex eis cognoſcamus maieſtatẽ Chriſti, & confirmemus fidẽ noſtrã. Iſraelitis aũt, q ętate ſua tam procul ab impletione haꝝ rerũ abfuerũt, nihil uidẽtur utilitatis attuliſſe. Sed ꝓfecto, ſi ſtatũ populi Iſraelitici probe expẽdas, hę conciones non minus ipſis, q̃ nobis attulerũt utilitatis, ac ipſi primi fructum haꝝ cõcionũ acceperunt. Etẽm, Iſraelitę, auditores Eſaię, erãt uaticinijs de captiuitate Babylonica, uehemẽter cõterriti, & ſollicitabãtur dubitatione, non tm̃ de incolumitate urbis & regionis ſuæ, uerũetiã de uera ſalute populi Dei. Metuebãt, ne una cum urbe Hieruſalẽ etiã Eccleſia Dei inter Babylonios periret. Excitat ergo ſpiritus ſanctus Eſaiã, ut ſuſcipiat has cõciones habendas de regno Chriſti dilatando & cõſeruando inter gentes, quo non poſteritati tm̃, ſed etiã ſuæ ætati ſeruiat, & cõſoletur territos ſuos auditores, ut cognitione Euangelij de Chriſto & regno eius, nõ ſolũ ſpem concipiant de ſeruãda in mediis captiuitatibus Eccleſia, uerũetiam ęternã ſalutẽ ex fide inuenturæ Chriſtũ cõſequantur. Nã quẽadmodum nobis ſemper neceſſaria eſt cõcio de Chriſto iã crucifixo, a mortuis excitato, ſedẽti ad dextrã Patris, interpellãti ꝓ nobis, et uenturo ad iudicandũ uiuos & mortuos, ut ex fide in Chriſtũ iuſtificemur, & fidẽ noſtrã de uera ſalute in Chriſto cõfirmemus, ac etiã mortẽ ipſam per Chriſtũ uincamus, ita Iſraelitarũ Eccleſiæ ſemper neceſſaria fuit cõcio de uẽturo Chriſto in carnẽ, & de dilatãdo regno Chriſti in totũ orbẽ terrę, ut cũ nõ poſſent cõſequi iuſticiã ex operib. legis, cõſequerentur eã ex fide in Chriſtũ, & ſeruarẽtur per fidẽ, nõ in externis tm̃ afflictionibus, uerũetiã in morte & horroribus inferni. Abraã (inqt) pater ueſter exultauit ut uideret diem meũ. Vidit & gauiſus eſt. Ita & pij auditores Eſaię exultauerũt ut uiderẽt diẽ Chriſti. Viderunt eũ ex his Prophetę ſui cõcionibus, & gauiſi ſunt. Quid tẽtatis, inqt Petrus, Deũ, ut imponatur iugũ ſuper ceruices diſcipulorũ, q̃d neq̃ patres noſtri neq̃ nos portare potuimus, ſed per GRAtiã Dñi IHV

ſu Chriſti credimus nos ſaluos futruos, QVEMADMODVM ET ILLI. Q; ſi & illi, uidelicet Patriarchæ, Prophetæ, & alij pij ante aduentum Chriſti in carne, ſalui facti ſunt per gratiam Dñi Ieſu Chriſti, certe neceſſe habuerunt in Ieſum Chriſtū credere. Quō aūt credidiſſent ei, de quo nō audierunt, ut Paulus ait? Quō aūt audiuiſſent abſq; prædicante? Quare ad ſalutem eorum neceſſarium fuit, ut ipſis ſæpe ac multum de Chriſto & regno eius conſeruādo prędicaretur. Sed Prophetæ ita ſuæ ætati ſeruierunt, ut conciones eorę etiam poſteritati, ac Eccleſiæ oīm temporum ſeruiant. Qua in re cōmendat nobis Deus inſignem curam ſuam pro ſalute Eccleſiæ ſuæ, q̄ non in præſentia tm̄, uerumetiā multis ante annis mittat cōcionatores, qui nobis ueram ſalutis uiam demonſtrēt. Reportātes, inquit Petrus, finem fidei ueſtræ, ſalutē animarę, de qua ſalute exquiſierunt & ſcrutati ſunt PROPHETÆ, qui de uentura in uobis gratia uaticinati ſunt, ſcrutātes ad quem aut cuiuſmodi temporis articulū ſignificaret, q̄ in illis erat SPIRITVS CHRISTI. Et mox: Quibus & illud reuelatum eſt, q̄ non ſibi ipſis tm̄, ſed & NOBIS miniſtrarent hæc, quæ nunc adnunciata ſunt uobis &c. Hactenus Petrus, q̄ perſpicue teſtificatur Spiritū Chriſti fuiſſe in Prophetis, & Prophetas non ſuæ tm̄ ętatis populo, ſed etiā uniuerſę Eccleſiæ ſeruire. Audiamus igitur nunc, quid nobis ſpūs Chriſti in hoc capite concionetur. Audite me (inqt Dñs) qui ſectamini iuſticiā, & quęritis Dñm. Vocat ad audiendā concionē ſolos pios, qui ſerio amāt iuſticiā, & ex animo cupiūt Dñm uere cognoſcere, & uerbo eius obedire. Quid. n. uocaret impios, q̄ quo magis audiūt uerbum Dei, eo maiori odio proſequuntur Deum, & fiunt induratiores. An nō Pharao eo fiebat obſtinatior, quo clarius prædicabatur ei uerbum Dei? An non Phariſæi eo plus excæcabātur, quo ſplendidius lucebat eis lumē Euāgelij? Quare Dñs uertit ſe in hac cōcione, relictis impijs, ad pios, ad uerā uidelicet Eccleſiā ſuā, & hortatur eam, ut diligenter audiat. Quid ergo audiat? Conſolationē in grauibus illis aduerſis, quibus ab impijs crudeliter afficiūtur. Initio aūt producit in medium exemplū Abrahæ & Sarę. Quo argumēto docet, q̄ & ſi Eccleſia ſit parua & afflicta, tm̄ nō ſit ita a Dño deſerta, quin ſit eam nō tm̄ conſeruaturus, uerętiam admirādo modo multiplicaturus. Attēdite, inqt, ad petrā, de qua exciſi eſtis. Petrā aūt uocat Abrahamū, uel propter firmitatē fidei eius, quemadmodū Paulus Ro. iiij. ſcribit, uel uulgari metaphora, qua Patriarchæ uocantur petræ, ſeu fundamēta gñris & poſteritatis ſuæ. Et ad cauernā lāci, ſeu foſſam fontis, ex q̄ hauſti eſtis. Hęc eſt Sara uxor Abrahę. Vocatur aūt foſſa fontis, ut pueriliter, ita modeſtiſsime. Pueris. n. interrogantibus de infantib. recēter natis, unde ueniāt, ſolēt parentes rndere, e proximo

ximo fonte hauſtos eſſe. Sic & Sara fons dicitur, e quo fonte hauſti ſunt tot Iſraelitæ, ut numerari nõ potuerint. Quod ergo metapho τίκως nomine petrę & fontis dicitur, hoc ſtatim apertis uerbis expo nitur: Attendite, inquiens, ad Abraham Patrem ueſtrum, & ad Sa ram, quę peperit uos. Habes quid nomine petræ & fontis intelligẽ dum ſit. Sed quid in Abraamo & Sara eius attendẽdum eſt? Vnũ, inquit, uocaui eum & benedixi ei, & multiplicaui eum. Cum Abra ham eſſet ſolus & unicus, uocaui eum, ut deſerta patria, ad aliam re gionem, quam ei demonſtraturus eſſem, ſe conferret. Cumq; iam eſſet ſenio confectus, adeoq; centenarius, & haberet uxorem iam in de a iuuentute ſua ſterilem, & nũc nonagenariã, ſic tñ benedixi eũ, ſic multiplicaui ſemen eius, ut numero ſuo excelleret multitudinẽ ſtellarũ, & non minus numerari poſſet, q̃ arena maris. Hoc eſt exem plum Abrahæ & Saræ. Sed in quẽ uſum proponatur, additur. Cõ ſolabitur Dñs Zion, & conſolabitur omnes ruinas eius, reddet de ſertum eius ſimile Paradiſo, & ſolitudinẽ eius, quaſi hortum Dñi. Gaudium & lętitia inuenietur in ea, gratiarum actio & uox laudis. Sententia aũt hæc eſt. Quemadmodum Dñs Abraamum ſolũ, uni cum, ſenio confectum, & ab omnibus amicis deſertum, non ſolũ in ter infeſtiſsimas gentes mirando modo ſeruauit, uerum etiam fami liam & poſteritatem ſuam ita auxit, ut præ multitudine nõ potuerit numerari, ita & ſi Zion, hoc eſt, populus ſeu Eccleſia Dñi uidetur parua, abiectiſsima, effœta, & ab oĩbus hominibus deſerta, tamen Dñs ita eam conſeruabit & tuebitur, ut nõ tm̃ reſtituat ueteres rui nas eius, ſed etiã faciat ex deſerto eius, Paradiſum, & hortum Dñi, in quo non ſit amplius triſtitia, ſed lętitia: nec ſit luctus propter ad uerſa, ſed confeſsio & gratiarũ actio propter tranquillitatem, nec ſit execratio & conuicium ob dolores, ſed laus & iubilatio, propter fœ licitatẽ. Hoc loco cõmendatur nobis diligenter hiſtoria ſeu Legen da, ut uocant, Abrahæ, ut ex miraculis, quę in ipſo ædita ſunt, diſca mus cognoſcere clementiam & potentiam Dei, & cõfirmemus fidẽ noſtram, in rebus etiã alioqui deſperatis. Nec hac tm̃ parte prodeſt nobis exemplum Abrahæ, uerũ etiam prodeſt ad cognoſcendam ue ram rationem iuſtificationis noſtræ coram Deo. Quem uſum Pau lus ad Ro. cap. iiij. ſcribens, copioſe ex Geneſi docet & cõmendat. Si Abraam, inquit, ex operibus iuſtificatus fuit, habet quod glorie tur, at non apud Deum. Quid enim ſcriptura dicit? Credidit Abraã Deo, & imputatũ eſt ei ad iuſticiã. Et poſtea addit Paulus. Non ſcri ptum eſt aũt propter illum tantum, imputatum fuiſſe illi, ſed etiam propter NOS, quibus imputabitur credẽtibus in eum, qui excita uit Ieſum Dñm noſtrũ a mortuis, q̃ traditus eſt ꝓpter pcta̅ noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri. Deinde, quod Pro

pheta dicit de conseruatione, & dilatatione Zionis, & si præcipue impletum est post diuulgationem Euangelij in uniuersum orbem terræ, tamen quemadmodum Deus ante hanc Esaiæ concionẽ, iam inde ab Abraamo admirabiliter auxit & conseruauit Ecclesiam populi sui, in medio crudelissimarum & infestissimarum gentium, ita etiam post concionem semper cõseruauit populum suum quamuis abiectissimum & contemptissimum, & liberauit eum ex suis afflictionibus admirando modo. In captiuitate Babylonica, quid fuit abiectius, quid desertius Ecclesia populi Dei? Et tamen tanta cura complexus est eam, ut deiecerit Babylonicam Monarchiam, quo ruinæ eius instaurarentur. In persecutione & crudelitate Antiochi Epiphanis, quid miserius, quid oppressius fuit populo Dei? Et tñ Deus ita conseruauit eum, ut non longe post filius Dei in eo nasceretur. Sed ut diximus, hæc, quæ Esaias hoc loco concionatur, maxime omnium implentur in Ecclesia, post uulgatum Euãgelion inter gentes. Ruinæ enim Zionis sunt oues perditæ domus Israelis. Has ruinas Christus & Apostoli eius instaurarũt, cũ per Euãgelion reuocauerunt errãtes Israelitas ad ueram agnitionem Dei Patris Dñi nostri Iesu Christi, et reduxerũt perditas oues ad ouile Ecclesię. Deserta aũt & solitudines Zionis, sunt Gentes, quæ iam olim deseruerant ueram Dei agnitionẽ, & ut Paulus ait, abalienati a rep. Israelis, extranei a testamẽtis promissionis, spem non habẽtes, Deoq; carẽtes in mũdo. Per Iesum Christum aũt hi, qui quondam erant lõgin q, facti sunt ꝓpinqui. Et ut Propheta ait, hoc desertum factũ est sicut Paradisus, & sicut hortus Dñi, in quo semper est lætitia, gratiarum actio, & iubilatio. Hæc aũt intelligenda sunt, sicut sæpe iam admonuimus, non pro ratione mundani cuiusdã regni, sed pro ratione regni Christi. Nam, cum Euãgelion uulgaretur per Apostolos inter gentes, Ecclesia, quæ e gentibus colligebatur, nihil minus uidebatur in mundanis regnis, quam Paradisus & hortus Domini, in quo non esset nisi lætitia & gaudium. Sed potius uidebatur horribilis solitudo, in qua bestiæ sylueſtres in quosuis grassarentur, aut laniena, in qua oues mactarentur. Reliqui enim tam Iudæi, quam Gentes, qui non agnoscebant Euangelion Christi, ita sæuiebant in eos, qui Euangelio obediebant, ut nec pater filio, nec mater filiæ, nec frater fratri parceret, Sed quisquis occideret eos, existimabat se præstare cultũ Deo. Habemur, inquit Paulus ex Psalmo, uelut oues destinatæ mactationi. Et spectaculum facti sumus mundo angelis & hominibus. Ac mox: Velut excrementa mundi facti sumus, omnium reiectamentum ad hunc usq; diem. Quare, si considereris Ecclesiã Christi iuxta rationẽ regnorũ huius mũdi, multo magis uidetur laniena esse, q̃ Paradisus Dñi. Si aũt cõsideraueris

eam

eam, iuxta rationem regni Christi, quod non est de hoc mundo, certe ecclesia per euangelion ex mundo collecta est uelut hortus & Paradisus Domini, in quo est continua lætitia & iubilatio. Etsi enim multæ sunt tribulationes iustorum, tamen quia scimus ex euangelio Christi, quod Deus sit nobis propicius, quod adoptati simus in filios & hæredes Dei, quod condonata nobis sint omnia peccata, quod donata nobis sit iusticia Christi, quod afflictiones sint nobis adiumento in bonum: denique quod mors sit absorpta in uictoriam, quid esse potest, quod nos ita tristes redderet, ut animū desponderemus, & non continenter in Domino lætaremur, ac ei gratias pro tantis beneficijs ageremus? Quis intentabit, inquit Paulus, crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione, qua nos Deus complectitur? num afflictio? num angustia &c. Hæc illa sunt, quæ faciunt ex ecclesia, alioqui misera & afflicta, hortum & Paradisum Domini. Quare, qui factus est ex fide per Euangelion Christi incola ecclesiæ, is uere habitat in paradiso Dei, etiamsi plenis calamitatum uasis suffundatur. Qui uero contempto Euangelio, alienus est ab ecclesia, is habitat uere in inferno, etiamsi regijs delicijs in hoc seculo fruatur.

ATTENDITE AD ME POPVLE MEVS, ET AVDITE ME PLEBS MEA &c.

Dixit antea, se Zionem, hoc est, ecclesiam ita seruaturum, & dilataturum, ut etiam ex deserto & eremo eius faciat Paradisum Domini. Nunc exponit, quo modo, aut qua uia sit ipsam dilataturus. Ac priusquam id commemorat, iterum mouet attentionē, ut quæ dicuntur, diligenter cognoscantur. Animaduertite, inquit, o populeus, & præbete mihi aurem o plebs mea. Dicam enim, quam admirando modo proferam pomœria Zionis meæ. Exibit à me lex, & iudicium meum ad illustrandos populos diuulgabo. Non dilatabo externos muros urbis Hierusalem. Nec emittam armatum exercitum, pro more mundanorum regum, ut externis uiribus congregem Gentes ad Zionem seu ecclesiam, Sed exibit à me Lex, Emittam Legem non Mosi, sed Meam, hoc est, Euangelion meum: Diuulgabo seu dispergam Iudicium meum (quod & ipsum est Euangelion Christi) ad lucem Gentium. Nam hic locus plane conuenit cum eo, qui est supra cap. 2. De Zion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Et Psalm. 109. Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Hoc autem tunc cœptum est impleri, cum Christus filius Dei dixit ad Apostolos suos: Ite in uniuersum mundum, prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fue-

rit,ſaluus erit &c.Et iterum:Eritis mihi teſtes non ſolum Hieroſolymis,uerumetiã in uniuerſa Iudęa Samariaqꝫ,deniqꝫ uſqꝫ ad extrema terræ.Et rurſus:Sic ſcriptum eſt,ſic oportebat Chriſtũ pati & reſurgere à mortuis tertio die,& prædicari nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in OMNES GENTES,initio facto ab Hieroſolymis &c. Nec moueat quẽquã,qꝫ Euangelion Chriſti uocetur Lex & iudiciũ,cum tamen maximũ ſit diſcrimen inter Legem & Euangelion,nec Chriſtus uenerit in hunc mundum,ut legislator.Euangelion igitur uocatur Lex,non iuxta eam ſignificationem,qua Paulus ad Rom.ca.3.& 4.& 7.& in multis alijs locis de lege diſputat,ſed iuxta ſignificationẽ,quã habet legis nomen apud Hebræos.Nam Hebręi uocant Legẽ תורה Thora,quod proprie ſignificat Doctrinam,Quod eſt genus ad Legem & Euangelion. Vtrunqꝫ enim eſt doctrina.Illa,quæ reuelat peccatum,operatur iram,& occidit.Hoc autem,quod remittit peccatũ,operatur gratiã,et uiuificat. Sed de hac re alias copioſius.

PROPE EST IVSTVS MEVS, EGRESSVS EST SALVATOR MEVS &c.

Hebræus ſic legit.Appropinquauit iuſticia mea.Egreſſa eſt ſalus mea &c.Siue autem hæc ſit cauſa,cur ante dictum ſit,exijſſe legem,& iudicium ad lucem populorum,ſiue ſit aliud argumentum conſolationis,certe filius Dei perſpicue concionatur de ſuo ipſius aduentu in hunc mundum,& de ſalute,quam ſecum eccleſiæ ſuę afferat.Quod ergo dicit,habet hanc ſententiã. Bene confidite, populeus,& nolite in afflictione ueſtra triſticia abſorberi.Ecce emẽ iuſticia mea iã in propinquo eſt,& ſalus mea egreſſa eſt,ut uos conſeruet,& brachia mea extenſa ſunt ad iudicandũ populos.hoc eſt, Euangelion meum,quod eſt brachium ſeu potentia Dei ad ſalutẽ omni credenti,diuulgatur in uniuerſo orbe terræ,ut congreget ecclesiam ex omni natione,quæ ſub cœlo eſt. Inſulæ me expectant, & brachio meo confidunt,hoc eſt,Euangelion meũ non in Iudæa tantum prædicatur,ſed etiam uulgatur ad inſulas Gentiũ, quæ & euangelion excipiunt magna animi promptitudine,et conſequuntur fiducia eius ueram ſalutem.Hæc de aduẽtu Chriſti in carne, & diuulgatione euangelij inter gentes,ſic recitantur, perinde ac ſi nõ eſſent futura,ſed iam aduenijſſent.Sed hæc eſt prophetica phraſis, præſertim cum de uenturo regno Chriſti uaticinantur. Quod eũ futurum erat,aduenijſſe dicunt,propterea quod nihil certius,nihil firmius erat,quam quod filius Dei uenturus eſſet in mundũ,& alaturus eccleſiæ ſuæ æternam redemptionem. Vnde & ſupra ca. 9. dixit:Paruulus natus eſt nobis et filius datus eſt nobis,cũ hoc poſt ſeptingentos demum annos futurũ eſſet. Solet & ſpiritusſanctus in tali argumento rationem temporis habere,non iuxta humanã, ſed iuxta cœleſtem & diuinam Mathematicam. In hac enim unus

dies

dies perinde est, ac mille anni, & mille anni ut unus dies. Quare quod nobis hominibus longe post futurum uidetur, hoc in conspectu Dei sic præsens est, ut haud immerito iam aduenisse dicatur. Hinc est, quod in Apocalypsi dicitur Agnus ab origine mundi occisus esse. Accedit & hoc, quod spiritus sanctus utatur in concionibus de regno Christi indiscriminatim præterito & futuro tempore, quia pij, qui fuerunt ante aduentum Christi, non minus acceperunt fructum beneficiorum Christi per fidem in uenturum Christum, quam hi, qui sunt post aduentum eius. Credidit, inquit scriptura, Abraham Deo, & reputatum est ei in iusticiam. Et Petrus: Credimus, inquit, nos per gratiam DOMINI Iesu Christi saluos futuros, quemadmodum & ILLI, uidelicet, patres nostri. Quare, cum pij auditores Esaiæ, qui septingentis plus minus annis fuerunt ante Christum ex uirgine in terris natum, tam potuerunt consequi in suis aduersis iusticiam & salutem Christi per fidem, quam hi qui fuerunt septingentis annis post natum Christum, uere & apte dicitur iusticia Christi appropinquasse, & salus eius iam egressa esse. Deinde considera, quod filius Dei in hac concione maluit dicere, Mea iusticia aduenit, & mea Salus egressa est, quam Ego aduenj, & Ego egressus sum, ut his uocabulis significaret, quæ bona, quæ beneficia secum aduentu suo afferat. Non enim uenit nudus & inanis, sed affert secum suam iusticiam & salutem. Videndum igitur est, quæ sit iusticia, & salus filij Dei, ut cognoscamus, quanta bona secum attulerit. Nam iusticia filij Dei hoc loco non tantum ea dicitur, qua ipse coram Deo Patre suo uere & perfecte iustus est, sed qua reputat omnes credentes in ipsum iustos. Duplex enim est Iusticia. Vna est Legis, quam iusticiam proposuit nobis Moses, Sed tanta est, ut eam nullus unquam hominum in his terris assequi potuerit. Ex operibus enim legis non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. Altera est Euangelij, quam attulit filius Dei. Hæc iusticia, uocatur Remissio seu Condonatio iniusticiæ. Et, Imputatio alienæ iusticiæ. Filius enim Dei consecutus est sua obedientia apud Patrem, ut quotquot in ipsum credunt, habeant propter ipsum remissionem suæ iniusticiæ, & reputentur coram Deo iusti. Quare, cum careamus propria iusticia, licet nobis frui aliena iusticia, uidelicet, Christi filij Dei, ut etsi peccata nostra condemnant nos, tamen seruat nos iusticia Christi, si crediderimus in eum. Sic enim dilexit Deus mundum, ut unigenitum suum filium daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Salus autem Christi, de qua hic fit sermo, non est mundana, sed cœlestis & diuina salus. Multos quidem corpore ægrotos sanauit filius Dei, cum adhuc uitam in terris ageret. Non autem principaliter uenit in terras, ut hominibus conferret corporalem salutem, sed spiritualem & cœlestem, hoc

est, ueram & perpetuam. Itaque filius Dei non restituit omnes ægrotos corporali sanitati, sed restituit omnes credentes in ipsum spirituali & cœlesti sanitati. Illa, etiamsi contingat, tamen non seruat hominem ab interitu: Vel tandem enim morte pereundum est. Hæc autem, ut est uera coram Deo sanitas, ita seruat etiam hominem ab æterno interitu. Filius Dei non omnes conseruat incolumes in hac corporali uita, sed sinit tam iustos quam iniustos mortem obire. Seruat autem omnes credentes in ipsum in cœlesti uita, ut etiamsi moriantur corporaliter, conseruentur tamen in morte, et excitentur ad fruendam uitam perpetuo fœlicem. Quid hac salute optatius, quid ea iucundius? Quare etsi grauiter affligimur, uel aduersis huius mundi, uel horroribus mortis, tamen si conuersi ad filium Dei, confidamus iusticia & salute eius, nihil est, quod possit nobis incommodum afferre. Sed nec hoc prætereundum est oscitanter, quod filius Dei uocat Euangelion, brachium suum. Brachia mea, inquit, iudicabunt populos. Et brachio meo confident. Sic in Psalmo uocatur Virga uirtutis suæ. Hoc plane illud est, quod postea dixit Paulus, Euangelion est POTENTIA DEI ad salutem omni credenti. Sicut enim fortis luctator potens est brachijs suis, ut deijciat aduersarium et superet eum lucta, ita filius Dei potens est Euangelio suo, ut per illud non tantum congreget ecclesiam suam ex omni natione, uerumetiam seruet eam in omnibus aduersis, ac denicq; in morte ipsa. Ac profecto magnum est encomium Euangelij, quod sit Brachium Domini, & potentia Dei, qua seruentur omnes credentes. Quare, qui indigent auxilio Dei, conferant se ad brachium eius, hoc est, ad euangelion eius, & inuenient opportunum auxilium in omnibus necessitatibus suis.

LEVATE IN COELVM OCVLOS VESTROS, ET VIDETE SVBTVS TERRAM DEORSVM &c.

Aliud argumentum consolationis ductum à certitudine & firmitate Iusticiæ & Salutis filij Dei. Postquam enim filius Dei expo suit se afferre ecclesiæ suæ iusticiam & salutem, exponit nunc, quam certa, quam firma sit ea iusticia & salus, ut afflicti sciant, se spe sua, quam de beneficijs filij Dei concipiunt, haudquaquam frustrari ac pudefieri. Opponit autem firmitatem suæ salutis firmitati cœli & terræ, ut illam huius collatione magis perspicuam reddat. Attollite, inquit, oculos uestros ad cœlum, & inspicite terram subtus. In quem ergo usum debemus erectos ad sidera tollere uultus, et aspicere terram? Cœli, inquit, liquescent aut peribunt ut fumus, & terra sicut uestimentum atteretur, & habitatores terræ sicut hoc (uidelicet, titiuilicium, aut floccus) uel ad eundem modum interibunt, Salus autem mea in æternum durabit, & iusticia mea non concidet.

concidet. Hęc talis est locutio, qualis est illa apud Euãgelistas: Cœlum & terra præteribunt, uerba autem mea non præteribunt. Nihil uidetur firmius cœlo, nihil stabilius terra, nihil etiã certius continua successione habitatorum huius terræ. Et tamen hæc omnia mutabuntur. Iustícia autem & Salus, quam affert credentibus filius Dei, non mutabuntur, non peribunt. Certissimum enim ac firmissimum est, quod omnes qui credunt in filium Dei Iesum Christum, reputentur coram Deo iusti, et consequantur ueram ac ęternam salutem. Filius Dei multo magis perferet, ut fractus illabatur orbis, quam ut hi, qui credunt in ipsum, pereant in peccatis suis, & non seruentur in morte. Hęc consolatio, ut est iucundissima, ita est necessaria afflictis, & perturbatis conscientijs. Nam qui tentantur aduersis, & sentiunt iudicium peccati, etsi solent spem quãdam de misericordia Dei aliquoties concipere, tamen subinde ingeritur ipsis tale aliquid, quale dicit Bildad apud Iobem: Quid perdis animã tuam furore tuo? Nunquid propter te derelinquet terra? & transferentur montes de loco suo? An nescis latam esse sententiam diuinitus, quod quicunq; peccauerit, & non impleuerit legem Domini, sit maledictus? Num ignoras, Deum misericordem quidẽ esse, sed his qui diligunt ipsum, & custodiũt mandata eius. Cum igitur tu probe scias te esse peccatorem, & mandata Dei haudquaquam custodijsse, quid uanam spem de misericordia Dei concipis? quid teipsum decipis? Num Deus propter te retractabit sententiam iudicij sui? Num propter te inuertet suam ipsius ordinationem? Hę sunt grauissimę tentationes, & ignita iacula Satanę. Sed filius Dei proponit nobis hac concione scutum, quo possimus omnia ista ignita iacula non illæsi tantum excipere, uerumetiam extinguere. Cœlum, inquit, & terra præteribunt, Iustícia autem mea, & salus mea non præteribunt. Verum quidem est, quod Deus constituerit cœlum & terram sua quadam firmitate, sed multo firmius est Euangelion de iustícia & salute filij Dei in populum suũ conferenda. Nam hoc decretum est, non post, sed ante constitutionem cœli & terræ. Elegit nos in ipso, inquit Paulus, antequam iacerentur fundamenta mundi. Et alias: Mysterium dicitur ęternis temporibus tacitum, nunc uero manifestatum &c. Nec dubiũ est, quin sententia legis lata sit aduersus omnes, qui legẽ non perfecte implent. Seueritas autem huius sententiæ in his tantũ hæret, qui non agnoscunt filium Dei, qui non accipiunt iustíciam & salutem filij Dei. Nam qui sunt Christi filij Dei, etsi sentiunt adhuc peccatũ & mortem, tamen donantur iustícia Christi, ut condonetur eis peccatum & reputentur iusti, & seruentur in morte, æterna salute. Christus, inquit Paulus, redemit nos ã maledictione legis, dũ factus est pro nobis maledictio. Et iterum: Eum, qui nõ nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustícia Dei per illũ. Quare

Iob. 18.

Ephes. 1.
Rom. 16.

ſpes eorum,qui ſunt Chriſti,de miſericordia & clementia Dei nõ eſt uana,ſed certo conſidere poſſunt & debent,quod Deus multo magis ferat,ut non tantum uniuerſa Lex abrogetur,ſed etiam uniuerſus mundus pereat,quam ut iuſticia et ſalus Chriſti filij ſui non conferantur credentibus in ipſum. Huc pertinet & illud Pſalmi: Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos inæternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Hic conſtituitur filius Dei in ſacerdotem,non temporarium ſed æternum,idq; non ſimpliciter,ſed iureiurando. Iurauit (inquit) Dominus. Et non pœnitebit eum,ut ſciamus,quod nihil certius,nihil firmius ſit,quam quod filius Dei ſit perpetuus placator iræ Dei, & reconciliator omnium eorum,qui in ipſum credunt. Quod maneat,inquit Apoſtolus,in æternum,perpetuum habet ſacerdotiũ. Vnde & ſaluos facere ad PLENVM poteſt,qui per ipſum adeunt Deum,Semper uiuẽs, ad hoc,ut INTERPELLET pro illis. Hoc idem ſibi uult,quod poſtea cap. 54. Eſaiæ recitatur: Montes commouebuntur & colles contremiſcent,Miſericordia autem mea non recedet à te,et fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Sed quod Chriſtus nondũ caro factus,per Prophetas affirmauit, hoc poſtea ſuo ipſius non uerbo tantum,ſed etiam iuramento per ſpicue confirmauit. Amen, Amen,inquiens,dico uobis, Qui ſermonem meum audit,& credit ei,qui miſit me, habet uitam æternam,& in condemnationem non uenit,ſed tranſiuit à morte ad uitam. Hoc armorum genere,& his ſcutis excipienda ſunt iacula Satanæ,ut extinguantur,& nos incolumes euadamus.

AVDITE ME QVI SCITIS IVSTVM, POPVLVS MEVS, LEX MEA IN CORDE &c.

Aliud argumentum conſolationis,ductum ab aduerſariorum interitu,& ſimiliter,ut prius,à certitudine iuſticiæ & ſalutis,quam habent pij in filio Dei per fidem. Ac iterum mouet ſicut antea, attentionem,ut ſciamus hæc non eſſe humana ſomnia,ſed diuina oracula. Audite me,inquit,qui agnoſcitis meam iuſticiam,& qui tenetis in cordibus ueſtris meam legem, quæ eſt Euangelion meum. Audite uos,qui adhibetis fidem meo euangelio. Multa manent uos aduerſa & opprobria impiorum hominum, propter nomen, propter euangelion meũ. Loquentur de uobis peſsime,habebunt uos tanquam catharmata & peripſemata. Sed uos nolite metuere opprobrium mortalis hominis,& ne frangamini animo propter contumelias impiorum. Etſi enim impij uidentur in hoc mundo fœlices,tamen ſicut ueſtimentum,ſic eos corrodet tinea,& ſicut laneam ueſtem cõmedet eos uermiculus. Iuſticia autem mea æternum durabit,& ſalus mea à ſeculo in ſeculum. Hoc plane illud eſt, quod filius Dei poſtea caro factus dicit: Si patremfamilias uocauerunt Beelzebub,quanto magis domeſticos illius. Ne igitur metuatis eos,

tis eos. Et mox: Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere &c. Et iterum: Alienos à synagogis facient uos. Et uenit tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neq; me &c. Acrursus: In mundo afflictionem habetis, sed bono animo sitis, Ego uici mundū. Duo igitur proponuntur hic ecclesiæ cognoscenda. Alterum est, quod sufferenda ei sint in hoc seculo aduersa, opprobria, contumeliæ, cruces & mortes propter fidem & confessionem filij Dei. Etsi enim non accidunt singulis singula, tamen unusquisq; qui uult pie in Christo uiuere, habet suas pro suæ uocationis ratione cruces. Alterum est, quod hæc aduersa non sint ecclesiæ damna, sed lucra. Si enim simul cum Christo patimur, simul etiam cum eo uiuemus & regnabimus. Et momentanea leuitas afflictionis nostræ parit nobis mire supra modum æternum pondus gloriæ &c.

CONSVRGE, CONSVRGE, INDVERE FORTITVDINE, O BRACHIVM DOMINI, CONSVRGE, SICVT IN DIEBVS ANTIQVIS &c.

Alia consolatio, ducta ab exemplo liberationis Ægyptiacę. Obserua autem hic mihi iucundam spiritus sancti rhetoricam, & grauem eius grandiloquentiam. In hac enim Concionis parte potuisset simpliciter ita dicere: Sicut Dominus liberauit quondam afflictam suam ecclesiam e tyrannide Ægyptiaca, ita liberabit eam nūc quoq; ab omnibus suis aduersis & aduersarijs. Non est autem contentus hac simplici narratione, sed assurgit in grandiloquētiam, & format sermonem uarijs figuris. Initio facit Apostrophen ad Brachium Domini, hoc est, ad potentem illam uirtutem, qua Deus reuelat ecclesiæ uerbum euangelij sui, & tuetur illud aduersus omnes hostes eius, ut his oppressis, ipsa consequatur salutem. O brachium Domini (inquit) excitare, excitare inquam. In hac tanta ecclesiæ afflictione uideris dormitare, & nullam miseræ ecclesiæ curam habere. Videris omnem potentiam, omnes uires tuas amisisse, quod conniues ad tot & tantas ærumnas populi tui. Excitare igitur, & induere pristina tua fortitudine. Recipe uires tuas, quas superioribus temporibus, per omnia secula declarasti. Sed nunc uno tantum exemplo contentus ero. An non tu uetus illud brachium es, quod quondam cōcidit superbiam seu insolentiā, uidelicet, Ægyptiorum, & dolore confecit draconē, hoc est, Pharaonē? An non tu illud brachiū es, quod exiccabat mare (rubrum) & aquas abyssi magnæ, & q̄d efficiebat, ut profundum maris fieret uia, qua pertransirent redempti ex Ægypto? Sicut ergo tunc liberata est afflicta ecclesia, & ducta est diuinitus ad terrā Patribus olim promissam, ita & nūc redimetur diuina potentia et clementia ex omni

bus aduersis. Et ueniet in Zion cum cantico. hoc est, sicut ecclesia populi Dei, cum euasisset incolumis e mari rubro, cecinit cāticum Domino ad declarandam gratitudinem suam, ita & nunc ecclesia cantabit in cœtu suo carmen gratitudinis. Erit sempiterna lætitia super capita eorum, apprehendent gaudium & lætitiam: Fugient autem dolor & gemitus. Ac profecto exemplum Ægyptiacæ liberationis insigne est & memorabile. Nam ut diligenter conseruaretur, libuit spiritui sancto duo eius præcipua monumenta instituere. Alterum est præfatio Decalogi, in qua dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo seruitutis. Cum enim Decalogus frequenter esset cōmemorandus, frequens etiam mentio Ægyptiacæ liberationis habita est. Alterum, anniuersarius dies festus Paschæ, insignitus non uno tantum simplici genere sacrorum, sed multis ac uarijs cerimonijs. Non est autē sentiendum, quod hic festus dies fuerit tantum monumentum prīteritæ liberationis ex Ægypto, sed multo magis fuit monumentum liberationis futuræ per filium Dei, idq; non ex mundana tyrannide, sed ex seruitute & tyrannide peccati, Satanæ, mortis & inferni. Hæc est maxima omnium liberatio. Vnde & Agnus Paschalis in Christum filium Dei respexit. Et sanguis agni, quo superliminaria Israelitarum tincta fuerūt, adumbrauit sanguinem Christi, quo uere defendimur ab exterminatore. Sed & Ossa agni, quæ non erant cōfringenda, in ossa Christi respexerunt. Denicq; omnes pro pemodum cerimoniæ agni Paschalis, & diei festi eius Christum filium Dei, & liberationem per eum futuram demonstrarunt. Pascha nostrum, inquit Paulus, pro nobis immolatus est Christus. Itaq; festum celebremus, non in fermento ueteri, nec in fermento maliciæ & uersutiæ &c. Et Petrus: Redempti sumus precioso sanguine uelut agni immaculati, & incontaminati Christi. Quare, si ecclesia Domini seruata est maximis miraculis, cum in Ægypto deserta & oppressa iaceret, & uideretur de salute eius plane conclamatum esse, multo magis nunc seruabitur in ærumnis suis, postq; filius Dei expiauit peccatum sanguine suo, & reportauit uictoriam ex morte & inferno. Additur autem hic de sempiterna ecclesię lætitia, quia fugient ab ea dolor & gemitus. Hæc etsi perfecte implentur in Resurrectione, tamen quia accipimus per fidem primitias spiritus, accipimus etiam in hoc seculo gustum huius sempiternæ lætitiæ. Caro in pijs dolet quidem mortificatione sui, sed spiritus suam semper habet lætitiam, quod sciat se propter Christum habere Deum propicium, quod peccata sint cōdonata, q; mors sit uicta, q; cœlū apertū, q; parata sit æterna iusticia ac fœlicitas, quæ certo excipiat credētem in filiū Dei. Hæ sunt primitiæ cœlestis & sempiternæ lætitiæ, quæ nobis in filio Dei promittitur, & per euangelion eius offertur. Studeamus igitur qua possumus diligentia

gentia euangelio Christi,ut & hac lætitia perfundamur.

EGO, EGO IPSE CONSOLOR VOS, QVIS TV VT TIMERES AB HOMINE MORTALI? &c.

Perseuerat adhuc filius Dei in collatione suæ liberationis & salutis,cum liberatione Ægyptiaca. EGO, EGO ipse, inquit, consolor uos. Quondam in liberatione Ægyptiaca mittebam uobis seruos meos Mosen & Aheronem,qui consolabantur uos in uestris ærumnis. Nunc autem en ego ipse filius Dei adsum uos consolaturus & liberaturus. Quid ergo metuitis uobis ab homine mortali,aut à filio hominis,qui ut fœnum arescit? Cur tam cito obliuiscimini Dei factoris uestri, creatoris cœli & terræ? Fateor, Nabuchodonosor, Antiochus, Nero, Domicianus, Diocletianus sunt crudeles tyranni,& sæuiunt suo quisq; tempore in uestrum cœtum immaniter. Sed putas ne me filium Dei, uerum Dominum Deum tuum imbecilliorem esse,quam qui possim uos à sæuicia eorum defendere? Queso enim te,quid aliud sunt,quam homines tantæ imbecillitatis,ut unum paruum ulcus possit eis uitam auferre? Et quid est uniuersa maiestas eorum,nisi gramen, quod iam quidem uirere uidetur, sed postquam decisum fuerit, continuo exarescit,& fit fœnum? Ego uero non tantum tuus sum factor,uerumetiam cœli & terræ & omnium,quæ in eis sunt, creator. Quod igitur esset hoc præposterum institutum, ut metueres tibi ab imbecillibus & impotentibus illis bestijs,mei autem Domini Dei tui,tanta potentia & maiestate præditi,obliuiscereris, & non potius derideres fiducia mei omnem illorum uanam ferociam? Memini adhuc,& nondum excidit mihi,quod quondam formidaueris iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat,uidelicet,Pharaonis in Ægypto,& qui parauerat seu instituerat te perdere ac delere. Sed quæso te,ubi nunc est furor istius tribulatoris? An non compescebam eum egregie? Eo enim necessitatis adigebam eum supplicijs, ut cum nullis uerbis persuaderi potuerit, quo te liberum dimitteret, tandem festinabundus discurrerit, ut non solum te liberum,ne ad internecionem perires,dimitteret, uerumetiam magnas opes in te conferret,ne tibi panis seu commeatus deesset. Sic enim Exod. 12. scriptum est: Surrexit Pharao nocte,& omnes serui eius,cunctaque Ægyptus,& ortus est clamor magnus in Ægypto. Neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Vocatisque Pharao Mose & Aherone nocte, & ait: Surgite, egredimini à populo meo uos & filij Israel &c. Ac mox. Dedit DOMINVS gratiam populo coram Ægyptijs, ut commodarent eis uasa argentea & aurea,& uestem plurimam &c. Vides quam admirando modo compescuerim ferociam Pharaonis,& conseruauerim ac liberauerim te,ecclesiã meã.

Ne igitur dubites, Ego adhuc ſum uetus ille Dominus Deus tuus, nec defecit interea temporis potentia mea, Sed ea tanta adhuc eſt, ut ſi uelim, uno nutu mare ita conturbem, ut intumeſcant fluctus eius. Vocatus ſum hactenus Dominus Zebaoth, hoc eſt, Exercituum. Hoc nomen nondum amiſi, ſed adhuc una cum reipſa hoc retineo, quod ſuperem mea uirtute & potentia omnes cœleſtium & terreſtrium exercitus. Quare tu eccleſia, mea ſuauiſſima filia, bono ſis animo, non te deſero, ſed pono uerba mea in ore tuo, inſtituo in tuo cœtu, & conſeruo etiam miniſterium Euangelij mei, ac tueor te umbra manus meæ, ut plantem cœlos, & fundem terram, adeoq; dico Zioni, Populus meus es tu, hoc eſt, ut ad replendum regnum cœlorum colligam eccleſiam ex omnibus regnis terræ, quæ in hunc uſum conſtitui, ut ex eis congregem Zioni ſeu eccleſiæ meæ populum, quem tuear, quem defendam, quem conſeruem, & quem faciam hæredem omnium cœleſtium bonorum. In hac pericopa, quam paucis perſtrinximus, initio obſeruandum eſt, quod filius Dei doceat eccleſiam ſuam inſigne artificium, uidelicet quid faciendum ſit in perſecutionibus, ne metus tyrannorum nos exterreat. Ego, ego ipſe (inquit) conſolor uos, Tu uero quis es, ut hominem mortalem metuas? His uerbis iubet nos diligenter inter ſe conferre quis ipſe ſit, & qui tyranni ſint. Similiter, Quæ bona ipſe conferat, & quæ bona tyranni auferre queant. Nam ex una parte, Qui nos tuendos, & in omnibus aduerſis conſeruandos ſuſcepit, FILIVS Dei eſt, non adoptiuus, ſed naturalis, eiuſdem cum Deo patre ſubſtantiæ, potentiæ & maieſtatis. Qui non ſolum nos homines fecit, ſed etiam creauit cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt. Quid hac potentia & maieſtate excellentius cogitari poteſt? Ex altera autem parte, Qui nos perſequuntur, ſunt quidem potentes in hoc ſeculo principes aut Monarchæ, homines tamen ſunt, animal naturauarium, mutabile, & tam imbecille, ut nullum plane impetum mortis ſuſtinere queat, ſed confeſtim, ut mors acceſſerit, concidat. Comparantur autem tyranni, quamuis potentiſsimi, apte admodum, gramini pratorum. Sicut enim hoc mane uiret, ueſperi autem, poſtquam demeſſum fuerit, ita areſcit, ut etiam nomen graminis amittat, & uocetur fœnum: ita illi uidentur aliquandiu in hoc mundo potentes & fœlices, ſed poſt paululum ſi tranſiueris, ecce non ſunt amplius, ut Pſalmus ait, & ſi quæſieris, non inuenies locum eorum. Deinde confer etiam inter ſe bona, quæ tyranni auferunt, filius autem Dei compenſat. Nam tyranni poſſunt auferre, ſi multum, externum huius ſeculi honorem, externas opes, addo etiam corporalem uitam. Num hoc admirandum? An non & una ueneni guttula, unum peſtiferum ulcus, idem facere poteſt? Quid ergo tyranni ſibi de ſua potentia applauderent? In hoc corpus

Pſal. 36.

ſæuire

fæuire possunt, ac ne id quidem pro sua libidine, sed quantum eis à Domino concessum fuerit, in uitam autem animæ sæuire non possunt. Filius uero DEI, ut obedientibus ei per fidem, restituit ea quæ ipsis ablata sunt à tyrannis, in hoc etiã seculo centuplũ, & in futuro æternam fœlicitatem, ita potest tam corpus quam animam inobedientium æterno supplicio perdere. Quem igitur nũc metuas? Quem nunc, deserto altero, sectaris? Num Tyrannum, ut nihil aliud dicam, HOMINEM? an filiũ Dei? Sed metuo, inquis, ne filius Dei, quem toties peccatis meis offendi, non me agnoscat? Quid ergo sentis de Euangelio eius? Num existimas id uanum esse somnium? Audis Euangelion filij Dei, quo tibi gratis per fidem in ipsum promittitur remissio peccatorum, & donatur tibi iusticia eius. Baptisatus es in nomine Christi. Datur tibi cœna Christi, qua etiam priuatim applicantur tibi beneficia eius. Quam igitur amplius causam habes tuę dubitationis? Magna est tyrannorum potentia, magna etiam Satanæ, cuius ipsi sunt satellites, potentia. Sed maior est, ut Ioannes dicit, qui in Nobis est, q̃ qui in mundo. Et hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Conferamus ergo in persecutionibus diligenter inter se tyrannos & filium Dei, ut excitetur & confirmet̃ fides, qua omnia aduersa uincamus.

Deinde cum dicit: Cito ueniet gradiens ad aperiẽdum, uel sicut Hebræus textus habet: Festinabat (uidelicet Pharao) discurrens, ut aperiret, uidelicet Israeli uiam, quam ante præcluserat, & dimitteret eos liberos &c. admonet nos de eo miraculo, quo Pharao diuina manu adactus est, ut non solum dimitteret Israelitas ex Ægypto liberos, uerum etiam cogeret eos festinanter exire. Docet autẽ mentione huius miraculi, quod habeat in manu sua, nõ potentiam tantũ, sed & corda tyrannorum, & quod definiat eis terminos, ultra quos sua ferocia progredi nõ queant. Hæc est magna cõsolatio piorum, & diligenter in aduersis cogitanda. Deus nõ nesciuit Pharaonem grassari in ecclesiã suam. Nec ignorauit eum meditari exitium ecclesiæ. Sed definiuit ei terminum, ultra quẽ non potuit progredi. Et tandem, qui ante detinuerat ecclesiam tyranni κῶσ, eo humilitatis deuenit, ut eam sua sponte dimitteret. Sed cũ paulo post mutaret sententiam suam, & rediret ad ingenium suum, necesse habuit cum toto exercitu suo perire. Hæc est dextera excelsi. Sic nouit Dominus hostibus populi sui frenum injcere, ut ne dimidiam quidem partem instituti sui perficere queant. Vnde Iob ait: Impij erunt sicut paleæ ante faciem uenti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. Ac mox: Numerus mẽsium eius dimidiabitur, hoc est, Impij multa quidem instituunt aduersus pios, sed quod instituunt, dimidiabitur. Vix dimidiũ perficient. Et Psal. 54. Viri sanguinũ & dolosi non dimidiabunt dies suos. Proponunt sibi adhuc multa uitę tẽpora, quibus uelint animos suos oppressione piorũ exatura

re. Sed bene habet. Non implebunt dimidiam huius propositi partem. Quare non terreamur minis impiorum, sed confidamus promissis filij Dei, qui bonus est, ut Nahum ait, & confortans in die tribulationis, ac sciens sperantes in se, & prætereunte diluuio faciet consummationem &c. Nahum 1.

Tertio, cum ait: Pono uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protego te &c. obseruabilis est promissio, qua filius Dei recipit se in ecclesia sua non solum instauraturum, sed etiam conseruaturum ministerium euāgelij sui, ut uerbum eius perpetuo usq; ad consummationem seculi in ecclesia sonet. In Matthæo uocat hoc ministerium Petram. Super hanc Petram, inquiens, ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebūt aduersus eam. Etsi enim Euangelion Christi nō semper eadem uel maiestate, uel perspicuitate adnunciatur in mundo, adnunciatur tamen, & adnunciabitur usq; ad finē huius mundi, si nō in magnificis templis a publicis ministris, certe in priuatis ędibus à patribus familias. Initio reuelati euangelij contulerunt in unum omnes uires suas Iudæi & Gentes, ut prædicationem euangelij de Iesu Christo e mundo tollerent, sed conatus fuit uanissimus. In Pontificijs tenebris, lumen euangelij sophisticis corruptelis publice ita obscuratum fuit, ut nō agnosceres amplius euangelion Christi, attamen conseruauit Dominus intra domesticos parietes Symbolū Apostolicum, in quo articuli de euangelio Christi, etsi pauciss imis, purissime tamen continentur. Ex quo etiam ecclesia non tantum conseruata, sed etiam ad posteros propagata est. Fieri enim non potest, ut Petra, supra quam ædificata est ecclesia, diruatur, & ut hæc promissio intercidat: Pono uerba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protego te. Quare utut insaniant aduersarij piæ doctrinæ, non tamen consequentur fœlicem instituti sui euentum.

Quarto considera mihi hoc loco insigne encomium ministerij Euangelij. Addit enim filius Dei: Vt plantem cœlos, & fundem terram. Ministerium enim Euangelij, organon illud est, quo filius Dei plantat cœlum, & fundat terram. Quid posset de hoc ministerio excellentius dici? Nam filius Dei colligit sibi hoc ministerio cœlestes ciues, & cohæredes cœlestiū bonorum. Hoc uere est plantare cœlos. Quotquot enim recipiunt euangelion Christi per fidem, fiunt quasi nouæ plantæ paradisi & regni cœlorum, ut ferant fructum perpetuæ uitæ. Sed & terram fundat hoc ministerio, quia constituit, ordinat, ac etiam transfert regna huius terræ, ut ex his colligat sibi ecclesiam ministerio euangelij. Etsi enim regna huius terræ solent plerunq; meditari exitium ecclesiæ & Euangelij eius, tamen semper fit diuina dispensatione, ut magis Euangelio, etiam præter uoluntatem ipsorum, seruiant. Quod si uero regnum aliquod huius terræ eo tantum propendet, ut tollat e mundo euan-

do euangelion Christi, tunc nihil certius est, quàm quòd ruina eius sit in propinquo. Gens enim & regnum, inquit aliâs Propheta, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabuntur. Cum igitur ministerium euangelij tantæ sit maiestatis, ut eo plantetur cœlum, & fundetur terra, conferamus omnem operam nostram ad huius ministerij conseruationem, ut & fructum eius percipiamus.

ELEVARE ELEVARE, CONSVRGE HIERVSALEM, QVAE BIBISTI DE MANV &c.

Aliud argumentum consolationis, ductum à fœlici euentu afflictionum, & ab interitu eorum, qui ecclesiam affligunt. Est autem & hoc argumentum suis figuris amplificatum & ornatum. Nam simpliciter potuisset ita dicere, Bono sis animo ô ecclesia. Etsi enim hactenus grauiter afflicta es ex ira Domini, nec ullus hominum potuit te uere consolari, tamen postquam ego aduenio & expio peccata tua, afflictio tua erit tibi saluti, & quam tibi internecionem meditati sunt hostes tui, ea ipsi perpetuo obruentur, & peribunt. Hæc est simplex expositio huius argumenti. Sed filius Dei maluit uti amplificatione & uarijs figuris sermonis, ut his iacentem animum ecclesiæ ad alacritatem excitaret. Hierusalem, inquiens, (Sic autem uocat ecclesiam) eleuare, eleuare, Seu, Expergiscere, expergiscere, & Surge. Bibisti hactenus de manu Domini calicem furoris eius. Bibisti & exuxisti feces calicis soporiferi, seu intoxicati (hoc est) sustinuisti grauissimas afflictiones, & acerbissimos dolores, præ quibus ne pedibus quidem consistere potueris, quemadmodum hi, qui potum soporiferum, aut intoxicatum biberunt. Vulgare autem est in sacra scriptura, quod per Calicem significentur cruces & afflictiones. Hiere. 25. Sume calicem uini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Bibent & turbabuntur &c. Et cap. 49. Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Et Matth. 20. Calicem meum bibetis &c. Et cap. 26. Transeat à me calix iste &c. In his autem afflictionibus, quas tu Hierusalem, tu ecclesia, hactenus pertulisti, nullus fuit uel ex amicis, uel etiam ex filijs tuis, quos peperisti & educasti, qui prehensa manu tua te illæsam duceret ac conseruaret. Nam ut dicam, quod res est, irruerunt in te non simplicia, nō leuia, sed duplicia, sed grauissima mala. Effusa sunt super te aduersa, non guttatim, sed plenis uasis. Nec ullus erat qui tecum condoleret. Vastata es, Contrita es, Fame afflicta es, Gladio seu bello aut uulnerata aut trucidata es. Et in his malis, quis est, qui potuerit te consolari? Filij tui præ tremore deficiebant, iacebant in compitis omnium platearum, sicut bos syluestris reti captus, ad quem occidendum, uelut ad commune incendiū extinguendum passim omnes properant. adeoq; res ipsa declarabat, effusam fuisse super eos furorem & indignationem Domini. Sed quæso te, ô misera, ô paupercula ecclesia, & ebria non quidem à uino, sed ab aduersis & afflictionibus, audi quæ dicat Dominus & Deus tuus, qui est seueriss. mus ultor iniuriæ populo suo illatæ. Ecce, inquit, aufero de manu tua calicem soporiferum, et fecem calicis furoris mei, ut non bibas eum ultra. Aufero à te omnes afflictiones tuas, quas hactenus tanto tempore pertulisti. Non amplius affligeris. Ponam autem, & tradam calicem in mā-

num eorum, qui te afflixerunt, & dixerunt animæ tuæ: Incurueris, ſubiiciaris, ut tranſeamus ſuper te, & deiicias in terram corpus tuum, ut ſis tranſeuntibus uice plateæ, ut conculceris, & opprimaris (hoc eſt) Efficiam ut hi, qui te conculcauerunt & oppreſſerunt, uiciſsim conculcentur & perpetuo intereant, tu autem perpetuo ſeruieris. Hæc ut rectè intelligantur, ex euangelio filij Dei, qui & hæc concionatur, exponenda ſunt. Primùm enim, quod dicit ad Hieruſalem: Bibiſti de manu Domini calicem furoris eius, fatetur ipſe eccleſiam ſuam in hoc mundo grauiſsime affligi. Et horribile illud ſpectaculum, quod hîc commemorat de proiectis filijs in compitis omnium platearum, exhibitum eſt ſæpe ac multum, etiam externæ urbi Hieruſalem, nunc quidem ante Eſaiæ tempora, ſub rege Roboam, à Seſac rege Aegypti, 2. Paralip. 12. Sub Ioram, à Philiſtinis, 2. Paralip. 21. Sub Ioas à Syris. 2. Paralip. 24. Sub Amaſia ab Iſraelitis. 2. Paralip. 25. Poſt Eſaiæ autem tempora, A Babyloniis, ab Antiocho, à Pompeio, & ab Herode. In hunc enim numerum non pono eam uaſtationem urbis Hieruſalem, quæ poſtremo facta eſt duce Tito à Romanis, propterea quòd eo tempore Iudæi iam abiecti erant, ut non eſſent amplius populus Dei. In ſpirituali autem Hieruſalem, quæ eſt uera eccleſia populi Dei exhibitum eſt hoc crudele ſpectaculum ſub Nerone, ſub Maxentio, ſub Diocletiano, & ſub alijs tyrannis. Nam hæc eſt fortuna eccleſiæ in hoc ſeculo, quòd non ſimpliciter & leuiter, ſed grauiter & crudeliter affligatur, cùm interea impij ducant uitam fœliciſsimam & iucundiſsimam. In Euangelio Lucæ, Dives impius induitur purpura & byſſo, & epulatur quotidie ſplendide. Lazarus autem pius, mendicus eſt, & iacet ulceroſus in plateis, cupiens ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa diuitis. Hæc eſt imago fortunæ eccleſiæ Dei & impiorum in hoc mundo. Illa miſerrime affligitur, hi magna tranquillitate uitam ſuam tranſigunt. In hiſtoria Paſsionis Chriſti, filius Dei flagellatur, conſpuitur, illuditur, potatur aceto, crucifigitur, hoſtes autem eius rident, ſuauiter conuiuantur, exultant, triumphant. Eſt & hæc imago, qua nobis proponitur ſors eccleſiæ Dei & hoſtium eius in hoc ſeculo. Illa æſtimatur uelut ouis deſtinata mactationi. Hi ut leones, domi nantur, rugiunt & rapiunt impune, quod libet. Ac hreuiter, firmum & fixum eſt, quod Chriſtus dixit: In mundo afflictionem habetis. Et Paulus: Omnes, qui piè uolunt uiuere in Chriſto, perſecutionem patientur, idque non ſimpliciter, ſed ſicut bos ſylueſtris (inquit) reti captus, quem omnes cupiunt trucidatum. Hæc nobis diligenter conſideranda ſunt, ut cum aduerſa aduenerint, non offendamur, ſed ut nos ad ſuffe renda ea obedienter, in tempore præparemus. Quomodo autem nos præparare debeamus, docent ea, quæ ſequuntur.

Porrò, fecimus hactenus mentionem externæ tantum tyrannidis & immanitatis, qua impij ſolent in eccleſiam Domini graſſari. Sed tyrannis longe omnium maxima eſt, qua Satan per peccatum, mortem & flammas inferni in eccleſiam ſæuit. Hæc tyrannis, etiamſi omnia alia extrinſecus tranquilla ſunt, tamen non ceſſat uim ſuam exercere, & ſpectaculum iſtud exhibere, quod hîc recenſetur, uidelicet, quòd filij Hieruſalem proijciantur & iaceant in compitis omnium platearum, ſicut bos ſylueſtris reti captus, pleni indignatione & increpatione Domini.

Miſerrimum

Miserrimum enim spectaculum est, uidere tot insignes homines morte abripi, quasi non essent Deo curæ. Sed bene habet. Filius Dei affirmat se hunc calicem ab ecclesia abstulisse, ut etsi pij moriuntur, tamen non pereunt in morte. De qua re postea.

Deinde, cum dicit: Bibisti de MANV Domini, significat afflictiones accidere ecclesiæ, non temere, nec ignorante Deo, sed Deo non sciente tantum, uerumetiam administrante. De MANV (inquit) Domini bibis calicem. Existimas fortasis Nabuchodonosorem, aut Antiochum, aut Herodem, aut Neronem, aut Diocletianum pro sua libidine, & potestate, absq; cognitione & uoluntate Dei in te grassari, Existimas etiam mortem & inferni horrores accidere tibi dormitante Deo, sed longissimè erras. Manus Domini est, quę te affligit. Nec posset quisquam illorum, aut aliorum tyrannorum, uel pilum capitis tibi mouere, nisi antè accepisset à Deo potestatem. Nonne duo passeres, inquit Christus, asse ueneunt, & unus ex eis non cadit super terram sine Patre uestro? Et Hieremias. Quis est iste (inquit) qui dicit hæc fieri Domino non iubente? Ex ore altissimi nec bona nec mala egrediuntur? Quod & ipsum diligenter nobis considerandum est, ut cognito uero afflictionum autore, excitemur ad petendam ab eo liberationem.

Sed quod sequitur, posset nos à tali petitione deterrere. Dicit enim hunc calicem esse Furoris, non Fauoris Domini. Et filios proiectos, plenos esse Indignatione & increpatione, non Clementia & misericordia Domini. Quomodo ergo sperabimus auxilium, & liberationem istius, qui non simplici ira, sed furore suo nos affligit? Hic certe nonnihil dicitur. Quis enim à furibundo auxilium peteret? Sed in furore Domini, quo in ecclesiam suam inuehitur, considerandum est institutum & finis eius. Deus enim non furit humano more, ut perdat, sed diuino more, ui delicet ut seruet. Dei enim natura, Dei ingenium est, non perdere, sed seruare. Viuo ego, dicit Dominus Deus, Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua & uiuat. Non est obscurum, quòd Deus furore suo, non in Gentes tantum, uerumetiam in Iudæos populum suum, propter impietatem sic aliquoties sæuierit, ut spectatores omnes obstupescerent. In Babylonica urbis Hierusalem uastatione, iacuerunt in terra foris, ut Hieremias ait, puer & senex, uirgines meæ & iuuenes mei ceciderunt in gladio. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum. Quid posset horribilius cogitari? Quid est mors, si hæc non est? Et tamen Deus, cuius seueritate, aut ut scriptura loquitur, furore hæc peracta sunt, non simpliciter affirmat, sed iurat etiam, se in hac morte non uelle, non instituere perditionem, sed salutem, Viuo ego, inquit, non uolo mortem impij, sed magis ut conuertatur & uiuat. Et pie dicit Tobias. Non delectaris in perditionibus nostris. Et Paulus: Deus (inquit) uult CVNCTOS homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. DEVS enim natura sua summum est bonum, summa est salus. Quomodo igitur posset uelle malum, & perditionem? Quid ergo est, quòd minatur impijs perditionem? Quid est, quòd in hoc Esaiæ loco dicit se accepturum calicem furoris sui è manu ecclesiæ, & traditurum impijs? Quid est, quòd tot homines à furore Domini pereant? Hoc certe non fit uitio furoris aut in-

Ezech. 33.

Tobiæ 2.

crepationis Domini,sed uitio impietatis eorum,qui non uolunt intelligere consilium Domini in furore eius.Furit enim supplicijs, quemadmodum antè expoſuimus,non hoc consilio,ut perdat homines, ſed ut conuertantur & uiuant.Illi autem non uolunt intelligere hoc consilium Domini,ſed pergunt in ſupplicijs impietatem impietate cumulare, Pereunt igitur ſuo ipſorum uitio, nec poſſunt ullam culpam in Dominum Deum noſtrum transferre.Docemur autem in hac Eſaiæ concione perſpicuè,quòd Deus in propinando calice furoris ſui non meditetur internecionem ſed liberationem. Bibiſti, inquit,de manu Domini calicem furoris eius.Sed additur:Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis,& fecem calicis furoris mei,ut ultra non bibas eum. Sic & in Threnis Hieremiæ capite tertio: Non repellit in ſempiternum Dominus. Quia ſi abijcit,miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.Non enim affligit,neq; dolore afficit filios hominum ex corde. Dominus non nouit conterere ſub pedes ſuos omnes uinctos terræ, declinare iudicium uiri in conſpectu Altiſsimi, & per calumniam opprimere hominem in cauſa ſua &c.Et Oſeæ capite undecimo.Quomodo dabo te Ephraim? quomodo tradam te ô Iſrael? Quomodo dabo te ſicut Adamam? ponam te ſicut Seboim? Conuerſum eſt in me cor meum,ſimulq; accenſæ ſunt intra me pœnitudines meæ. Non faciam furorem iræ meæ.Non conuertar ut diſperdam Ephraim, quoniam Deus ego & non homo. Hoc inſtitutum,hoc conſilium Dei in furore ſuo indurati impij aut ignorant aut contemnunt. Quare iure ſuo pereunt in furore Domini.Noſtrum autem eſt,ut hoc conſilium Domini diligenter cognoſcamus.Sic enim fiet,ut etſi grauiſsimè affligimur,audeamus tamen accedere inuocatione noſtra ad thronum gratiæ,& uitam in media morte,ac ſalutem in media perditione ſperare.

Cæterum,quòd dicit,Hieruſalem non ultra bibituram calicem furoris Domini,non ſignificat eccleſiam,poſt aduentum Chriſti in carnem, nullas amplius habituram perſecutiones:Quanta enim crudelitate tyranni graſſati ſint in eccleſiam,poſt diuulgationem euangelij in orbem terræ,& quanta aduerſa adhuc ſuſtineat uera Domini eccleſia, notius eſt, quàm ut hoc loco pluribus commemorari debeat:Sed ſignificat, quòd uera eccleſia,quæ per Euangelion Apoſtolicum ex omnibus gentibus colligitur,non ſit amplius à Deo abijcienda.Elegit quondam Deus poſteritatem Abrahæ,ut ea eſſet eccleſia populi ſui. Sed quia hi tradiderunt ſe totos impietati,& abiecerunt filium Dei, Abrahæ promiſſum,idcirco furor Domini ita in eos effuſus eſt,ut non ſint amplius populus Dei.Nunc autem,uulgato euangelio in orbem terræ, congregat filius Dei eccleſiam ſuam ex omnibus Gentibus, & quam congregat, eam etiam conſeruat ac tuetur perpetuo.Etſi enim multæ Gentes,quæ prius agnouerunt Euangelion Chriſti,deficiunt,alij ad Turciſmum,alij ad alias impietates,tamen qui ſunt uerè Chriſti, conſeruantur etiam à Chriſto,ne pereant.Oues meæ,inquit,uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas,& ſequuntur me,& ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum,neq; rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi,maior omnibus eſt.Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.Ego et Pater unus ſumus.Hoc plane illud eſt,quod hic in Eſaia

dicitur:

dicitur: Non adijcies, ut bibas illum ultra. Deinde hæc uerba etiam huc respiciunt, quòd etsi filius Dei conniuet, ut affligatur ecclesia sua in hoc seculo, tamen non conniuet, ut in afflictione pereat, sed dat euentum ut ferre queat, & tandem sic liberat eam, ut collocet eam in regno cœlesti, & perpetua beatitudine. Non rogo (inquit) ut tollas eos è mundo, sed ut serues eos à malo. Hæc precatio Christi ita efficax est, ut uera eius ecclesia nunquàm amplius bibat calicem furoris Domini, nunquam abijciatur, sicut quondam populus Israeliticus abiectus est, sed ut seruetur in omnibus aduersis, ad accipienda cœlestia & perpetua bona. Vnde & Paulus ait: Mihi persuasum habeo, q̃ neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus &c. neq; ulla alia creatura poterit nos separare à dilectione, qua Deus nos cõplectitur, in Christo Iesu Domino nostro.

Postremo, nec hoc negligenter prætereundum est, quod dicit: Non est qui sustentet eam ex omnibus filijs quos genuit, & non est, qui apprehendat manũ eius &c. Et mox: Quis contristabitur super te? Quis consolabitur te? His enim uerbis manifeste significat, se hic concionari, non de externa aliqua liberatione è mundanis captiuitatibus, sed de uera & perpetua liberatione à peccatis, à morte & inferno. In captiuitatibus enim externis habuerunt Israelitæ suos liberatores, suos duces, & consolatores. In exilio Babylonico fuerunt Zorobabel, Nehemias, Esdras, & alij duces liberationis. Fuerunt & Prophetæ consolatores Ezechiel, Daniel, & postea, Aggæus & Zacharias. In incursione & tyranni de Antiochi, fuerunt Machabæi, & alij, qui cohortati sunt ad constantiam & consolati populum Israel. Sed in tyrannide peccati, mortis & inferni, nullus unquam, etiam ex præcipuis filijs Hierusalem fuit, qui potuerit ipsam sustentare & seruare, præter unigenitum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum. Fuerunt quidem Patriarchæ, magni heroes, fuerunt & Prophetæ suauissimi concionatores, & potuerunt tam illi quàm hi præclara de futura liberatione docere: sed nullus eorum potuit sua persona peccatum expiare, & mortem ac Satanam uincere, ut ecclesia ueram haberet consolationem & liberationem. Solus filius Dei, qui hæc concionatur, ea est maiestate, ut liberet populum suum à peccatis, à morte, à tyrannide Satanæ, & ab inferno. Quare solus hic uerè dicere potest: Ego tuli de manu tua calicem soporis, & fecem calicis furoris mei. Non adijcies ut bibas illum ultra. Quam ob causam? Quia solus filius Dei expiauit peccata, & uicit Satanam ac mortem. Quicunque igitur credunt in filium Dei, etiamsi affliguntur in hoc seculo, tamen non bibunt amplius fecem calicis furoris Domini, sed si quid reliqui est furoris, effundetur in gentes illas, quæ Christum nec nôrunt, nec nosse cupiunt.

CAP. LII.

CONSVRGE, CONSVRGE, INDVERE FORTITVDINE TVA ZION &c.

Siue hæc sit alia concio, siue pars prioris, quæ capite 51. præcessit, certe eodem constat argumento. Filius enim Dei consolatur affli-

ctam suam ecclesiam,& cohortatur eam ad recipiendum animum, & ad concipiendam lætitiam,quod aduenerit uera & æterna redemptio, quæ & diuulgetur prædicatione euangelij in totum orbem terræ,inter omnes Gentes. Quanta autem obseruantia concio huius capitis excipienda sit,hinc colligi potest,quod & Propheta Nahum nonnulla in hoc capite scripta,ijsdem uerbis concionetur, & Apostolus Paulus his testimonio huius concionis,quamuis admodum breuis, utatur, ac testificetur etiam eam de redemptione per Christum facta,& diuulgatione Euangelij Christi intelligendam esse. Quare, cum tanta spiritus sancti autoritate commendetur nobis, non est oscitanter inspicienda. Alloquitur autem Zionem & Hierusalem, hoc est, Ecclesiam, quæ prædicatione Euangelij in Zione seu Hierusalem reuelata colligitur. Vnde & uocat Hierusalem,ciuitatem sanctam.Exurge,inquiens,exurge, Induere fortitudine tua, hoc est, resume animum, sis forti animo. Nec hoc solum,sed induere etiam uestimentis gloriæ tuæ, abijce saccum,& uestes lugubres, ac recipe uestes glorioſas seu decoras,ut diem festum agas.Hæc plausibiliter quidem dicuntur, sed cui afflicto excuterent tristiciam, & excitarent ad læticiam, si non adderetur causa,ex qua reciperetur fortis animus, & conciperetur gaudium? Sequitur ergo. Quia non adijciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.Hæc causa dignissima est, propter quam Hierusalem debeat animum recipere,& gaudio perfundi. Hactenus enim urbs Hierusalem dicta quidem est ciuitas sancta,propter templum sanctum,in quo DOMINVS promiserat se habitaturum:sed hæc sancta ciuitas uarijs modis prophanata fuit. Nam si loquendum est de Pontificibus & Sacerdotibus,ministris templi, multi fuerunt impijssimi Pontifices & sceleratissimi Sacerdotes, qui etsi fuerunt circumcisi carne,non tamen fuerunt circumcisi corde.Itaque pertransierunt urbem sanctam Hierusalem incircumcisi & immundi, qui & impietate sua urbem sanctam polluerunt,& prophanarunt. Si autem loquendum est de Regibus & Principibus, magna pars eorum non tantum delectati sunt impietate,uerumetiam defenderunt eam,interfectis pijs Prophetis & Sacerdotibus,ut interea nihil dicam de alijs horribilibus sceleribus,quibus urbem sanctam contaminauerunt. Quid dicemus de externis Regibus, de Nabuchodonosore, de Antiocho, deq; alijs, qui non tantum corde,sed etiam carne incircuncisi & immundi peram bulauerunt urbem sanctam Hierusalem,prophanârunt templum,imo etiam destruxerunt,ac deuastarunt. Hæc scire,hæc corâm oculis cernere,maxima fuit abominatio in cordibus piorum. Si uero loquendum est de Vulgo,quas non uides ibi prophanationes,& contaminationes? Vulgus enim Israeliticum, etsi fuit carne circuncisum,& aliquoties corpore mundum, tamen sceleribus ita contaminatum erat, ut etiam Gentes sordibus suis superarent. Sed præter hoc uulgus,fuerunt & Gentes incircuncisæ, quæ ingressæ urbem Hierusalem, seu commercij gratia,seu incursione hostili contaminauerunt eam. Breuiter, nunquam tam bene cum urbe Hierusalem actum est, quòd omnes ciues & incolæ eius fuerint uere iusti & mundi, imo quod admirabilius uidetur,urbs Hierusalem nunquam tam fœlix fuit,ante aduentum

Nahum cap. 1.

tum Christi, ut uel unus saltem in ea repertus esset, qui uel natura sua uere esset iustus & sanctus, uel operibus iusticiæ suæ perfecte impleret sanctam Dei legem. Non enim iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Et, Omnis homo mendax. Et: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quid hac re abominabilius? quid horribilius? In ea uidelicet urbe, quæ est metropolis populi Dei, quæ est præ omnibus totius terræ urbibus ad sedem Dei electa, in qua est templum & propiciatorium Dei, non reperiri uel unum tantum uere sanctum, hoc est, uere circunciſum & mundum. An, qui hæc diligenter cum animo suo reputat, non afficeretur summa tristicia, & non indueret uestes lugubres? Sed nunc uenit tempus, quo omnes lugubres uestes sunt abijciendæ, & ex animo lætandum. Postquam enim uenit Christus, & expiauit peccatum, ac diuulgat Euangelion suum in uniuersum orbem, non adijcit ultra ut pertranseat per Hierusalem incircunciſus & immundus, nunquam amplius fiet, ut in uera ecclesia sint homines sordidi & prophani, sed omnes erunt iusti & sancti. Quotquot enim agnoscunt Euangelion Christi, & credunt in Christum (nam hi soli sunt uera ecclesia) non solum accipiunt remissionem peccatorum, uerumetiam donantur iusticia & sanctitate Christi, ut propter eam, etiam ipsi reputentur coram Deo iusti & sancti. Sic & Esaias postea cap. 60. dicit: Populus tuus omnes iusti. Insigne præconium ecclesiæ Christi, quod omnes in ea sint iusti & sancti: sed hoc recte est intelligendum. Primum enim, non sic intelligendum est, perinde ac si ueteres Patriarchæ & pij ante aduentum Christi non fuissent ex fide in Christum iusti. Etsi enim Christus nondum carne aduenerat, tamen quotquot in uenturum credebant, reputabantur coram Deo iusti per fidem, quemadmodum iam sæpenumero ostendimus: sed intelligendum est, quòd temporibus Patriarcharum, ut nec euangelion, ita nec iusticia fidei sic diuulgata fuerint, quemadmodum post missum de cœlo spiritum sanctum in die Pentecostes. Vnde & Paulus aliàs ait: Nunc propius est nobis salus, quàm tum cùm credebamus. Deinde, cum dicitur, in ecclesia omnes homines esse circunciſos et mundos, hoc est, Iustos & sanctos, intelligendum est, non de hypocritis, & ijs, qui nomine tantum sunt Christiani, sed de ijs, qui uerè in Christum credunt. Non est omnium fides, inquit Paulus. Sed quorum est fides, hi etiam uere reputantur coram Deo iusti. Et iterum. Complures, inquit, ambulant, inimici crucis CHRISTI, quorum finis est perditio, quorum DEVS uenter est, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nostrum autem πολίτευμα est in cœlis. Postremo, quod omnes in ecclesia sint iusti, non hinc adeo uenit, quòd pij aut sint natura iusti, aut impleant suis operibus legem DEI perfecte, & nullas habeant prorsum sordes in carne sua, sed quòd cum credunt in Christum, reputentur iusti propter Christum, & habeant condonationem earum sordium, quæ adhuc post regenerationem in carne reliquæ sunt. Vos mundi estis, inquit Christus, propter sermonem, quem locutus sum uobis. Et Paulus: Nulla, inquit, est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui nō secundū carnē uersant, sed iuxta spiritū &c. Quare cùm Christus tantum beneficiū cōferat ecclesiæ suæ, ut non so-

lum donet eam sua iustícia, propter quam reputetur & ipsa iusta cõram Deo, uerumetiam iubeat hoc beneficium ínter omnes Gentes uulgare, ut quotquot agnoscunt Christum per fidem, iustificentur etiam propter Christum, recte dicitur hoc loco, quòd ab aduentu Christi nullus amplius incircumcisus aut immundus perambulet urbem Hierusalem, quia omnes siue Iudæi siue Gentes, siue carne circumcisi, siue incircumcisi, qui credunt in Christum, reputantur & propter Christum circumcisi & mundi.

Sed pergit filius Dei ecclesiam suam ad concipiendam ueram animi lætitiam excitare, & consolari. Excutere, inquiens, de puluere. Iaces abiecta in puluerĩbus. Iaces diruta & uastata. Abducunt te hostes captiuam, uinculis in collum iniectis. Sed nunc tempus est, ut erigas te è puluere, & excutias catenam è collo tuo, ac recipias iterum libertatem & pristinam sedem seu thronum tuum regium. Sic enim dicit Dominus: Gratis estis uenundati. Ideoq; absq; argento redimemini. Hæc ut recte intelligamus, considerandum est, quòd fiat hîc sermo non de temporaria & corporali, sed de uera spirituali cœlesti & æterna redemptione, per Iesum Christum Dominum nostrum, quemadmodum supra indicauimus. Quare nec fit hîc mentio de temporaria & corporali, sed de spirituali & æterna seruitute & captiuitate, quæ nobis propter peccatum cõtigit. Grauissima quidẽ fuit seruitus Aegyptiaca. Horribilis fuit captiuitas Babylonica. Immanis fuit tyrannis Antiochi, sed hæ afflictiones, ut non potuerunt esse perpetuæ, ita potuerunt tantum in corpus & corporalia bona sæuire. At uero, quòd uenditi sumus sub peccatum, & traditi propter peccatum in potestatem Satanæ, hæc demum ea est seruitus & captiuitas, qua non solum abducimur è bonis corporalibus & terrenis, sed priuamur omnibus cœlestibus bonis, & conijcimur in perpetuos æterni ignis carceres. Quid hac seruitute grauius? quid hac captiuitate horribilius? Sed bene adhuc habet. Filius Dei iubet nos huius captiuitatis catenã abijcere, & in libertatẽ uindicare. Quomodo aũt id facere possumus? Possumus certe, si modo, quod addit firma fide acceperimus. Dicit enim: Gratis uenundati estis, & sine argẽto redimimini. Sicut gratis estis uenditi, ita gratis liberamini. Quid ergo uult sibi istud Gratis? Diximus antea, quòd sicut non fit hîc sermo de externa redemptione, ita nec fit sermo de externa seruitute & captiuitate. Quod igitur dicit: Nos Gratis uenundatos esse, idem plane cum eo, quod Paulus ad Romanos capite quinto scribit. Propter unum (inquit) hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum, mors. Et sic mors peruasit in omnes homines, quatenus omnes peccauimus. Ac mox: Regnauit mors ab Adam usque ad Mosen, in eos quoque qui non peccauerant ad similitudinem transgressionis Adam. Et iterum. Per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. & postea capite septimo. Ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Dicit & Dauid: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ex his locis scripturæ facile intelligi potest, quid sibi uelit filius Dei, quod dicit nos gratis uenundatos esse. Adam enim, primus parẽs noster accepit à Dño mandatũ, ne uesceretẽ fructu arboris scientię boni et mali: sed cùm hoc mandatum uiolaret, cõiecit in seruitutẽ peccati,

peccati, & in captiuitatem mortis ac inferni, non se tantum, uerum etiam omnem suam posteritatem. Itaq; nos omnes posteri Adami, dicimur GRATIS sub peccatum, mortem & infernum uenditi, primum, quòd Adam, qui nobis huius peccati autor est, peccauit aduersus Deum, nulla coactione, nullo precio, sed gratis, libere, sine ulla legitima causa. Deinde, etsi peccatum Adę, fit propagatione, etiam nostrum proprium, tamen dicimur Gratis uenundati, sub peccatũ & mortem, quòd cùm non peccauerimus, ut Paulus ait, ad similitudinem transgressionis Adam, nihilominus tamen obnoxij sumus morti & inferno. Quid ergo ad hæc dicemus? Nihil certe dicamus aut conqueramur, sed audiamus quid nobis filius Dei dicat, & agamus ei gratias. Gratis, inquit, uenundati estis, Gratis etiam redimimini, Gratis liberamini. Venditi estis per Adamum sub peccatum, mortem & infernum, gratis, sine ullo uestro precio, seu merito, quanquàm & uestrum fiat peccatum propagatione: ita etiam Ego redimo uos à peccato, morte & inferno Gratis sine ulla uestra pecunia, sine ullo uestro merito, sed mea solius obedientia & iusticia, quanquàm & hæc uestra fiat Imputatione per fidem. Sic & Paulus hunc locum exposuit, cum Roma. 5. ait. Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ. Quemadmodum enim per inobedientiã unius hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per Obedientiam unius, iusti constituentur multi. Et aliâs. Iustificantur, GRATIS, per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu &c. Ac iterum: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Hic enim expiauit peccatum, uicit mortem, & euasit è tenebris inferni, ut quotquot in ipsum credunt, reputentur iusti, & seruentur in morte ad æternam uitam, idq; nullo eorum merito, Sed GRATIS per fidem propter Christum. Cum igitur filius Dei confert tanta beneficia in ecclesiam suam, recte admonetur ecclesia, ut excutiat catenam captiuitatis de collo suo, & uindicet se in ueram & cœlestem libertatem.

QVIA HAEC DICIT DOMINVS DEVS, IN AEGYPTVM DESCENDIT POPVLVS MEVS &c.

Dixit antea Hierusalem esse captiuam, & gestare uincula in collo. Confert igitur nunc seruitutem Aegyptiacam, & captiuitatem Assyriacam, cum hac spirituali captiuitate, ut commendet magnitudinem beneficij liberationis suæ, & doceat hac occasione, quales ministros & concionatores, daturus sit ecclesiæ, pro impostoribus istis & uanis Pharisæis ac Sadducæis. Descendit, inquit, populus meus olim in Aegyptum, ut esset ibi hospes. Sed hac profectione coniectus est in grauem seruitutem. Deinde abductus est ab Assyrijs in captiuitatem. Nam antequàm hæc concio filij Dei per Esaiam habita est, duplex acciderat publica calamitas populo Israelitico. Altera, seruitus Aegyptiaca, Quæ certe fuit grauissima. Seniores opprimebantur tributis, & operibus. Infantes proijciebantur in fluuium. Altera est captiuitas Assyriaca, de qua scriptũ est 4. Reg. 17. In hac nõ solũ uastatũ est regnũ Samariæ, uerum etiã captiui crudelissimè sunt tractati. Vnde ait: Assur absq; ulla causa

calumniatus est eum. Etsi enim Israelitę meriti erant sua impietate hanc captiuitatem, & regni uastationem, tamen Assyrij non habebant satis legitimam causam, cur in eos, qui iam ablatione regni sui puniti, & in captiuitatem abducti erant, immaniter grassarentur. Sed has seruitutes, & calamitates longe superat ea, qua Israel tęporibus Christi & Apostolorũ oppressus fuit. Et nũc (inquit) quid mihi est hic? Meus populus grauiter quidẽ antea ab Aegyptijs & Assyrijs afflictus est, grauiter etiã post affligetur à Babylonijs, Sed uide, quid mihi nunc hoc tempore in populo meo acciderit. Ablatus est populus meus gratis: dominatores eius iniquè agunt, & nomen meum blasphematur iugiter tota die. Hæc est descriptio eius captiuitatis, in quam abduxerunt populum Israel Scribæ & Pharisæi impijs suis traditionibus, quæ & multo grauior ac perniciosior fuit, quàm illæ duæ priores. Postquàm enim Israelitæ à reditu è Babylone & instauratione urbis Hierusalem degenerarent in mores Gentium, susceperunt Scribæ & Pharisæi, qui hîc dominatores uocantur, populum docendum, & in uita religione continendum. Quod institutum, ut per se pium uidetur, ita illi impiè sunt executi. Non enim docuerunt uerè pia de lege Domini, & de promissione Messiæ. Sed commenti sunt nouas traditiones, prætextu quidem diuinæ legis, sed quæ reuera diuinam legem aut abrogabant aut obscurabant. His traditionibus intulerunt ecclesiæ populi Dei longe horribilius exitium, & abduxerunt populum Dei in grauiorem captiuitatem, quàm cùm abducti sunt antea in Aegyptum, aut Assyriam, aut Babylonem. Nam his captiuitatibus spoliati tantum sunt bonis corporalibus & terrenis. In illa autem spoliati sunt bonis cœlestibus & æternis. In his excitati sunt ad agnitionem peccatorum suorum, ut conuerterentur ad Dominum, & consequerentur salutem. In illa autem seducti uana opinione propriæ iusticiæ, non agnouerunt uerè peccata sua, nec ueram peccatorum ueniam consequebantur. In his manebant adhuc populus & ecclesia Dei. In illa autem sic abiecti sunt, ut non amplius sint populus Dei, ideoque traditi in æternam damnationem. Quid tali captiuitate potest grauius aut dici aut cogitari? Quanto tolerabilius fuit corpore sub Aegyptijs, aut Assyrijs, quàm animo sub Scribis & Pharisæis captiuum esse? Consideremus igitur diligenter, quæ filius Dei hoc loco de Pharisæis & traditionibus eorum concionetur, ut cognoscamus, quanta ecclesiæ pernicies hæreat in humanis traditionibus, & excitemur ad sectandam ueram lucem Euangelij DOMINI nostri IESV CHRISTI. Primum enim dicit: Populus meus ablatus est gratis. Significat autem populum Pharisaicis doctrinis & traditionibus abduci, imo auferri, in captiuitatem longe omnium calamitosissimam. Nam ea dicitur Pharisaica doctrina, quæ prætextu diuinæ legis, instituit nouos cultus Dei, & docet eos DEO ita gratos esse, ut propter ipsos faueat cultori, remittat ei peccata, & benefaciat ei in hoc & futuro seculo. Talis autem doctrina abducit a sectas suos in perpetuum exitium. Efficit enim, ut nec peccata uerè agnoscantur, nec uerum officium Christi requiratur, nec uera præcepta & sacra Dei obseruentur. Vt non & hoc addã, quòd Pontifices, Scribæ & Pharisæi excitarunt populum suum ad abijciendum

dum & damnandum Dominum nostrum Iesum Christum, quo hanc suam doctrinam tuerentur, & populum in obedientia suarum traditionum continerent. Ex quo factum est, quòd gens Iudaica non tantum sit à Romanis oppressa, uerumetiam à Deo abiecta, ne sit amplius populus Dei. Quid igitur potest Pharisaica doctrina pernicioſius esse? Talem sentiamus etiam esse doctrinam Pontificiam, Monasticam & Scholasticam, de meritis bonorum operum, de sacris humana tantum autoritate institutis, de sacrificijs Missarum, de Purgatorio, de peregrinationibus, de Indulgentijs, denique de infinitis alijs traditionibus. Sed quid est, quod hîc dicit, populum suum ablatum esse GRATIS, hoc est, sine iusta causa, & sine populi merito? An non Ezechiel dicit: Iuxta iniquitatem interrogantis, erit & iniquitas Prophetæ? Et Paulus: Pro eo, inquit, quòd non dilexerunt ueritatem, ut salui fierent, mittit illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio. Itaque uulgus Iudæorum meretur sua impietate, ut Pharisaica doctrina seducantur. Quid ergo dicitur Gratis esse abductus? Hoc uocabulo non respicit concionator, ad uulgi merita coram Deo. In huius enim iudicio non iniustè puniti sunt Iudæi falsa doctrina. Sed respicit ad officium Scribarum & Pharisæorum. Nam cùm Iudæi natura essent peccatores, & haberent Legem, ac promissiones de Messia, debuissent Pontifices, Scribæ & Pharisæi, iuxta uocationem ipsorum, auditores suos, exposita lege, in agnitionem peccatorum ducere, & promissiones de Christo explicare, ut agnitis peccatis, consequerentur peccatorum remissionem per fidem in Christum, & declararent sese obedientia sua erga Deum benefactorem gratos. In hunc enim usum institutum fuit sacerdotium Leuiticum, & officium docendi. In hunc usum conferebantur Sacerdotibus, Leuitis, & doctoribus, partes sacrificiorum, Decimæ, primiciæ, & alia stipendia. Sed hi abiecta uera Legis, & promissionum de Christo interpretatione, instituebant nouos Dei cultus, & docebant Deum horum obseruatione honorari, & peccata meritis eorum expiari. Quod cum fecerint contra suum officium & uocationem, dicuntur populum Dei, nihil tale ab ipsis meritum, Gratis, sine ulla legitima causa seduxisse, & in perpetuam captiuitatem abduxisse. Quid ergo? Num populus est excusatus, & euadit tandem captiuitatem? Euadit quidem captiuitatem, si per Euangelion ad Christum conuertatur, sed si perseuerauerit in Pharisaica doctrina, nullam habet nec excusationem nec euasionem. Si dicente me, inquit Dominus, ad impium morte morieris, non adnunciaueris ei, nec locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, & sanguinem eius requiram de manu tua. Et Christus: Si cæcus, inquit, cæco dux fuerit, ambo cadunt in foueam. Quare priuatorum hominum non est, ut reijciant omnem curã doctrinæ in sacrificulos, ut nunc loqui solent, sed necesse habent etiã ipsi, pro sua uocatione, de doctrina iudicare, quo & Pseudoprophetas, sicut Christus monet, caueãt, & doctrinã uerè piã sectẽtur. Deinde dicit: Dominatores eius iniquè agunt. Pro (iniquè agũt) Hebræus habet Vlulant, seu Vlulare faciũt. Per dominatores aũt intelligendi sunt Põtifices, Sacerdotes, Scribę & Pharisęi, q tenebãt primas in religione Iudæorũ, & penes quos erat oĩs autoritas administrãdi sacra;

Hi, inquit, ululant. Doctrina eorum non est eruditio ueræ pietatis, sed est ululatus infaustarum auium, quales sunt Noctuæ, Nycticoraces, & Bubones. Scribæ & Pharisæi, cùm suscipiunt docendum populum, nihil docent, hoc est, nec pia nec erudita dicunt, sed tantum garriunt quædam incondita & insipida, quæ nec salsa sunt, nec uncta. Cum populus expectat uel uiam, qua perueniant ad ueram peccatorũ remissionem, uel consolationem in aduersis, uel exhortationem ad ueram uitæ honestatem, nugantur isti quædam de non occidendis culicibus in Sabbato, de decimatione anethi & mentæ, de prospectu asini. Et in talibus nugis diu ac multum inculcandis, repetendis, iterandis, uidentur sibi non docti tantum, uerumetiam acuti & eloquentes. Sed filius Dei ornat doctrinam & cõciones eorum epitheto aptissimo. Vocat eas Vlulatum, quòd uox eorum nihil nec humanæ nec diuinæ eruditionis contineat. Nec hoc ipsum dissimulat filius Dei, cùm iam uenisset in carne. Vide cõcionem Christi, quam habuit apud Matthæum cap. 23. Væ, inquit, uobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, uos enim non intratis, nec aduenientes sinitis intrare &c. Testatur & Euangelista maximum fuisse discrimen inter doctrinam Christi et Scribarum. Obstupuerunt, inquit, turbæ super doctrina illius. Docebat enim eos, uelut habens autoritatem, & non SICVTI SCRIBAE. Hi enim magis erant ἀγορανόμοι, quàm concionatores. Quid autem pluribus opus? Si uolueris cognoscere, quales doctores & concionatores, aut potius Vlulatores fuerint Scribæ & Pharisæi apud Iudæos, propone tibi Sophistas Scholasticos, qui hactenus functi sunt munere docendæ ecclesiæ in regno Pontificio. Quid enim hi aliud in concionibus suis tractârunt, quàm frigidissimas quasq; quæstiones, de rebus nec cœlum nec terram attingentibus? De Purgatorio, de Indulgentijs, de casibus reseruatis, de modo confitendi. Quis dicatur proprius sacerdos, De sacrificijs Missarum, deq; infinitis alijs nugis. Quid, quod in talibus ineptijs inculcandis non unam tantum horam, sed aliquoties sex aut septem continuas horas, præsertim in recitanda historia Passionis Christi contriuerunt? Venit hîc mihi in mentem eius Sermonis, quem Reuerendus Pater, Sanctæ memoriæ, D. Martinus Lutherus, ad instaurandam piam doctrinam, & repurgandam ecclesiam à Papistícis sordibus, diuinitus excitatus, præceptor noster obseruandissimus, aliquando in familiari colloquio, inter amicos dixit, Tres esse conditiones, seu officia boni concionatoris, uidelicet, Vt ascendat in suggestum. Vt aliquid dicat. Et, ut iterum è suggestu descendat. Hoc uidetur quidem pueriliter & ridicule dictum, sed profecto, si recte intelligas, grauiter & sapienter dictum est. Prima concionatoris conditio est, Vt ascendat suggestum, hoc est, ut suo officio fungatur, ut suæ uocationi seruiat. Episcopi, qui his temporibus rerum ecclesiasticarum potiuntur, non seruiunt suæ uocationi, quia nec ipsi concionantur ecclesiæ euangelion Christi, quæ præcipua eorum uocatio est, nec magnæ curæ eis est, ut alij recte concionentur. Quare carent prima hac conditione boni concionatoris. Non enim ascendunt suggestum. Secunda est, Vt aliquid dicant: Doctores enim Sophistæ, & Monachi ascendunt quidem suggestum, nihil autem dicunt, sed tantum garriunt & nugantur quædam, uulgo minimè;

minime, sæpenumero ne ipsis quidem, intellecta. Concio eorum non est Dictio, qua erudiatur ecclesia de rebus ad pietatem utilibus aut necessarijs, Sed est inepta & incondita quædam uerborum farrago, qua tempus teritur, & auditores magis ab amore diuinarum rerum deterrentur, quam inuitantur. Quare qui uoluerit huic conditioni satisfacere, ei curandū est, ut aliquid DICAT, hoc est, ut ecclesiam diligenter & erudite doceat de rebus ad ueram salutem pertinentibus. Tertia est, Vt iterum e suggestu descendat. Sunt enim qui etsi ascendunt suggestum, & docent utilia, tamen extrahūt tempus in aliquot horas. Non sumunt sibi unam tantum horam ad docendum, sed detinent auditores duas aut tres continuas horas. Hi etiāsi recta & pia doceant, tamen efficiunt sua mora, ut auditores præ fastidio eorum, quæ postremo dicuntur, non meminerint priorum, ideoq; illi inutiliter laborēt, quod cum semel ascenderint in suggestum, nō iterum suo opportuno tempore descendant, sed diutius, quam par sit, in eo commorentur. Hoc dictum præceptoris nostri recitare uolui, ut etiā ex ipso admoneamur, quam turpe sit, si quis suscipiat docendam ecclesiam, & tamēnæ dicendo, faciat, ut nihil dicat, sed tantum garriat, nugetur, & ut Propheta ait, ululet. At enim Scribæ & Pharisæi dum tantum humanas traditiones docent, non solum ipsi ululant, sed faciunt etiam auditores suos ululare. Nam humanæ traditiones non docent ueros cultus Dei, non ostendunt ueram remissionem peccatorum, non afferunt ueram consolationem in aduersis, nec possunt conscientiam iudicio peccatorum territam lætificare. Quare dimittunt auditores suos à se nō tristes tantum, uerumetiam ingemiscentes, eiulantes, & ululantes, quod cum semper discant, & quærant conscientiæ tranquillitatem, nunquam tamen ad scientiā ueritatis peruenire, & cœlestem lætitiam consequi queant. Postremo dicit: Iugiter nomen meum tota die blasphematur. uel, Male audit nomen meum omni tempore. Vide, quæso te, quantum mali sit in doctrina Pharisaica, & in traditionibus humanis. Nam doctores & tutores earum existimant se his sacris & cultibus nomen Domini maxime omnium honorare & uenerari, Sed Dominus affirmat hoc loco nomen suum his blasphemari, ac male audire. Hoc igitur paulo copiosius explicandum erit. Initio enim Pharisæi, & horum sectj, Sophistæ ac Monachi, fingunt Deum tantum esse sæuum iudicem, tortorem, ac carnificem. Faciunt quidem aliquoties mentionem Misericordiæ & clementiæ Dei, nō autem gratuitæ propter filium Dei, sed commeritæ propria iusticia. Cum autem nullus hominum habeat uel natura uel operibus suis ueram & perfectam iusticiam, quid reliquum est, quam quod necesse habeant illi ex Deo sæuum tantum et durum iudicem atq; carnificem, ac hominū damnatorē facere. Hæc est magna diuini nominis blasphemia. Etsi em̄

Lex Mosi etiam proponit nobis Deum seuerum iudicem, & misericordem quidem, sed his qui custodiunt mandata eius, nõ concludit aũt nos intra hæc sepța perpetuo, sed remittit nos ad Christum filium Dei, quem audiamus, & propter quẽ Deus sit nobis propicius, ac reputet nos iustos per fidem in ipsum: IPSVM, inquit, AVDIES. Et Lex pædagogus noster fuit ad Christũ, ut ex fide iustificaremur. Pharisæi aũt & Monachi non remittunt suos auditores ad Christum, ut propter eum gratis per fidem iustificentur, sed remittũt eos uel ad lotiones manuum, uel ad latas fimbrias, uel ad uestitum monasticum, uel ad sacrificia Missarum, uel ad cultum Sanctorum, uel ad ieiunia aliquot dierum, uel ad Purgatoriũ, quę uel non expiant peccata corã Deo, uel sunt prorsus ficticia. Quare quantum in ipsis est, non faciunt ex Deo, nisi sæuum iudicem, & damnatorẽ humani generis, quæ cum sit magna nominis Dei contumelia, perspicuum est, quod doctores humanarum traditionũ spargant de Deo pessimam famam, quæ est nominis Dei blasphemia. Deinde hi doctores faciũt ex Deo respectorem personarum. Sicut enim iniquus Iudex pronunciat clementem sententiam pro eo, qui etsi habet iniustam causam, tamen multa affert dona, quibus manum Iudicis, ut nunc loqui solent, inungat: ita fingunt illi Deum sedere pro tribunali suo, et cum omnes homines habeant iustas causas (Omnes enim peccauerunt) Deus clementer iudicet pro ijs, qui afferant multa dona, hoc est, multas Missas, multorum dierum ieiunia, multas peregrinationes, & multa alia merita, quibus seueritas Iudicis mitigetur. Quid autem posset de Deo iudice tam iusto & æquo contumelioſius aut dici aut cogitari? Vniuersa scriptura concionatur dẽ Deo, quod non sit iudex, respector personarum, sed quod seruet eum, qui secum afferat Christum filium suum per fidem, etiamsi fuerit abiectissimus omnium hominũ, & nullo prorsus alio dono insignis, abijciat autẽ & damnet eum, qui Christum filium suum non complectatur fide, nec afferat eum secum comitem, patronum & aduocatum ad iudicium, etiamsi fuerit huius terræ Monarcha, & sit donis ac meritis omnium Sanctorum ornatus. Cum igitur doctrina Pharisaica & monastica faciat ex Deo respectorem personarum, & donorum humanorum, afficit eum magna contumelia & blasphemia. Præterea, cum Pharisęi & Monachi docent Deum respicere lotiones manuum suarum, latas suas fimbrias, cucullas, ieiunia aliquot horarum, certas preculas, abstinentiam ab esu carnium certis diebus, abstinentiam sectionis unguium in feria sexta, & id genus alia ridicula magis quam seria, ac sentiunt Deum his cultibus, his sacris delectari, ac singulariter fauere, quid quæso te, sublimius se de DEO sentire significant, quam quod sit infans quidam, aut pusio, qui talibus ineptijs ita capiatur, ut quemadmodum stultus puer commutaret pro dulci fistula

ti fistula diuitem agrum, ita Deus pro inusitato genere uestitus, aut pro suaui cantu horarum Canonicarum reddat cœleste regnum? Quid est, rogo, contumelia nominis Dei, si hæc non est? Adhæc, cum Pharisæi & Monachi hypocritæ fingunt Deum dare singulas mercedes, pro singulis meritis, faciunt ex Deo mercatorem, qui cum hominibus exerceat politicos cõtractus, Do, ut des: Facio, ut facias. Ac sunt Pontifices, qui etiam præscribunt Deo, quãtum mercedis debeat pro singulis operibus persoluere. Cum enim pro uisitatione templorũ, aut celebratione diei festi, aut adoratione statuæ alicuius diui, aut usu uel auditu Missæ, alius largiatur quadraginta dies indulgentiarum, alius centum dies, alius etiam totidem ac plures annos, an non præscribunt Deo, quantum in hoc suo contractu, pro mercibus hominum numerare debeat? Quid autem potest de tanta maiestate sordidius cogitari? Ad extremum, solent isti doctores eum honorem, qui soli filio Dei, & passioni ac morti eius debetur, expiationem uidelicet peccatorum & placationem iræ Dei, transferre ad ea opera, quæ ipsi facienda præscribunt. Docẽt enim peccata expiari meritis nostrorum operum. Sed quia his temporibus doctrina euangelij, quo solus Christus filius Dei prædicatur peccatorũ expiator, illustrior est, quam ut negari possit, inuenerunt nouam corruptelam, qua uidentur quidem alia dicere, eadem tamen manet eorum impietas. Dicunt enim, Solum quidem sacrificium Christi esse expiationem peccatorum nostrorum, hanc autem expiationem applicari nobis, sacrificio Missarum, leiunijs, & alijs nostræ iusticiæ operibus. Audis alia uerba, sed uides de meritis humanorum operum eandem sententiam, quam Pharisæi & Monachi, imo omnes hypocritæ siue inter Iudæos siue inter Christianos, semper retinuerunt. Hæc iam non est tantum contumelia nominis Dei, & abrogatio ministerij euangelij, quo nobis beneficia Christi proponuntur & applicantur, ut accipiantur per fidem in gratuitam Dei misericordiam propter Christum, sed est etiam Idolatria, quod tot alieni dij, pro uero Deo, Domino nostro Iesu Christo adorẽtur, quot opera Deo pro expiatione peccatorum, aut applicatione eius obtruduntur. Quod cum ita se, de doctrina humanarum traditionum, habeat, non potest amplius obscurum esse, cur filius Dei dicat in Pharisaismo nomen suum iugiter tota die, seu omni tempore blasphemari, ac male audire. Nihil iam dicemus de turpi & scelerata uita, qua aliquoties etiam Pharisæi, Monachi & Sacrificuli faciunt, ut nomen Domini, quod profitentur, inter alios male audiat. Sicut & Dominus apud Ezechielem conqueritur nomen suum per Israelitas inter gentes pollutum esse. Et Paulus dicit propter Iudæorum scelera nomen Dei male inter Gentes audire. De doctrina tantum loquimur, qua, etiamsi uita fuerit honestissima, & sanctissima, ac pla

Ezech. 36. Roma. 2.

ne,ut uulgo dicunt, Carthusiana,nomẽ Dei blasphemia afficitur. Et profecto nihil horribilius à pijs mẽtibus cogitari potest, quam quod in toto Pharisaismo,hoc est, Iudaismo,Monachismo,& Papismo,quanto nomen Dei honorificentius iactatur, tanto maiori contumelia afficiatur,adeoque uniuersa illa religionis genera,non sint nisi publica & priuata eaque continua diuini nominis blasphemia. Fugiamus igitur has Pharisaicas,Monasticas & Papisticas impietates,ac moriamur potius sexcenties,quam ut eas nostro calculo approbaremus.

PROPTER HOC SCIET POPVLVS MEVS NOMEN MEVM IN DIE ILLA &c.

Reiecit & damnauit filius Dei doctores Pharisaicæ doctrinæ, & humanarum traditionum. Quid ergo? Num ecclesia eorum piorum, qui temporibus Pharisæorum & aduentus Christi,reliqui adhuc sunt inter Iudæos,destituentur prorsus omnibus doctoribus,& omni ministerio concionum? Nihil certe minus. Promittit enim Christus filius Dei ecclesiæ suæ,alios pro Pharisæis doctores. Primum, promittit seipsum fore eorum doctorem: deinde promittit se missurum eis Apostolos suos,qui ueram pacem, ueram salutem adnuncient. Propter hoc ,inquit, sciet populus meus nomen meum. Hactenus audiuit meus populus ex doctrina Pharisaica tantum blasphemiam,& contumeliam nominis mei. Nunc autem efficiam,ut audiat & cognoscat ueram gloriam,uerum honorem mei nominis. Ego enim, qui loqour, ecce ipse adsum.hoc est. Ego filius Dei,qui modo loqour hanc concionem ministerio Prophetæ mei Esaiæ,non semper loquar per alios,sed cum assumpsero carnem,ego ipse,mea persona, coram concionabor uobis. Ego ipse suscipiam inter uos officium docendi Euangelij, adeoq; tam certo hoc futurum est,ut uere quasi nunc præsens aduenissem, dicere queam,Ecce adsum, Quod igitur filius Dei promittit, imo quod quasi iam præsens esset adnunciat,hoc suo tempore tam manifeste completum est,ut nihil in toto orbe terrarum sit testatius. Venit enim filius ipse Dei in hunc mundum,natus ex Maria uirgine. Et cum factus esset triginta annorum,sanctificatus est de cœlo,uoce Patris sui,& apparitione Spiritus sancti in specie columbę, in publicum concionatorem,& ornatus est illustrissimo dono ædendorum miraculorum,ut hominibus tam peccato,quam impia Pharisæorum doctrina perditis,ueram iusticiam,ueram uitam & salutem conferret. Hic est (inquit uox Patris) filius meus dilectus, quo delector, HVNC AVDITE. Etsi autem filius Dei, cum uenisset assumpta carne,in hanc terram,non fuit illustris mundana potentia, & regio apparatu,tamen nihil unquam fuit in his terris aut excellentius, aut sublimius,aut coram angelis quoq; & toto cœlesti cœtu admirabilius,et uenerabilius. Si personam eius respicis,

reſpicis, non homo tantum eſt, ſed etiam uerus ab æterno Deus, creator cœli & terræ, omnium uiſibilium & inuiſibilium. Si doctrinam eius conſideras, nullus Patriarcha, nullus Propheta, nullus Philoſophus, nullus Phariſæus, docuit meliora, & magis ſalutaria. Hic enim is eſt concionator, qui nobis iam inde à condito orbe per Patriarchas & Prophetas, imo à ſpiritu ipſo ſancto commendatus eſt, & à quo ſolo iuſsi ſumus diuinitus omnem noſtram ſalutem petere. Si miracula eius intueris, non fuerunt unquam in terris maiora & inſigniora ædita. Quare, etſi ea tempora, quibus filius Dei concionatus eſt Euangelion ſuum in terris, uiſa fuerunt Phariſæis, & ſuæ farinæ hominibus difficillima & acerbiſsima, tamen ſi recte de rerum ueritate iudicaueris, nulla unquam fuerunt nec fœliciora, nec illuſtriora. Cuius fœlicitatis etiam nos participes reddimur, ſi Euangelion filij Dei per Apoſtolos uulgatum obedienti fide exceperimus. Non pro eis tantum rogo, inquit, ſed & pro ijs, qui per ſermonem eorum in me credunt. Et: Thoma, quia uidiſti, credis. Beati, qui non uident, & tamen credunt &c.

Porro, filius Dei, non tantum promittit ſe fore pro Phariſæis, concionatorem in Iſrael, ſed etiam promittit ſe miſſurum Apoſtolos ſuos, qui nomine ſuo ueram pacem, ueram ſalutem adnunciẽt. Sic enim ſequitur. Quam pulcri ſuper montes pedes euangeliſantis, diuulgantis ſeu prædicantis pacem, euangeliſantis bonum, diuulgantis ſalutem, dicentis ad Zion, Regnat Deus tuus. Hæc de Apoſtolico cœtu intelligenda eſſe, ſignificat Propheta Nahum capite 1. Paulus autem perſpicue exponit. Ad Romanos enim ſcribens: Quomodo prædicabunt, inquit, niſi fuerint miſsi? Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes adnunciantium pacem, adnunciantium bona &c. Nam quod dicit: Pedes ſuper mõtes, reſpicit ſitum urbis Hieruſalem, quæ cincta eſt montibus. Sicut dicit Pſal. 124. Hieruſalem, montes in circuitu eius. Cum igitur ſpiritus ſanctus in Propheta uidet Apoſtolos e Galilæa, per montana ad urbem Hieruſalem properare, ut accepto ibi ſpiritu ſancto diuulgent euangelion, non in Hieruſalem tantum, ſed etiam in totum orbem terræ, exclamat præ ingenti gaudio: Quam ſpecioſi, inquiens, quam grati, quam accepti, quam iucundi ſunt pedes, ſeu legati pedeſtres, quos uideo ad noſtram urbem per montes in circuitu poſitos profiſciſci, ut afferant nobis nuncium expectatiſsimum. Continet autẽ hic locus ſummam legationis ſeu Cõcionum Apoſtolicarum. Primum enim adnunciant PACEM. Nomine pacis hoc loco intelligendam puto Reconciliationem, quæ facta eſt per filium Dei inter Deum & homines. Ante enim Deus propter peccatum hominis ita infeſtus erat, ut non ſolum abominaretur eum animo ſuo, ſed etiam afficeret eum corporalibus & ſpiritualibus, temporalibus & æternis ſupplicijs, ac traderet eum igni inextinguibili per-

petuo cruciandum. Et uicissim homo metuebat Deum, tanquam crudelissimum & immanissimum tyrannum, nec poterat sibi quic quam uel fauoris, uel beneficiorum de ipso polliceri. Nunc autem aduenium Legati de montanis, & adnunciant Deum per filium suum humano generi ita reconciliatum esse, ut quotquot credunt in filium, adoptentur & ipsi in filios & hæredes Dei. Quid his pe- dibus speciosius? quid his pedestribus legatis acceptius? quid hoc nuncio iucundius? Deinde adnunciant BONVM. Per bonum hoc loco intelligenda uidētur dona spiritus sancti. Homines enim natura sunt mali, nec habitat in carne eorum bonum. Apostoli aūt prędicant euangelion de Christo filio Dei, per quod datur creden tibus spiritus sanctus, ut habitet deinceps in eis bonum, uidelicet, ut iustificati, seu iusti reputati per fidē, affectus carnis mortificent, Deū uere inuocent, nomen Dei honorent, proximo benefaciant, iram remittant, iuste negocientur, sobriam & castam uitā ducant, & si quæ sunt aliæ uirtutes. Præterea, Apostoli adnunciant SA- LVTEM. Hæc est liberatio ex omnibus aduersis, Liberatio e morte, uictoria super mortem, æterna iusticia & uita. Apostoli e- nim, adnunciantes euangelion, docent filium Dei sanctificasse cru- ce & morte sua omnes afflictiones, & mortē ipsam, ut qui credunt in filium Dei, nō pereant nec in afflictionibus, nec in morte, sed ha beant æternam uitam. Quid his nuncijs amabilius? quid exoptati- us? Postremo, Apostoli dicunt ad Zionem, ad ecclesiam, Regnat Deus tuus. Hæc est summa Apostolicæ doctrinę. Hactenus enim multi Reges & Principes susceperūt gubernacula Regni Zionis. Initio regnauerunt in ea Dauid, Salomon, Roboam, & alij, quo- rum etsi nonnulli fuerunt tolerabiles, tamen nullus eorum potuit populum suum à peccatis & morte liberare. Postea, cum Zion de uastaretur à Babylonijs, subiecti sunt Israelitę alienis tyrannis, qui afflixerunt eos, qua potuerunt crudelitate, tantum abfuit, ut serua rent eos in aduersis. Deinde, etsi remittebantur domum à Persis, & regebantur aliquandiu à suis Principibus tolerabiliter, tamē ne sic quidem consequebantur ueram tranquillitatem. Cum igitur Zion, seu populus Dei non potuit unquam assequi ueram salutem sub mundanis hisce Regibus & Principibus, siue indigenis, siue ex ternis, promisit eis Deus, quod uelit ipse gubernacula regni eorū susscipere, & omnē eis salutem, quam à regibus hominibus accipe- re non potuerunt, afferre. Psalm. 9. Dominus regnat inæternū & in seculum seculi. Peribitis gentes de terra illius. Psal. 95. Commo ueatur à facie eius uniuersa terra. Dicite in gētibus, quia Dominus regnat. Psal. 145. Regnabit Dominus in secula Deus tuus Zion, in generatione & generatione &c. Et Dani. 2. In diebus regū isto rum susscitabit Deus cœlorum regnum, quod inæternum non cor rumpetur, nec alteri populo tradetur &c. His & id genus alijs ua

ticinijs

ticinijs promissum est diuinitus, quod cum homines reges nō possint suum populum uere beare, Deus ipse susceperus sit regnum, ut omnes subditos suos seruet perpetua salute. Quod autem promissum erat, hoc cœptum est impleri postquam filius Dei uenit in terram, & suscepit officiū concionandi euangelij, et expiandi morte sua peccati nostri. Non em̄ manſit in morte, nec derelicta est anima eius in inferno, sed resurrexit à morte, cōsedit ad dextram Dei patris, & mittit spiritum sanctum discipulis. Quibus rebus regnū populi sui ita suscepit, ut perpetuo sit regnaturus. Quare, cū Christus sit uerus ab æterno Deus, & Apostoli missi sint ad prædicandum euangelion Christi, quod resurrexerit à mortuis, quod cōsederit ad dextram Dei, quod tueatur & cōseruet ecclesiam suam in morte, quod iudicaturus sit uiuos & mortuos, concio eorum uere & recte in hæc pauciſsima uerba confertur, Regnat Deus tuus. Hoc concionatus est Petrus, cū ait: Certo sciat tota domus Israel, quod Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quē uos crucifixistis. Et iterum. Hic est lapis ille, qui reiectus est à uobis ędificantibus, qui factus est in caput anguli. Nec est in alio quoquam salus &c. Et Paulus: Deus, inquit, sedere fecit Christum ad dextrā suam in cœlestibus supra omnem principatum, ac potestatē & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur &c. Et iterum. Extulit eum in summam sublimitatē, et dedit ei nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat &c. Hoc certe non est aliud concionari, quam quod hic dicitur ad Zion, Deus tuus regnat. Non existimes aūt hanc concionem talem esse, qualis fuisset, si quis forte temporibus aliorū Regum, eorūq; mediocriū dixisset, Dauid regnat, Salomō regnat, Ezechias regnat, Cyrus regnat, Alexander magnus regnat &c. Etsi em̄ temporibus horū regum tolerabilis erat status populi seu ecclesiæ Dei, tamen, quantū in istis regibus erat, homines erant adhuc peccatores, et moriebantur in peccatis, ac peribant æterna morte. Sed hæc demū iucūda et grata est concio, quod dicitur: Tuus Deus regnat. Hic em̄ Deus est Christus filius Dei Dominus noster, qui cum susceperit regnū in ecclesia sua, primū condonat omnibus credentibus in ipsum peccata, & donat eos sua iusticia, ut reputentur coram Deo iusti: deinde efficit, ut adoptentur in filios Dei, & in cohęredes suos. Postremo seruat eos non tantum in his corporalibus aduersis, uerumetiā in morte, ut fruantur æterna uita & fœlicitate. Hæc omnia adnunciantur, cum dicunt Apostoli ad Zionem: Tuus Deus regnat. Quare nihil potest nobis in his terris magis salutare contingere, quam ut tradatur nobis Apostolica doctrina, qua regnū Christi Dñi Dei nostri agnoscamus, et credentes beneficijs eius fruamur.

VOX SPECVLATORVM TVORVM, LEVAVERVNT VOCEM, SIMVL &c.

Dixit Apostolos afferre Zioni, seu urbi Hierusalem nuncium gratissimum & iucundissimum, uidelicet quod adnũcient pacem, bonum & salutem, & uere prædicent, non iam amplius reges homines, sicut olim, sed Deum ipsum, Dominum nostrũ Iesum Christum suscepisse gubernacula regni in Zion. Quid igitur dicemus? Num Apostoli afferent hunc nuncium tantum ad urbem Hierusalem? & tam submisse musitabunt, ut soli ciues Hierusalem uocẽ eorum audiant? Nihil certe minus. Sed ait: Speculatores tui (Sic enim uocantur Apostoli, & qui prædicant Apostolicam doctrinam, quod sint positi in excubijs ecclesiæ. Ezech. 3.) leuant uocem suam, uocẽ, inquam, suã tollunt. Non musitabũt, sicut ἐγγαστρίμυθοι, aut uates Ethnicorum e spelęis suis musitant, nec susurrabunt uel in angulis domorum, uel in latebris syluarum ac montium, cum paucis arbitris, quod facere solent seditiosi, & alij, qui uel instituti fœditate, uel sceleris immanitate lucem fugiunt, sed attollẽt uocem suam tam alte, ut exaudiatur ab urbe Hierusalẽ, usq; ad extremos fines terræ. In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Nec hoc solum, uerumetiam simul laudabunt, pariter iubilabunt. Non tantum docebunt Euangelion Christi in orbe terrarum, initio facto in Hierusalem, sed etiam docebunt idem omnes euangelion summa concordia. Vna erit omnium laudatio, una iubilatio de rebus per Christum regem Zion gestis. Nam oculo ad oculũ uidebitur, palam coram omnibus manifestabitur tum doctrina tum miraculis, quod Dominus conuerterit seu reduxerit Zion, hoc est, quod Christus Dominus noster redemerit ecclesiam suã à tyrannide Satanæ, à peccatis, à morte, & inferno. Gaudete igitur, & exultate, non tantum ea loca, quę intra mœnia urbis Hierusalem cõtinentur, sed etiam deserta & solitudines circa Hierusalem, quod tanta nunc erit ciuiũ multitudo, ut pomœria urbis usq; ad deserta proferantur, et ex eremo fiat frequentissima ciuitas. Dominus enim ipse nõ per seruos suos Prophetas, ut olim, sed sua ipsius persona coràm consolatur populũ suum, adnunciat populo euangelion suum, & redimit Hierusalem ab omnibus iniquitatibus suis, à potestate Satanæ & mortis. Parat seu nudat brachium sanctum suum, reuelat potentiam suam, nõ in oculis tantum Iudæorum, sed etiam in oculis omnium gentiũ, ut omnes fines terræ uideant salutare Domini, dũ concio Apostolica diuulgat̃ inter omnes gẽtes, & cõfirmatur clarissimis miraculis. Habes hic iterũ, sicut alias sępe in hoc Propheta, manifestũ testimoniũ uerę & ęternę diuinitatis Christi, et diuulgationis euangelij eius in toto orbe terrarũ. Etsi em̃ prędicatio euãgelij, quę post Pentecosten uulgata est inter gẽtes, & cõfirmata miraculis, non fuit in oculis impiorũ tantę amplitudinis & maiestatis, quantę uidẽt̃ ipsis pompę regũ Mundanorum, tamen si ueritatẽ et utilitatem rei perpendas, nihil

nihil unquam gestum est in terris uel illustrius, uel magis salutare. Et ut maxime inchoatio & progressio euangelicæ prædicationis inter gentes, uideatur abiecta & contemnēda, erit tamen tempus, quo incrementum sic reuelabitur, ut perspicuum fiat, hanc solā prę dicationem uere esse potētiam Dei ad salutem omni credenti. Sed interea obserua mihi, quem cultum, quam uicissitudinē, aut quam gratiarū actionem requirat à nobis spiritus sanctus pro tantis be neficijs filij Dei. Dicit, Gaudete, & laudate, Erumpite in laudem, & iubilate pariter. Cum enim filius Dei contulerit in nos tantum beneficiū, ut eripuerit nos à morte & inferno, debemus hoc bene ficiū grato animo accipere, & uicissim nomen eius laudare, ac læto esse animo. Nō uult habere cultorem tristem, quales cultores red dit lex, sed hilarem & alacrem, uidelicet, ut tranquilla & læta men te adeamus thronum gratiæ, inuocemus Deum, ut patrem, & pol liceamur nobis de eo propter filium suū omnia prospera & salu taria. Non accepistis, inquit, spiritum seruitutis iterum ad timo rem, sed accepistis spiritū adoptionis, per quē clamamus Abba pa ter. Et alias: Gaudete in Domino semper, et iterum dico, gaudete. Philip. 4. 1. Thess. 5. Ac rursus: Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gra tias agite. Iubet Apostolus nos semper gaudere, nimirum excita tus hac Prophetica cōcione, qua dicitur: Gaudete & laudate simul &c. Sed quomodo possumus in tot ac tantis aduersis semper gau dere, & Deum laudare? Non exigit à nobis carnale gaudium, & stultas illas mundi cachinnationes, sed exigit gaudiū spirituale, q̄d etiam in medijs periculis mortis retineri & potest, & debet. Con cipitur autem hoc gaudium, nō ex euanidis rebus huius seculi, sed ex euangelio Christi, quo prędicatur nobis, quod Dominus rede merit Hierusalem, & reuelauerit maiestatē potentiæ suæ in oculis omnium gentiū, hoc est, quod Christus expiauerit peccata nostra, et reconciliauerit nos cum Deo patre, ut propter ipsum, in quē cre dimus, simus in filios & hæredes Dei adoptati. Et quod hoc euāge lion in toto mundo tam certis testimonijs cōfirmatum sit, ut eo ni hil nec sit uerius, nec certius. Qui hoc euangelion fide acceperit, q̄d non gauderet, etiam in aduersis? In exilio, etsi dolet caro, tamen spi ritus gaudet, quod scit, se in exilio habere Christum nō prę sentem tantum, sed etiam fauentem & conseruantem. In morbo aut pau pertate, etsi caro tristis est, spiritus tamen alacer est coram Deo, q̄p scit se Deo propter Christum curæ esse, & non deseri à Deo in necessitate. Si mortis horrores incurrunt, fit quidem caro tetrica, & uidet toruum, spiritus autem retinet gaudium suum, quod sciat mortem esse in Christo uictam, et esse ei ianuam non ad infernum, sed ad cœlum. Hoc spirituale gaudiū, cultus est Deo gratissimus. Faciamus igitur hunc cultum, ut declaremus nobis beneficia Chri sti esse acceptissima.

RECEDITE, RECEDITE, EXITE INDE, POLLVTVM NOLITE TANGERE &c.

Hæc est conclusio huius concionis. Constat autem exhortatione. Sed quam sententiam habeat ista exhortatio, & quo respiciat, exponit optimus scripturę interpres, Diuus Paulus, qui ad Corinthios scribens hac exhortatione utitur. Ne ducatis, inquiens, iugum cum incredulis. Quod enim consortium iustitiæ cum iniusticia? aut quæ cõmunio luci cũ tenebris? &c. Et mox: Quapropter exite de medio illorum, & separamini ab illis, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis. Vides Paulum hanc cohortationẽ non solum ex Esaia in Epistolam suam transcripsisse, uerumetiam interpretatum esse. Hortatur enim filius Dei pios, qui credunt Apostolicæ prædicationi, ut cum redemerit ipsos à peccatis, & effecerit, quod amplius nulli incircunciso aut immundo sit locus in populo suo, non ducant iugum cum incircumcisis, & immundis, hoc est, cum incredulis, sicut Paulus interpretatur. Discedite, inquit, discedite. Non concedo uobis aliquam discedendi moram aut remissionem, sed iubeo uos statim discedere, & urgeo iterum atque iterum: Discedite, discedite, & abite inde. Vnde? de medio incredulorum, de medio prauæ nationis. Et ne uos contaminemini, iubeo uos contaminatum seu pollutum ne tangere quidem. Exite igitur cito ab impijs, ut uos, qui fertis uasa Domini, sitis mundi & puri ab omnibus sordibus impiorum. Hic autem exitus longe aliã habet rationem, quam exitus ille ex Ægypto. Tunc enim Israelitæ necesse habebant corporaliter deserere Ægyptum, & festinanter exire, & quodammodo fugere. Vrgebant enim, inquit scriptura, Ægyptij populum Israel de terra exire uelociter. Et iterum: Farina non poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere sinentibus moram &c. Nunc autem non exigo corporalem exitum de terra impiorum. Quo enim abeundũ uobis esset, si in nulla impiorum terra commorari uobis liceret? sed uolo exitum spiritualem, uidelicet, ne commisceamini, sicut Paulus exponit: Si quis cum frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorum cultor, aut cõuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis &c. In exitu ex Ægypto præcedebat Moses, & cogebant seu colligebant agmina Israelitarum duces à Mose ordinati. In hoc autem spirituali exitu non præcedit Moses quispiam legislator, aut externus Princeps, sed præcedit & cogit agmen ecclesiæ DOMINVS ipse DEVS Israelis, hoc est, DOMINVS noster Iesus Christus. Ego, inquiens, uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationẽ seculi. Et: Iterum ueniam, et assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, illic & uos sitis. In hac exhortatione obserua initio, quid sit exire e medio impiorum, & non tangere pollutum. Indicauimus autem,

interprete

interprete Paulo, quod exire ex impijs, non sit deserere externam & ciuilem cohabitationem cum impijs, alioqui exeundum nobis esset e toto mundo, nec pateret usq; habitatio in terris, Sed est deserere impietatē, et exire à uitijs, quibus impij sunt obnoxij. Nam, cum impij dent operam dies atq; noctes idolatriæ, diris execrationibus, blasphemijs, inuidiæ, maledicentiæ, rixis, contentionibus, cædibus, imposturis, furtis, rapinis, scortationi, adulterijs, molliciei, helluationibus, ebrietatibus, mendacijs, peiurijs, & infinitis aliijs sceleribus; uere ab impijs exire dicitur, quisquis fugit idolatriā, execrationes, inuidiam, cædes, imposturas, & id genus impiorum flagicia. Sic & pollutum non tangere, non est ab externo alicuius morticini, aut alterius sordidæ rei tactu abstinere, sed est nullū habere consortium cum immundis & pollutis moribus impiorum. Hæc illa sunt, quæ in hoc spirituali exitu ex Ægypto, aut e medio impiorum requirit à nobis filius Dei. Deinde, cum ait: Mundami ni, qui fertis uasa Domini, non intelligit unum tātum genus hominum in sua ecclesia, sed omnes pios, omnia membra ecclesiæ. Vasa enim Domini sunt corpora omnium piorum, sanctificata in diuinum usum. An nescitis, inquit Paulus, quod corpora uestra sint membra Christi? Et mox: Corpus uestrum templum est spiritus sancti habitantis in uobis. Ac iterum: Vos estis templum Dei uiuentis. Cum igitur omnes pij, credentes in Christum, ferunt uasa Domini, hoc est, habent corpora sanctificata in templum Domini, ab omnibus exigitur, ut mundētur, hoc est, ut ducant mūdam, puram, & sanctam uitam, nec contaminent sese cum sordibus seu peccatis impiorum. Num tollens, inquit Paulus, membra Christi, faciam membra scorti? Et alias: Quemadmodū præbuistis membra uestra serua immundiciæ & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatem, sic & nunc præbete membra uestra serua iustiçię ad sanctificationem. Etsi autem licentia carnis solet cum hac seruitute iusticiæ pugnare, tamen quia habemus ducem, filium Dei, qui agmē ecclesiæ suæ ita præcedit, ut conseruet eam tutam in omnibus periculis, facile possumus, si modo in hoc agmine per fidē manserimus, uirtute ducis nostri licentiam carnis compescere, & in seruitute iusticiæ perdurare, ac mundiciē seruare, ut si caro non omnino munda sit à peccato, mundi tamen simus ab externis fructibus peccati, & ab illis impiorum sceleribus, adeoq; à condemnatione, ne unà cum mundo intereamus.

CAP. LIII.

ECCE INTELLIGET SERVVS MEVS, EXALTABITVR ET ELEVABITVR &c.

Hactenus concionatus est aliquandiu filius Dei de aduentu suo in carnem,& consolatus est ecclesiam promissione redemptionis, quam sit facturus. Nunc autem suscipit Deus Pater concionem habendam de filio suo, Sed ita, ut tamen in hac concione interloquantur Apostoli & Ecclesia filij Dei. Non est autem in omnibus Propheticis scriptis ulla μετκοπὴ, ex qua pluribus testimonijs utantur Apostolica scripta, quam hæc, ab illo loco: Ecce intelliget seruus meus &c. usq; ad istum: Lauda sterilis, quæ nō paris &c. quemadmodum suis locis indicabimus. Quare non pigeat nos summa diligentia cognoscere, quæ pater de filio suo in hoc capite concionet. Ac initio, nullū dubium est, quin testibus Apostolicis scriptis hæc concio intelligenda sit de uero Messia, de Christo Dño & seruatore nostro. Etsi enim Rabini Iudæorum, homines uanissimi, uaria ad obscurandum, & penitus nobis eripiendum hūc textum excogitant, ac nunc quidem interpretantur hanc concionē de Prophe ta Esaia, nunc aūt de populo suo his tēporibus inter gentes dispersō: nunc etiā duos Messias fingunt, alterum filium Ioseph humilē et ingloriū, alterum filium Dauidis illustrē & glorioſum, tamen quia tam Moses, quam Deus ipse pater cōmendarunt nobis audiendū, non Iudaicæ impietatis delyrium, sed unigenitum suum filium, Hunc, inquiēs, audite, & filius commendauit nobis audiendos Apostolos suos, ac confirmauit autoritatem doctrinæ eorum, misso spiritu sancto, non est nobis alia, ne angelica quidē interpretatio, præter & contra Apostolicam agnoscenda. Deinde hic textus cōcionatur de humiliatione et glorificatione Christi, de morte, et Resurrectione ac exaltatione Christi tam aperte, tam perspicue, ut magis historiam iam reipsa gestam, quam uaticinium de futuris commemorare uideatur, ut nihil interim dicam, quod usus, usus in quam Passionis Christi, in hoc textu luculentius cōtineatur, quam in ijs scriptis, quibus Euangelistæ historiam Passionis Christi cōmemorauerūt. Ac profecto, quod Deus uoluit tot ante annis res per filium suū gerendas, prophetico ministerio patefacere, ingens argumentum est, nō solum Prophetas spiritu sancto diuinitus donatos fuisse, & scripta eorū, tanquam cœlestia oracula amplectenda, sed etiam ecclesiam semper Deo curæ esse, ut & conseruetur, et cognitione Christi filij sui uerā & æternam iusticiā ac salutē consequatur. Agamus igit̄ Dño magnas gratias, pro beneficio Propheticorum scriptorum, & meditemur in ijs diu noctuq;, ut fidem nostram in filium Dei, solum & unicum seruatorē nostrum, cōfirmemus. Ecce, inquit, seruus meus intelliget, hoc est, prudēter administrabit officiū suū. Vocat Messiā, Christū Dñm nostrū, seruū suū, q; assumpturus erat formā serui, quēadmodū Paulus loquit̄, & præstiturus ei, pro more fidelissimorū seruorū, summā obedientiā etiā usq; ad mortē crucis, Qua obediētia non potuit maior excogitari.

Philip. 2.

Tribuit

Tribuit autem ei ueram prudentiam in administranda & perficienda sua uocatione. Nam in rebus suis gerendis, non est secutus carnalia consilia hominum, sed tantum uerbum & mandatum Dei Patris sui. Iussit enim pater filium suum, in expiandis hominum peccatis, & liberandis hominibus a morte & inferno, suscipere crucem & mortem. Hoc erat mãdatum Dei, hæc erat uocatio Christi. Cum igitur uenisset Christus in hunc mundum, nihil prius habuit, q̃ ut in uocatione sua, hoc est, in expiandis peccatis hominum, obediret mandato Dei Patris sui usq; ad mortem crucis. Videbatur quidem Christus, non alijs tantum hominibus, secundum carnem prudentibus, uerumetiam Petro Apostolo, rem suam stultissime gerere, q̃ cum posset regiam maiestatem in hoc seculo consequi, maluerit crucem subire. Cum Christus indicaret discipulis suis, q̃ oporteret ipsum multa pati a Senioribus & principibus sacerdotum, adeoque occidi, abducit eum Petrus seorsum, increpat eũ, Propicius, inquiens, tibi sis Domine, nequaq̃ erit tibi hoc. Arguit eum extremę stultitiæ, q̃ cum possit ipse occidere Principes, & rerũ in toto orbe terrarum potiri, sufferre uelit, ut a Principibus occidatur. Sed summa est prudentia, summa sapientia, obsequi uerbo & mãdato Dei. Initium (seu caput, & ut dici solet, summa summarum) Sapientiæ (inquit Salomon) est TIMOR Domini, hoc est, obedire cum timore & tremore uerbo Dñi. Quare, cum filius Dei, maluerit, assumpta serui forma, obsequi mandato Dei Patris sui, & iuxta mandatũ eius, crucem & mortem suscipere, q̃ contra mandatum eius regiã sibi maiestatem in hoc seculo usurpare, administrauit rem seu uocationem suam prudentissime. Cõferamus autem inter se Adamum & Christum, ut rationem ueræ prudentię in rebus administrandis cognoscamus. Adam collocatus est a Deo in Paradisum, & accepit ab eo mandatum, ne uesceretur fructu arboris scientiæ boni & mali. Considerauit autẽ Adam arborem, & cum uideret eam esse aspectu iucundam, ac redderet homines prudẽtes, & intelligentes, iudicauit se rem sapientissimam & utilissimam facere, si fructu eius uesceretur. Itaq; comedit fructum eius, neglecto & posthabito uerbo Dñi. Sed euẽtus declarauit, q̃ fecerit inobedientia sua rem stultissimam, & pernicioſissimam. Coniecit enim hac inobedientia, quę tamen uidebatur ipsi summa prudentia, non se tantum, sed etiam omnem suam posteritatem, in omnia genera malorũ tam tẽporalium, q̃ æternorum. Christus autem longe aliter suas res gessit. Missus em fuit in hanc terrã, & accepit mãdatum a Deo Patre suo, ut non usurparet sibi regiam dñationem in hoc mundo, sed ut ad liberandum humanum genus traderet sese hostibus suis capiendum, & crucifigendum. Etsi aũt uidebatur hominibus stultissimum, q̃ Christus,

cum eligendus esset in regem, fugeret, cum uero esset capiendus & crucifigendus, procederet hostibus obuiam, tñ euentus declarat, ꝙ cum maluerit crucifigi, ut obediret mandato Dei, ꝙ humana fœlicitate in hoc mundo, contra Dei mandatum, frui, rem suam sapientissime administrauerit. Hac enim obedientia, non se tantum extulit in summam maiestatem, uerumetiam factus est autor æternæ salutis, omnibus ñjs, qui in ipsum credunt. Quemadmodum per unius hominis inobedientiam, inquit Paulus, peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiã unius, iusti constituũtur multi. Quid ergo potuisset Christus prudẽtius, aut sapientius fecisse? Discamus & nos hoc exemplo, obedientiam uerbi Dei, summam esse sapientiam, ut cognoscamus eos haudquaquam prudẽter, sed stultissime omnium res suas administrare, qui uel regna sibi parãt peiurñjs, dolo malo, iniusta uiolentia: uel opes sibi conquirũt fraude, impostu ris, & rapinis: uel facultates ac uitam retinere uolunt abnegatione Euangelij Christi, aut approbatione impiæ doctrinæ. Quid enim stultius est, ꝙ metuere sibi ab his, qui possunt quidem corpus, non autem animam occidere, & non magis metuere eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna? Et extrema est insaniã, malle duas manus aut duos pedes habentem mitti in ignem æternum, quam claudum aut mutilum ingredi ad uitam &c.

Sed additur hoc loco: Exaltabitur, eleuabitur, seu euehetur, et erit sublimis supra modum. Quia enim Christus, assumpta serui forma, administrabit officium suum tanta prudentia, ut præstiturus sit in eo summam obedientiam Deo Patri suo, idcirco uicissim Deus Pater euehet & extollet eum in summã maiestatem. Hoc plane illud est, quod Paulus ad Philippẽses scribens: Factus est, inquit, obediens usꝙ ad mortem, mortem aũt crucis. Quapropter Deus extulit illum in summam sublimitatem, & dedit illi nomen, quod est supra omne nomen &c. Et ad Ephesios: Sedere fecit eum ad dextram suã in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutẽ, & dñium, & omne nomen, quod noïatur non solum in seculo hoc, uerumetiam in futuro &c. Cognitio aũt humiliationis & glorificationis Christi affert nobis magnam utilitatẽ. Sicut. n. Christus coniecit se in seruitutem, et humiliatus est nostri causa, ut nos seruitute & humiliatione sua cum Patre suo reconciliaret, ita etiam exaltatus est, non ut ipse solus ea gloria frueretur, sed etiam ut nos secum ad cœlestem gloriam exaltaret. Conuiuificauit nos una cum Christo, inquit, simulꝙ cum eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes &c. Quare cum spiritus sanctus concionatur de maiestate Christi, agnoscamus eũ, si credimus in Christum, concionari de nostra quoꝙ maiestate, quã habemus in Christo, ut cõfirmemus fidẽ

nostram

nostrãm in omnibus aduersis, adeoqꝫ in seruitute, & extrema nostri humiliatione.

SICVT OBSTVPVERVNT SVPER TE MVLTI &c.

Cœpit Pater de humilitate & glorificatione filij sui, Dñi nostri Iesu Christi cõcionari. Vocat eum seruum, cp assumpserit formam serui, & prestiterit more fideliũ seruorꝫ extremã obedientiã, ex qua etiã elatus est in summã sublimitatẽ. Nunc pergit exponere, quæ fuerit seruilis eius facies, & q̃ dñationis gloria post sit cõsecuta. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit &c. Hęc ita trãsferri possunt. Quãto magis obstupescunt super te multi, tãto turpior est aspectus eius, q̃ ullius uiri, & forma eius (fœdior) q̃ filiorꝫ hominum, tãto magis asperget gentes multas. Reges cõtinebunt corã eo os suũ, quia quibus nõ est adnunciatũ, uidebunt, & q non audierunt, intelligent. Sententia aũt hęc est. Filius Dei demittit se seruitute & obediẽtia sua in tantã aspectus deformitatẽ, ut turpitudine seu fœditate faciei suę superet oẽs alios hoĩes, ideoqꝫ multi, cũ uiderint eum, obstupescent, & offendentur. Nec induci possunt, ut credant, cp tanta sit eius maiestas, quanta ei prędicatione Euãgelij tribuitur. Sed q̃ seruilior & deformior est aspectus eius, eo illustrior erit gloria dñationis eius. Asperget gẽtes multas. Nõ prędicabitur tm̃ inter Iudæos, sed Euãgelion eius spargetur inter multas gẽtes in toto orbe terrarꝫ. Nec priuati tm̃ hoĩes tradent sese ei subditos fide sua, Sed etiã Reges ac Monarchæ cõtinebunt corã eo os suũ, non audebunt ei cõtradicere, Reuerebũtur eũ, & agnoscent adorabundi maiestatem eius, quia gloria eius uulgabitur nõ tm̃ inter Iudęos, quibus nomẽ Messiæ seu Christi iam inde ab initio satis cognitũ fuit, sed etiã inter alias gẽtes, inter quas antea de Christo nihil nec prędicatũ, nec auditũ, nec cognitũ fuerat. Hęc cõcio non loquitur de lineamẽtis faciei Christi, aut de mẽbrorꝫ corporis eius dispositione. Non.n. dubitamus, quin, q̃d ad hęc attinet, Christus fuerit medio cri forma & uenustate. Potuisset quidẽ assumere tale corpus, q̃d externa pulcritudine superasset non oẽs tm̃ uiros, uerꝫ etiam angelos: sed ut in alijs donis corporalibus, ita etiã in pulcritudine contentus fuit mediocritate. Loquitur aũt hæc cõcio de ijs deformitatibus, q̃ ei extrinsecus, pręter hoĩm expectationẽ de Messia tandiu expectato, cõtigerunt. Cũ.n. fungeretur inter Iudęos ministerio suo, lõge fuit oĩm pauperrimus. Nõ habuit, q̃ reclinaret caput suũ. Nõ habuit ꝓprium asinũ q̃ ueheretur, sed cũ ingressurus esset urbẽ Hierusalẽ, necesse habuit asino cõmodatitio uti. Nõ habuit facultates, q̃bus inopiã suã sustentaret, sed egit uitã alieno stipẽdio. Hęc paupertas uisa est magna fœditas in eo, q prędicabatur Messias per Prophetas ꝓmissus. Deinde fuit in tanto odio Principũ, & summorꝫ Pon

Similis phrasis Exo 1. מאשר כן

tificū, qui tenebāt primas in populo Dei, & ad quos prȩcipue Messias, cum adueniret, pertinere uidebatur, ut non solum eum proscripserint, uerumetiā tandem ceperint, & morte condēnauerint. Quȩ acciderūt Christo, haudquaq̄ simpliciter, sicut alijs homnibus, sed multo turpius, multo cōtumelioſius, q̄ ulli unq̄ etiam sceleratissimorȩ hominū contigerunt. Quid hoc aspectu fœdius, aut deformius? Itaq̄ uere & recte dicitur hoc loco, q̄ aspectus eius deformior sit q̄ ullius uiri. Sed de hac Christi deformitate textus mōx copiosius cōcionabitur. Quid ergo dicemus? Num hæc deformitas māsit perpetuo in filio Dei? Nihil minus. Nō fuit internecio gloriȩ eius, sed uia ad consequendā gloriā, nō inter Iudæos tm̄ & priuatos homines, sed etiam inter gētes, & summos Reges. Agnouerunt enim eum ex prædicatione Euangelij, etiam ij, quibus antea nihil erat de ipso narratum. Nam hunc locum, de gloria, quam Christus Euangelij sui diuulgatione inter gentes consecuturus erat, intelligēdum esse, Paulus perspicue interpretatur. Ad Ro. cap. xv. Annitens, inquit, prædicare Euāgelion, nō ubi nominatus erat Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: Sed quemadmodum scriptum est, Quibus non est adnunciatum de eo, uidebunt, & qui nō audierant, intelligent &c. Cum quo & illud conuenit, quod idē Apostolus, ex eodem Propheta citat: Esaias, inquiens, post hunc audet, ac dicit: Inuentus sui his, qui me non quærebant, cōspicuus factus sum his, qui de me non interrogabant &c. Cum autē id, quod in Christo, capite, gestum est, ad uniuersam Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, pertinet, discamus in hoc loco, q̄ Christus sanctificauerit nobis, mēbris suis, seruitutem, in uiam ad dñationem, deformitatem in uiam ad uenustatem, & ignominiā in uiam ad gloriam. Quare affecti his aduersis in hoc mundo, nō offendamur, nec defatigemur, sed cogitemus, seruum non esse maiorem dño suo, & iudicemus de aduersis, non qualia uidentur primo aspectu in oculis hominum, sed qualia fuerunt in Christo, & quem finem in Christo habuerunt, ut & nos ad eundem finem perueniamus.

QVIS CREDIDIT AVDITVI NOSTRO, ET BRACHIVM DOMINI &c.

Dixit pater de filio, q̄ & si uidetur deformior omnibus hominibus, tm̄ gloria noīs eius uulganda sit non solum inter Iudæos, & homines priuatos, sed etiam inter gentes, & Reges ac Principes terrȩ. Cum ergo Apostoli prȩdicaturi erant Euangelion in toto orbe terrarȩ, initio facto a Hierosolymis, & in populo Iudæorȩ, intercipiūt hanc concionē, & admirātur, qui fiat, q̄ cū & Christus & ipsi Euangelion non tm̄ perspicue prædicauerint, uerȩtiā multis & magnis, antea inauditis miraculis publice cōfirmauerint, tā pauci homines,

præsertim

prę̃sertim inter Iudęos, qui tñ uocabãtur populus Dei, Euangelion fide sua acceperĩt, & Christũ agnouerint. Quis credidit, inquṇt, auditui, seu sermoni & prędicationi nostrę? Nos quidẽ, iuxta nostram uocationẽ, prędicamus Euãgelion tã Iudęis, q̃ gẽtibus, sed quotusquisq; est, maxĩe oĩm inter Iudęos, q hanc nostrã prędicationẽ obediẽti fide excipiat? Et brachiũ Dñi, cui reuelatur? Nos ędimus quidẽ, brachio & potẽtia Christi, ueri Dñi Dei nostri, magna & multa miracula. Ex prędicatione Euãgelij de Christo hoĩes accipiũt admiranda dona spũs sancti, Quod est manifestũ brachiũ Dñi. Nos restituimus claudos sanitati, ejicimus immundos spũs a dęmoniacis, reddimus ęgrotis incolumitatẽ: denicq; mortuos quocq; excitamus, idcq; noĩe, brachio & potẽtia Christi. Sed o rem stupendã. Q̃ pauci sunt, q hoc manifesto brachio Dñi excitantur, ut Christũ fide sua agnoscant? Nam cp hęc sit istorę uerborę sententia, testificatur Euãgelista Ioãnes perspicue, cap. xij. sic scribens. Cum Iesus tam multa signa fecisset corã eis, nõ credebãt in eum, ut sermo Esaię Prophętę impleretur, quem dixit: Dñe, quis credidit sermoni nostro, & brachiũ Dñi cui reuelatum est? Et Paulus Ro. x. Non oẽs obedierunt Euangelio. Esaias. n. dicit. Dñe, quis credidit sermonibus nostris? Munit aũt spũs sanctus Ecclesiam Christi, ne offendatur paucitate sua, sed meminerit, magis mirãdũ esse, cp uel unus aut alter in Christum credat, q̃ cp non oẽs Iudæi & gentes in eum credant. Oẽs, n. hoĩes sunt natura sua captiui Satanę, qui & mẽtes eorę ita cæcat, ut nullus eorę possit suis uiribus cognoscere, quę ad ueram & perpetuã ipsius salutem necessaria sunt. Quare si q expergiscuntur, & recipiunt uisum, ad cognoscendum Christũ, unicum salutis nostrę autorẽ, non est humana uel iusticia uel industria, sed diuina clemẽtia, ideocq; Ecclesia magis gratias agere debet Christo, p bonitate sua, qua ipsam e tenebris, ad ueram lucem reduxit, q̃ cp uel offendi debeat, uel aduersus Christum murmurare, cur nõ efficiat, ut & multitudo hoĩm ipsum agnoscat, & salutem cõsequatur. Recte scribit Augustinus: Quid nobis, inquiens, deberetur, in ijs, q non liberantur agnoscimus. Cum igitur Deus dignatus est nobis, quantũuis paucis, reuelare & donare filium suum, agnoscamus bñficium Dei, simus Deo grati obedientia nostra, nõ expostulemus cum eo, cp nõ & in multos alios hoc beneficium conferatur. Nam, quod ad Deũ attinet, uult ipse quidem, ut omnes hoĩes ad ueritatis cognitionẽ ueniant, & salui fiãt: hoĩes aũt tam deploratæ sunt cæcitatis & impietatis, ut etiam oblatam lucem, & ꝓpositam salutem recipere nolint. Cur igitur Deus accusaretur? Sed posset, inquis, uno momento oĩa impiorę corda mutare, ut omnes Christum fide agnoscerẽt. De hoc Christus ipse in parabola patrisfamilias rñdet: Amice, inquiẽs, nõ

Augustin. de prædesti. Sanctorum.

facio tibi iniuriam. Tolle,quod tuum est,& abi. An nõ licet mihi, quod uolo facere,in rebus meis? An oculus tuus malus est, ꝙ ego bonus sum? Et Paulus. O homo, inqt, Tu quis es, qui ex aduerso respõdes Deo? Num dicit figmentum ei,ꝙ finxit,cur me finxisti ad hunc modum? Quare,cum uidemus multitudinẽ hoĩm abiectam a Deo,agnoscamus iusticiam & ueritatem Dei,& timeamus eum, ne inobedientia & ignauia nostra fiat,ut & nos abiiciamur. Cum aũt Christus filius Dei nobis,quamuis paucissimis,sit reuelatus,& donatus,agnoscamus immensam Dei bonitatem, & agamus ei gratias,& oremus,ut beneficium suum in nobis conseruet.

ET ASCENDET CORAM EO SICVT VIRGVLTVM, ET SICVT RADIX &c.

Interpellationem Apostolorum excipit uniuersus chorus Ecclesię,et pergit cœptã patris concionẽ de filij sui deformitate ꝓsequi, ut exponat causam,non tam, cur paucissimi Euangelio Christi credant,ꝙ cur Christus tantam deformitatẽ in se assumpserit. Ascẽdit (inquit)coram eo sicut uirgultũ,& sicut radix e terra sitienti. Quod dicit: Corã eo,indefinite intelligendũ est,Corã eo,uel Deo, uel homine aliq̃ spectatore. Et quod addit, E terra sitienti,ad utrumq; ꝓ, uidelicet, Virgultum,& radicẽ,referẽdum est. Nam in locis siticulosis & aridis solent quidẽ aliquoties pullulare & enasci uirgulta aut surculi,sed quia nõ habent humorẽ ac terrę pinguedinẽ,nõ sunt iucundi aspectu,non florent,nõ uidentur aliquẽ fructum ferre. Sic et Christus,cum aduenisset in carne,& suscepisset prędicatione Euangelij administrãdum regnum suum, non fuit insignis amplitudine mundanę potestatis,nõ floruit maiestate regia,nõ uisus est sapientibus huius mundi,talis,ac tantus, ꝙ posset populũ suum liberare & seruare, sed habitus est ueluti inutile uirgultum, & aridus surculus in terra deserta,qui aptior sit,quo ignẽ succendas, aut pedibus conculces,cui̯ e quo fructum aliquem speres. Vnde sequitur: Non est species ei,uidelicet uirgulto,nec decor. Cum uidemus illud uirgultum,nihil habet pulcritudinis,ut cupiamus illud. Sic & Christus filius Dei,despectus est,& contemptissimus uirorum, plenus dolorum,& infirmitatum: Adeo contemptus, ut ne aspectu quidem dignus putaretur,sed auerterentur ab eo uultus. Vnde nec reputauimus eum. Quid autem hic lõga interpretatione opus? Nam,ꝙ hæc filio Dei,Iesu Christo Dño nostro in terris contigerint,notius est, ꝙ ꝗd in prȩsentia pluribus cõmemorari debeat. Etsi.n. fuit doctrina & miraculis illustris,tñ primum,ratio uitę eius in hoc mũdo nequaq̃ uisa est rñdere maiestati,quæ de Messia scripta est. Expectabatur rex Mundanus et potẽtissimus oĩm in hoc seculo Monarcha, sed egit priuatum genus uitę,et fuit prorsum inermis. Deinde nihil

eo

eo fuit coram Principibus & Pontificibus populi Dei odiosius. Postremo, cum captus esset, & sisteretur ad tribunalia Pōtificum, & Pilati, tanto contēptu & inuidia laborauit, ut prę ferretur ei sceleratissimus latro. Quid, q̄ cum ostentaretur palā, ut erat flagellis laceratus, & spinis coronatus, in tāta fuit abominatione, ut plerique oēs uociferarentur, Tolle, tolle, Crucifige eum? Hoc certe uere illud erat, quod hic dicitur: Adeo contēptus, ut etiam uultus ab eo auerterentur. Nam quid addam, q̄ morti adiudicatus, suspensus sit medius inter duos latrones, & insultauerit ei, tanq̄ perditissimo nebuloni & impostori omne hoīm genus? Nec inter tot hoīes, in quos maxima bn̄ficia contulerat, quorę alios a lepra mūdauerat, alijs uisum restituerat, alios ex claudis, integros reddiderat, alios etiā a morte exciūauerat, uel unus erat, qui se in medium statueret, & testimonium innocentiæ eius, contra tam impudentissima mendacia, & uirulentissima cōuicia, publice diceret. Quid est despectio, quid abiectio, si hęc nō est? Etsi. n. multi etiā alij hoīes tractati sunt ī extremis suis supplicijs crudelissime & cōtumeliosissime, tñ nullū, nec hoīm memoria, nec literarę monumētis inuenias, q̄ de q̄uis hoīm genere tā bñmeritus, tā indignis modis tractatus fuerit. Quod cū Esaias hoc loco sic cōmemoret, an nō fuit Propheta magno spiritu præditus, q̄ passionē filij Dei, tot ante annos, ita describit, quasi fuisset corā prę sens oīm rerę spectator? Sed hęc nostri causa prędicta, et literis mā data sunt, ut, quod Christus sępe monet, cū facta fuerint, credamus. Et Petrus ait. Spūs Christi, q̄ in Prophetis erat, testabatur uēturas, priusq̄ acciderent, in Christum afflictiones, & quæ essent consecuturæ, glorias. Quibus & illud reuelatum est, q̄ haud sibi ipsis, imo nobis ministrarent hæc &c. Quare excitemur his scriptis ad agnoscendum filium Dei, & confirmemus fidem nostram, ut cum certi facti sumus, hunc Iesum, in quo hæc impleta sunt, esse uerum Messiam, ac nobis a Deo Patre suo in seruatorem nostrę donatum, nō timeamus mala, etiamsi ambulemus in medio umbræ mortis.

Ioan. 13.
Ioan. 14.
Ioan. 16.
1. Pet. 1.

VERE LANGVORES NOSTROS IPSE TVLIT, ET DOLORES NOSTROS IPSE PORTAVIT &c.

Ecclesia cōmemorauit deformitatē filij Dei, in ministeriō, in passione & cruce eius. Nūc igitur incipit cōmemorare causam, cur filius Dei tā deformis factus sit, & exponit qs sit usus, qs finis huius tātę deformitatis. Ac ꝑfecto, si nobis uera salus nostra curæ est, nihil debet hac concione nobis preciosius esse, ꝓpterea q̄ præcipua pars doctrinę Christianismi fere nusq̄ alias tam perspicue continetur. Euāgelistæ describūt aduentū Christi in carne: sed hic describitur, q̄ beneficia Christus aduētu suo secum nobis attulerit. Euāgelistę describunt historiā passionis & mortis Christi: Sed hic describi

tur, quis sit usus, quæ utilitas huius passionis & mortis. Euangelistæ recitant Resurrectionem Christi a morte, sed hic recitatur quis fructus resurrectionis non tam ad Christum, q̃ ad nos redeat: Quarum rerum cognitio affert nobis æternam iusticiã & salutem. Hæc igitur descriptio debet nobis esse commendatissima. Certe, inquit, languores seu infirmitates nostras ipse suffert, & dolores nostros ipse portat, nos uero putabamus ipsum cæsum esse & afflictũ percussione Dei. Cum uideremss eum, tam deformem, tam fœdum, tã abominabilem esse, statim uenit nobis in mentem, non nostrarꝝ infirmitatum et iniquitatum, sed diuinæ seueritatis erga ipsius pręuaricationes. Iudicabamus em̃, pro humanę rationis ingenio, eum diuinitus, ꝓpter sua ipsius delicta, tam horribiliter afflictum. Sed cũ rem ipsam, ut est, per spiritum sanctum edocti, consideramus, agnoscimus eum, non sua culpa, non suorꝝ peccatorꝝ, quorꝝ nullum habet, meritis, sed nostra culpa, & meritis nostrorꝝ peccatorꝝ tam fœde lacerari, ac nostras ipsum infirmitates sufferre. Hic initio obserua ingenuã confessionẽ Ecclesiæ, ꝙ & ipsa, si suis ingenij uiribus, & suæ sapientiæ relinquatur, turpiter erret. Nos putauimus (inq̃t) eum percussione Dei cęsum, hoc est, propter sua ipsius pctã diuinitus punitũ. Hoc est uetus humanæ rationis iudiciũ, ꝙ ubi uidet in hoĩe aduersa, ibi etiãsi nullum uidet pctm̃, tñ statim iudicat subesse in eo pctm̃, ꝓpter q̊d aduersis puniatur. Cum. n. sentit Deum esse Iustũ, existimat fieri nõ posse, ut quispiã affligatur a Deo innocẽs. Eliphaz apud Iobem, uidet in Iobe horrendas afflictiones. Etsi aũt nunq̃ꝫ uel uidit uel audiuit Iobem scelus aliq̊d aduersus Deum perpetrasse, tñ statim ꝓnunciat eum non peccatorem tm̃, sed etiã pctis suis afflictionẽ meritum. Recordare, inq̃t, obsecro te, quis unq̃ꝫ innocẽs perijt, aut qñ recti deleti sunt? Et postea ca. xxij. accusat eũ manifeste istorum peccatorꝝ, quorum nec Iob ullum unq̃ꝫ fecerat, nec Eliphas Iobẽ conuincere poterat, sed iudicat eũ ista fecisse, tm̃ quia uidet eum afflictum. Nunquid Deus timens te (inquit) arguet te, et ueniet tecum in iudicium, Et non ꝓpter maliciã tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas? Abstulisti. n. pignus fratrꝝ tuorꝝ sine causa, & nudos spoliasti uestibus. Aquam lasso nõ dedisti, & esurienti subtraxisti panẽ &c. In Euãgelista Ioãne uidẽt discipuli in hoĩe afflictionẽ cæcitatis. Cõtinuo igitur iudicãt hũc cęcũ afflictũ esse, uel ꝓpter suũ ipsius pctm̃, uel ꝓpter pctm̃ parentũ. Nõ possunt. n. cogitare, ꝙ Deus iustissimus affligat aliquẽ absq̃ꝫ merito pctĩ. In Actis Apostolicis, Melitẽses uidẽt uiperã pẽdentẽ e manu Pauli. Statĩ igitur cogitãt eũ homicidã esse. Sic cõfitetur et hoc loco Ecclesia, ꝙ cũ uidisset Christũ horribiliter affligi, iudicauerit eũ diuinitus ꝓpter sua ipsius pctã puniri. Sed hic est reijciendus error. Etsi. n.

Iob 4.

Deus

Deus inuenit in omnibus hoĩbus, pręterq̃ in Christo filio suo, peccata, tñ non solet semper hoĩes propter pctã affligere. Sed quemadmodum afflixit Christum filium suum ꝓpter aliena pctã, & ut afflictione eius glorificaretur, ita etiã affligit aliquoties hoĩes, non propter sua ipsoꝝ pctã, sed ꝓpter alias quasdã causas, uidelicet, ut uel nomẽ eius illustretur, uel impios, piorum aduersis, de ira sua admoneat, uel pijs maiora fœlicitatis bñficia conferat. Quare, cum Ecclesia ipsa suum errorẽ in hac re cõfiteatur, manifesta est uanitas eoꝝ, qui uociferantur Ecclesiã errare non posse. Etsi. n. filius Dei sic tuetur Ecclesiã suam, ut non pereat in errore, conniuet tñ aliquãdo, ut erret, quo omne os obturetur, & omnes sub peccatum concludantur, ut qui seruantur, necesse habeant gloriam Deo dare, ac fateri, se sola Dei misericordia seruari.

Deinde quod hic dicitur: Vere languores nostros ipse tulit &c. citatur a Matt. cap. viij. Cum appetisset, inquit, uespera, adduxerũt illi dęmoniacos multos, & eiecit spũs uerbo, oẽsq; male habẽtes sanauit, ut impleretur q̊d dictũ erat per Esaiã Prophetã, cum ait: Hic infirmitates nostras suscepit & morbos portauit. Nõ est aũt sentiẽdum, ꝙ Euangelista, cũ exponit hũc locũ Esaię, de corporalibus infirmitatibus, quas filius Dei in ęgrotis corporaliter etiã curãdis suscepit, abutatur dicto Prophetę in alium sensum, q̃ꝫ spũs sanctus intelligi uelit. Nã filius Dei suscepit nostras infirmitates, & portauit nostros morbos, duplici ratione. Et de utraq; textus Prophetę intelligẽdus est. Altera, ꝙ suscepit infirmitates nostras curãdas CORPORALITER. Cum. n. uenisset in hũc mundũ, & suscepisset Euangelion suum prędicandum, uocauit ad se oẽs male habẽtes, ut cõferret in eos, etiã externã & corporalẽ sanitatẽ. Venite, inquiẽs, ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis, et ego refocillabo uos. Quod aũt se facturꝝ recepit, hoc & reipsa pręstitit. Sanauit. n. oẽs ęgrotos & male habẽtes, quotq̊t hoc bñficium ab ipso petiuerunt, quemadmodũ testantur Euãgelistę. Dicit & Petrus de ipso: Obambulauit bñfaciendo & sanando oẽs oppressos a Diabolo. Hoc aũt officiũ sanandi ęgrotos a corporalibus morbis, nõ suscepit, ut esset perpetuũ in Ecclesia, in hoc seculo, sed tm̃ ad tẽpus, ut his miraculis autoritas Euãgelij eius cõmendaretur, & cõfirmaretur. Altera ratio est, ꝙ suscepit infirmitates nostras curãdas SPIRITVALITER. Nos. n. obnoxij sumus nõ solum oĩbus corporalibus infirmitatibus, morbis, & aduersis, ueꝝ etiam corporali & æternę morti, ac perpetuo igni gehennæ. Sumus autem his malis obnoxij, propter peccatum. Cum igitur filius Dei uenisset in hunc mundum, ad curandas nostras infirmitates, suscepit expiandum peccatum, quod erat oĩm infirmitatũ & maloꝝ nostroꝝ causa. Hoc autem expiato, infirmitates

noſtræ omnes ſpiritualiter ac uere curabantur. Et ſi enim manent infirmitates adhuc corporaliter, & affligunt pios in hoc ſeculo, tamen nec poſſunt eſſe perpetuæ, nec poſſunt afferre aliquod uere ſalutis incommodum, quia expiato peccato, Deus eſt credẽtibus & inuocantibus ipſum propicius propter filium ſuum, & adoptat eos in ſuorum bonorum hæredes, ac ſeruat eos in morte, ut habeant cœleſtem & æternã uitam. Quare, ſicut filius Dei ſuſcepit in ſe noſtras infirmitates duplici ratione curandas, ita Matthęus apte & recte citauit hunc textũ, de altera curãdi ratione, qua Chriſtus liberauit quidẽ ęgrotos corporalib. morbis, ſed ut his miraculis teſtaretur ſe eſſe uerũ ſpũalem & cœleſtem infirmitatũ noſtrarũ curatorẽ.

IPSE AVTEM VVLNERATVS EST PROPTER INIQVITATES NOSTRAS &c.

Ad ſalutem noſtrã plurimũ refert recte intelligere uſum & fructum paſsionis & crucis Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Quare, cũ ante dixiſſet Eccleſia, de Chriſto Dño ſuo: Languores noſtros ipſe tulit etc. exponit nũc ãpertius, qd ſibi hęc uerba uelint. Poſſent. n. ſic intelligi, cp filius Dei ſuſciperet corporales tm̃ morbos & dolores in hoc ſeculo curandos. Poſſent etiã intelligi, cp ſuſciperet noſtros languores affectũ tm̃ cordis, & cõdolentia ſufferendos, quemadmodũ hoĩes ſani, dolẽt cum ęgrotis ſuis amicis, quorũ tm̃ ægritudo nihil ex iſtorũ cõdolentia leuatur. Interpretatur ergo, qd ante dixit, clariſſime. Vulneratus eſt, inquiens, ꝓpter iniquitates noſtras, & attritus ꝓpter ſcelera noſtra. Nõ tm̃ ſuſcepit curãdos morbos noſtros corporales, nec tm̃ condoluit affectu cordis noſtrę infirmitati, Sed ſuſcepit curãdas iniquitates & expianda pcta noſtra. Et ſuſcepit in corpore ſuo uulnera & attritionẽ, hoc eſt, mortẽ, ut noſtris iniquitatib. & pctis mederetur. In Symbolo Apoſtolico recitamus de Chriſto, Crucifixus, mortuus. Hoc plane illud eſt, qd hic Propheta, aut potiũs Eccleſia dicit, Vulneratus eſt, attritus eſt. Et additur inſuper in hoc loco uſus & fructus crucis ac mortis Chriſti, uidelicet, cp crucifixus et mortuus ſit nõ ꝓpter ſuas ſed ꝓpter noſtras iniquitates. Quare habemus hoc loco interpretationẽ pręcipuorũ articulorũ in Symbolo Apoſtolico. Nec dubito, quin Paulus hoc qd ad Ro. ca. iiij. ſcribit, Traditus fuit propter peccata noſtra, ex iſto Eſaiæ loco ſumpſerit, aut ſaltẽ huc reſpexerit. Nam qd dicit, Traditus eſt, uidetur ꝓrſus illud uerbũ eſſe, qd hic in hębræo textu ponitur, מְחוֹלָל Pro quo nos habemus Vulneratus. Proprie aũt ſignificat, prophanatus, aut abiectus tanquam res polluta & abominabilis. Vnde & mulier uilis, infamis, abiecta & repudiata, uocatur חֲלָלָה. Paulus igitur, cũ ait, Traditus eſt, interpretatur hũc Eſaię locũ, & ſignificat Chriſtum propter peccata noſtra ſica Iudæis repudiatum, & Gentibus

bus crucifigendum traditum, perinde ac si esset longe oīm propha nissimus, & propter quem, si diutius uiueret, uniuersa gens pollue retur. Sed quō cœlestis Pater potuit unigenitum filium suum tan topere dilectum, in tāta prophanatione & attritione propter aliena pctā patiēter uidere, ac non potius, in eos, qui sic turpiter filiū abie cerunt & contriuerunt, fulmen suum torquere? Hic ergo cōsidera mihi primum ingentem seueritatem Dei erga pctā, ꝙ ne filio qui dem suo unigenito, cū aliena tm̄ pctā in se susceperat, parcere uolue rit, ut palā declararet iram suam aduersus pctā nō esse rem ludicrā, & ad terrendos tm̄ imperitos homines excogitatā, sed maxime om nium seriam, ac plane horribilē. Quæ est ergo illa hominum teme ritas, ꝙ tam impudenter, tam pręfracte quęuis scelerꝝ genera desi gnanda suscipiunt? Deinde considera summam Dei caritatem erga humanum genus, ꝙ maluerit perferre filium suum unigenitum in tanta abominatione & attritione, q̄ꝫ conniuere, ut humanum genus periret. Commendat, inquit Paulus, caritatem suam erga nos De us, ꝙ cum adhuc essemus pctōres, Christus ꝓ nobis mortuus fuit.

Nūquid aūt Christus sic attritus est propter pctā nostra, ut quē admodum aliquoties filius affligitur propter iniquitatē patris, cū tn̄ interea nihil consolationis aut liberationis redeat ad patrē ex fi lij afflictione, ita nihil nobis fœlicitatis ex Christi attritione contin gat? Aut, quēadmodum si quis pro amico paupere exolueret credi tori debitum mille talentorꝝ, amico aūt ipsi ad sustentādam inopiā nihil numeraret, an ita q̄uoq̄ꝫ exoluit Christus ꝓ nobis debitū, ut nihilominus interea nobis sit esuriendum et dolēdum? Absit. Ne em̄ hęc sic intelligeremus, statim additur: Disciplina pacis nostrę su per eum, & liuore eius sanati sumus. hoc est, Castigatio seu supplici um eius est pacificatio nostra: & Liuor, tumor, uibex, cicatrix eius, est emplastrum seu sanatio nostra. Allegat & Petrus hunc textū, i. Pet. ij. & interpretatur eū diserte de Christo. Qui pctā, inquit, no stra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quo pctīs mortui, iu sticię uiueremus. Cuius eiusdē uibice sanati sumus. Quid ergo nūc nobis deest? Filius Dei, disciplina seu supplicio suo, non tm̄ dedit pœnas ꝓ pctīs nostris, uerꝝ etiam pacificauit & recōciliauit nos cū Deo Patre suo, ut pater nobis sit ꝓpicius ꝓpter filiū, et adoptet nos in hęredes oīm cœlestiū bonorꝝ suorꝝ. Pręterea, filius Dei, liuore, seu uibice aut cicatrice sua non tm̄ exemit nobis pus e nostro ulcere aut uulnere, sed etiā cōtulit in nos uerā sanitatē. Donat. n. nobis suā iusticiā, imputat nobis oēm suā sctītatē, ut ea tāq̄ nostra corā tribu nali Dei fidamus. Donat etiā nobis spūm sctm̄, ut expurgemus reli qas carnis, et inchoemus, etiā reipsa, in nobis donatā et imputatā iu sticiā. Hęc est uera sanitas, qua tm̄ uiriū cōcipimus, ut non amplius

morte occumbāmus, ſed perpetuo in cœleſti gaudio uiuamus. Nihil quidem humanæ rationi ſtultius uidetur, q̄ credere aliena uulnera eſſe noſtrorum uulnerum emplaſtra. Sapientes huius mundi docent pueros ſuos pene ab incunabulis hos uerſiculos: Cum ſis ipſe nocens, moritur cur uictima pro te: Stulticia eſt morte alterius ſperare ſalutem. Quod recte quidem de impiorū uictimis dicitur. Sed humanę ſapientię non minus ſtultum uidetur, ſperare ſalutem morte hominis crucifixi, q̄ morte pecudis. Compeſcenda autem eſt humana ſapientia uerbo Domini, & conſiderandum, q̄ hoc redemptionis noſtræ myſterium, non ſit humano ſomnio excogitatum, ſed ab initio orbis terræ diuinitus reuelatum, & adumbratum, ut ſuo tempore filius Dei aſſumeret hominem, & ſanaret ſuo uulnere, noſtrum uulnus, quod nobis ſerpens ille antiquus inflixerat. Quare ſermo crucis ſtulticia quidem eſt, ſed ijs, qui pereūt, ut Paulus ait, nobis autem ſumma eſt ſapientia & potentia, qua ueram & æternam ſalutem conſequimur.

OMNES NOS QVASI OVES ERRAVIMVS, VNVSQVISQVE IN VIAM &c.

Pergit in eadem expoſitione, quā de cauſa, de uſu & fructu paſſionis filij Dei cœpit. Non enim filius ipſe Dei autor eſt deformitatis & ſupplicij ſui, aliquo errato ſuo: ſed nos, nos inquam homines erroribus & iniquitatibus noſtris, in cauſa ſumus, cur tam horribiliter ipſe afflictus ſit. Nos, inquit, OMNES, quaſi oues errauimus. Vnuſquiſq̄ noſtrum ſuam uiam, ſua ſtudia ſectatus eſt. Sed Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum. Obſerua igitur q̄ Eccleſia iterum confiteatur ſuos errores & ſua peccata, nec ullum hominem excipit. NOS OMNES, inquit, errauimus. Sicut & in Pſalmo dicitur: OMNES declinauerunt. Et: Omnis homo mendax. Pingit autem quicquid id eſt, apta ſimilitudine ouium diſperſarum. Inter pecudes enim nullum animal ſtultius eſt oue. Si quando ouis a reliquo grege aberrauerit, aut grex ipſe ouium diſperſus fuerit, hic uideas turbam diſiectiſsimam. Aliæ pecudes diſperſæ, ſolent ad ſua ſtabula aut paſcua reuerti. Inter oues autem diſperſas, nulla eſt, quæ reuerti ſciat. Vnaquęq̄ ſuam uiam, alia hac, alia illac, alia iſtac aberrat. Nec eſt, quæ redeat, niſi a paſtore comprehenſa & coacta. Talis eſt & OMNIVM hominum conditio. Grex hominum diſiectus eſt, immiſſo Satana, uoraciſsimo lupo, e ſtabulo populi Dei. Adam em̄ creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ut ſi nō peccaſſet, non ſolum ipſe mānſiſſet in ſtabulo diuini gregis, uerumetiam omnes poſteri eius fuiſſent uere populus Dei. Sed poſtq̄ peccauit, admiſſus eſt Satan in gregem totius humani generis, qui & omnes hoſtes diſiecit a ſtabulo Dei, &

& eos tã stupidos ac inertes reddidit, ut nullus eorum nec sciat, nec uelit, nec possit ad dominicum gregem reuerti. Sed unusquisq; sectetur desideria sui cordis, ac ne requirat quidem natura sua reditũ ad Deum. Accedit & hoc, q; humana natura peccato sic corrupta & uitiata est, ut & si quispiam spiritu sancto reductus fuerit ad Ecclesiam Dei, retineat tamen adhuc in carne sua ueterem Adamum, qui gerit cum spiritu sancto continuum bellum usq; ad mortem, quasi ouis, quæ semel aberrauit à reliquo grege, tam stupida facta est, ut etiam a pastore reducta, meditetur iterum discessionem ac fugam. Recte igitur & apte confertur humanum genus, cum erroribus ouium, ut si nõ uolumus iniquitatem nostram in nobis ipsis cognoscere, admoneamur de ea, spectaculo dispersionis, & errorum ouium. Sed num Deus passus est, ut humanũ genus sic misere dispersum, in erroribus, & iniquitatibus suis periret? Nihil minus. Sed misit pastorem, qui susceptis in se, & expiatis iniquitatibus nostris, nos ab errore, ad stabulum dominicum reduceret. Posuit (inquit) Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Pro (posuit) hebræis est, הפגיע hiphgia, quod proprie significat, fecit incurrere aut impetum facere, & in cædẽ irruere. Docet igitur hic locus, q; peccata nostra non simpliciter incubuerint in Christũ, sed tanto impetu incurrerint in eum, ut etiam intulerint ei mortem. Itaq; nos sumus peccatis nostris autores, q; filius Dei tam deformis, & tam turpis factus sit. O nos miserrimos, si tantæ turpitudinis filij Dei autores, nõ solum non agnoscimus peccata nostra, uerumetiã impudenter & pręfracte ea designare pergimus. Sed econtra, o nos beatissimos, si agnitis peccatis, filium Dei, peccatorũ nostrorum expiatorem, fide amplectimur, & obediẽtia nos ei gratos exhibemus. Cæterum, nec hoc silentio prætereundum est, q; textus non dicit, Posuit in eo iniquitatem aliquorum tantum, Sed dicit NOSTRVM OMNIVM. Nam hoc plane illud est, quod postea Paulus scripsit: Conclusit, inquens, Deus OMNES sub incredulitatẽ, ut OMNIVM misereretur. Quid ergo dicemus? Si Deus fecit incurrere in filium suũ pctã OMNIVM, & miseretur OMNIVM, quid est, q; nõ oẽs seruãtur, & cœlestem hæreditatem accipiunt? Manifestum eñ est, q; magna hominũ pars perpetuo intereat, ad quos dicetur: Ite maledicti in æternum ignem etc. Respondeo. Q; non oẽs homines seruentur, non est in causa filius Dei, sed homines ipsi. Filius enim Dei, quod ad se attinet, sufficiẽter expiauit omnium hominum peccata, & offert etiam omnibus hominibus remissionem peccatorũ, ac salutem accipiendam. In omnem enim terram exiuit sonus eorum. Et, Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tm, uerumetiã pro totius mundi. Sed non omnes homines accipiunt hanc

oblatam salutem. Offertur enim salus per Christum parta, prædicatione Euangelij de Christo, & accipitur FIDE. Etsi autem Euangelion prædicatur inter omnes gentes, tñ non omnes credunt Euãgelio. Pereunt igitur, non Christi aut Euangelij eius, sed suo ipsorum uitio, & incredulitate. Non est aũt hoc loco dissimulanda noua illa corruptela, qua impij doctores, hanc saluberrimam doctrinam, de eo, q̃ Dominus coniecerit peccata OMNIVM nostrum in filium suum, uitiant & peruertunt. Fatentur enim uerbis, omnia ea, quæ Prophetæ & Apostoli de expiatione peccatorum per solum Christum parta adnunciauerunt, uera esse, sed INTERIM fingunt longe alios modos applicandi nobis beneficium Christi, q̃s Spiritus sanctus in scriptura tradidit. Dicũt enim Solum quidem Christum expiasse peccata, & meritum esse nobis peccatorum remissionem, Sed hanc expiationem et hoc meritum Christi applicari nobis sacrificio Missæ, quod sacrificulus secum murmure suo peragit, & ieiunijs, & alijs operibus ad gloriam Dei susceptis. Hæ nugæ, ut olens fœtidissimam ambitionem, qua isti student conseruare dignitatem Pontificum & sacrificulorum, ita sunt in Christum & ministerium ab ipso institutum cõtumelioſæ. Christus enim non instituit sacrificium Missæ, aut ieiunium, aut tale quid, quo meritum eius hominibus applicetur: Sed instituit prædicationem Euangelij, & dispensationem Baptismi, ac cœnæ dominicæ (Isti enim longe inter se differre sentiunt sacrificium Missæ suæ, & dispenſationem cœnæ Dñi) in hunc usum, ut essent organa, quibus expiatio seu meritum Christi hominibus offerretur seu proponeretur, & fide acciperetur. Hęc est uera applicatio, a filio Dei instituta, uidelicet, quod beneficium eius reuelatur & accipiendum proponitur prędicatione Euangelij, & applicatur distributione horę duorum Sacramentorę, Baptismi & cœnę Dñicę. Si ergo, quod offertur & applicatur, accipitur fide, applicatio sortitur suum legitimum finem: si uero non accipitur Fide, ministerium quidem applicationis suam retinet autoritatem, ille aũt qui non adhibet fidem, nullam accipit bñficij Christi, quod oblatum & applicatũ est, utilitatem. In Marco dicit Christus ad Apostolos: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Vides hic institui prędicationẽ Euangelij, ut hoc ministerio ꝓponantur & applicẽtur beneficia Christi uniuerso mundo, & omnibus creaturis, hoc est, tam Iudæis, q̃ gentibus. Sed qui hęc ꝓpoſita & applicata bñficia accipiant, & ipſis fruantur, q̃uero eareſ̃ciant, & nõ fruantur, docet id, q̃d in Marco mox sequitur: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluabitur. Qui uero nõ crediderit, condẽnabitur. Et in Luca: Oportebat Christũ pati & resurgere a mortuis tertio die, & prædicari noĩe eius pœnitentiam & remissionem peccatorum

peccatorum in omnes gentes. Vides iterꝫ, prædicationẽ Euangelij in hoc inſtituta, ut offerat & applicet omnibus gentibus remiſsionẽ peccatorum, quæ eſt beneficium Chriſti. Ad Rom. ſcribit Paulus: Euangelion, inquiens, eſt potentia Dei ad ſalutẽ omni credenti Iudæo primum, ſimul & Græco. Hic duo diligenter obſeruãda dicuntur. Alterꝫ, q̃ miniſterium prædicandi Euangelij ſit organon, quo proponitur & applicatur ſalus oĩbus hominibus. Hi. n. nomine Iudæi & Græci cõprehenduntur. Alterꝫ, q̃ qui accipit Euangelion FIDE, is etiam accipiat diuina potẽtia, ueram & ꝯternam Salutem. Et alias dicit Paulus: Fides ex auditu eſt, Auditus aũt per uerbum Dei. Ergo prædicatio uerbi Dei organon illud eſt, per quod fides concipitur, hoc eſt, ꝓpoſitum & applicatum beneficium accipitur. In ſacrificio autem Miſſæ, nec eſt prꝯdicatio, nec auditus. Nõ em̃ loquor nunc de ñs uel lectionibus, uel cõcionibus, quæ ſacrificium præcedunt, aut ſequuntur, ſed de ipſo ſacrificij opere. In hoc opere tm̃ abeſt, ut ſit prædicatio Euãgelij Chriſti & auditus, ut hi, qui primas in Eccleſia Chriſti tenere uidẽtur, publicis Reformationibus prohibeãt, ne uerba illa, quibus opus ſacrificij in Miſſa peragi dicunt, palã, audiente uulgo, legãtur, ſed tacite a ſacrificulo murmurentur, ne tm̃ myſterium prophanetur. O Chriſte, quãdo tandẽ deſinent iſti, in Eccleſia tua ludere, & tuę maieſtati ſic impune inſultare? Scilicet myſterium Euangelij tui, quod tu tam diligẽter in cœna tua adnunciari uoluiſti, teſtante Apoſtolo tuo Paulo, ſic dicẽte: Quotieſcunq; comederitis panẽ hunc & de poculo biberitis, mortem Dñi adnunciate, donec ueniat, & q̃d iuſsiſti in totum orbẽ uulgari, prophanatur & contamĩnatur, cum Eccleſię audiendum recitatur? Quid eſt contumelia in Chriſtum & miniſteriũ Euãgelij eius, ſi hæc non eſt? Sed ualeant illi. Nos audiamus hic in Eſaia concionem Eccleſię, quę dicit, Dñm conieciſſe in filium ſuum iniquitates OMNIVM noſtrum, uidelicet, non ut opprimerent ipſum perpetua internecione, ſed ut per ipſum expiarentur. Quæ expiatio applicatur nobis non ficticio illo Miſſæ ſacrificio, & tacita murmuratione ſacrificuli, de quo dubites, nũ uel aliquid ſacri recitet, uel magica carmina ſecum muſsitet, ſed applicatur nobis miniſterio prædicandi Euangelij accipienda per FIDEM, non illam, quam ſibi etiam hypocritæ ſomniant, & quæ meritis ſuæ ipſorꝫ iuſticiæ nititur, ſed per iſtam ueram fidem, quæ ſola gratuita miſericordia Dei propter Ieſum Chriſtum nobis exhibita, nititur.

Quæſo autẽ te, numera mihi diligenter, quoties in hac unà, eaq; parua admodum περικοπῇ repetatur & iteretur, filium Dei afflictũ eſſe propter noſtra peccata, & obrutũ noſtris iniquitatibus. Et cur hanc diligentiam iſti concioni nõ prꝯſtaremus, cum ea toties nobis

cœlestibus testimonijs sit commendata? Numeremus igitur.

I. Vere languores nostros ipse tulit.

II. Dolores nostros ipse portauit.

III. Vulneratus est propter iniquitates nostras.

IIII. Attritus est propter scelera nostra.

V. Disciplina pacis nostræ super eum. Vel, Supplicium super eum, ut nos pacem haberemus.

VI. Liuore eius sanati sumus.

VII. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

VIII. Abscissus est de terra uiuentium, Propter scelus populi mei percussi eum.

IX. Dedit impios in sepulturam suam, & diuitem in mortẽ suam.

X. Si posuerit animam suam hostiam pro peccato, uidebit &c.

XI. Iniquitates eorum ipse portabit.

XII. Peccata multorum tulit.

Quid ergo sibi uult repetitio eiusdem rei toties iterata? Hęc ταυτολογία esset eruditulo cuidam Rhetori abominabilis. Sed nec Spiritus sanctus delectatur inani βαττολογίᾳ. Et tamen cum in hoc capite uideatur βαττολόγος καὶ ταυτολόγος esse, dubium non est, quin tractet rem cognitu maxime omnium necessariam. Nam & gentium literæ tradunt ea, quæ pulcra sunt, iterum atq; iterum repetenda: διὰ καὶ τρὶς τὰ καλά. Et alius quispiam petit ciuibus dici non ornata, sed necessaria: Μή μοι λέγε τὰ κόμψα, ἀλλ' ὧν δεῖ πόλις. Dicantur & nobis, non uerba artificiose composita, sed saluti Ecclesiæ utilia. In hoc igitur capite toties repetitur, q̃ filius Dei susceperit pctã humani generis expianda, primum, quia cognitione huius rei, ad nostram ueram et æternam salutem nihil magis nobis necessarium est. Nisi.n. cognoscimus & credimus, filium Dei sustulisse in se pctã nostra, non iustificamur coram Deo, non adoptamur in filios Dei, nõ seruamur in morte, sed necesse habemus in pctis nostris, & in morte inęternum perire. Quo exitio, quid põt esse miserius, & perniciosius? Repetitur ergo toties eadẽ res, ut excitemur, & expergiscamur ad collocandum omne studium nostrꝝ in cognoscendo bñficio filij Dei. Deinde experientia ipsa docet, mentẽ hoĩs, iudicio Dei propter pctã territã indigere copiosa cõsolatione. Etsi.n. semel ac etiã iterꝝ iusseris eam bñ cõfidere, q̃ remissa sint pctã ꝓpter Christum, tñ quia horribili Dei ira nimium est exterrita, putat hęc nõ serio, sed tm̃ uulgaris & solẽnis cõsolationis gratia dici. Quare uisum est spũisancto toties in hoc uno capite iterare, filiũ Dei suscepisse in se pctã nostra expianda, ut significet hanc sententiã non esse humana uanitate excogitatã, sed esse uerissimã, certissimã, firmissimã, & cœlesti decreto, q̃ nihil est immutabilius, corroboratã. Nõ contẽnamus igitur, sed

sed potius gratissimo animo excipiamus eam εὐαγγελικὴν, quæ nos de uoluntate Dei tam perspicue certiores reddit, & imbecillitati fidei nostræ succurrit.

OBLATVS EST, QVIA IPSE VOLVIT &c.

Iuxta hebræã ueritatẽ sic legendum est. Mulctatus, seu uiolentiã passus est, & afflictus. Vbi.n. uulgata ẽditio habet (uoluit) ibi est in hebrẽo textu נענה Naaneh, quod significat afflictũ seu inique tractatum. Pro q̃ existimo interpretẽ legisse נעמה Naameh, quod significat placuit. Cũ igitur ante dictũ sit, cp iniquitas oĩm nostræ impetum fecerit in filium Dei, & cõiecerit eum in extremã deformitatẽ, describitur nunc, quanta obedientia, quanta patientia filius Dei hunc impetum susceperit. Etsi enim uiolẽter, crudeliter, & iniquis modis tractatus est, tñ nõ aperuit, (inquit) os suum. Sicut ouis, quę ducitur ad mactationem, & sicut agnus, qui cum tondetur, obmutescit, nec aperit os suum. Hunc locum Petrus & interpretatur, & cohortatur nos ex eo, ut exemplo Christi non reddamus mala pro malis. Quæ est, inquiens, laus, si cum peccantes alapis cędimini, sufferatis? At si cum benefacitis, & tñ malis afficimini, sufferatis, hæc demũ est gratia apud Deũ. Siquidem in hoc uocati estis, q̃m & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia eius. Qui pctm̃ non fecerat, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cum maledictis inceſſeretur, nõ regessit maledicta, cũ malis afficeretur, nõ minabatur, sed tradidit uindictã ei, qui iudicat iuste etc. Etem̃ hoĩes, cum male tractantur, mala uicissim regerunt, cum percutiuntur, uicissim percutiunt, & putãt hanc uicissitudinẽ esse rectam iusticiã. Filius aũt Dei, tm̃ abest, ut mala malis rependerit, ut potius bona ꝓ malis reddiderit. Vide mihi ouiculã. Hęc siue tondeatur, siue ad lanienã trahatur, nõ remordet, imo ne uociferatur quidem, sed sustinet oĩa patiẽtissime. Siq̃ & filius Dei raptus ad lanienã crucis, nõ inuectus est uirulenter in raptores, sed factus est obediens usq̃ ad mortẽ. Ac alij quidem hoĩes, uiolẽtiam passi, etsi coguntur aliq̃ties os cohibere, ne uerbis remurmurẽt, aut sua spõte abstinent se a cõuicijs, ne ijs potentiorẽ, q̃uim infert, magis irritẽt, q̃ mitigent, tñ cor solet esse natura sua impatientissimum, pręsertim cum iudicat sibi iniuriã fieri, & cum non audet uerbis usurpare licẽtiam in malefactorẽ, flagellat eũ grauissimis cogitationibus animi. Filius aũt Dei, in afflictione sua, non solum nõ remurmurauit uerbis, sed ne cogitatione quidẽ precatus est mala malefactoribus suis, imo potius, ꝓ crucifixoribus suis orauit, quẽadmodum postea sequitur. Qua obedientia & patientia pręstitit nobis & bñficium & exemplum. Bñficium est, cp hac obedientia fecit nobis Deum Patrẽ propicium: & sicut antea per inobedientiã unius hoĩs, quemadmo-

1. Pet. 2.

dum Paulus ait, pctōres constituti fuimus multi, ita per obedientiā unius iusti constituuntur mūlti. Exemplum est, sicut paulo ante ex Petro recitauimus, ꝙ non debeamus mala malis rependere, sed malum bono uincere. Durū hoc uidetur carni, sed spiritus Christi efficit molle & facile. Iniquū uidetur sapiētiæ carnis, sed spiritus Christi iudicat esse æquissimum, quippe ꝙ nihil æquius sit, quam uerbo Dei, quo iubemur proximum diligere, ac etiam inimico benefacere, obedientiam præstare.

DE ANGVSTIA ET DE IVDICIO SVBLATVS EST: GENERATIONEM EIVS &c.

Quid? Dicet quispiam. Filius Dei percussus est, uulneratus est, attritus est, & pessime oīm afflictus est ꝓpter nostras iniquitates. Nunquid ergo his uulneribus & afflictionib. perijt? Nunquid sic nos iuuit, ut interea ipse perpetuo occubuerit? Sic patriā suam iuuare uisi sunt, Curtius et Decius Romani, ut tñ ipsi interierint. Sed lō ge alia est filij Dei cōditio. Hic, n. & si captus, uinctus, angustijs obrutus, morti adiudicatus, & tandē mortuus fuit, tñ de uinculis, de angustijs, & de morte ita sublatus est, ut generationem seu durationem eius nullus uerbis explicare possit. Resurrexit, n. a mortuis, & durat nunc ęternis, ut ita dicā, generationibus, ac perpetua ętate. Regni eius nullus est finis. Christus, inquit Paulus, excitatus a mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dñatur. Quis ergo est, qui postꝙ Christus a mortuis resurrexit, gñationem, seu durationē eius enarrare queat? Hæc est scriptura illa, quā Eunuchus Reginę Candaces in curru legit, & quā Philippus iubente spū sctō, interpretatus est, de Iesu Christo seruatore nostro, quēadmodum scriptum est Act. viij. Quare, etiāsi agelus de cœlo reclamaret, & de alio interpretaretur, tñ nihil nobis certius est, q̄ ꝙ hęc de solo Dño nostro Iesu Christo intelligēda sint. Precādum aūt nobis est, ut quē fructum hęc scriptura attulit in Eunucho Æthiopico, eundem etiam in nobis afferat, ut uere credamus filium Dei esse Iesum Christum, & per uiam nostram gaudentes incedamus.

QVIA ABSCISSVS EST DE TERRA VIVENTIVM &c.

Hac iam octaua, ni fallor, uice cōmemorat filium Dei afflictum esse ꝓpter nostras iniquitates. Ac possent quidē hæc uerba tribui Deo Patri. Ostendimus, n. supra, ꝙ in hac cōcione interloquātur, nunc Deus Pater, nunc Apostoli, nūc Ecclesia, sed quia mox sequitur, Dominus uoluit conterere eum, Quæ uerba tribuenda sunt Ecclesiæ, sentiamus & hoc loco Ecclesiam pergere loqui usqꝙ ad finem ferme huius capitis, uidelicet, Pro eo quod laborauit anima eius &c. Nam quod hic dicitur, Propter scelus populi mei, recte

accommodatur

accommodatur Ecclesiæ, quod membra sua uocet populum suum. Habet autem & hic locus Apostolica testimonia, quod intelligendus sit tãtum de Iesu Christo, seruatore nostro. Nam, ut nihil nunc dicam de testimonio, in Actis Apostolicis ca. viij. quod paulo ante recitauimus, Petrus in priori sua epistola, cap. iij. ad uerbum de Christo recitat, quod hic scribitur, Pctm̃ non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Huc alludit etiã Ioannes, cum in priori epistola ca. iij. ait. Scitis q̃ ille apparuit, ut peccata nostra tolleret. Et pctm̃ in eo nõ est. Quod igitur Ecclesia dicit, hanc habet sententiã. Filius Dei abscissus est de terra uiuentiũ, hoc est, Occisus est, ut nõ amplius inter hoĩes in terra corporalẽ ageret uitã. Occisus aũt est, nõ sua aliqua culpa, sed ꝓpter scelus populi mei, ꝓpter transgressionem membrorũ meorũ, quibus plaga debebatur. Nam ubi uulgata trãslatio habet, Percussi eum, ibi in hebræo textu est, Plaga eis, hoc est, Supplicium debebatur hoĩbus, seu mẽbris Ecclesiæ, propterea q̃ homines peccauerãt: sed filius Dei susceptit in se plagã istã, ut pctã nostra expiaret. Et sequitur. Dabit impios pro sepultura &c. hoc sic uerti debet. Dedit impios in sepulturã suã, & diuitẽ in mortẽ suã. Etsi. n. præpositio (IN) non adĵcitur in hebræo textu, ad nomen sepulturæ, tñ quia in posteriori parte huius sententiæ adĵcitur ad nomen mortis, etiam in priori parte subintelligenda est. In sententijs em̃ copulatiuis apud hebræos, posterior pars solet interpretari priorem, id quod non tam in Prouerbĵs Salomonis, q̃ in Prophetis frequentissimũ est. Exponitur aũt hac sententia, quid filius Dei abscissione sua de terra uiuentium, hoc est, morte & sepultura sua effecerit. Mortuus quidem est, & sepultus, nõ autem solus ingressus est in mortem & sepulcrum suum, sed assumpsit secum impios, & diuites, hoc est, Iniquos. Diuites enim non in sacra tantum scriptura, uerum etiam in literis Gẽtium pessime audiunt. Christus uocat Diuitias, Mammonam iniquitatis & Spinas. Et, Dines, inquit, difficile intrabit in regnum cœlorum. Alias autem dicitur: Dines aut iniquus, aut iniqui hæres. Quare Dines in hoc Esaiæ locõ pro iniquo intelligitur. Cum igitur filius Dei moreretur, & sepeliretur, duxit secum in mortem & sepulcrum suum impios & iniquos, ut expiata & sepulta impietate ac iniquitate ipsorum, fruerentur una cum ipso beneficijs resurrectionis eius. Nam hoc plane illud uidetur, quod postea Paulus dixit: Quicunque baptisati sumus in Christum Iesum, in MORTEM eius baptisati sumus. SEPVLTI igitur sumus una cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus &c. Et mox, Si mortui sumus cum Christo, credimus, quod &

uiuemus cum illo. Et alias: Mortui estis cum Christo, ab elementis mundi. Et: Siquidem emortui estis, & uita uestra abscondita est cũ Christo in Deo. Sed quõ potuit Christus impios et iniquos secum in mortem & sepulcrum suum assumere, ut iniquitas eorũ sepelirẽtur? Additur huius rei causa. Dedit (inquit) impios in sepulturam suam, & iniquos in mortẽ suam, propterea q̃ ipse iniquitatem non fecerit, & non sit inuentus dolus in ore ipsorũ. Si.n. Christus fecisset ipse iniquitatem, & designasset pc̃tm̃, necesse habuisset solus in mortem et sepulcrum suum ingredi, nec potuisset aliorũ pc̃tã expiare. Nunc autem, quia ipse nullum unq̃ pc̃tm̃ fecit, nec corde, nec uerbis, nec factis, sed est perfecte iustus & sanctus, idcirco expiauit morte & sepeliuit ac aboleuit sepultura sua aliorũ peccata, ut recte & apte dicatur, q̃ duxerit impios & iniquos secum in mortem & sepulcrum suum. Docemur autem hic ueram rationem agendæ pœnitentiæ, & consequendæ æternæ iusticiæ ac salutis. Primum em̃, cũ dicitur, Propter scelus populi mei, quibus plaga debebatur, accusamur omnes peccati, & transgressionis, ac iudicamur rei mortis & damnationis. Exigitur ergo a nobis, ut hanc accusationem et hoc iudiciũ Dei agnoscamus, & fateamur ex corde nos esse pc̃tõres, ac morti & dãnationi obnoxios. Hęc est una pars pœnitẽtiæ, qua fit, ut non doleamus tãtum de peccatis, uerumetiã detestemur ea, & fugiamus quoquo modo fieri potest, tanq̃ præsentissimum nostrũ exitium. Deinde cum dicitur, Christum abscissum esse de terra uiuẽtium, propter scelus populi, & duxisse secum impios ac iniquos in mortem & sepulcrum suum, q̃ ipse nullam unquam iniquitatem fecerit, ostenditur & commendatur nobis uerus expiator peccatorũ, & iustificator noster, ac seruator in morte, uidelicet, Iesus Christus unigenitus filius Dei. Exigitur ergo, ut hũc filium Dei amplectamur fide nostra, & exhibeamus nos obediẽtia nostra erga tantũ benefactorem gratos. Hæc est altera pars pœnitentię, qua spiritus sanctus medetur dolori nostro de peccatis concepto, uiuificat nos iusticia Christi, & conseruat nos ęterna salute. Sed de iusticia Christi, qua nos per fidem iustificamur & uiuificamur, mox dicetur.

ET DN̄S VOLVIT CONTERERE EVM, VT SI POSVERIT AĪAM SVAM HOSTIAM DELICTI &c.

Hactenus sæpe ac multum dixit filium Dei percussum, uulneratum, attritum, & de terra uiuẽtium abscissum. Quis ergo inflixit ei uulnera? Fuerũt ne hostes eius in terris tam potentes, ut suis ipsorũ uiribus præualuerint ei, & contriuerint eum? Nihil certe minus. Sed Dominus, Dominus, inquã, uoluit eum conterere. Sic placuit, sic uisum est Deo Patri, ut ab aduersarijs suis caperetur, & crucifigeretur. Quotidie, inquit, eram uobiscum in templo docens, & nõ

me

me tenuistis. Sed hęc est hora uestra, & potestas tenebrarꝝ. Et ad Pilatum: Non haberes, inquit, in me ullam potestatē, nisi tibi data esset desuper. Sed quō potuit pater tam durus esse erga filium, ut traderet eum hostibus suis tam crudeliter & immaniter conterēdum? Cogitauit ne eum ꝓrsus perdere, & inæternū opprimere? Minime oīm. Sed uoluit eum, si obediret, in summam sublimitatē extollere. Dñs uoluit (inqt) conterere eum, ut si poneret aīam suā ꝓ pctō, hoc est, uictimā seu hostiā ꝓ pctō, uideret semen longęuū, hoc est, redderet posteros suos, æternis seculis fœlices, & uoluntas Dñi in manu eius dirigeretur, hoc est, per ipsum perficeretur & impleretur. Hic initio obserua, ꝙ Christus diserte uocetur אשם id est, hostia seu uictima pro pctō, aut si uno uerbo dicere uelis, piaculū. Quod imitatus est Paulus ad Rom. cap. viij. cum ait. De pctō condemnauit pctm̄. Pro (De pctō) intelligēda est hostia ꝓ pctō. ut sit sensus: Deus cōdemnauit pctm̄ hostia pctī, uidelicet cum filius eius factus esset hostia seu uictima ꝓ pctō. Et ij. Cor. v. Eum, qui nō nouit peccatum, fecit ꝓ nobis pctm̄, hoc est, hostiam seu uictimam ꝓ pctō. Etsi. n. in Mose, diuersa sunt genera uictimarꝝ pro pctō, quorꝝ alterum uocatur חטאת q̊d interpretantur hostiam ꝓ peccato: alterum uocatur אשם quod interpretantur hostiam ꝓ delicto, tñ quia in descriptione legis hostiæ אשם Leui. vi. diserte additum est: Expiabit eum sacerdos corā Dño, et remittetur ei unumquodqꝫ OīM eorum quæ fecit, & in quibus deliquit, idcirco puto spiritum sanctū uoluisse hoc loco Christum אשם potius, q̄ חטאת uocare, ut significaret Christum uere expiasse unumquodqꝫ OīM siue peccatorum siue delictorꝝ, quoq̊ modo ea ab hoībus designata fuissent. Nihil aūt acceptius, nihil iucundius mēti iudicio pctī territę hoc Christi cognomine & appellatiōe dici pōt. Si. n. Christus est, sicut uere est, perfecta hostia ꝓ delicto, cur amplius tā impotenter ad irā Dei trepidares? Hęc. n. iam per hostiā placata est. Aut cur tam muliebriter mortē expauesceres? Postq̄. n. ira Dei placata est, mors sanctificata est per Christum in uiam, nō ad infernum, sed ad cœlum. Nam Christus suscepit, expiato pctō, mortis autore, in se mortē, & ingressus est per eam, non ad Satanā, ut tyrannidi eius subijceretur, sed ad Deum Patrē, ut regno eius frueretur. Itaqꝫ consecrauit uiā mortis, ut q̊tquot in ipsum credūt, ambulēt per eā ad cœleste regnū. De his & id genus alijs admonemur noīe hostię, ut confirmemus fidē nostrā, & cōcipiamus uerā in iudicio pctī & mortis consolationē. Sed q̄d Christus filius Dei effecerit & īpetrauerit per hoc, ꝙ obtulerit seipsum hostiā ꝓ delicto, docet ipse textus: Videbit, inqt, semen, quod prolōgabit dies. Semen Christi, sunt posteri eius, uidelicet, credentes in ipsum, renati non ex semine mortali, sed, ut Petrus ait,

ex immortali per sermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum, qui sermo est Euangelion Dñi nostri Iesu Christi. Hi posteri prolongant dies suos, quia renascũtur non ad uitam corporalem & interituram, sed ad uitã spiritualẽ, cœlestem & perpetuã. Vnde & additur: Voluntas Dñi per manũ eius, hoc est, per Christum ipsum ꝓsperabitur, seu ꝓmouebit, & perficietur. Quæ est ergo illa Dñi uoluntas, quæ per filium Dei promouit, & ꝓsperum successum habuit? Malo hoc ipsius, q̃ meis uerbis dicere. Sic. n. ait apud Ioan. ca. vi. Hæc est uoluntas eius, qui misit me Patris, ne qd perdã ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Et hæc est uoluntas eius qui misit me, ut oĩs qui uidet filium, & credit in eum, habeat æternã uitã, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Habes, quæ sit uolũtas Dñi Dei Patris. Vult enim pater ut omnis qui credit in filium suum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Hanc uoluntatẽ filius Dei, ex eo ꝙ factus est hostia pro delicto, ita perfecit, ut sit causa æternæ salutis, omnibus ijs, qui ei fide obediunt, & ut Apostolus loquitur, unica oblatione reddiderit eos, qui sanctificãtur, perfectos in perpetuum. Quare hoc unum sit studium nostrũ, ut agnoscamus filiũ Dei, & simus posteri ac membra eius per fidẽ. Sic enim fieri non potest, ut pereamus, sed ut iuxta uoluntatẽ Dñi, quæ per Christũ certissime ꝓmouet, æternã salutẽ consequamur.

PRO EO QVOD LABORAVIT ANIMA EIVS, VIDEBIT ET SATVRABITVR &c.

Verba Ecclesiæ excipit Deus Pater Dñi nostri Iesu Christi, & pergit exponere, quid Christus filius eius, & sibi & Ecclesiꝙ, labore & afflictionibus suis impetrauerit. Pro eo (inquit) ꝙ laborauit aĩa eius, uidebit, & satiabitur. De laboribus, de doloribus aĩꝙ, hoc est, totius uitꝙ Christi in hoc seculo, Euãgelistæ & multa & perspicua scripserunt. Vt. n. nihil dicã de paupertate, de fame, de siti, de frigore, de æstu, decꝫ alijs corporalibus molestijs, quibus in ministerio suo, sꝙpe etiam pernoctando, afflictus est, cõsidera mihi saltẽ, quos horrores ex cõspectu mortis, quos dolores corporis, quas ægritudines animi, ex captiuitate, ex defectiõe discipulorꝙ, ex cõtumelijs, ex conuicijs, ex alapis, ex flagellatione, & ex crucifixione perpessus sit. In horto tantis pauoribus concutitur, ut etiã sanguinẽ sudet. In cruce tãtis ꝙrũnis afficitur, ut exclamet palã se a Deo desertũ. Etsi. n. multis alijs hominibus multa grauia & horribilia acciderunt, tamen nullus hominum est, qui tanto unquam animi dolore afflictus fuit, quantum filius Dei pertulit. Nam alij homines, senserunt quidem aliquoties iram Dei aduersus peccatum, & iudicium mortis propter peccatum, non potuerunt autem in hac corporali uita summam eius grauitatem perferre. Solus Christus filius Dei

uere

uere ãgnouit ſummam diuinæ iræ grauitatem, & ſenſit in ſe extremam ſeueritatem iudicij mortis. Quare ſolus is eſt inter homines, qui ſummos dolores pertulit. Quid ergo ex his doloribus conſecutus eſt? Videbit, inquit, & ſatiabitur. Videre hoc loco, non eſt ſimpliciter uidere, ſed eſt magna animi alacritate & uoluptate uidere. Satiari aũt, non eſt corporaliter impleri, ſicut helluones ſolent, ſed eſt omnibus cœleſtibus bonis donari & frui. Quare cũ dicit Chriſtum a labore animæ ſuę uidere & ſatiari, ſignificat eum ex cruce & morte ſua conſequi ſummam fœlicitatem, & ſatietatem ac fructum omnium cœleſtium bonorũ. Non poteſt enim maior eſſe fœlicitas, & bonorum ſatietas, q̃ uidere Deum, ſicut eſt, propterea q̃ Deus eſt theſaurus oĩm bonorum, adeoq̃ BONVM ipſum. Cum igitur Chriſtus ſit naturalis filius Dei, et ita aſſumpſerit hoſem, ut Deus & homo, una eſſent perſona, cõgruens erat, ut in Chriſto humana natura, quæ tanta mala obedienter pertulerat, uideret perpetuo Deum, hoc eſt, frueretur ſemper ſummo bono. Deinde Chriſtus, ex labore aĩę ſuę acquiſiuit ueram & perpetuã fœlicitatem, non ſibi tm̃, ſed etiam omnibus cognoſcẽtibus, & credentibus in ipſum. Sic em̃ additur: Cognitione ſui multos iuſtificat iuſtus ſeruus meus, quorũ iniquitates ipſe portat. Eſt & hoc dictũ, unum e prę cipuis totius ſacrę ſcripturæ. Quare nõ eſt oſcitãter prętereundũ. Ac initio, Pater iterũ uocat Chriſtum, Seruũ ſuum. Quo cognoĩe non negat eum eſſe uerũ ſuũ filium, ſed ſignificat et cõmendat nobis obediẽtiam eius, qua oĩa mãdata ipſius tam faciendo q̃ patiẽdo perfecte impleuit. Vnde etiã tribuit ei epitheton IVSTI. Iuſtus, inquiens, ſeruus meus. Habuit. n. Deus Pater multos alios ſeruos iã inde ab initio orbis terrę, Abraamũ, Moſen, Dauidẽ, & alios Patriarchas ac reges, ſed nullus eorũ tam fidelis ſeruus fuit, ut impleuerit omnẽ uoluntatem Dei, & prę ſtiterit omnem iuſticiam ac obedientiã. Quare nullus eorũ potuit ſua uirtute conſequi iuſticiã, tm̃ abfuit, ut alios ex ſui cognitione iuſtos redderet. Solus aũt Chriſtus filius Dei, tam fidelis ſeruus fuit, ut in mandatis Dei patris ſui abſoluerit omnes partes iuſticię & obediẽtiæ tam faciendo q̃ patiendo. Quare ſolus hic impetrauit, ut non ipſe tm̃ pronunciaretur coram tribunali Dei Patris ſui Iuſtus, uerumetiã, ut omnes cognoſcentes ipſum reputarentur coram Deo Iuſti. Cognitione ſui, inquit, iuſtificat multos. Conſideremus igitur paulo diligentius, Quos, & quomodo filius Dei Iuſtificet. Nam quod dicit: Iuſtificat MVLTOS, non eo intelligendum eſt, quaſi meritum Chriſti non ſufficeret uniuerſo humano generi, & OMNIBVS hominibus ad iuſtificationẽ. Nã expiatio facta per filiũ Dei, tam perfecta eſt, ut ſatisfecerit p oĩbus Omniũ hoĩm pctis. Sed nõ oẽs cognoſcunt Chriſtũ, nec accipiunt

hãc expiationem per fidem, ideoq; nullum capiunt fructum huius expiationis. Quod igitur maluit dicere, Iustificat multos, q̃ iustificat omnes, partim eo respicit, quod non omnes cognoscunt filium Dei per fidem. Itaque non omnes Iustificatione eius fruuntur: partim, quod beneficium filij Dei non pertineat ad unam tantum gentem Iudæorum, sed etiam ad multas alias gentes. Vnde & Ioannes ait: Ipse est propiciatio pro peccatis, non autem pro nostris, uidelicet Iudæorum tantum, sed etiam pro totius mundi, hoc est, pro peccatis aliarum gentium. Et iterum: Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, uidelicet Iudaica, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Et Christus ipse in institutione cœnæ suæ de poculo dicit: Hic est sanguis noui Testamẽti, qui pro VOBIS, & pro MVLTIS effunditur. Vides unam & eandem esse Propheticam & Apostolicam doctrinam, de amplitudine bñficij Christi, quod est Iustificatio. Sed quo modo, aut qua ratione hi multi iustificantur per Christum, iustum seruum Dei? Hic uideas non diuersas tantum, uerumetiam aduersas opiniones. Alij somniant Christum filium Dei proposuisse remissionem peccatorum & iustificationem, tanq̃ ἐφεδρον humanæ iusticiæ, & ipsum sedere spectatorem ac iudicẽ unicuiusq; meriti, ut qui multa sacra fecerit, multas preculas recitauerit, multum ac diu ieiunauerit, huic remittat peccata, & iustificet eum. Qui autem nihil horum operum præstiterit, sed insuper etiam scelera designauerit, eum tradat æterno supplicio. Hoc uero est ex Christo filio Dei facere seuerum legislatorem, non misericordem seruatorem. Hoc est, quantum ad istos somniatores attinet, uniuersum officiũ Christi, ad quod in hãc terram missus est, abolere. Dixit enim: Non misit Deus filium suũ in mundum, ut iudicet mundum, sed ut mundus per eum seruetur. Si enim humana merita expiant peccata, quid opus erat passione & morte Christi? Alij fingunt, Deum in Iustificatione hominis non respicere quidem præcedentia merita, sed respicere uirtutes ab ipso gratis donatas. Dicũt Deum sine ullo meritorum respectu dare homini gratiam. Interpretantur autem Gratiæ uocabulum, non pro gratuito Dei fauore, sed pro his tribus uirtutibus, Fide, spe & caritate, ex gratia & clementia Dei donatis. Et sentiunt, quod postq̃ homo accepit has uirtutes a Deo, reputetur propter eas iustus. Etsi autem ad Iustificationem coram Deo necessaria est fides, ac certũ est, quod cum Deus reputat hominem iustum, donet eum spe & caritate. Sed falsum est, quod Deus reputet hominẽ iustum propter has uirtutes. Habet quidem unaquæq; suum usum, sed non sunt tanti momenti, ut merito ipsarum homo pronuncietur a Deo iustus. Fides, organon illud est, quo accipitur Christus, propter quem solũ

reputamur

reputamur iusti, non autem propter fidem, aut propter meritum fidei, quia fides in homine nunquam tam perfecta est, ut merito sui operis impleat legem, ideoq; recte dicimur Iustificari PER fidem, non autem PROPTER fidem, sed tantum PROPTER Christum. Spes, ea est uirtus, qua retinemur in expectatiõe certa eorum bèneficiorum, quæ nobis sunt promissa, & fide accepta. Non autẽ est uirtus, propter cuius meritum reputemur coram Deo iusti: quia sicut nec fides, ita nec spes tantæ est perfectionis in homine, quantam lex Dei exigit. Caritas autem ea est uirtus, qua fides sese erga Deum & homines exercet, non autem est uirtus in homine, cuius merito imputetur nobis iusticia, propterea q; tanta a nobis caritas diuina lege exigitur, quantam nullus adhuc hominum in his terris unq; præstitit. Quomodo igitur posset hominem coram Deo Iustificare? Alij existimant Christum in Iustificatione hominis peccata ita expiare, ut homo non amplius sentiat in hac corporali uita affectum peccati, nec habeat deinceps quicq; sordidarũ cogitationum, tantum absit, ut operibus ipsis aliquid mali designet. Et si autem in Iustificatione inchoatur expurgatio peccati, & efficiemur in futuro seculo toti mundi & puri a peccatis, tamen in hoc seculo homo, etiã spiritu sancto donatus, nunq; suis caret uitijs, propter quæ fit, ut nemo possit meritis suorum operum corã Deo iustificari. Sunt & alij, recens exorti, qui retinẽt quidem reipsa ueterem impietatem de meritis nostrorum operum, dissimulant tamen fortiter hanc suam sententiam, & omnino uideri uolunt, se hoc præcipue sentire, q; iustificatio contingat nobis tantum merito Christi, Sed INTERIM fingunt nouos modos applicandi huius meriti. Dicunt meritum Christi applicari nobis Sacrificio Missæ, Ieiunijs & alijs operibus a nobis ad cultum & gloriam Dei excogitatis. Quod idcirco fingunt, ut Missaticum suum sacerdotium retineant, & Pontificiam dignitatem conseruent, ac doctrinam de operum meritis nouo quodam prætextu confirment. Sed est eadem omniũ illorum impietas, propterea quod nec Christus instituit tale Missaticũ sacerdotium, cuius sacrificijs, & priuatis murmurationibus, (prohibent enim, ne uerba sacrificij sui, in ipso opere, publice recites) applicentur Ecclesiæ merita Christi, nec instituit in Ecclesia mundanam Pontificum dignitatem, Sed instituit Ministerium, ministerium inquam, non sacrificandi uel corporis Christi & sanguinis eius, uel memorię illius, tacito murmure, sed prædicandi Euangelij Christi, & dispensandi sacramenta eius, quibus organis fit applicatio meritorum Christi in ijs, qui Christum per fidem amplectuntur, quemadmodum supra copiose indicauimus. Quid ergo dicemus? Si filius Dei nullo istorum, quos nunc enumerauimus, modo iustificat homines,

quo modo eos Iustificat? De hac re audienda est in hoc loco concio Dei Patris cœlestis. Iustus (inquit) Seruus meus iustificat, SVI COGNITIONE. Hoc plane illud est, quod Christus in Ioanne dicit: Hæc est uita æterna, ut COGNOSCANT te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Non enim iustificantur, nec uitam æternam consequuntur, qui aut ignorant, aut contemnunt Christum, sed qui cognoscunt eum. Hæc autem cognitio non est intelligenda de cognitione historica: Sic enim & dæmones cognoscunt Christum, & tamen nec Iustificantur, nec accipiunt hæreditatem æternæ fœlicitatis, Sed de Euangelica, quæ est FIDES in Christum. Nam in Euangelio prædicatur Christus, quod sit expiatio peccatorum nostrorum, & quod sit uia, ueritas, uita & Resurrectio nostra. Quæ idcirco prædicantur, non ut historice tantum cognoscantur, sed ut FIDE accipiantur. Fides enim est ex auditu, quemadmodum Paulus ait. Auditus autem per uerbum Dei. Considera igitur mihi diligenter quomodo homines iustificentur per Christum. Deus enim excitat & mittit Apostolos & alios suos ministros, qui prædicant de Iesu Christo, quod sit filius Dei, qui impetrauerit a Deo Patre suo, ut quotquot in ipsum credunt, accipiant remissionem peccatorum, reputentur iusti, & fiant hæredes cœlestium bonorum. Postq̃ autem auditores accipiũt hanc prædicationem FIDE sua, tunc donat se eis Christus, cum omnibus bonis suis, & agnoscit eos cohæredes suos, ut & si multa designarunt peccata, & habent adhuc peccatũ in carne, tamen et illa remittantur, & hoc condonetur, ac reputentur coram Deo tam iusti, q̃ si uniuersam legem suis ipsorum operibus impleuissent. Vide enim hic mihi mirandam commutationem. Christus fide acceptus suscipit in se credentis peccata, & donat ei uicissim suam ipsius iusticiam. Hoc enim illud est, quod hic dicitur: Iustus seruus meus iustificat multos cognitione sui, & iniquitates eorum ipse portat, hoc est, cum Christus accipitur per fidem, tunc tollit in se iniquitates credentis, quæ quia non possunt aliquem locum in Christo tam sancto habere, statim absorbentur, sicut turbida aquę guttula infusa in limpidissimũ fontẽ: uicissim aũt imputat credenti suam iusticiã, ut possit & debeat ea nõ aliter cõfidere, q̃ si ipse eam opere præstitisset. Sed cum hoc donat etiam spiritum sanctum, qui reliquias carnis expurget, ac incipiat iusticiam Christi donatam & imputatam operibus exercere. Hoc illud est, quod Paulus docet, cum in multis locis, tũ præcipue in Rom. ca. viij. Quod lex præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carnẽ, hoc Deus præstitit proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, qui & condemnauit peccatũ, sacrificata carne sua in uictimam pro peccato, ut iustificatio legis in nobis impleretur

pleretur, qui non ſecundum carnem uerſamur, ſed ſecundum ſpiritum. hoc eſt, Chriſtus filius Dei, qui expiauit uictima corporis ſui peccatum noſtrum, donatus eſt nobis in hunc uſum, ut in ipſo haberemus per fidem, tantam iuſticiam, quantam lex a nobis exigit, et ut iuſticia eius, quæ eſt perfecta impletio legis, nobis imputaretur, non quia nihil boni deinceps facere debeamus, ſed ut accepto ſpiritu ſancto, uerſaremur iuxta ſpiritum, & nõ iuxta carnem. Idem uult Paulus cum cap. x. ait: Perfectio legis, Chriſtus, ad Iuſtificationem omni credẽti. Et ad Corinthios: Chriſtus factus eſt nobis a Deo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemptio. Ac rurſus. Eum, qui nõ nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur Iuſticia Dei per illum. Quare Iuſtificat Chriſtus, nõ quia murmuratur ſacrificium Miſſæ, nec quia ieiunatur, nec quia horæ Canonicæ declamantur, ſed quia ipſe cognoſcitur ex prędicatione Euangelij per fidem, & condonat credenti peccata, ac imputat ei ſuam ipſius iuſticiam, donãs ſpiritum ſanctũ, qui mortificet affectus carnis, ut præbeamus membra noſtra ſerua iuſticiæ. Hæc eſt uera Catholica fides, de Iuſtificatione hominis, quam niſi quis ſeruauerit, inæternum peribit.

IDEO DISPERTIAM EI PLVRIMOS, ET FORTIVM DIVIDET SPOLIA &c.

Hic eſt Epilogus huius cõcionis, in quo cœleſtis Pater repetit, prout in Epilogo fieri ſolet, capita paſsionis Chriſti, & beneficiorum, quæ tam Chriſto q̃ Eccleſiæ eius, ex paſsione & morte contigerũt. Habet & hæc pars perſpicua teſtimonia Apoſtolicæ ſcripturæ, q̃ hæc concio, non de alio, q̃ de Ieſu Chriſto filio Dei intelligẽda ſit. Nam apud Lucam dicit Chriſtus ipſe. Dico uobis, quoniam adhuc hoc, quod ſcriptũ eſt, oportet perfici in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Et Euangeliſta Marcus, cum recitaſſet duos latrones cum Chriſto crucifixos, addit. Impleta eſt ſcriptura, quę dicit: Cum iniquis deputatus eſt. Audiamus igitur, quid Pater nobis iterũ de paſsione & morte filij ſui cõcionetur. Primo dicit: Tradidit in mortem animam ſuam. Pro, Tradidit, hebræus habet Effudit, quod eſt aptum uerbum ad ſignificandam obedientiam & promptitudinem Chriſti in ſuſcipienda morte ſua. Non enim captus eſt, & raptus ad mortem cõtra ſuam ipſius uoluntatem, ſed quia cognouit hoc eſſe mandatũ Patris ſui, tãta promptitudine ad tradendum ſe hoſtibus ſuis in mortẽ properauit, quanta feſtinantia & celeritate aqua e ua ſe effuſa in terram decidit, aut rapidus torrens e mõte ad uallem decurrit. Etſi enim in horto orauit, ut tranſiret a ſe calix iſte, tñ hac deprecatione intantum non fuit uoluntati Dei inobediens, ut potius promptam & perfectã ſuam obediẽtiam declarauerit. Teſtificatur

enim hac uoce se ad obediẽdum uoluntati Dei uerꝝ horrorem mortis susceпisse, sine tamen ullo peccato, aut uirulenta mentis rebellione, quia mox addit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis: Adde huc, ꝙ cum hostes eius, qui uenerant ad capiendum ipsum, corruerunt coram eo, potuisset nõ tm̃ manus eorum effugere, sed etiam omnes ad unum perdere, maluit tamen sese ipsis capiendum permittere, & insuper etiã bñfacere (Malcho enim restituit aurẽ in ipso horto) q̃ uoluntati Dei obsistere. Quare recte dicitur, ꝙ magis effuderit, q̃ tradiderit in mortem animam suam. Secundo ait. Cum sceleratis reputatus est. Christus eñ traditus est morti, nõ simpliciter, sicut uulgo hoĩes moriũtur, aut etiã sicut alij scelerati occidi solẽt. Illi.n. moriuntur morte non inhonesta, inter amicorꝝ cõmiserationes & consolationes, & hi ducuntur ad mortem & si inhonestam, tamẽ magna hominum condolentia, qui mallent eos procul deportatos, q̃ tam misere occidendos. Christus autem connumoratur seu cõfertur cum sceleratis, hoc est, capitur & rapitur ad mortem tãta hominum cupiditate, ut præferant ei etiam sceleratissimos latrones, & existiment, nisi tollatur, terram præsentia eius pollui. Barabbam, insignẽ & manifestum latronem petunt liberum, Christum autem uociferãtur cruce tollendũ. Et cum duo latrones cum ipso crucifigerẽtur, tribuunt ei medium inter hos duos locum, ut significarent, se duce re ipsum omnibus latronibus sceleratiorẽ. Tertio dicit. Ipse pctm̃ multorum tulit. Hoc est testimonium innocẽtiæ Christi, & hic est usus passionis ac mortis eius. Coniectus quidem est in mortem, & habitus est sceleratior oĩbus latronibus, hoc tñ cõtigit ei, nõ ꝓpter ullum ipsius pctm̃, sed ꝓpter pctm̃ humani generis. Non sustulit suum aliquod peccatum expiandum, sed peccatum aliorum. Quare passio Christi nõ est considerանda sicut passio aliorum hominum, quamuis sanctorꝝ, qui etsi sunt coram hominibus innocentes, tñ in conspectu Dei nullus uiuens iustificatur, Sed est considerանda ut passio filij Dei, & corã Deo & coram hominibus innocẽtis, ideoq̃ expiatio est peccati omniũ eorum, qui fiunt membra eius per fidẽ. Quarto dicit: Pro trãsgressoribus rogauit, seu intercessit. Christus enim tanta obedientia mortem suscepit, ut non solũ nõ minatus sit aliquid mali hostibus suis, uerumetiã pro salute eorꝝ apud Patrem intercesserit. Hoc autem nõ tm̃ intelligendũ est de ea intercessione, qua pro crucifixoribus suis orauit: Pater, inquiẽs, remitte eis quia nesciunt quid faciũt, Sed de ea quoq̃, qua semper in diebus carnis suæ ꝓ pctõribus intercessit. Obtulit, inquit Apostolus, in diebus carnis suæ precationes & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum a morte seruare, cum clamore ualido & lacrymis &c. Nec sentiendum est, ꝙ hæc intercessio, quam Christus, pro peccatoribus in

diebus

diebus carnis suæ cœpit, nunc postq; ascēdit in cœlum, desierit, sed q; perpetuo sonet in auribus Dei, & sit uere apud Deum Patrē effi cax. Christus, inquit Paulus, suscitatus est, & est ad dexterā Dei, ac intercedit ꝓ nobis. Tribuuntur aūt hoc loco Christo Dño nostro uera ueri & summi sacerdotis officia. In lege enim Mosi cōstitutum erat, ut summus sacerdos portaret singulis annis, in festo expiationis, peccata populi ad Sanctuarium, & offerret sacrificium, & precationem pro remissione eorum, sicut scriptū est Leui. xvi. & Hebr. ix. Itaq; præcipuum officium sacerdotis erat portare iniquitatē populi, & intercedere tam sacrificijs, q; precationibus pro populo. At enim portatio & intercessio illa Leuitica non uere expiabant pcta. Non enim potest pcta auferre, inquit Apostolus, sanguis taurorꝝ & hircorꝝ, sed respiciebāt in hunc portatorem & intercessorem, de quo hic in Esaia cœlestis pater conciōnatur. Quare, cum dicit de filio suo: Portat peccata multorꝝ, et Intercedit ꝓ trāsgressoribus, non solum transfert in eum ius ueri sacerdotij, sed etiam abrogat Leuiticum sacerdotium, cum uniuersis suis cultibus & sacrificijs, id quod etiam antea significauerat Dauid, cum ait: Iurauit Dñs & nō pœnitebit eum, Tu es sacerdos inæternum secundum ordinem Melchisedec. Etsi aūt sacerdotis uocabulū, his temporibus, propter sacrificulorꝝ impietatem, & sceleratam eorꝝ uitam, odiosissimum est, tñ si dignitatē & utilitatē eius officij, quod in lege Mosi adumbratū, & in Christo filio Dei uere adimpletū est, consideraueris, nihil menti humanæ iudicio Dei perterrefactę auditu iucundius est, q; q; filius Dei ordinatus & consecratus sit in perpetuum sacerdotē, & fungatur ueris officijs summi sacerdotis. Si. n. pcta te turbant, habes sacerdotē, qui effudit pro pctis tuis animam suam in mortē, & portauit pcta tua in corpore suo super lignū, ut expiarentur. Si mors minatur tibi perpetuū exitium, habes sacerdotem, qui ꝓ te apud Patrem ita intercedit, ut morti nulla prorsus perdēdi te licentia cōcedatur. Si infernus terret te minis perpetuorꝝ dolorꝝ, habes sacerdotē, qui Deum Patrem ita tibi placat, ut inferno nullum unq; ius in te permittat. Quare proponamus nobis hunc sacerdotem ob oculos, & cōfidamus sacrificio & intercessiōe eius, ut uera salute cōseruemur.

Sed quid uicissim rependit pater filio suo, quod tam obediēter & innocenter effuderit in mortem ànimam suam, ut etiam pro trāsgressoribus & crucifixoribus suis intercesserit? Additur. Ideo dispertiam ei plurimos &c. hoc sic legēdum est. Dabo ei ꝓ spolijs magnam multitudinem, & fortes erunt ei pręda. Etsi hæc intelligi possunt de uictoria, quam filius Dei ex Satāna reportauit, & qua diripuit in prędam omnem Satanæ potētiam, ostentans palam expolia tos principatus ac potestates, & triumphās de illis per semetipsum,

ut Paulus loquitur. De quali etiam uictoria, & ſpolioꝝ diſtributione loquitur Chriſtus ipſe apud Lucam cap. xi. Vbi fortior, inquit, ſuperueniens uicerit eum, aufert uniuerſa arma eius, quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit: tñ pręcipue hic loqui uidetur de multitudine Eccleſiæ ex omnibus gentibus, & regnis collectæ, quæ & ipſa eſt pars prędę, quam filius Dei a Satana abſtulit. Itaq́, q̃d dicitur: Dabo ei pro ſpolijs magnam multitudinẽ, & fortes erũt ei in prędã, plane illud ipſum eſt, quod in Pſalmo dicitur. Poſtula a me, & dabo tibi gentes, hæreditatẽ tuam, & poſſeſsionẽ tuam terminos terræ. Et iteꝝ: Dñabitur a mari uſq́ ad mare, & a flumine uſq́ ad terminos orbis terraꝝ. Coram illo ꝓcident Æthiopes, & inimici eius terrã lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent etc. Adorabunt eũ oẽs Reges, oẽs gentes ſeruient ei &c. Hoc certe eſt magnam multitudinẽ pro ſpolijs, & fortes in prędã accipere. Cœptum aũt eſt impleri, cum Apoſtoli, accepto ſpiritu ſancto, circũtulerunt prædicatione ſua Euãgelion Chriſti, initio facto a Hieroſolymis, uſq́ ad extrema terræ, & collegerunt Eccleſiã ex omnibus terræ nationib. & regnis. Etſi. n. pauciſsimi reges & Principes initio agnouerunt fide ſua Euãgelion Chriſti, tñ dicuntur facti pręda Chriſti, & captiui eius, q́ neceſſe habuerunt permittere, ut ex regnis ipſoꝝ Eccleſia Chriſti, prędicatione Euangelij colligeretur. Quod autem tunc impleri cœpit, hoc ſubinde perficitur uſq́ ad nouiſsimũ huius ſeculi diem, quo Eccleſia, ex omnibus mãlis liberata, accipiet, oĩbus aduerſarijs eius tam corporalibus q̃ ſpiritualibus in æternum barathrum coniectis, hæreditatẽ cœleſtis regni, & fruetur una cũ Chriſto ſeruatore ſuo perpetua fœlicitate. Finem hic faciam interpretandi huius quinquageſimi tertij capitis, nunq̃ autẽ faciamus finem legendi eius, & meditandi, quippe q́ in eo contineatur clariſsima cõcio de paſsione, de morte, de uictoria & regno Chriſti, ac de bñficijs, quæ per ipſum in Eccleſiam collata ſunt. Multi admirantur ac etiam offenduntur, q́ Chriſtus uenerit in hunc mundum tam abiectus, tam cõtemptus, ut etiã ꝓbroſiſsima morte affectus fuerit. Cur enim non uenit potius glorioſus, & regia maieſtate illuſtris? Sed hæc ꝓphetica concio docet nos, q́ mirandum potius eſſet, ſi alia, q̃ abiecta ſpecie in hunc mundum ueniſſet. Nam ſi ueniſſet, ut iſti flagitant, regia & glorioſa ſpecie, quis Prophetaꝝ oracula de Chriſto recte perpendens non offenderetur? Niſi. n. tam abiectus & crucifixus ueniſſet, haud immerito dubitaretur, num uerus eſſet Meſsias ſeu Chriſtus ille, qui per Prophetas promiſſus fuit. Nunc aũt uenit plane tali ſpecie, qualem eum Prophetæ tot ante ſeculis depinxerũt, nec quicq̃ in toto orbe terraꝝ certius eſt, q̃ hunc Ieſum noſtrum, eſſe uerum Chriſtum filiũ Dei, per Prophetas promiſſum.

Quare

Quare amplectamur eum fide nostra & obediamus uocationi Euangelij eius, ut & beneficia regni eius accipiamus.

CAPVT LIIII.

LÆTARE STERILIS QVÆ NON PARIS, DECANTA LAVDEM ET HINNI &c.

Sequitur alia cõcio, qua spūs sanctus Ecclesiã paucitate et calamitate sua grauiter offensam cõsolatur. Etsi.n. Ecclesia audit, q̃ Christus filius Dei placauerit iram patris, & fecerit redẽptionem plebis suę, tñ quę est uera Ecclesia semper pergit in hoc mũdo, & numero pauca, & ęrumnis afflicta esse. Ac profecto, si de uera Ecclesia iuxta externã speciẽ iudicaueris, nihil uidetur ea nec miserius, nec calamitosius esse. Primum.n. uera Ecclesia non est tale hoĩm genus, quod cõstet congregata in unum locũ multitudine, quæ sit ordinata politicis legibus, & munita humano præsidio, sicut mundana Regna, sed est cœtus hinc inde inter impios dispersus, in nullo prę alia multitudine numero cõputatus, nec aliquo magistratu illustris. Dedit quidem Deus quõdam populo Israelitico, qui uocabatur populus & Ecclesia Dei, terrã Canaan, & instituit in ea politeian & regnum. Et postq̃ Euangelion uulgatũ est in totum orbem terræ, excitauit Reges & Principes, qui Ecclesiam tuendã susceperunt, sed uera Ecclesia Dei nihilominus semper mansit misera, ærũnosa, & pedibus impiorum conculcata. Postq̃ enim res Ecclesiasticæ incipiũt fauore Principum fieri illustres & quęstuosę, tãta est impiorũ hypocritarũ astucia & calliditas, ut uere pios prætextu Ecclesię opprimant, & omnem externum honorẽ, dignitatem, opes & potentiã ad se rapiãt. Q̃ si inter mille, uel unus ad gubernacula rerũ perueniat, quas ibi miserias nõ uidet? quas ęrũnas non sufferre cogitur? Deinde, si singulos uere pios priuatim cõsideraueris, nõ inuenies, q̃ nõ singulari præ alijs cruce uel corporali uel spũali oppressus uideatur, etiãsi alioqui publica fuerit tranquillitas. Nã quod Christus ad Apostolos ait: Mitto uos sicut oues in medio luporũ, hoc etiam oĩbus uere pijs contingere solet, ut quocunq̃ uenerint, habitent uelut oues in medio luporũ. Et Psalm. dicit: Propter te morti tradimur tota die, & habemur uelut oues destinatę mactationi. Cum.n. Satan sit irreconciliabilis hostis ueræ Ecclesiæ, oẽm mouet lapidẽ, ut pij insigni præ alijs calamitate affligãtur: & Deus suas habet causas, cur ad hãc Satanę tyrannidẽ cõniueat. Quare, cũ talis sit status uerę Ecclesię in hoc mũdo, imbecilles grauiter offenduntur, & sollicitantur dubitatione, nũ uel hęc sit uera Ecclesia, uel Deus hãc Ecclesiam respiciat. Sed illud offendiculum hinc adeo uenit, q̃ non recte intelligimus

regnum Christi,& maiestatem eius. Cum enim fit mentio regni & maiestatis Christi, statim somniamus mundanum regnum,& externam maiestatem. At enim regnum Christi non est de hoc mundo, & maiestas eius non est humana. Cum Christus in hoc seculo uitã ageret,uidebatur secundum externã speciem abiectissimus seruus, quemadmodum in superiori capite demonstratum est,& tamen erat Dominus cœli & terræ, quod non tam miraculis, q̃ Resurrectione a mortuis, & missione spiritus sancti palam testificatus est. Præterea,cum in hac terra ambularet,habebat quidẽ aliquoties nõ nullos comites,sed nullo honore illustres:& quãq̃ exhibebatur ei nonnunq̃ honor geniculationis,is tamen non habebat ullam speciem mundanæ Regum maiestatis, & deformabantur omnia illa abominabili crucis fœditate. Quid ergo? Num Christus apparebat talis in conspectu cœlestium ciuium,qualis uidebatur in oculis terrestrium? Nihil minus. Tanta enim erat maiestas eius,ut cum uel egrediebatur uel ingrediebatur, uniuersus cœlestis cœtus non solũ oculos suos adorabundus in eum conijceret,uerumetiam longe honoratiori choro eum comitaretur,q̃ homines ullum unq̃ potentissimorum Monarcharum in his terris comitati sunt. Qualis aũt fuit conditio Christi,talis etiã est Ecclesiæ eius in hoc mundo. Videtur serua,sed est propter Christum, caput suũ,uere dña oĩm creaturarũ,quippe q̃ necesse habeat omnis creatura seruire ei ad salutẽ. Scimus,inquit Paulus,q̃ omnis creatura congemiscit,simulq̃ nobiscum parturit usq̃ ad hoc tẽpus. Et mox,Scimus,q̃ his qui diligunt Deum omnia simul adiumẽto sunt in bonum. Videtur omni maiestate,& honore destituta. Sed tanta est coram Deo maiestas eius,ut ubicunq̃ fuerit homo pius,& uerum Ecclesiæ membrum,ibi sit exercitus cœlestium angelorũ,qui eum non solum comitentur, sed etiam in omnibus aduersis tueãtur. Psalmus ait: Immittitur,seu castrametatur angelus Dñi in circuitu timentium eum, & eripit illos. Et iterũ: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Et Apostolus. Oẽs sunt admnistratorij spiritus, q̃ in ministerium emittuntur propter eos,qui hæredes sunt salutis. An nõ hæc maiestas superat omnium regum huius terræ maiestatem? Etsi eã non apparet in conspectu hominum, tamen patet in oculis omnium cœlestium spirituum, & suo tempore ita reuelabitur, ut omnis creatura õbstupescat, & impij ipsi,in quorũ oculis nihil abiectius, nihil contemptius pijs fuit,exclamabunt,quod est in libro Sapientiæ: Ecce hi sunt, quos risui quondam habuimus,& contumelioso prouerbio. Nos stulti,existimabamus uitam eorũ,Insaniam,& exitum illorum ignominiosum. Ecce quomodo cõputati sunt inter filios Dei,& inter Sanctos sors illorũ est &c. Cũ igitur talis sit cõditio

Ecclesiæ,

Ecclesiæ, non offendamur ęrumnis eius, quas uidemus eam in hoc seculo perferre, sed potius cõsideremus maiestatem eius, quam habet coram Deo, in choro omnium cœlestium ciuium, & coniungamus nos cum ipsa, per fidem in Christum, & ueram caritatem, ut & maiestate eius fruamur.

Sed audiamus nunc cõsolationem, quam spiritus sanctus nobis in hac concione proponit. Lætare, inquit, sterilis, quæ non paris, prorumpe in gaudium, & iubila, quæ non parturis. Hęc est ꝓpositio consolationis, ad quam ꝓpositionem oĩa huius capitis seu cõcionis argumenta referẽda sunt. Alloquitur. n. miserã & afflictam Ecclesiã, metuẽtem, ne ꝓpter paucitatẽ & calamitatẽ tota intereat. Nã ꝙ hæc concio de uera Ecclesia intelligenda sit, Paulus perspicue exponit, cum ad Galatas scribens, Quæ sursum est, inquit, Hierusalẽ, libera est, quę est mater oĩm nostrum. Scriptũ est. n. Lętare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis &c. Vides Paulum, nõ solum uti testimonio huius loci, uerumetiã interpretari de cœlesti Hierusalẽ, hoc est, de uera Ecclesia, quam dicit esse oĩm nostrum matrẽ. Sed & Christus ipse apud Ioãnem ca. vi. allegat dictũ huius capitis. Scriptum est, inquiens, in Prophetis, Erunt oẽs docti a Deo. Hoc in cõcione huius capitis scriptũ est, ut postea sequitur. Et docet Christus, ꝙ de uera Ecclesia sit intelligendum. Addit em̃. Oĩs ergo, q̃ audiuit a Patre, & didicit, uenit ad me &c. Quare nullũ est dubium, quin hęc cõcio fiat ad ueram Ecclesiã Dñi, ut accepta in aduersis suis consolatione, Dño firma fide adhæreat, Tu Ecclesia, quæ nunc es uel Ahazi, uel Ezechię, uel Manassæ tẽporibus, miꝝ in modum doles, ꝙ tam pauci sint, qui ueram pietatẽ ex aĩo sectentur. Multi quidem sunt, qui gloriantur noĩe populi Dei, sed cũ pręstanda est uera fides uerbo Dei in aduersis, & uera caritas erga ꝓximũ, paucissimos, etiã in ipso populo Dei, qui sic uocatur, inuenias. Prędicatur quidem uerbum Dei perspicue, sed nec paris, nec parturis. hoc est, nec in præsentia multi uidentur ex uerbo Dñi resipiscere, nec in futuꝝ uidentur aliquot uere pij reliqui fore. Doles igitur, & metuis, ne sit ulla uera Ecclesia Dei in terris remansura. Sed ego iubeo te bono & lęto animo esse, Gaude, exulta, iubila. Oĩa tua adhuc bene se habebunt. Tu Ecclesia, quæ futura es in captiuitate Babylonica, iaces oppressa ingẽti dolore, ꝙ nec paris, nec parturis, ꝙ nec in præsentia uides aliquã Ecclesiæ fœlicitatẽ, nec spes aliqua salutis in futuꝝ relicta sit. Magna em̃ pars eoꝝ, q̃ uocãtur populus Dei, offenduntur fœlicitate Babylonioꝝ, & contemnũt ueꝝ Dñm Deum Israel. Itaq̃ tam paucos uere pios inuenias, ut ne semen quidẽ, q̃ Ecclesia ad posteros ꝓpagetur, reliquũ mãsuꝝ uideatur. Sed tu, o mea filia, bene cõfide, abijce mœrorẽ, & cõcipe aĩo tuo lęticiã.

De rebus tuis nondum ita est conclamatum, ut animum de tua salute despondeas. Tu Ecclesia, quę futura es post reditum e Babylone in Hierusalem, temporibus Esdræ & Nehemiæ, nimia tristicia affligeris, ꝙ nec paris nec parturis. Vides unumquēꝙ properare ad instaurādam suam domum, templum autem Dei prorsus negligi. Quod manifestum argumentum est, multitudinem populi non curare ueram pietatem. Vides alios sabbata, in quibus docenda & discenda esset uera religio, præfracte uiolare, alios coniunctos coniugio Ethnicarum mulierculaum. Quibus rebus, ut in prę sentia corrūpitur Ecclesia, ita nec spes aliqua posteritatis uerę Ecclesiæ relinquitur. Metuis igitur, ne Ecclesia penitus sit ruitura. Sed abīce hūc metum, & concipe firmam spem, adeoꝙ gaude & iubila. Tu Ecclesia, quæ es temporibus Antiochi Epiphanis & Machabæorum, uides tot offendicula Ethnicarum impietatum, quæ in Hierusalē instituta sunt, uides tot defectiones ad Græcismum, uides tam immanem lanienam, qua uere pīj crudelissime trucidantur. Itaꝙ doles, ꝙd nec paris nec parturis, hoc est, quod & in præsentia paucissimi remaneant uere pīj, & non sit ulla spes, propagandam aliquam ueram Dei Ecclesiam ad posteros. Sed excute hunc dolorem ex animo, & resume gaudium, & lætitiam. Tu Ecclesia, quæ es temporibus Herodis, & postea Annæ, & Caiaphæ, Tu Zacharia, tu Elizabeth, tu Ioseph, tu Maria, tu Simeon, tu Anna, Vos postores, & alīj quidam, metuitis, ne in tanta tyrannide tam ciuilis magistratus, quam Pontificum, & in tanta Pharisaicæ doctrinæ impietate uera Ecclesia concidat. Paucissimi sunt inter Iudæos, qui ueram habent cognitionem Messiæ, per Prophetas promissi. Pauciores sunt, qui Messiam iàm prę sentem & concionantem uera fide agnoscunt & amplectuntur, sed maxima pars grassantur in eum tam crudeliter, ut etiam ad crucem eum tradāt. Itaꝙ uidetur uobis Ecclesia plane sterilis, quæ nec modo his uestris tēporibus pariat filios, nec in posterum unꝙ sit paritura. Sed confidite, bene sperate, gaudete & exultate. Quomodo autē possumus in tantis Ecclesiæ ærumnis gaudere? Quomodo possumus in tāta sterilitate & paucitate, de cō seruanda & augenda Ecclesia bene sperare? Audiamus ergo argumenta consolationis, quæ sequuntur. Quoniam (inquit) multi filīj desertæ magis, ꝙ eius quæ habet uirum dicit Dominus. Conquereris de paucitate uestri cœtus, & metuis, ne Ecclesia tandem prorsus intereat. Sed cō fide, quia multo plures accessuri sunt ad ueram Ecclesiam ex Gentibus, quam ex Iudæis. Τὸ ῥηθὲν huius dicti manifeste concionatur de uocatione Gentium, & de multiplicatione Ecclesiæ ex Gentibus. Nam gens Iudaica est quasi mulier habens maritum, quia data est ei Lex & promissio de Christo, tanquam

mulieri

mulieri maritus, ut ex ea gente multi filij Dei, & ciues cœlestes procrearentur. Vnde & Paulus Rom. vij. confert legē Marito. An ignoratis, inquiens, quod lex tantisper dominetur homini, quo ad ea uixerit? Nam uiro obnoxia mulier, uiuenti uiro alligata est per legem &c. Gens autem Ethnica, & incircūcisa, est uelut mulier a uiro deserta & repudiata, quia nec habuit legē, nec promissiones. Itaq; non potuerunt ex ea gente, quantum quidem ad leges, & politeam eius attinebat, filij Dei nasci. Sed quid factū est? Cū uenisset Christus, & uulgaret per Apostolos Euangelion suum inter Iudæos & Gentes, multo plures collecti sunt ad Ecclesiam ex Gentibus, q̄ ex Iudæis. Plures, inquit, sunt filij desertæ, uidelicet, Gentis Ethnicæ, q̄ eius, quæ marito iuncta erat, hoc est, Gentis Iudaicę. Huc & Paulus respicit, cum ait: Gentes quæ non sectabantur iusticiam, appræhenderunt iusticiam. Iusticiam autem eam, quæ est ex fide. Contra, Israel, qui sectabatur legem iusticiæ, ad legem iusticiæ non peruenit. Propter qd? quia non ex fide, sed tanq̄ ex operibus legis. Quod cum ita se habet, ut tu pusille grex Ecclesiæ inter Iudæos, multiplicandus sis accessione gentium, non est, q̄ despondeas animum, & defatigeris, in ædificanda Ecclesia: sed potius dilata locum tentorij tui, & extēde cortinas tabernaculorum tuorę. Ne parcas. Ne torpescas. Ne describas locum angustis finibus, sed diduc funes tuos quam longissime, & consolida firmiter clauos, quibus funes terræ infiguntur. Tantus enim erit cœtus Ecclesiæ, ut non possit amplius contineri tentorio seu tabernaculo Mosaico. Nouum, & satis amplum tabernaculum ædificandum erit, quod quaqua uersum tam ad dextram, quam ad sinistram pateat. Nam Semen tuum hæreditabit Gentes, & inhabitabit ciuitates desertas. hoc est, Apostoli, & pauci alij ex Iudæis, qui tanquam semen ex reliqua turba selecti sunt, gignent prædicatione sua ad accipiendam cœlestem hæreditatem magnam Gentium multitudinem, & efficient, ut hæ regiones & ciuitates, quæ modo uidentur a populo Dei prorsus alienæ & desertæ, fiant hospitia filiorum Dei, & ueræ Ecclesiæ Domini. Etsi autem ὁ χρόνος huius loci certissime loquitur, sicut ante dixi, de accessione Gentium ad Ecclesiam populi Dei, quæ cœpit post Pentecosten, diuulgato Euāgelio inter omnes gentes, & complebitur usq; ad nouissimū huius seculi diem, tñ usus eius generalis est, & patet latissime. Ea em̄ est conditio uerę Ecclesiæ in hoc mūdo, ut pauca quidē uideatur numero, in oculis hominū, reipsa aūt multa & magna sit in cōspectu Dei, & magis requirenda sit apud mulierē sterilē & desolatā, q̄ fœcundam, hoc est, magis in abiectorum q̄ illustrium hominum cœtu. Quo tēpore Elias uitā inter hoīes egit, uidebatur uera Ecclesia tam deserta, ut Elias existimaret se solum

de populo ueræ Ecclesiæ reliquum. Sed audit a Deo: Reliqui mihi septem millia uirorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal. Videbatur et tunc uera Ecclesia esse apud Baaliticos cultores, quod hi erant uelut fœcunda mulier, quæ habet maritũ. Excellebant multitudine, a parte eorum stabant Rex, & Principes, muniti erant omni humana potentia, & ornati summa dignitate. Vera autem Ecclesia requirẽda erat non in hominũ cœtu, sed potius in speluncis, & in exilijs, quemadmodum scriptum est iij. Reg. xviij. & xix. In captiuitate Babylonica paucissimi uidebantur esse populus Dei. Ex Iudæis enim alij deficiebant ad impietatem Babyloniorum, alij studebant, contempta uera pietate, uentri. Sed interea temporis multi ex gentibus agnoscebant uerum Deum ex miraculis & Edictis Regũ, quæ in Daniele describuntur. Itaq; uera Ecclesia iam tum etiam inter gentes, de quibus nihil tale speraueras, quærenda erat. Deinde, postq; Euangelion diuulgatum est inter gentes, & si initio magna accessio facta est ad Ecclesiam, tamen paulo post ea tempora totus orbis ita corruptus est, ut etiam nunc paucissimi uideantur ad uerã Ecclesiam pertinere. Alij enim inuersi sunt Arrianismo, & mox Mahumetismo ac Turcismo: Alij Papismo & Monachismo. Quid autem reliquum est hominum, si hos seorsim statueris? An non uniuersus orbis his ac similibus impietatibus corruptus uidetur? Et tamen non est omnino nulla in terris uera Ecclesia Dei, quæ quidẽ non est quærenda in eorum cœtu, penes quos est maxima hominũ multitudo, & summa in terris dignitas ac potentia, sed in solo illorum cœtu, qui Euangelion Christi uera fide amplectuntur, quæ quidem turba est dispersa, in gloria, abiecta, & nullo humano præsidio munita. Nunquid ergo talis est in conspectu Dei, qualis uidetur in oculis hominum? Nihil minus. Finge enim, finge inquam (Spero enim ueram Ecclesiam numerosiorem esse) in singulis quatuor aut quinque miliaribus singulos tantum habitare uere pios, qui sint uera membra CHRISTI, num sentiemus hanc Ecclesiam nullius esse reputationis? In Regionibus Germaniæ, dicimus magnam esse Principum & Comitum multitudinem, quod & si, præ reliqua uulgi copia, paucissimi uidentur, tamen inter se collati, satis magna est eorum multitudo, quam & insigniorem facit dignitas, & amplitudo honoris, quo a uulgo tantum non adorantur. Quanto magis uera Ecclesia, multa & magna censenda est, quod & si præ impiorum multitudine, pij sunt paucissimi, & sedibus, imo exilijs suis hinc inde dispersi, tamen coram cœlesti cœtu, in magno reputãtur numero. Quod enim de Dauide dicit populus, Tu unus, pro decem milibus computaris, hoc etiã de unoquouis pio dicendum est. Nam ubicũq; in hac terra uere pius commoratur,

a. Reg. 18.

commoratur,ibi sentias esse innumerabilem cœlestium angelorum exercitum. Patriarcha Iacob proficiscitur à socero suo ad terram patriam suam. In itinere autem procedunt ei obuiam Angeli. Et uocantur Castra Dei, quod Iacob uere pius & uerum ecclesiæ membrum, muniretur exercitu angelorum, tanquam militaribus castris. Cum Elizæus Propheta circundatus esset exercitu Syrorum, ut caperent eum, aperiuntur diuinitus oculi serui eius, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elizæi. Hæc reuelata & scripta sunt, non tantum propter Patriarcham Iacob & Prophetam Elizęum, sed propter uniuersam ecclesiam, ut sciamus unumquemuis uere pium, ubicunq; sit in terris, circundari cœlesti exercitu. Castrametatur, inquit Psalmus, Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Christus filius Dei de se ipso ait: Posthac uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Etsi enim filius Dei uidebatur in terris solus ambulare, tamẽ nõ est dubium, quin luxerit coram omni cœlesti cœtu, tanquam maius luminare, & angeli non desiderarint tantum in eum prospicere, uerumetiam seruierint ei cateruatim, & ut Daniel ait: Milia milium ministrauerint ei, & decies centena millia astiterint ei. Habitat autem filius Dei in unoquouis uere pio. Quomodo igitur fieri posset, ut non angelorum castra, pium, qui est hospitium Christi, circumuallarent? Considera nunc mihi, Si saltem in Germania, in singulis quatuor aut quinq; terræ miliaribus, singuli pñ commorentur, & unusquisq; eorum reputetur coram cœlesti cœtu, pro decẽ milibus, ut de Dauide dictũ est, ac pro magno luminari, sicut Paulus uocat pios, luminaria mundi, & circundetur angelorum castris, quam multa erunt cœlestia in una tantum regione, castra? q̃ multa luminaria, ut præ horum splendore, reliqui homines nullo habeantur numero? Hæc idcirco nobis recitantur, ut etsi nos, qui amplectimur piam doctrinam euangelij, habemur ea sterilis mulier, quæ nec parit, nec parturit, qui uidemur & in præsentia perire, & nullos posteros uere pios habituri, tamen bene confidamus, ac etiam iubilemus, quod ex hac Prophetica concione sciamus, plures esse filios desolatæ, quam eius, quæ habet uirum, & nobis compensari maiestate cœlesti, quod deest in maiestate terrena. Admonemur præterea, cum angelorũ castra nos circumuallent, & nos, ut filios Dei, ac hæredes cœlestis regni obseruent, ne quid designemus, quod indignum sit filijs Dei, & quod tam sanctum agmen à nobis auertat, sed sectemur principali spiritu, ac heroico animo uocationem Dei, ut cœlesti exercitu muniti, perrumpamus agmina Satanæ, ad nostri regni hæreditatem. Gene. 32.

NOLI TIMERE, QVIA NON CONFVNDERIS, NEQVE ERVBESCES &c.

Repetit propositionẽ,sed alia sermonis forma, uidelicet Negatiua,ut eo commodiorem faciat transitionem ad commemoranda alia consolationis argumẽta. Ne timeas,inquit,sed bene potius spe res et iubiles. Et addit promissionẽ,cuius fide possis timorẽ abijce re,et bonam spem cõcipere. Non eñ confunderis,inquit,Non pudefies,Non afficieris ignominia,Non erubescẽs,sed cõfusionis Virginitatis tuæ(Pro Adolescentiæ eñ,in Hebræo est עלומיך quod proprie significat,Virginitatis tuæ)obliuiscẽris,& opprobriñ Viduitatis tuę ultra nõ recordaberis. Perseuerat in cœpta metaphora Mulieris,cuius tres sunt species. Vna est Virgo,alia Vidua. Tertia Vxor,quæ habet maritũ. Et hæc quidẽ in eo est uitæ genere,in quo cõcipiat & pariat liberos. Virgo aũt est sterilis,Et Vidua deserta,q illa nec habuerit,nec habeat maritũ:hæc etsi maritũ habuit,tñ amisit eum. Dicit ergo: Tu ecclesia uisa es hactenus Virgo,& Vidua,hoc est,plane sterilis & deserta,ideoq cõfusioni & opprobrio obnoxia. Cum enim fœcunditas sit mulieris ornamentum,& gloria,consequitur sterilitatem esse ignominiam & opprobrium eius,id quod probant exempla Saræ, Annæ matris Samuelis,& Elizabethæ matris Ioannis,quæ cum ex sterilibus fierent fœcundæ,sentiebant se extremis opprobrijs liberatas. Tu igitur ecclesia uideris esse mulier sterilis,et ignominię expositа,quę nullos pariat liberos,quæ numero sit paucissima,& internecioni proxima. Sed bono sis animo. Efficiam,ut omnis sterilitatis et desertionis tuę obliuiscaris. Virgo es,aut Vidua. Dabitur ergo tibi maritus, ut fias fœcunda. Nã quod uulgata lectio habet. Dominabitur tui, In Hebræo est בעליך quod significat, Maritus tuus. Quare ut tu ecclesia fias fœcunda,et multos liberos parias,maritus tuus erit,nõ simplex quispiã homo,nõ Propheta,nõ Patriarcha, sed FACTOR seu CREATOR tuus,cuius nomen est Dominus Zebaoth, & Redemptor tuus,sanctus Israelis,qui uocatur Deus uniuersæ terræ. Quo marito,quomodo posses amplius manere sterilis et infœcunda? Hæc est manifesta concio de uera & æterna diuinitate filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Nam hæc Prophetica concio despondet ecclesiam uero Domino Deo Zebaoth,creatori omnium rerum,& redemptori populi sui,pro uiro & marito. Apostolicæ autẽ conciones interpretantur & patefaciunt,quis sit uir ille & maritus. Despondent enim ecclesiam uni tantum uiro,filio Dei, Dño nostrõ Iesu Christo. Ioãnes Baptista ait: Qui habet sponsam,sponsus est. Quo aperte significat Iesum Christũ esse sponsum seu maritum ecclesiæ. Et Paulus ait: Despondi uos uni uiro,ut uirginem castam exhiberetis Christo. Ac rursus. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret &c. Quibus uerbis haud obscure significat ecclesiam esse uxorem Christi. Et mox: Mysteriũ hoc magnum est,

uerum

uerum ego loquor de Christo & ecclesia, significans uidelicet, inter Christum & ecclesiam uerum esse coniugium. Quare cum Apostolicæ conciones tradunt Iesum Christum esse unum & solum sponsum ac maritum ecclesiæ, quē sponsum hæc Prophetica concio uocat Dominum Zebaoth Deum uniuersę terrę, perspicuum est, Iesum Christum esse uerum ab æterno Deum, cum patre et spiritu sancto benedictum in secula. Quis autem nunc metus, quæ formido, quę trepidatio reliqua esset ecclesię, quamuis sterili, & desertæ, postquam filius Dei, uerus Dominus Zebaoth accepit eam in coniugem, & seruet erga eam iura ueri & legitimi coniugij? Non est dubium, quin coniugium præcipue in hūc usum institutum sit, ut maritus habeat omnia bona sua cum uxore communia, & ut ex coniugio procreentur liberi, et propagetur familia ad posteritatē. Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem suam, & adiungetur uxori suæ, atq; e duobus fiat una caro. Cum igitur ecclesia nacta sit talem ac tantum uirum, filium uidelicet Dei, Dominum Zebaoth, quid ei nunc ad ueram fœlicitatem deesse potest? Si sterilis est, habet maritū, qui postea in hoc Propheta dicit: Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Num ego, qui generationem alijs tribuo, sterilis ero? Si indiget iusticia, habet maritum tam abundanti iusticia præditum, ut non in se tantū sit iustus, uerumetiam efficiat, ut quotquot in ipsum credunt, reputentur iusti. Si indiget defensione contra aduersarios, habet maritum, cuius nutu trepidant cœlum & terra, et qui omnes suas uires ad tuendā ecclesiam suam confert. Si concutitur horrore mortis, habet maritum, uictorem mortis, qui & propter hanc causam suscepit conflictum cum morte, & uicit eam, ut ecclesia, coniunx eius hac uictoria frueretur. Deniq; hoc marito, coniunx uere & perpetuo fœlix est & beata. Despondemur autem Christo in coniugium, non per sacrificia Missarū, non per triduana & quatriduana ieiunia, non per precum Battologian, sed per FIDEM, qua credimus ex euangelio, quod solus Christus sit iusticia & sanctificatio nostra, & qua Christo induti & spiritu sancto donati, in operibus ueræ iusticiæ uerbo Dei propositæ ambulamus. Quare unum hoc sit studium nostrum, ut Christo per fidem coniungamur, & omnia reliqua recte se habebunt. *Esaiæ 66.*

QVIA VT MVLIEREM DERELICTAM, ET MOERENTEM SPIRITV VOCAVIT TE DOMINVS &c.

Expolitio, & explicatio promissionis iam commemoratæ. Vocauit te Dominus (inquit) ut mulierem derelictam &c. hoc est, hactenus quidem conniuit Dominus ut uocareris, ac etiā esses, uelut mulier dimissa, aut deserta à marito, & ueluti mulier, quę in adolescentia sua in cōiugium accepta, postea repudiatur. Talibus mu

lieribus nihil certe est miserius aut afflictius. Etsi enim nõ possunt alicuius criminis accusari, tamen hoc ipso contemptui habentur, q̃ sint desertæ, & repudiatæ à maritis suis. Et ut solet humanum ingenium, ubi uides infœlicitatem, ibi suspicatur esse iniquitatem, ita homines, etsi aliquoties nihil accusatione dignum uident in muliere repudiata, tamen quia repudiata est, cogitant fieri non posse, quin uel aliqua occulta fœditas aut turpitudo in ea hæreat. Itaque talis mulier, quamuis alioqui honesta, fit bis misera, quod et à marito sit abiecta, et in alijs suspicioni alicuius criminis aut fœditatis obnoxia, ideoq̃ ab omnibus cõtempta. Conniui ergo (inquit Dominus, nimirũ filius Dei, de quo supra diximus, quod sibi ecclesiã desponsauerit) ut tu o Ecclesia, mea dilectissima sponsa, uidereris aliquandiu repudiata. Dereliqui te ad punctum, in modico. Deserui te pusillo tempore. Abscondi faciem meam à te per momentum, quo irascebar, & tantum ad punctũ: Sed o meo animo gratissima, bene cõfidito, ego hanc momentaneam desertionem compensabo æternis beneficijs. Congregabo te, colligã te, multiplicabo liberos tuos magnis miserationibus & complectar te perpetua misericordia. Et hæc promittit tibi, non uanus quispiã homo, sed Deus ipse REDEMPTOR tuus. Quare de ueritate & certitudine huius promissionis nihil prorsus dubitandũ erit. Conferiam huc res gestas ecclesiæ, post Esaiæ tempora, usq̃ in aduentum Christi, & diuulgationem euangelij in uniuersum orbem terrę, & clarissime uidebis nihil uani hic commemorari. In captiuitate Babylonica, an non ecclesia uidebatur prorsus à Deo deserta & repudiata? In incursione Antiochi, quid fuit ecclesia Domini miserius, quid cõtemptius? Nam cum Iudęis, inter quos erat uera Domini ecclesia tam crudelia & immania mala acciderent, ut etiam hostes ipsi obstupescerent, habiti sunt pro ea gente, quam non homines tantum, sed etiam Deus ipse abominetur, prorsus, sicut repudiata mulier, quæ etsi honesta est, suspicionem tamen criminis aut fœditatis effugere non potest. Quid dicam de temporibus Herodis, & Pharisæorũ, quibus, cum ecclesia opprimeretur tam externa tyrannide, quam impia doctrina, quid potuit aliud facere, quam mœrere, ingemiscere, & lamentari? Cum Herodes grassaretur in pueros Bethleemiticos, ut Christum, qui natus esse dicebatur, interimeret, an nõ Zacharias, Simeon, Anna, Elisabeth, pastores, & pauci alij, qui erant uera ecclesia, uisi sunt, ut mulier derelicta, spiritu mœsta, & repudiata? An non uenit eis in mentem, ecclesiam sic protritam & conculcatam esse, ut nunquam possit amplius germinare? Sed uidere admirandam. Non diu post ea tempora ecclesia sic augetur, ut accedant ad eam, non tantum aliquot milia Iudæorum, uerumetiã innumerabiles ex gentibus, ut qui ante uiderunt pueros Bethleemiticos iugulatos, & Christum fugatum, adeoq̃ ecclesiam prorsus

fus oppreſſam, reipſa compererint, ueritatem huius concionis, ecclesiam uidelicet, ad pūctum in modico derelictam et diſsipatam, magnis autem miſerationibus iterum congregatam. Obſerua autem mihi hoc loco diligenter, quod ſpiritus ſanctus uocet tempus deſertionis & abſconſionis Domini, modicum, punctum, & momentum, ſeu ictum oculi. Quid? Num tot anni, quibus eccleſia fuit captiua in Babylone, et poſtea ſub Antiocho, ac deinde ſub Phariſæis & Herode reputandi ſunt pro puncto, pro momēto & ictu oculi? Hæc mathematica ualet quidem in conſpectu Dei, coram quo mille anni ſunt ſicut unus dies, ſed coram nobis, præſertim in afflictione exiſtentibus unus dies uidetur nobis tam diuturnum tēpus eſſe, cū mille ſunt anni. Quid ergo faciemus, ut tam diuturnum tempus afflictionis, poſsimus pro modico, & pro momento tantum computare? Hic opus nobis eſt collatione. Nam tempus afflictionis noſtræ per ſe quidem uidetur nobis diuturnum. Omnis enim mora afflicto nimis longa eſt. Sed ſi conferamus huius temporis dolorem cum diuino beneficio, quo doloris diuturnitas pīs compenſatur, tanta eſt eius beneficij magnitudo, & multitudo, ut afflictionis tempus uix pro momento aut ictu oculi computandum ſit. Vnde poſtea cap. 64. dicit Eſaias, Et repetit hoc Paulus 1. Cor. 2. A ſeculo non audierunt, nec auribus perceperunt. Oculus non uidit DEVS, abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te. Hoc eſt: Tempus quidem, quo pij afflīguntur & expectant auxilium Dei, auribus percipi, & numerari poteſt. Beneficia autem, quæ Deus afflictis & in fide expectantibus rependit, non poſſunt nec ſermone ullo explicari, nec humana ratione comprehendi. Et Pſal. 29. Quoniam ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Quod iuxta hebraicam ueritatem ita legendum eſt: Quoniam momentum eſt in ira eius, uita uero in beneplacito eius. Hoc eſt: Etſi Deus iraſcitur et affligit eccleſiam ſuam, tamen meditatur ſub hac ira & afflictione uitam & liberationem, ad quam etiam ira collata, uix momentanea uidebitur. Et Paulus: Reputo, inquit, non eſſe pares afflictiones præſentis temporis, ad gloriam, que reuelabitur erga nos. Ac rurſus: Momentanea leuitas afflictionis noſtræ mire ſupra modum æternum pondus gloriæ parit nobis &c. Aſſuefaciamus igitur nos ad hanc collationem, ut tempus afflictionis noſtræ non per ſe, et iuxta noſtrum captum conſideremus, ſed conferamus cum ea lætitia & gloria, quam Deus afflictis expectantibus per fidem auxilium eius, præparauit, ut tandem reipſa ſentiamus, quod Chriſtus ad diſcipulos dicit: Vos nunc quidem mœrorem habetis, ſed iterum uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollit a uobis. Deinde obſerua hoc loco, quod ſit inſtitutum & propoſitum Dei, cum affligit eccleſiam ſuam. Ad punctum, inquit, in modico dereliqui te, & in miſerationi-

Rom. 8.

2 Cor. 4.

bus magnis congregabo te &c. Nam cum Deus immittit ecclesiae afflictionem, non uult internecionem, sed salutem eius. Derelinquit eam, non ut prorsus eam abiiciat, sed ut maiori cura eam recolligat. Percutit eam, non ut perdat, sed ut seruet ipsam. Mortificat eam, non ut in morte conculcet, sed ut uiuificet ipsam. Deus enim affligendo populum suum, aut reuocat eum ad pœnitentiam, aut admonet eum grauitatis peccati originalis, & seueritatis iræ suę ad uersus peccatum, aut excitat in eo Inuocationem, aut probat obedientiam & patientiam eius, aut illustraturus est gloriam nominis sui, aut docet regnum Filij sui non esse de hoc mundo, & ueram felicitatem in alio seculo expectandam. Sed quæcunq; sit causa afflictionis, certe Deus nunquam meditatur in afflictione populi sui, interitum, sed salutem, quam uoluntatem Dei patefecit & probauit Spiritus sanctus multis scripturæ testimonijs et exemplis.

Psal. 33. Prope est Dñs his qui tribulato sunt corde, et humiles spũ saluabit. Psal. 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Ose. 6. Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse apprehendit nos, & sanabit, percussit & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos etc. Thre. 3. Non repellit in sempiternum Dominus, quia si affligit, pro abundantia bonitatis suę miseretur. Non enim affligit, neq; dolore afficit filios hominum ex corde &c. Aba. 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaris &c. Heb. 12. Quem diligit Dominus, corripit, flagellat aũt omnẽ filium, quẽ recipit &c. Exempla passim obuia sunt, Ioseph, Moses, Dauid, Prophetę, Apostoli. Sed redeamus ad Iosephum. Hic non solum exemplo seruitutis & captiuitatis suæ, ex qua mirando modo liberatus est, & ad amplissimum principatum euectus, uerum etiam rebus suis erga fratres gestis, donec agnitus est, significauit, qualis sit affectus DEI in affligenda ecclesia sua. Etsi enim fratres Iosephi susceperant ipsum occidendum, & uendiderant eum in grauissimam seruitutem, tamen Ioseph retinuit erga eos fraternum, hoc est, beneuolentissimum animum. Sed uide mihi, quam duriter tractat eos, postq; accesserant ad ipsum, empturi frumenta, in Ægypto. Initio, accusat eos proditionis. Exploratores, inquit, estis, Vt uideatis infirmiora terræ uenistis. Deinde cõiicit eos in carcerem. Postea, dimittit quidem reliquos liberos, sed unum ex eis retinet in uinculis, qui interea obsidis loco sit, dum minimum fratrem adduxerint. Cum autem tam durum se eis exhiberet, non tamen potest fraternæ erga eos beneuolentiæ obliuisci. Nam cum intelligeret ipsos de ęrumnis suis misere inter se conqueri, illacrymatus est, & non tantum dedit eis frumenta & uiaticum in itinere, uerumetiam iussit pecuniam in saccos eorum reponere. Deinde, cum secundo ad eum redijssent, excipit quidem eos humanissime, & iterum dimittit liberalissime, si forte uel tandem

ipsum

pſum agnoſcerent. Sed cum non excitantur beneficijs, ut ipſum agnoſcant, redit ad priorem ſuam duriciem, & exurgit in eos tanta ſeueritate, ut exiſtimēt ſe in extremis uitæ ſuæ periculis uerſari. Primum, Accuſat eos furti. Deinde rapit Beniamin, quem tam ſancte receperant ſe patri reſtituturos, in ſeruitutem. Quid plura? cogit eos in eam animi anguſtiam, ut nullam uſquam ſalutis ſuæ rationem inuenire queant. Num uero Ioſeph ſuſcepit hanc duriciem erga fratres ex animo, & hoc conſilio, ut eos opprimeret, ac perderet? Nihil minus, ſed ut his rebus excitaret eos ad ipſius cognitionem, & redderet eis cognitionem iucundiorem. Hoc Ioſephi exemplum pulcherrime pingit conſilium Dei in ſeueritate ſua, quam ſolet Eccleſiæ ſuæ oſtendere. Inuehitur in eam duriſsime. Minatur ei carceres, cruces, mortes & infernos. Et quanquam non omnino abſcondat clementiam ſuam, ſed declaret eam beneficiolis quibuſdam, tamen paulo poſt tam grauis inſurgit aduerſus eam, ut de ſalute eius actum uideatur. Num ergo inſtituit Eccleſiam ſuam perdere? Minime omnium, ſed cogitat Eccleſiæ ſalutem. Vult hoc modo ſeſe patefacere. Vult Eccleſiam eo adigere, ut uel tandem autorem ſuæ afflictionis agnoſcat, ſe ad eum conuertat, eum inuocet, & ab eo tanto iucundiorem liberationem conſequatur, quanto grauiores fuerunt antea ærumnæ. Hoc eſt propoſitum, hoc eſt conſilium Dei in afflictionibus Eccleſiæ ſuæ. Sed hoc conſilium eius patefactum eſt longe omnium clariſsime in filio ipſius Domino noſtro Ieſu Chriſto. Hic enim idcirco eſt afflictus, mortuus, & iterum uiuificatus, ut probaret hanc eſſe Dei uoluntatem, quod in afflictione Eccleſiæ ſuæ meditaretur, non interitum, ſed uitam & ſalutem. Quare, cum affligimur, non ſimus impatientes animo, non murmuremus aduerſus Deum, non graſſemur uirulentis conuicijs aduerſus proximos, ſed agnoſcamus bonam Dei uoluntatem, & humiliemur ſub potenti manu eius, ut afflictio conſequatur in nobis eum finem, quem Deus ipſe inſtituit.

SICVT IN DIEBVS NOE ISTVD MIHI EST, ET CVI IVRAVI, &c.

Promiſsioni redemptionis addit iuramentum, ut ſciamus hac promiſsione nihil eſſe firmius, & amplificat hoc iuramentum exemplo & collatione eius iuramenti, quod humano generi in diebus Noe iurauit. Iſtud, inquit, erit mihi, ſicut in diebus Noe, uel quemadmodum alia habet lectio, ſicut aquæ Noe. Poſtquam enim diluuium, quo, præter paucos, totum perijt humanum genus, præterierat, iurauit Dominus ſe nunquam amplius deletarum uniuerſum genus humanum aquis: Non percutiam ultra omnē animā uiuentē, ſicut feci. Gen. 8. In cuius iuramēti ſignū poſuit in nubibus arcū cœleſtē, quē uocāt Iridē, ſicut ſcriptū eſt Gen. 9.

Hoc DEI iuramentum tam constanter seruatum est, ut humanum genus constiterit iam tutum & inuiolatum ab aquis, plusquam mille quingentos annos a diluuij tempore usq; ad prædicantem Esaiam, & plusq; duo millia, & trecentos annos a prędicante Esaia usq; ad hęc nostra tempora, hoc est, si coniungas, plusq; tria millia & octingentos annos. Etsi enim interea temporis, ut priuati quidam homines, ita & quędam urbes ac regiones aquis obrutæ sunt, tamen iuxta iuramētum Dei, non perijt aquis uniuersum humanum genus, ac tota terra, nec peribit aquis, donec in nouissimo die cœli incensi soluantur, & elementa æstuantia liquescant, ut Petrus loquitur. Sicut ergo tunc iuraui, inquit, ne porro inducerem aquas supra terram, & res ipsa testatur, me hoc iuramentum firmissime seruare. Ita iuraui, ac etiam nunc IVRO tibi ecclesię meę, ne amplius tibi irascar, ac ne quidem te obiurgem. Quod iuramentum tanta constantia seruabo, ut etsi montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia tamen mea non recedat a te, & fœdus pacis meæ non moueatur. Montes uidētur firmissime constare, ac non posse locum suum mutare. Colles tam fixi consistunt, ut uideantur non posse labi aut ruere. Sed etsi montes locum suum mutarent, & colles ruerent, tamen mea (inquit) misericordia, qua te complector, non mutabitur, nec fœdus pacis meæ ruet. Et hæc loquitur, non nugiuendus quispiam Spermologus, aut agyrtes, sed Dominus miserator tuus, qui ut fallere, & mētiri nescit, ita totus est tibi beneuolentia & misericordia sua propensus. Dicamus autem primum, de eo, quod in hac pericopa postremo loco ponitur, uidelicet, de fœdere pacis. Fœdus, inquit, pacis meę non ruet. Quod igitur est hoc fœdus? Non certe illud est, quod Dominus iniit cum Israelitis in monte Sinai, cum promulgaret decalogum. Cum enim lex operetur iram, & occidat, & per legem ueniat agnitio peccati, fuit hoc magis diffidij quam pacis fœdus. Sed est fœdus illud nouum, de quo concionatur postea Hieremias cap. 31. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum. Non secundum fœdus, quod pepigi cum patribus uestris &c. Postquam enim homo peccauit, ita abalienatus est a Deo, ut nec uelit nec possit pacem cū eo habere, & aliquid sibi fauoris de eo polliceri. Etsi autem Deus extremo odio habet peccatum, tamen misertus humanæ miserię, iniit iam inde ab initio conditi orbis fœdus cum humano genere, quod missurus sit filium suum ex muliere, qui conterat caput Serpentis, seu potentiam Satanæ, ut expietur peccatum, & instauretur pacificatio inter Deum & hominem. Deinde renouauit & confirmauit hoc fœdus iuramento, cum diceret ad Abrahamum: Per memetipsum iuraui, q̄ bn̄dicentur in semine tuo (q̄d est Christus filius Dei) oēs gentes. Similiter cū diceret ad Dauidē. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid

mentiar,

mentiar, ſemen eius inęternum manebit, & Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo. Quaſi luna firmabitur in perpetuum &c. Et iterum. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec. Hæc omnia de Chriſto filio Dei dicta ſunt, quod ſit uenturus in hunc mundum ſacerdos, qui expiet peccata populi ſui, recõciliet eum cũ Deo, & Rex, qui regnet perpetuo, & tueatur populum ſuũ ab omnibus malis, ac tradat ei fœlicitatem cœleſtis regni. De hoc igitur fœdere & iuramento concionatur ſpiritus ſanctus hoc loco in Eſaia, & dicit, Deum tam firmiter hoc ſeruaturum, quam ſeruet iuramentũ, q̃d iurauit Patriarchę Nohę, de nõ delenda terra aquis, & hoc fœdus magis fixum fore, quam conſiſtunt mõtes & colles. Quod autem Deus ſe facturũ iurauit, hoc etiam ſuis temporibus uere præſtitit. Poſtq̃ enim uenit plenitudo temporis, miſit Deus, ut Paulus ait, filium ſuum factum ex muliere, factum legi obnoxiũ, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret, ut adoptione ius filiorũ acciperemus. Et teſtatur Zacharias in carmine ſuo, Deum miſsione filij ſui complere iuramentum ſuum. Ad faciendam, inquiẽs, miſericordiam cum patribus noſtris, ut memor eſſet fœderis ſui ſancti, ac præſtaret iuramentum q̃d iurauit Abraamo patri noſtro &c. Sed & filius ipſe Dei, cum iam concionaretur, iurat Deũ patrem ſuum hoc fœdus, cuius ipſe ſit pignus, ſeruare. Amen Amen dico uobis, qui ſermonem meũ audit, & credit ei qui MISIT me, habet uitam ęternam, & in condemnationem non ueniet, ſed tranſiuit à morte in uitam. Et iterum. Sic dilexit Deus mundum, ut filium ſuum unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat æternam uitam. Cũ igitur Deus ſeruauerit fœdus pacis ſuæ, & inſtauraverit, miſſo filio ſuo, et dato eo pignore, pacificationem cum eccleſia ſua, noſq; agnoſcamus filium eius per fidẽ, & facti ſimus membra eccleſiæ eius per baptiſmũ, quid eſt, quod adhuc, etiamſi affligimur, metuimus, ne Deus ſit à nobis abalienatus? Vides terrã iuxta fœdus Dei, aquis non obrui, uides adhuc montes & colles firmos conſiſtere, & non conſiſteret hæc pacificatio, quam Deus nobiſcũ, mediatore, & pignore filio ſuo, inſtituit? Peccauimus quidem, & geſtamus adhuc peccata in carne noſtra, ſed filius Dei expiauit peccata noſtra, & impetrauit nobis peccatorum condonationem. Et ſi Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ut Paulus ait, cum adhuc eſſemus inimici & peccatores, multo magis iuſtificati nunc ſanguine eius, ſeruabimur per eum ab ira. Quare cum turbamur aduerſis in animo noſtro, ponamus nobis ob oculos mentis hoc fœdus diuinæ pacis, & certitudinem ac firmitatem eius, ut animus noſter reddatur tranquillus, & laudet Deum, cum omni gratiarum àctione.

Eſt & illud hoc loco animaduertendum, q̃ arcus cœleſtis, quẽ iridem uocant, & ſuis temporibus in nubibus apparet, nõ ſit tantũ

generale sacramentum, institutum ad monumentum promissionis de non delendis amplius animantibus diluuio aquarum, sed etiam consecretur hic diuina autoritate in speciale sacramentum, ut sit deinceps etiam monumentum promissionis de conseruanda ecclesia in omnibus aduersis. Nam quod Deus seruat animantia, ac præsertim humanum genus tanto tempore in terris saluum & incolume, maxime omniũ fit propter ecclesiam, ut ea ex hominibus colligatur, augeatur, & cõseruetur. Quare si ecclesia ita premitur, ut uideatur interitura, attollamus oculos nostros ad arcum cœlestem, & admoneamur de iuramento Dei, qp quemadmodũ Deus quondam iurauit, se non amplius deleturũ animantia aquis, & seruat illud constantissime, ita etiã iurauerit, se exhibito Christo, filio suo, non amplius ecclesiæ irasci, ac ne quidem increpare eam. Sed quid? Num post aduentum Christi, Deus nõ amplius irascitur ecclesiæ? Num porro non increpat eam, ne uerbis quidem? Quid ergo prædicatur adhuc ecclesiæ Decalogus, quo non solum increpamur, uerum etiã æternæ damnationi obnoxij iudicamur? Quid qp ecclesia adhuc semper necesse habet cũ Dauide orare: Domine, ne in furore tuo arguas me, neqꝫ in ira tua corripias me? Quid, quod ecclesia re ipsa, et ipsis afflictionibus comperit, Deum aliquoties adhuc ipsi irasci? Quomodo ergo hic dicitur: Iuraui, ne irascar tibi? Considera igitur mihi, quod cũ Deus iuret, se exhibito Christo filio suo, non amplius irasci ecclesiæ suæ, non significet ecclesiã deinceps nullas habiturã in hac terra afflictiones, nec iuret se non oſtensurum ecclesiæ grauitatem iræ suæ. Sunt enim suæ causæ, propter quas, afflictiones sunt ecclesiæ utiles. Et necessaria est agnitio iræ Dei aduersus peccata, ut caro mortificetur, & nos ad fidem & precationẽ excitemur. Sed aliæ sunt causæ, cur Deus dicatur iam non amplius ecclesię suę irasci. Primum enim, postquam ecclesia cœpit diuulgatione euangelij colligi ex Gentibus, non amplius mutabit Deus hoc institutũ, sed perget ecclesiam ex gẽtibus colligere, usqꝫ ad nouissimum huius seculi diem. Etenim quondam incepit ecclesiam colligere ex carnali tantum posteritate Abrahæ, & ex populo Israelitico. Cum autem hic populus semper restiterit spiritui sancto, iratus est Deus aduersus eum grauissime, & nunc quidem punijt eos incursionibus finitimarum gentium, nunc tradidit eos gentibus diripiendos, & in captiuitatem abducendos, donec prorsus ita abijceret eos, ut iam non sint amplius populus Dei, & colligat sibi ecclesiam maxime omnium ex gentibus. Quod igitur Deus post abiectionẽ Iudæorũ, inter gẽtes cœpit, hoc facere perget constanter, dum hoc seculũ steterit, ideoqꝫ recte dicitur, quod ad hanc rem attinet, Deum non sic, ut antea, irasci ecclesiæ suæ. Deinde, quod præcipuum est, et quod maxime omnium spiritus sanctus in hoc loco docere uult, Deus ideirco non dicit amplius, postqꝫ aduenit filius

nit filius eius in mundum, irasci ecclesiæ suæ, quod filius eius expiauerit peccatum, & placauerit iram Dei, quæ ob peccatum excitata fuerat. Nam hæc est summa, ut dicitur, summarum Euangelij de Christo filio Dei, quod cum Deus iratus esset humano generi propter peccatum, & iudicaret per legem suam omnes homines æternæ damnationi obnoxios, filius eius, Iesus Christus Dñs noster suscepit peccatum expiandum, & humanum genus cum Deo patre suo reconciliandũ, ut quotquot credunt in filiũ Dei, habeant Deum placatum, habeant peccatorum remissionem, non sint amplius maledictioni legis obnoxij, nec reputentur peccatores, sed iusti & adoptentur in filios ac hæredes Dei. Vbi autem hæc, & prædicantur & fide accipiũtur (id quod fit in uera Dei ecclesia,) ibi certe non est amplius ulla ira Dei, sed tantum gratia, fauor, clementiæ & beneuolentia. Etsi enim Ecclesia post aduentum Christi in carne, & diuulgatum euangelion in orbe, nõ minus grauiter & horribiliter affligitur, quam antea, sub Assyrijs, Babylonijs, Persis, Antiocho, & Herode afflicta est, tamen quia Christus manifestatus est, & euangeliõ eius de remissione peccati publice uulgatur, manifestatum etiam est et uulgatum, iram Dei peccato antea excitatam & inflammatam, nunc placatam esse, & has afflictiones nõ esse amplius signa Dei irati, sed Dei beneuolẽtis, qui hoc modo reddat ecclesiam conformem filio suo, excitet eam ad timorem Dei & inuocationem, ac prꝑparet ei tanto maiora beneficia, quanto graviores sunt afflictiones. Nam quemadmodum Mors ipsa, nunc reuelato euangelio, non est amplius mors, hoc est, stipendium peccati, & ingressus in infernum, quippe quod peccatum sit expiatum, & infernus expugnatus per Christũ, sed est consecrata per mortem Christi, ut sit ingressus in cœlum, ad ueram & perpetuam iustiçiam ac salutem, ita & afflictiones nõ sunt amplius argumẽta irati Dei, meditantis internecionem propter peccatum, sed sunt argumenta clementis Dei, cupiẽtis nobis per afflictiones benefacere, propter peccati remissionem, quam habemus in filio eius per fidem. Quare, cũ Deus iurauerit filium suum esse perpetuũ sacerdotem, hoc est, intercessorem, mediatorẽ, & placatorẽ iræ suæ, ac filius aduentu suo susceperit sacerdotis officium, & diuulgauerit hoc euangeliõ in orbe terrarum, recte dicit Prophetica concio, quod Deus iurauerit se non amplius irasci ecclesiæ suæ, ac ne uerbis quidem eam increpare, quia omnis ira eius per filium placata est. Sic & in Hieremia dicitur: Propiciabor iniquitati eorum. Et peccati eorum nõ recordabor amplius. Quid hoc aliud est, quam si dixisset: Abĥciam deinceps omnem iram meam? Huc pertinent omnia fere dicta Euangelij, quod Apostolicis literis continetur.

Ioan. 3. dicit Christus ipse: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitũ daret, ut omnis, qui credit in eũ, nõ pereat, sed habeat

beant æternam uitam. Hoc certe est prædicare iram Dei esse mitigatam.

Et iterum Ioannis 11. Ego sum Resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Quid hoc aliud est, quam Deum ita placatum esse Credentibus in Christum, hoc est, ueræ ecclesiæ, ut non sit eos ex ira damnaturus, sed ex misericordia perpetuo seruaturus?

Roma. 6. Non estis sub lege, sed sub Gratia. Quod dicit: Nos non esse sub lege, uult dicere, nos non esse amplius sub ira Dei. Lex enim, ut supra dixerat, operatur iram. Cum ergo ait, nos non esse sub lege sed sub gratia, hoc plane ipsum est, quod hic in Prophetica concione dicitur, Deum non iratsci amplius ecclesiæ suæ.

2. Corinth. 5. Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium Reconciliationis &c. Si prædicatur Reconciliatio, sublata sit ira, necesse est.

Galat. 3. Christus redemit nos à maledictione legis, dum factus est pro nobis maledictio. Præcipua autem maledictionis pars est, Ira Dei. Cũ ergo filius Dei, susceptа in se ira Patris, redemerit nos à maledictione legis, certe redemit nos ab ira Dei.

Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed Deus, qui diues est misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo. Per gratiam estis seruati &c.

Heb. 10. Vbi est peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. Hoc uult dicere: ibi est ira Dei placata, & gratia impetrata. Quid plura? Vniuersa Apostolica scriptura, postq; testificatur Christum filiũ Dei uenisse, & sacrificium suũ pro peccatis nostris peregisse, testificatur etiam nunc non esse amplius regnum iræ, sed regnum gratiæ & salutis. Hæc autem recitantur nobis, non ut his cõcionibus fastidium temporis mitigemus, aut abutamur eis ad carnis licentiam, sed ut excitata & confirmata fide nostra, exhibeamus nos Deo Patri per filium suũ pro tantis clementiæ suæ beneficijs gratos, & declaremus gratitudinẽ nostram tam obedientia, in faciendis præceptis eius, quam patientia, in sufferendis aduersis, certa spe concepta, quod quemadmodum sumus nũc in regno gratiæ, ita seruemur etiam ex gratia, in omnibus afflictionibus tam morborum, ignominiæ, & paupertatis, quam mortis & dolorum inferni.

PAVPERCVLA, TEMPESTATE CONVVLSA ABSQVE VLLA &c.

Pergit expositione eorum beneficiorum, quæ confert in ecclesiam per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, ut ecclesia concipiat ex his in sua paucitate, & in afflictionum suarum grauitate

grauitate consolationem. Initio autem pingit tribus epithetis faciē Ecclesiæ, qualis quidem sit in conspectu huius mundi. Primum epi theton est עניה, Paupercula. Quid enim pauperius, quid egentius, quid magis inops Ecclesia? De uera autem Ecclesia loquimur, nō de hypocritica. Hæc enim possidet magnas opes, & multam po tentiam atq; gloriam. Considera mihi Ecclesiam Caiaphæ, Annæ, & reliquorum Pontificum ac Pharisæorum, temporibus Christi. An non penes hanc fuerunt tunc Ecclesiasticæ opes, dignitates, pri mitiæ, decimæ, oblationes totius populi, cum interea temporis uera Ecclesia, Christus, Apostoli, & pauci alij esurierint, alserint, & q̄ tidianum uictum tantum non emendicare necesse habuerint? Intue re etiam in Ecclesiam Romanorum Pontificum, & Episcoporum. An non penes hos sunt spendidiores diuitiæ, & potentiores uires, quam penes Satrapas huius seculi? quas etiam diuitias et uires ra pit inter eos ad se, ut quisq; est, aut impudentior, aut sceleratior, aut magis hypocrita. Interim autē uera Ecclesia cum ministris suis eget, & uix atrum habet panem, quo uescatur. Ac plane accidit uerę Ecclesiæ in his terris, quod accidit Christo capiti eius, cum in cruce penderet. Nam cum Christus affixus esset cruci, pendebat in ea nu dus, milites autem de uestimentis eius sortiebantur, & ea inter se di uidebant: ita quæ quondā facultates collatę sunt ad usum ueri mini sterij in Ecclesia, rapiunt ad se Pontifices, & satellites eorū, ac relin quunt uerā Ecclesiā cum ministris suis, in cruce, nudam & egenam.

Secundum est, Tempestate conuulsa, hoc est, omni genere tem pestatum, igni, grandine, fulgure, fulmine, niue, glacie, spiritu pro cellarum obruta. Ac profecto nullum est calamitatis genus, quod non grassetur in Ecclesiam, idq; multo sæuius, q̄ in alios hominum ordines. Quas miserias non uidit Ecclesia in Ægypto sub Pharaone? Quas calamitates non perpessa est in euersione Hierosolymorum, & captiuitate Babylonica? Quibus ærumnis non est afflicta sub Antiocho? Quis horror fuit, spectatorem esse Herodis in truci dandis infantibus Bethleemiticis, & reliquæ eius tyrannidis aduer sus ueram Dei Ecclesiam? Quo tormentorum, quo immanium supplicíorum genere non grassati sunt tam Iudæi q̄ Gentes in eos, qui abiecta impia Idolatria, agnoscebant Euangelion Christi? Dies me deficeret, si saltem capita Iudaicæ & Ethnicæ immanitatis, quæ Ecclesiam perdere instituerunt, recēserem. Recte igitur & apte uo catur Ecclesia סערה hoc est, tempestatibus conuulsa, seu Turbine uexata.

Tertium est, לא נחמה. Absq; ulla consolatione, uel, Quę sit o mni solatio & præsidio in his terris destituta. Hypocritica quidem Ecclesia habet sua tam sapientum & eruditorum, q̄ Principum &

potentum præsidia: sed uera Dei Ecclesia in aduersis suis ita abomi
nabilis est, ut non solũ hostes & inimici in eam crudeliter inuehan
tur, uerumetiam Amici eam deserant, imo etiam cõtra eam cum ini
micis conspirent. De hoc conqueritur Dauid, unus e præcipuis ue
ræ Ecclesię mẽbris. Amici mei, inquiens, & proximi mei aduersum
me appropinquauerunt & steterunt &c. Et Hieremias de Hieruſa
lem. Non est, inquit, qui cõsoletur eam ex omnibus caris eius. Om
nes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Et Christus.
Tradet, inquit, frater fratrẽ in mortẽ, & pater filium, & insurgẽt fi
lij aduersus parentes &c. Et mox. Inimici hominis domestici eius.
En, hæc est facies Ecclesiæ in oculis huius mundi, nimirum, fœdissi
ma, & contemptissima. Sed audi cõp uenustam, cõp formosam & ama
bilem reddat eam Dominus Deus nõster, propter filium suum, Ec
clesię redemptorem. Ecce ego sternam (inquit) per ordinem lapides
tuos, & fundabo te &c. Describit metaphora corporalis seu mũda
ni ædificij, spiritualem Ecclesiam. Videris nunc uix casa pastoralis,
& rusticum tuguriolum. Ego uero excitabo te in regiam magnificẽ
tissimam. Collocabo lapides tuos super carbunculo, & fundabo te
Sapphiris. Fundamentum tuum erit e carbunculis & Sapphiris. Fa
ciã fenestras tuas e crystallis, & portas tuas e lapidibus rutilãtibus,
& omnes angulos tuos e lapidibus preciosis. Ad hunc ferme mo
dum ædificatur Ecclesia in Apocalypsi cap. xxi. Visitatum autem est
in scriptura cp Ecclesia fundatur, extruitur, & ornatur preciosis la
pidibus & margaritis, non quidem corporalibus illis, sed spirituali
bus & cœlestibus, inter quos lapides fundamẽtalis & angularis est
Christus filius Dei. Reliqui autem superstructi, sunt credẽtes in fi
lium Dei. Psal. cxvij. Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic
factus est in caput anguli. Et Esa. xxviij. Ecce ego mittam in funda
mentis Ziõ lapidem angularem, lapidẽ probatum, preciosum &c.
Et Paulus, Eph. ij. Iam non estis hospites & peregrini, sed conciues
sanctorum ac domestici Dei, superstructi super fundamentum A
postolorum & Prophetarũ, summo angulari lapide ipso Iesu Chri
sto &c. Et i. Pet. ij. Gustastis, cp benignus sit Dominus, ad quẽ ac
cedentes, qui lapis est uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, a
pud Deũ uero electus & preciosus, ipsi quoq; ueluti Viui lapides
ędificemini, domus spiritualis &c. Habes structuram Ecclesię. Sed
cum Prophetica concio dicit Ecclesiam fundari & extrui preciosis
lapidibus, significat duo magna beneficia contingere Ecclesiæ. Al
terum est, Stabilitas & firmitas eius. Alterum, ornamentum & pul
critudo eius. Deus enim architectatur Ecclesiam suam, ut firmissi
mam, ita etiam ornatissimam. Firmat eam angulari petra robustissi
ma, quæ est Christus filius eius, & ministerium euangelij eius. Su

per

per hanc(inquit)petram ædificabo Ecclesiam meam,& portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Ornat eam clarissimis donis spūs sancti. Postq̄.n.Christus ascendisset in cœlum,misit Ecclesiæ suæ spiritum sanctum,per quem huic quidem datur, ut Paulus ait,sermo sapientiæ,alij sermo scientiæ,alij fides,alij dona sanationum,alij efficatiæ potentiarū,alij prophetia,alij discretiones spirituum,alij genera linguarum,alij interpretatio linguarum &c. Hęc sunt ornamenta, quibus spiritus sanctus initio post Pentecosten Ecclesiā illustrauit,& quorum multa adhuc in Ecclesiam confert,ut ædificium eius non conseruetur tantum,uerumetiam dilatetur.

Sed audiamus textum,quæ beneficia ciuibus huius tam munitæ & ornatæ urbis,hoc est,Ecclesiæ diuinitus cōtingant. Primum,Omnes,inquit, filij tui erunt docti a Dño. Hoc dictum allegat Christus ipse,apud Ioannem cap. vi. Nemo, inquiens,potest uenire ad me,nisi Pater,qui misit me,traxerit eum,& ego suscitabo eū in nouissimo die. Est scriptū in Prophetis: Et erunt omnes docti a Deo. Omnis ergo,qui audiuit a Patre & didicit,uenit ad me. Exponit igitur Christus,quod hoc dictum doceat, ueros filios Ecclesię non fieri humana sed tantum diuina doctrina,& nullum hominem reputari pro uero ciue Ecclesię,nisi quem Deus ipse docuerit,& ad amplectendum Christum fide,excitauerit. Cum hoc dicto conuenit & illud,quod Hieremias scribit. Post dies illos, dicit Dñs, dabo legem meam in uisceribus eorum,& in corde eorum scribam eam(hoc em̄ est doceri a Deo)& ero eis in Deum, & ipsi erūt mihi in populum. Et non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrē suum dicēs: Cognosce Dñm. Omnes enim cognoscēt me a minimo usq̄ ad maximum &c. Quid ergo dicemus? Num his dictis abrogatur externum ministerium docendi Euangelij in Ecclesia? Non certe abrogatur,sed potius confirmatur. Quem enim Deus docet & trahit ad agnitionem Christi filij sui,eum docet & trahit per externum ministerium Euangelij. Etsi autē hoc externum ministerium,diuinitus institutum est,& necessarium in hoc seculo,ad colligendam Ecclesiam ex gentibus, tamē frustra docet uir proximum suum,& inuanū hortatur uir fratrem suum, ut cognoscat Dñm,nisi Dñs ipse spiritu sancto suo hominem intus doceat,& mētem eius illustret. Vnde Paulus ad Corin. scribens: Ego quidem(inqt)plantaui, Apollo rigauit,sed Deus dedit incrementū. Itaq̄ neq̄ qui plātat est aliquid, neq̄ qui rigat,sed qui dat incrementum DEVS. Huc etiam facit, quod Ioannis i. dicitur. Filij Dei non nascuntur ex sanguinibus,neque ex uoluntate carnis,neq̄ ex uoluntate uiri,sed ex DEO. Et ad Petrum dicitur,Caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et Paulus,i. Cor. xij. Nemo potest dicere Dñm Ie-

sum, nisi per spiritum sanctum. Quare, & si florente nonnunquam Ecclesia mundanis ornamentis, multi impij hypocritæ ac etiam scelerati sese admiscent & primas sedes eius occupant, qui nec sunt a spiritu sancto docti, nec ueram habent Dei cognitionem, tamen hæc est ueræ Ecclesiæ prærogatiua, quod omnes, qui sunt ciues eius, habeant spiritum sanctum, docti sint a Deo, & uere cognoscãt Deum. Quæ cognitio affert eis æternam iusticiam & uitam. Huc pertinet etiam, quod in Ioele dicitur, et quod Petrus affirmat in die Pentecostes cœptum impleri: Non sunt, inquiens, hi ebrij sicut uos existimatis, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictũ est per Prophetã Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus. Effundam de spiritu meo super omnem carnem &c. Hoc plane illud est, quod hic dicitur. Omnes filij tui docti erunt a Domino &c.

Secundum beneficium est. Multitudo pacis erit filijs tuis. Ciuibus Ecclesiæ non solum dabitur doctor Spiritus sanctus, uerus existens una cum Patre & filio Deus, sed etiam dabitur eis multitudo pacis. Habebunt ualde trãquillam in urbe sua pacem. Hæc nõ sunt intelligenda de Politica pace. Etsi enim pij habent pacem, quãtum in ipsis est, cum omnibus hominibus, tñ Satã & impij homines nõ habent in hoc seculo pacem cum ipsis, sed perturbant eos, quoquo modo possunt, & affligunt ipsos, quanta queunt immanitate. Quare non fit hic sermo de mundana, & instabili, sed de uera, cœlesti & æterna pace, quam & Christus ipse, cum coram cõcionaretur, Ecclesiæ suæ promisit, Pacem, inquiens, relinquo uobis, pacem MEAM do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis &c. Hæc est pax illa, quam filius Dei inter Deum Patrem suum, & nos instituit, ut quotquot in filium credimus, habeamus Deũ propicium, condonantem nobis peccata, & adoptãtem nos in filios ac hæredes suos. De qua pace etiam Apostolus ait: Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominũ nostrum Iesum Christum &c. Et alias, Exuperat, inquit, omnem sensum. Oculus enim nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quanta sint huius cœlestis pacis commoda, quorum tantum primitias gustamus in conscientia per fidem, in hoc seculo, percepturi deinceps reipsa in futuro seculo, etiam decimas eorum.

Tertium beneficium. In Iusticia fundaberis, seu præparaberis & firmaberis. Ciues aliarum urbium solent ciuitates & domos suas extruere & firmare iniquitate, opibus inique, & per impostu ram partis. Accusat Michæas Principes & Iudices Israelis, etiam Zionem ædificasse crudelitate & iniquitate: Qui ædificatis, inquit, Zion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate. Solenne enim est Principibus extruere magnifica palatia pauperum sudore: uulgaribus aũt

ciuibus

ciuibus solenne est suas domos parare & implere opibus dolo, impostura, peiurio, & id genus iniquitate partis. Ecclesia autem, quæ est cœlestis Hierusalē, ędificatur & firmatur iusticia. Omnes ciues eius sunt iusti. In hac urbe non est ulla iniusticia. Quid autem hoc sibi uelit, supra, cap. liij. exposuimus, ubi dictum est: Non adiiciet ultra ut pertranseat per te incircuncisus & immundus. Omnes enī ueri ciues, seu filij, seu membra Ecclesiæ, dicuntur iusti, non quod nullū pctm̄ iam ante designauerint, nec, cp nullū pctm̄ adhuc in carne sua habeant, sed cp pcta eorū sint eis propter Christum condonata, & cp affectus peccati adhuc inhærentis, per spiritū sanctum mortificent. Itacp sunt iusti cp reputentur iusti per fidem propter Christū, & cp incipiant, mortificata carne, opera iusticiæ ex fide sectari. Quare, cum quondam dictū sit: Dns de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat, si est intelligens aut requirens Deum. Oēs declinauerunt, simul inutiles facti sunt &c. nunc, postcp Ecclesia agnoscit Christum ex Euangelio eius, per fidem, & Deus inuenit Christū, de q̄ dixit, Hic est filius meus dilectus, quo delector, in Ecclesia, in singulis uidelicet ciuibus aut filijs Ecclesiæ, recte ac uere dicitur Deū, pspicere de cœlo super ecclesiā, et uidere oēs ciues eius iustos & sanctos, ut dicat: Venite bn̄dicti patris mei, possidete regnū etc.

Quartum beneficium est, Recede procul a calumnia &c. Hoc ita legendum est. Longe aberis a uiolentia, nec timebis eam. Et a terrore, quia non appropinquabit ad te. Hoc est, postcp uenit Christus, & diuulgatur Euangelion suum in terra, non opprimeris amplius uiolēter, nec accident tibi horrēda. Tanta erit securitas Ecclesiæ, ut nullus metus aut terror eam amplius inuadat. Sicut & in Hieremia dicitur. In diebus illis Iuda saluabitur, & Israel habitabit confidenter. Non formidabunt ultra nec pauebunt. Magnum hoc est beneficiū, sed recte intelligēdum. In Ecclesia nullus est amplius pauor, nulla uiolenta oppressio, non cp Ecclesia in hoc seculo nullas habeat persecutiones, aut terrores mortis: Necesse enim habet sæpe ac multum carmen Dauidis sui cantare: Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbant me. Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Sed idcirco nullus dicitur amplius pauor, nulla uiolenta oppressio in Ecclesia esse, cp per Christum uicta sint omnia terribilia & horribilia, afflictiones, Mors, Infernus & Satan ipse, nec possint amplius Ecclesiā opprimere & perdere. Ac percipimus quidem huius beneficij primitias tantum per fidem, in hac corporali uita, postea autem fruemur decimis eius in cœlesti & perpetua uita.

Quintum beneficium: Ecce accola ueniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus &c. Hoc sic legēdum est: Ecce ueniendo ue-

riet abſq; me,quiſquis uenit ad te,ut ſuper te irruat,uel te inuadat. Ecce ego efficio,ut faber,qui exufflat igni carbonẽ,faciat inſtrumẽtum ad opus ſuum,& ego efficio,ut ſit corruptor ad perdendũ. Omne inſtrumentum,quod fictũ eſt contra te,non proſperabitur,& oẽm linguam,quæ inſurgit aduerſum te in iudicium,tu condemnabis,aut impietatis cõuinces. Quod aũt dicitur: Efficio,ut faber, exufflans igni carbones,faciat inſtrumentũ ad ſuũ opus,dupliciter exponi põt. Aut,q; Deus efficiat,ut qui arma cudit,ſeu bellũ ſuſcipit, aduerſus Eccleſiã,faciat hoc in ſuam ipſius perniciẽ, ſuo ſe gladio, ut dici ſolet,iugulet,& foueam fodiat, in quam cadat. Aut q; Deus,& ſi excitat aliquoties fabros,hoc eſt,hoſtes, qui parent arma aduerſus Eccleſiam,tamen efficiat,ut tandem ipſi pereant,Eccleſia autem ſeruetur. Vtraq; ſententia eodem reſpicit,uidelicet, q; Deus Eccleſiam ſuam ita tueatur, ut etiãſi multos habeat aduerſarios,qui oppugnent eam,alij quidem armis,hoc eſt,tyrãnide externa & corporali,alij autem lingua, hoc eſt,cõuicijs,mendacijs, hæreſibus, & impia doctrina,conſeruetur tamen in medio inimicorum admirabiliter,& inimici eius corruant una cum armis & lingua ſua horribiliter. Hoc beneficium diligenter conſiderandum eſt, ut in noſtris aduerſis,& aduerſariorum proſpera fortuna,nõ offendamur, nec animum deſpondeamus. Vniuerſus enim mundus,qui eſt Satanæ mancipium,perpetuus hoſtis eſt ueræ Eccleſiæ: ſed & ſi Deus aliquando uel excitat homines,uel conniuet eis,ut fortunata ſint arma eorum aduerſus Eccleſiam, & Eccleſia miſere affligatur, tamen non probat conſilia,ſæuiciam,& immanitatem hoſtium,quibus inſtituunt Eccleſiam & uere piam doctrinam eius radicitus extirpare, nec approbat impietatem eorũ,in qua ſibi,propter fœlicẽ cõſiliorum ſuorũ ſucceſſum,applaudunt. Nihil enim certius eſt, q; q; bene erit timentibus Deum, qui uerentur faciem eius,ut Eccleſiaſtes inquit,etiamſi peccator centies facit malum, & per patientiam ſuſtentatur. Et Pſalmo trigeſimoſexto. Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. Dominus autem irridebit eũ, quoniam proſpicit q; ueniet dies eius &c. Et mox: Brachia peccatorum conterentur,confirmat autẽ iuſtos Dominus. Et Eſa. ca. xxix. Erit ſicut puluis tenuis,multitudo uentilantium te &c. Et ſtatim: Erit ſicut ſomnium uiſionis nocturnæ,multitudo omnium gẽtium, quæ dimicauerunt contra Ariel &c. Quare non offendamur proſpero ſucceſſu impiorum in oppugnatione Eccleſiæ, ſed ſentiamus Eccleſiam tanto admirabilius ſeruandã & liberandam,quanto diutius impij eam fœliciter uexauerint. Habes beneficia,quæ Eccleſiæ propter Chriſtum filium Dei promittũtur & præſtantur. Concluditur ergo hęc concio epiphonemate. Hæc eſt hęreditas ſeruorum

Dñi,& Iustitia eorꝝ a me, dicit Dñs. Sic in Psalm. cxxvij. post enumeratã beneficiorꝝ promissionem, additur. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dñm. Hæc (inquit) est hæreditas seruorꝝ Dñi. Serui Dñi sunt Ecclesia. Cum igitur hactenus recẽsuerit in hac concione catalogum beneficiorꝝ, asseuerat nunc, se ea beneficia traditurꝝ Ecclesiæ suæ in hꝛreditatem. Et additur. Hꝛc est Iustitia, hoc est, iusta merces eorꝝ a me, quam ego uidelicet retribuã eis. Vocat aũt hꝛc beneficia, Iustã mercedem, nõ ꝙ Ecclesia meruerit ea suis ipsius operibus, Sed ꝙ Iustus sit Deus, qui cum se ea promiserit Ecclesiæ daturum, propter filium suum, censeat iustum esse, ut hanc promissionẽ seruet. Vnde & antea uocauit ea, hæreditatẽ, quæ & si cõtingit liberis aut nepotibus, nullo laborum suorꝝ merito (plus enim laborauerunt in familia serui, qui hæreditatis patrisfamilias non sunt participes, q̃ liberi aut nepotes) tñ iustissime accipitur, q̃d legitima hꝛreditate accipitur. Quare, cum tanta sit hæreditas, a Deo parata Ecclesiæ, magna esset incredulitas & impietas, si non obsequeretur ei cohortationi, quæ initio proposita est, uidelicet, ut in reuersis suis nõ timeat, sed iubilet, decantet laudem, hinniat, & præ gaudio gestiat. Etsi. n. non statim percipit externo sensu hæc beneficia, tñ, si adhibet fidem Euangelio filij Dei, accipit in hoc seculo gustum eorum per fidem, & fruetur tandem reipsa, idꝙ certissime, in uero illo & æterno seculo, in quo solo est fœlicitas, quæ nullum unquam finẽ est habitura.

CAPVT LV.

OMNES SITIENTES VENITE AD AQVAS ET QVI NON HABETIS &c.

Docuit hactenus aliquot concionibus perspicue Euangelion de Dño nostro Iesu Christo, & de beneficijs eius, quæ confert in Ecclesiam suam. Nunc igitur addit exhortationem, qua uocat homines ad audiendum & fide excipiendum hoc Euangelion, & ad agẽdam pœnitentiam. Quid enim profuerit, Christum humano generi magna & multa cœlestia beneficia impetrare, & offerre, non autem esse, qui ea accipiat? Quare cohortatur nunc homines, ut Euangelion, quod de Iesu Christo prædicatur, non contemnant, sed fide excipiant, & pœnitentiam agant, quo tantis beneficijs fruantur. O uos omnes, inquit, sitientes, uenite ad Aquas &c. Primum, non uocat unum tñ genus hominũ, Sed o uos OMNES, inquit. Non enim est distinctio, (ait Paulus) uel Iudæi uel Græci. Nam idẽ Dominus OMNIVM, diues in OMNES inuocãtes se &c. Deinde,

non uocat Saturos, Sed SITIENTES. Vocat quidem indiscriminatim omnes, sed Saturi non audiunt, non desiderant, non cupiunt, non petunt has aquas, nisi fiant sitientes. Saturi autem sunt uel hypocritæ, qui inebriati fiducia suæ ipsorum iusticiæ, fastidiunt aquas Euangelicas: uel contemptores, qui inebriati uoluptatibus huius seculi, non requirunt cœlestem fœlicitatem. Sitientes uero sunt, qui agnito peccato suo, intelligunt se ita corruptos, & deprauatos, ut nullam plane ueram iusticiam in suis uiribus & operibus inuenire queãt, ideoq; uident de salute sua actũ esse, nisi aliam, eãq; cœlestẽ iusticiã hauriant. Qui ergo sic sitiũt, hi diuinitus uocãtur, ut ueniãt. Sed quo ueniant? Ad Aquas. Non aũt ad aquas tm̃, sed etiã ad panẽ & cibũ, ad uinũ et lac uocamur. Dices aũt. Vnde mihi pecunia, ut hæc emã? Sunt enim precioſiora, quam ut ego ea prę paupertate mea comparare mihi queam. Quid igitur faciam, aut quo me uertam, ut expleam meam sitim & famem? Sed & hanc curam eximit nobis spiritus sanctus. Proponit enim hunc potum & cibum gratis accipiendum. Venite, inquit, etiam uos, qui non habetis pecuniam. Emite sine argento, & sine precio. Interea etiam reprehendit nos, quod fruſtra exponamus pecuniã pro eo cibo, qui nos non exaturet, & pro eo potu, qui sitim nostram non expleat. Quare expenditis (inquit) pecuniam pro ijs, qui non sunt ueri panes, & exponitis opes, quas labore uestro parastis, pro ijs rebus, quę nec famẽ nec sitim uestrã explere possunt, cum liceat uobis uerum panem & uerum potum, quo inæternum sustentamini, gratis absq; ulla pecunia parare? Sed quid mihi uelim, cũ iubeo uos uenire, paucis accipite. Nõ exigo a uobis lõgę peregrinationis laborẽ, Sed exigo auditum & fidem Euãgelij mei. Audite, inq;, audientes me. Inclinate aurem uestram, & Audite. Hoc si feceritis, uenietis recta ad me, & consequemini maxima beneficia. Primum enim comedetis bonum, & delectabitur in crassitudine anima uestra. hoc est, accipietis eum cibum & potum, qui reddat uos alacres, corpulẽtos, & uegetos. Deinde, Anima uestra uiuet, hoc est, nõ solum eritis sani, uerum etiam longæui. Sed nunc sententiam huius metaphoricæ cõcionis percurremus. Initio enim quod de aqua & pane dicit, dubium non est, quin intelligat hanc aquam, & hunc panem, de quibus filius Dei etiam apud Ioannem cap. iiij. & vi. concionatur. Sumit autem occasionem ab aqua putei Iacob, & a pane, quo in deserto multa milia hominum pauerat. Omnis, inquiẽs, qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua, quam EGO dabo ei, non sitiet inęternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Et rursus de pane: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane, uiuet inæternum.

in æternum. Vides igitur panem, & aquam, quæ hic nobis emenda, comedenda & bibenda proponuntur, esse Dñm nostrum Iesum Christum, & Euangelion eius, quo Christus sese nobis fruendum dispensat. Idem intelligendum est de uino & lacte, quæ hic adduntur. Neq; enim alius est cibus, nec alius potus, quo & uera uitam assequamur, & in ea conseruemur, præter Christum filium Dei, & Euãgelion eius. Deinde uenire, emere, comedere & bibere, sunt & ipsa metaphorica, & significãt, quod textus ipse interpretatur, Audire, & aurẽ suam inclinare, hoc est, sic audire, ut Euãgelion, quod audis, fide excipias, & uocationi eius obedias. Fit autẽ hic obseruabilis & iucunda collatio ueri Euãgelij de Christo, & Pharisaicæ doctrinæ, aut humanarum traditionum, cæterarumq; omnium mũdanarum rerũ. Nam Pharisaica doctrina, & humanæ traditiones pollicẽtur quidem & ipsæ aquas, panem, lac & uinum, non autem gratis, sed pro pecunia. Promittunt & ipsæ gratiam, clementiam, misericordiam Dei, iusticiam & fœlicitatem cœlestem, nõ autem gratis per fidem, propter solum Christum, sed meritis nostrę ipsorum iusticiæ, & propter opera nostra. Proponunt accipiẽdum regnum cœleste, sed ita, si pecuniã numeraueris, si Indulgentias redemeris, si sacrificia Missæ frequentaueris, si regulam ordinis tui Monastici seruaueris, & id genus alia feceris. Hoc est Iusticiã & regnum cœleste pro pecunia uendere. Verum aũt Euãgelion Christi proponit cœlestia bona accipiẽda gratis, sine ullo nostro precio, aut merito, sed tantum precio & merito filij Dei per fidem. Nec instituit ulla sacrificia, quibus nobis meritum Christi applicetur, sed instituit tantum sui prædicationem, & sacramẽtorum suorum sumptionem, quibus applicetur nobis meritum Christi, & per solam fidem accipiatur. Ite, inquiens, in uniuersum orbem, & prædicate Euangelion omni creaturę. Qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit. Audis prędicatione Euãgelij, pponi seu offerri, & si ita loqui libet, applicari nobis cœlestem salutem, fide autẽ, & fidei sacramento, quod est baptismus, accipi. Sic & cum in cœna dicit, Accipite edite, hoc est corpus meum, Quod pro uobis datur. Et: Bibite ex hoc omnes. Hic est calix &c. proponit corpus suum, quod est uictima pro peccatis, & sanguinem suum, qui est ablutio peccatorum, Fide, & fidei sacramẽto accipienda. Non hoc uult, & singulare genus sacerdotũ instituatur, qui occulta sua murmuratione & immolatione applicent Ecclesiæ nec audienti, quid secum mussitent, nec sumenti cœnam, meritũ Christi, sed uult, ut Euãgelion manifeste adnuncietur, & Sacramẽtum cœnæ dispensetur, quibus rebus fiat applicatio meriti Christi, quæ applicatio tum demũ fructum affert, si quod Euangelio adnunciatur, et sacramẽto sumendũ porrigitur, fide accipiatur. Cũ au-

tem dicimus, aliquid accipiendum fide, non intelligimus quamuis animi conceptionem, sed eam fiduciã, quæ nititur solo merito Christi, ut gratis, absq; ullo nostrorum meritorũ respectu, exhibito, ita etiam gratis, sine ulla nostrorum operum fiducia accepto. Emite, inquit, absq; argẽto, & absq; ulla commutatione seu precio. Vnde & Paulus ait: Iustificantur GRATIS, per illius GRATIAM, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem, per FIDEM &c. Et iterũ. Arbitramur FIDE iustificari hominem, absq; operibus legis, hoc est, absq; meritis nostrę iusticię &c. Deinde humanę traditiones, etsi ꝓmittunt cœlestia beneficia, tñ nõ possunt ea seruis suis præstare, sed dimittũt eos inanes. Expenditis (inquit) argentum seu pecuniam pro non panibus, & laborem uestrum non in saturitate. Vnde & Christus apud Matthęũ ex Esaia concionatur: Frustra, inquiens, colunt me docentes doctrinas, præcepta hoĩm. Et Paulus: Si mortui, inquit, estis ab elemẽtis mundi, quid quasi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, necq; cõtrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hoĩm &c. Quæ autem Euangelion de Christo promittit, ea etiam credẽtibus fideliter præstat, idq; gratis, nullo prorsus operum respectu, quẽadmodum ante diximus. Me, inquit, audite, & comedetis bonũ, & pinguescet anima uestra. Nã, ut sciamus nihil certius, nihil firmius esse, q̃ ꝙ filius Dei præstiturus sit ea, quæ Euangelion suum pollicetur, affirmat id non simplicibus uerbis, sed iuramento: Amen amen, inquiẽs, dico uobis, qui sermonem meũ audit, & credit ei, qui misit me, habet uitã ętернã, & in condemnationẽ non ueniet, sed trãsiuit a morte ad uitã. Et iterũ. Amen amẽ dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitã in uobis. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinẽ, habet uitam æternã, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Iurauerat & antea Pater ipse cœlestis, se per filium suum certissime placari, & benedictionẽ ueræ salutis prę̃stare. Per memetipsum, inquiens, iurauí, bñdicentur in semine tuo oẽs gentes terrę. Et in Psalmo: Iurauit Dñs & non pœnitebit eũ, Tu es sacerdos inæternũ, secundũ ordinẽ Melchisedec. Sed de certitudine cœlestium bonorum, quæ Euangelio promittuntur, mox plura in hoc capite sequentur. Postremo humanæ traditiones non solum dimittunt homines inanes, sed etiam auferunt eis uitam, & tradunt eos æternæ morti. Alliciunt enim homines eo, ut Christo non admodum requisito, omissis præceptis Dei, & neglecta uera obedientia, Deo debita, confidant operibus a se traditis & præscriptis. Hæc autem fiducia, quia est species Idolatriæ, affert certam mortẽ & interitum. Nam si maledictus est omnis, qui est ex operibus legis,

legis, ut Paulus ait, quanto magis maledictus est omnis, qui est ex operibus humanarum traditionum. Et si a gratia excidunt, ut idem ait, quicunq; per legem iustificãtur, multo magis excidunt a gratia, quicunq; per opera humanarum traditionum iustificantur. Euãgelion aũt, quod docet fiduciã iusticiæ & salutis, in solo filio Dei Dño nostro Iesu Christo, collocandam esse, affert uerã & æternam iusticiam atq; uitam. Venite, inquit, ad me, Audite, & uiuet aïa uestra. Et Christus. Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet, & oïs, qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Non hoc uult Euãgelion Christi, ut cum reiicit opera humanarum traditionum, & tollit fiduciam ab operibus etiã mandatorum Dei, nihil prorsus boni operis facias, sed uult, fiduciã iusticiæ & salutis in solo Christo collocandam, mandatis aũt Dei diligentissime obsequendum, non q̃ horæ obseruatione coram Deo iustificeris, cum iusticiã habeas in Christo per fidem, sed quia spiritus fidei teneri nõ possit, quin in præceptis Dei ambules, & ut obedientia gratitudinem tuam declares. Fugiamus igitur pestem doctrinæ humanarum traditionum, sectemur aũt prædicationem ueri Euangelij de Iesu Christo, ut æterna iusticia & uita fruamur.

ET FERIAM VOBISCVM PACTVM SEMPITERNVM &c.

Iussit nos audire, & aurem nostram inclinare. Etsi aũt in prioribus concionibus exposuit copiose Euangelion Domini nostri Iesu Christi, quod audiendum, & ad quod aures nostræ inclinãdæ sunt, tamen nunc iterum recitat illud Euangelion, ut bene nobis id inculcetur, cui aures nostræ sint ãdhibendæ. Feriam, inquit, uobiscũ pactum sempiternum, misericordias Dauidis fideles. Hũc locũ Paulus, Act. xiij. sic allegat. Quod autẽ suscitauit eum, (uidelicet Christum) a mortuis, iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit. Dabo uobis sancta Dauidis fidelia. Primum igitur, Paulus hac allegatione perspicue significat hunc locum intelligendum esse de Christo Dauidi promisso. Deinde non est obscurum, quod hic locus mutuo acceptus sit e Psalmo lxxxviij. qui tractat eam promissionem, quæ scripta est ij. Reg. vij. Sic autem dicit Psal. Inæternum seruabo illi misericordiam meã, & testamentum meum fidele ipsi &c. Vides eadẽ pene uerba esse Psalmi & huius propheticæ cõcionis. Quod ergo hic dicitur, habet hãc sententiã. Promisi quõdã Dauidi, me daturũ ex posteritate eius Messiã seu Christũ, filiũ meum, quẽ tanta caritate complector, ut ꝓpter ipsum ꝓpicius sim oïbus q̃ credunt in eum, & adoptem eos in filios ac hæredes cœlestium meorũ bonorũ. Promisi aũt hoc non simpliciter, sed cõfirmaui iuramẽto, Iurauit Dñs, & non pœnitebit eũ, Tu es sacerdos etc,

Et iterum. Iurauit Dominus ueritatẽ, & non fruſtrabitur eum. De fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam. Hoc igitur pactum iuramento firmatum, perpetuo ſeruabo, nec unquam committam, ut miſericordiæ ſeu benefica Dauidi de Chriſto promiſſa, ſint uana, & fallacia, ſed efficiam ut ſint fidelia, hoc eſt, firmiſsima & certiſsima. Dabo enim ex poſteritate eius Chriſtum filium meum, ut quicunq; in eum crediderit, non pereat, ſed habeat æternã uitam. Hoc eſt Euãgelion ad quod audiendum uocat ſpiritus ſanctus per Eſaiam, initio quidem, omnes auditores Eſaiæ, deinde omnem poſteritatem eorum, imo uniuerſam Eccleſiam, ut agnoſcamus, non eſſe aliud nomen ſub cœlo hominibus datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri, præterquam filium Dei Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum.

Sed pergit Chriſtũ Dauidi promiſſum clarius illuſtrare, ut nos ad fidem inuitet. Ecce, inquit, Dedi eum, uidelicet Chriſtum, teſtẽ populis, principẽ ac præceptorem populis. Tribuit Chriſto Tria obſeruanda epitheta. Vnum eſt, q̃ ſit TESTIS populis. Qui teſtimonium dicit in controuerſia inter actorẽ & reum, is eſt cõtroueꝛſiæ quaſi mediator, ſecundum cuius dicta iudicium ferri ſolet. In qua ergo controuerſia teſtimonium dicit Chriſtus filius Dei? In ea uidelicet, quam Deus habet aduerſus hominem, propter peccatum. Deus enim, & ſi odio habet peccatum, & iudicat peccatum puniendum eſſe æterno ſupplicio, tamen promittit populis condonationem peccati, & iurat etiamnum, q̃ non uelit mortem peccatoris, ſed magis ut cõuertatur & uiuat. Et quia tanta eſt ſeueritas iræ Dei aduerſus peccatum, quemadmodum Lex, & ſupplicia indicant, ut non facile credatur Deo promittenti remiſsionem iræ ſuæ, & gratuitam condonationem peccati, idcirco producit in teſtem unigenitum filium ſuum, Ieſum Chriſtum, ut ſecundum huius dicta de uoluntate Dei iudicemus. Quare filius Dei teſtificatus eſt hanc clementem & miſericordem Dei uoluntatem erga nos, non ſolum Euangelio ſuo, uerumetiam ſanguine & morte ſua. Deſcendi (inquit) de cœlo, ut faciam, non quod ego uolo, ſed quod uult is, qui miſit me. Hæc eſt autem uoluntas eius, qui miſit me Patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, ſed reſuſcitem illa in nouiſsimo die. Et hęc eſt uoluntas eius qui miſit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum habeat uitam ęternam &c. Et alias: Noli timere pu'ſille grex, quia complacitum eſt Patri ueſtro dare uobis regnum. Quis nunc tanto teſti dicta ſua etiam miraculis confirmãti, non adhiberet fidem? Quis deinceps de benigna Dei erga ſe uoluntate dubitaret? Si peccata, ſi afflictiones, ſi mors, ſi horrores inferni minantur exitium, habes Chriſtum filium Dei, qui teſtificatur Euãgelio ſuo, miraculis ſuis, ſanguine ſuo, morte ſua, imo & reſurrectione ſua

ſua Deum patrem eſſe placatum, condonare peccata, ſeruare in morte, & dare æternam iuſticiam ac ſalutem. Quare nihil amplius habes quod metuas, ac trepides, ſed tantum in hoc ſtudium incumbendum eſt, ut huic teſti, qui neminem fallere poteſt, certam ac firmam fidem adhibeas, & uocationi eius obedias. Alterum eſt, נָגִיד Nagid, Quod interpretantur ducem ſeu principem. Et quia Nagad Hebræis ſignificat adnunciare aut referre, uidetur Chriſtus hic dici Nagid à ducatu uerbi & principatu doctrinæ. Sicut enim Chriſtus poſitus eſt à Deo patre in teſtem uoluntatis ſuæ erga humanum genus, ita etiam poſitus eſt in ducem uerbi & principem doctrinæ, ut inter omnes Prophetas & Apoſtolos, Doctores & Concionatores, Chriſtus ſit ſupremum caput, & anteſignanus, ex quo omnes alij doctrinam ſuam petant, & ad cuius doctrinam ſeſe referant. Itaq; quod Prophetæ ante Chriſtum, & Apoſtoli poſt Chriſtum prædicauerunt, hoc ex ſpiritu Chriſti prædicauerunt, ut eccleſia ſuperſtructa ſit ſuper fundamentum (quemadmodum Paulus ait) Apoſtolorum & Prophetarum, ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. Tertium eſt, מְצַוֶּה Mezaueh, quod ſignificat præceptorem ſeu Imperatorem, uidelicet, non ſimplicem quendam doctorem, cuius doctrinam ſiue agnoſcas, ſeu reijcias, iuxta referat, ſed talem, cuius præcepta ſeu imperata capeſſas, neceſſe eſt, & quem non Moſes tantum, ſed etiam pater ipſe cœleſtis, manifeſta uoce audiendum mandauit, & in Imperatorem conſecrauit. Moſes dicit: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, IPSVM AVDIES. Pater cœleſtis dicit: Hic eſt filius meus dilectus, quo mihi complacitum eſt, HVNC AVDITE. Sed & Chriſtus ipſe, cum amandaret diſcipulos ſuos, clare ſignificat, ſe eſſe diuinitus in talem Imperatorem conſecratum, cuius iuſſa omnes gentes ſeruare debeant. Data, inquit, eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptiſantes eos in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare OMNIA, quæ PRAECEPI uobis. Non eſt autem ſentiendum, quòd ſit nouus legislator, qualis fuit Moſes, aut alij rerum publicarum ſeu politiarum inſtauratorec, nes quòd iuſſa eius operentur iram, & occidant, ſicut iuſſa legis Moſi, ſed quòd ſit Imperator Euangelicus, qui adnunciat gratiam & fauorem Dei, & cuius iuſſa afferunt credenti æternam iuſticiam & uitam. Amen amen dico uobis, inquit, qui SERMONEM MEVM audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet. Et iterum Si quis diliget me, SERMONEM meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum ueniemus & manſionem apud eum faciemus. Et mox: Si manſeritis in me, & VERBA mea in uobis manſerint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Quare tradamus nos in huius Imperatoris obſequium, & obſeruemus iuſſa eius, quibus perducemur ex inſidijs omnium hoſtium noſtrorum, ad caſtra cœleſtis regni.

ECCE GENTEM QVAM NESCIEBAS, VOCABIS, ET GENTES &c.

Concionatus eſt Pater de filio ſuo, & dixit: ſe dediſſe ipſum populis Teſtem, Ducem, & Imperatorem. Nunc concionatur de Legatis ſeu Apoſtolis filij ſui, & alloquitur eos, exponens, quid ipſi ſua legatione

sint confecturi. Ecce, inquit, Gentem, quam nesciebas, uocabis &c. hoc est, Tu Apostolice cœtus, congregabis prædicatione mandatorum seu Euangelij huius Imperatoris, in ecclesiam, non Iudæos tantum, uerum etiam exteras gentes, quas nec tu hactenus nouisti, & quæ nec te nouerunt. Hæ properabunt ad te, propter Dominum Deum tuum, & propter Sanctum Israelis, hoc est, propter Christum, quia decorauit te, uidelicet non tantum officio prædicandi Euangelij, sed etiam dono edendorum miraculorum. Quo decore Apostolorum, gentes ita excitabuntur, ut decem homines ex omnibus linguis gentium (quemadmodum postea Zacharias dicit) apprehendant fimbriam uiri Iudæi dicentes: Ibimus uobiscum, Audiuimus enim, quoniam Deus uobiscum est. Hæc de uocatione gentium ad ecclesiam filij Dei, impleta esse, & adhuc impleri, Apostolica prædicatione, manifestius est, quàm quod hîc pluribus commemorari debeat, & antea de hac resæpe tractatum est. Ea enim est Apostolica doctrina, ut & ad omnes gentes seu propinquas, seu longinquas, & ad omnem posteritatem earum non unius tantum seculi, sed omnium seculorum & ætatum usq; ad nouissimum diem pertineat, ac efficax quoq; sit precibus Christi, in omnibus, qui per fidem eam excipiunt. Non pro eis tantum rogo, inquit Christus, sed & pro ijs, qui crediturí sunt per sermonem eorum in me.

QVAERITE DOMINVM, DVM INVENIRI POTEST, INVOCATE EVM &c.

Dixit non Iudæos tantum, sed etiam Gentes Apostolica prædicatione ad ecclesiam uocari. Addit igitur nunc Apostolicam concionem, qua uocantur ad pœnitentiam & ad fidem Euangelij non tam coætanei Esaiæ, qui primi hanc concionem audiuerunt, & coætanei Apostolorum, quàm homines omnium seculorum, siue fuerint ante, siue post aduentum Christi in carne. Est enim generalis cohortatio, quæ usitata est Prophetis & Apostolis, & quæ semper in ecclesia sonare debet. Quærite, inquit, Dominum, dum inueniri potest, & inuocate eum, dum prope est. At enim, abest ne aliquoties Dominus tam longe, ut non queat inueniri? An non dicit: Cœlum & terram ego impleo? Cum igitur uersamur in exhortatione ad agendam pœnitentiam, & ad quærendum Dominũ, non fit sermo de præsentia uel absentia essentiæ diuinę, qua essentia tam cœlum quàm terra implentur, sed de manifestatione uel occultatione gratiæ & misericordiæ Dei. Tunc enim Dominus dicitur prope esse, cũ manifestum est, quòd uelit remittere peccata, & resipiscẽtes in gratiam recipere. Et tunc longe dicitur abesse, cum dubium & obscurum est, num uelit esse propicius, & afflictos seruare. Manifestam aũt facit Deus clementiam & misericordiam suam VERBO suo. Etsi enim significat etiam se esse clementem & beneficum, dum confert beneficia (ut Paulus et Barnabas in Actis Apostolicis dicunt) dans nobis de cœlo pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra, tamen nisi VERBVM Dei accedat, hæc clementiæ significatio non affert nobis, præsertim coram tribunali Dei accusatis, magnam utilitatem. Nam de uoluntate Dei, nihil nos magis certos reddit, quàm uerbum eius, ut ubicunq; uerbum Dei aut omnino non prædicatur, aut humanis traditionibus obscuratum & uitiatum prædicatur, ibi etiam clementia Dei sit

ignota

ignota aut obscura. Quare, cum Deus excitat Prophetas, Apostolos, & concionatores, qui uocant populum ad pœnitentiam, & pollicentur per uerbum euangelij respiscentibus omnem clemẽtiam & misericordiam Dei, propter Christum filium suum, dicitur prope adesse, & inueniri posse. Vnde in Psal. 144. dicitur: Prope est Dominus inuocantibus eum, inuocantibus eum in ueritate. Nam qui inuocant eum in ueritate, inuocant eum in fide. Fides autem est ex auditu. Auditus per uerbum Dei, quod est Euãgelion de Iesu Christo. Et Psal. 33. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Tales enim habent perspicuas promissiones Euangelij, q̃ Deus respiciat afflictos, & habitet cum spiritu humili. Cum uero aut non sint, qui hortentur homines ad pœnitentiam, & promittant gratuitam condonationem peccatorum propter Christum per fidem, aut sint, qui hortantur quidem ad pœnitentiam, sed non promittunt clementiam Dei, nisi his, qui eam sua ipsorum iusticia merẽtur, aut intercessione mortuorum impetrant, tunc dicitur Deus procul abesse, & inueniri non posse. Sic prope aderat & inueniri poterat Deus, cum Noẽ ante diluuium clare concionabatur Deum iratum quidẽ esse propter peccata hominum, & cõstituisse supplicium diluuij immittere, propicium aũt fore his qui resipiscunt, & inuocant ipsum ex fide in promissum semen mulieris. Sic prope aderat & inueniri poterat ijs temporibus, quibus Esaias, Oseas, Amos, Micha, et postea Hieremias ante deua stationem Hierusalem uocabant Israelitas VERBO Domini ad ueram pœnitentiam & ad fidem ac inuocationem Dei per Messiã Dauidi promissum. Vnde & in χρονικοῖς dicitur: Mittebat Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum de nocte consurgens, & quotidie cõmonens, eo quòd parceret populo & habitaculo suo. Sic prope aderat, & inueniri poterat eo tempore, quo Christus & Apostoli prædicauerunt Euangelion. Tunc enim licebat Iudæis Deum adhuc inuenire, & salutem consequi. Postquam autem repulerunt Christum, & abiecerunt Euangelion eius, tantæ tenebræ exortæ sunt inter Iudæos, ut Deum, qui ab eis procul recessit, inuenire non possint. Sic & his temporibus, quibus diuina clementia reuelatum est nobis Euangelion Domini nostri Iesu Christi, & patefactæ sunt Pontificiæ impostura, & Monasticę impietates, Deus uere nobis appropinquauit, & se inuenire permittit. Cum uero Euangelion tanto contemptu habeatur, ut homines non solum ex eius cohortatione non resipiscant, uerumetiã omnem causam infœlicis rerum successus in ipsum reijciãt, nihil aliud reliquum uidetur, quàm ut Dominus iterum sese procul à nobis aliò recipiat, & sinat inter nos rursus crassissimas tenebras exoriri, ut illud Prouerb. 1. in nobis cõpleatur: Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, et subsannabo, cũ id quod timebatis, uobis aduenerit. Ac mox: Tunc inuocabũt me, & nõ exaudiam. Mane exurgent, & non inuenient me &c. Et illud Zachariæ ca. 7. Factum est, sicut locutus sum, & non audierunt, sic clamabunt & non exaudiam, dicit Dominus Zebaoth. Obsequamur igitur uocationi spiritus sancti, et queramus Dominum, dum lucem habemus, ut Dominus nos agnoscat et seruet. Sed quid faciendum mihi est, inquies, ut quę

ram Dominum? Nunquid offeram ei, ut alterius Prophetæ uerbis utar,
Mich. 6. holocautomata, & uitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus milibus arietum, aut multis milibus hircorum pinguium? At enim, etsi hæc sacrificia habuerunt suum suis temporibus usum, tamen nec tunc, cum adhuc legitima sacra essent, tanti fuerunt momenti, ut obseruatione eorum Dominus absq; uera pœnitentia inueniretur. Multo minus, postquam sunt abrogata, habenda sunt pro ijs cultibus, quibus Deus quæri debeat, & inueniri queat. Sed audiamus nostrum Prophetã, ut doceat nos, quid faciendum sit, ut quæramus & inueniamus Deum. Derelinquat (inquit) impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum. En, habes paucissimis, quid ad quærendum & inueniendum Dominum facias. Homines sunt impij aduersus Deum, & iniqui erga proximos suos. Quare, ut recte quærant & inueniant Dominum, abijciendæ sunt impietates & iniquitates. Sed hæc uaf de generaliter dicuntur, & usurpantur non tantum à doctoribus puri Euãgelij, uerum etiam à doctoribus humanarum traditionum. Clamat Euangelicus concionator: Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & cõuertatur ad Dominum. Clamat idem concionator Pontificius, aut Monasticus. Quid ergo faciamus? Manifestum est, quòd hoc Prophetæ dicto uocemur ad agendã pœnitentiam. Quærendum igitur est, quid faciendum sit, ut ueram agamus pœnitentiam. Hîc nũc alius aliam ostendit uiam agendæ pœnitentiæ. Pontificius concionator dicit, Vt agas ueram pœnitentiam, necesse habes de peccatis tuis atteri & conteri, postea peccata sacerdoti confiteri, & demum peccata bonis operibus expiare. Quòd si sumit nomen peccati explicandũ, multo grauiora iudicat peccata aduersus Pontificios Canones quàm aduersus Decalogum cõmissa. Pluris facit esum carnis in feria sexta, quàm adulterium, exigit etiam pro illo maiorem, quàm pro hoc satisfactionẽ. Sic & cum de bonis operibus differendum est, non admodum magni facit iram remittere, inuidiam abijcere, in negocijs iusticiam seruare, Deum ex fide in malis inuocare. Sed sacrificia Missarum audire, certas preculas, certis temporibus recẽsere, statis diebus & horis ieiunare, aliquot numulos pauperibus publicè in eleemosynam distribuere, hæc demum putat tam bona opera, & tam sacros Dei cultus esse, ut Deus propter eos condonet omnia peccata, & tribuat cœleste regnum. Monasticus concionator dicit, Vt ueram agas pœnitentiam, deserenda est politica uita, non est ducenda uxor, aut si ducta est, abijcienda erit, & secedendum in aliquod monasterium, ut ibi operibus Monasticæ regulæ peccata tua toto uitæ tuæ tempore expies. Hæc, & id genus alia intelligunt hi Pontificij et Monastici concionatores, cum dicunt: Derelinquat impius uiam suam, & iniquus cogitationes suas, et conuertatur ad Dominum. His enim conuerti ad Dominum est uel ad Missam accedere, uel in Monasterium sese proripere. Sed ut Prophetæ & Apostoli docuerunt longe aliam rationem agendæ pœnitentiæ, & conuertendi sese ab impietate ad Dominum, ita concionator uerè pius studium suum in hoc præcipuè collocat, ut sequatur exemplum Prophetarum & Apostolorum, et doceat non exhumanis traditionibus, sed ex uerbo Domini, quid sit faciendum, ut ueram agas pœnitentiam, & uerè ad Dominum conuerta

ris-

ris. Primum enim, uidet quidem legem Dei propositam, quæ exigat bona opera, sed quia uidet etiam naturam humanam ita corruptam esse peccato originali, ut legem Dei non perfecte impleat, intelligit legem eò respicere, ut reuelet peccata hominis, & iram Dei propter peccata. Sicut Paulus docet. Intelligit etiam tantam esse arrogantiam humani cordis, ut non petat, nec quærat ex animo, condonationem peccatorum, nisi antè peccata sua & iram Dei cognoscat. Quare iubet ad agendam ueram pœnitentiam, primum omnium peccata sua, non illa hypocritica & monastica, quæ coram Deo non reputantur pro peccatis, sed ea quæ cum lege Dei pugnant, uerè agnoscere, & ad iram Dei ita trepidare, ut peccatum tanquam præsens exitium, ex animo odio habeas, ac detesteris.

Deinde uidet Euangelion de Christo, & gratuita peccatorum condonatione propter Christum, diuinitus ante legem, in lege, & post legem traditum ac reuelatum esse. Videt commendatum nobis esse Christum filium Dei de cœlo, non Mosi tantum, sed etiam Dei patris uoce, ut ipsum audiamus, & credamus, quòd Deus propter ipsum solum sit nobis propicius, & condonet nobis peccata gratis. Iubet igitur nos pius concionator, ut ad agendam ueram pœnitentiam, & consequendam certam & indubitatam peccatorum remissionem, cognoscamus Christum filium Dei ex Euangelio eius, & credamus in ipsum, quod sit iustificatio et sanctificatio nostra coram Deo patre suo, idq; nullo nostro merito, sed tantum gratuita ipsius clementia & misericordia. Postremo uidet Christum promittere & dare credentibus, spiritum sanctum, qui accendat corda non solum ad inuocationem Dei, sed etiam ad obedientiam in omni genere officiorum, quæ Deus uerbo suo à nobis exigit. Videt ueram fidem non esse ociosum aut ignauam, sed mortificare carnem, & esse efficacem per Caritatem. Exigit ergo à nobis, ut ad testificandam pœnitentiam, fidem & gratitudinem nostram, inuocemus Deum, agamus Deo gratias, glorificemus nomen Dei nostra obedientia, bene faciamus proximo tam amico quàm inimico, sectemur sobrietatem & castitatem, denicq; faciamus omnia uocationis nostræ officia diligentissime. Nam hæc est uera doctrina de pœnitentia, tradita à Prophetis & Apostolis, & confirmata cœlestibus testimonijs.

Quid igitur fiet ei, qui talem agit pœnitentiam, & sic ad Dominum Deum suum conuertitur, quemadmodum modo expositum est? MISEREBITVR (inquit) EIVS, DOMINVS. Sicut in promissione, quæ de Christo ad Abrahamum dicta est: In semine tuo benedicentur omnes Gentes, uno benedictionis nomine comprehenduntur omnia cœlestia beneficia, quæ nobis Christus impetrauit, uidelicet, Remissio peccatorum, Imputatio iusticiæ, Adoptio in filios & hæreditatem Dei, dona spiritus sancti ad mortificandam carnem, Conseruatio in afflictionibus, & in morte, salus & uita æterna, ita hoc loco, unum Miserendi uerbum, exponit nobis omnem diuini fauoris thesaurum, ut cum promittitur nobis, Deum Misereri nostri, sciamus eo ipso promitti, Deum non solum nobis esse propicium, sed etiam gerere erga nos animum plenũ paterni affectus, nec unquam, si in ipsum crediderimus, commissurum, ut pereamus, sed potius dare unigenitum filium suum

in probrosam mortem, ut perpetuo seruemur. Quare ubicunque spiritus sanctus proponit nobis de Deo uocabulum Miserendi, non præteramus oscitanter, sed admoneamur de uniuersis beneficijs euangelij Domini nostri Iesu Christi, quod ea nobis uno hoc uerbo accipienda & fruenda commendentur. Vnde & hîc additur.

QVONIAM MVLTVS EST AD IGNOSCENDVM. Quid posset animo cognitione peccati, & seueritatis diuinæ iræ exterrito iucundius & acceptius adnunciari? Deus enim non simpliciter ignoscit, sed est Multus ad ignoscendum. Deus non simpliciter & frigide propicius est, sed propiciatio eius est multa & copiosa. Etsi enim homines multum & multa peccauerunt, maior tamen omnibus omnium hominum peccatis est clementia & Misericordia Dei, qua peccata conuertentibus ad Dominum condonantur. Sed hanc de magnitudine & multitudine misericordiæ Dei concionem animus præsenti ira Dei propter peccata oppressus difficillime admittit. Solet enim affectum Dei ex humano ingenio metiri, & humanos affectus ad Deum transferre. Videt enim homines semel & iterum alienis iniurijs irritatos, accendi irreconciliabili ira. Videt inter homines solenne esse, quod ille dixit, Furor fit, sæpius læsa patientia. Videt homines tam tenaces esse iræ semel conceptæ, ut etsi patiuntur aliquoties se cum aduersario reconciliari, tamen non remittant iram ex animo, sed iterũ eam data quauis leui occasione proferant. Dictum quidem est in Lege, Non quæras ultionem, nec memor sis iniuriæ ciuium tuorum, sed humanus animus corruptior est, quàm ut omnem acceptæ iniuriæ memoriam, præsertim si nouo iniuriæ genere renouata fuerit, abijciat. Existimat igitur Deum similiter affectum, ut si semel concipiat iram, etsi uidetur eam nonnunquam remittere, tamen semper retineat in latebris cordis reliquias eius. Sed hanc de Deo opinionem refutat spiritus sanctus obseruabili similitudine. Meæ (inquit) cogitationes & uiæ non sunt uestris cogitationibus & uijs similes. Sed quantum cœli distant à terra, tantum est discrimen inter meas & uestras cogitationes ac uias. Diuinum ingenium, non est metiendum ex humano. Maxima est diuersitas, maximum discrimen eorum. Deus enim natura, hoc est, immutabiliter est clemens, misericors, & peccata condonans. Homo autẽ est mutabiliter clemens. Misericordia, clementia, indulgentia, & quicquid est harum uirtutum, sunt ipsa Dei substantia seu essentia ab ipso inseparabilis. Deus enim ipsa est misericordia & clementia. Nega misericordiam Dei, & negas Deum esse. Aufer à Deo clementiam, & aufers ab eo essentiam. Tolle à Deo caritatem, & tollis Deum ipsum. Deus enim, ut Ioannes ait, caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet. In homine autem, hæ & similes uirtutes sunt accidens, ut isti loquuntur, separabile, & mutabile. Vides igitur maius esse discrimen inter ingenia Dei et hominum, quàm est distantia inter cœlum & terram. Vnde & Psalmus 102. clare exponit è capite trigesimoquarto Exodi cogitationes & uias, hoc est, naturam & ingenium Dei. Notas (inquit) fecit uias suas Mosi, filijs Israel uoluntates suas. Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neq; inæternum comminabitur. Non secundum peccata nostra facit nobis, neq; secundum iniquitates

Virg. Manet alta mente repostum, Iudicij Paridis, spretæq; iniuria formæ.

quitates nostras retribuit nobis. Sed secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente, longe facit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, miseretur Dominus timentibus se &c. Hæc est insignis & obseruabilis descriptio misericordiæ & clementiæ Dei. Et tamen Deus non uoluit misericordiam suam promissionibus tantum & similitudinibus proponere, sed etiam reipsa testari ac probare. Nam, ut manifeste, ac euidenter confirmaret se esse uere misericordem, & condonare peccata, ex animo, non pepercit unigenito filio suo, sed postquam misisset eum in hunc mundum, maluit eum probrosissimæ crucis morti obijcere, quàm suam erga nos caritatem dissimulare, & nos in nostris peccatis ac ærumnis deserere. Sic Deus dilexit (inquit Ioannes) mundum, ut unigenitum filium suum daret, ut omnis qui credit &c. Et aliàs. In hoc apparuit caritas Dei erga nos, quòd filium suum unigenitum misit in mundum &c. Et Paulus: Commendat (inquit) caritatem suam erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Quid ergo dicemus? Si tanta est caritas & misericordia Dei, quanta est natura eius, quid toties nobis de ira & odio Dei prædicatur? Cur Deus, si totus est Caritas & Misericordia, damnat tam multos homines ex ira & furore suo? Vbi est iræ locus in natura Caritatis & Misericordiæ? Hæc non sunt indigna nostra cõsideratione, ut ueram diuinæ misericordiæ rationem cognoscamus. Negari enim non potest, quin sicut Deus totus est caritas et misericordia, ita etiam totus sit ira & odium, sed diuersis rationibus, quas necessarium est nobis probe cognitas, & perspectas esse. Nam si referas Deum ad Christum filium suum, quantus quantus est, non est nisi Caritas, misericordia, clementia & indulgentia. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Et, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, &c. Cum igitur Deus hac ratione totus sit Caritas & Clementia, fieri non potest, ut non exhibeat sese talem erga omnes eos, qui sunt membra Christi filij sui per fidem. Quo enim affectu est erga filium, eodem complectitur etiam omnes eos, quos ei filius pro fratribus & membris suis commendat. Quid enim filio tam dilecto negaret? Si autem referas eum ad peccata extra & præter CHRISTVM filium suum, certe quantus quantus tunc est, non est nisi ira & odium. Nihil enim magis cum DEO, qui est iusticia ipsa, pugnat, quàm peccatum, & DEVS nihil maiori odio prosequitur. Non DEVS uolens, inquit, iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium, &c. Quod cum ita se habeat, reliquum nunc est, ut si iram DEI uerè euadere uoluerimus, conuertamur ad filium Dei DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM, per fidem, quo solo mediatore & intercessore, DEVS remittit iram, & totus est propiciatio, clementia & misericordia.

Sed idem confirmat etiam altera Prophetæ similitudo, quę sequitur, Quomodo descendit imber, aut nix de cœlo, & illò ultra non reuertitur, sed inebriat terram &c. Est & hæc memorabilis similitudo, qua pin

gitur ueritas, certitudo, & efficatia promissionis diuinæ clementiæ, quæ est Euangelion Domini nostri Iesu Christi. Imber, inquit, aut Nix descendit de cœlo, non ut sit ociosum spectaculum, aut ad cœlum sine fructu redeat, sed ut riget terram, & faciat eam fœcundam. Hic est usus, ad quem imber diuinitus est creatus & ordinatus, & quem etiam perficit, si modo ceciderit in terram non saxosam aut uacuam, sed idoneam, & seminę consper sam. Psalm. 103. Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra, Producens fœnum iumentis &c. Et Acto. capite decimoquarto. Dans nobis de cœlo pluuias ac tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra. Talis est etiam promissio diuinæ misericordiæ. Tale est Euangelion Domini nostri Iesu Christi, quod egressum est de ore Dei, quod promissum est diuinitus iam inde ab initio huius seculi. Et est ad hunc usum ordinatum & reuelatum, ut quemadmodum imber facit terram fœcundam, ut producat fructum, ita Euangelion riget agrum ecclesiæ, & afferat fructum Remissionis peccatorum, Adoptionis in filios Dei, iusticiæ coram Deo & hominibus, ac æternæ uitæ. Nam hic est proprius usus Euangelij, nec quicquam certius est, quàm quòd hunc fructum afferat, si modo inuenerit terram idoneam, hoc est, animum fide ipsum excipientem. Cum enim dicitur: Non redibit ad me uacuum &c. non est sic intelligendum, quod ubicunque prædicetur Euangelion, ibi in omnibus auditoribus afferat fructum suum, sed omnino huc referenda est parabola de faciente sementem, cuius aliud semen cecidit iuxta uiam, aliud in loca saxosa, aliud inter spinas, aliud autem in terram bonam. Ac semina quidem alia perierunt absque fructu, non quidem ipsorum, sed locorum, in quæ ceciderunt, uitio, hoc autem solum, quod in bonam terram cecidit, protulit fructum suum, partim trigecuplum, partim sexagecuplum, partim centuplum. Sic & Euangelion filij Dei, uere cœlestis est imber, & optimum semen (habet enim Euangelion hoc discrimen à mundano imbre, quòd hic tantum sit pluuia, non autem afferat secum semen, illud uero, etiam semen secum affert, imo ipsum semen est) ac certissime in se continet eum fructum, quem ei Deus ab initio indidit, uidelicet, Remissionem peccatorum, iusticiam, adoptionem, liberationem in morte, & æternam uitam. Sed non inuenit ubique, agrum, seu animum accipiendo huic fructui idoneum. Non enim omnium animi sunt bona terra. Alij sunt uia, alij saxa, alij spinæ. Bona autem terra, is animus dicitur, qui excipit Euangelion fide. Quare cum non omnes credant Euangelio, sed potius persequantur, aut non admodum requirant, fieri non potest, ut cœlestis imber & semen Euangelij in omnibus fructum suum afferat, idque non imbris ac seminis, quæ sunt optima, sed terræ minus idoneæ uitio. Qui autem excipiunt imbrem & semen Euangelij fide, quæ ex humano corde bonam terram facit, in his uere illud completur, quod hic dicitur: Non redibit ad me uacuum, sed faciet quæcunque uolo, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Deus enim mittit & reuelat Euangelion filij sui in hunc usum, quemadmodum paulo antè indicauimus, ut afferat hominibus remissionem peccatorum, iusticiam, adoptionem in filios Dei, renouationem mentis per spiritum sanctum, salutem in omnibus aduersis, & hęreditatem

tem cœlestis regni. Quare, quàm certum, firmum & fixum est, quod pluuia excitet semẽ in bona terra proiectum, ad ferendum uberrimum fructum, ita certum, firmum & fixum est, quòd in quocunq; Euangelion Christi fide excipitur, in eo afferat omnem illum fructum, quem Deus Euangelio suo indidit. Euangelion (inquit Paulus) est potentia Dei ad salutem OMNI, sed additur, CREDENTI. Et iterum. Accepistis sermonem à nobis, non sermonem hominum, sed sicut uerè erat, sermonem Dei, qui & AGIT in uobis CREDENTIBVS. Ac rursus. Si adhuc uelatum est Euãgelion nostrum, in his qui pereunt, uelatum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Quid ergo nunc de gratia Dei erga te, et de remissione peccatorum tuorum dubitas? Si non tot Propheticæ promissiones, tot Apostolicæ conciones mouent te, ut abijcias dubitationem, considera mihi pluuiam, quam tibi hoc loco spiritus sanctus in monumentum certitudinis Euangelij consecrat. Pluuia enim, non reuertitur uacua ad cœlum, sed conficit in terra omnia ea, ad quę ordinata est, & facit terram, si modo inuenerit bonam, semine conspersam, germinare. Scimus autem, hanc rem esse certissimam. Sed multo certius est, te uere esse in gratia Dei, & habere omnium peccatorum remissionem, si saltem ad cœlestem pluuiam Euangelij bonam terram, hoc est, animum fidẽ prędítum attuleris. Fieri enim non potest, ut hęc pluuia non sit in terra bona efficax, & non afferat eum fructum, ad quem ferendum destinata est. Abijce ergo omnem dubitationem, & concipe fidem, ut cœlestis pluuia in te opus suum perficere queat. Sed quem fructum pluuia Euangelij in agro ecclesiæ, & in credentibus afferat, commemorat textus ipse. Sic enim sequitur.

QVIA IN LAETICIA EGREDIEMINI, ET IN PACE DEDVCEMINI &c.

Enumerat quinq; genera fructuum, quos pluuia Euangelij de gratuita misericordia Dei propter Christum afferre solet. Vnum est: Egrediemini cum læticia, hoc est, Sicut olim Moses eduxit & liberauit Israelitas Aegyptiaca tyrannide, ita nunc Christus educit & liberat Euangelio suo ecclesiam tyrannide Satanæ, peccati, mortis & inferni. Quæ liberatio affert ueram & æternam læticiam. Vnus igitur fructus Euangelij hic est, quòd liberat credentes à Satana & omnibus malis eius, & afficit eos cœlesti læticia. Secundum genus fructus est, Deducemini in pace. Euangelion non solum educit ecclesiam è uinculis Satanæ, uerumetiam deducit eam in pace, reddit eam tranquillam, & collocat eam in tuto, ut nulla ærumna, nulla afflictio, nulla mors, nullus inferni horror possit ei nocere. Tertium genus fructus est, Montes & colles cantabunt coram uobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. hoc est, Euangelion efficit, ut credentes, qui egrediuntur è tyrannide Satanæ, & proficiscuntur ad hæreditatem cœlestis regni, excipiantur magnis laudibus, multis iubilis, & plausibus, à montibus & collibus, & ab omnibus arboribus campi. Hæc de spirituali non de mundana exceptione intelligenda sunt. Nam in hoc mundo nihil contemptius, nihil contumeliosius excipitur, quàm qui credunt Euangelio, & sunt in profectione ex hoc mundo. Coram Deo autem non montes tantum & colles,

sed etiã omnes creaturæ cœlestes et terrestres exultant et iubilant, dum ecclesia per euangelion excitata, egreditur ex hoc mundo, ex tyrannidè Satanę, et pergit rectà ad accipiendam hęreditatem cœlestis regni. Gaudium, inquit, est coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente. Quantum ergo gaudium, quantus iubilus est, super multis milibus resipiscentium? Et si omnis creatura, ut Paulus ait, cõgemiscit, simulq; cum ecclesia parturit, usq; ad tempus liberationis eius à seruitute corruptionis, certe etiam congaudet, & collætatur, cum ecclesia uinculis Satanæ soluta, incedit læta in libertate gloriæ filiorũ Dei. Quartus fructus est: Pro saliuncula ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus. Pluuia euangelij terram ita fœcundat, ut ubi prius erant steriles salices, aut sentes & spinæ, ibi nascantur abietes, & ubi antè erant urticæ, ibi crescat myrtus, hoc est, Euangelion per fidem acceptum, efficit ex improbis, iniustis, sceleratis, probos, iustos, honestos & sanctos homines. Hæc eratis (inquit Paulus) quidem, uidelicet scortatores, cultores simulacrorum, adulteri, molles. Hę sunt spinę, salices, & urticæ. Sed pro his etiatę sunt per Euangelion abietes & myrti. Sequitur enim: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini Iesu &c. Et iterum. Eramus quondã & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desideriis ac uoluptatib. uariis, in malicia & inuidia degentes, odiosi, inuicem odio prosequentes. At postquam bonitas & humanitas apparuit seruatoris nostri Dei &c. Quintus fructus est. Erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. Pro hoc ita legendum est. Erit Domino in nomen, in signum æternum, quod non excindetur, hoc est, Euangelion excitabit in ecclesia sempiternam laudem, & gloriam Dei, quæ nunquam desinet. Et ecclesia semper ac perpetuo aget Domino gratias, & celebrabit nomen eius pro tantis beneficijs, quę Dominus in ipsam contulit. Nam Deus hanc uicissitudinem ab ecclesia præcipuè exigit. Saluame ex ore leonis, inquit caput ecclesiæ, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Quid ergo uicissim Deo reddes? Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesię laudabo te. Et iterum. Ego sum pauper & dolens. Salus tua Deus susceptit me. Laudabo igitur nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super uitulum nouellum cornua producentem & ungulas &c. Pleni sunt Psalmi exhortatione ad laudem Dei et gratiarum actione pro acceptis beneficijs. Cum igitur nihil certius, nihil firmius sit, quàm quod Euangelion de gratuita misericordia Dei propter Iesum Christum afferat in credentibus optimos fructus, & summa beneficia, agite dum, obsequamur cohortationi, quæ ab initio huius concionis posita est, ueniamus omnes sitientes ad aquas Euangelij, comparemus nobis sine pecunia, sine omni operũ nostrorum merito ueram iusticiam per solam fidem, propter Iesum Christum, ut cœlesti cibo exaturemur.

CAPVT LVI.

HAEC DICIT DOMINVS, CVSTODITE IVDICIVM, ET FACITE IVSTICIAM &c.

Alia

Alia concio, quæ utrum ſtatim poſt eam, quæ proximè præcedit, an alio tempore dicta ſit, incertum eſt. Continet autem exhortationem ad obſeruandum ſabbatum, & conſolationem alienigenarum, & Eunuchorum, qui cum eſſent in magno contemptu in Iſrael, exiſtimabant ſe coram Deo quoque contemptos & abiectos eſſe: ac poſtremo continet etiam increpationem ignauorum, & indoctorum Doctorum. Cuſtodite (inquit) iudicium & facite iuſticiam &c. Hæc eſt generalis exhortatio ad ſeruandam uniuerſam legem. Et ſumpta eſt penè ad uerbum è Pſalm. 105. Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſticiam. Ac ubi quidem deſcribitur officium magiſtratus, ibi facere iudicium proprie eſt punire aut coërcere malos, ne bonis noceant: & facere iuſticiam eſt defendere bonos & iuſticiam cauſæ eorum approbare. Vbi autem eſt generalis admonitio, ibi cuſtodire iudicium & facere iuſticiam complectitur obedientiam uniuerſæ legis, ut cuſtodire iudicium ſit cauere prohibita, quæ habent adnexam pœnam aut maledictionem, facere autem iuſticiam ſit ſeruare facienda, quæ habent adnexam benedictionem. Cum igitur uniuerſa lex abſoluatur his duabus partibus, quæ aliâs uocantur præcepta Affirmatiua & Negatiua, ſentiamus his paucis uerbis exigi impletionem totius legis. Sic & alius Pſalmus dicit: Declina à malo, & fac bonum. Vix potuiſſet paucioribus uerbis maius nobis onus imponi. Breuiſsimis dicitur: Cuſtodite iudicium, & facite iuſticiam. Aut, Declina à malo & fac bonum. Sed cognoſcere quid uere ſit iudicium & iuſticia, & quid uere ſit coram Deo malum & bonum, ac deinde ea ſic cognita perfecte ſeruare & implere, hoc opus, hic labor eſt. Natura enim humana peccato ſic corrupta eſt, ut etſi cognoſcit aliquid de bono & malo, tamen nec perfecte hæc cognoſcit, nec perfecte poteſt bonum facere, & à malo abſtinere. Affectus carnis, inquit Paulus, inimicitia eſt aduerſus Deum. Nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Quid igitur faciamus, aut quo nos uertamus? Si humana natura corruptior eſt, quàm quæ poſsit perfecte cuſtodire iudicium, & facere iuſticiam, an Propheta ſumit inanem operam docendi & admonendi? Nihil certe minus. Hæc enim doctrina neceſſaria eſt, non ut ſignificet nos poſſe noſtris uiribus omnem iuſticiam perfecte implere, ſed ut oſtendat nobis peccatum noſtrum, & excitet nos ad iuſticiam, quam in nobis aut noſtris uiribus non inuenimus, extra nos quærendam. Vbi ergo eam inueniemus? Hîc iterum audi filium Dei concionantem nobis de ſua ipſius iuſticia. Qui enim ante dixit, filius Dei, Cuſtodite iudicium, & facite iuſticiam, hoc eſt, ſeruate uniuerſam legem, hic nunc addit: Quia iuxta eſt ſalus mea, ut ueniat, & iuſticia mea, ut reueletur. Eſt autem hæc ſententia. Exigo à uobis obſeruationem legis, ut habeatis ueram & perfectam iuſticiam. Ac ſiquidem pono mihi ob oculos ueſtri corruptionem, haud ignoro, uos non poſſe legi ſatisfacere, & perfectam ex uobismetipſis iuſticiam aſſequi. Nunc autem non amplius habetis, quo ueſtram ſeu corruptionem ſeu imbecillitatem & impotentiam excuſetis. Mea enim ſalus in propinquo eſt, ut ueniat. Mea iuſticia in proximo eſt ut reueletur. Ego promiſi me uenturum in mundum, & allaturum uobis meam ſalutem & iuſticiam, ut quotquot in me credunt, tantum accipiant à me iuſticiæ, quantum Lex exigit,

& tantum salutis consequantur, quantum lex promittit. Etsi autem aduentus meus differetur adhuc in plusquam septingentos annos, tamen quia hi, qui in me credunt, tantundem fructus meæ iustitiæ & salutis, hoc tempore capiunt, quantum caperent, si uitam agerent eo tempore, quo in hunc mundum aduenturus sum, recte & uere affirmo, iustitiam & salutem meam in propinquo esse. Quare Beatus est uir, qui hoc fecerit, & filius hominis, qui istud apprehenderit, seu fortiter tenuerit, hoc est, qui ad custodiendum iudicium, & faciendam iustitiam, acceperit per fidem, meam iustitiam & salutem. Sic enim fiet, ut & uniuersæ legi satisfaciat, & perfectam iustitiam possideat. Docet igitur hic locus, quòd possimus legem implere per fidem in Christum, filium Dei. Custodite iudicium & facite iustitiam, hoc est, seruate legem, quia potestis nunc eam, apprehensa mea salute & iustitia per fidem, seruare. Sed cum dicitur, Legem posse seruari per fidem in Christum, recte, & iuxta Apostolicam explicationem intelligendum est. Non enim sic est intelligendum, quòd Deus det initio Tres uirtutes, quas uocant Theologicas, Fidem, Spem & Caritatem, ut deinde homo ex his uirtutibus legem impleat, & ei operibus suis satisfaciat. Etsi enim hæ tres uirtutes dantur diuinitus homini iustificando, tamen ut nec ipsæ sunt in homine, quoad quidem in hoc seculo uitam egerit, perfectæ, ita non dant perfectionem ad satisfaciendum legi, operibus. Sed intelligendum est, quòd cum credimus in Christum filium Dei, iustitia eius, quæ est perfectissima, sic imputetur nobis ut possimus ea coram tribunali Dei confidere, perinde ac si uniuersam legis iustitiam nostris operibus perfecissemus. Quantam enim iustitiam lex exigit, tantam filius Dei sua obedientia præstitit, & nobis in ipsum credentibus, ad confidendum ea, tanquam nostra propria, donat. Deinde, cum credimus in eum, & reputamur iusti, hac aliena quidem per se, nostra autem per fidem facta, iustitia, donatur nobis spiritus sanctus, qui incipit carnem mortificare, & nos in obedientiam legis ducere, atq; adeo accendere, sed ita, ut tamen relinquat carni suam imbecillitatem, prę qua, ut imperfecta est obedientia, ita necesse habemus semper precari, Remitte nobis debita nostra, &c. donec ex huius uitæ ærumnis liberati, perfectam iustitiam etiam in carne nostra ex mortuis resuscitata, per Christũ possideamus. Nam, quod ad iustificationem nostri necessaria nobis sit aliena, uidelicet, Christi filij Dei iustitia, perspicuè docet initium huius Propheticæ concionis. Custodite, inquit, iudicium, & facite iustitiam. Et statim addit: Quia iuxta est salus Mea, ut ueniat, & iustitia Mea, ut reueletur. Si possumus esse iusti custodia iudicij, & factis nostræ iustitię, ad quid promittit filius Dei suam ipsius iustitiam? Facite, inquit, iustitiam, quia MEA iustitia reuelabitur. Quem usum habebit Tua Christe, iustitia, si nos nostram fecerimus? Ad quid enim tunc tua nobis proderit? Videlicet, ad hoc proderit, ut quia uestra non est perfecta, sed multis modis uitiata, imputetur uobis mea, qua in iudicio Dei confidatis, & salutem æternam accipiatis. Sed de imputatione iustitiæ Christi aliâs copiosius. Pergamus nunc ad ea, quæ sequuntur. Postquam enim Propheta cœpit concionem suam à generali exhortatione ad obedientiam uniuersæ legis, descendit nunc, pro more, ad unam tantum legis speciem exigendam. Non enim possunt omnia legis

præcepta

præcepta uno tempore, & una concione explicari, sed alia alijs temporibus & concionibus tractantur. Quare, cùm Propheta initio concionis exegerit nomine iudicij et iusticiæ genera lem legis obseruationem transit mox ad exigendam obseruationem Sabbati, quem principalem huius concionis statum instituerat. Beatus, inquit, custodiēs sabbatum, ne polluat, ne prophanet illud, custodiens manum suam, ne faciat quicquam mali. Et mox ad Eunuchos dicit: Qui custodierint sabbata mea. Et iterum de Alienigenis: Omnem custodientem sabbatum, ne polluat illud &c. Vides in hac concione præcipuè tractari de obseruatione sabbati. Etsi autem, etiam sabbati nomine exigitur obedientia uniuersæ legis, ac præcipuè eorum cultuum, qui in priori parte Decalogi continentur, tamen τὸ ῥητὸν concionis uidetur etiam externam sabbati obseruationem, qualis quidem per legem in politia Mosaica constituta erat, exigere & urgere. Magnæ enim & graues sunt causæ, cur lex externam sabbati obseruationem in Israelitica politia seueriſsime exegerit. Primum enim uoluit Deus huius festi diei obseruationem esse monumentum creationis omnium rerum, ut quoties celebraretur sabbatum, homines admonerentur, hunc mundum non fuisse ab æterno, nec temere extitisse aut emersisse, sed creatum esse à Deo, sex diebus, ab initio annorum. Vnde & in Decalogo dicitur: septimo die sabbatum Domini Dei tui est. Sex enim diebus fecit Deus cœlum, terram, mare, & omnia quę in eis sunt, Et requieuit die septimo &c. Deinde institutum erat sabbatum, non propter externum ocium per se, sed ut homines intermissis alijs ciuilibus negocijs, uacarent audiendo et discendo uerbo Dei, & conseruaretᵉ Ecclesia in uera Dei cognitione, ac propagaretur doctrina ueręreligionis etiam ad posteros. Vnde in Ezechiele dicit Dominus: Dedi eis sabbata mea, ut esset signum inter me & eos, et scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. hoc est, instituí inter Israelitas sabbatum, ut hac quasi nota admonerentur, quòd ego selegerim eos ex omnibus gentibus, in meum peculiarem populum, qui conseruet & propaget ad posteros mea sacra, meum uerbum, meas promissiones de Christo filio meo, donec ueniret in hunc mundum. Hæ certe sunt grauissimæ causæ, cur institutum fuerit sabbatum. Sed uide mirandum Dei contemptum, in suo ipsius populo. Etsi enim obseruatio sabbati nec erat onerosa, nec iniucunda, tamen Israelitæ maluerunt ocium sabbati collocare in negociationibus, & ex sabbato facere Nōdinas, quam sacris, ad quæ uocabantur, operam dare. Quæ res non declarabat tantum cōtemptum & impietatem, in præsentis seculi hominibus, uerum etiam periculum minabatur, ne sic neglecto & prophanato sabbato, doctrina ueræ religionis aboleretur, & ad posteros non propagaretur. Quare Prophetę cooriuntur magna spiritus uehementia aduersus sabbati prophanatores, & reprehendunt eos seueriſsimè, non quòd Deus delectetur ocio corporali per sese, sed quòd damnet cōtemptum uerbi sui, & uelit piam doctrinam in ecclesia populi sui conseruari & ad posteros propagari. Sic Esaias non hoc tantum loco, sed & postea cap. 58. exigit obseruationem sabbati. Sic Hiere. ca. 17. extat grauissima comminatio aduersus prophanatores sabbati. Et Ezech. 20. dicitur: Leuaui manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem eos in nationes, &

uentilarem in terras, eo quòd iudicia mea non feciſſent, & præcepta mea reprobaſſent, & SABBATA mea uiolaſſent. In Nehemia quoq; capite xiij. ſeueriſsime reprehenduntur, qui Nondinationibus ſuis ſabbatum uiolabant. Nec hoc prætereundum eſt, quòd etiam Chriſtus excitatus heroica ſpiritus ſeueritate eiecerit flagello Nondinatores è templo, & allegauerit dictum Propheticum, quod in hac concione continetur: Domus mea, domus orationis eſt. Quo facto & dicto ſignificauit Deum uehementer abominari & eexcrari Nondinationes, ut in templo, ita & in ſabbato, quòd utrobiq; præbeant occaſionem negligendæ & abrogandæ doctrinæ Religionis. Etſi autem, diuulgato iam Euangelio inter Gentes, & abrogata politia Moſaica, non amplius exigitur à nobis externa obſeruatio ſeptimi diei, qui eſt Sabbatum, tamen in cœtu eccleſiæ neceſſarij ſunt certi dies feſti, quibus ad diſcendam & propagandam doctrinam Euangelij conueniamus. Quare, qui contempto auditu Euangelij prophanat hos dies Nondinationibus, & alijs ſuis negocijs, is præbet occaſionem, quantum in ſe eſt, abolendæ piæ doctrinæ, & peccat tam in Deum, quàm in ſe, in familiam ſuam, & in proximos quoſq; grauiſsime. Sed reuertamur ad concionem noſtri Prophetæ. Beatus, inquit, cuſtodiens Sabbatum, ne polluat illud. Et ut exponat, quid facere debeas, ne pulluas ſabbatum, addit: Cuſtodiens manum ſuam, ne faciat quidquam mali. Lex de Sabbato iubet manum abſtinere à negocijs Politicis, ab operibus opificiorum, agriculturæ & mercaturæ. Non facias, inquit, in eo omne opus. Ac Deus ſeueriter quidem exigit, ut in hac Moſaica politia, abſtineas manus tuas, etiam à ciuilibus illis operibus, in die ſabbati, non exiſtimes autem eum hoc exigere, quòd delectetur manuum abſtinentia ab his operibus, per ſe, ſed quòd requirat auditum, & diſciplinam uerbi ſui, ut abſtineas manum tuam ab operibus MALIS, à peccatis & ſceleribus. Hoc nimirum illud eſt, quod obſeruatione ſabbati maxime omnium requiritur, uidelicet, ut intermiſsione aliorum operum, uaces percipiendæ doctrinæ, de uera religione, & diſcas timorem Domini, fidem in Dominum, & obedientiam in omnibus præceptis eius. Qui ad hunc modum obſeruat Sabbatum, is uere ſanctificat ipſum, & eſt Beatus. Sic & ſabbatum poſtea exponit ca. lviij. Si auerteris pedem tuum ſabbato, ne facias tuam uoluntatem in die ſancto meo, tum uocabitur iucundum ſabbatum &c. Sed quid? Num hæc Beatitudo, qua is qui non prophanat ſabbatum, ſed uere ipſum ſanctificat, beatus dicitur, concluditur tantum intra fines eorum, qui ſunt de genere Abrahæ, & qui habent aliquam autoritatem in eccleſia populi Dei? Nihil certe minus. Sed tam late patet hæc beatitudo, quàm late patet obſeruatio & ſanctificatio ſabbati, ut quotquot in populo Dei, etiamſi nec ducant originem ſuam ab Abraham, nec habeant poteſtatem, ob aliquod corporis uitium, publica officia in eccleſia adminiſtrandi, Sabbatum uere obſeruant, & ſanctificant, ſint coram Domino Deo noſtro beati. Deus enim non eſt acceptor perſonarum, ſed quiſquis timet eum, & obſequitur præceptis eius ex fide, is eſt illi gratus & acceptus, quantumuis coram mundo ſit abiectus & contemptus.

Hinc iam Propheta digreditur ab exigenda obſeruatione Sabbati, ad conſo-

d consolandos Alienigenas et Eunuchos, siue quòd tum in aula regia, ut inter ciues Hierosolymitanos, fuerint aliquot pij Alienigenę, & Eunuchi, qui, quòd essent populo Dei nonnihil abominabiles, existimabãt ie Deo quoq; abominationi esse: siue alia quadam occasione, ut solent Ecclesiastæ ex præsentibus rerum casibus occasionem & argumenta concionum suarum sumere. Porro, Alienigenæ dicuntur hi, quos aliâs uocant Proselytos, qui non erant de genere Abrahæ, sed accesserant ex alijs Gentibus ad Religionem, et politian Israelitarum. Ac multi quidem inter Gentes agnouerunt uerum Deum Israel, & facti sunt iusti ex fide. Pro quibus & Salomon precatur. 3. Reg. viij. Insuper, inquiens, alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum uenerit de terra longinqua propter nomen tuum &c. Tu exaudies in cœlo in firmamento habitaculi tui, et facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena &c. In horum catalogum pertinent Naaman Syrus, Niniuitæ, & multi alij, ui ab exulibus Israelitis, in regno Babylonico & Persico didicerunt ue ram Dei cognitionem. Sed hi non necesse habuerunt suscipere circũcisionẽ, & alia Mosaicæ politię legitima, dum non fierent Israelitici ciues, nec agnoscerent Mosen pro ciuili suo legislatore & Magistratu. Nam licebat eis iuxta politicas suarum gentium leges uiuere, tantummodo ne sectarẽtur cum ciuibus suis Idolatrian, sed inuocarent uerum Deum Dominum nostrum, qui Abrahę promisisset, se ex posteritate eius missurum seruatorem Christum, et ex hac fide benefacerent proximo, hoc est, obseruarent legem naturę, ut honorarent parentes, non occiderẽt, non furarentur, non committerent adulterium, non scortarentur, ac breuiter, non facerent alteri, quod sibi fieri nollent. Alij autem, ex Gentibus, qui non solum agnoscebant ueram religionem, sed uolebant etiã ciues Israelitici esse, necesse habuerunt tam circumcisionem suscipere, quàm alijs Mosaicæ legis constitutionibus subijci. Et de his existimo Prophetam hoc loco concionari. Vnde & uocat eos Adiunctos Domino, uidelicet, Non fide tantum, sicut multi alij ex Gentibus, qui quamuis agnito uero Deo, manent ciues suarum politicarũ, sed etiam susceptione iuris ciuium Israeliticorum, quod Ius non erat ab hominibus institutum, sed à Domino ipso per Mosen Israelitis traditum, ideoq; & is qui se huic iuri subijciebat, dicebatur Adiunctus Domino. Etsi autem hi alienigenæ recepti erant in ciues populi Dei, tamen non continuo fruebantur in populo Israel omnibus priuilegijs eorum, qui erant de genere Abrahę. Lex Deut. 23. recipit quidem Aegyptium (qui est Alienigena) in ciuitatem, sed nõ permittit ei intrare in Ecclesiam Domini, hoc est, aliquo publico officio & dignitate in cœtu populi Israelitici fungi, nisi tertia generatione. Non abominaberis (inquit) Aegyptium, quia aduena fuisti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabũt in ecclesiam Domini. Sed & Moabitæ, & Ammonitæ, etiamsi recipiebantur, si qui accessissent, in ciues Israeliticos, tamen ne post decimam quidem generationem permittebatur eis, ut publicum aliquod officium in cœtu populi Israelis administrarẽt. Quibus rebus factum est, ut alienigenæ laborarent inter Israelitas contemptu haud mediocri, & si cui alienigenarum curæ esset uera pietas, sollicitabatur cogitare, se fortassis etiam coram Deo contemptum esse, quòd non liceat ipsi in popu

lo Dei, honestis officijs publicè fungi. Cùm enim lex dicat de alienigenis: Non intrabunt in ecclesiam Domini, quid si ijsdem uerbis significaret, alienigenas non in cœlum quoque intraturos? Extat & de Eunuchis Lex Deut. 23. Non intrabit Eunuchus attritis uel amputatis testiculis, & abscisso ueretro, in ecclesiam Domini. Habebatur & sterilitas, quæ Eunuchis accidit, pro maledictione. Quare sicut alienigenæ, ita & Eunuchi, etsi erant de familia Israelitarum, tamen cogitabant se propter corporis sui uitium, quo hominibus erant despectui, etiam Domino Deo nostro non esse acceptos. Sed Esaias consolatur eos hac concione, & iubet eos bene confidere, quòd si ueram pietatem sectentur, tantum abest, ut imputet eis Deus alienam suam prosapiam, & uitium corporis, ut eos præ multis Israelitis, & corpore integris, sit benedicturus.

Ne dicat, inquit, alienigena, qui Domino coniunctus est: Separatione diuidit me Dominus à populo suo. Sic enim cogitat Alienigena. Quid faciasᵉ Quo te uertasᵉ Etiamsi diu adhæres Domino, tamen nō es ei acceptus, quòd lege sua, qua statuit alienigenam non esse in populo Israel eligendum ad functionem publici officij, significauerit sibi alienigenas non admodum curæ esse. Sed absint hæ cogitationes ab Alienigenis. Longe melior est cōditio eorum, quàm uulgo putatur. Sic nec Eunuchus dicat: En ego lignum aridum, Ego ob sterilitatē maledictus sum. Non hoc sentiat, inquam, Eunuchus. Non curet, quid uel caro suggerat, uel imperitum uulgus loquatur, Sed curet, ac diligenter obseruet, quid Dominus Deus noster sentiat, ac loquatur. Sic enim dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego uolo, et tenuerint fœdus meū &c. Hic locus manifestè docet, q̄ Deus in suo iudicio, nō respiciat personā hominis, sed obseruationē mandatorū suorum. Ex quo & Paulus dicit: Circuncisio nihil est, præpucium nihil est, sed Obseruatio mandatorum Dei. Et iterum: In Christo Iesu neque circumcisio quicquam ualet, neq̄ præpucium, sed noua creatura. Nam, quod lex non concedit Eunuchis aditum ad publicas dignitates & officia in populo Israel, ordinatio est Politica, nihil pertinens ad conscientiam. Et ualet tantum in externo Israelis regno, non in spirituali regno Christi. In illo enim regno necessarium fuit discrimen personarum, ut status hominum manerent imperturbati, & qui publico fungerentur officio, haberent in uulgo autoritatem. In regno autem Christi, ut non est Iudæus, nec Græcus, non seruus, nec liber, non masculus, nec fœmina, ita nec est Eunuchus, nec fœcundus, nec corpore integer, nec corpore uitiatus. Sed omnes uos (inquit Paulus) unus estis in Christo Iesu.

Porro autem, cùm dicitur, Deum in iudicio, aut Electione sua, non respicere personam hominis, non eò tantum referendum est, quòd non respiciat uirtutes aut uitia corporis, sed etiam quòd non respiciat uirtutes aut uitia animæ. Nam si Deus elegit Iacob propter animi simplicitatem, abiecit autem Esau, propter animi astutiam, certe respector uidetur personarum. Sed hoc longissime à Deo abest. Quid igitᵉ dicemusᵉ Si Deus non respicit, etiā animi uirtutes, cur dicitur respicere obseruationem mandatorum suorumᵉ Cur hoc loco dicitur respicere in Eunuchis, si custodierint sabbata, si elegerint, quæ Deo placent, & si tenuerint fœdus Deiᵉ An non hæ sunt animi uirtutesᵉ Sed hîc considerandum

dum est, quid proprie dicatur Personam respicere. Is enim personam respicere dicitur, qui in persona intuetur aliquid, quod ad causam principalem nihil pertinet, & tamen pronunciat secundum illud de persona sententiã. Sunt autem duæ principales causę inter Deum & homines. Vna est Legis, quæ exigit omnes perfectas animi uirtutes, & damnat omnia eius uitia. Quare, si Deus in iudicando de hominis persona, proponit sibi legem (Proponit autem sibi hanc semper, cum non inuenit in homine Christum filium suum per fidem) tunc respicit quidem in homine uirtutes & uitia, non tamen dicitur respicere personam, & iniquè iudicare, quia hæc tunc pertinent ad principalem causam, & omnino consideranda sunt in iudicio legis. Sed in tali iudicio omnes homines merito obnoxij sunt condemnationi, propterea quòd non sit, qui faciat bonum, ne unus quidem. Et non iustificetur in conspectu tuo omnis uiuens.

Altera causa est Euangelij, quod promittit Christum filium Dei expiatorem, intercessorem, mediatorem, & seruatorem, & iubet nos hunc fide accipere, ut propter ipsum reputemur iusti, & consequamur salutem. Si ergo Deus iudicat secundum Euangelion, (iudicat autem secundum illud semper, ubicunque inuenit in homine Christum filium suum per fidem) non respicit uel uirtutes, quas nullas in homine perfectas inuenit, nec uitia, quibus homo à planta pedis usque ad uerticem immersus est. Si enim hæc respiceret, & secundum ea iudicaret in causa Euangelij, tunc esset uere respector personarum, propterea quòd illa tunc non pertineant ad principalem causam, Sed respicit tantum Christum filium suum, Quem si inuenerit in homine per fidem acceptum, absoluit hominem ab omnibus peccatis, & donat eum æterna iustitia & salute. Reuertamur ergo nunc ad concionem nostri Prophetæ. Dicit Deum respicere in Eunuchis, non carnis uitium, sed animi uirtutem, uidelicet, si custodierint Sabbata, si elegerint, quæ Deo placent, si tenuerint fœdus Dei. Hæc, si retuleris ad legem, quæ est fœdus, quod pepigit Deus cum Israelitis, exigunt perfectam impletionem omnium mandatorum legis. Custodire enim Sabbatum, ea uidelicet integritate, qua mandatur, non externum tantum, sed etiam internum & spirituale, & eligere quæ deo placent, ac seruare firmiter fœdus, hoc est, uniuersum uolumen legis, nihil certe aliud est, quàm totam legem ita implere, ut ne minimum quidem apicem aut iota uioles. Sed si Deus hanc uirtutem respicit, & secundum eam iudicat, tunc ut nullus hominum, ita nec Eunuchus potest in iudicio Dei constare, & seruari, quia nullus hominum habet hanc uirtutem in hoc quidem seculo, perfecte. Quòd si uero retuleris hæc ad Euangelion, quod est nouum fœdus, mediatore filio Dei cum hominibus initum & confirmatum, tunc custodire Sabbatum, eligere quæ Deo placent, & tenere fœdus Dei, est audire Euangelion, agnoscere ex Euangelio filium Dei, & eum fide amplecti, ac uocationi spiritus eius obedire. Nihil enim magis placet Deo, quàm filio suo credere, & mandata eius ex fide seruare. Si igitur Deus inuenit in Eunucho filium suum per fidem, & hunc respicit, tunc fieri non potest, quin pius Eunuchus anteferatur in iudicio Dei omnibus fœcundis hominibus, in quibus filius Dei per fidem non inhabitat. Itaque

Deus, cum sit iustus Iudex, non respicit personam hominis, sed causam, uidelicet aut Legis, si secundum legis sententiam iudicandum est, quod tunc fit, cum non agnoscitur Christus: aut Euangelij, si secundum Euangelij sententiam iudicandum est, quod fit, cum Christus per fidem agnoscitur. Deinde, est & promissio Eunuchis facta, obseruanda. Dabo, inquit, eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, quàm filijs & filiabus, nomen sempiternum &c. Hæc promissio non potest intelligi de externa dignitate, quæ Eunuchis in externa politia Mosi contingere debeat. Non enim unquàm factum esse puto, præsertim post Esaiæ tempora, ut Eunuchi publicis honoribus & officijs in templo & ecclesia Israelis antelati fuerint reliquis integris corpore, & fœcundis, quibus etiam iuxta legem digniora loca debebantur: Sed intelligitur de spirituali & cœlesti dignitate, quòd cum Eunuchi sint membra Christi per fidem, nomina eorum scripta sint in cœlis. Hæc dignitas superat omnem mundanam maiestatem. Maxima fuit quondam dignitas Romæ, si quis esset conscriptus in catalogum senatorum. Vnde & dicti sunt Patres conscripti. Maxima iudicatur maiestas, si cuius nomen recensetur in χρονικοῖς inter Reges ac Imperatores. Sed longe maior est dignitas & maiestas, si cuius nomen scriptum est in libro uitæ, in cœlis, inter ciues, imo Reges cœlestes. Hanc dignitatem consequuntur Eunuchi, si seruauerint Sabbatum, & tenuerint fœdus Dei, hoc est, si audierint Euangelion, & crediderint in Christum, quem Deus dedit in fœdus Gentium. Quare Eunuchi non amplius habent, quod conquerantur de uitio corporis sui, & de contemptu, quo in Politicis legibus laborant. In reuelato autem Christianismo Eunuchi sunt, non Monachi, non Sacrificuli, qui cœlibatum, uel superstitione, uel scortatione transigunt, Sed qui se castrant, ut CHRISTVS ait, propter regnum cœlorum. Hæc autem castratio non tantum fit abstinentia à coniugio, sed etiam in coniugio ipso, uidelicet, si quis siue in coniugio, siue extra coniugium, non sectetur politica studia, quibus dignitas & opes parantur, sed studeat cœlesti doctrinæ, ut eam in ecclesia propaget, & terminos regni cœlorum proferat. Hi exponunt se (sed ex uocatione Dei) egestati, ac propemodum mendicitati. Quis enim liberalius à uulgo tractatur, quàm ueri ministri ecclesiæ? & tanto contemptu in politia laborant, ut si quis piorum ministrorum ecclesiæ ad dignitatem Politici magistratus admoueretur, existimarent eum locum prophanari & contaminari. Ac prorsus tali habentur loco, quali Eunuchi in politia Mosaica habiti sunt. Quare pertinet etiam ad eos hæc promissio, ut si ministerio suo fideliter funguntur, consequantur in cœlis honestius & illustrius nomen, quàm sint omnia Consulum, Regum & Imperatorum nomina in terris.

Sed uideamus nunc etiam de Alienigenis. Nam & his, si Domino adhæreant, Dominum colant, nomen Domini diligant, serui Domini fuerint, Sabbatum custodiant, & fœdus Domini firmiter tenuerint, promittuntur maxima beneficia Dei. Adducam (inquit) eos ad montem meum sanctum, & lætificabo eos in domo orationis meæ &c. Hoc loco scribitur dictum illud, cuius autoritate CHRISTVS eiecit è templo Nondinatores. Scriptum est, inquiens, Domus mea domus orationis

tionis est, Vos autem facitis eam speluncam latronum. Primum igitur obserua, quòd hoc dictum aperiat templum Dei, non tantum Iudæis, sed etiam Gentibus. Non enim simpliciter dicitur: Domus mea, domus orationis uocabitur, sed additur, CVNCTIS populis. Etsi autem hoc refert se ad illud, quod in precibus Salomonis tertio Regum octauo scribitur: Cum uenerit Alienigena, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui &c. tamen spiritus sanctus respicit maxime omnium in tempus diuulgationis Euangelij in toto orbe terrarum, qua diuulgatione uerum Dei templum Gentibus omnibus ita patefactum est, ut quotquot ex Euangelio CHRISTVM agnoscunt per fidem, non solum ingrediantur precibus suis in templum, uerumetiam fiant ipsi uerum Dei templum. Vos, inquit Paulus, templum estis Dei uiuentis, quemadmodum dicit Deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo &c. Deinde considera CHRISTVM allegatione huius dicti, Domus mea, domus orationis uocabitur, in eiectione Nondinatorum è templo, perspicuè significare, quòd DEVS exigat in sacris suis, etiam externam disciplinam. Vide enim, quàm seueriter tractet prophanatores templi, filius Dei. Etsi enim hoc externum templum magis erat umbra, quàm ueritas, tamen quia diuinitus erat deputatum ad usum sacrorum, non autem Nondinationum, filius Dei tanta seueritate obseruationem huius externæ disciplinæ exigit, ut non solum ejciat Nondinatores flagello, è templo, & subuertat mensas Numulariorum, sed etiam non permittat, ut quisquam deportaret uas per templum, quemadmodum Marcus ait. Quòd si uero externa disciplina & honestas exigitur tanta seueritate, quanta, obsecro, exigitur uera & spiritualis disciplina, ac honestas, quæ est præcipua & principalis sententia diuinæ Legis? Sed quòd Domino Deo nostro placeat, etiam externa disciplina ac honestas, probat & illud, quod Deuteronomij uigesimotertio mandatur, ut habeant locum ad requisita naturæ extra castra, non in castris. Et additur ratio. Dominus (inquit) Deus tuus ambulat in medio castrorum &c. Paulus quoq; in descriptione cœnæ dominicæ, grauiter reprehendit eos, qui in cœtu ecclesiæ suas proprias cœnas occupabant. Et addit: Propter hoc, multi inter uos imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Quid? an non permissus est esus à Domino? An non Domini est terra & plenitudo eius, ut non solum ea publica domus, in qua conuenit ecclesia, sed etiam priuata quæuis domus sit Domini Dei nostri? Si ergo licet in priuata domo edere, cur non etiam in publica domo? At enim obseruanda est externa honestas, maxime omnium in cœtu ecclesiæ. Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt. Et omnia decenter, & secundum ordinem fiant Hæc, cum ita se habeant, uideamus nunc, quæ beneficia promittantur pijs Alienigenis.

Primum beneficium est: Adducam eos in montem sanctum meum. Mons sanctus Dei est mons Zion, in quo situm fuit templum, Sed maxime omnium est uera & spiritualis Ecclesia Dei. Promittitur ergo Alienigenis, quòd etsi non sunt de genere Israelitarum, tamen si fuerint uere pij, adducantur ad montem sanctum Zion, hoc est, fiant uera membra ecclesiæ, & agnoscantur à Deo pro uero suo populo. Vn

de & additur hîc: Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel, adhuc congregabo ad eum congregatos eius (hoc est) Ego ad ecclesiam meam, non solum congregabo ex ijs Israelitis, qui hinc inde inter Gentes dispersi sunt, sed etiam Gentes ipsas adiungam eis, ut ex ouibus Israelitarum & Gentium fiat unum ouile, & una ecclesia. Nullum autem maius beneficium potest homini contingere, quàm quòd sit uerum membrum ecclesiæ. Consequitur enim omnia ea beneficia, quæ Christus ecclesiæ suæ impetrauit, &c.

Secundum beneficium est, Lætificabo eum in domo orationis meæ. Hæc est promissio de exauditione precum. Qui enim uerè pius est, lætificatur & exhilaratur in domo orationis, quia preces eius exaudiuntur, & fit ipse uoti sui compos. Quicquid petieritis, inquit, patrem in nomine meo, dabit uobis.

Tertium beneficium est, Holocausta eorum & uictimæ eorum placebunt mihi super altari meo. Etsi, etiam antequam Christus homo factus est, nonnulli ex Gentibus adduxerunt sacrificia sua ad templum Hierosolymitanum, quæ & susceptа fuerunt, quemadmodum scribit Iosephus de bello Iudaico, tamen hîc nomine holocaustorum & uictimarum omnia opera piorum Alienigenarum intelligenda sunt. Omnia enim bona opera, quæ faciunt pij ex fide, sunt sacrificia, sunt holocausta & uictimæ, ac placent Deo. Paulus scribens ad Philipp. munera, quæ ipsi à Philippensibus missa erant, uocat odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam & gratam Deo. In Epistola ad Hebræos: Beneficentia & communicatio uocantur Victimæ: Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini. Talibus enim uictimis placetur Deo. Et ad Romanos, iubemur corpora nostra præbere hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo &c. Magnum hoc est beneficium, quòd pij sciant opera sua Deo placere. Hypocritæ & alij, qui non sunt uerè pij, semper dubitant de suis operibus, num placeant Deo. Ideoque cumulant opera operibus, sacra sacris, cultus cultibus, ut si forte unum opus Deo non placet, alterum placeat. Sed non est pax impijs, quemadmodum postea sequitur. Pij autem, qui habent certam remissionem peccatorum per fidem, & recepti sunt per gratiam Dei propter Christum, ambulant non dubitanter, sed confidenter in uocatione Dei, & quanquam non ignorant sua opera per se coram Deo imperfecta esse, nec mereri æternam uitam, tamen quia condonata sunt ipsis peccata, & sunt in gratia Dei, sciunt obedientiam suam non esse uanam, sed Deo gratam, qui eam approbet, & multis beneficijs rependat. Quare pergunt alacri & confidenti animo ea peragere, ad quæ facienda diuinitus uocati sunt. Habes in Eunuchis & Alienigenis, qui in conspectu Israelitarum sordebant, Deum respicere in homine, non personam, sed pietatem. Hęc igitur maxime omnium sectanda est, ut si propter nostram ταπείνωσιν sordemus coram hominibus, simus coram Deo & omnibus angelis eius odor bonæ fragrantiæ propter Christum filium Dei.

Ioseph. de bello Iudaico, li. 2. cap. 17.

¶ Fragmentum Concionis contra ignauos & ineruditos doctores ac Episcopos.

OMNES

OMNES BESTIAE AGRI VENITE, VT COMEDATIS &c.

Si hæc appendix, est pars eius concionis, quæ proximè præcedit, apparet spiritum sanctum, uehementer excanduisse aduersus ignauos & ineptos Doctores, ac instituisse hanc seueram contra ipsos inuectiuam, cum in differendo de Eunuchis & Alienigenis, cogitaret illos doctores, præcipuos esse inerudita sua legis explicatione autores eorum malorum, quibus non solum Eunuchi & Alienigenæ in conscientia sua, & à uulgo populi, uerumetiam uniuersi Israelitæ affligebantur. Et huc etiam respicere uidetur Christus ipse cum allegando dictum huius superioris cõcionis: Domus mea, domus orationis uocabitur, adderet, Vos autem fecistis illam speluncam latronum, quo dicto obliquè respicit in Scribas & Pharisæos, qui hanc Nondinationem sua doctrina magis approbarent, quàm reprehenderent. Quòd si quis autem existimauerit, hanc adaptationem huius παρακοπῆς, cum priori concione, magis esse commenticiam diuinationem, quàm certam ueritatem, credo eum non aberraturum, si sentiat hanc appendicem esse fragmentum alicuius concionis, quam aliâs Propheta aduersus ignauos & ineruditos Doctores, quos hîc uocat Speculatores, instituerat. Siue enim Prophetæ ipsi, siue alij, collegerint Propheticas conciones in unum librum, certe ex Hieremia, & Daniele non est obscurum, quòd non omnes conciones Prophetarum dictæ sint eo ordine, quo sunt conscriptæ, & apparet nonnullas mutilatas, uel ex chartis Prophetarum, à posteris, uel ex ore Prophetarum à studiosis exceptas, & postea sic in unum uolumen collectas esse. Quæ res affert etiam haud mediocrem in interpretando difficultatem, quod non omnibus his concionibus additum sit, qua occasione fuerint dictæ, & quæ sit ipsarum ὑποθέσις. Sed de hoc sentiat quisq; , quod siue uerum, seu uerisimile existimat. Hæc certe appendix, quam nunc explicandam suscepimus, est seuera & grauis Inuectiua in Socordes, somnolentos, & indoctos Doctores populi, quippe quibus maiori curæ est uenter, quàm salus ecclesiæ. Omnes (inquit) bestiæ agri uenite ut comedatis. Vniuersæ bestiæ saltus. Vocat bestias, Leones, ursos, lupos, & alia fera animantia ad Deuorandum. Sed quos? Sequitur. Speculatores eius omnes cæci sunt. Vocat igitur bestias ad Deuorandum Speculatores. Alludit autem fortasis ad eam historiam, quæ testatur inobedientem Prophetam à Leone occisum, 3. Regum decimotertio: uel intelligit per feras bestias, crudeles & immanes hostes. Quod quicunque sit, certe Speculatores dignissimi sunt, quos deuorent uel bestiæ, uel hostes. Qui ergo sunt illi Speculatores? Hi uidelicet sunt, quos mox uocat Pastores, & qui Græco uocabulo dicuntur ἐπίσκοποι, hoc est, Inspectores, & Superattendentes, qui ad hoc uocati sunt, ut ecclesiam pia & sana doctrina pascant, & studia eius inspiciant, quo & bona confirmentur, & mala emendentur. Hoc enim ferè modo describitur Speculator Ezechielis capite tertio. Sed quid tanti mali hi designant, quòd obijcian tur deuorationi bestiarum? De hac re audiamus Prophetam nostrum, & conferamus uocationem Episcoporum, seu Speculatorum & Pastorum, cum uita ipsorum.

Primum enim Episcopi debent esse id quod dicuntur & audiunt,

hoc est, Videntes, Intendentes, Speculantes, uidelicet, ut uideant & inspiciant, quæ sit sana doctrina, qua ecclesiam suam pascant. Videant item & inspiciant mores ecclesiæ, ut si qui corrupti sunt, emendentur. Sed OMNES (inquit) Cæci sunt, Omnes nescium, hoc est, sunt rerum diuinarum ignari, nec curant ut cognoscant, quid de ecclesia fiat, siue pie siue impie erudiatur, aut uiuat.

Deinde Episcopi ad hoc uocati sunt, ut quemadmodum canes uigiles custodiunt domum, produnt & arcent latratu suo furem: ita Episcopi debent custodire ecclesiam, & latratu doctrinæ suæ inuehi in fures & latrones, in impios & sceleratos, ne hi ecclesiam uel impia doctrina corrumpant, uel malis exemplis offendant. Tenax sit, inquit Paulus de Episcopo, eius, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere. Sed Propheta ait: Episcopi sunt canes muti, nec possunt latrare. Non concionantur, non docent, tantum abest, ut impios & sceleratos doctrina sua allatrent, quo uel ad pœnitentiam reuocentur, uel ecclesiam non corrumpant.

Præterea, sicut canes deputati ad custodiam domus, debent esse Vigilantes, & obseruantes, ne quis alienus domum accedat & diripiat. Ita & Episcopi debent esse Vigilantes, & attendentes tam sibi quàm cuncto gregi, in quo spiritus sanctus, ut Paulus loquitur, posuit ipsos Episcopos ad regendum ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Sed ecce, inquit Esaias, Episcopi torpent, dormitant uelut ignaui canes, somno indulgent & stertunt. Non est eis curæ, qua doctrina aut quibus exemplis ecclesia imbuatur, Sed curant, ut ipsi ocientur & genio indulgeant.

Deinde, Episcopi debent esse boni pastores, qui pascant gregem pura doctrina uerbi Dei. Sed ecce ipsi se potius, quàm gregem pascunt. Et sicut impudentes canes semper sunt petaces, nec satiãtur, etiamsi semel aut iterum eis dederis, ita Episcopi satiari non possunt. Non intelligunt, non nôrunt, quid ad gubernandam ecclesiam pertineat, sed tantum norunt, quæ sint aucupia pecuniæ. Vnusquisq; eorum suas tantum res agit, & sua tantum commoda è finibus suarum ποιμνίοτων uenatur. Quæcunque autem corraserint è suis Episcopatibus, ea non impendunt ad conseruanda ecclesiastica ministeria, nec ad alendos pauperes, sed ad luxum, ad comessationes, ad helluationes. Venite (inquiunt) uinum affera mus, ut perpotemus ad ebrietatem usq;, ut helluemur, idque non hodierno tantum die, sed quod hodie inchoamus, cras & sequenti tempore multo amplius prosequemur, ut producamus semper in bono dies nostros, & transigamus uitam omni tempore iucundam. Quæso autem te, num ouum ouo tam simile, quàm similes sunt Episcopi horum temporum, illis, quos hic Esaias depingit? Inanem operam sumerem, si hanc Prophetę πεικοπὴν pluribus exponendam, et nostris temporibus aptandam susciperem. An non nostratium Episcoporum et Canonicorum cęcitas, ruditas, ignorãtia omnium diuinarum rerum, somnolentia, socordia, auaritia, luxus, perpotationes, helluationes, scortationes, adulteria, & infinita alia scelera, sunt satis perspicuus huius concionis commentarius? Eant nunc noui illi hęretici, & dicant statum talium Episcoporum non

non habere testimonium sacræ scripturæ. Num enim clarius testimonium requireres, quàm quod dixit insignis hic Propheta ante plusquam duo millia annorum? Cum igitur Episcopi seu speculatores nulla parte suo funguntur officio, sed suo tantum uentri studeant, opportune uocantur omnes bestiæ agrorum & syluarum, ut hos uentres deuorent. Ad quid enim hæc inutilia terræ ponderat? Nam si Propheta ille, qui ex diuino præcepto exprobrauerat Ierobeamo suam impietatem, dignus fuit à Leone occidi, ob hanc tantum causam, quòd contra quàm ei mandatum erat, cum altero Propheta cibum sumpserat, & tamen hactenus uocatione sua probe defunctus erat, quanto illi, qui nulla parte suæ uocationi seruiunt, digniores sunt, qui à Leonibus, ursis, lupis, & immanissimis quibusq; bestijs occidantur & discerpantur. Vnde & Christus ait: Si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

¶ Aliud fragmentum Concionis contra incogitantiam uulgi in morte piorum.

IVSTVS PERIT, ET NON EST QVI RECOGITET IN CORDE SVO &c.

Potest & hæc μετεκτικὴ uel præcedenti uel sequenti concioni aptari. Sed quid opus est excogitare & diuinare aliquid, quo ista coniungas, cum manifestis argumentis sint inter se disiuncta, & nullum periculum sit, si hoc habeatur, pro alterius cuiusdam concionis, quæ non tota extet, fragmento? aut pro dicto prophetæ, excepto è familiari colloquio, siue in funere alicuius honesti ciuis.

Sed utcunq; hoc se habeat, certe Propheta reprehendit incuriam & oscitantiam populi, quòd cum uideant passim honestos, iustos & pios homines, aut à tyrannis crudeliter occidi, aut etiam uulgari mortis genere ex hoc mundo tolli, non cogitent, non considerent, quid sibi hoc uelit, aut quid futurum portendat. Ferè enim fieri solet, ut in publicis calamitatibus, aut mortalitatibus, multo magis pij, quàm impij morte occumbant. Quod cum uulgus hominum uidet, intantum non afficiuntur, ut potius sibi applaudant, & ducant se fœlices, illos autem infœlices, ac iniustos quoque, quòd ipsi extinctis illis, superstites maneant. Sed Propheta longe aliter pronunciat. Iustus (inquit) perit morte, sed non est in uulgo hominum, qui cum animo suo reputet, quo Dei consilio hoc fiat. Viri misericordiæ colliguntur (hoc est) homines pij, & benefici tolluntur ex hoc seculo, & congregantur ad maiores suos, qui morte eos præcesserunt, sed nemo est, qui expendat, quid sibi hoc uelit. Ac multæ quidem sunt causæ, cur homines pij præ alijs in hoc seculo affliguntur, & ex hoc seculo abripiuntur. Propheta autem commemorat hoc loco unam tantum causam, quòd ea nunc ad propositum suum sufficiat. A facie, inquit, maliciæ colligitur iustus. Colligi, ut supra ostendimus, est ad maiores suos congregari, hoc est, Mori. Malicia autem hoc loco non est malum culpæ, ut uocant, sed malum pœnæ, hoc est, afflictio & calamitas. Itaque hic est sensus. Iusti moriuntur, priusquàm ueniat afflictio, ne uidelicet impendentes calamitates attingant ipsos, sed ut euadant eas morte.

Colligi Zum alten hauffen ziehē.

Et sequitur. Veniat pax &c. hoc ita transferendum est. Qui ambulat recte, uenit super eum pax, & requiescit in cubili suo. hoc est, pij, cum moriuntur, non ueniunt in ærumnas, & perturbationes, quemadmodum impium hominum uulgus existimat, sed ueniunt in pacem, & in iucundam ac fœlicem quietem & tranquillitatem. Sepulchrum, quo conduntur, non est eis fouea perditionis, sed est cubile, quo suauiter in diem Resurrectionis quiescunt. Habes igitur quid portendat, cum homines pij frequentius, quàm alij, ex hoc mundo, morte auferuntur. Hoc enim non accidit temerario casu, sed diuino consilio, ut significetur, magnas calamitates, & ingentia mala imminere orbi. Etenim, cum hic mundus positus sit in maligno, Dominus Deus noster, odio habens omnem iniquitatem, grauiter ei succenset, ac meditatur aduersus eum extrema supplicia. Pij autem, qui etsi non sunt de hoc mundo, tamen in mundo uitam agunt, solent precibus suis iræ Dei ita obsistere, ut Deus præ ijs iram suam, & meditata supplicia non queat (ut ita dicam) statim explere. Nam Deum posse piorum precibus ab inferendo supplicio retineri, sacra scriptura multis tum dictis, tum exemplis testificatur. In Gene. capite decimo octauo, Deus recipit se Zodomis parsurum, si saltem decem iustos in ea urbe inuenerit. Et postea cap. 19. Loth intercedit pro oppidulo Zoar, & audit à Deo: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subuertam urbem, pro qua locutus es. Festina & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc. Non potero (inquit) facere quicquam. Ergo sinit se piorum precibus retineri. Sic & ad Mosen dicit: Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Non dixisset, Dimitte me, nisi à Mose retentus fuisset. Et in Ezechiele grauiter inuehitur in Prophetas, & alios, quòd doctrina & precibus suis non oppositi essent se iræ ipsius. Non ascendistis, inquit, ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio, in die Domini. Et iterum: Quæsiui de eis uirum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Cum igitur Deus patiatur se piorum precibus ab inferendo supplicio retineri, & tamen tanta sit iniquitas huius mundi, ut aliquando necessarium sit supplicium speciale, priusquam ueniat generale in nouissimo die, excogitat Deus hoc consilium, ut pij è mundo tollantur, ne amplius iræ ipsius obsistant. Itaq; conniuet, ut aut persecutionibus impiorum occidantur, aut alijs calamitatibus morte pereant, quo ablatis ipsis, liceat sibi pro ira sua in impium mundum animaduertere. Quare non est nobis opus, ut ad cognoscenda futura, in cœlum cõscendamus, & configurationes cœlestium astrorum consideremus, sed aspiciamus tantum quę in terra geruntur, obseruemus raptus piorum ex hoc mundo, quos si frequentiores uiderimus, non dubitemus, quin magnæ impio huic mundo calamitates impendeãt. Petrus ex Prouerbijs Salomonis dicit: Tempus est, ut incipiat iudicium à domo Dei. Et addit. Quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum, qui Euangelio Dei non credunt? Non prætereamus igitur piorum clades oscitanter, sed intueamur in eas, tanquam in futurarum calamitatum uaticinia, ut excitemur ad timorem Dei, & seruemur in omnibus, quæ huic mundo accidunt. Deinde docet hic locus, quæ sit conditio piorum post hanc corporalem uitam.

lem uitam. Non enim intereunt unà cum corpore, nec commorantur in horribilibus tenebris aut cruciatibus, Sed Venit (inquit) Pax, & requiescunt in cubilibus suis. Vocat Sepulchra, Cubilia, seu κοιμητήρια, in quibus pij non iacent mortui, sed dormientes. Mortui quidem uidentur coram humano iudicio; Sed filio Dei, in cuius fide ex hoc mundo discesserunt, uiuunt, & suauissimo somno fruuntur, quippe quòd tempus ueniet, quo tam facile à morte excitabuntur, quàm facile quispiam, uel manuum plausu, uel unius uerbi clamore à somno excitari solet. Veniet hora, inquit filius Dei, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, qui uero mala fecerunt, in resurrectionem condemnationis. Vnum igitur hoc curemus, ut simus Christi filij Dei per fidem, & obediamus uocationi Euangelij eius. Sic enim sepulcrum fiet nobis, non horribilis fouea interitus, sed molle cubile somni, è quo ad perpetuam fœlicitatem per Iesum Christum excitabimur.

CAPVT LVII.

ET VOS HVC ACCEDITE FILII AVGVRATRICIS, SEMEN ADVLTERI &c.

Quæ sequitur concio duabus partibus constat. Prior pars grauissimè inuehitur in impios hypocritas, qui prætextu gloriæ nominis Dei instituunt & sectantur idolatrian, & uerbum Domini, quod docet ueros Dei cultus, extremo contemptu deridēt. Vnde existimo hanc concionem dictam esse uel sub Ahaz, uel sub Manasse, quorum regum temporibus non impune tantum erat, uerumetiam pium & sanctum iudicabatur, uarios Dei cultus, absque uerbo Dei excogitare & sectari. Posterior pars consolatur pios, qui cum & ipsi peccent, affliguntur diuinitus propter peccata, sed quia resipiscunt, seruantur in afflictione, & consequuntur ueram pacem ac tranquillitatem. Hæc autem est uere Prophetica & Apostolica concio, quòd arguat peccata, ut agnoscantur, & promittat remissionem peccatorum propter CHRISTVM, ut fidem habeamus. Hæ enim sunt partes Apostolicæ concionis. Oportet, inquit, prædicari nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes &c. Persequamur igitur initio priorem concionis partem. Accedite huc, inquit, filij auguratricis, semen adulteri & fornicariæ. Notus est hebraismus, Filius auguratricis, pro obseruatore augurij. Sicut aliàs dicitur: Filius perditionis, pro homine perdito, Filius mortis, pro homine morti obnoxio. Porro, ubi nos habemus Auguratricis, Hebræus habet עננה Onenah. Quod uocabulum ponitur etiam Deuteronomij capite decimo octauo. Non inueniatur in te, qui obseruet somnia. Propriè autem significare uolunt obseruationem dierum, non illam physicam, de tempestatibus, & de alijs id genus rebus, quæ habent naturales causas, sed superstitiosam, de electionibus actionum, quæ non habent aliquam probabilem causam in natura. Cum igitur ciues & auditores Esaiæ, magis uacarent superstitiosis dierum obseruationibus, & uanis illis prognosticis, quas uocant Practicas, quàm

Verbo Dei, nec hoc agerent, ut peterent suam fœlicitatem ex Prophe-
ta illo, quem Moses promittebat, & audiendum iubebat, sed ut pete-
rent eam ex astrorum constellationibus, aut ex somnijs, aut garritu &
uolatu auium, haud immerito uocat eos Propheta filios Auguratricis.
Et addit, Semen adulteri & fornicariæ, hoc est, nati ex stupro seu adulte
rio, Quod hoc loco significat Idolatras. Moses enim, Idolatriam sectari,
uocat post alienos deos Fornicari. Vides autem Prophetam tribuere
populo suo grauissima, & ut apparent, contumelioſissima epitheta. Vo
cat eos filios Incantatorum, & Meretricum, hoc est, Impios Ethnicos et
Idolatras, Quo nihil potest in homines honestos, & populum Dei con-
tumelioſius dici. Quod autem Propheta facit, non est Conuicium, sed
officium, quippe quòd cum uocatus sit ad docendam pœnitentiam, ut
peccata agnoscantur, recte & pro uocationis suæ officio faciat, quòd
tribuat impijs talia epitheta, ex quibus admoneantur de peccatorum
suorum tum magnitudine, tum etiam deformitate.

Sed quam mercedem reportauit Propheta pro hoc officio? Eam ni-
mirum, quam solent ab hoc mundo reportare omnes pij concionato-
res uerbi Dei. Super quem, inquit, lusistis? super quem dilatastis os? &
exeruistis linguas? Vbi uulgata lectio habet, Lusistis, ibi Hebræus le-
git, Oblectatis uos. Vix autem intelligerem, quid sibi hoc uellet, nisi &
Psalmus de Christo diceret: In me psallebant, qui bibebant uinum, &
experientia horum temporum interpretaretur illud. Nam, cum impij
prosequuntur pios concionatores magno odio, quomodo hi sunt illis
oblectamento? Sed uide mihi, quid his temporibus accidat. Quos enim
lusus, quæ ludibria, quæ carmina, quos cachinnos non præbent pij con-
cionatores impijs Epicureis, hypocritis, & uerbi Dei contemptori-
bus? In concionibus uidentur attentissimi esse, ac etiam deuotissimi.
Sed quicquid de Christo, de regno Christi, de fide, & id genus rebus
dixeris, non nisi aut summo fastidio, aut extremo risu in corde suo exci-
piunt. Deinde, cum uenerint ad suos cœtus, & conuiuia, ibi de concio-
nibus, & concionatoribus suauissime inter se nugantur, & cantillant,
nunc concionem peruertentes, ut habeant, quod rideant, nunc conui-
tia in concionatores torquentes, ut habeant, quo uirus animi sui euo-
mant. Hi sunt sales, quibus sua conuiuia condiunt, & quibus sese oble-
ctant. Alij tam impudentes sunt, ut ne in concionibus quidem ipsis ul-
lam habeant rationem honestatis, Sed dilatant os, exerunt linguas, aut
ostentant asininas aures ex tunica effictas coram concionatore. Hos
mores uidet, ac alicubi non tam tolerat, quàm risu approbat nostra æ-
tas. Cum igitur hic mundus, qui est principatus Satanæ, semper sibi si-
milis esse soleat, sciamus, eandem fuisse fortunam Prophetæ Esaiæ in
suis concionibus, qui etsi fuit de regio genere, tamen quia suscepit præ-
dicandum uerbum Dei, quo apud impios nihil est contemptius, factus
est suis tanto ludibrio, ut compotores sese in eo deridendo, conuician-
do, & criminando oblectarent, ac dilatatione oris, & exertione linguæ
extremum suum contemptum significarent, donec postremo eum e-
tiam serra, tanquam patriæ proditorem, secuerint. O impietatem, &
immanitatem huius mundi. Quàm pessime semper tractat optimè de
ipso meritos. Quid igitur faciamus? Num quia hic mundus ingratus

est

est & immanis, deseremus nostrum officium, & rependemus malum malo? Nihil minus. Pergamus nos nostrum officium facere, pergamus benefacere, etiam pessimè tractati. Non respondet benefactis hic mundus in terris, sed respondet DEVS in cœlis. Non refert gratiam pro beneficijs hic mundus inter homines, sed donat pijs regnum cœleste DEVS inter omnes sanctos. Quid igitur conquereris? Num querela dignum esset, si cum quispiam tibi deberet quinque dragmas, nec exolueret, alter nomine eius numeraret tibi decem dragmas?

At enim Propheta, non solum increpat populum suum summatim, & in genere, uerumetiam enumerat singulatim species impietatum & scelerum populi, ut probet, se non temere in ipsos uerbis tam duris inuectum. Super quem, inquit, lusistis? Quo oblectatis uos? quem ridetis? super quem dilatatis os, & exeritis linguam? Videmini quidem hæc in me, & in collegas meos, homines in oculis uestris contemptos, designare: Sed ut dicam quod res est, hæc ludibria non in me, & meos collegas, sed in Deum ipsum tendunt. Deus est, qui à uobis contemnitur & ridetur. Deus est, super quem dilatatis os, & exeritis linguam. In Deum redundat hæc contumelia. Primum igitur impietatis uestræ genus est, quod ridendo & contemnendo nos ac nostras conciones, ridetis & contemnitis Deum. Vultis esse populus Dei, & tamen uerbum Dei usque adeo non est uobis curæ, ut etiam omni genere contumeliæ ipsum afficiatis.

Hæc impietas solennis est hypocritis. Gloriantur nomine Dei. Iactant se esse ecclesiam Dei, sed syncerum uerbum eius peius angue & cane odiunt. Vbi autem uerbum Dei non agnoscitur, ibi nec DEVS ipse agnoscitur. Qui ex DEO est, inquit, uerba Dei audit, &c. Hypocritæ ergo decipiunt seipsos, & seducunt sese suis ipsorum somnijs, ut cum putant se esse Deo coniunctissimos, sint à DEO longe omnium alienissimi.

Deinde pergit alias species impietatis commemorare, & damnat cultus populi sui diuinos, quos ipsi putant esse summam iusticiam. Nun quid non uos filij scelesti, & semen mendax? Existimatis quidem uos esse obedientissimos filios Dei, & seruantissimos fœderis eius, propterea quòd instituerítis & peragatis multa & uaria sacra ad gloriam et honorem nominis Dei. Sed profecto, si dicendum est, quod res est, nihil uobis magis rebelle, & perfidum. Quid ergo mali facimus? aut quo uiolamus fidem nostram erga Deum?

Consolamini, inquit, in dijs subter omne lignum frondosum. Vbi uulgata lectio habet, Consolamini à uerbo נחם quod significat consolari, alij legunt, Incalescitis, seu Calefacti estis, ut sit passiuũ à uerbo חמם quod significat calefacere. Et est sensus. Quemadmodum adulteri sectantur scorta sua uehementi ardore, & uidendo ea incalescunt, ita uos impij hypocritæ non simpliciter sectamini uestra fictitia & gentilitia sacra, sed properatis ad ea summo animi desiderio, & peragitis ea tanto zelo, ut nec adulter maiori zelo adulteram suam obseruet. Nam Idolatria est spirituale adulterium. Et Moses Idolatriam uocat fornicationem. Fornicabitur, inquiens, populus iste post alienos deos &c. Deut. 31.

Non est autem obscurum, quòd Israelitæ, non contenti legitimis suis sacris, instituerunt sacra aliena, quorum ritus acceperunt à uicinis Gentibus. Moses iussit eos mandato Domini sacra sua in eo tantum loco, quem DEVS definierat, hoc est, ad arcam propiciatorij, in templo, peragere. Sed Israelitæ contempto hoc Dei mandato, fecerunt sacra in excelsis, in Lucis, & ut scriptura loquitur, subter omnem arborem frondosam. Vide tertio Regum capite decimoquarto. Et quarto Regum capite decimosexto. Nec sentiendum est, quòd uoluerint uideri, se his sacris ficticium aliquem Deum colere, sed cogitarunt se tantum uero Deo Israelis sacra facere. Etsi enim scriptura dicit, quòd sectati sint alienos deos, tamen non intelligit, quòd commenti sint alios deos, præter DEVM Patriarcharum suorum, sed quòd acceperint ab Ethnicis aliena exempla colendi Dei. Quibus enim ritibus Ethnici, ijsdem etiam Israelitæ colebant DEVM. Sed etsi hic cultus fiebat ad gloriam nominis Dei, tamen duplici nomine impius erat. Altero, quòd non fiebat ex præscripto uerbi Dei, sed potius contra uerbum Dei, quod iubebat in sacris faciundis nec ad dextram, nec ad sinistram declinare, sed tantum suam regulam sequi. Altero quòd hypocritæ his sacris fidebant, & pollicebantur sibi horum merito remissionem peccatorum, iusticiam, & regnum cœleste. Talia sacra in Christianismo sunt, Missa seu Pontificia, seu Metaxystica, Cultus mortuorum, Sacra horarum Canonicarum, & alia.

Quid igitur dicemus? Hypocritę sentiunt & iurant se hæc sacra ad gloriam nominis Dei facere. Quomodo ergo fieret, quòd Deo non placerent? Sed non idcirco placent Deo, quia placent homini. Nihil enim Deo placet, quod non est ex fide. Omne, inquit, quod non est ex fide, peccatum est. Hęc autem sacra non sunt ex fide, Primum, quia non sunt instituta ex uerbo Dei, sed tantum ex humana prudentia. De talibus sacris dicit Christus ex Esaia: Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Deinde, quia fiunt opinione expiandi peccata, & consequendi gratiam Dei. Hæc opinio est contra fidem. Vera enim fides quærit tantum in Christo gratiam Dei, & remissionem peccatorum, idque nullo merito, sed gratis, per misericordiam. Quare hypocritæ sunt eo ipso pessimi, quo uidentur sibi pijssimi.

Immolant paruulos in torrentibus subter eminentes petras. Pro Immolant, apud Hebræos est, Mactant. Et pro Torrentibus, alij legunt, Vallibus, Nam Hebræa dictio utrunque significat. Alia species impietatis. Non pecora tantum, sed & suos ipsorum liberos in sacrificia mactant. Sunt, qui traducunt liberos suos more Gentium, per ignem, ut lustrentur & sanctificentur. Etsi autem magna hæc est impietas, & uerbo Domini seueriter prohibita, tamen quicquid id est, uidetur adhuc tolerabile, quòd tali lustratione liberi non occiduntur. Sed hæc demum detestanda est crudelitas aut potius immanitas, quòd suis ipsorum liberis uitam auferunt, & eos mactant. Nam Israelitas designasse hoc genus immanitatis testatur etiam Psal. 105. Immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Canaan &c. Quid igitur ad hæc dicemus? Num iudi-

cauerunt

cauerunt se hoc facto esse parricidas? Nihil minus: sed existimauerunt hanc crudelitatem esse summam pietatem, idque fortasis exemplo Abrahæ, qui & ipse suscepit filium suum mactandum, & exemplo Ethnicorum, quibus solenne erat iram Dei humanis hostijs expiare. Non admodum dissimile est, quod in Christianismo parentes tradunt liberos suos monasterijs includendos. Etsi enim liberi non statim interficiuntur corporaliter, tamen conijciuntur in eos carceres, ut tolerabilius ipsis esset, si in infantia sua à parentibus iugularentur, quàm quòd talibus monasteriorum carceribus mancipentur. Nam præter manifestam monasteriorum impietatem, qua animæ liberorum, nisi mirabiliter seruentur, perpetuo intereunt, sua etiam sunt corporalia incommoda, in monasterijs præsertim puellarum, morte ipsa penè grauiora. Alicubi puellæ nubiles ita coërcentur, ut in sua ustione & se & parentes & cognatos, quorum consilio & auxilio his carceribus traditæ fuerint, extremis diris deuoueant. Alicubi tam impudenter scortantur, ut non monasteria, sed lupanaria dicas. Quod etsi parentibus minime sit ignotum, tamen non deterrentur tanta fœditate, quo minus filias suas monasterijs tradant.

Quid ergo est, quòd parentes non solum obliuiscantur omnis honestatis, uerumetiam exuant omnem naturalem erga filias suas affectum? Hîc certe agnoscenda est potentia & tyrannis Satanæ, qui mentes incredulorum ita excæcat, ut existiment se tunc summum cultum Deo præstare, cum summam exercent immanitatem. Metuamus igitur DOMINVM DEVM nostrum, & inuocemus eum per filium suum, ne tradamur in reprobam mentem, & permittantur libidini Satanæ, sed ut conseruemur in agnitione uerbi Dei, & in uera eius obedientia.

In partibus torrentis pars tua &c. Pro in partibus, alij legunt in Politis aut læuibus lapidibus &c. Et est sensus. Sors & pars tua, officium & uocatio tua est, ut agnoscas uerum Dominum Deum tuum, & seruias ei iuxta ipsius uerbum. Tu autem deserto uerbo Domini, eligis tibi quoscunq; uideris in torrentibus politos & læues lapides, & uel sculpis ex eis statuas, uel construis ex eis altaria, in quibus fundas libamen, & offeras sacrificia. Fuit & hoc genus impietatis solenne inter Israelitas, quemadmodum intelligi potest ex historia Ahaz, Manassæ, & Iosiæ, quorum illi impia sacra instituerunt & fecerunt, hic autem ea abrogauit, & deleuit. Ac impij cogitarunt quidem, se his sacris Deum colere, iram Dei placare, & gratiam eius mereri. Sed longe alia est cogitatio & sententia Dei. Nunquid super his, inquit, non indignabor? Pro quo Hebræa ueritas sic legit. An istis (sacris) delectarer? aut, Caperem ex istis solatium? Illi existimant se hoc cultu præstare mihi iucundissima & gratissima officia, ego uero ita detestor eum, ut coram me nihil sit abominabilius. Huic cultui respondent in Pontificio regno institutiones Missarũ in Sacellis, quæ passim in uallibus, & ad flumina extructa sunt, ex quarum Missarum obseruationibus homines pollicentur sibi gratiam Dei, & salutem animarum suarum. Sed cum tales Missæ sint coram DEO abominanda idola, non ducunt cultores ad salutem, sed ad æternam internecionem.

Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum &c. Cubile seu lectus sunt phana & altaria, in quibus scortantur, hoc est, idolatrian suam exercent. Vide ergo mihi, quòd Israelitæ nullum locum reliquerint, quem non impia sua idolatria contaminauerunt. Syluæ seu Luci, Virides & patulæ arbores, Ripæ torrentum seu fluuiorum, Prominentes petræ, Montes & colles, ac omnino quicunque locus uidebatur in oculis ipsorum iucundus & delectabilis, eum consecrabant ad cultum Dei, ut in eo loco sacrificarent. Non ouum ouo tam simile est, quàm similia sunt Sacella cum suis Missis, in regno Pontificio, institutionibus sacrificiorum apud Israelitas. Quocunque perrexeris siue ad montes, siue ad ualles, siue ad flumina, siue ad syluas, ibi inuenies aut sacella, aut monasteria, in quibus sacrificia Missarum suis temporibus peraguntur. Et tantum abest, ut cultores horum sacrificiorum existiment se idolatrian designare, ut potius promittant sibi meritis horum sacrorum omnem benedictionem, & si quid aduersi acciderit, non in aliud quiddam culpam transferunt, quàm in neglectum aut contemptum horum sacrorum. Sed DEVS aliter iudicat. Missa enim, qualis quidem hactenus in regno Pontificio obseruatur, etsi habetur ab hominibus pro cultu Dei sanctissimo, tamen est coram DEO abominandum & execrandum idolum, ideoque necesse est, ut quemadmodum olim regnum Israeliticum propter sua idola, periit, ita etiam regnum Pontificium, propter impiam suam Missam, & alia idola deleatur.

Et post ostium & retro postem posuisti memoriale tuum &c. Memoriale existimo fuisse arma & insignia, quæ nobiliores suspendebant in phanis, ad ostentandam suam uel pietatem uel nobilitatem, qualia solent etiam in nostris templis suspendi, uel ea monumenta, quæ cultores sacrificiorum ad testificanda beneficia, quæ se propter hunc cultum diuinitus accepisse credebant, ad ostia suspenderunt. Quale quid uidetur etiam in his templis, ad quæ peregrinationes religionis gratia suscipiuntur, Ibi uideas multa & uaria anathemata, quibus adiuti & liberati, ut putant, sanctorum patrocinijs, prædicant & testificantur eorum erga se clementiam, & inuitant etiam alios ad ipsorum cultum & inuocationem.

Quia iuxta me discooperuisti & suscepisti adulterum &c. Hoc alij sic legunt: A me recessisti, & ascendisti, uidelicet, ad altaria in montibus, & dilatasti cubile seu lectum tuum, hoc est, extruxisti ampla & lata phana atque altaria. Et pepigisti cum eis fœdus, hoc est, Aut priuatim uouisti te sacra illa obseruaturum, aut publicè deuinxisti te, data & accepta fide, nunquam passurum, ut hæc sacra aboleantur. Ac breuiter, diligis stratum & Altaria eorum, ubicunque ea uideris. Quocunque in loco uides extructum altare, eo magna animi cupiditate properas, ut ibi sacrifices. Exempla huius impietatis extant etiam in regno Pontificio. Non enim habetur ibi ratio uerbi Dei, ut ecclesia secundum hoc administretur, sed excogitantur & defenduntur cultus Dei pro libidine Pontificum ac Monachorum. Cum instituuntur Missæ Anniuersariæ, totum collegium sacrificulorum recipiunt se data fide, & literis eas perpetuis temporibus seruaturos. Et in Comicijs, Principes data &

ta & accepta fide, promittunt se ea sacra, de quibus ex humana pruden tia conuentum & decretum est, facultate & sanguine suo tutaturos. Hoc est percutere fœdus cum sacris. Sed talia fœdera percutere, non est Deum colere, sed à Deo, sicut paulo ante dictum est, recedere, & ad uersus Deum bellum suscipere. Ad quam impietatem, Deus aliquandiu quidem conniuet, & permittit ut impij sint fœlices, sed cum sederit in tribunal suum, & inceperit iudicare, nullus est seueritatis eius, nec modus nec finis.

ET ORNASTI TE REGIO VNGVENTO, ET MVLTIPLICASTI &c.

Hoc sic legendum est. Proficisceris ad Regem oleo, seu Balsamo, & multa affers (ei) aromata tua, ac mittis legatos tuos in longinquum, adeoq; humilias te usq; ad infernum. Aliud genus impietatis, de fiducia in externas uires. Siue hæc concio dicta sit sub rege Ahaz, siue sub alio rege, certe obscurum non est, quod reges Iuda usi sint aliquoties externis auxilijs, uidelicet regum Assyriæ & Aegypti.

De Ahaz scriptum est 4. Regum 16. Misit Ahaz nuncios ad Tiglatpilnesarem regem Assyriorum, dicens: Seruus tuus & filius tuus ego sum. Ascende & saluum me fac de manu regis Syriæ &c. De auxilio autem Aegyptiaco extat concio Esaiæ capite trigesimo & trigesimo primo. Quod igitur Propheta hoc loco dicit, habet hanc sententiam: Tu Hierusalem, non es contenta uno genere impietatis, sed impietatem impietate cumulas. Designas idolatrian non tantum institutione & obseruatione sacrorum, uerumetiam usu externorum auxiliorum contra uerbum Dei. In suscipiendo aut propulsando bello, non confidis, nec generalibus promissionibus, quæ extant Deuteronomij capite uigesimo, nec specialibus, quas Prophetæ de nouo adnunciant, sed quæris Ethnicorum regum auxilia. Mittis legatos in terras longinquas cum multis donis, cum Balsamo, & uarijs aromatibus ad regem Assyriorum, uel Aegypti, coram quibus regibus humilias te usq; ad infernum, hoc est, Subijcis te eis abiectissime, perinde ac si nullum haberes uel Deum in cœlis, uel hominem in terris tuis, qui tibi opem ferre posset. Ahaz nunciabat regi Assyriorum, Seruus, inquiens, tuus sum. Hoc certe erat sese coram Ethnico rege usque ad infernum humiliare, idque maxima diuini nominis contumelia, quasi DEVS, quem Israelitæ colebant, non esset tam potens, & tam clemens, qui & posset & uellet ipsos tueri, sed necesse haberent externis auxilijs uti, quo fieret, ut salus populi Dei, non ferretur accepta Deo ipsi, sed externo & impio regi. Solenne autem est Regibus & Principibus, munire se, non tantum suis, uerumetiam alienis armis. Ac per se quidem non est impium, alieno auxilio uti, sed Israelitis diuinitus mandatum erat, ut contenti suis ipsorum uiribus, gererent bella fiducia DOMINI DEI sui. Quare si quis rex eorum, quærebat externa auxilia, manifeste prodebat cordis sui impietatem. Quòd si alius quispiam Princeps aliena auxilia ita quærit, ut horum fiducia uel suum ipsius populum, uel uicinum opprimat tyrannikῶς & iniuste, aut iniuriam sibi illatam uindicet illegitime, huius nihil minor est impietas, quàm illorum Israelitarum: & pertinet ad eum, quod Esaias Capite trigesimo primo ait: Væ, qui descen-

dunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis &c.

IN MVLTITVDINE VIAE TVAE LABORASTI: NON DIXISTI, QVIESCAM, VITAM MANVS TVAE INVENISTI, PROPTEREA NON ELANGVISTI &c.

Descripsit antea genera impietatis, quæ Israelitæ designabant. Nunc describit quanta cura & sollicitudine ea peregerunt. Dederunt enim operam suis impijs sacris, non oscitanter, non quasi aliud agentes, sed toto animi affectu, magno labore, & multo sumptu, adeoque sine ulla intermissione. Laboras (inquit) in multitudine uiarum tuarum. DEVS unam tibi uiam salutis proposuit, uidelicet, obedientiam uerbi sui, quæ complectitur primum quidem fidem in promissionem de semine Abrahæ, & Dauidis, quod est CHRISTVS, quam fidem excitant & confirmant ea sacra, quæ diuina lege præscripta sunt, & secundum eam legem obseruanda. Deinde complectitur etiam dilectionem proximi. Hæc est simplicissima uia consequendæ salutis. Tu uero quæris & excogitas tibi multas alias salutis uias. Multa instituis sacra, multos cultus Dei. Hos sectaris tanto studio, tam continenti labore, ut nunquam cogites, te aliquando uelle eos intermittere, sed dum inuenis uitam manus tuæ, dum spiritum trahis, non defatigaris. Nam ubi nos habemus: Non rogasti, legendum est, Non elanguisti. Nec alio affectu his faciendis occuparis, quàm si perpetuo tibi in ipsis hærendum esset, adeoque tanta sollicitudine in eis uersaris, ut si quid uel minutissimæ cerimoniolæ omiseris, existimes te continuo à Satano abripiendum. Insignis descriptio curæ impiorum hypocritarum in peragendis suis sacris. Ac profecto res est non fictis lacrymis deploranda, quòd impij soleant multo plus curæ, studij, operæ, laboris, & sumptus impendere in sua ficticia sacra, quàm pij in ueros Dei cultus, quos seiunt diuinitus institutos. Et quod Christus de filijs huius seculi dicit, quòd sint prudentiores in sua generatione, quàm filij lucis, idem etiam hîc dicendum est, quòd hypocritæ maiori sollicitudine impietatem suam, qua ad infernum properant, conficiunt, quàm uere pij suam pietatem, qua ad cœlum perueniunt. Sed quæ Propheta dicit, melius intelliges, si huc conferas studia Monachorum in seruandis statutis suorum Ordinum, & curas sacrificulorum in peragendis sacrificijs Missarum suarum. An non superstitiosus quisque Monachus existimauit se Satanæ obnoxium, si non dormiat noctu in ea ueste, quam Regula definiuit? Quot, quæso te, habent sacrificuli Cautelas, ut ipsi uocant, circa celebrationem Missarum, & Consecrationem? Quantum ibi curarum, quantum sollicitudinis, ne quid præter præscriptum ageretur? Itaque trepidant timore, ubi non est timor, & habent conscientiam, sicut Paulus ait, cauterio notatam. Sed quæ est tantæ sollicitudinis & trepidationis utilitas? Sequitur in Propheta. Pro quo sollicita timuisti? Maxima est cura tua, ut sacra à te excogitata rite peragas. Magnus est metus tuus, ne quid rituum tuorum ficticiorum prætermittas. Sed obsecro te, cogita mihi, pro qua tamen re tantum curæ & trepidationis sumas?

sumas? Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, num ego perpetuo dissimulaturus sim, quòd me non timeas? hoc est. Vis scire, qualia sint tua sacra, quæ tanta cura & metu peragis? Dicam paucis. Mentita es. Non es mei recordata &c. hoc est, Sacra tua sunt mendacia. Non sunt cultus, quibus mei recte & pie recordaris, quibus ego delecter, quibus honore afficiar, & quibus declarare possis, quòd me uere timeas, ac uenereris. Sed potius tales sunt cultus, qui te excæcant, & efficiunt, ut nunquam uere peccata tua agnoscas, nec me uere timeas, sed existimes te his satis iustificari, & me propter ipsos peccata tua dissimulaturum, ac condonaturum. Ego uero non grauabor tibi adnunciare & patefacere, quàm nihil plane tibi prosint tua iustitia, & tua opera seu sacra, quæ tanta cura facis. Age enim, si te periculum aliquod comprehenderit, & clamaueris pro auxilio & liberatione, num possunt te seruare omnes congregati tui, hoc est, omnia sacra tua, in unum collecta? Num possunt te liberare omnes uictimæ tuæ, quas obtulisti, in montibus, aut sub patulis arboribus? Num possunt te eripere omnes Missæ tuæ in unum aceruum congregatæ? Nihil certe minus. Sed hos omnes cultus auferet uentus, & tollet aura. In periculis, in necessitate, omnia illa sacra euanescent, nec afferent quicquam uel opis uel auxilij. Ecce igitur tibi, in quam rem impendas curam, studium, laborem & sumptum tuum, nimirum in purum putum mendacium, in rem uanissimam, quæ in necessitate non solum nihil affert utilitatis, sed etiam conijcit te in extremam internecionem.

Ex his discamus quid sentiendum sit de cultibus & sacris, quæ humanis traditionibus instituuntur. Cum enim hæc sacra reprehenduntur, solent multi uociferari. Quid? An non DEVS honorandus est? Nos uero his sacris non nisi DEVM honorare cogitamus. Quid? an non melius est, sacrificium in monte facere, Missam audire, ad pulsum campanæ preces suas recitare, statis diebus ieiunare, & id genus alia sacra facere, quàm interea temporis ociari, ac nihil omnino rei diuinæ uacare? Atque hæc quidem illi. Tu uero considera mihi, quid hoc loco spiritus sanctus de talibus sacris concionetur, & quæ eis epitheta tribuat. Vocat enim ea Mendacia. Quid ita? quia fundata sunt, non Verbo Dei, quod est Veritas, sed humano somnio, quod est mendacium. Præterea, non constant in aduersis. Non seruant cultorem suum in periculis. Non proderunt, inquit, tibi. Cum clamaueris, liberent te omnia sacra tua simul collecta. Sed usque adeo non possunt te liberare, ut nec seipsa seruare queant, sed euanescent in tenues auras. Quare aptissime tribuitur eis epitheton mendacij. Deinde uocat ea, Obliuionem timoris Dei. Non es, inquit, mei recordata. Et non me times. Talia enim sacra mentem hypocritarum & cultorum suorum ita excæcant, ut præ eis non uideant grauitatem, aut magnitudinem peccati sui, nec requirant ueram iustitiam Christi per fidem, sed existiment se suis sacris peccatum expiasse, & iustitiam consecutos esse. Vbi autem grauitas peccati non agnoscitur, & iustitia Christi non quæritur, ibi nec DEVS recte timetur, nec pie colitur, nec uere clemens & misericors creditur. Qua igitur fronte asseuerabis DEVM his sacris honorari? Honorandus quidem DEVS semper est, sed ijs sa-

cris, quæ ipse uerbo suo instituit, non quæ humanis somnijs excogitantur. Et sceleratum est, sic ociari, ut nihil rei diuinæ facias. Sed & sceleratum est, sic negociari, ut uana, stulta, impia, & idolatrica operà facias. Quare, ne aberres, pone tibi ob oculos uerbum Dei, audi filium Dei, quid à te exigat, ut DEVM uere honores, & rei diuinæ recte uaces.

QVI AVTEM FIDVCIAM HABET MEI, HAEREDITABIT TERRAM &c.

Posterior huius concionis pars, quæ consolatur pios promissione Euangelij de uiuificatione afflictorum, & de uera ac æterna pace per Christum filium Dei præstanda. Potest autem hæc concionis pars generaliter intelligi, ut sit sensus. Impij, qui confidunt idolis suis, peribunt, & idola eorum euanescent. Pij autem, qui confidunt in Dominum, seruabuntur, & accipient consolationem. Deus enim, etsi habitat in excelsis, tamen respicit humiles, & afflictos, ut uiuificet eos. Et quamuis nonnunquam irascitur populo suo & affligit eum, propter peccata, tamen non irascitur perpetuo, nec affligit, ut perdat, sed ut seruet, ut reducat in uiam, ut sanet, & reddat ei consolationem æternam. Hæc generalis sententia ut pia est, ita non inepte cum scopo huius concionis conuenit.

Sed quia postea manifeste concionatur de diuulgatione Euangelij inter Iudæos & Gentes: Creo, inquiens, fructum labiorum pacem, pacem, ei qui longe est, & ei qui prope. Et uidetur Petrus ex hoc loco concionari, cum in Actis capite secundo ait: Vobis facta est repromissio & filijs uestris, & omnibus QVI LONGE sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Similiter Paulus Ephes. capite secundo: Veniens, inquit, euangelisauit PACEM, uobis, qui PROCVL aberatis, & ijs, qui PROPE. Idcirco sentiamus Prophetam hoc loco specialiter respicere in reuelationem Domini nostri Iesu Christi, filij Dei, & in diuulgationem Euangelij eius inter Iudæos, qui prope esse dicebantur, & inter Gentes, quæ longe à salute aberant. Omnes eos, inquit, Collecticios uidelicet deos, & cultores eorum auferet Ventus, & tollet uanitas, seu euanescent. Qui autem fiduciam habet MEI, hæreditabit terram & possidebit montem sanctum meum. Nunquid ergo Israelitæ, qui sectabantur aliena sacra, non habebant fiduciam Domini Dei sui? An non profitebantur se fide in uerum DEVM, & ad honorem ueri Dei sacra sua facere? Certe profitebantur, & eam ob causam sæuiebant in Prophetas, quòd ab his arguebantur impietatis & incredulitatis in DEVM. Sed DEVS non iudicat hominem secundum externam oris sui professionem. Et dicit Propheta alias: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Etsi enim humanum cor multa sibi de DEO cogitare & polliceri uidetur, cum facit sacra à se excogitata, tamen nullus hominum recte cognoscit DEVM, nec habet ueram fiduciam in DEVM, nec uere sperat in ipsum, nisi cognoscat & credat in filium DEI, & habeat fiduciam in misericordiam DEI, propter filium eius. Alij solent de DEO cogitare & accedere ad DEVM sine mediatore, sed hi

ad

ad DEVM peruenire non possunt. Alij cogitant de eo, ut de respectore humanorum meritorum, & accedere eum conantur per merita suæ ipsorum iusticiæ, quam sibi in locum Mediatoris constituunt, sed nec hi possunt ad DEVM peruenire. Soli autem hi recte accedunt & perueniunt ad DEVM, qui accedunt eum fiducia gratuitæ misericordię eius propter filium ipsius, Dominum nostrum Iesum Christum. Quare ueram habere in DEVM fiduciam, est credere in filium Dei, quod propter ipsum DEVS nobis sit propicius, & seruet nos in omnibus malis. Cum igitur hîc dicatur: Qui habet fiduciam MEI &c. sentiamus hæc esse uerba filij Dei, discernentis ueram fidem à falsa, quòd hæc faciat ex DEO idolum, cum somniat eum esse propicium, propter opera, ut uocant, operata, seu merita sacrorum suorum, illa autem appræhendat uerum Deum, cum agnoscit filium Dei, & credit Deum propter filium suum, misericordem & propicium esse. Dicit ergo filius Dei: Qui habet fiduciam MEI, quasi diceret, Is demum recte credit & sperat in Deum, qui in me credit & sperat. Nemo enim uenit, ut aliâs dicit, ad Patrem, nisi per me. Et, Qui me uidet, uidet & Patrem meum, &c. Quid autem fiet ei, qui credit in filium Dei? Hæreditabit, inquit, terram, & possidebit montem sanctum meum. Nec omnes pij, qui crediderunt in filium Dei, hæreditate acceperunt externam illam terram Canaan, quæ posteris Abrahæ promissa erat, nec omnes pij habuerunt possessionem suam in externa Hierusalem, & Zion, quæ dicta est Mons sanctus Dei. Quid ergo sibi uult hæc promissio de hæreditate terræ, & possessione montis sancti? Diximus antea hanc concionem esse Euangelion filij Dei. Cum igitur regnum filij Dei non sit de hoc mundo, promissio ista non est intelligenda de mundana hæreditate & possessione: Sed his uerbis, quibus quondam in Lege significabantur externa bona, significantur in Euangelio filij Dei, spiritualia & cœlestia bona. Itaque cum ait: Qui habet fiduciam mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum, plane idem illud est, quod in Euangelista dicitur: Qui credit in eum, non perit, sed habet æternam uitam. Hoc nimirum est hæreditare terram, & possidere montem sanctum Dei, uidelicet consequi benedictionem in semine Abrahæ, quod est Christus, promissam, & esse membrum ueræ ecclesiæ Dei, ac participare omnia bona, quæ ecclesiæ propter Christum & in Christo sunt promissa. Et tamen, qui uere in Christum credunt, non consequuntur tantum spiritualia & æterna bona, uerum etiam conseruantur suo tempore etiam mundanis bonis in hac corporali uita. Primum, inquit, quærite regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia, uidelicet, Victus & amictus, adijcientur uobis. Et, Nemo est, qui reliquit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos, propter regnum Dei, qui non recepturus sit multo plura in Hoc tempore, & in seculo uenturo æternam uitam. Quare, etsi multæ sunt tribulationes credentium in filium Dei, in hac terra, curat tamen Deus, ut non solum in futuro seculo habeant cœlestia bona, sed etiam habeant in præsenti seculo terrena bona, quantum quidem ad sustentandam uitam satis est, & ad salutem eorum prodest.

ET DIXIT VIAM FACITE, PRAEBETE ITER &c.

Pro Declinate de semita, apud Hebræos est, Expurgate semitam. Sunt uerba, sicut antea dictum est, Filij Dei. Et dixit, uidelicet Filius Dei. Agite, Parate uiam, & ut intelligatis me rem seriam agere, iterum repeto, Parate uiam, expurgate semitam, tollite offendicula de uia populi mei, ut quotquot me accedere uolunt, habeant planum & expeditum iter, & accedant me inoffenso pede. Hoc prorsus illud est, quod filius Dei postea in Matthæo dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Iubet uiam complanare, uidelicet, omnes præsertim afflictos & contritos, uocans, ut ad se celeriter, sine ulla cunctatione ueniant, & â se salutem accipiant. Vnde & sequitur. Quia hæc dicit Excelsus & sublimis, habitans æternitatem &c. Quian tè cœpit dicere, ut uia præparetur, & omnes ad se uenientes admittantur, is etiam pergit dicere, quid beneficij conferat ad se uenientibus. Sed ut hæc uerba maiori obseruantia excipiantur, exponitur prius, Quis sit ille, qui hæc dicat. Sic autem exponitur, ut fiat antithesis inter ficticios deos, aut excogitaticios cultus, & inter filium Dei. Nam ficticij dij aut cultus alligantur ad unum certum locum, uel in manufacta templa, uel in montem, uel in uallem, uel subter uiridem aut frondosam arborem, uel ad torrentes aquarum, uel ad prominentes petras, quemadmodum supra dictum est. Filius autem Dei excelsus est & sublimis, habitans in excelso, hoc est, Excelsissimus ille, ut Stephanus & Paulus dicunt, non habitat, non concluditur in manufactis templis, Sed cœlum, inquit, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Deinde ficticij dij aut idola nec fuerunt ab æterno, nec manent inæternum. Vbi enim nunc sunt dij Gentium Iuppiter, Apollo, Mercurius, & reliqua deorum turba? Vbi sacrificia eorum? Filius autem Dei habitat æternitatem. Sicut ab æterno genitus est â DEO Patre suo, ita etiam permanet inæternum, in secula seculorum. Præterea ficticij dij sunt prophani, & habitãt in prophano. Filius autem Dei Sanctus est, & habitat in sancto. Quod paucis quidem dicitur, sed patet latissimè. Filius enim Dei Sanctus est primum, quòd nullo prorsus uitio aut peccato sit sordidatus, sed uera, perfecta, & æterna iusticia ac sanctitate præditus. Deinde, quòd odio habeat omnem prophanitatem, omnem iniquitatem. Adhæc, quòd exigat ab omnibus hominibus ueram & puram sanctitatem: præterea, quòd omnem credentem in ipsum sanctificet, hoc est, efficiat, ut coram DEO sanctus reputetur, & donet eum spiritu sancto, quo reliquias carnis purificet. Postremo dicitur & hoc nomine sanctus, & in sancto habitare, quod superet sua sapientia, suis consilijs, & operibus omnem humanam sapientiam, consilia & opera, nec ulla creatura, siue cœlestis siue terrestris, possit sapientiam filij Dei captu suo comprehendere, nisi quatenus ipse sese reuelat, & comprehendi se sinit. Cum igitur sciamus, quis & quantus sit is, qui loquitur, audiamus nunc quid loquatur. Ego, inquit, habito quidem in Excelso, & Sancto, sed habito etiam cum contrito & humili spiritu, & habito ibi, non ut talem spiritum omnino conteram, & comminuam, sed potius ut uiuificem. Hoc est uerum Euangelion de filio Dei DOMINO nostro

IESV

IESV CHRISTO. Venit enim filius Dei in hunc mundum, & susceptit in se omnes corporis & animi affectiones, afflictiones, perturbationes, dolores, contritiones, humiliationes, angustias, horrores, denique quicquid est tribulationum & aduersitatum. Esuriit, sitiit, sudauit, alsit, contristatus est usque ad mortem, factus est obediens usque ad mortem crucis, laceratus est corpore, horruit mortem & infernum animo. Suscepit autem in se hæc aduersa, non cum peccato, quemadmodum nos ea gestamus, sed sine peccato, idque hanc ob causam, ut peccata nostra expiaret, & nobis similiter affectis & afflictis succurreret. Non habemus, inquit Epistola ad Hebræos, Pontificem, qui non possit condolere infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem absque peccato. Et iterum: Debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expianda peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur auxiliari. Itaque filius Dei dicitur habitare cum humili, & contrito spiritu, non hoc tantum nomine, quod faueat his qui sunt animo afflicto, & contrito, sed etiam quòd ipse in se animi afflictiones & contritiones susceperit, ac in seipso expertus sit, qualis sit affectus afflictorum & contritorum, ut inuocatus exaudiat, & ærumnis eorum subueniat, seu quemadmodum hic dicitur, ut uiuificet spiritum seu animum humilium, & cor contritorum. Huc nunc pertinent omnia ea dicta, quæ tam in Apostolica, quam in Prophetica scriptura promittunt miseris & afflictis præsentiam, clementiam, & auxilium Domini. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et iterum: Non opus habent hi, qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ac rursus: Filius hominis uenit seruatum, quod perierat. Et alias. Filius hominis non uenit ad perdendas animas hominum, sed ad seruandas. Et in Psalmo: Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Ac iterum. Non in finem obliuio erit pauperis. Ac mox. Tu laborem & dolorem consideras. Tibi derelictus est pauper &c. Et rursus. Oculi eius in pauperem respiciunt. Et iterum. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Item. Populum humilem saluum facies. Et alias: Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem &c. Item. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Ac iterum. Deus uitam meam adnunciaui tibi, Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo &c. Et rursus. Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, & solueret filios morti obnoxios. Et iterum. Dominus in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Quid plura? Plenus est Psalmorum liber his dictis, quibus Dominus testatur afflictos sibi maximæ omnium curæ esse, & se his tanto esse propinquiorem, quanto longinquior uidetur.

Hæc sunt meditanda, hæc sunt consideranda in aduersis, in contritione seu perturbatione animorum, ut confirmemus fidem nostram & excitemur ad inuocationem. Alij, cum animi eorum aduersis perturbantur, & conteruntur, solent ad execrationes, ad blasphemias, ad diabo-

li inuocationem properare. Existimant enim Deum eo longius recessisse, quo maior est afflictio. Nos autem sentiamus, quòd non sit opportunius tempus offerendi Deo Supplicationes nostras, quàm cum animo sumus afflicto & perturbato. Eo enim tempore Deus se præsentem fore, & preces exauditurum promisit. Ad quem, inquit post ea, respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Accedamus igitur, in tempore afflictionis, cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunum auxilium.

Sed pergit filius Dei Euangelion suum adnunciare. Non enim in sempiternum, inquit, litigabo, neque in perpetuum irascar, sed egredietur spiritus à facie mea, & flatus ego faciam. Idem scribitur Psalm. 102. Non in perpetuum irascetur, neque inæternum comminabitur. Hæc est expositio Legis & iræ diuinæ, ex qua immittuntur hominibus supplicia propter peccata. Initio enim, cum Adam peccasset, litigauit Deus cum Adamo propter peccatum, & iratus, expulit eum è Paradiso, & tradidit eum omni generi suppliciorum affligendum. Sed quid? Num Deus uoluit perpetuo sic litigare & irasci? Nihil minus. Promisit enim futurum, ut contrito capite serpentis, hæc ira placetur. Deinde dedit Legem, qua iurgatur cum uniuerso humano genere, & quia reuelat peccatum reuelat etiam iram suam propter peccatum. Quid igitur dicemus? Num hoc iurgium est perpetuum? num hæc ira est sempiterna? Absit. Quis enim hominum seruaretur? Sed data est lex, quæ concludat omnes homines sub peccatum, & ostendat iram Dei, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, quemadmodum Paulus ait. Præterea, Iurgatus est Deus cum populo suo Israelitico, & declarauit erga eum iram suam, multis & uarijs supplicijs, præcipuè autem captiuitate Babylonica, qua non solum multi horrendis generibus mortis interierunt, uerumetiam urbs Hierusalem una cum templo deuastata est, & reliquiæ populi in miserrimam seruitutem abductæ sunt. Hæc fuit grauissima ira Dei. Num uero fuit perpetua? Minime omnium. Non in sempiternum, inquit, iurgor, neque in perpetuum irascor. Sed egredietur à facie mea spiritus, & faciam flatus.

Hæc appendix, etsi potest generaliter intelligi de consolatione, mitigatione, & refocillatione, qua filius DEI ecclesiam suam in quauis afflictione exhilarat & conseruat, uidelicet quòd filius DEI mittat spiritum sanctum in corda suorum, & consoletur eos iucundo afflatu, tamen quia ea quæ præcedunt, concionantur de reuelato Euangelio & officio, quod filius Dei in carne sua administrandum suscepit, & mox sequitur de diuulgatione Euangelij inter Iudæos & Gentes, sentiamus hanc appendicem præcipuè respicere in eam spiritus sancti missionem, quæ facta est in die Pentecostes. Hac enim missione publicè testatum & confirmatum est, filium DEI habitare cum spiritu humili & contrito, ac uiuificare eum. Hac missione promulgatum est, iram DEI antea Lege denunciatam, & supplicijs declaratam, iam uerè placatam esse. Hac missione uulgatum est, DEVM non amplius litigare & iurgari cum populo suo, sed esse indulgentem Patrem, qui adoptet eos in filios & hæredes omnium cœlestium bonorum suorum. Cum enim

Christus

Christus mitteret nomine suo spiritum sanctum Apostolis & reliquis, in die Pentecostes, & ornaret eos illustrissimo dono ædendorum miraculorum, publicè testificatus est se esse & uerum Messiam, & uerum filium Dei. Quo testificato & confirmato, confirmabatur etiam, iram Dei placatam esse, DEVM esse indulgentissimum Patrem, & contritos seu afflictos primas apud DEVM tenere. Hoc enim sibi uult Euangelion de Messia filio Dei, quemadmodum Prophetæ de eo sunt concionati. Quare, si quis affligitur, & sollicitatur putare, se à DEO desertum, proponat sibi hanc concionem ob oculos, meminerit diei Pentecostes, quo confirmatum est, quòd ira Dei non sit perpetua, sed quòd DEVS respiciat afflictos, habitet cum afflictis, & uiuificet eos spiritu sancto suo, ut & in præsenti seculo habeant consolationem, ac malorum mitigationem, & in futuro seculo, æternam & beatam uitam.

Sed dicet quispiam. Quid necesse est, ut DEVS suscipiat tot promissionibus afflictos & humiles consolandos & uiuificandos, cum posset efficere, ut populus suus nunquam affligeretur, nec humilis & abiectus fieret? Num enim non omnia administrat? Quid ergo irascitur? quid affligit? si mox uult iram remittere, & afflictioni mederi? An non hoc perinde est, ac si quis uicino suo diceret: Sine, uulnerem te in crure, & confestim sanabo? Quin potius abstineat ab inferendo uulnere, ut non opus habeat operam aliquam ad conferendam sanitatem sumere. Vt hæc obiectio diluatur, exponit filius Dei causam afflictionis, qua ecclesia eius premitur, & commemorat uerum modum, quo confert salutem in ecclesiam suam. Propter iniquitatem auariciæ eius, inquit, iratus sum, & percussi eum &c. Videtur quidem hoc dici de uno tantum genere peccati, quod usitatè uocant Auariciam: Sed quemadmodum filius Dei concionatur hic de generali salute sua, quam offert uniuerso humano generi, ita concionatur etiam de generali peccato, quo ab initio uniuersum humanum genus corruptum fuit. Vocat autem hoc peccatum בצע hoc est, suam ipsius utilitatem, suum commodum, suum lucrum, uel etiam prædationem. Adam enim initio uiolauit præceptum Domini, de non uescendo fructu arboris scientiæ boni & mali, ex hoc affectu, quòd uoluerit esu huius fructus magna sibi commoda, magna lucra comparare, uidelicet, ut fieret DEO æqualis, sciens bonum & malum. Hic affectus propagatus est in uniuersum humanum genus, ut omnes natura studeant auariciæ, hoc est, suis commodis, non autem obedientia uerbi DEI, qua sola comparantur uera commoda, sed inobedientia, iniustitia & impietate. Dicit ergo filius Dei. Non irascor sine causa humano generi, sed irascor ei, percutio & affligo homines, abscondo ab eis faciem meam, & indignor, immitto in eos uarias ærumnas, maledico terræ eorum, ut necesse habeant in sudore uultus uesci pane suo, propter iniquitatem auariciæ eorum. Sic corrupti sunt, iam inde ab initio, ab Adamo, parente eorum, ut non quærant, nisi quæ sua sunt, & quærant ea, abnegatione DEI, uiolatione uerbi DEI, adeoque horrendis quibusque sceleribus. Cum igitur sordidati sint omni genere peccati, ego uicissim immitto in eos omne genus maledi-

ctionis & suppliciorum. Sed quid fit? Cum ego affligo eos, & supplicijs in eos animaduerto, tum ipsi abeunt uagi in uia cordis sui. Quo maior immittitur afflictio, eo magis ipsi sursum deorsum discurrentes, oberrare solent. Peccato enim ita cæcati sunt, ut nesciant rebus suis consulere, ac ignorent qua uia, qua ratione salutem sibi parare queant.

Ego igitur, cum uideo errores & ærumnas eorum, teneri non possum, quin recipiam eos sanandos, & in ueram salutis uiam reducendos, ut etsi optime meriti sunt supplicia peccato suo, tamen mitigem eis omnia aduersa, & mutem omnes eorum maledictiones in benedictiones, quo recipiant ipsi consolationem, in omni luctu ipsorum. Nam ubi uulgata lectio habet (Reddidi consolationes ipsi & lugentibus eius) sic legendum est: Reddo consolationes ipsi, & luctibus, seu doloribus & ærumnis ipsius. Sed quæso te, dicito nobis, quomodo filius DEI sanat miseros homines, & reducit eos in ueram salutis uiam, ut in aduersis habeant consolationem & liberentur? Audi ergo, quid ipse concionari pergat. Creo (inquit) fructum, aut potius Sermonem labiorum, hoc est, instituo publicam prædicationem Euangelij, quo Euangelio adnunciatur Pax, pax, hoc est, multa & magna pax, ei qui longe est, uidelicet, Ethnico, & ei qui prope, hoc est, Iudæo. Hic est modus, hæc est uia, qua Sano homines, dicit filius DEI, DOMINVS noster. Postquam enim expiauit morte sua peccatum nostrum, & reconciliauit nos cum DEO Patre suo, misit spiritum sanctum in die Pentecostes, & instituit Apostolicum ministerium, ut Euangelion diuulgaretur in uniuersum orbem terræ, & adnunciaret remissionem peccatorum, & pacem seu placationem iræ DEI omnibus tam Iudæis quàm Gentibus. Sic enim Paulus hunc locum interpretatur, Ephes. capite secundo. Veniens (inquit) Euangelisauit pacem uobis, qui procul aberatis, & ijs, qui prope. Quare qui hunc sermonem labiorum accipiunt fide, consequuntur non solum remissionem peccatorum, & pacem conscientiæ, uerumetiam æternam uitam & salutem. Qui autem non credunt Euangelio, sed sunt impij, his nulla est pax, dicit filius DEI. Quia quemadmodum nulla est tranquillitas maris, cum uentis agitatur, sed sic commouetur, & sursum deorsum iactatur, ut fluctus eius projiciant lutum & cœnum: ita in impijs, aut incredulis, qui non adhibent fidem Euangelio, nulla potest esse pax & tranquillitas, sed iudicio DEI ita turbantur, ut non nisi horribiles blasphemias euomant.

Obseruandum igitur initio, quòd cum dicit: Propter iniquitatem auaritiæ eius iratscor &c. significet, afflictiones esse supplicia peccati natura nobis inhærentis. Etsi enim DEVS solet aliquoties immittere populo suo afflictiones, non consideratione peccati, sed aliijs de causis, sicut ostendit exemplum Iobis, & cæci apud Ioannem capite nono, tamen nisi peccatum in humana natura ex propagatione primi parentis hæreret, non esset ullus locus afflictioni. Afflictus quidem est, & filius DEI, quamuis innocens, & nulla prorsus peccati labe sordidatus, sed afflictus est spontanea assumptione, ut peccatum

catum noſtrum expiaret. Nam ſi libuiſſet ei, licuiſſet etiam abſque omni afflictione uitam agere. Sic & nos eſſemus prorſus ab omni afflictione liberi, ſi non eſſemus peccato obnoxij. Nunc autem, quia obruti ſumus peccato, immittuntur nobis afflictiones diuinitus, ut per eas de peccato admoneamur, & remedium quæramus. Quare, etſi mundus iniuſte graſſatur in eccleſiam ſeu homines pios, nec debemus iniuſticiam & crudelitatem mundi approbare, ſed innocentiam noſtram, quoquo modo licet, tueri, tamen fatendum nobis eſt coram DEO, quòd ſi DEVS uellet iniquitatem auariciæ noſtræ, natura nobis inhærentis, obſeruare, longe maiora & grauiora ſupplicia, quàm quæ in præſentia nobis accidunt, meriti eſſemus. Hæc cò nobis recitantur, ut quicquid afflictionum acciderit, ſiue coram mundo iuſtè, ſiue iniuſtè, humiliemur ſub potenti manu DEI, & feramus crucem, diuinitus impoſitam, obedienter, ac dicamus cum Dauide: Si iniquitates obſeruaueris DOMINE, DOMINE, quis ſuſtinebit? Sed apud te eſt propiciatio. Et cum Paulo: Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus. Deinde, cum ait: Abit uagus in uia cordis ſui, exponit magnitudinem humanæ corruptionis & prauitatis. DEVS enim iraſcitur & affligit homines hoc conſilio, ut agnoſcant peccatum, & quærant peccati remiſſionem, atque abſolutionem. Sed homines ita corrupti ſunt, ut quo grauior eſt ira DEI & afflictio, eo fiant ipſi prauiores, & longius DEVM fugiant. Cum Adam peccaſſet, & audiret uocem DEI irati, non conuertit ſe ad DEVM, ſed abit uagus in uia cordis ſui, fugit, & abſcondit ſe à facie DEI. Cain reprehenſus propter fratricidium, & audiens maledictiones DEI, non reuertitur ad DOMINVM, ſed abit uagus in uia cordis ſui, Dicit maiorem eſſe iniquitatem ſuam, quàm ut ueniam mereatur, ac fugit à facie DOMINI. Hoc ingenium propagatum eſt in uniuerſum humanum genus, ut quotquot iram DEI ſentiunt, & ſuæ naturæ relinquuntur, abeant uagi in uia cordis ſui, & fugiant DEVM, ac fiant ſubinde prauiores. Hæc diligentiſsimè ſunt conſideranda, ut ſi qui in ira DEI & afflictione conuertuntur ad DOMINVM, agnoſcant hanc conuerſionem non eſſe opus humanæ naturæ, ſed gratuitæ DEI clementiæ, & ferant eam acceptam non meritis noſtræ iuſticiæ, ſed liberalitati diuinæ bonitatis. Vias eius, inquit, uideo, & ſano eum, & reduco eum, & reddo ei, & luctui ſeu dolori eius conſolationes. hoc eſt. Etſi ego optimo conſilio immitto populo meo afflictiones, tamen natura ita deprauatus eſt, ut afflictionibus peior fiat. Quare, cum uideam eum in uijs ſuis ſubinde magis magiſque aberrare, miſeret me calamitatis eius, & confero in eum ſalutem meam, nullo plane ipſius merito, ſed ex mera mea clementia & bonitate. Vnde Hieremiæ capite trigeſimo primo dicitur: Conuerte me, & conuertar, quia tu DOMINVS DEVS meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Etſi enim apud eundem Prophetam capite decimo-

quinto dicitur: Si conuerteris, conuertam te. Et Zachariæ capite primo. Conuertimini ad me, & conuertar ad uos, dicit DOMINVS Zebaoth: hoc tamen non est intelligendum, quòd homo possit se suis ipsius uiribus conuertere ad DOMINVM: Supra enim ostensum est, quòd homo relictus suis uiribus, abeat uagus in uia cordis sui, & magis magisque à uero aberret, Sed cohortatio est, qua monemur, ut uocanti DOMINO ad conuersionem, præbeamus nos obedientes. Quæ tamen obedientia non nascitur in uiribus humanæ naturæ, sed est gratuitum donum Spiritus sancti. Nos enim sumus delictis MORTVI, ut Paulus ait. Quemadmodum autem Lazarus mortuus non potuit seipsum uiuum reddere, & in sepulchro erigere, sed excitatus potentia uocationis filij Dei, surrexit à mortuis: ita nullus hominum potest seipsum excitare à peccatis ad uitam iusticiæ, sed necessaria est potentia diuinæ uocationis, cui uoluntas hominis, spiritu sancto conuersa, obsequatur. In hoc est Caritas DEI, inquit Ioannes, non quòd nos dilexerimus DEVM, sed quòd ipse dilexerit nos, & misérit Filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Et Paulus: Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri, sed DEVS, qui diues est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus MORTVI per delicta, conuiuificauit nos unà cum CHRISTO &c. Quare, cum conuersi ad DOMINVM, agnoscimus filium eius per fidem, non gloriemur de nostra uirtute, sed acceptam feramus salutem nostram soli diuinæ clementiæ, & declaremus nos erga DEVM honestate uitæ nostræ gratos, ne quod immerito accepimus, ab ingratis auferatur. Præterea docet modum, quo sanet & reducat populum suum, ac reddat ei in luctu, in afflictione, consolationes, cum ait: Creo sermonem labiorum. Hoc intelligendum est de institutione ministerij prædicandi Euangelij in toto orbe terrarum, cum uidelicet ad Apostolos dictum est: Ite in uniuersum mundum, prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit &c. Etsi enim homines conuertuntur ad DEVM, & seruantur sola spiritus sancti operatione, utitur tamen spiritus sanctus externi ministerij cooperatione, ut quemadmodum in agricultura incrementum solius DEI est, plantatio autem & rigatio organa sunt, quibus DEVS incrementum suum effundit, ita in seruanda Ecclesia, salus sit solius DEI Patris & DOMINI nostri Iesu Christi, ac Spiritus sancti, conferatur autem salus organo sermonis labiorum, seu ministerij prædicandi Euangelij. Euangelion (inquit Paulus) potentia Dei est ad salutem omni credenti.

Nam quo ordine DEVS conferat hominibus salutem suam, describit Paulus ad Romanos capite decimo luculenter. Quisquis, inquiens, inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo igitur inuocabunt eum, in quem non credunt? Quomodo credent ei, de quo non audiunt? Quomodo audient absque prædicante? Quomodo

modo prædicabunt, nisi missi fuerint? Et mox: Ergo fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Habes in conferenda salute, Primum esse Missionem Dei. Secundum, Prædicationem. Tertium, Auditum. Quartum, Fidem. Quintum, Inuocationem. Hinc sequitur postremo, Salus. Quod uidetur quidem simplex dictum esse, sed latissimè patet. Cum enim DEVS ordinauerit & consecrauerit ministerium prædicandi Euangelij, in organon conferendæ salutis suæ, manifestum est, quòd nec Thalmudistæ, nec Mahumetistæ consequuntur salutem, quia non audiunt Euangelion Christi, nec audire uolunt, & si audierint, contemnunt. Manifestum etiam est, quòd hypocritæ, qui neglecto aut contempto ministerio Euangelij, expectant de cœlo illapsum spiritus sancti, spe sua frustrentur. Manifestum quoque est, quòd cultores Missarum Pontificiarum à salute sint alieni, quia Missa Pontificia non est prædicatio Euangelij, sed habetur tantum pro Oblatione aut sacrificio, & Interim prohibetur, ne id quod in cœna dominica præcipuum Euangelion est, publicè, & lingua uulgo nota recitetur. Itaque hi cultores pollicentur sibi salutem, non per auditum prædicationis Euangelij, sed per alienam & occultam murmurationem. Cum autem, non murmuratio Missalis, sed prædicatio Euangelij sit instituta in organon conferendæ salutis, & illi contemnunt Euangelij prædicationem, dubium non est, quin salute destituantur.

Postremo duos facit hominum ordines, quorum hi consequuntur fructum sermonis labiorum, qui fructus est PAX, illi autem non consequuntur. Vnus ordo est Piorum, qui sermonem Euangelij fide accipiunt. Pacem, pacem, inquit, ei qui longe est, & ei qui prope. Euangelion enim affert & donat æternam pacem, ueram uidelicet reconciliationem cum DEO, & cœlestem fœlicitatem omnibus hominibus, sine personarum respectu, siue Iudæis, siue Gentibus, siue Circuncisis, siue incircuncisis, quotquot ipsum fide accipiunt. Prædicate, inquit, Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit, uidelicet siue Iudæus, siue Ethnicus, saluus erit. Et Paulus. Euangelion est potentia Dei ad salutem OMNI credenti, Iudæo primum, simul & Græco. Ac iterum. Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem est DOMINVS omnium diues in omnes inuocantes se. Alius est ordo Impiorum. Hi Euangelion non agnoscunt. Quare non solum non consequuntur pacem & tranquillitatem, uerumetiam necesse habent perpetuis procellis ac fluctibus iactari. Etsi enim impij uidentur in summa esse tranquillitate, dum DOMINVS nondum reuelauerit iudicium suum: Dicunt enim in corde suo: Non mouebor à generatione in generationem, sed ero sine malo. Et: Oblitus est DEVS, auertit faciem suam ne uideat in finem. Et supra capite uigesimo octauo dicũt: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non ueniet super nos &c. tamen Psalm. 9.

reuelante DOMINO sententiam seueri sui iudicij aduersus impios, non possunt amplius consistere, sed horroribus mortis & inferni irritantur, ut non proijciant, nisi horrendas execrationes, & summas blasphemias aduersus DEVM & homines, ac intereant perpetuo cruciatu. Hoc illud est, quod alias simpliciter dicitur: Qui non crediderit, condemnabitur. Et: His, qui ueritati non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, & afflictio & anxietas, aduersus omnem animam perpetrantis malum, Iudæi primum simul & Græci. Et iterum: Cum reuelabitur DOMINVS IESVS de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs, qui non nouerunt DEVM, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luunt, interitum æternum à facie Domini, & à gloria fortitudinis ipsius &c. Quare obediamus Euangelio Christi, ne in ordine impiorum comprehensi, perpetuis fluctibus iactemur, sed ut in ordine piorum ueram, cœlestem & æternam pacem habeamus.

CAPVT LVIII.

CLAMA, NE CESSES, QVASI TVBA EXALTA VOCEM TVAM, ET ANNVNCIA POPVLO MEO SCELERA EORVM, ET DOMVI IACOB PECCATA EORVM &c.

Hoc caput continet piam & eruditam explicationem Ieiunij, ac postremo etiam Sabbati. Recitat autem Propheta hanc concionem sic ijsdem uerbis, quibus eam DOMINVS DEVS noster ipsi dictauit. Hoc enim Prophetæ uocabulum proprie significat, uidelicet non eum tantum, qui quæ futura sunt, prædicit, sed etiam eum, qui pro alio, seu alterius nomine aliquid dicit, quem nos solemus uocare Procuratorem, Oratorem, seu interpretem. Vnde in Genesi capite uigesimo, de Abraamo dicitur: Redde uiro uxorem, & orabit pro te, quia Propheta est, hoc est, bonus causarum Procurator, seu Orator. Et Exodi capite septimo, Aheron frater tuus erit Propheta tuus, hoc est, Procurator, Orator, seu Interpres tuus, quem capite quarto uocat Os Mosi. Ipse, inquiens, loquetur pro te ad populum, & erit Os tuum &c. Sic & Esaias est Propheta Domini, quod quæ Dominus ei dictat, & dicere iubet, ea nomine Domini recitet, ac auditoribus interpretetur. Quare Esaias commemorat in hoc capite, iuxta Prophetæ uocabulum, aut potius officium, uerbis Dei, cuius est Propheta, concionem de Ieiunio & Sabbato, ac reprehendit hypocrisin Iudæorum suorum, ut ueram Ieiunij & Sabbati rationem exponat. Ac initio commemorat cohortationem, qua DEVS ipsum ad defungendum suo officio, & recitandam hanc concionem excitauit. Clama, inquit,

Prophet/ein Fürsprecher oder Fürmünder.

Verba

Verba sunt Dei ad Prophetam suum. Iubet autem eum Clamare gutture, hoc est, fortiter, & alta uoce. Vnde & additur: Ne cesses, hoc est, Ne parcas clamori, Non clames remisse, sed intente. Et ut intelligas DEVM hoc serio exigere, Sequitur. Exalta instar Tubæ uocem tuam. Quid ergo est clamandum? Annuncia, inquit, populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum Hæc est descriptio officij Prophetarum, hoc est, eorum, qui uocati sunt ad prædicandum nomine DEI, uerbum eius. Officium enim eorum est, ut non solum doceant, quæ recte & pie fieri debeant, uerumetiam repræhendant quæ praue & impie à populo geruntur, idque faciant exaltatione uocis, & clamore forti. Hoc autem non sic intelligendum est, quòd DEVS exigat indecoram uociferationem, qualis est τῶν σπερμολόγων καὶ μοναχῶν ματαιολόγων. In ecclesia enim omnia debent fieri εὐσχημόνως, ut Paulus ait: Sed quòd exigat publicam, disertam, & confidentem peccatorum repræhensionem. Non uult, ut in repræhendendis sceleribus tecum ipse tremula uoce mussites, ut nemo aut paucissimi, quid dicas, aut uelis intelligant: sed uult, ut clare, perspicuè, & diserte ea quæ repræhensione digna sunt exponas, & refutes. Nec hoc uult, ut quæ occulta sunt, publicè effutias, aut incerta tanquàm certa affirmes, sed ut pro spiritus sancti prudentia, occulta, occulte, publica, publicè arguas. Ac dicit quidem Paulus: Eos, qui peccant coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Quod certe intelligendum est, de peccatoribus Notorijs, quos ita uocant, non de ijs, quos fortassis calumniatores diffamarunt, aut quorum scelera nec sunt publicè nota, nec probata. Et iterum dicit Paulus: Prædica sermonem, insta opportune, importune, argue, increpa. Sed mox addit, Exhortare cum omni lenitate, & doctrina. Et aliàs. Seruum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos, qui obsistunt, si quando det illis DEVS pœnitentiam ad agnoscendam ueritatem &c. Quare, ut officium ministrorum ecclesiæ est, scelera fortiter repræhendere, ita etiam officium eorum est nihil incertum, pro certo affirmare, nihil occultum diuulgare, ac diligenter cauere, ne repræhensio sit aut calumnia, aut contumelia. Ethnicus quondam Poeta dixit:

Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de uitijs.

Curent igitur ministri ecclesiæ, ne prophanus Poëta prudentius suos libellos scribat, quàm ipsi sacras suas conciones habeant. Adscribam & huc Augustini uerba, si quem fortassis delectat de hac re sententiam eius uiri audire, qui in administranda ecclesia multis admodum annis uersatus est. Consuetudo, inquit, mala, non aspere, non duriter, non modo imperioso, tollatur, sed magis, docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum &c. Sed hæc de hoc argumento nunc sufficiant, Nos ad

Tom. 2.

Esaiam reuertemur. Audiamus ergo, quæ sint illa scelera & peccata pō puli Dei, quæ alto clamore seu publicè & clare adnunciare, ac reprehendere debeat. Sequitur. Me etenim indies quærunt, & scire uias meas uolunt &c.

Hæc est narratio hypocriseos Iudæorum. Si quid aduersi uel futurum timebatur, uel iam in præsentia incidisset, suscipiebant ieiunia, aliquot diebus, usque ad uesperam, & alia quædam sacra, quorum merito sperabant se mitigaturos iram DEI, ut fœlicem uitam transigerent. Quòd si uero aduersa nihilominus ingrauescerent, mirabantur, quòd DEVS sufferret, ut ipsis tam religiosis, tam deuotis, & tam iustis hominibus, tot ac tantæ calamitates acciderent. Me, inquit, indies quærunt. Cum post ieiunia ipsorum adhuc affliguntur, non desinunt aduersum me murmurare. Omnino scire & cognoscere uolunt, quæ sint uiæ meæ, quæ mea consilia, quòd conniueam ad ipsorum afflictiones. Et adeo impudentes sunt, ut rogent me iudicia iusticiæ, ut audeant mecum expostulare, & iudicio contendere, perinde ac si essent gens sancta, quæ omnem iusticiam compleat, & legem DEI sui nunquam uiolent, ego uero iniustus & crudelis essem, quòd permittam, ut immerito affligantur. Ieiunamus, inquiunt, sed tu non aspicis nos, non liberas nos ab afflictionibus nostris. Affligimus animas nostras fame, & tamen ita te erga nos geris, quasi ignores, aut non requiras, quantam crucem ad gloriam nominis tui, & ad testificandam nostram iusticiam suscipiamus. Hæc est perspicua descriptio ingenij impiorum hypocritarum. Primum enim murmurant aduersus DEVM in calamitatibus suis, & tantum non accusant DEVM seu iniusticiæ seu crudelitatis, quòd sinat ipsos immerito affligi. Existimant enim se iustiores, quàm qui debeant tot ac tantis ærumnis obnoxij esse. Deinde obtrudunt DEO sua bona opera pro uera & perfecta iusticia. Postremo faciunt quidem opera quædam à DEO ordinata & instituta, sed faciunt ea sine pœnitentia, & mutant legitimum eorum usum in alium finem, quàm in quem à DEO ordinata sunt, quia transferunt in ipsa honorem soli Christo filio Dei debitam. Huius generis opera sunt, Ieiunium, Sacrificia, Oratio, Obseruatio dierum festorum, Eleemosyna, & alia. Nam Ieiunium, siue illud publicum ac politicum, siue priuatum ac spirituale, suam habet laudem & usum, diuinitus commendatum, uidelicet ut publico ieiunio admoneamur de præsenti ira Dei, & reddamur aptiores ad auditum uerbi Dei, & ad preces. Quale fuit ieiunium Niniuitarum, & regis Iosaphat. Priuato autem, ut coërceamus sobrietate carnem, & reddamus eam diuina uirtute obedientem spiritui. Ieiunium uero hypocritarum, quale nam est? Primum ieiunant sine pœnitentia, quia non agnoscunt grauitatem suorum peccatorum, sed sentiunt se iustos, aut si quid peccauerint, existimant se expiare peccata meritis suæ iusticiæ. Nec agnoscunt officium Christi, sed contemnunt Euangelion eius. Putant enim se non indigere iusticia Christi, quippe quòd satis iusticiæ ex suis ipsorum operibus sibi parare queant. Nec faciunt dignos fructus pœnitentiæ & fidei, quia in ieiunio retinent sua odia, suam inuidiam, suam auariciam, & innumera

alia

alia uitia. Quare ieiunant sine pœnitentia, ideoque ieiunium eorum est coram DEO abominabile. Deinde transferunt maiestatem Christi in opus ac meritum ieiunij sui. Maiestas enim Christi est, quòd ipse solus sit placator iræ Dei, & meritum iusticiæ nostræ coram DEO. Hypocritæ autem sentiunt se opere ieiunij sui placare iram Dei, & mereri iusticiam coram Deo, aut ut μεταξυσαὶ, noui φρενατάκαι somniant, applicare sibi meritum Christi. Ieiunium igitur hypocritarum non solum non est pium, uerumetiam contumelioſum est in DEVM. Idem dicendum est de Sacrificijs, de precibus, de obseruatione dierum festorum, de eleemosyna, ac alijs id genus operibus. Hæc enim opera suos habent fines, suos usus à DEO definitos, nec placent DEO, nisi fiant à uere pœnitentibus. Sed hypocritæ nec uere pœnitent, nec obseruant fines à DEO propositos, sed transgrediuntur eos, & fingunt alios fines, ac præsertim hunc, quòd sentiant meritis horum operum placari iram DEI, & parari iusticiam coram DEO. Quod cum sit impijssimum, & coram DEO abominabile, manifeste sequitur hypocritas eo ipso esse coram DEO sceleratissimos, quo reputant se honestissimos.

Sed audiamus concionem Prophetæ de ieiunio. Postquam enim reiecit sententiam impiorum hypocritarum de ieiunio suo, suscipit tale ieiunium refutandum & damnandum. Ecce, inquit, in die ieiunij uestri, inuenitur uoluntas uestra. Ieiunium tunc DEO placet, cum feceritis uoluntatem Dei. Facere autem Dei uoluntatem, est resipiscere à peccatis, & facere fructus dignos pœnitentiæ. Quare nisi quis resipiscat, & agat pœnitentiam, ieiunium eius non placet DEO. Hypocritæ autem, cum ieiunant, intantum non faciunt uoluntatem DEI, & non resipiscunt, ut potius suam ipsorum uoluntatem, & sua uetera peccata eo ipso die, quo ieiunant, sectentur & impleant. Ad resipiscentiam enim seu pœnitentiam pertinet, ut pauperem debitorem tuum non graues, nec opprimas. Nam hoc est caritatis officium, ut quod tibi pauperi non uis fieri, alteri ne facias, & ut diligas proximum tàm diuitem quàm pauperem, sicut teipsum. Ecce autem, eo die, quo ieiunatis, repetitis omnes debitores seu labores uestros. Si cui uel pecuniam, uel frumenta, uel alia uestro labore parta crediderit is, ea tanta importunitate & duritia à debitoribus uel publicè coram iudice, uel priuatim exigitis, ut uideatur, uos non in alium usum ieiunare, quàm ut cum debitoribus uestris litigetis, & contendatis. Totum enim fere diem, quo ieiunatis, nihil aliud agitis, quàm ut uacetis exactioni debitorum, accusationibus, contentionibus & litibus forensibus, & ut duriter atque crudeliter tractetis reum. Quod cum sit inhumanum, & contra officium caritatis, non est uobis sic ieiunandum, ut eo præcipuè die, quo ieiunatis, tam graues & molesti sitis egenis & miseris debitoribus, uel ut audiatur publicè importuna uestra uociferatio, qua debitum exigitis, uel ut audiatur clamor debitorum in excelso, seu publicè, seu in cœlo, contra uestram crudelitatem. Clamorem enim eorum, qui à duris & immitibus fœneratoribus affliguntur, ad cœlum usque sonare, testatur scriptura Deuteronomij capite decimoquinto & uigesimo quarto. Ne clamet, inquiens, contra te ad DOMINVM, & fiat tibi in peccatum.

Quid? Num huiusmodi ieiunium mihi placeret? Num existimatis hoc esse ieiunium mihi gratum, si quis certo aliquo & toto die affligat animam suam, abstinentia à cibo, & incedat demisso, ac instar hami seu iunci curuato capite, & cubet induto sacco in puluere? Num putas hoc esse coram Deo uere ieiunare? Nihil certe minus. Habes quod ieiunium Deo displiceat, uidelicet si quis, cùm abstineat se à cibo per totum diem, & incedat tetricus, ac sedeat sacco indutus in cinere & puluere, non agit ueram pœnitentiam, sed pergit esse in Deum impius, & in proximum crudelis. Etsi enim abstinentia à cibo, incessus humilis, & uestitus abiectus habent suum suis temporibus usum, tamen si usurpentur absque pœnitentia, hoc est, uera peccati agnitione, uera fide in filium Dei, & ueris fructibus fidei, magis sunt impietatis opercula, quàm pietatis opera. Eodem modo iudicandum est de Sacrificijs, de precibus, de eleemosyna, de dierum festorum obseruatione. Quo mihi, inquit alibi, multitudo uictimarum uestrarum? Et mox: Neomeniam & sabbatum & alias festiuitates non feram. Ac rursus: Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis &c. Et additur ratio: Quia manus uestræ plenæ sunt sanguine. De eleemosyna autem dicit Paulus: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quòd si in præstanda eleemosyna exigitur tanta seueritate caritas, quæ est fructus pœnitentiæ, quanta obsecro seueritate exigitur fides, quæ est pars pœnitentiæ? Fides autem non est, sed infidelitas, si quis sentit sese merito eleemosynæ suæ uel placare iram Dei, uel applicare sibi placationem per Christum impetratam. Sed de eleemosyna alibi. Nunc de ieiunio pergemus. Audiuimus, quòd ieiunium Deo displiceat. Nunc audiamus, quòd ei placeat. Sequitur enim. Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi, Dissoluere colligationes impietatis &c. Recitat ueros fructus pœnitentiæ, ut doceat, ieiunium tum demum Deo placere, cum uera agitur pœnitentia. Non recitat autem opera primæ tabulæ de fide & dilectione Dei, propterea quòd alibi copiose ea exposuerit, & impietatem ac idolatriam populi reprehenderit, sed recitat tantùm opera secundæ tabulæ seu opera Caritatis, quòd in hac concione, cum non possint omnia simul dici, hoc tantum argumentum tractandum suscepisset.

Kerffhölzer/ Kerffeedel.

Primum est, Dissoluere colligationes rei seu debitoris, Soluere fasciculos iugi, seu oppressionis, Dimittere liberos eos, qui sunt confracti seu contriti, adeoque omne onus, omne iugum dirumpere. Hæc omnia dicuntur de literis debitorum, de chirographis, de libellis rationarijs, de Registris, de ligneis bacillis, quos dicas uocant, & de alijs id genus rebus, quibus Creditores aut Fœneratores tenent sibi debitores obnoxios & obstrictos. Hæ enim sunt colligationes, hi sunt fasciculi, hæc sunt iuga, quæ pauperes debitores ita premunt, ut non solum de reliquis suis facultatibus, uerumetiam de libertate corporis, & totius familiæ suæ periclitentur. Docet igitur Propheta, quòd si quis uelit piè ieiunare, debeat ueram agere pœnitentiam, ac ueros fructus pœnitentiæ proferre. Inter eos autem fructus non postremum locum obtinet syncera caritas in proximum, cuius caritatis opus est, ut non graues pauperem debitorem dura exactione, sed ut disrumpas Registra, literas,

literas, chirographa, dicas, libellos Rationarios, & quicquid est harum rerum, quibus tu eum obstrictum tenes, & remittas ac condones ei debita, quo graui suo onere liberetur. Quid ergo dicemus? An non licet homini pio debita sua iuxta literas aut Registra debitorum exigere, sed necesse habet Registra disrumpere, & debita remittere? Vbi ergo manent contractus, ubi pacta, ubi conuenta? Hîc initio faciendum est discrimen inter debita, deinde etiam inter debitores. Nam si debitum fuerit iniustum, ex iniusto contractu, ex illegitimis usuris, res ipsa docet, & ueritas pœnitentiæ exigit, ut tale debitum remittatur. Si quem defraudaui, inquit Zachæus, reddo quadruplum. Et uera est sententia Augustini, Peccatum non dimittitur, nisi ablatum, cùm fieri potest, restituatur. Quomodo enim ueram ages delictorum pœnitentiam, si pergas furtum retinere? Quòd si iniuste ablatum restituendum, aut pro eo satisfaciendum est, profecto remittendum etiam est, quod iniuste & illegitime debetur. In Hieremia capite trigesimo quarto, dimittuntur serui Hebræi liberi, quòd contra legem seruitutis subiecti fuerant, Sed postquàm retrahuntur in seruitutem, minatur DOMINVS Regi & Principibus eius, non tantum captiuitatem, uerumetiam urbis & regionis deuastationem. Quo exemplo docemur, quòd quæ iniustè & illegitimè exiguntur, afferant secum præsentem internecionem. Quod autem debitum iustum, uel ex commodato, uel ex iusto & legitimo contractu fuerit, ibi habenda est ratio debitoris. Nam si debitor fuerit soluendo, licebit pio homini, iuxta pacta, literas, chirographa, & alia νομικὰ, debitum exigere. In quem enim usum magistratus & leges diuinitus essent institutæ, si pio homini non liceret ijs uti? Narrant olim amicum amico pecuniam commodato numerasse, sed creditorem exegisse ab altero chirographum, quo se pecuniam accepisse testetur. Cùm autem amicus admiraretur, sibi non tantum fidei apud amicum esse, ut pecuniam absq; chirographo crederet ipsi, & quasi expostulando diceret: Hui tam νομικῶς? Respondisse alterum ferunt: Recte sane. Nam chirographum exigo νομικῶς, ut pecuniam recipiam φιλικῶς. Prudens admodum responsum, quo significatur, quòd ad conseruandam concordiam inter emptores, uenditores, & alios negociatores, necessarius sit usus literarum, Registrorum, Dicarum & libellorum. Quòd si uero debitor non fuerit soluendo, nisi exuatur suis facultatibus, & amittat libertatem, ibi certè Caritas exigit, ut quæcunque in tanta necessitate uolueris, ut faciant tibi homines, sic & tu facias illis. Lex Mosi alioquí sic satis dura, (ita enim ferebant eorum hominum mores) in pauperes tamen debitores tam clemens est, ut etsi permittit creditori auferre pignus, tamen, si debitor pauper est (inquit) non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum. Et mox: Non auferes pignoris loco uiduæ uestimentum. Et paulo ante: Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam, quia animam suam apposuit tibi. Si per legem Mosi non licet creditori à paupere pignus auferre, aut si abstulerit, necesse habet ante Solis occasum reddere, quantominus licebit pio homini per legem caritatis, ut debitum, quamuis iustum &

legitimum à paupere, & eo qui non est soluendo, duriter & inhumaniter exigat. Si cui seruus fuerit, non impie faciet dominus, cùm ab eo sano, sed ignauo, seuerius exegerit mediocrem & conuenientem laborem. Sed si seruus fuerit graui morbo affectus, quis non damnaret crudelitatem domini, si ab ipso consuetos labores exigeret? Sic impium non est legitima debita, legitime ab ijs, qui sunt soluendo, exigere. Impium autem, & crudele est, egenos exactione debiti ita grauare, ut de omnibus reliquis fortunis suis, ac etiam de uictu, de libertate periclitentur. Recte enim à ueteribus dictum est: Summum ius, summa sæpe iniuria est. Quare licet pio homine, in exigendis debitis ius suum ita persequi, ut tamen interea non obliuiscatur officiorum caritatis, cùm ille debeat quidem tibi pecuniam, aut frumenta, tu autem debeas ei uicissim Caritatem, seu dilectionem, quam Apostolus dicit esse legis consummationem. Hæc quidem de Creditoribus dicta sunt. Vicissim autem considerent Debitores, quod ipsorum sit officium. Non enim idcirco licet ipsis ignauis & cessatoribus esse, quòd Creditores iubentur meminisse Caritatis, & disrumpere Libellos ac Registra, sed sciant de ipsis dictum esse apud Matthæum: Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es cum illo in uia, ne quando te tradat aduersarius iudici, & Iudex tradat te ministro, & conijciaris in carcerem &c. Et apud Paulum: Reddite omnibus, quod debetur. Cui tributum, tributum, Cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc ut inuicem diligatis &c. Non applaudat igitur Debitor suæ cessationi doctrina Creditori tradita, sed potius consideret suum officium, & det operam, quo ad eius fieri potest, ut quod ciuiliter debet, ciuiliter etiam persoluat, habeatque pacem cum omnibus, non creditoribus tantum, sed etiam alijs hominibus.

Secundum est, Frangere seu distribuere esurienti panem. Egenos, afflictos, uagos, extorres, exules, introducere in domum, seu hospitio excipere, & Nudum uestire. Sunt & hæc opera Caritatis, quæ ad ueram pœnitentiam necessaria sunt. Pius enim omnino rationem habere debet pauperum & miserorum hominum. Sic & Iob enumerat opera pij. Si negaui, quod uolebant, pauperibus, & oculos uiduæ expectare feci. Si comedi buccellam solus, & non comedit pupillus ex ea. Et mox: Si despexi prætereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de uelleribus ouium mearum calefactus est &c. Et Ioannes Baptista: Qui habet, inquit, duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Et prima Ioannis capite tertio: Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo caritas DEI manet in eo?

Iob. 31.

Tertium. Carnem suam non despicere, uel, A carne sua se non abscondere. Carnem nostram uocat in præsentia, non carnem nostri ipsorum corporis, sed cognatos, consanguineos, propinquos, adeoque proximum quemque. Siue enim originem nostram respicimus, ab uno parente,

uno parente, Adamo, & postea, Noha descendimus omnes, Siue consideramus peccatum, omnes sumus peccato obnoxij, Siue intuemur afflictiones, unusquisque nostrum ijsdem malis, quibus alterum uidet afflictum, obnoxius est. Itaque haud immerito una omnes caro dicimur. Sed hoc cognomen excitare nos debet, ut nullus proximum suum contemnat aut fastidiat. Nullus auertat uultum suum à proximo, quem uiderit egenum, afflictum, & miserum. Quem enim uides algere, dolere, esurire, sitire, morbis afflictari, tua caro est. Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est. Admoneamur igitur ex aliorum miseria, de nostris ærumnis, & excitemur ad commiserationem, ut egenis & afflictis, quo possumus officio, benefaciamus.

Sed dices: Quid? Si caritas exigit, ut remittam debitoribus debita, & distribuam egenis mea frumenta, & aperiam meam domum in hospitium hominum exulum & uagorum, ac largiar nudis mea uestimenta, quid mihi ad sustentandam uitam, & ad depellendam esuriem familiæ meæ reliquum erit? Miserrimus & pauperrimus omnium fiam, necesse est, si ad hunc modum distribuendæ erunt facultates meæ, Hæ quidem sunt incredulæ carnis cogitationes. Hi sunt humanæ diffidentiæ tremores. Sed spiritus sanctus longe aliud sentit, docet, & promittit. Cùm igitur audiuerimus mandata Dei de iuuandis egenis, & officia Caritatis, audiamus nunc promissiones Dei, quibus Deus se hæc officia compensaturum recipit.

Tunc erumpet quasi aurora lumen tuum. In aurora incipit se lux solis ostendere, ac subinde clarius emergere, donec dies fiat clarissimus. Lux autem Hebræo more significat fœlicitatem. Sententia igitur est. Si benefeceris egeno, clarissima erit fœlicitas tua. Eris longe omnium fœlicissimus. Metuis quidem infœlicitatem, si facultates tuas alijs expendas. Sed bene confide, tanta erit fœlicitas tua, ut ea omnibus fiat conspicua, & admiranda. 1.

Sanitas tua citius orietur. Hoc ita legendum est: Incrementum fœlicitatis tuæ statim germinabit, hoc est, fœlicitas tua non differetur in longum, sed mox ita germinabit, ut subinde maior & fortunatior fiat. Hoc illud est, quod Deut. cap. uigesimo octauo dicitur: Si audieris uocem Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate, in agro, benedictus fructus uentris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum &c. Benedicta horrea tua &c. 2.

Anteibit faciem tuam iusticia tua. Sic & in Psalmo dicitur. Dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi. Non est autem intelligendum, quòd merito horum operum reputemur coram Deo iusti, nisi si ea perfecte, sine omni uitio, iuxta legem Dei faceremus, sed quòd qui hæc caritatis opera ex fide facit, habet coram Deo perpetuum testimonium iusticiæ, quam possidet in Christo filio Dei per fidem. Quo etiam respicit illud in Euangelio: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. 3.

Gloria Domini colliget te, hoc est, Deus conseruabit te glorioſe 4.

& admirabiliter in omnibus tuis ærumnis & aduersis. Psal. trigesimo sexto. Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur &c. Et Psal. 40. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Et Prouerb. 28. Qui dat pauperi, non indigebit.

Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, Clamabis, & dicet: Ecce adsum. Promittitur etiam benefactoribus pauperum exauditio precum. Dicit enim Salomon Prouerb. xxi. Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur. Ergo qui aperit aurem ad pauperis clamorem, exaudietur & ipse cùm clamauerit. Et Eccles. xxix. Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hęc pro te exorabit ab omni malo. Nec hoc intelligendum est, quòd opus caritatis impetret merito suo exauditionem. Nisi enim ex fide Deum inuocaueris, nullum caritatis opus exauditionem impetrabit, sed intelligendum est, quòd qui ex uera pœnitentia, ac fide benefacit proximo, habet testimonium conscientiæ, se in Dei uocatione ambulare, & quia non peccat contra conscientiam, posse confidenter Deum precibus suis accedere, & exauditionem sperare, non fiducia sui operis, sed tantum fiducia Domini nostri Iesu Christi, propter quem solum preces nostræ à Deo exaudiuntur.

Cæterum ut Propheta promissiones de compensatione officiorum caritatis clarius exponat, repetit ea officia, Si abstuleris, inquiens, de medio tui catenam, hoc est, si aboleueris ea onera & grauamina, quibus tibi pauper deuinctus est. Et si desieris extendere digitum, & loqui mœrorem, hoc est, exerto digito minari afflictis debitoribus mœsta, dura, & crudelia. Et si effuderis esurienti animam tuam, uel cibaueris eum hilariter, ex animo, & liberaliter, & afflictam animam satiaueris, ijs uidelicet, quibus indiget. Hęc, inquã, si feceris, quid, putas, tibi fiet? Sequitur.

Das hertz mittheilen.

1. Orietur in tenebris lux tua, hoc est, In media infœlicitate (quæ per tenebras significatur) continget tibi fœlicitas. Et repetitur eadem sententia eadem metaphora, non autem ijsdem uerbis. Erit caligo tua sicut meridies, hoc est, infœlicitas tua mutabitur in clarissimam & illustrissimam fœlicitatem.

Requiem tibi dabit, aut Deducet te Dominus semper. Dominus erit in omni instituto tuo dux, tutor & protector tuus. Apud Dominum, (inquit Psalmus) gressus hominis (benefici) dirigentur, & uiam eius uolet. Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

3. Implebit splendoribus animam tuam. Pro splendoribus, lege, siccitatibus. Et est sensus: In siccitate, uel in rerum penuria, & caritate, saturabit te Dominus. In diebus famis, inquit Psalmus, saturabuntur. Et Prouerb. decimo: Non affliget Dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet.

4. Ossa tua liberabit, aut saginabit, seu impinguabit, & reddet ea robustiora, ut cùm alij præ fame contabescant, tu robustis membris, uelut armatus

armatus & ad bellum accinctus incedas. Prouer. xi. Anima, quę benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur.

Eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Sicut horto irriguo nunquàm penè, suis temporibus deest fructus, nec perenni fontis scaturigini aqua: ita benefico & liberali in egenos nunquàm deerit nec cibus nec potus. 5.

Aedificabuntur in te deserta seculorum &c. Hoc sic transferendum erat. Aedificabuntur de te deserta mundi, excitabis fundamenta eorum, quæ à generatione in generationem interrupta fuerunt. Vocaberis instaurator rupturæ, Restitutor semitarum, ut quiete habitetur. Hæc omnia significant beneficum & liberalem in pauperes tam fœlicem fore, ut familiam suam iamdiu obscuratam & collapsam instauret ac illustret, ac reportet nomen Instauratoris patriæ seu familiæ suæ. Homines huius seculi existimant eum, qui confert opes suas liberaliter in egenos, magnam facere bonorum iacturam, quæ sit incommodo non liberis tantum, & hæredibus, uerumetiam uniuersæ familiæ suæ. Sed spiritus sanctus habet longe aliam sententiam. Dicit enim munificum in egenos intantum non afferre detrimentum familiæ suæ, ut potius Dominus liberalitate eius excitatus familiam eius ante multa secula collapsam, iterum instauret, ac dignitate, autoritate, & opibus illustrẽ reddat. Vides igitur, non auariciam, sed liberalitatem in egenos, non Impostura, sed Eleemosynas efficere familias ditiores, digniores, & illustriores. 6.

At enim, prolixæ quidem sunt hæ promissiones, quas Propheta commemorauit, conditiones autem adiectæ, grauissimæ sunt. Si (inquit) dissolueris fasciculos deprimentes, & dimittas eos, qui confracti sunt, liberos, ac omne onus disrumpas. Et mox: Si fregeris esurienti panem tuum, & animam afflictam repleueris: Quibus uerbis exigitur, ut egenis, non solum debita remittamus, uerumetiam nostras opes, quas adhuc possidemus, impendamus, ac non tantum non exigamus ea, quæ nobis ipsi debent, sed etiam numeremus eis adhuc plura ex nostris opibus, ne quid rerum necessariarum eis desit. Et hæc beneficia præstanda sunt, non amicis tantum, sed etiam inimicis. Inimicis inquam, & ijs, qui tibi malefaciunt, debes hoc officium, ut cognita egestate eorum, non solum non exigas ab eis, quod tibi debent, uerumetiam de tuis rebus egestatem eorum sustentes, ut non addam, quòd & sanguinem & animam tuam eis debeas. Hoc enim sibi uult uera proximi caritas. Hoc exigit lex Domini, quæ iubet Deum ex toto corde, & proximum, sicut seipsum diligere. Quis autem hominum natura sua hæc unquam præstitit, aut etiam præstare potuit? Homo tam deploratæ corruptionis est, ut uix ab eo impetrare queas, quo ex animo benefaciat benefactori, & rependat acceptum beneficium amico, tantum abest, ut benefaciat malefactori, & exponat, condonato debito, opes suas inimico. Dicemus ne ergo, has prolixas promissiones frustra recitari, quòd nullus hominum sit, qui adiectas conditiones, perfecte, suis operibus, absque omni uitio seruare queat? De hac igitur re pauca quædam dicemus, ut cognoscamus, promissiones Dei non esse nec uanas, nec irri-

tas, etiamsi adiectæ conditiones sint carni factu impossibiles. Nam si hanc concionem intelligas νομικῶς, uidelicet secundum Legis sententiam, certissimum quidem est, quòd si remiseris pauperi debita, & effuderis ei animam tuam, consequêris omnem illam benedictionem, quæ promissionibus antea commemoratis proposita est. Sed quia hæc caritatis opera exiguntur â lege, tam perfecta, ut omni careant uitio, & oriantur è perfecta dilectione Dei, nullus autem hominum habeat perfectam dilectionem Dei & proximi, dubium non est, quin lex Dei congerat in hominem pro benedictione maledictionem. Dicit enim: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus sermonibus huius legis. Si autem intelligas hanc concionem εὐαγγελικῶς, uidelicet iuxta sententiam Euangelij, manifestum est, quòd habeamus condonationem peccati propter filium Dei, & donemur ac ornemur iustitia eius per fidem, per quam accipimus etiam spiritum sanctum, qui etsi non mutat carnem nostram in spiritum, ut omnia opera legis in hoc seculo perfecte faciamus, tamen largitur uires, ut compescamus carnem, & legi Dei aliquo usque obediamus, ac proximo officia caritatis præstare studeamus. Quæ obedientia, quod studium, non quidem perfecte satisfacit legi Dei, per se, sed quia reputamur iusti propter CHRISTVM, & imputatur nobis iustitia CHRISTI per fidem, idcirco DEVS agnoscit hæc caritatis officia, & solet ea ijs beneficijs, quæ promissionibus antea recitatis continentur, rependere. Et tamen in his, de bonorum operum remuneratione, promissionibus, non est obliuioni tradendum, quòd ea sit conditio regni CHRISTI, ut etsi pio & munifico erga pauperes non contingit remuneratio corporalium bonorum in hoc seculo, contingat tamen ei remuneratio spiritualium & æternorum bonorum in futuro seculo, in regno Dei. Quare pij nullam plane faciunt iacturam suarum rerum, quòd cùm non rependantur eis ab hominibus in hac corporali uita, rependuntur tamen eis longe omnium copiosissime â Deo Patre nostro, in cœlesti regno.

Conciuncula de Sabbato.

SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TVVM FACERE VOLVNTATEM TVAM IN DIE SANCTO MEO &c.

Quemadmodum Iudæi peccabant praua ieiunij obseruatione, quòd ieiunarent quidem externa cibi abstinentia, sed sine pœnitentia, ita & sine pœnitentia agebant Sabbata. DEVS enim instituerat ocium Sabbati, non quòd corporali ocio per se delectaretur. Et solet ocium hominibus esse multorum malorum occasio. Ocia, inquit ille, dant uitia. Vel, sicut nostræ literæ loquuntur. Multam maliciam docuit ociositas. Et aliâs: Homines nihil agendo, discunt male agere. Quare DEVS non instituit Sabbatum, quod sentiat sibi externo & corporali ocio per se satisfieri, sed alijs de causis.

Primum,

Primum, ut Sabbatum esset monumentum creationis huius mundi. Videbat enim dilatatione Gentium à Diluuio futurum, ut memoria creationis mundi dilaberetur & obliteraretur, ac multos fore, qui ausuri essent impudenter affirmare, mundum hunc, non creatum, sed ab æterno constitisse. Visum igitur est Sabbatum instituere, ut esset publicum ad posteros monumentum, quòd mundus non constiterit ab æterno, sed acceperit initium à DOMINO DEO creatore omnium rerum. Hoc enim sibi uolunt uerba legis, cum in institutione aut potius confirmatione Sabbati additur: Sex diebus fecit DEVS cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et requieuit die septimo. Idcirco benedixit DOMINVS diei Sabbati, & sanctificauit eum.

Deinde institutum est ocium Sabbati, ut reliquis operis intermissis conferretur opera ad audiendum & discendum uerbum DEI, quo uera doctrina de DEO, de timore DEI, de fide in DEVM, de obedientia præstanda DEO, de consequenda uera iustitia, & beatitudine non solum conseruaretur inter auditores præsentis ætatis, sed etiam propagaretur ad posteritatem. Hæ sunt honestissimæ causæ institutionis Sabbati. Sed Iudæis nihil harum rerum curæ erat. Collocabant obseruationem Sabbati tantum in externo ocio. Et si quando uel audiebant conciones, uel sacrificabant, existimauerunt his operibus Sabbato probè satisfactum. Interea temporis nulla habebatur ratio agendæ ueræ pœnitentiæ, ac sectandi uerbi DEI, quod Sabbato adnunciabatur: Sed uel helluabantur, uel transigebant ocium ludo. Alij ne externum quidem ocium obseruabant, sed negociabantur, & dabant operam neglecto omni sacrorum cultu, mercimonijs suis uendendis & emendis, quemadmodum scriptum est Hieremiæ capite decimoseptimo, & Nehemiæ decimotertio. Itaque Sabbatum institutum quidem erat, ut populus eo die disceret facere DEI uoluntatem, ipsi autem pergebant facere SVAM uoluntatem. Institutum erat Sabbatum, ut populus ambularet in DEI uia, ipsi autem pergebant ambulare in SVA uia. Institutum erat Sabbatum, ut populus audiret & seruaret, quæ DEVS loqueretur, & præciperet. Ipsi autem cogebant seruos & ancillas suas audire & seruare, quæ IPSI loquerentur & præciperent. Ac breuiter, nihil minus, quàm uerus Sabbati usus ac finis considerabatur. Quare suscipit Propheta conciunculam de Sabbato habendam, ut exponat, quæ sit uera obseruandi Sabbati ratio.

Primum, Si auerteris, inquit, à Sabbato pedem tuum, ne facias tuam uoluntatem in die sancto meo. Et mox: Si non inuenietur uoluntas tua. Hîc statim significat, quæ sit uiolatio, & quæ sit uera obseruatio Sabbati. Iudæi enim, etsi intermittebant rusticas operas in Sabbato, tamen pergebant facere SVAM, humanam uidelicet, & carnalem uoluntatem. Hæc autem uoluntas, natura sua impia est, & iniqua. Sensus, inquit, & cogitatio humani cordis mala sunt ab adolescentia sua;

Et iterum: Omnis homo mendax. Et: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, ne unus quidem. Et Paulus. Noui (inquit) quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum. Et aliâs dicit Christus. Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem &c. Facere igitur suam, hoc est, humanam seu carnalem uoluntatem, est impie & iniquè facere. Ad ueram autem Sabbati obseruationem exigitur, ut facias, non TVAM, sed DEI uoluntatem. Voluntas Dei est, ut declines à malo, & facias bonum. Voluntas Dei est, ut agnoscas peccatum, & credas peccatum remitti tibi propter promissum Christum, ac obedias uocationi uerbi Dei ex fide. Quare ad ueram Sabbati obseruationem necessarium est, ut agnito ex lege peccato, & concepta ex auditu Euangelij fide, mandatis Dei diligenter obsequaris.

Deinde, Si non facis, inquit, uias tuas. Qualis est, natura, uoluntas nostra, tales etiam sunt uiæ nostræ. Voluntas nostra, impia est, & iniqua. Talis enim facta est, ex peccato originali, sic etiam uiæ nostræ sunt impiæ & iniquæ. Vnde toties hortantur nos Prophetæ, ut desertis uijs nostris, ambulemus in uia Domini. Hieremias ait: Reuertatur unusquisque à uia sua mala &c. Et Ezechiel: Nunquid uoluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non potius, ut conuertatur à uijs suis? Et in Iona: Conuertatur uir à uia sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus &c. Viæ autem Domini sunt bonæ, & rectæ, quia ducunt ad ueram iusticiam, ad ueram uitam, & ad ueram ac æternam fœlicitatem. Et hæ uiæ demonstrantur nobis uerbo Dei, lege uidelicet, qua ducimur in agnitionem peccati, & Euangelio, quo cognoscimus filium Dei, expiatorem peccati, & donamur spiritu sancto, ut uocationi Domini obediamus. Quare, ut Sabbatum recte obserues, necesse habes, uiam tuam, quæ est impietas & iniquitas, deserere, & uiam Domini, quæ est iusticia, uita & salus, ambulare.

Præterea, Si non loquaris, inquit, Tuum sermonem. Hoc respicit ad sermonem, seu præcepta patrumfamilias. Nam in republica Israelitica patresfamilias non id agebant, ut familia obseruaret sermonem seu præcepta Dei, sed ut obseruaret suum ipsorum sermonem & præcepta. DEVS mandabat, ut in die Sabbati familia ociaretur, quo posset dare operam audiendo uerbo Dei, & cognoscendæ ueræ religioni. Patres autem mandabant, ut familia negociaretur, & lucro domini sui studeret. Alium sermonem, alia mandata DEVS, alia Patres suæ familiæ præscribebant. Quid ergo dicemus? Non sufficit, quòd tu paterfamilias ocium agas in Sabbato, & conferas te ad audiendum uerbum Dei, interea autem iubeas familiam operari, & tuum sermonem, tuum præceptum audire, Sed necesse habes tacere, & tuum sermonem non loqui, ut tantum sermo DEI sonet, ac excitet tam te, quàm familiam tuam, ad ueram obedientiam. Sunt autem hæc, quæ hactenus percurrimus, manifesta periphrasis pœnitentiæ. Non enim facere Suam, sed Dei uoluntatem, non ambulare in SVA, sed in Dei uia, non loqui SVVM, sed Dei sermonem,

est

est ueram agere pœnitentiam,& ueram uerbo Dei præstare obedientiam. Quare tum demum uerum agis Sabbatum,cum ueram agis pœnitentiam,& obedienter te subijcis uoluntati uerbi Dei. Sic enim Propheta dicit. Si abstinueris à Sabbato pedem tuum,ut non ambules iuxta tuam uoluntatem,in die sancto, tum uocabitur,tum erit Sabbatum iucundum,quo Dominus sanctificetur,& honoretur. Et Tum glorificas Deum,cum non facis Tuas uias,nec sectaris Tuam uoluntatem, nec loqueris Tuum sermonem. Itaque qui ad hunc modum obseruat Sabbatum,is uere præstat cultum Deo gratissimum. Deus autem, ut est liberalissimus remunerator, & teneri non potest, quin glorificantes ipsum glorificet, confert uicissim in talem cultorem & Sabbati obseruatorem maxima beneficia. Sic enim sequitur. Tunc delectaberis super Domino,& ego sustollam seu ueham te super altitudines terræ,& cibabo aut nutriam te hæreditate Iacob patris tui. Tria enumerat beneficia,sed quæ latissimè pateant.

Primum est. Delectaberis in Domino. Hæc est pax,& tranquillitas conscientiæ coram Deo. Alij,qui tantum externum & cerimoniale agunt Sabbatum, habent iucundam suam delectationem, & tranquillitatem, uidelicet externam & mundanam, in hoc seculo. Iucundum enim est,post tot dierum labores ociari & conquiescere. Sed qui agunt Sabbatum, agendo pœnitentiam, consequuntur ueram coram Deo delectationem & tranquillitatem. Cum enim agnito peccato,credunt se propter filium Dei habere condonationem peccati, uidentur sibi emersisse ex morte in uitam,& ex inferno ad cœlum. Quod quantum gaudium, quantam læticiam, quam iucundam delectationem & uoluptatem animo antea horrore mortis & inferni concusso,& contrito afferat,uerbis explicari non potest.

Secundum est. Veham te super altitudines terræ. Regna Gentium dicuntur Altitudines seu Excelsa terræ. Promittit igitur Dominus uero obseruatori Sabbati,hoc est,agenti pœnitentiam,quòd ornaturus sit ipsum maiestate,quæ superat maiestatem omnium regum huius terræ,& facturus sit ipsum excelsiorem,sicut Lex loquitur, cunctis Gentibus. Nam qui agit pœnitentiam,adoptatur in Filium Dei per fidem,propter Christum. Quid autem tantæ maiestati conferri potest? An non excellentior maiestas est,esse filium DEI cœli, quàm esse filium potentissimi Monarchæ huius terræ? Imo illa ad hanc, ne quidem conferenda est. Deut. 26.

Tertium beneficium est. Cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Hæc ita recitantur, perinde ac si promitterent obseruatori Sabbati eam terrenam hæreditatem,& benedictionem, quæ olim promissa est per Isaacum Patriarchæ Iacob, Gene. capite uigesimoseptimo, & quæ postea sæpe repetita est. Et Hieremiæ capite decimoseptimo, promittit obseruatoribus Sabbati maiestatem mundani regni in terra, & in urbe Hierusalem. Ac profecto uerissimum est, quòd DEVS conferat multas etiam terrenas bendictiones in eam πολιτείαν, quæ diligenter tuetur publicas ordinationes festorum dierum, & ministerium uerbi DEI. Agenti autem pœnitentiam, hoc est, agenti

uerum ſabbatum, longe excellentior promittitur hæreditas, quam quæ eſt huius terræ. Nam dictum eſt Geneſis capite uigeſimo octauo ad Patriarcham Iacob. Benedicentur in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Hoc dicto promittitur de poſteritate Iacob, Chriſtus filius Dei, qui afferat ſecum omnibus credentibus in ipſum cœleſtem benedictionem. Itaque hæreditas Iacob Patriarchæ, eſt benedictio omnium cœleſtium bonorum, quæ credentibus propter ſemen Iacob, qui eſt Chriſtus, contingunt. Poſtquam igitur is, qui agit pœnitentiam adoptatur in filium Dei propter Chriſtum, fit etiam propter ipſum hæres omnis benedictionis, adeoque omnis cœleſtis maieſtatis. Quo beneficio nihil eſt nec ſublimius, nec excellentius. Quare in hoc præcipuè ſtudium incumbamus, ut pœnitentiam agendo, uerum Sabbatum agamus, quo & uerè cœleſtia beneficia conſequamur. Nam exhibitione horum beneficiorum, nihil certius eſſe, confirmatur appendice in fine huius concionculæ: Os Domini locutum eſt. Quas hactenus promiſsiones recenſui, non ſunt humanæ nugæ, ſed ſunt uerba oris Domini, qui ut eſt omnipotens omnium rerum creator, & gubernator, ita eſt & firmus ac conſtans omnium promiſsionum ſuarum ſeruator. De ueritate igitur harum promiſsionum, quæ ſunt enumeratæ, tam non eſt dubitandum, quàm certum ac uerum eſt, DEVM eſſe. Aufer enim à Deo ueritatem & certitudinem uerbi ſui, & Deum ipſum abſtuliſti, ac aboleuiſti.

CAPVT LIX.

ECCE NON EST ABBREVIATA MANVS DOMINI, VT SALVARE NEQVEAT: NEQVE AGGRAVATA EST AVRIS EIVS &c.

Sæpe mirari ſolent, non hypocritæ tantum, qui ſupra dixerunt: Quare ieiunamus, & tu non aſpicis? uerumetiam pij homines, quòd cum DEVS faueat humano generi, ſic tamen ad ærumnas & afflictiones eius ac præſertim eccleſiæ populi ſui conniueat, perinde ac ſi nulla prorſus cura ſalutis eius teneretur. Non enim deeſt DEO iuuandi poteſtas, quòd ſit omnipotens rerum omnium creator & gubernator, nec deeſt ei uoluntas, quòd ſit natura ſua clemens ac miſericors, Quam uoluntatem ſignificauit etiam multis promiſsionibus. Cum igitur ſit uerax, & promiſsi conſtantiſsimus ſeruator, mirandum uidetur, cur permittat, ut homines, ac præſertim eccleſia ſua, nunc bellis, nunc perſecutionibus, nunc fame, nunc infamia, nunc morbis, ac tandem morte quoque, tam miſere & tam fœde afflictetur. De hoc argumento ſuſcipit Propheta in hoc capite concionem habendam, ut exponat cauſam, cur DEVS, quamuis multis precibus inuocatus, ad afflictiones populi ſui conniueat, & ut oſtendat uiam, qua populus liberationem & ſalutem conſequatur. Ac uerè memorabilis eſt concio, ex Prophetico & Apoſtolico, adeoque heroico ſpiritu profecta.

cta. Constat autem, pro more Propheticarum & Apostolicarum concionum, duabus præcipuè partibus. Prior est Catalogus bene longus peccatorum & scelerum, quæ designabat populus Dei. Hic autem catalogus idcirco commemoratur, ut populus causam iræ Dei agnoscat, & concipiat timorem Dei, ac excitetur ad quærendam ueram diuinæ iræ placationem.

Posterior continet Euangelion de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui, cùm omnes alij cessarent, solus processit in medium ad uindicandum, & liberandum populum suum à tyrannide peccati, mortis & inferni, ut omnes, qui in ipsum credunt, consequantur ueram redemptionem.

Ecce, inquit, non est abbreuiata manus Domini, ut saluare nequeat: Vos ieiunatis quidem, & recitatis multas ac longas preces, & clamatis ad Dominum diu noctuq́, sed nulla contingit uobis liberatio ab afflictione. Ecquæ est huius rei causa? Num manus Domini his temporibus tam mutila, tam infirma facta est, ut non queat amplius populum suum seruare? Num auris eius sic obdurata est, ut non possit amplius preces & clamorem Ecclesiæ suæ exaudire? Nihil certe minus. Deus, ut est natura immutabilis, ita semper seruat suam omnipotentiam, & clementiã. Manus eius semper extenta est ad opem ferendam. Aures eius semper patulæ sunt ad exaudiendas preces. Quid ergo est, quòd etsi ieiunamus, oramus, precamur, & clamamus, non tamen exaudimur, nec seruamur? Iniquitates, inquit, uestræ diuidunt inter uos & Deum uestrum, & peccata uestra abscondunt faciem eius à uobis, ne preces uestras exaudiat. Oratis quidem, & inuocatis Deum multis precibus, sed quemadmodum ieiunium uestrum est sine pœnitentia, ita & orationes ac preces uestræ sunt sine pœnitentia. Existimatis uos placaturos iram Dei ipsa precum uestrarum recitatione, interea autem temporis, nullam agitis pœnitentiam delictorum uestrorum, & nulla est uobis cura mutandæ sceleratæ uestræ uitæ in melius, sed pergitis semper uetera studia impietatis & iniquitatis sectari. Quid ergo faciat Dominus? Num exaudiat preces hominum tam sceleratorum, & impœnitentium? Minime omnium. Vt nemo uerè est Petens, nisi sit Pœnitens, ita nullæ preces Deo gratæ sunt, nisi ex pœnitentia proficiscantur. Nam qui sunt impœnitentes, non delectantur tantum sceleribus, uerumetiam hoc unum agunt, ut liceat ipsis perpetuo & secure scelera perpetrare. Alij quidem aliud genus sceleris, præ alijs sectantur, unum tamen omnium impœnitentium propositum & studium est, suæ libidini tantisper, dum per uires liceat, gratificari. Cùm igitur afflictionibus comprehensi precantur à Deo liberationem, quid aliud precantur, quàm quòd liberati liceat ipsis secure peccare, & genio suo indulgere? Scortator morbo affectus, uertit se ad precandum Deum, ut restituat ipsum sanitati. Sed quia adhuc est impœnitens, non hoc agit precibus suis, ut sanitati restitutus honestam & piam ducat uitam, sed ut sano corpore suam impudicitiam explere pergat. Helluo seu Potator uidens aut pruinam, aut grandinem minari damna uitibus, attollit oculos in cœlum, & precatur DEVM, ut tueatur fructum

Es kan nie mandt sein ein beeter / Er sei dan ein büsser.

uinearum. In quem, obsecro, usum? uidelicet, ut liceat ipsi sic deinceps, quemadmodum hactenus consueuit, helluationibus & potationibus operam dare.

Tales sunt preces impœnitentium. Et hic est finis, hic est usus, quem sibi in consequenda ab aduersis liberatione, & in accipiendis beneficijs Dei proponunt. Quomodo autem Deus tam impias preces exaudiret? Quomodo Deus, non uolens iniquitatem, adiuuaret suis beneficijs propositum iniquitatis? Quare fieri non potest, ut impœnitentium preces Deo sint gratæ, & à Deo exaudiantur. Deinde Impœnitentium preces non proficiscuntur ex fide. Qui enim impudenter & obstinato animo pergunt impia & iniqua facere, ut nec agnoscunt grauitatem peccati sui, nec metuunt magnitudinem iræ Dei, ita nec ullam habent ueram fidem Euangelio Domini nostri Iesu Christi de peccati remissione. Nam qui obsequuntur desiderio peccati, & accommodant membra sua arma iniusticiæ, ac uersantur secundum carnem, sicut Paulus loquitur, tantum abest, ut ueram habeant fidem in filium Dei, ut etiam si quam antè habuerunt, sceleribus suis excutiant. Paulus de uiduis ait: Si qua suis, & maxime familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Si fides abnegatur aut excutitur incuria & negligentia erga suos familiares, quomodo, obsecro, non excuteretur alijs longe horribilioribus peccatis? Et Ioannes ait: Omnis, qui in Christo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non uidet eum, nec cognoscit eum. Et mox: Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.

Manifestum igitur est, quòd impœnitentes, etsi orant, & multas preces effundunt, tamen sine ulla uera fide, sine ulla uera fiducia misericordiæ Dei per Iesum Christum orent, ac precentur. Quomodo autem Deus respiceret orationem sine fide recitatam? quomodo exaudiret preces sine fiducia effusas? Sine fide, inquit, impossibile est Deo placere. Et: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Quare nihil certius est, quàm quòd impœnitentium preces sint coram Deo abominabiles. Hinc etiam cognoscere licet, quid causæ sit, cur Deus in aduersis magna seueritate exigat preces, & omnino uelit inuocari, uidelicet, non delectatur DEVS ipsa precum recitatione per se, sed exigit pœnitentiam, exigit fidem. Scit nullum hominem posse aperta fronte ad thronum diuinæ maiestatis suis precibus accedere, nisi pœniteat eum scelerum suorum, & statuat uocationi Dei seruire, & concipiat fiduciam misericordiæ Dei. Vrget igitur, & instat, ut in aduersis confugiamus inuocatione ad DOMINVM DEVM nostrum, quo excitemur ad pœnitentiam, & fidem, quæ maxime omnium exigitur, & qua sola consequimur salutem, propter IESVM CHRISTVM filium Dei. Sed reuertamur ad concionem Prophetæ. Iniquitates, inquit, uestræ diuidunt uos à DEO uestro, & peccata uestra in causa sunt, cur DEVS non exaudiat preces uestras. Non hoc uult Propheta, quod DEVS non exaudiat preces propter eas iniquitates, quas iam antè designauimus, & tamen resipuimus, aut quæ adhuc natura nostra in carne hærent:

Si enim

Si.n. Deus has respiceret, & has obseruaret, qs sustinere posset? aut cuius unquam preces exaudiret? Sed intelligit eas iniquitates, in quibus impœnitentes ambulare pergunt, & non habent ullam agendæ ueræ pœnitentiæ rationem. De peccatis impœnitentium, nõ de peccatis pœnitẽtium loquitur. Vt enim Christus filius Dei uenit ad uocandos peccatores ad pœnitentiam, ita uenit etiam ad aperiendum ostium pœnitentibus, quo audeant precibus suis Deum accedere, & ipsum ut Patrem inuocare. De impœnitentibus autem dicitur. Clamauerunt, nec erat, qui saluos faceret, Ad Dominum, nec exaudiuit eos. Cæterum, postq̃ Propheta in genere dixit iniquitates & peccata in causa esse, cur Deus non respiciat ieiunia, nec exaudiat preces populi sui, incipit nunc hoc genus diducere in species, & recenset longum catalogum iniquitatum, & peccatorum, quæ ab ipsis publice & priuatim designabãtur, ut hac enumeratione ducat eos in agnitionẽ magnitudinis peccatorum, & iræ Dei, & excitet eos ad agendam ueram pœnitentiam, hoc est, ad concipiendum timorem Dei, & ad quę rẽdam remissionem peccatorum, ac spiritum sanctum, quo deinceps non affectui carnis, sed affectui spiritus obsequantur. Psalm. 17a

Manus uestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti uestri iniquitate, hoc est, iniquis cędibus. Siue hoc de cæde Prophetarum, quos impij Reges crudeliter interficiebãt, siue de cæde aliorum innocentum hominum, quos magistratus pro sua libidine, nulla legitima causa morti adiudicabat, siue de mutua ciuium cæde intelligatur, certe perspicuum est ex Esaia & alijs Prophetis, quod frequentia fuerint tam Regũ quam uulgi homicidia inter Israelitas. Esaias in primo capite ait: Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus em̃ uestræ sanguine plenæ sunt. Et iterum: Iusticia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Et Oseas: Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & Sanguis sanguinem tetigit. Est & de Manasse, cuius temporibus Esaias aliquandiu concionatus est, scriptum, iiij. Reg. xxi. Sanguinem innoxiũ fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Hierusalem usq; ad os. Etsi autem non omnes fuerunt externi homicidæ, tamen quia uel communicabant cum homicidis, uel fauebant homicidis, uel odio prosequebantur proximos, uel uirulenter loquebantur de proximis, uel adigebant duritia sua pauperes ad famem, merito omnes in catalogum uirorum sanguinum, seu homicidarum referendi erant. Sed de hoc dicto copiosius, supra in primo capite. 1.

Labia uestra loquuntur mendacium, & lingua uestra iniquitatem concinnat. Si respicis publica labia, hoc est, publicam doctrinam sacerdotum, non audias, nisi uana mendacia, & peruersas nugas. Si autem respicis priuata labia, in contractibus & negocia- 2.

tiõibus ciuilibus,nõ audias inter homines niſi meras impõſturas, & figmẽta. Itaq; omnes ſermones tam in templo,q̃ in domo,tam in choro,q̃ in foro,pleni ſunt mendaciis. Prophetæ,inquit Hieremias,prophetabant mendacium,& ſacerdotes applaudebant manibus ſuis,& populus meus dilexit talia. Et alias: Vir fratrem ſuum deridet,& ueritatem non loquuntur. Docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium,ut inique agerent,laborauerunt.

8. Non eſt,qui inuocet iuſticiam,neq; eſt,qui iudicet uere. Pro,Inuocet iuſticiam,Hebræus legit, Vocat ſeu clamat aut concionatur in iuſticia. Si Propheta loqtur de Eccleſiaſticis concionibus,ſenſus eſt, quod inter Eccleſiaſticos cõcionatores,nõ ſit,q̃ pie,recte,iuſte,& uere doceat. Si aũt loquitur de forenſibus cõcionibus ſeu iudiciis,ſignificat,quod magiſtratus nec iuſte,nec uere de cõtrouerſiis ciuium iudicet,ſed peruertat iudiciũ uel odio,uel fauore,uel munerib. excęcatus.

4. Confidunt in nihili,ſeu rebus uanis. Loquuntur uana. Concipiunt laborem,& pariunt iniquitatem. Hęc intelligenda ſunt de impia Pſeudoprophetarum,uel ſicut poſtea dicti fuerunt, Scribarũ & Phariſæorum doctrina,& de impia fiducia,quæ ex illorũ doctrina concipitur. Scribæ enim,ſeu doctores populi, non loquuntur,non docẽt legem Domini, ut peccata agnoſcantur:nec docent promiſsiones de Meſsia,ut fides de peccatorum remiſsione concipiatur, Sed loquuntur & docent uana,commenta uidelicet humana,fabulas aniles,opera ſuperſtitioſa magis q̃ pia. Hortantur homines ad ſacrificia in excelſis,ad thymiamata in uallibus, ad decimationes mentæ,ad fimbrias ueſtimentorum,ad certa ieiunia,ad certas preculas, & ad multa id genus opera,quorum meritis affirmant cõtingere iuſticiam corã Deo, & beatitudinem. Itaq; efficiunt hac ſua doctrina,ut auditores concipiant magnam quidem fiduciam,ſed pariãt tandem uanitatem,quia cũ confidunt mendacio,aut humano figmento, fiducia eorum uaniſsima ſit,& pudefiat,neceſſe eſt. Cæterum,quod hic de impiis hypocritis dicitur,Concipiunt laborem,& pariunt iniquitatem ſeu uanitatẽ, haud raro in ſcriptura repetitur. Iob.xv. Cõgregatio hypocritæ ſterilis. Et mox: Concepit dolorem,& peperit iniquitatem,& uterus ejus fallit. Et Pſal. ſeptimo. Ecce parturit iniuſticiam, cõcepit dolorẽ, & peperit iniquitatem. Et Pſal. ix. Sub lingua eius labor & dolor. Significatur autẽ hoc dicto,quod impij omnibus ſuis cogitationibus, conſiliis,conatibus,decretis & operibus,nihil aliud efficiant, quam quod ſeipſos conijciant in afflictiones,& interitum. Quod concipiunt,uidetur quidem ipſis ſalutare,ſed non eſt niſi labor, afferens afflictionem. Quod pariũt,uidetur præclarum,& excelſum,ſed eſt mera uanitas,& interitus. Hic eſt euentus cõſiliorum & operum impiorũ, ſiue in politicis,ſiue ĩ eccleſiaſticis rebus. Ahitophel excogitauit

in

in seditione Absolomi hoc consiliũ, ut Absolom ingrederetur ad cõ cubinas patris sui coram uniuerso Israel, ut cum audierit (inquit) oĩs Israel, quod fœdaueris patrẽ tuum, roborentur tecum manus eorũ. Hic fuit cõceptus, hic fuit partus Ahitophelis, sed quid, quæso, aliud fuit, q̃ labor & dolor, hoc est, talis & tam infœlix cõceptus, ut pepererit tam autori huius consilij, q̃ obsecutori extremam internecionem? Impij Pontifices & sacrificuli excogitarunt sacrificia in excelsis. Pharisæi excogitarunt uaria sacra, quorũ meritis homines expiarent peccata sua, & placarent iram Dei. Sed his excogitationibus conceperũt laborem & pepererunt uanitatem, quia hęc sacra fuerunt tam autoribus, q̃ sectatoribus exitio. Solum autem uerbum Dñi, quod lege ducit nos in agnitionem peccatorum, & Euãgelio ducit nos in fidem remissionis peccatorum propter Christum, & in obedietiam fidei, affert ueram tranquillitatem, & æternam fœlicitatem. Quare, non humanæ traditiones, sed solum uerbum Domini sectandum est.

Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit &c. Dicuntur & hęc de impia doctrina, & de operibus humanarũ traditionum. Ac profecto pestis ac pernicies, quam affert impia doctrina, & uanitas operũ, quæ ex humanis traditionibus ad consequẽdam cœlestem salutem facienda suscipiuntur, uix possent magis perspicue adumbrari, & explicari, quam Ouis aspidum, seu ut alij interpretãtur, Basiliſci, & telis arenearum. Oua, inquit, Basiliſci fouẽt, & telas araneæ texunt. hoc est, Impia doctrina perinde se habet, ac si oua Basiliſci foueas. Et opera humanarum traditionum perinde se habent, ac si araneæ telas texant. Nam quẽadmodum oua Basiliſci, quo quomodo ea tractaueris, afferunt incommoda. Si enim ijs ouis uescaris, certam afferunt mortem. Si autem conculcaueris, aut confregeris ea, tunc erumpit Basiliſcus, qui solo uisu homines necare dicitur: ita se habet doctrina impia. Nam si ei adhibueris fidem, & acceperis eam tanquam ueritatem & uerbum Dei, tunc affert tibi perpetuum exitium. Collocas enim fiduciam tuam in mendacio, & uanitate, quæ fieri non potest, quin pudefias. Si autem obstiteris ei, & damnaueris eam, tunc impij doctores & discipuli cõoriuntur in te unanimi consensu, ut te opprimant & enecent. Vide mihi doctrinam Pharisaicam, quæ fuit impia doctrina. Et considera mihi ex una quidem parte Principes & uulgum urbis Hierusalem, ex altera autẽ parte Christum & Apostolos, ac discipulos Christi. Nam illi tradiderunt sese obsequentes Pharisaicæ doctrinæ, & exceperunt decreta eius, tanquam decreta cœlestia. Quid ergo factum est? Comederunt oua Basiliſci, ex quo esu ita infecti sunt, ut perpetua morte interierint. Christus autem & discipuli eius restiterunt huic doctrinæ, & condemnauerunt eam. Quid igitur euenit? Conculcarunt oua Basi-

liſci,& érupit Baſiliſcus, ſolo uiſu homines necans. Nam impij Pharisæi ac ſectatores eorum ſic excitati ſunt,ut quanta potuerunt crudelitate in Chriſtum & Apoſtolos eius graſſati fuerint. An non de Chriſto conculcanti oua Baſiliſci,uociferantur, Tolle,tolle,Crucifige eum? Hic certe erumpebat uenenatus Baſiliſcus. An non aduerſus Stephanum,confringentem oua Baſiliſci,erumpunt multi ſimul Baſiliſci,cum Pontifices,Scribæ & Phariſæi magna uoce exclamantes,continuerunt aures ſuas,& impetu unanimiter facto eiecerunt eum e ciuitate,ac lapidauerunt eum? Nec deſunt nobis exempla, his noſtris temporibus. Impia eſt doctrina ſacrificulorum,Sophiſtarum & Monachorum,de ſacrificio Miſſæ, de meritis humanæ iuſticiæ,de inuocatione mortuorum,de cultu & adoratione ſtatuarum,de Indulgentijs,& alijs id genus rebus. Qui ergo his ita accedunt, ut collocent in ipſis ſpem ſalutis ſuæ,ueſcuntur ouis Baſiliſci,e quibus ſic inficiuntur,ut neceſſe habeant perpetuo interire. Qui autem his reſiſtunt,& ea damnant,hi,cum conculcent oua Baſiliſci, a Baſiliſco uicíſsim ita aſpiciuntur,ac etiam mordentur,ut & de uita ſua periclitentur. Quid igitur faciamus? Ea ſunt tempora,ut,qui inter homines uitam agere uelit,neceſſe habeat,aut ouis Baſiliſci ueſci,aut ea conculcare. At enim tolerabilius eſt temporarijs afflictionibus concuti, quod contingit conculcatione ouorum Baſiliſci, quam æternis cruciatibus torqueri, quod contingit eſu ouorum Baſiliſci. Conculcemus igitur ea ambobus pedibus confidenter,ut etiamſi erumpat Baſiliſcus,& nobis corporale exitium minetur, nos tamen reportemus per Chriſtum ſpiritualem & cœleſtem ſalutem. Hæc de ouis Baſiliſci. Dicamus etiam de telis ſeu textura aranearum. Nam quemadmodum telæ ſeu retia aranearum ingenioſe quidem & ſubtiliter texuntur, Sed ad quid hęc textura,qua nulla uidetur artificioſior,utilis eſt, niſi ad capiendas muſcas? Ex his telis nullum poteſt ueſtimentum confici. Ex operibus huius texturæ nullum poteſt fieri indumẽtum, aut tegumentum, quo aduerſus frigora & tempeſtates muniamur, quia ſunt opera inutilia, & quæ uel leui attactu diſsipentur: ita ſunt etiam opera hypocritarum, & ea quæ fiunt ex præſcripto humanarum traditionum. Nam ea opera ſunt quidem ingenioſe excogitata, & perficiuntur maxima ſpecie pietatis, ſed profecto nihil ijs eſt inutilius, ut interea nihil dicã de impietate eorum. Etſi enim omnia ea opera in unum aceruum collegeris, tamen non poſſunt te tueri in iudicio Dei, aduerſus eos ardores & frigora, ubi eſt fletus & ſtridor dentium.

Vide, obſecro, mihi Miſſam Pontificiam. Quanta pietatis ſpecie, quanto ſplendore, quanta obſeruantia peragitur? Hic ſtat ad aram ſacrificulus ornatus ueſtitu pene regio, cui adiuncti ſunt ex ordine

ordine ſtantes duo miniſtri, quorum alterum uocant Diaconum, alterum Subdiaconum, qui & ipſi diſsimili quidem ueſtitus genere, ſed non minus precioſo ornati ſunt. Deinde ſtant in choro uiceni & uiceni, ſæpe etiam triceni, aut quinquageni Sacerdotes, omnes lineis & albis ueſtibus induti. In medio eſt cœtus puerorum, qui & ipſi albis ueſtibus fulgent. Hi omnes, ſeniores pariter & iuniores, ſuas habent uiciſsim Cantiones, ſuas Lectiones, ſuas geſticulationes, & multos ritus ac Cerimonias, quas tam decoro ordine perficiunt, ut ſpectatoribus magnam afferant uoluptatem, & uideantur eos ad ardentiſsimam deuotionem excitare. Sed profecto talis Miſſa, etiam ſummo ſtudio & ſumptu peracta, non eſt niſi textura aranearum, ad nihil aliud utilis, quam ad captandas muſcas, hoc eſt, homines uentri deditos, qui magis χυσῷ quam χριστῷ ſeruiunt. Talis enim Miſſa non eſt communio cœnę Dominicæ, ſicut eſt a Chriſto inſtituta, ſed eſt humanis figmentis translata ab inſtitutione Chriſti, ad aliud genus cultus, uidelicet, ut ſit ſacrificium, quo expientur peccata uiuorum & mortuorum, uel ſicut alij exponunt, quo applicetur uiuis & mortuis meritum Chriſti, cum tamen nulla fiat ibi, quãtum quidem ad Miſſam ipſam attinet, prædicatio Euangelij, quam Eccleſia intelligat, nec fiat ibi diſpenſatio Sacramentorum, quibus ſolis organis fit applicatio meriti Chriſti, ut fide excipiatur. Quare cum talis Miſſa ſit humana traditio, non eſt niſi tela aranearum, ut etiamſi myriades talium Miſſarum cumulaueris, tamen non poſſunt te uel aduerſus minimam afflictiunculam munire, & ſeruare. Vide mihi etiam horas Canonicas Monachorum. Ibi ſtant in choro ex ordine uiceni, aut alicubi triceni & triceni Monachi, omnes æqualiter raſi, omnes ſimili genere ueſtitus induti, in templo regia magnificentia ornato. Hi uiciſsim uerſiculos Pſalmorum, & alia carmina tanta ſuauitate, tanta etiam grauitate cantillant, ut non in hominum, ſed in Angelorum choro te uerſari exiſtimes. Quod ſi etiam ſumptum conſideraueris, regij ſunt redditus, quibus talis cultus conſtat. Quid ergo de iſto cultu ſentiendum eſt? Lectio horarum Canonicarum, quantum e ueterum monumentis obſeruatur, fuit quondam ordo ſtudij ſacrarum literarum. Nunc autem transformata eſt in ſingulare genus cultus, ut merito actionis eius peccata expientur, & ira DEI mitigetur. Hoc eſt commentum prorſus, ut nihil grauius dicam, humanum. Itaque hic cultus non eſt, niſi tela aranearum, quod ſicut ex hac nullum poteſt confici ueſtimentum, quo uel aduerſus minimam aeris intemperiem tutus ſis, ita ille nullum cultorem, uel in leuiſsimis aduerſis ſeruare poteſt. Non potuiſſent igitur pernicies impiæ doctrinæ, & inutilitas hypocriticorum operum magis perſpicue nobis depingi, quam collatione ouorum Baſiliſci,

& texturæ aranearum.

6. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem innocentem. Sceleribus sic sunt obruti, ut nullum corporis membrum a peccato purum sit. Dixit antea de manibus & lingua, nunc autem de pedibus, quod & istos accommodent arma iustitiæ. Vbi enim regnat peccatum in corpore, ibi homines præbent omnia membra sua serua immundiciei, & iniquitati, ad aliam atq; aliam iniquitatem.

7. Cogitationes eorum, cogitationes inutiles, uastitas, & contritio in uijs eorum. Viam pacis nescierunt. Hæc ex Psalmo decimo tertio translata sunt in hunc locum, cum illic in Hebræo non habeantur. Continent autem generalem reprehensionem aut exprobrationem, & damnationem omnium studiorum populi. Quid multis opus? Quicquid populus iste cogitat, uanum est & inutile. Omnia studia eorum corrupta sunt. Omnia instituta ipsorum eo tendunt, ut accersant tam sibi ipsis, q̃ urbi & orbi Iudaico uastitatem, contritionem, & omnem infœlicitatem. Nec quicquam uel instituere, uel facere norunt, quod pacem, tranquillitatem & fœlicitatem afferat. Si sacra eorum respexeris, hypocritica sunt & impia, ideoque non afferunt aliquam conscientiæ pacem, sed potius uastant eam, & merentur magis iram, q̃ fauorem Dei. Si reliquam eorum uitam consideraueris, omnia sunt horribilibus sceleribus sordidata, quę, fieri non potest, quin secum trahant omnia infœlicitatis genera.

8. Non est iudicium in gressibus eorum, Semitæ eorum incuruatæ (uel deprauatæ) sunt eis, ut omnis qui calcat in eis, ignoret pacem. Eadem sententia, & eadem exprobratio. Nihil recte faciunt. Nullam rectam uiam ambulant. Tanta est deprauatio uitæ eorum, ut non solum sibi ipsis peccato suo, uerum etiam alijs exemplo suo noceant. Instituunt & peragunt multa sacra. Itaq; alij sequuntur exemplum eorum. Sed sicut autores nullam consequuntur pacem, seu tranquillitatem e suis sacris, ita nec sectatores, qui semitas illorum calcant, qui exempla eorum imitantur, fructum aliquem tranquilli coram Deo animi accipiunt. Ambulant in politica & œconomica uita iuxta carnis suæ desideria, & excitant alios exemplo suo ad imitationem. Itaq; alius alium in exitium trahit, ut quemadmodum autor sceleris ignorat pacem, non assequitur aliquam fœlicitatem, ita & imitator fiat a pace aut fœlicitate alienus.

PROPTER HOC ELONGATVM EST IVDICIVM A NOBIS &c.

Audiuimus genera scelerum, quibus populus Dei obnoxius fuit. Audiamus nunc scelerum supplicia. Propter hoc (inquit) elongatur a nobis iudicium. Admirantur homines, qui fiat, quod & si ieiu-

nant,

nant,& multas preces recitant, magnis tamen calamitatibus obruantur. Sed iam commemorata est causa. Peccatum enim in causa est, cur DEVS non respiciat ieiunia, nec exaudiat preces. Ieiunant & orant, sine pœnitentia. Pergunt in sua impietate & iniquitate. Enumerantur igitur supplicia, quæ impœnitentibus ieiunatoribus & precatoribus accidunt.

Elongatur a nobis iudicium,& non apprehendit nos iustícia. hoc 19
est, Nos ab hostibus nostris iniuste affligimur. Tãta premimur Tyrannide, ut nec iudicium, nec iustícia nobis contingat. Deus connuet, ut manifestís iniurijs afficiamur, & non uidetur ullam suscipere cogitationem, ut iniuriam nobis illatam ulciscatur. Hoc est supplicium impietatis & iniquitatis, ut quemadmodum tu multa iniusta aduersus Deum et homines designasti, ita uicissim multa tibi iniusta accidant. Deuteronomij uigesimo octauo: Si non audieris uocem Domini DEI tui, sustinebis calumniam omni tempore, & opprimeris uiolentia, nec habebis qui liberet te. Et Matthæi septimo: Qua mensura metimini, ea metientur uobis alij.

Expectauimus lucem, & ecce tenebræ, Splendorem, & ecce in 20
caligine ambulamus. Vsitatum est, ut sæpe iam ostendimus, lucem pro fœlicitate, Tenebras autem pro infœlicitate accipi. Significat igitur Propheta his uerbis populum pro fœlicitate, quam propter ieiunia & preces suas expectabant, consecutum esse calamitates & infœlicitates. Idem conqueritur etiam Iob sibi accidisse, Iob trigesimo: Expectabam bona, & uenerunt mihi mala, præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ. Et Hieremiæ decimo quarto: Expectauimus pacem, & non est bonum, & tempus curationis, & ecce turbatio.

Palpamus, sicut cæci, parietem, & q̃uasi absque oculis contrecta- 21
mus, impingimus in meridie, quasi in tenebris, in caliginosis, sicut mortui. hoc est, Sicut mortui obruti sunt extremis tenebris in sepulchris, ita nos uersamur in extremis calamitatibus, & in tanta luce uerbi Dei, quod per Prophetas docetur, ea sumus cæcitate, ut ignoremus omnem ueram uiam salutis. Est & hoc supplicium impietatis, de quo Moses Deuteronomij uigesimo octauo ita dicit: Percutiet te Dominus amentia & cęcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas uiam tuam. Iustum enim supplicium est, ut qui lucem oblatam repellit, in tenebris uersetur, & qui uerbum DEI, ueram salutis uiam demonstrans abijcit, & contemnit, nullam prorsus salutis uiam inuenire queat.

Rugimus, quasi ursi, õmnes, & q̃uasi columbæ gemendõ 22
gemimus. Horribilis est rugitus ursi efurientis, gemitus autem co-

lumbæ miserabilis est. Tãta igitur est afflictio nostra, ut præ grauitãte eius rugiamus sicut esurientes ursi, & ingemiscamus sicut colũbę.

5. Expectamus iudicium, & non est; Salutem, & elongata est a nobis. Æquissimum supplicium. Cum enim impij & impœnitentes confidant non ueritate, sed uanitate, iustissimum est, ut spe sua frustrentur & pudefiant.

MVLTIPLICATÆ SVNT ENIM INIQVITATES NOSTRÆ CORAM TE, &c.

Postquam recensuit supplicia iniquitatis, reuertitur ad expositionem generum iniquitatis, propter quæ accidunt supplicia & afflictiones. Non est autem ociosa ταυτολογία, sed necessaria repetitio, ut impœnitentes uel tandem incipiant peccata sua agnoscere & pœnitentiam agere. Sicut enim animus iudicio peccati territus indiget copiosa, & sæpe repetita & inculcata consolatione, ita animus in peccatis obduratus indiget graui & multa comminatione, ut ad peccatorum agnitionem, & resipiscentiam excitetur. Multæ nimis sunt, inquit, iniquitates nostræ coram te. Diserte ait, coram TE. Nam coram oculis nostris uidemur nobis honesti & iusti: Sed coram TE plura & maiora sunt peccata nostra, quam quæ aut agnoscere aut ferre possumus. Etsi enim non omnes designamus externa scelera, omnes tamen in peccatis concipimur, & nascimur. Et coram te nunquam non peccamus. Aut enim manifeste uiolamus præcepta tua, aut si quid boni facimus, minus facimus quam debemus: & tam multum carnalis uitij commiscetur a nobis, ut præ eo nulla possit boni ratio in diuino iudicio haberi. Tibi, inquit, tantummodo pecco, & malum coram te facio. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quare confiteamur uno ore peccata nostra, & dicamus: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et peccata nostra respondent nobis, hoc est, testificantur contra nos. Conscientia, inquiunt, mille testes. Nos autem probe conscij sumus nobis, quod non solum gestemus adhuc peccatum in carne nostra, uerumetiam sæpe ac multum externis factis peccauerimus. Quare habemus intra nos chirographum conscientiæ nostræ, quod simus peccatores.

Quia scelera nostra nobiscum sunt, & scimus quod inique agimus, hoc est, tam certo & manifeste peccamus, quod & si non afficimur grauitate peccati, tamen non possumus negare, quin grauiter peccemus, sed ingenue fateamur nos inique agere, & tamen impudenter in perficienda iniquitate pergamus. Quæ ergo sunt illæ iniquitates, & peccata, quibus efficitur, ne Deus ieiunia & preces nostras respiciat? Non possunt omnia peccatorum

torum genera una concione recitari. Recitantur tamen præcipua.

Præuaricari & mentiri contra Dominum, deficere retro a Deo nostro. Hoc est caput iniquitatis. Dominus enim iniit fœdus cum Abraamo, quod uelit esse Deus posteritatis eius, & dare ei semen, in quo benedicantur omnes Gentes, ut omnis, qui credit in hoc semen, consequatur benedictionem iusticiæ & æternæ uitæ. Israelitæ autem præuaricabantur & mẽtiebantur Domino, ac deficiebant a Deo post tergum eius, quia non requirebant hoc semen Abrahæ, non quærebant in hoc semine, quod est Christus, iusticiam & uitam, sed potius quærebant ea in meritis suorum operum. Deinde Deus iniit fœdus cum populo Israel in monte Sinai, quod uelit eis dare non solum terram Canaan possidendam, uerumetiam omnia genera terrenæ fœlicitatis, si legem suam obseruarent. Et uicissim populus Israel publice recepit se legem Dei seruaturum. Omnia uerba, inquiunt, quæ locutus est Dominus faciemus. Sed hoc fuit purum putum mẽdacium. Neque enim seruauerunt legem uel publice uel priuatim. In reipublicæ administratione peruersa erant iudicia, & Magistratus tyrannide magis quam æquitate dominabatur. In priuata uita mores uulgi corruptiores erant, quam qui uerbo Dei emendari potuerint. Hoc uere erat mentiri Domino, & post tergum a Deo suo deficere. 1. Exod. 24. Deut. 5.

Loqui calumniam, et cõtumaciam. Frequẽtissimum etiã his temporibus peccatum inter homines, quod alter alterum̃ tam uerbis q̃ factis uiolenter & contumaciter opprimere cõnatur. Quanto quispiam plus uel potentiæ uel diuitiarum habuerit, tanto plus iuris putat se ad opprimendum proximum habere. 2.

Concipere & loqui de corde uerba mendacij. Est & hoc uulgare, aliud ore polliceri, aliud corde cælare. Altera manu panem porrigere, altera lapidem gestare. Verba blanda dicere, sed interea damnum & exitium meditari. Hæc uidetur magna esse prudentia in hoc seculo, sed quia pugnat ex diametro cum Caritate, non est prudentia, sed pernicioſissima stulticia, quæ abducit in æternum exitium. Vnde additur: Conuersum est retrorsum iudicium, & iusticia longe stetit. hoc est, Nec uindicamur ab iniurijs nobis illatis, nec consequimur ulla beneficia, quia corruit in plateis ueritas, & æquitas prodire nequit, & ueritas exulat, atque adeo tanta est morum corruptio, ut qui a malo recedit, exponat se aliorum prædæ. Nihil potuisset autem apertius & significantius de morum corruptione dici, quam quod ait: Qui a malo recedit, patet prædæ. hoc est, Tanta est hominum peruersitas, ut cum omnes unam uiam impietatis concordi sententia ambulant, iudicent eum solũ malum & impium, q stulti det esse bonus & pius, ideoq; oẽs ad eum opprimẽdum cooriuntur. 3.

Si quis pia docet, habetur hæreticus. Si iusta facit, habetur aut stultus, aut ad obeunda negocia inutilis. Et quia iudicatur esse simplex, patet cuiusuis callidi ueteratoris & impostoris direptioni. Nec solum sacræ, uerumetiam externæ literæ significant tali dicto extremã morum corruptionem. Euripides ait, κακὸς δ' ὁμὴ φρῶν κακόν. Quisquis mali nihil hic patrarit, ille demũ erit malus. Etem̃ ubi malus habetur, qui nihil mali facit, ibi primum iudicia rectæ rationis peruersa sint, necesse est, quod malum, bonum, & bonum, malum iudicetur. Deinde alter alterum exemplo corrumpit. Postremo, non solum mala designantur, uerumetiam boni male afficiuntur, ut nullus eis locus in tali cœtu relinquatur. Quare summam morum corruptelam dixeris, si malum dixeris eum, qui non fecerit male. Habes catalogum peccatorum ac scelerum, quibus factum est, ut preces populi non exaudirentur, nec afflictionibus suis liberarentur. Et hæc est prior pars huius concionis, quæ in hunc usum recitata est, ut Israelitæ, agnita ira Dei, propter peccata, excitentur ad quærendam remissionem peccatorum, & ad facienda bona, quæ Deus præcepit, ut nomen Domini glorificetur.

ET VIDIT DOMINVS, ET MALVM APPARVIT IN OCVLIS EIVS, QVIA NON EST IVDICIVM, &c.

Hæc est posterior pars huius concionis, in qua parte adnunciatur Euangelion de Salute per Iesum Christum filium Dei consequẽda, ut qui ex priori parte concionis territi sunt agnitione diuinæ irę, nunc ex hac parte concipiant fiduciam diuinæ misericordiæ ex Euangelio Iesu Christi, ut ueram iusticiam & salutem consequantur. Vidit, inquit, Dominus. Quid uidit? Vidit hæc magna & multa scelera in populo suo, uidit omnes declinasse, nec esse qui faciat bonum, ne unum quidem. Vidit omnes esse corruptos & abominabiles factos. Vidit omnes esse coniectos in potestatem & tyrannidem Satanæ, propter peccatum. Et cum circumspiceret, quis inter homines obsisteret Satanæ, & opprimeret eum, ut reliqui liberarentur, non erat ullum iudicium, non erat ullus homo, qui Satanam iudicaret, condemnaret, ac e tyrannide sua deiiceret, ut eos, qui uinculis eius detinebantur, liberos redderet.

Cumq; circumspiceret, num esset ullus uir, uel inter Patriarchas & Prophetas, uel inter reges & Principes, uel in reliquo hominum uulgo, qui occurreret iræ Dei, qui placaret iram Dei, & intercederet pro hominibus, ut remitterentur eis peccata, & seruarentur morte, ad æternam uitam, ne unum quidem inuenit, intantum ut hæc res uisa ipsi fuerit pessima, ac uehementer ei displicuerit, & aporiatus sit, hoc est, obstupuerit. Existimo autem hoc uocabulum

Aporia-

Aporiatus, quo uulgata translatio utitur, deductum esse a uerbo ἀπορέω, quod significat indigere seu deficere. Vt sit sensus: Cum Deus ne unum quidem inter homines inuenisset, qui Satanam opprimeret, & homines a peccatis liberaret, tanta admiratione, tanto stupore correptus est, ut etiam uiribus defecerit. Sic enim spiritui sancto ui sum est humano more de Deo loqui. Quid ergo factum est? Nullus hominum potuit hostem humani generis uincere, peccata expiare, & iram Dei placare. Quare filius ipse Dei suscepit hanc causam absoluendam. Is saluauit sibi brachium suum, & iusticia eius ipsa confirmauit eum. hoc est, Armauit se sua potentia, & usurpanit forti ac firmo animo suam iusticiam, ut hostes ac aduersarios suos potenter opprimeret, fideles autem subditos suos iuste defenderet. Indutus est iusticia, ut lorica, & galea salutis in capite eius. Indutus est ultione tanquam uestimento, & opertus est zelo, tanquam pallio. Hæc est armatura Christi filij Dei, quo genere armorum uestit etiam militem Christi Paulus ad Ephesios sextō, & prima Thessaloni. quinto. Filius enim Dei, pro lorica utitur iusticia, pro galea, utitur Salute, pro ueste, Vindicta, pro pallio Zelo. In quem ergo usum sic armatur? Ad uindictam, inquit, & ad retributionem hostibus suis, & ut rependat uicissitudinem inimicis suis, tam ijs qui sunt in suo ipsius populo inter Israelitas, quam illis, qui sunt in insulis, hoc est, Gentibus incircumcisis. Suscipit autem hāc uindictam exercendam, ut seruet ac tueatur aduersus hostes Ecclesiam suam diuino suo zelo, quo eam complectitur. Timebunt ergo ab Occidente nomen Domini, & ab ortu Solis gloriam eius, cum uenerit quasi fluuius uiolentus, seu in angusto loco detentus, quem postea spiritus Domini, seu impetuosus uentus impellit. hoc est, cum filius Dei aduenerit magno impetu, sicut fluuius a uento impulsus, in hanc terram, tum colliget sibi Ecclesiam, quam defendat & seruet, & quæ ipsum obediēti fide agnoscet, ex omnibus Gentibus ab Oriente & Occidente. Hæc autem Salus filij Dei non perueniet tantum ad Gentes, uerum etiam conferetur in Israelitas. Filius enim Dei aduenier etiam ipsi Zioni redemptor, & omnibus ijs, qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Percurrimus qualicunque periphrasi hanc propositam πρόκρισιν. Nunc igitur, ut ad initium reuertamur, primum omnium considerandum est, quod quæ Propheta hic concionatur de Deo muniente se sua armatura & uindicante aduersarios, ut redimat & defendat populum suum tam inter Gentes, quam inter Israelitas, intelligenda sunt de filio Dei Domino nostro Iesu Christo, uero & unico uindice, redemptore & defensore Ecclesiæ suæ, quam sibi per Euangelion suum colligit ex omnibus gētibus, siue circumcisis, siue incircumcisis. Sic enim significat Paulus Romano. xi. cum allegat hunc

locum Esaiæ: Aduenier Sioni Redemptor, &c. & docet beneficia Christi filij Dei pertinere non tantum ad Gentes incircumcisas, uerumetiam ad Israelitas circumcisos, quanquam nunc abiecti uideantur. Sed de hac re mox. Deinde, cum regnum Christi filij Dei non sit mundanum, sed spirituale & cœleste, idcirco, quæ hoc loco dicuntur de armatura eius, de bello eius, de uindicta erga aduersarios eius, de redemptione populi eius, non sunt intelligenda de externis & mundanis, sed de cœlestibus armis, & liberationibus. Filius enim Dei dicitur armari lorica iusticiæ, quia cum sit uere iustus, iustificat etiam & efficit, ut iusti reputentur quotquot in ipsum credunt, & defendantur in omnibus aduersis. Hoc enim est opus iusticiæ in regibus & Principibus, ut populum suum absoluant ab iniquis aduersariorum accusationibus, & defendant eum ab hostibus suis. Sic & miles Christi armatur apud Paulum Thorace iusticiæ, quia cum donemur per fidem iusticia Christi, abijcienda est ea, tanquam thorax, omnibus accusationibus Satanæ, ut per eam tuti aduersus ignita tela Satanæ consistamus. Dicitur & filius Dei armari galea salutis, quia affert omnibus credentibus in ipsum ueram & æternam salutem. Sic & miles Christi armatur apud Paulum galea spei Salutis, quia certa spes salutis, quam in Christo habemus, concipienda est, ut & si omnia reliqua nostrarum rerum pereunt, seruemus tamen caput munitum salute Christi, qua salute perrumpemus mortem ipsam ad æternam uitam. Armatur etiam, seu uestitur filius Dei uestimento ultionis, quia ulciscitur & se & populum suũ de hostibus & aduersarijs suis ingenti animi robore ac fortitudine. Hostes autem filij Dei, & populi seu Ecclesiæ eius sunt, Primum, Peccatum, Satan, Mors & Infernus. Hi hostes crudeliter grassati sunt, non tantum in Ecclesiam, uerumetiam in ipsum filium Dei, qui & si peccatum non fecit, tamen quia suscepit peccatum expiandum, sic sæuijt in ipsum, ut coniecerit eum in horrores inferni, & in mortem ipsam. Sed eo ipso deiecit & uicit hos omnes hostes tanta potentia, ut triumphet nunc de ipsis perpetua maiestate. Deinde hostes sunt omnes impij & impœnitentes homines, siue inter Iudæos, siue inter Gentes, qui non solum nullam fidem adhibent Euangelio eius, uerumetiam persequuntur tam ipsum quam Ecclesiam eius perpetuo & irreconciliabili odio. Etsi autem filius Dei non suscepit aduersus hos externum bellum, gerit tamen semper aduersus eos spirituale bellum, imo uictoria iam parta est, quia omnis, qui non credit in nomen unigeniti filij Dei, iam condemnatus est. Dicitur & armari seu uestiri pallio Zeli, quia tanto zelo ardet erga Ecclesiam suam, ut præ ea ne uitæ quidem suæ parcat, ac deijciat etiam potentissimas Monarchias huius terræ, si hoc studium earum fuerit,

fuerit, ut Ecclesiam suam opprimant & uastent. Sed nec parcit suis ipsius cognatis secundum carnem, et posteris sanctissimorum patriarcharum, quin potius abijcit eos, ne sint amplius populus Dei, postquam in hoc tãtum studium incumbunt, ut Ecclesiam extirpent. Habes armaturã filij Dei, qua & nos tuti sumus, si agnoscamus eum per fidem, & ambulemus in uocatione eius obedienter.

Sed quod in hac pericopa postremo dicitur: Veniet Zioni redẽptor &c. Paulus ad Romanos scribens, cap. undecimo, perspicue interpretatur. Etsi em̃ uerba huius loci paulo aliter apud Paulum legũtur, quippe qui cum scriberet ad eos, qui erant periti Græcæ linguæ, utitur Græca tralatione, sententia tamen eadem est. Monet enim gẽtes, ne sibi blandiantur propter suam electionem, nec præ se contemnant Iudæos, propter ipsorum abiectionem. Iudæi enim non sic abiecti sunt a Deo, ut nullus eorum ullo modo salutem consequi possit. Sed publice quidem Gens eorum abiecta est, ne sit amplius populus Dei: priuatim aũt, quisquis ex ipsis agnoscit Christum per fidem, fit membrum ueri populi Dei, & consequitur æternam salutem. Vnde & antea dixit: Ecce bonitatem ac seueritatem Dei, In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te uero bonitatem, si permanseris in bonitate. Quoniam & tu excideris, uidelicet, si non permãseris in bonitate, & illi rursus, si nõ permanserint in incredulitate, inserẽtur &c. Et postea addit: Dona & uocatio Dei, eiusmodi sunt, ut eorũ illum pœnitere non possit. Vocauit Deus quõdam posteritatem Abrahæ, ut esset populus seu Ecclesia Dei: Et donauit eam hac prærogatiua, ꝙ quisquis inter illos crederet in semen Abrahæ promissum, qui est Christus, adoptaretur in filium Dei, & consequeretur æternam salutem. Etsi autem posteri Abrahæ abiecti sunt hoc tempore a Deo, ꝓpterea, ꝙ ipsi abiecerunt filiũ Dei, tamen Deus non retractat uocationem & donationem suam, sed seruat eam firmam & inuiolatam, ut quisquis inter abiectos posteros Abrahæ resipiscit & agnoscit Christum per fidem, recipiatur iterum in catalogũm populi Dei, & fiat particeps omnis benedictionis, quæ per semen Abrahæ seu per Christum promissa est. Vnde & alias dicit Paulus: Si negamus, & ille negabit: Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest. hoc est, Si abnegauerimus & abiecerimus Christum, nõ fruimur amplius beneficijs eius, sed quemadmodum nos abiecimus Christum, ita & nos uicissim abijcimur. Non tamen sic abijcimur, quod uel non liceat nobis reuerti, uel non iterum, si reuertimur, in grãtiam recipiamur. Etsi enim nos abiecimus Christum incredulitate, tamen Christus non propterea retractat ueritatem Euangelij sui, quo dicitur, quod quisquis credit in eum, nõ pereat, sed habeat æternam uitam, sed manet fidelis, & Euangelij sui seruantissimus. Qua-

re si quis reuertitur, per fidem, tantum abest, ut nõ recipiatur in gratiam, ut potius maiori gaudio receptor, quam receptus afficiatur, quẽ admodum parabola de filio prodigo, & pœnitente satis perspicue significat. Eadem plane est sententia huius prophetici dicti, quod Paulus allegat. Propheta enim commemorauit impietatem & scelera Israelitarum. Et addit, Filium Dei uindicaturum se de hostibus & inimicis suis. Non habuit autem inter homines uirulentiores & crudeliores hostes, quam suum ipsius populum, posteros uidelicet sanctissimorum Patriarcharum Abrahę, Isaac, & Iacob. Quare Propheta significat hunc populum a Deo abijciendum. Nunquid ergo, dicet quispiam, sic abijcientur Israelitæ, ut nullus eorum unquam possit salutem consequi? Hic respondet Propheta. Nihil certe minus sic abijcientur. Quia ueniet Zioni Redemptor, & ijs qui ex posteris Iacob ab impietate sua resipiscunt. Christus enim filius Dei, uerus Redẽptor, non sic sese, abiectis Israelitis, inter gentes conclusit, ut prorsus nunquam uelit amplius esse Redemptor Israelitarum, Sed potius uulgauit Euangelio suam Redemptionem, ut non solum Gentes ea fruantur, uerumetiam Israelitę, quanquam abiecti, possint ea frui, si conuertantur ab incredulitate sua, & agnoscant filium Dei per fidem. Non enim pœnitet Deum uocationis & donorum suorum, si modo non tædeat Israelitas reuersionis & resipiscentiæ suæ. Vocauit quõdam Israelitas populum suum. Vocat adhuc eos populum suum, si modo per fidem in Christum uoluerint esse populus eius. Vides igitur Paulum eadem sentẽtia allegasse hoc dictum, qua Propheta dixit. Sunt autem hæc diligentissime obseruãda, ut ueram noticiã de Gentium, & nostra cuiusq; salute habeamus. Sunt enim, qui Deum tam angustis finibus circumscribunt, ut existimẽt cœlestia beneficia eius, non nisi ad eos, q̃ sunt in externa Ecclesię eius politia, pertinere. Alij si semel ac iterũ aduersus Deum peccauerint, & a Deo defecerint, tam imbecilli animo sunt, ut putent sibi non amplius patere aditum ad Deum, ideoq; de salute sua desperant. Ac omnino quidẽ cauendum est, ne quicquam aduersus Deum peccemus, aut unquam ab eo deficiamus. Quid enim magis impiũ, quid magis pernicioſum, quam a summo bono deficere? Si autem quispiam in aliquo delicto, aut defectione occupatus fuerit, nondum de salute eius cõclamatum est. Patet adhuc receptus ad thronum gratiæ per Iesum Christum filium Dei. Veniet, inquit Propheta, Zioni redemptor, & ijs, qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Nam quod publice ad Gentes attinet, fuerunt quondam omnes Gentes, quæ descenderunt a duobus filijs Nohæ, Iaphet, & Cham propter Idolatrian abiecti. Soli autem hi, qui duxerunt originem suam a Sem per Abrahamum, erant electa Ecclesia Dei. Et tamen, quia DEVS uocauerat per Noham

omnes

omnes posteros eius ad fidem in semen mulieris iam inde ab initio orbis terræ promissum, quam etiam promissionem renouauit & instaurauit in Abraamo, ad quem diserte dicitur, quod in semine suo benedicendæ sint non unius tantum familiæ gentes, sed OMNES gentes, non pœnitet eum huius uocationis, & instaurationis, nec unquam retractat eam, Sed quotquot etiam inter exteras gentes, quæ non sunt de familia Abrahæ, agnouerunt semen mulieris aut Abrahæ per fidem, consecuti sunt cœlestem salutem, quemadmodum testantur exempla Naamani Syri, Niniuitarum, & eorum, quos ad fidem excitarunt Decreta Monarcharum, & miracula, quæ in Daniele extant. Et quotquot in ipsa electa Dei Ecclesia contempserunt promissionem de semine Abrahæ, & abiecerunt eam per incredulitatē, abiecti sunt & ipsi, ne consequerentur benedictionem, nisi se ad fidem, per resipiscentiam receperint, usq; adeo nō pœnitet Deum donationis & uocationis suæ, nec est personarum respector, sed in quauis gente, quisquis agnoscit filium suum Dominum nostrum Iesum Christum per fidem, agnoscitur uicissim a Deo, & adoptatur in hæredem cœlestium bonorum. Syria, Ægyptus, Græcia, & multæ aliē nationes, agnouerunt quondam Christum, & fuerunt electa Dei Ecclesia, ab Apostolis ipsis ædificata. Nunc autem quia agnoscunt Mahometicam impietatem, abiecti sunt a Deo. Sed nunquid ita sunt abiecti, ut non pateat amplius eis receptus ad Christum? Certe adhuc sunt inter eos reliquiæ ueræ Ecclesiæ, & qui defecerunt inter ipsos ad Mahumetem, si reuersi fuerint per pœnitentiam ad Christum, excipiūtur ambabus, quod aiunt, ulnis. Etsi enim nos increduli sumus, ut Paulus ait, tamen Deus fidelis est, & si conuertimur ad eum, negare seipsum non potest. Quod autem priuatim ad singulos homines attinet, eadem est salutis eorum ratio, quæ iam de Gentium salute dicta est. Semel, iterum, tertio, addo sexagies sexies, addo millies, addo plus millies, defecisti a Deo: periculosissime quidem & grauissime peccatum est, Sed si uel tandem resipueris & conuertaris, agnita peccati magnitudine, ad Deum per fidem in Christum filium eius, patet tibi adhuc æternæ salutis ianua. Quia, Venit, inquit Propheta, Zioni Redemptor, & his, qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Et Paulus: Non pœnitet, inquit, Deum donationis, & uocationis suæ. Ac iterum: Fidelis est Deus, seipsum negare non potest. Hæc non eo commemorantur, ut sceleratis, impijs & impœnitentibus concedatur licentia peccandi, donec ipsis uisum fuerit. Recte enim & grauiter dicit Basilius, ὁ ἐλπίδι τῆς μετανοίας κακουργῶν, κακουργίας ἔχει τὸν τρόπον, ὃς ἀπεστέρηται μετανοίας, Sed ut expositione ueritatis Euangelij Dei consulatur imbecillibus conscientijs, ut accepta fiducia resipiscant, & ueram, ac certam salutem propter filium Dei

consequantur. Sed quia Deus promptam suam uoluntatem recipiendi indiscriminatim omnes pœnitentes in gratiam, reuelat & testificatur per publicum ministerium prędicandi Euãgelij, additur promissio de conseruando hoc ministerio in Ecclesia, usque ad nouissimum huius seculi diem. Sic enim sequitur.

HOC FOEDVS MEVM CVM EIS DICIT DOMINVS: SPIRITVS MEVS, QVI EST IN TE, ET VERBA MEA, QVÆ POSVI IN ORE TVO &c.

Hæc est insignis & obseruabilis promissio, quæ maioris cõmendationis gratia uocatur FOEDVS. Hoc, inquit, est fœdus meum cũ eis. Primum igitur redemptor ille Zionis, qui ea, quæ prędecedunt cõcionatus est, idem etiã hæc uerba loquitur, uidelicet, Filius Dei Dñs noster Iesus Christus. Deinde loquitur ea ad cœtũ Ecclesię suę. Hoc, inquiens, est fœdus meũ CVM EIS, uidelicet, Resipiscentibus tam ex Israel, q̃ ex gentibus. Ex utroq; enim populo colligitur cœtus Ecclesiæ Christi. Præterea loquitur de spiritu sancto suo, quem effundit in corda credentium, & de ministerio Euangelij, quod & missione spiritus sancti in Apostolos confirmatum est, & quo spiritus sanctus credentibus datur, & per quod spiritus sanctus est efficax. Vnde cum dixisset: Spiritus meus, qui est in te, addit: Et uerba mea quæ posui in ore tuo. Hæc manifeste dicuntur de Euangelio, quod filius Dei docuit Apostolos suos, & iussit eos uulgare in orbem terræ, & propagare ad posteros. Prædicate, inquiens, Euangelion omni creaturæ. Quod ergo est fœdus illud, quod filius Dei de hoc suo spiritu & ministerio eius, cũ cœtu Ecclesiæ suæ init? Spiritus meus, inquit, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, NVNQVAM RECEDENT de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, a modo et usq; in sempiternum. Quęso uos, quotquot hęc uel audieritis, uel legeritis, nolite hoc fœdus oscitanter considerare. Filius em̃ Dei promittit Ecclesiæ suæ, q̃ nũquam ablaturus sit spiritum sanctum suum ab Ecclesia, & q̃ semper usque ad nouissimum huius seculi diem conseruaturus sit in ea ministerium Euangelij sui. Sic & postea ad Petrum ait: Super hanc petram (hoc est, doctrinam Euangelij, quam modo confessus es, q̃ sim Christus filius Dei uiuẽtis) ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Et alias: Docete seruare omnia quæ præcepi uobis. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, uidelicet, ut hanc doctrinam conseruem, & Ecclesiam meam in omnibus aduersis tuear. Hæc & alia his similia dicta probant nihil certius esse, quam quod Filius Dei gubernet semper Ecclesiam spiritu sancto suo, & tueatur ac conseruet ministerium Euangelij aduersus omnem humanam & Satanicam potentiam. Ac profecto res

ipsa

ipsa testatur, quod nisi filius Dei gubernaret Ecclesiã spiritu sancto suo, nõ potuisset Ecclesia inter tot & tam uarias hæreses, hypocrises, superstitiones, impietates et Idolatrias cõstitisse, & nisi filius Dei tueretur ministerium Euangelij in Ecclesia, fieri non potuisset, ut hoc ministerium inter tot persecutiones, tyrannides, & regnorum huius seculi mutationes, ad nos usq; propagatũ esset. Initio, cum Apostoli emitterentur ad prædicandum Euangelion in uniuerso orbe, quanto furore, quanta potentia, quanta crudelitate opposuerunt se huic prædicationi, tam Iudæi q̃ Gentes? Et tñ Euangelion occisis etiamnum Apostolis, & interfectis multis alijs discipulis Christi, propagatum est ad posteros. Deinde, cum Euangelion inter Gentes fœliciter promoueret, cooriebantur ad hoc delendũ, non abiecti tm̃ homines, sed potentissimi Monarchæ, qui aduersus Euangelion Christi grassati sunt, non solum confictis mendacissimis, & puericię inculcatis Actis Pilati, uerumetiam immanissimis cædibus ministrorum Ecclesiæ & aliorum piorum, ac incendijs etiam sacrorum librorum. Et tñ ne sic quidem efficere potuerunt, ut ministerium Euangelij opprimeretur, & ad posteros non propagaretur. Negari quidem non potest, quin hoc ministerium alias purius, alias corruptius, & alias magnificẽtius, alias contemptius in Ecclesia tractetur, nos aũt loquimur nunc præcipue de scriptis ipsis Apostolicis, in quibus ueritas Euangelij de Christo pure cõtinetur, & de Symbolo Apostolico, quod est epitome totius Euangelij, quæ certe tradita nobis sunt inuiolata, & tradẽtur etiam posteritati, nolentibus, uolentibus omnibus tyrannis & Satanis, usq; ad nouissimum huius seculi diem. Pereunt enim regna, delẽtur Monarchiæ, hoc autem ministeriũ nec perire, nec deleri potest, quippe q̃ fundatum, cõfirmatum & stabilitum sit dextera filij Dei, dominatoris cœli & terræ. Quid igitur dicemus? Num hæc promissio de spiritu sancto & ministerio Euangelij data est Ecclesię in hunc usum, ut quicquid statuerint ac decreuerint Pontifices, qui gloriãtur se Apostolorũ successores & capita Ecclesiæ esse, hoc excipiendum, & exosculandum sit, ut oraculum spiritus sancti? Nihil certe minus. Primum enim, nondum confessum est, eos Pontifices, qui sunt in regno Papistico, esse uel ueros Apostolorũ successores, uel uera Ecclesię membra, nedum capita. Qui. n. persequuntur doctrinã ab Apostolis traditã, & saluti Ecclesię necessariã, quomodo possunt esse ueri Apostolorum successores, aut uera Ecclesię membra, etiãsi loca Apostolorũ, & supremã dignitatem in Ecclesia obtineant? Spiritus sanctus aut promissus est Ecclesiæ, hoc est, agnoscentibus doctrinam Apostolorum, & non persecutoribus Ecclesiæ ac doctrinæ eius. Deinde Spiritus sanctus nõ est ita promissus Ecclesiæ, ut non pnsit & ipsa, quæ in precatione Dominica orat: Remitte nobis debita nostra, alicubi

errare,Sed quod ſpiritu ſancto ita gubernetur, ut etiamſi multitudo errauerit, ueritas tamen in paucis cõſeruetur,donec reuelato errore, etiam reliqui ad Eccleſiam pertinentes in ueram uiam redeant, & ſalutem conſequantur. Accedit & hoc,quod Spiritus ſanctus,&ſi natura ſua liberrimus eſt, tamen uult ſe quæri & comprehendi in uerbo Dei,& uult per uerbum Dei ſuas uirtutes exercere. Vnde & hoc loco Prophetæ,non ſimpliciter dicitur: Spiritus meus,qui eſt in te, ſed additur:Et uerba mea,quę poſui in ore tuo,ut ſignificetur, Spiritum ſanctum tum prę ſentem eſſe,& ſuo officio defungi,cum miniſterium uerbi Dei ſaluũ & incolume fuerit. Ac profecto nihil potuiſſet Eccleſiæ magis neceſſarium,& ſalutare,hac promiſsione de firmitate & ſtabilitate miniſterij uerbi Dei,cõtingere. Hoc enim miniſterio patefacit Deus omnem uoluntatem ſuam & clementiam erga pœnitentes,& expãdit manus ſuas,ut excipiat ad ſalutem,quotquot per fidem acceſſerint. Vt enim quondam non excludebat nec aduenientes Iudæos,qui grauiter peccauerant,nec aduenientes Gentes,quarę maiores iam dudum a uero Deo defecerãt,ita nec his tẽporibus repellit, uel Chriſtianum,a ſceleribus ſuis reſipiſcentẽ,uel Iudæum,ad Chriſtum filium Dei ſeſe fide conuertẽtem,uel Turcã,Euangelion Chriſti agnoſcentem,& Deum Patrem Dñi noſtri Ieſu Chriſti per fidem inuocantem. Nam filius Dei adhuc hodieq; per miniſterium Euangelij ſui publice clamat et uocat: Venite inquiens,ad me OMNES, qui laboratis & onerati eſtis,& ego refocillabo uos. Et cũm hoc miniſterium cõſeruetur diuinitus in terra,ſi nõ ſemper in publicis templis,certe in priuatis familijs,uſq; ad extremum huius mundi diem, dubitari non debet,quin & ianua regni cœlorum, pœnitentibus,ac reuertentibus ad filium Dei ſemper pateat, & filius Dei nullum unquam ad ſe per fidem uenientem excludat. Agamus igitur pro tanto beneficio ſummas gratias Deo Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, & cum nunc ſit tempus acceptum,& dies ſalutis, quemadmodum Paulus ait,demus operam, ne gratiam Dei inuacuum receperimus, ſed ut commendemus nos in omnibus,ſicut miniſtri Dei, &c.

CAPVT LX.

SVRGE ILLVMINARE HIERVSALEM, QVIA VENIT LVMEN TVVM, ET GLORIA, &c.

Siue hæc ſit adhortatio priori concioni, de reuelatione & ſtabilitate miniſterij Euangelij,addita,ſiue noua ſit concio,certe deſcriptio eſt regni Chriſti,tam iucunda,ut pijs nihil nec auditu, nec lectu ſuauius accidere poſsit,& tam inſignis,ut nihil in ulla hiſtoria,de potentiſsimis

tissimis etiam,& fœlicissimis Monarchijs,nec sublimius,nec excellentius,nec magnificentius extet.

In Daniele, Monarchia Babylonica,uocatur aurea,Et Persica uocatur argentea,q̄ in his regnis fuerit mediocris quędam trāquillitas & fœlicitas huius mūdi,præ alijs regnis,quę postea secuta sunt. Trā quillitas autem & fœlicitas,quæ hic in regno Christi describitur,superat omnia mundana bona,ut pārum dixeris, si hoc regnum uel aureum,uel argenteum uocaueris,Cœleste aut potius diuinum uocandum est,quod hoc filius ipse Dei gubernet, & conferat in incolas huius regni beneficia cœlestia,& perpetuo duratura. Non est autem dubium,quin describatur hic regnum,non mundani cuiusdam Monarchæ,sed tantum Domini nostri Iesu Christi. Alloquitur enim Prophetа urbem Hierusalem,aut Zionem,sicut infra dicit: Vocabunt te ciuitatem Domini,Ziō sancti Israelis. Manifestum autem est, quod in Hierusalem aut Zione nunquam tale externum & mundanum regnum extiterit, quale hic describitur,nec unquam ei urbi tāta huius seculi fœlicitas contigerit,quanta ei hoc loco promittitur. Et ut sese habent conditiones huius mundi,fieri non potest,ut in hac terra tale unquam regnum,κατὰ δ' ἐξοχὴν Prophetę, constituatur. Quare necessario sequitur, quod fiat hic descriptio spiritualis regni Christi,quod regnum Christus in urbe Hierusalē aut in Zione administrandū suscepit, & administrabit ac gubernabit perpetuo. Sicut & Psal. dicit: Ego constitutus sum rex ab eo super Zion mōtem sanctum eius. Et iterum: Virgam uirtutis tuæ emittet Dñs ex Zion,dominare in medio inimicorum tuorum. Acrursus: Ponam in seculum seculi semen eius,& thronū eius sicut dies cœli. Sed & Apocalypsis Ioānis Theologi in descriptione spiritualis urbis Hierusalem,quę est Ecclesia,sedes uidelicet,& thronus regni Christi, utitur non sentētijs tantum, sed & uerbis huius Capitis,ut significet hic describi spirituale regnū Christi. Ciuitas,inquit,non eget sole neq; luna, ut luceant in ea. Et mox. Portæ eius non claudentur per diem. Acrursus: Nox ultra nō erit, & non egent lumine lucernæ, neq; lumine Solis, quoniā Dñs Deus illuminat illos &c. Hæc recitātur in Apocalypsi, ex isto lx. ca. Esaiæ. Quare manifestum est, quōd hæc concio describat regnum Christi,quod prædicatione Euangelij, initio a Hierosolymis facto, constitutum est in toto orbe terrarum. Commendat autem Spiritus sanctus hoc regnum a rebus longe omnium clarissimis & excellentissimis,quales in nullo unquam mundano regno aut fuerunt aut erunt, Videlicet a maiestate Regis, ab incolarum multitudine,a uenetatione & obedientia omnium gentium, a magnificentia ædificiorū, a copia & abūdantia oīm rerum,a moderatione & æquitate magistratuum, a iusticia subditorum, denique a uera & perpetua fœlicitate.

Apoca. cap. 21. & 22.

Surge, inquit, & illustreris. Tu Hierusalem, iaces hactenus prostrata & conculcata ab hostibus, & contempta a gentibus finitimis. Babylonij uastant & æquant te solo. Antiochus sordidat & turpificat te sua impietate. Herodes opprimit te sua crudelitate. Itaque iaces hic ita prostrata & deiecta, ut uideatur te nunquam amplius mediocrem, aut saltem tolerabilem aliquam salutem recuperaturam. Sed nunc agedum, tempus est, ut expergiscaris, ut sustollas caput tuum, ut exurgas e puluere, ut emergas e tenebris, & fias illustris ac beata. Quæso igitur te, Mi Esaia, Propheta animo meo carissime, dicito mihi, quid noui hoc tempore acciderit, quod me ter miseram & afflictam consolari & recreare queat? Audi ergo, o ueneranda Sponsa filij Dei, quid sit, quod te expergefacere, & maximo omnium gaudio afficere debeat. Venit enim LVX tua, & gloria Domini in te orta est. Hæc eandem plane habent sententiam, quam uerba Angeli ad pastores, postquam Christus natus esset. Sic enim dicit Angelus: Ecce, adnuncio uobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie seruator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et enim uera lux urbis Hierusalem, seu Ecclesiæ, est Christus. Dedi, inquit, te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Et, Erat uera lux, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Est & Christus, gloria Domini, quod Christus nomen Domini Dei Patris sui in terris glorificauerit, & uicissim a Deo Patre suo sit glorificatus, cũ Pater suscitaret eum a mortuis, & faceret eum sedere, ut Paulus ait, ad dextrã suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem & dominationẽ etc. Quare, cum Propheta dicit, Lucẽ Zionis uenisse, & gloriam Domini ortam esse, significat Christum filium Dei natũ esse, ideoq; ingenti lętitia gestiendum, quod uera & æterna Salus aduenerit. Vides autẽ, quod Propheta, & si habuit hanc concionem plusquam septingentis annis, antequam Christus nasceretur, tamen spiritu suo feratur in id tempus, quo Christus in Bethlehem nascitur, nec aliter hanc concionem recitet, quam si eam publice in urbe Hierusalẽ, eo tempore, quo Angelus cum Pastoribus in agro colloquitur, commemoraret. Quam ergo utilitatem attulit Esaias suis auditoribus hac concione, cum narret eis res post tot primum annos gerendas, & implendas? Ostendimus iam sæpenumero, quod pij auditores Esaiæ fuerint metu futuræ Babylonicę deuastationis ita perculsi, ut solliciti fuerint non de externa tãtum incolumitate urbis Hierusalẽ, sed etiam, ac multo magis de uera & æterna Ecclesiæ salute. Quare consolatur eos Esaias hac concione, & docet urbem Hierusalem, post deuastationem eius, non solum instaurandam, sed etiam pręsentia, concionibus, & miraculis Filij Dei ita illustrandam, ut ex ea

salus

ſalus ad ómnes Gentes diuulgetur. Deinde, cum non ſit in alio quoquam remiſsio peccatorum, iuſticia & ſalus, præterquam in Ieſu Chriſto, Eſaias opportune, imo neceſſario concionatur auditoribus ſuis, de aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de regno eius, ut, ſi qui territi ſunt iudicio peccati, & ſitiunt iuſticiam ac ſalutem, excitentur ad fidem in Chriſtum, & accipiant per eum remiſsionem peccatorum, ac reputentur coram Deo iuſti, & ſeruentur. Quare ſicut hæc concio eſt nobis, qui ſupra ſeſquimilleſimum annum, poſt natiuitatem Chriſti, uitam in terris agimus, iucundiſsimum & utiliſsimum Euangelion, quo fidem, qua coram Deo propter Chriſtum iuſtificamur, concipimus & confirmamus, ita fuit inter auditores Eſaiæ, potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

Séd ut hoc beneficium, quod urbi Hieruſalem contingit, amplificetur, confert eam Propheta cum alijs terris & populis. Ecce, inquiens, tenebræ operient terram, & caligo populos, in te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. In Exodo, cap. decimo fiunt horribiles tenebræ in uniuerſa terra Ægypti: ubicunq; autem habitant filij Iſrael, lux eſt. Sic & hoc loco, operiunt tenebræ omnes alias terras, & caligo obſcurat omnes alios populos, in ſola autem Hieruſalem oritur Dominus, uidelicet, Chriſtus filius Dei, qui eſt uera & æterna lux, & in ſola Zion reuelatur ſeu apparet gloria Domini.

Ac primum quidem quod ad externam urbem Hieruſalem attinet, nulla certe eſt regio in terris, nulla urbs, nulla ciuitas, nullus alius locus, cui tam illuſtris dignitas contigit, quam urbi Hieruſalem. Celebris quidem fuit Babylon, celebres Suſæ, celebres Athenæ, celebris Roma, Sed hæ omnes urbes & gentes obſcurantur, & caligine operiuntur clariſsima dignitate, & illuſtriſsima prærogatiua urbis Hieruſalem. In hac enim urbe concionatus eſt Chriſtus filius Dei Euangelion ſuum. In hac urbe ædidit multa & magna miracula. In hac urbe peregit ſacrificium ſuum in expiationem peccatorum noſtrorum. In hac urbe reſurrexit a mortuis. Non longe ab hac urbe aſcendit in cœlum. In hac urbe miſit Spiritum ſanctum diſcipulis ſuis. Denique ex hac urbe diuulgauit Euangelion per Apoſtolos in omnes gentes, ut quotquot Euangelio ex hac urbe diuulgato credunt, conſequantur æternam iuſticiam & ſalutem. Vnde & propter hanc cauſam dicit Aggæus de poſteriori templo in hac urbe, Maior erit gloria domus iſtius nouiſsimæ, quam primæ. Quare, cum hanc prærogatiuam conſideramus, conuenienter dicitur lucem urbis Hieruſalem obſcurare omnes alias terras & populos. Deinde, quòd attinet ad ſpiritualem & cœleſtem Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quæ cœpit initio, poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, colligi ex Iudæis in externa urbe Hieruſalē, manifeſtum eſt,

quod in ſola illa ſpirituali Hieruſalem ſit uera lux, in omnibus autẽ alijs terris, nationibus & populis, tenebræ & caligo. In ſola enim Ecclesia habitat Chriſtus. Et ubi Chriſtus habitat, ibi eſt & uera lux. Nam qui in Chriſtum credit, habet lucem, qua euadat tenebras peccati, mortis & inferni, ac perueniat ad ſplendorem iuſticiæ uitæ, & cœleſtis regni. Vbi autem Chriſtus non habitat, quid aliud ibi reliquũ eſt, quam horribiles tenebræ, in quibus Gentes & populi Chriſtum filium Dei contemnentes & abijciẽtes, perpetuo intereant. Neque enim tantum lucis habent, uel in humana ſua ratione, uel in carnali ſua potentia, ut queant tenebras peccati & mortis effugere, & ad ueram iuſticiam ac uitam euadere. Cum igitur uera lux, diſpulſis tenebris, in Hieruſalem oriatur, recte admonetur, ut non amplius iaceat in puluere & in tenebris, ſed exurgat, & agnoſcat lucem ſuam, qua illuſtretur ſplendore æternæ fœlicitatis.

Quid ergo dicemus? Num hæc lux intra pomœria urbis Hieruſalem ita includetur, ut ea ſoli eius ciues fruantur, & illuſtrentur? Soli quidem ciues & incolæ huius urbis fruuntur ea, non ſoli autem Iudæi ſunt ciues & incolæ, ſed etiam Gentes fiunt ciues, cum Chriſtum per fidem agnoſcunt, & luce eius illuſtrantur. Eccleſia enim Domini initio quidem colligi cœpit ex Iudæis, ſed mox uulgato Euangelio inter Gentes, ſic aucta & multiplicata eſt Gentibus, ut nullo amplius numero comprehendi potuerit. Vnde & ſequitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, hoc eſt: Venient Gentes ad tuam lucem, & Reges ad ſplendorem, qui tibi oritur. Tantus eſt ſplendor lucis tuæ, ut etiam externæ Gentes & Reges ad fruendam eam properent. Poſtquam enim Euangelion de Chriſto uulgatum eſt inter Gentes, agnouerunt Chriſtum non ſolum priuati homines, inter Gentes, ſed etiam Principes & Reges gentium. Exemplo ſunt Cornelius Centurio, Eunuchus Aethiops, Sergius Paulus, Publius Melitenſis, Conſtantinus, Theodoſius, & alij. Habes lucis huius, quæ eſt Chriſtus ipſe, maieſtatem, qua non ſolum Iudæi, ſed etiam Gentes, & non tantum priuati & abiecti, uerum etiam Principes & Reges illuſtrantur.

LEVA IN CIRCVITV OCVLOS TVOS, ET VIDE, OMNES ISTI &c.

Aliud argumentum exhortandi aut conſolandi, & alia commendatio urbis Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia & ſedes regni Chriſti. Ducitur autem hæc commendatio a populi multitudine. Magna enim urbis laus eſt, populoſam eſſe, et frequentem, ac non tam a finitimis, ꝙ̃ longinquis Gentibus negociationis aut religionis ergo uiſitari. Nunc quidem tu, o Hieruſalem, uideris præ ciuium paucitate, deſerta, nunc tu o Eccleſia, uideris, prę uere credentium paucitate, uaſtata.

Tu

Tu Zacharia,tu Eliſabeth , tu Maria & Ioſeph,uos Paſtores,tu Si/meon & Anna,tu Ioannes Baptiſta,uos Apoſtoli,& pauciſsimi qui dam alij,uidemini nunc eſſe grex tam puſillus,tam abiectus,ut iudi/cetis ipſi,fieri non poſſe,quin ſtatim uniuerſa Eccleſia ſit interitura. Sed confide,mea Eccleſiola. Vnus quondam erat Abraham,& tamẽ Dominus multiplicauit ſemẽ eius,ſicut ſunt ſtellæ cœli,& arena maris:ita &ſi tu hoc tempore deijcis oculos tuos propter tuam paucitatem , tamen ſi commoreris pauliſper , tantam uidebis multitudinem tuorum ciuium,ut eam uiſu comprehendere nequeas. Leua,quæſo, circumfer oculos tuos in omnes partes tuæ regionis . En,omnis iſta multitudo populi,quam uides innumeram eſſe,conueniunt,ut ad te proficiſcantur,& fiant incolæ tui. En,ueniunt ad te filij & filiæ tuæ, hoc eſt,ciues,non e propinquis tantum regionibus,ſed etiam e longinquis,quæ ſunt & ante te,& ad latus tuum,hoc eſt,ex omnibus circum circa regionibus,etiam procul diſsitis. Non enim finitimæ tantum gentes,uerumetiam longe ad latus tuę regionis habitantes & diſtantes,fouebunt ac enutrient tibi ciues. Ac breuiter,tanta erit multitudo ciuium tuorum,ut tu ipſa,cum ea uideris, maxima capiaris admiratione,ac etiam obſtupeſcas,& cor tuum præ ingenti lætitia geſtiat. Conuertetur enim ad te multitudo maris,hoc eſt,eorum qui in inſulis maris habitãt. Et ueniet ad te Fortitudo, hoc eſt,magna copia gentium. Inundatio Camelorum operiet te. Hæ gẽtes,quæ utuntur Camelis,properabunt ad te tanta Camelorum multitudine , ut ſicut eluuio aquarum terram operit,ita ipſi omnia loca occupabunt. Dromedarij Madian & Epha uenient. Dromedarij ſunt equi curſores. In Hebræo autem textu pro Drõmedarijs habetur בכרי Bichre , quod ſignificat primogenitos. Interpretes exponunt pro iunioribus Camelis,qui ſunt ad curſum aptiores. Madian autem, uel ut Hebræi legũt Midian,fuit filius Abrahæ ex Cetura : Filius autem Midian fuit Epha,Gen. uigeſimoquinto. Et horum nominibus regiones illæ Arabicæ,quæ camelis utuntur , ſic uocatæ fuerunt . Senſus igitur eſt, Qui habitant in Midian & Epha,teneri nõ poterunt,quin,qua poſſint feſtinantia,accelerent ad te Dromedarijs ſeu Camelis ſuis.

Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferẽtes, & laudem Domino adnunciantes . Saba,ut hoc loco ſcribitur, fuit filius Iokſan,filij Abrahæ e Cetura,qui & ſuæ regioni nomen dedit,& cuius regionis regina uiſitauit Salomonem. Venient igitur etiam Sabæi in Hieruſalem,nec uenient uacui,ſed onuſti auro & aromatibus, & celebrabunt nomen Domini.

Omne pecus Cedar congregabitur tibi , Arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi , offerentur ſuper altari meo , quod mihi placet , & glorificabo domum maieſtatis meæ . Cedar & Nabaioth fuerunt

Gen. 16. filij Ismaelis, a quibus & hæ orientales regiones nomina sua sortitæ sunt. Significat igitur Propheta Cedareos & Nabatheos oblaturas suas oues Domino, & eas oblationes Domino gratas fore, quibus etiam templum eius glorificabitur, & illustrius reddetur. Hæc omnia non sic intelligenda sunt, quod gentes profecturæ sint, desertis suis regionibus, corporali modo, ad urbē Hierusalē, & illic habituræ ius externę ciuitatis, ac oblaturę externa sacrificia: Quomō. n. una urbs tot gētes capere posset? sed q̄ ad oēs has gētes siue in terrā, siue in insulis maris habitātes, peruenturę sit Euāgelion Dñi nostri Iesu Christi, & colligēda sit Ecclesia per Apostolos ex oībus illis gentibus, ut magna pars earę agnoscant Iesum Christum seruatorem nostrum, & agant Deo Patri Dñi nostri Iesu Christi pro beneficio Euangelij ingentes gratias, ac laudabunt tam publice q̄ priuatim, tam uerbis, q̄ factis nomen Dñi, et adiuuabunt, quoq̄ modo poterunt Ecclesiā eius.

Hæc cum recitata fuerunt Zachariæ, Simeoni, Iosepho, Mariæ, Annæ, Pastoribus & alijs, ac paulo post rebus ipsis impleta, cum ad has gentes diuulgatū esset Euangelion Christi, an teneri potuerunt, ut non admirarentur, obstupescerent, & quemadmodum Propheta loquitur, affluerent, ac corde suo dilatarentur? Ac profecto, si conferas inter se Christum, Euāgelion Christi, Iudæos, & Gentes, miraculum maximū omnium uidebitur, quod Gentes, deserta sua auita religione, subiecerint sese Christo per fidem. Christus enim non erat natus ex gentibus, sed ex Iudæis, qui Gentibus natura erant exosi. Erat & Christus a suo ipsius populo morte dānatus, & quod probrosissimum iudicabatur, crucifixus. Euangelion Christi non constabat humana sapientia, & eloquentia, sed potius uidebatur summa stultitia & balbucies. Et Euangelion non promittebat terrenam aliquam fœlicitatem, quę & sensui exposita est, & uidetur hominibus afferre magnam utilitatem, sed promittebat cœlestem quidem, inuisibilem autem, & humanæ rationi incomprehensibilem fœlicitatem. Deinde, non Iudęi solum, sed etiam potentissimi quiq̄ inter Gentes cooriebantur uno impetu ad extinguendum nomen Christi, & ad delendum Euangelion eius. Nam & Apostoli interficiebantur crudeliter, & discipuli eorum omnibus malorum generibus affligebātur immaniter. Vt non & hoc addam, quod Gentium religio non solum erat ipsis a maioribus per manus tradita, & multa seculorum serie ac publico totius pene orbis consensu confirmata, sed etiam summa Principum & Monarcharum huius seculi potentia munita. Nihilominus tamen tanta hominum multitudo ex omnibus gentibus, & nationibus conuersi sunt, per prædicationem Euāgelij ad fidem in Christū, ut qui hoc diligenter perpendit, teneri non queat, quin obstupescat. Negari quidē non potest, quod & multi agnoscant Mahumetismū:

Sed

Sed hoc mirādum non eſt, propterea quod Mahumetiſmus tradat ea, quæ ſunt hominibus, quorum deus uenter eſt, uoluptati. Et defenditur magna tyrannide, ut qui ſunt paulo ſaniores, metu coerceantur, ne impietati tam furioſæ & beluinæ obſiſtant. Chriſtianiſmus autem, nec tradit carni iucūda, nec defendebatur humanis uiribus, ſed collata potius in unum tam Iudæorum q̄ gentium potentia opprimebatur. Et tamen ad prædicationem Euangelij Gentes unanimiter fluunt ad mōtem Dei, ſicut Eſaias alias dicit, & eunt multi populi dicentes: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob &c. Quid eſt miraculum, ſi hoc non eſt? Sed quemadmodum Chriſtus Reſurrectione ſua a mortuis teſtificatus eſt ſe uere eſſe filium Dei, adeoq̄ natura Deū, ita & hoc miraculo cōprobauit ſe ſedere ad dextram Dei Patris ſui, & dominari in medio inimicorum ſuorum. Agnoſcamus igitur maieſtatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & agamus ei gratias pro beneficio uocationis gentiū, quod cum & nos ducimus originem noſtram ex gentibus, fruamur dono clemētię eius, & cognoſcamus ueram uiam perpetuæ ſalutis.

Cęterum, quod dicit, OMNES de Saba uenient. Et: OMNE PECVS Cedar congregabitur tibi, non ſic intelligendum eſt, q̄ OMNES Sabæi & Cedareni credituri ſint in Chriſtum: Magna enim pars gētium manent in incredulitate, Sed quod prędicatio Euangelij peruentura ſit ad omnes Sabęos & Cedarenos, & quod ex omnibus locis harum regionum Eccleſia Chriſti ſit colligenda. Sicut & Paulus Colo. i. de Euangelio dicit, quod fructificet in TOTO mundo &c.

QVI SVNT ISTI, QVI VT NVBES VOLANT, ET QVASI COLVMBÆ &c.

Perſeuerat adhuc in exponenda uocatione gentium. Et cum ſupra dixit, quōd Eccleſia admiratura ſit tātam gentium acceſsionem ad Chriſtum per fidem, nunc Chriſtus ipſe admiratur, qui ſint iſti, qui tanta multitudine, & impetu ad audiendum Euāgelion properant. Qui ſunt, inquiens, iſti, qui ūt nubes uolant. Video magnam populi uim ad audiendam doctrinam Euāgelij irruere. Sicut enim nubes uento impulſæ proripiunt ſeſe magna feſtinantia ab Occidē te in Orientem, ita & gentes diuino ſpiritu excitatæ contendunt intento curſu ad cognoſcendum Euangelion meum. Et quemadmodum columbæ una conglobatę magno impetu irruunt in feneſtras ſeu oſtiola columbarij ſui, ita gentes irruunt in conciones Euangelij. Inſulæ enim me expectant, & naues maris a principio &c. Per Inſulas generaliter intelligūtur Omnes gentes, quæ Iudæis ſunt ad Occidētem ſiue in mari ſiue ultra mare habitent. Nam quo tempore Eſaias cōcionatus eſt in urbe Hieruſalem, erant Iſraelitis quędā

tantum insulæ maris notæ, non autem gentes ultra mare, quippe qꝑ hæ adhuc obscuriores essent, q̄ꝑ ut fama earum tam late fuisset spar sa, cum & Roma ipsa cœperit primum condi Ezechiæ temporibus. Q̄z autē dicit, A principio, uel respicit in illud Psalmi lxxi. Reges Tharsis seu Maris, & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei. Itaqꝫ hic sensus erit: Non iam primum de gentibus dicitur, qꝑ sint Euangelio meo creditura, sed iam olim, a principio regni Israelitici, per Dauidem dictum est, qꝑ Insulæ seu gentes & reges eorum, sint accessuri ad meam Ecclesiā, & eam, quoquo officio possunt, adiuturi. Vel respicit in illud, quod ij. Paralip. ix. scriptū est, Legatos diuersarum gentium, & omnes reges Arabiæ, & Satrapas terrarum comportasse aurum & argentum Salomoni. Et additur postea. Naues regis ibant in Tharsis seu Mare cum seruis Hiram semel in annis tribus, & deferebant inde aurum, argentum, & bur, Simias & Pauones. Itaqꝫ hic erit sensus. A principio quidem, cum regnum Israelis confirmatum esset in manu Salomonis, detulerunt Salomoni munera non solum finitimi Reges, uerumetiam Insulæ gētium. Et quemadmodum tunc adduxerunt in nauibus Simias & Pauones, ita nunc adducent filios seu ciues tuos, o Hierusalem, delonge, & una cum ipsis, etiam aurum & argētum eorum nomini Domini Dei tui, & Sancto Israelis, qui & te hac gloria & magnificentia ornat. Hæc omnia, & si ita recitantur, perinde ac si Gentes allaturæ essent in nauibus externum aurum ad urbem Hierusalem, quemadmodum factum est tēporibus Salomonis, tamen quia agitur de uocatione gentium ad fidem in Christum, per Euangeliō eius, idcirco sic intelligenda sunt, quemadmodum res ipsa interpretatur, uidelicet, quod Gentes excitatæ per Euangelion, credent in Christum, & fient ciues spiritualis urbis Hierusalem, quę est Ecclesia, ac conferent opes suas ad iuuandam Ecclesiam, & ad conseruandum ministerium Ecclesiæ, quod est prædicatio Euangelij Domini nostri Iesu Christi. Non enim recte adducis aurum & argentum tuum in nauibus ad Hierusalem, cū accepta multa pecunia suscipis peregrinationem ad terram sanctam, ut propter tantum sumptum & pericula consequaris remissionem peccatorum, & reportes tecū dignitatem equitis, ut uocant, aurati. Hæc non est uera pietas, sed superstitio, aut etiam curiositas & ambitio: Sed tum demum adducis aurum & argētum tuum Domino Deo tuo in Hierusalem, cum sumptu & opera tua adiuuas piam doctrinam Euāgelij, ut ea in Ecclesia conseruetur, & ad posteros propagetur. Deinde, cum operibus tuis sustētas inopiam & egestatem pauperum, ut cum deficias, recipiant te in æterna tabernacula. Hæc est peregrinatio, hic est cul

tus

tus Deo gratiſsimus. Sed nec hoc prætereundum eſt, quod ſicut alias ſæpenumero, ita & hoc loco Chriſtus dicatur Dominus Deus, Sanctus Iſraelis. Dicit enim Gentes adducturas in nauibus aurum & argentum nomini Domini Dei noſtri, & Sancti Iſraelis. Gentes autem adduxerunt aurum & argentum ſuum, ad Ieſum Chriſtum. Quare Ieſus Chriſtus prædicatur hoc loco uerus Dominus Deus noſter, nec eſt alius Deus, quo in morte ad æternam uitam ſeruamur.

ET ÆDIFICABVNT FILII ALIENI MVROS TVOS, ET REGES EORVM &c.

Alia commendatio Eccleſiæ a maieſtate. Summa enim maieſtas eſt, habere non tantum domeſticos, & indigenas, uerumetiam alienos, adeoque Reges eorum, ſeruos ac miniſtros. Olim Babylon & Roma fuerunt inſignes, quod dominationi earum ſubiecti fuerint non priuati tantum homines, & finitimæ quædam regiones, uerumetiam Reges & Regna. Sed hi Reges contulerunt magis operam ſuam, ut hæ urbes delerentur, & uaſtarentur, quam ut ædificarentur ac conſeruarentur, quo poſſent ipſi priſtinam ſuam libertatem cõſequi. Vrbs autem Hieruſalem multo inſignior & magnificentior erit, quod Gentes ei ſubiectæ ſtudebunt eam ædificare & conſeruare. Et ad hanc ædificationem miniſtrabunt Reges earum ſumptus. Itaque tanto excellentior erit maieſtas urbis Hieruſalem, quam Babylonis aut Romæ, quanto maiorem operam conferẽt ad conſeruationem eius Reges gentium, una cum populis ſuis. Non eſt autem ignotum, quod nomine urbis Hieruſalem intelligenda ſit Eccleſia Chriſti, quæ primum omnium cœpit in Hieruſalem Apoſtolica prædicatione colligi. Et Ædificium eius, ædificium eſt ſpirituale. Guſtaſtis, inquit Petrus, quod benignus ſit Dominus, ad quem accedentes, qui lapis eſt uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum uero electus, ac precioſus, ipſi quoque ueluti uiui lapides ædificemini, domus ſpiritualis &c. Ædificatores uero ſeu architecti ſunt Apoſtoli, & miniſtri Eccleſiæ, qui adnunciant Euangelion, & uocant auditores ſuos ad Eccleſiam filij Dei, ut coædificentur, quemadmodum Paulus loquitur, in habitaculum Dei per ſpiritum. Et iterum dicit Paulus. Vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuper illud ædificat. Quare, cum Propheta ait, filios Alienorum ædificaturos murum Hieruſalem, & Reges eorum miniſtraturos ſumptum, ſignificat poſt Aſcenſum Chriſti in cœlum, futurum eſſe, ut non ſolum Apoſtoli & reliqui diſcipuli, qui ſunt ex Iudæis, uerumetiam multi alij, qui ſunt ex Gentibus, prædicaturi ſint Euangelion Chriſti, ut Eccleſia ædificetur, conſeruetur ac ad poſteros propagetur, quorum Ephes.

ſtudium & operam iuuabunt ſuis ipſorum ſumptibus Reges & Principes. Reſpexit autem hoc dicto Spiritus ſanctus in Irenæum, Athanaſium, Baſilium, Chryſoſtomum, Hilarium, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, & innumeros alios, qui nō fuerunt filij Iſraelis ſecundum carnem, ſed filij alienorum, ex Gentibus, & ædificarunt Eccleſiam non uoce tantum, ſed & ſcriptis, ut poſteritas Eccleſiæ, habeat in doctrina Euangelij Chriſti ſua ſingulorum ſeculorum teſtimonia. Reſpexit etiam ſpiritus ſanctus in Conſtantinum, Theodoſium, & alios Reges ac Principes Gentium, qui in hoc ſtudium incumbunt, ut uera Euangelij doctrina in Eccleſia conſeruetur, & ad poſteros propagetur. Bene igitur in periculis Eccleſiæ confidamus, nec dubitemus, quin cum Deus hactenus hanc promiſsionem in medio furore hominum & Satanarum ſeruauerit, ac ædificatores, & tutores Eccleſiæ ſuæ excitauerit, deinceps quoque ueritatem uerbi ſui impleat, & ædificationem Eccleſiæ, ceſſantibus licet domeſticis, excitatis tamen filijs alienorum, & Regibus eorum, progredi faciat.

Sed quæ eſt tantæ mutationis cauſa, quod cum antea Alieni & Reges eorum deſtruxerint muros urbis Hieruſalem, nunc uerſa uice reædificent ac inſtaurent eos? Babylonij cum Rege ſuo non ſolum deſtruxerunt muros, uerumetiam totam urbem deuaſtarūt. Antiochus, Pompeius, & Herodes, & ſi non ſunt demoliti muros eius, tamen intulerunt ei maiora damna, quam ſi lapides muri diſsi paſſent. Sed nunc, inquit, filij alienorum ædificabunt muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. Quæ ergo eſt huius mutationis cauſa? Sequitur. In Indignatione enim mea percuſsi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui. Diximus antea, quod in audienda hac Eſaiæ concione cogitandum nobis ſit, Eſaiam, non ſub Ahazo aut Ezechia, ſed ſub Herode, nato iam Chriſto, in medium ciuium urbis Hieruſalem proceſsiſſe, & hanc concionem recitaſſe. Huc enim ſpiritus ſanctus reſpexit. Priuſquam igitur Chriſtus natus eſſet, dicitur Deus urbi Hieruſalem, & populo Eccleſiæ ſuæ iraſci, & in ira atque indignatione ſua percutere ac affligere eam. Sic afflixit Eccleſiam ſuam in Ægypto, per Pharaonem, in terra Canaan, per gentes finitimas, per Aſsyrios, per Babylonios, per Antiochum, & alios tyrannos. Poſtquam autem Chriſtus natus eſt, ceſſat oīs ira Dei erga Eccleſiā ſuam, & ſuccedit in locum eius fauor, gratia, reconciliatio, & ſempiterna miſericordia. In indignatione, inquit, mea percuſsi te. In reconciliatione autem mea miſertus ſum tui. Quid ergo dicemus? Num Deus antea non fuit populo ſuo? An non eſt eum ulla clementia complexus? Et, Num iam nato Chriſto, non amplius iraſcitur, non amplius affligit Eccleſiam

cleſiam ſuam? De hac re ita ſentiendum eſt, quod & ſi Deus ante natum Chriſtum ſemper complexus eſt ueram ſuam Eccleſiam ſumma clementia & miſericordia, & nunc etiam poſt natum Chriſtum multis aduerſis eam affligit, tamen quia Eccleſia tunc erat adhuc ſub lege, & nondum reuelatus erat Chriſtus natiuitate & prædicatione Euangelij ſui, dicitur Eccleſia tunc fuiſſe adhuc in peccatis, in ira Dei, & in morte. Per legem enim, ut Paulus ait, agnitio peccati. Et, Per præceptum fit peccatum maiorem in modum peccans. Ac rurſus, Lex iram operatur. Et iterum: Litera, hoc eſt, lex occidit. Et alias: Veniente mandato, peccatum reuixit, ego uero mortuus ſum. Et repertum eſt mandatum, quod inſtitutum erat ad uitam, cedere mihi ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit. Quare, urbs Hieruſalem, ſeu Eccleſia Dei, quæ nomine Hieruſalem ſignificatur, dicitur tantiſper ſub peccato, ſub ira Dei, & ſub morte fuiſſe, dum ſub lege, tanquam ſub pædagogo cuſtodita fuit. Poſtquam autem natus eſt Chriſtus, & facta eſt per eum expiatio peccati, reconciliatio Dei, & uicta eſt mors, ac reuelatum & diuulgatum eſt Euangelion gratiæ Dei inter omnes Gentes, Eccleſia non amplius dicitur eſſe ſub peccato, ſub ira Dei & morte, ſed ſub iuſticia, ſub gratia Dei, & æterna uita. Non eſtis, inquit Paulus, ſub LEGE, Sed ſub GRATIA. Et iterum. Antequam ueniſſet fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide iuſtificaremur. At poſtquam uenit fides, non amplius ſub pædagogo ſumus. Omnes enim FILII Dei eſtis, eo quod credidiſtis Chriſto Ieſu. Et rurſus: Nunc propius eſt nobis ſalus, quam tum cum credebamus. Ac iterum: Ecce nunc tempus acceptum, nunc dies ſalutis. Huc etiam facit, quod Ioannes ait: Lex per Moſen data eſt. Gratia autem & ueritas per Ieſum Chriſtum exorta eſt. Cum igitur Lex adhuc regnaret, percutiebatur Eccleſia in ira Domini. Poſtquam autem uenit Chriſtus, reuelata etiam eſt gratia Dei, ut & ſi deinceps Eccleſia affligitur, tamen quia ſub gratia eſt, ea afflictio non eſt ira, ſed clementia, qua Deus Eccleſiam ſic complectitur, ut affligendo ſeruet eam, tantum abeſt, ut perdat. Vnde & ſupra dictum eſt capite quinquageſimoquarto: In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui &c. Et mox: Iuraui ut non iraſcar tibi, & non increpem te. Montes commouebuntur &c.

ET APERIENTVR PORTÆ TVÆ IVGITER, DIE AC NOCTE NON CLAVDENTVR &c.

Alia commendatio urbis Hierusalem, ducta a facili receptu gentium. Aliæ enim urbes, non admittunt quosuis, quouis tempore, sed noctu quidem clauduntur portæ, interdiu autem, & si patent portæ, tamen non admittuntur mendici, aut hi, qui ex locis hostilibus uel pestilentia infectis ueniunt. Accedit & hoc, quod quamquam multi admittantur & recipiantur in alias urbes, tamen non omnibus datur ius ciuitatis, nec permittitur eis, ut fruantur priuilegijs ciuium. Hierusalem autem noctu diuq; semper patet, ac non solum quosuis aduenientes siue Iudæos, siue Gentes, siue diuites, siue mendicos, recipit, uerumetiam communicat cum eis omne ius ciuitatis. Non claudentur, inquit, portæ die & nocte. Quam ob causam? Sequitur. Vt afferatur ad te fortitudo Gentium. hoc est, Portæ idcirco semper patentes erunt, ut cum magna uis, magna multitudo Gentium, una cum Regibus earum, adducuntur, inueniant quouis tempore portam apertam, & excipiantur patentibus ostijs. Manifestum autem est, quod non fiat hic sermo de externa urbe Hierusalem, sed de spirituali, quæ in externa illa cœpit in die Pentecostes per Euangelion extrui, & est Ecclesia Domini nostri Iesu Christi. Portæ igitur huius spiritualis Hierusalem semper diu noctuque quibusuis patent: Primum, quia Euangelion cœpit ab urbe Hierusalem uulgari in uniuersum orbem terræ, & recipit quosuis homines, siue circumcisos siue incircuncisos, siue diuites, siue pauperes, siue honestos, siue inhonestos, ad pœnitentiam, & ad cõmunionem omnium cœlestium bonorũ. Quotquot enim accipiunt Euangeliõ fide, & credunt in Iesum Christum, hi accipiunt remissionem peccatorum propter Christum, & reputantur iusti, ac adoptantur in filios Dei, ut fiant cohæredes Domini nostri Iesu Christi. Omne, quod dat mihi Pater, inquit Christus, ad me ueni et, & eum, qui uenerit ad me, non eijcio foras. Et apud Paulum: Non est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem Dominus OMNIVM, diues in OMNES inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit &c. Deinde dicuntur portæ Ecclesiæ etiam ob hanc causam semper diu noctuq; patere, quod etiamsi post primam receptionem, quæ fit per fidem ac baptismum, transfuga factus fueris, & iterum redeãs ac recipi cupias, non tamen excludaris, sed priori ciuitatis iuri restituaris. Etenim qui cum peccãuerit, ac per peccatum Ecclesiam Dei deseruerit, reuertitur per pœnitẽtiam, hoc est, agnitione peccati, & fide in Christum, tantum abest, ut non iterum in communionem bonorum Ecclesiæ admittatur, ut etiã magno gaudio cœlestium ciuium recipiatur. Gaudium, inquit, erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Et alias: Dona & uocatio Dei eiusmodi sunt,

ut

ut eorum illum pœnitere nõ posſit. Ac rurſus. Si increduli ſumus, ille fidelis manet, ſeipſum negare non poteſt, uidelicet, ſi per pœnitentiam reuerſi fuerimus. Nam in hunc uſum patent ſemper portæ Eccleſiæ, ut peccator, quocunq; tempore pœnitentiam egerit, ac redierit in Eccleſiam, in hæreditatẽ cœleſtis regni admittatur, & obuijs, quod aiunt, ulnis excipiatur.

GENS ENIM ET REGNVM QVOD NON SERVIERIT TIBI, &c.

Pertinet & hoc ad maieſtatem urbis Hieruſalem, q; non conceditur alijs Gentibus & Regnis libere, ut iuxta referat, ſiue ſeruiant urbi Hieruſalem, ſiue non ſeruiant, Sed ſi uoluerint eſſe ſalua & incolumia, neceſſe habent huic urbi ſeruire. Gens enim (inquit) & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & Gentes, uidelicet, quæ tibi non obedierint, ſolitudine uaſtabuntur. Hæc autem ſeruitus & obedientia non eſt intelligenda de corporali ſeruitute, qualis eſt in mundanis regnis & ciuitatibus, ſed de ſpirituali, qualis conuenit regno Chriſti. Gentes enim & Regna tunc dicuntur ſeruire urbi Hieruſalem ſeu Eccleſiæ, cum aperiunt portas ſuas Euangelio Chriſti, & permittunt Euangelio liberum curſum in regionibus ſuis, & adiuuant piam doctrinam, ut non ſolum in preſenti Eccleſia conſeruetur, ſed etiam ad poſteros propagetur. In hunc enim uſum præcipue conſtituta ſunt mundana regna, ut conſeruata politica pace ac tranquillitate, regnum Chriſti proferatur. Et nunc, inquit, Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore &c. Si aũt Regna & Gentes non ſolum non permittant Euangelio Chriſti ſuum curſum, uerumetiam quoquo modo poſſunt, impediant, & perſequantur, nihil aliud reliquum eſt, quam ut aut mutentur, aut deijciantur, ac pereant, etiamſi aliquandiu fœliciter florere uideantur. Deinde Gentes & regna dicuntur ſeruire urbi Hieruſalem, cum non ſolum publice dant locum Euangelio Chriſti, uerumetiam priuatim agnoſcunt per fidem hoc Euangelion, quod primum omnium in urbe Hieruſalem in die Pentecoſtes reuelatum & magnis miraculis confirmatum eſt. Ite (inquit) prædicate Euangelion uniuerſæ creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) ſaluus erit. Qui uero non crediderit cõdemnabitur. Et iterum: Nõ miſit Deus filium ſuum in mundum, ut cõdemnet mundum, ſed ut ſeruetur mũdus per eũ. Qui credit in eũ, nõ condẽnatur. Qui uero non credit, iam condẽnatus eſt, quia nõ credit in nomẽ unigeniti filij Dei. Hoc poſterius, (Qui nõ credit, iam condẽnatus eſt) plane illud eſt, quod Propheta ait: Gens & regnũ, q̃d nõ ſeruierit tibi, peribit, & gẽtes, uidelicet, q̃ nõ ſeruierint tibi, ſolitudine uaſtabuntur.

GLORIA LIBANI AD TE VENIET

ABIES ET BVXVS, &c.

Commendatio urbis seu templi Hierusalem, hoc est, Ecclesiæ, ab ædificij magnificentia. Gloria (inquit) Libani (hoc est, Cedri: Hæ enim sunt gloria Libani, & reddunt montem Libanum gloriosum) ad te ueniet. Aduehentur ad te ex Líbano Cedri, similiter Abietes, pinus & Buxus, ut ex his locus sanctificationis meæ, & pedum meorum, (qui locus est templum, in quo pedibus meis consisto, seu in quo ambulo & habito) extruatur, ornetur, & glorificetur. Alludit autem ad id, quod de extructione templi Hierosolymitani scriptum est iij. Reg. quinto, & ij. Paralip. ij. Sic enim scribit Salomon Hiramo regi Tyri. Ædificabo domum nomini Dei mei. Mitte ergo mihi ligna cedrina, & arcenthina, (seu abiegna) & pinea &c. Cum autem in hoc Esaiæ loco fiat sermo de spirituali templo, considerandum est, quod quemadmodum corporale illud Salomonis templum habuit suos lapides & ligna, ex quibus constructum est, ita & hoc nostrum spirituale templum, quod est Ecclesia Christi, habet suos lapides, sed uiuos, & sua ligna, sed animata. Ipsi ueluti uiui lapides, inquit Petrus, ædificemini, domus spiritualis &c. Quod autem ad ligna seu arbores attinet, ecce altissima Cedrus est Petrus, altissima Cedrus, Paulus, altissimæ Cedri, reliqui Apostoli, qui sunt Columnæ Ecclesiæ. Sic & alij ministri ac membra Ecclesiæ sunt abies, pinus & buxus, ex quibus absoluitur ædificium spiritualis templi. Horum alij sunt illustres miraculis, & alijs donis spiritualibus, alij sunt insignes potentia, sapientia et reliquis dotibus huius seculi, quales sunt Reges, Principes, & docti, qui post diuulgationem Euangelij accesserunt per fidem ad Ecclesiam Christi. Et quãquam Deus delegit, ut Paulus ait, non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos claro genere natos, tamen & aliquot accesserunt, & qui accesserunt, non sunt repulsi, sed magno Ecclesiæ gaudio excepti, ut qui suo exemplo comprobarent huius Propheticæ concionis ueritatem. Quod cum ita se habet, nostri officij est, ut extructionẽ Ecclesiæ, quoquo modo possumus, adiuuemus. Hoc aũt tum fiet, si in hoc studiũ incũbamus, ut non tantũ nos ipsi simus idonei lapides & ligna, uerũ aduehamus alios quoq; lapides & ligna ad perficiendum & ornandũ templum Domini. Si quis princeps est, curet, ut in Ecclesijs suæ ditiõis, Euãgelion recte & pie doceatur. Si quis paterfamilias est, det operam, ut familia discat Christum filium Dei, per Euangelion agnoscere. Sic enim tot lapides & arbores ad extructionem templi Dei adduxeris, quot homines tuo ministerio ad pœnitentiam, ad agnitionem Christi adduxeris.

1. Pet. 2.

ET VENIENT AD TE CVRVI FI-

LII EORVM, QVI TE HVMILIAVERVNT, &c.

Pertinet & hoc ad maiestatem & fœlicitatẽ Ecclesiæ, quod reuelato & diuulgato Euangelio, posteri eorum, qui antea populum Dei grauiter & crudeliter afflixerunt, colent eum summa obseruantia & ueneratione. Venient (inquit) incurui, seu demisso in terram uultu, & adorabunt uestigia pedum tuorum, hoc est, subijcient sese doctrinæ tuæ obedienter, & uocabunt te ciuitatẽ Domini, Zionem Sancti Israelis, agnoscent te, ueram Ecclesiam Dei, & confitebuntur nomen Domini nostri Iesu Christi. Sic supra dixit capite decimoquarto: Possidebit eos domus Israel in seruos & ancillas, & erunt capientes eos, qui se ceperant &c. Et Abdias. In mõte Zion erit saluatio, & erit Sanctus, & possidebit domus Iacob eos, qui se possederant. Hoc cœpit impleri in uocatione Gentiũ, & pergit impleri usque ad nouissimum huius seculi diem. An non humiliauerunt & afflixerunt quondam immaniter populum Dei Ægyptij? Sed posteri eorum uenerunt incurui, & adorarunt uestigia pedum populi Dei, cum ex diuulgatione Euangelij agnoscerent Christum, & conferrent operam suam ad instaurandam & conseruandam Ecclesiam Domini in Ægypto. Similiter & Babylonij, & aliæ Gentes tam finitimæ, quam longinquæ affecerunt populum Israel multis incommodis. Sed postquam Euangelion Christi diuulgatum est ex Hierusalem, posteri harum Gentium ita mutati sunt, ut quem populum maiores eorum antea oppresserant, ipsi Apostolos ex eo populo natos, tanta ueneratione exceperunt, ut si fieri potuisset, etiam oculos suos effossos dedissent eis. Videmihi Cornelium, Romanum Centurionem, An non tanta obseruantia excipit Petrum, ut non solum progrediatur obuiam uenienti Petro, sed etiam procidat ad pedes, & adoret eum? Et tamen Romani superioribus annis hunc populum, Duce Pompeio, oppresserant. Quid? An non adhuc hodieque nos, qui ex Gentibus sumus, uenerabundi exosculamur, diurna nocturnaq; manu uersamus, & pro maximo omnium thesauro reputamus doctrinam, conciones & scripta Prophetarum & Apostolorum, qui sunt ex eo populo, qui quondam fuit omnibus Gentibus abominabilis? Quantũ studij, quantũ operæ collocamus in interpretãdo & recte intelligendo uel hoc Esaia, uel alio Propheta, uel scripto Apostoli eo? Hoc certe est incuruum uenire ad Iudæos, & uestigia pedum eorum adorare. Sed nec sine maximo nostro fructu hæc facimus. Nam si ex horum doctrina Christũ filium Dei uere agnoscere didicerimus, reportamus remissionem peccatorum, & æternam iustitiam, ac salutem propter Christum.

PRO EO, QVOD FVISTI DERELICTA ET ODIO HABITA &c. Quam maiestatem hactenus Ecclesiæ suæ promisit Deus, uidetur prorsum incredibilis. Quomodo enim fieri potest, ut Ecclesia, quæ non solum est pauciſsima, uerumetiam miserrima, afflictiſsima, & omnibus gentibus exosa & abominabilis, in tantum maiestatis fastigium exaltetur? Cui ueriſimile est, eam, quæ ab omnibus protrita est & conculcata, ab omnibus honorandam, atq; adeo adorandam? Exponit igitur nunc Dominus consilium suum, quod hactenus in deijcienda & affligenda Ecclesia populi sui habuit. Pro eo, inquit, quod fuisti derelicta & exosa, ut nemo per te transiret, ponam te in superbiam seculi, gaudium in generationem & generationem. hoc est, reddam te illustrem perpetuo, & afficiam te gaudio sempiterno. Habes consilium Dei in afflictione Ecclesiæ suæ. Deus enim non connuet ad afflictionem populi sui hoc consilio, ut opprimat eum, sed ut maioribus eum beneficijs afficiat. Siue enim immittit afflictiones propter peccata, inuitat ad pœnitentiam, & ad accipiendam salutem. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed magis ut conuertatur & uiuat. Siue immittit afflictiones propter alias causas, parat sibi uiam ad conferenda multa & magna bona. Dominus enim pauperem facit, ut ditet. Mortificat, ut uiuificet. Deducit ad inferos, ut reducat. Sic permisit, ut Zion seu Ecclesia fieret omnibus Gentibus exosa & abominabilis, non ut eam contereret ac deleret, sed ut eam clariorem & illustriorem redderet. Hoc Dei consilium in aduersis obseruare, & diligenter expendere, summa est sapientia, qua fit, ut confirmemur fide, & retineamur in uera obedientia uocationis Dei, & in patienti expectatione earum rerum, quæ nobis diuinitus sunt promissæ.

ET SVGES LAC GENTIVM, ET MAMILLA REGVM LACTABERIS, &c.

Non solum instaurabuntur muri Hierusalem ab exteris Gentibus & Regibus eaꝝ, ueꝝ etiam liberi ciuiũ eius sugent lac Gentiũ, & lactabuntur mamilla Regum ipsaꝝ. hoc est, educabũtur & fouebuntur sumptibus Gentium & Regum, donec adoleuerint, & ad uirilem ætatem peruenerint. Hoc autem tunc impletur, cum Reges, Principes, & Ciuitates instituunt suo impendio publicas scholas, in quibus iuuentus doceatur pias literas, & cum dant operam, ut pueritia in Ecclesijs erudiatur in Catechismo. Sic initio instituta sunt κοινόβια, seu Collegia studiosorum, ut in ijs pia doctrina Euangelij traderetur adolescentiæ, & propagaretur ad posteros. Sed ea deinceps mutata sunt superstitione hominum in monasteria,

nasteria, & translata sunt non ad hypocrisin tantum, uerumetiam ad impietatem. Quare nisi reuocentur ad uerum & legitimum usum, dignissima sunt, quæ deleantur. Sic institutæ sunt publicæ Academiæ, Principum sumptibus, quibus tanquam mamilla & lacte educarentur adolescentes ad ministeria tam Politica quam Ecclesiastica. Itaq; in ijs Academijs tradendæ sunt non solum bonę artes, quę faciunt homines eruditiores, & disciplinæ Iuris ciuilis ac Medicinæ, quæ sunt ad tuēdam hanc corporalem uitam utiles, sed etiam, ac multo omnium maxime, piæ & sacræ literæ, quæ reddunt hominem eruditum, ut Paulus ait, ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Nisi enim hic fuerit præcipuus Academiarum finis, perinde est ac si mamilla & lacte tuo enutrires non ciues defensores, sed hostes euersores patriæ. Etsi enim magnus est reliquarum artium & disciplinarum in hac humana uita usus, tamen si non accesserit uera cognitio filij Dei per fidem, quæ e sacris literis & prędicatione Euangelij, autore spiritu sancto, concipitur, non sunt, nisi compendia ad euersionem rerumpublicarum & Ecclesiæ, quippe quod impij ijs armis, quæ ad propugnandam ueritatem architectata sunt, abutantur ad ueritatem opprimendam. Quare si uolueri-mus Academias esse saluas, incumbendum est in id studium, ut beneficia, hoc est, Lac Gentium, & mamillam Regum, in eum legitimum finem ordinemus, ad quem consilio spiritus sancti sunt constituta.

Et additur hoc loco: Scies, quia ego Dominus saluans te, & redemptor &c. Maximum est miraculum, quod cum Iudæi fuerint omnibus gentibus exosi, Apostoli tamen, qui ex Iudæis fuerunt, excepti sint a Gentibus beneuolentissime. Et cum initio Ecclesia Christi inter Iudæos tam parua & contempta fuerit, ut & Christus ipse uocet eam, Pusillum gregem, postea tamen, misso spiritu sancto, sic creuerit, ut dilatauerit sese inter omnes gentes, & non solum conseruata, sed etiam aucta sit in medio furore tam hominū quam Satanarum. Ac præterea enutriatur Lacte gentium, quæ antea Ecclesiam persequebantur, & mamilla Regum, qui prius Ecclesiam crudeliter opprimebant. Quid est miraculum, si hoc non est? Cum igitur hoc miraculum æditum sit nomine, uirtute & potentia Domini nostri Iesu Christi, manifestum ac certum et euidens argumētum est, Iesum Christum esse filium Dei, & sedere ad dexteram Dei, hoc est, esse uerum omnipotentem Deum, qui sicut olim Patriarcham Iacob, & posteros eius in aduersis suis fortiter tutatus est, & liberauit eos ex Ægypto, ita pergit Ecclesiam suam redimere & seruare, ut nec in afflictionibus huius seculi, nec in morte ipsa pereat, sed habeat æternam uitam.

PRO ÆRE AFFERAM AVRVM, ET PRO FERRO AFFERAM ARGENTVM &c.

Commendatio urbis Hieruſalē (quo nomine Eccleſia, ut iam ſæpe dictum eſt, intelligitur) a ui pecuniæ, & opulentia. Alludit autē iterum ad auri & argenti abundantiam, quæ fuit in regno Salomonis. De Salomone enim ſcribitur: Fecit, ut tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalē, quanta & lapidum. Et rurſus: Præbuit rex Argentum & aurum in Hieruſalem, quaſi lapides. Chriſtus autem de diuitijs in ſuo regno ait: Afferam pro ære aurum, hoc eſt, efficiam, ut in meo regno tanta ſit copia auri, quanta in alijs eſt copia æris, & tanta copia argenti, quanta eſt in alijs copia ferri, & tanta copia æris, quanta alias eſt copia ligni, & tanta copia ferri, quanta eſt alias copia lapidum. Vbi autem unq; fuit regnum in terris, in quo tanta fuerit abundantia auri, argenti, & reliquorum metallorum, quanta in regno Chriſti, quod eſt Eccleſia eius, promittitur? Sed ubi etiam unq; tantæ diuitiæ in Eccleſia fuerunt, quantæ hic commemorantur? An non initio reuelati Euangelij exuebantur pij omnibus ſuis facultatibus? An non Paulus dicit de ærumnis & egeſtate Eccleſiæ: Ad hoc uſq; tēpus eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur ſedibus, & laboramus proprijs operātes manibus? Audiamus igitur qua in re conſtet opulentia Eccleſiæ in hoc ſeculo. Ac primum opulentia Eccleſiæ nō eſt proprie mundana, & terrena, ſed ſpiritualis & cœleſtis. Ac maximę omnium diuitiæ ſunt Chriſtus ipſe, qui eſt omnium bonorum theſaurus. Nam cum Chriſtus donatus ſit a Deo Patre Eccleſiæ, donata ſunt ei una cum Chriſto, remiſsio peccatorum, iuſtitia, adoptio in filios Dei, & in hæredes omnium cœleſtium bonorum. Quibus opibus nihil in ullo regno unquam fuit excellentius, aut precioſius. Deinde præter has generales Eccleſiæ diuitias, quæ & unicuiq; ad ſalutem neceſſariæ ſunt, conferuntur in Eccleſiam per Chriſtum etiam aliæ opes, & dona, quibus corpus Eccleſiæ nō ſolum alitur, ſed etiam ornatur & uegetum redditur, ut ſunt Prophetia, Linguę, Miracula, diſcretiones ſpirituum, & id genus alia. Multi unum corpus ſumus, inquit Paulus, in Chriſto, ſingulatim autē alij aliorum membra, ſed tamen habentes dona iuxta gratiam datā nobis uaria, ſiue prophetiam, iuxta proportionem fidei &c. Et iterum. Diuiſiones donorum ſunt, ſed idem ſpiritus. Et unicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit. Nam huic quidē per ſpiritum datur ſermo ſapientię, alij uero ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum &c. Ac rurſus: Vnicuiq; noſtrum data eſt gratia iuxta menſuram donationis Chriſti. Quapropter dicit: Cum aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem, & Dedit dona hominibus.

3. Reg. 10.
2. Paralip. 1.
2. Rom. 12.
1. Cor. 12.

bus. Et mox: Dedit alios quidem Apostolos, alios uero Prophetas, alios Euangelistas &c. Hæ sunt diuitiæ, quibus Ecclesia sic alitur, ut adolescat in Christum, qui est caput, in quo totum corpus coagmentatur &c. Postremo, & si uera Ecclesia subiecta est in hoc seculo externæ egestati, si exegeris eam ad iudicium huius mundi de diuitijs, tamen si de diuitijs recte iudicaueris, Ecclesia etiam iuxta externas opes, diuino beneficio ditissima est. Diues enim est, nõ qui multam uim auri & argenti possidet, sed qui paucis est contentus. Et docent etiam externæ literæ, Ei, qui uelit diues esse, non cumulãdam pecuniam pecunia, sed minuẽdam cupiditatem. Et Paulus ait: Magnus est quæstus, pietas cum animo sua sorte contento. Hoc autem est opus fidei in pijs, ut minuat cupiditatem terrenarum diuitiarum, & impleat animum cœlestibus opibus, præ quarum multitudine & magnitudine non reputet terrenas opes, sed optime contentus sit ijs, quas Dominus dederit, & e quibus etiam, quantumuis alioqui pauciſsimis, tantum necessariarum rerum accipit, quantum Crœsus quispiam ex omnibus redditibus Regni sui. An non Apostoli emissi ad prædicandum Euãgelion, sine pera & sine pecunia, reuersi postea ingenue fatentur, sibi nihil unquam defuisse? Talem confessionem uix a ciue locupletissimo, e peregrinatione sua ad domum redeunte audias. Et Paulus ait: Quasi pauperes, multos tamen ditantes, ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes. Quare, cum Christus filius Dei ditet credentes in ipsum omnibus cœlestibus bonis, & efficiat, ut nihil eis necessariarum rerum in hac corporali uita desit, & ut qualibuscunq; opibus a Deo donatis bene sint contenti, recte dicitur in regno suo afferre pro ære aurum, & pro ferro argentum, ut credentibus in ipsum nihil sit nec ditius nec opulentius.

PONAM VISITATIONEM TVAM, PACEM, ET PRÆPOSITOS TVOS, IVSTITIAM, &c.

Pro (Visitationem) hebræis est פקוד pecud, quod significat præfecturam, & sumitur more hebræo pro ipsis præfectis. Et ubi nos habemus præpositos, hebræus habet Exactores. Nam in regno Christi sunt etiã sui præpositi, & exactores, quos uocamus Præsides, Præfectos, Scultetos, & Publicanos, Sed longe tolerabiliores ac meliores, quam fuerunt præfecti Israelitarum in Ægypto aut etiam in regno Salomonis. Hi enim Israelitas durissimis suis exactionibus ita perturbarunt, ut non ingemiscerent tantum, uerum etiam præ tyrannidis grauitate uociferarẽtur: Cur ita agis contra seruos tuos? Et, Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis. Q; si uero de Ecclesiasticis præpositis, ac præfectis Israelitarum lo-

quendum est,non fuerunt Politicis illis tolerabiliores, sed grauio-
res. Alij enim , qui urgebant humanas traditiones, non afferebant
conscientijs pacem,sed tantum perturbationem , ac desperationem.
Alij,qui urgebant legem ipsam,non afferebant iusticiam,sed pota-
us iniusticiam.Lex enim auget,non aufert peccatum . Et quãquam
lex necessario prædicanda & recte explicanda est, ut agnito pecca-
to,ad consequendam iusticiam Christi properetur,tamen si lex prę
dicatur absq; Christo,quod solenne est doctoribus legis, ducit po-
tius ad agnitionem iniusticiæ,quam iusticiæ,& facit peccatum ma-
iorem in modum peccans . Christus autem ponit præpositos suos,
Pacem,&Scultetos suos,iusticiam,hoc est,constituit in administrã
do regno suo tales præfectos,qui afferant pacem & Iusticiam.Hoc
præcipue respicit in Apostolos & Apostolicam prædicationem.
Christus enim selegit Apostolos suos , & misit eos in uniuersum
orbem,ut prædicarent Euangelion omni creaturæ. Euangelion au
tem de Iesu Christo affert ueram pacem conscientiæ,& ueram corã
Deo iusticiam. Adnunciat enim Deum Patrem esse nobis reconci-
liatum & placatum,per filium suum Iesum Christum, & docet iusti
ciam filij Dei omnibus,qui in ipsum credũt,donari,ac imputari, ut
reputentur propter Christum coram Deo tam iusti,quam si legem
suis ipsorum operibus impleuissent. Iustificati igitur ex fide , ut
Paulus ait , pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum
Iesum Christum . Tametsi enim hi,qui gloriantur se esse Aposto-
lorum successores,solent Apostolicam doctrinam peruertere & ty
rannidem in Ecclesia exercere, tamẽ quia dictum est,Cauete a pseu
doprophetis,uera Ecclesia non agnoscit nisi doctrinam ab Aposto
lis traditam,& spiritu sancto confirmatam, ut etiamsi Apostoli hac
corporali uita defuncti sint,maneãt tamen,superstite adhuc doctri-
na eorum,præfecti ac præpositi Ecclesię.De his enim in Psalmo di
citur:Pro patribus tuis nati sunt tibi filij,cõstitues eos Principes su
per oẽm terrã.Et iterũ:Principes Iuda, duces eorũ , Principes Za-
bulon & Principes Neptalim.Et supra ca. Iij. Q̃ pulcri super mõ-
tes pedes adnunciantis& prędicantis pacem &c.Et in Ioanne: Con
stitui uos,ut eatis & fructũ afferatis , & Fructus uester maneat &c.
Manet autẽ fructus Apostolicus in uera Ecclesia perpetuo . Recte
igitur dicimus eos esse perpetuos Ecclesię Principes,præpositos ac
præfectos,præsertim cum & alias Christus ad ipsos dicit: Vos qui
secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede
maiestatis suæ , sedebitis & uos super sedes duodecim , iudicantes
duodecim tribus Israel.Hæc autem nõ eo respiciunt,ut inuocemus
Apostolos,tanquam deos tutelares, aut patronos & defensores in
iudicio Dei,sed ut cognoscamus nobis non esse aliam salutis doctri
nam

nam propositam, præter Apostolicam, & secundum eam doctrinã uniuersum humanum genus coram Deo iudicandum esse, ut qui crediderit Apostolicæ doctrinæ, saluus fiat, qui uero non crediderit ei, condemnetur perpetuo.

NON AVDIETVR VLTRA INIQVITAS IN TERRA TVA, VASTITAS ET CONTRITIO &c.

Quid? Num in Ecclesia nulla erit amplius iniquitas aut rapina? Num Ecclesia non diripietur amplius, nec spoliabitur suis facultatibus? Num Ecclesia non amplius patietur persecutionem, & contritionem? Certe Ecclesia, quamdiu est in hoc mundo, obnoxia est iniuriæ, rapinæ, persecutioni, uastationi, & omnibus generibus malorum. Semper enim in hoc seculo fiet, quod ab initio orbis dictũ est, Serpẽtem morsurę calcaneum Christi. Sed quia Christus filius Dei est perpetuus tutor Ecclesiæ suæ, & uictor Satanæ, idcirco Ecclesia nunc in tuto collocata esse dicitur. Postquam enĩ Christus expiauit morte sua peccatum, & uicit resurrectione sua mortem, ac triumphauit, conscenso cœlo, de Satana, nihil amplius relictum est, quod possit Ecclesiam, quæ est corpus Christi, opprimere, & delere. Ecce ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cõsummationem seculi. Et, Oues meæ uocem meã audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribũt inæternũ, neq; rapiet eas quisq; de manu mea. Hoc plane illud est, quod Propheta dicit, Nõ audietur ultra rapina in terra tua. Et Paulus, Quis intẽtabit crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui Iustificat. Quis ille, qui cõdemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexterã Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit a dilectione, qua Deus nos complectitur? Num afflictio? nũ angustia? num persecutio &c. Hoc illud est, quod in Propheta sequitur. Non audietur ultra uastitas & contritio in terminis tuis. Quondam enim urbs Hierusalem & uniuersa regio eius patebant hostium incursioni, direptioni, uastationi, & contritioni. Nunc autem, postquam Christus uenit, & reportauit uictoriam a morte & Satana, urbs Hierusalẽ, quæ est Ecclesia Christi, non amplius patebit hostium libidini, sed in muris eius erit Salus, et in portis eius iubilatio, ut quotquot in ea habitauerint, habeant salutem, & æternum gaudium. Etsi enim Ecclesia affligitur grauissime, quamdiu in hoc mundo uitam agit, tamen quia habet Deum propicium, & Christum filium Dei seruatorem, tantum abest, ut uel externi, uel spirituales hostes, qui sunt mors & Satan, possint eam opprimere, ut potius hominum persecutionibus, & Satanæ furoribus augeatur, & dilatetur. Mundanæ quidem urbes & regiones pereunt direptionibus et uastationibus. Spiritualis autem urbs

Hierusalem iuuatur potius his aduersis, q̃ deletur. His enim qui di ligunt Deum, inquit Paulus, omnia adiumento sunt in bonum. Et: Mihi uita Christus est, & mors, lucrum. Collocemus igitur omnẽ nostram operam in hoc studio, ut contineamus nos (id quod fit per fidem in Christum, & obedientiam fidei) intra muros & portas hu ius urbis, quo semper aduersus omnes hostes tam corporales q̃ spirituales in tuto uersemur.

NON ERIT TIBI AMPLIVS SOL AD LVCENDVM PER DIEM, NEC SPLEN DOR &c.

Sic & Apocalypsis, quasi interpretans dicit, Ciuitas non eget so le, neq; luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminat eam, & lu cerna eius est Agnus. Et iterum. Nox ultra non erit, & nõ egent lu mine lucernæ, neq; lumine solis, quoniam Dñs Deus illuminat il los, & regnabunt in secula seculorum. Magna hæc est gloria Eccle się, q̃ p̃ Sole & Luna habeat filium ipsum Dei, uerã lucem, eamq; nõ euanidam, sed sempiternam. Erit, inquit, tibi Dñs lux perpetua, & Deus tuus, gloria, seu decor, seu claritas tua. Non enim ultra oc cidet sol tuus, & luna tua non minuetur. Non erũt uel occasus, uel defectiones solis & lunæ tuæ, quemadmodum horum mundanorũ Luminariũ, quia Dñs Christus erit sempiterna lux tua, qui Chri stus nec occidit, nec deficit, sed sedet ad dextrã Dei Patris sui, & re gnat perpetuo. Obserua hic primum, q̃ cum hoc loco fit sermo de Regno Christi, per Dñm Deum intelligẽdus sit Christus ipse filius Dei. Testatur eñ Apostolica scriptura, q̃ Christus sit uera lux Ecclesiæ, ex toto mũdo collectæ. Erat, inquit, lux illa, lux uera, quæ illuminat oẽm hominem uenientem in mundum. Et iterũ. Ego sum lux mundi, Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lu men uitæ. Ac rursus. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, non maneat in tenebris. Propheta aũt dicit hanc lucem Eccle siæ esse uerũ Dñm Deum nostrũ. Dñs, inquit, erit tibi in lucẽ sem piternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Quare per Dñm Deum intelligit Iesum Christũ filium Dei, & testatur eum esse uerũ ab æ terno Deum: & quanq̃ sint aliæ duæ personæ in diuinitate, Pater & spiritus sanctus, tñ non esse, prꝫter hunc Iesum Christum, alium Deum conditorem & seruatorem nostrum. Deinde habes hic ma nifestum discrimen inter regna mundana & regnũ Christi. Nam hæc externa & mundana regna indigent hoc mundano sole & luna, ut splendore horũ luminarium dies & noctes illustrentur, ac homines opera sua conficiant, & terra fructum suum proferat. Regnum autẽ Christi non eget horum luminarium splendore, Sed habet maiorẽ & illustriorem lucem, quæ est Christus ipse. Non est igitur regnũ

mundanum,

mundanum, ſed ſpirituale & cœleſte. Quod cum propter mũltas cauſas, tum præcipue ob hanc obſeruandum eſt, ne cogitemus noſtram fœlicitatem quærendam eſſe in his mundanis regnis, & niſi conſequamur externam rerum tranquillitatem, de ſalute noſtra actum eſſe, Sed ut quæramus tranquillitatem & ſalutem noſtram in cœleſti regno Chriſti, quod in hoc ſeculo per fidem ex Euangelio cognoſcitur, in futuro autem ſeculo reipſa percipietur. Præterea, cum hoc loco dicitur, Non occidet ultra Sol tuus: Et Dominus erit ſempiterna lux tua, conſiderandum eſt, quod Lux ſolis & Lunæ ſumantur more hebræo, aliquoties, pro fœlicitate, ſicut & Tenebræ, pro infœlicitate. Poſt tenebras, inquit Iob, ſpero lucem, hoc eſt, poſt infœlicitatem, ſpero fœlicitatem. Sic & hoc loco, cum ait, Solem in Eccleſia non occidere, & Dominum eſſe ſempiternam lucem, ſignificat Chriſtum afferre Eccleſiæ ſuæ eam fœlicitatis lucem, quæ nunquam extinguatur, ſed perpetuo maneat. Chriſtus enim eſt Theſaurus ſempiternæ fœlicitatis, ut qui Chriſtum per fidem habet, poſsideat omnẽ ſalutem. Si enim indiget iuſticia, Chriſtus eſt, qui expiauit peccatum, & donat credenti omnem iuſticiã. Si indiget uita, Chriſtus eſt, qui deuicit mortem, & cõfert fructum uictoriæ ſuæ in credentem. Si indiget cœleſti gaudio, Chriſtus eſt, qui triumphauit de inferno & doloribus eius, ac ducit ſecum credẽtem ad dextram Patris, ut una cum ipſo lætitia cœleſtis regni fruatur. Quare hoc ſit ſtudium, hic ſit labor noſter, ut in Chriſto per fidẽ maneamus, quo ſempiterna fœlicitatis luce illuſtremur. Poſtremo, nec hoc prætereundum eſt, quod cum Propheta dicit, Dominum Chriſtum eſſe ſempiternum Solem aut lucem regni ſui, ſignificet Chriſto non eſſe opus Vicario, qui ſe Eccleſię ſuę pro Sole obtrudat, quippe quod ipſe non deſeruerit Eccleſiam, ſed pergat eam coram conſeruare, tueri, & luce ſua illuſtrare. Vult quidem in his terris habere Miniſtros, & ut Paulus dicit, συνέργους, hoc eſt, Cooperarios, qui Eccleſiam erudiant pia doctrina Euangelij, & confirmẽt fidem Eccleſiæ diſpenſatione Sacramentorum, iuxta ipſius inſtitutionem, ut ipſe per hæc organa ſpiritũ ſanctum ſuum donet, & Eccleſiam ſeruet. Non uult aũt habere Vicarios, qui pro ſua libidine in Eccleſia dominentur, & quæuis ſomnia ſua pro dictatis ſpiritus ſancti Eccleſiæ obtrudant. Fugiamus igitur tales Vicarios, ſequamur autem ueros miniſtros Chriſti, ut accepto ab eis Euangelio, in uera luce ambulemus.

Sed additur hic: Complebũtur dies luctus tui, hoc eſt, Luctus tuus finietur. Vbi enim Dominus ipſe lucet, & ſuam fœlicitatem cõfert, quomodo ibi reliquus eſſet aliquis luctus? Videmur quidem adhuc in Eccleſia lugere, cum uel peccata agnoſcimus, uel uarijs

ærumnis affligimur, sed si sumus in Christo per fidem, talis luctus non est proprie luctus, sed organon gaudij. Hic enim uere luctus dicitur, cui nulla spes salutis reliqua est. Sic lugẽt Ethnici, sic lugẽt impij. Pij autem, cum habeant Christum per fidem, certissimi sunt in aduersis, de liberatione, in morte de uita, in horroribus inferni, de gaudio regni cœlestis. Quare etiamsi carne sua, hoc est, omnibus uiribus corporis & animæ lugent, tamen spiritu suo, qui Deo cognitus est, tranquilli sunt, & expectant obedienter reuelationem promissæ salutis.

POPVLVS TVVS, OMNES IVSTI.

Quid? Nullus ne est peccator in Ecclesia? Quid ergo est, quod oramus, Remitte nobis debita nostra? Et, Si dixerimus, peccatũ nõ habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Consideremus igitur initio, quod hic non fiat sermo de impijs, impœnitentibus & hypocritis, qui & si sunt in externa congregatione Ecclesiæ, tñ non sunt uera Ecclesia, Sed loquitur Propheta tãtum de his, qui sunt uera membra Ecclesiæ. Deinde, ne quidem de his absolute loquitur, sed respicit in Christum filium Dei, & in fidem, quæ est in ipsum, per quam solam pij iustificantur. Nam si pios, seu uere in Christum credentes, qui soli sunt uera membra Ecclesiæ, consideraueris, iuxta carnem ipsorum, semper secum peccatum, quod in ipsos est propagatum, ita gestant, ut præ eo nec legẽ Dei perfecte impleant, nec coram Deo de iusticia gloriari queant, Sed necesse habeant suam iniusticiam ingenue confiteri, & pro uenia rogare. Nõ iustificabitur, inquit Psalmus, in conspectu tuo omnis uiuens. Et Paulus. Affectus carnis, inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Et iterum. Caro cõcupiscit aduersus spiritum, Spiritus aũt aduersus carnem. Hæc aũt inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Quare si non tantum impios, uerumetiam pios, spiritu sancto donatos, secundum carnem eorum consideraueris, nullum inuenies iustum, sed omnes declinare, nec unum esse, qui bonum perfecte, iuxta ueram legis sententiam faciat. Si autem consideraueris pios, quales sunt in Christo, & propter Christum, per fidem, non amplius imputatur eis peccatum, sed imputatur ipsis Iusticia Christi, ut omnes habeantur propter Christum, coram Deo iusti & sancti. Quotquot enim in Christum uere credunt, non accipiunt tantum remissionem peccati, sed donantur etiam meritis iusticiæ Christi, ut quemadmodum Christus obtinuit per suam iusticiam in iudicio Dei liberationem ab omnibus malis, & gloriam cœlestis regni, ita omnes pij obtineant fiducia Iusticiæ Christi omnem cœlestem salutem. Huic, inquit Petrus, omnes Prophetę testimoniũ ferunt, q̃ remissionem

missionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crēdit in eum. Et Paulus: Omnes, inquit, peccauerūt, ac destituuntur gloria Dei. Iustificantur aūt gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorē, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Nihil igitur certius est, q̄ꝫ q̄ sicut Propheta ait, omnis populus Ecclesiæ sit iustus, & sanctus, uidelicet propter Christum per fidem. Etsi. n. peccatum hæret adhuc in carne populi Ecclesię, cuius peccati cupiditate nonnunq̄ etiam in manifesta scelera prolabuntur, tñ si resipiscunt, peccatum inhærens non imputatur, & commissum scelus remittitur, ut nulla sit condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum, quemadmodum Paulus loquitur.

IN PERPETVVM HÆREDITABVNT TERRAM, GERMEN PLANTATIONIS &c.

Olim promissa & data est terra Canaā Ecclesię populi Dei in hæreditatē. Sed is populus, aut captiuitate ex ea terra abductus est, aut morte ab ea abreptus, ac postremo etiam a Deo abiectus, ne sit amplius populus Dei. Postquam autem Christus uenit, & collegit, dē uulgato Euangelio, Ecclesiā ex Iudæis & Gentibus, consecrauit unā uersum orbem in terram Ecclesiæ suæ, ac primum quidem dedit ei totam terram in perpetuā hęreditatē, quia donec hic orbis steterit, semper erit Ecclesia Christi in terris. Nulla persecutio, nulla tyrannis tanta esse potest, quæ Ecclesiam Dñi e terris tollat. Etsi. n. Apostoli crudeliter interficiuntur, & Martyres immaniter trucidantur, tñ eo magis crescit & dilatatur Ecclesia. Sanguis, inquit ille, Christianorꝫ, semē est. Quo plus sanguinis piorꝫ ab impijs effunditur, eo fertilior fit ager Ecclesiæ, & plus quoq; fructus profert. Super hanc petram, (quæ est & Christus ipse, & prædicatio Euangelij de Christo) ædificabo, inquit, Ecclesiā meam, & portæ inferi nō prævalebunt aduersus eā. Et Paulus. Superstructi, inquit, super fundamentū Apostolorꝫ ac Prophetarꝫ, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Sicut ergo nulla tyrannis potest hunc angularem lapidem de loco suo dimouere, & hoc fundamentum subuertere, ita etiā non potest ædificium Ecclesiæ in his terris demoliri, ac penitus destruere. Deinde Ecclesia dicitur hæreditare terram in perpetuum, etiam hac ratione, q̄ nunq̄ꝫ amplius abijciatur a Deo, sicut iam ante abiectus est populus Israel. Etsi enim post diuulgatum Euangelion, Gentes, quæ nunc agnoscunt Christū, & paulo post sequuntur aliquoties, reiecto Christo & Euangelio eius, impietatem, reijciuntur & ipsæ a Christo, tamen quæ manet uera Ecclesia ubiuis terrarum, nūquam reijcitur. Mōtes, inqt, cōmouebuntur, & colles cōtremiscēt, misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non

mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Ac illud quidem prius, diligenter eſt conſiderãdum in externis perſecutionibus, ne in crudelitate tyrannorum deſpondeamus animum de ſalute Eccleſiæ in his terris. Hoc autem poſterius cognitiõe ſui eo ualet, ut unuſquiſque in Chriſtum credens, (Hic enim eſt membrum Eccleſiæ) ſciat ſibi paratã eſſe æternam hæreditatem in terra illa, non terrena, ſed cœleſti. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed inquirimus futuram. Et iterũ. Noſter municipatus eſt in cœlis, ex quo & ſeruatorẽ expectamus, Dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, q̃ trãsfigurabit corpus noſtrũ humile, ut cõforme reddat corpori ſuo glorioſo, etc.

Sed quid cauſæ ſit, cp tanta ſit ſtabilitas Eccleſiæ, ut in perpetuũ hæreditet terrã, Sequitur. Germen ſeu flos plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum (hoc eſt) Eccleſia non a ſeipſo temere exorta eſt, ſed eſt mea ipſius plantatio, & manus meæ opificium, in hunc uſum conſtitutum, ut æterna gloria mecum in cœleſti regno fruatur. Quis autem plãtationem Dei eradicare poſſet? Quis opificium Dei deſtruere ualeret? Humanæ quidem plantationes non ſolent eſſe diuturnæ. Omnis plantatio, inquit, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. Plantatio autem Eccleſiæ eſt diuina. Bono igitur & confidenti animo ſimus: furiat licet Satã, graſſentur homines, ſæuiat mors, Eccleſia tamen, & Euangelion eius conſtabunt, & nos, qui & Euangelio credimus, & ſumus membra Eccleſiæ per fidem una in medio inimicorũ noſtrorum, adeocp in morte ipſa conſeruabimur.

MINIMVS ERIT IN MILLE, ET PARVVLVS &c.

Eccleſia non tantum ſeruabitur in his terris, uerumetiam ita augebitur & multiplicabitur, ut ex uno paruulo oriantur mille, & ex uno exiguo fiat magna Gentis multitudo. Et additur. EGO DOMINVS, In tempore ſuo, accelerabo, ut compleatur. Ac profecto, ſi huc conferas res geſtas eius tẽporis, quo confirmatum eſt Euangelion in die Pentecoſtes, & diuulgatum in uniuerſum orbẽ terræ, perſpicue intelliges, Dominum Ieſum Chriſtum, qui hæc per Eſaiam loquitur, iam tum ob oculos ſuos poſitas habuiſſe cõciones ſuorum Apoſtolorum, quibus tot gentes ad cognitionem Chriſti, & ad Eccleſiã uocatæ ſunt. An nõ paruulus uidebatur Petrus? Sed ex una eius concione in die Pentecoſtes, oriuntur non mille tm̃, ſed tria millia hoĩm. An nõ paruulus & exiguus fuit Paulus, de quo & Pſalmus ait: Ibi Benlamin adoleſcẽtulus, ſeu paruulus, dominatur inter eos? Et ipſe met de ſe prædicat: Ego ſum minimus Apoſtolorum. Et tñ hic minimus uulgauit, uel ſicut ipſe loquitur, Impleuit Euãgelion Chriſti a Hieroſolymis & circũiacentibus regionibus, uſq̃

usq; ad Illyricum. Quot, putas, millia hominum, in tanto terrarum spacio, ministerio Pauli ad Ecclesiam accessisse? Et quanq; ipse hac corporali uita defunctus est, tamē uiuunt adhuc in Ecclesia Scripta eius, ex quibus tanta soboles Ecclesię succrescit, ut dinumerari non queat. Cum igitur reipsa comperiamus, ea quæ Esaias in hoc capite de regno Christi concionatur, uere in Ecclesia, diuulgato iam Euāgelio, impleri, ac certo sciamus, reuelandam esse suo tempore maiestatem Domini nostri Iesu Christi de cœlo, quo hæc omnia perfectissime implebuntur, Surgamus & nos, quod Propheta initio dixit, & illuminemur luce Christi, ac Euangelij eius, ut splendore huius lucis perducamur per tenebras mortis, ad gloriā cœlestis uitæ.

CAPVT LXI.

SPIRITVS DOMINI SVPER ME, EO QȤ VNXERIT ME &c.

Filius Dei, qui cōcionē præcedentis capitis, de maiestate Ecclesiæ institutam, cōclusit: EGŌ, inquiens, Dñs, in tempore suo subito faciam istud, idem pergit nunc in hoc capite uocationem & officium suum exponere, ut hac occasione cōmemoret, quanta beneficia conferat in Ecclesiam suam, & quātum cœlestium bonorȤ nobis de ipso polliceri debeamus. Hæc aūt concio filij Dei eo memorabilior est, q; cū ipsam habuerit ministro ac interprete Esaia, sub rege Ahazo aut Ezechia, eā post septingentos plus minus annos, iam homo factus, iterȤ habeat in patria sua Nazareth, & reportet ab omnibus testimonium, q; de ipso dicta sint, quæ hic recitantur. Sic. n. scribit Lucas ca. iiij. Venit Iesus Nazareth ubi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbatorȤ in Synagogam, & surrexit ut legeret. Et traditus est illi liber Esaiæ Prophetæ, & ut explicuit librȤ, inuenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Dñi super me &c. Et mox. Complicato libro, reddidit ministro, ac resedit. Et oēs in Synagoga oculi erant defixi in illum. Cœpit autem dicere ad illos. HODIE IMPLETA EST Hæc scriptura in auribus uestris. Et omnes testimonium illi dabant &c. Concionatur & Christus ex hoc Esaiæ loco apud Matthæum cap. xi. cum iubet loāni nunciari, Pauperes euangelizari. Quibus uerbis significat hæc Prophetæ dicta in ipsum respicere. Cum igitur filius ipse Dei hāc suam concionem, quam tot ante annis de suo ipsius officio habuit, interpretetur, non est nobis ulla alia huic cōtraria, ne angeli quidē, interpretatio audienda, sed hæc sola suscipienda est & tenenda.

Spiritus dñatoris Domini (inquit) super me. Habes tribus pene uerbis tres unius diuinitatis personas. Dominator Dominus est

Pater. Et qui dicit, super ME, est filius. Et additur, Spiritus. Non est autem intelligendum, quod filius Dei, cum dicit, Spiritus Dominatoris Domini super me, loquatur nunc de unitate essentiæ, quam habet in diuinitate, cum spiritu sancto. Etsi enim filius Dei et spiritus sanctus sunt unus Deus, cum Patre, in essentia diuinitatis, tamen hic non fit sermo de ea spiritus & filij Dei unitate, sed de reuelata & manifesta missione spiritus sancti in Christū filium Dei, cum iam homo factus, consecraretur publice in Baptismo ad suscipiendam & perficiendam uocationem suam, propter quam de cœlo in has terras missus erat. Cum enim Iesus baptisatus esset a Ioanne in Iordane, apertum est cœlum, inquit Euangelista, & descendit spiritus sanctus corporali specie, quasi columba, in ipsum, & uox de cœlo facta est, quæ diceret: Tu es filius meus dilectus, in te complacitum est mihi. Hoc illud est, quod hic in Propheta dicit: Spiritus Dominatoris Domini super me. Sed in quem usum missus est spiritus sanctus publice in Iesum Christum filium Dei? In hunc uidelicet usum, ut VNGERETVR. Quia enim spiritus Dominatoris Domini (inquit) super me uenit in specie columbæ, idcirco VNXIT me. In Mosaica politea ungebantur, seu unctione consecrabantur ad suscipienda officia sua Sacerdotes & Reges. Vocat autem spiritus sanctus Christum in scriptura Sacerdotem & Regem. Tu es, inquit Psalmus, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Et iterum: Ego cōstitutus sum Rex ab eo super Zion montem sanctum meum. Et rursus: Deus iudicium tuum Regi da, & iusticiam tuam filio Regis. Ac iterum: Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus &c. Cum igitur hoc loco filius Dei dicitur unctus esse, haud obscure significatur eum, misso spiritu sancto, declaratum esse uerum illum Sacerdotem & Regem seu Messiam, qui sit ab initio orbis promissus. Idem publice quoq; profitetur Petrus Hierosolymis, una cum undecim suis collegis. Certo, inquiens, sciat tota domus Israel, q̄ Dominum & CHRISTVM, seu MESSIAM fecerit (hoc est) declarauerit Deus hunc Iesum, quem uox crucifixistis. Cæterum, quo se officium huius Sacerdotis & Regis referat, & q̄ late pateat, recenset Propheta ex ordine. Non. n. est Sacerdos secundū ordinem Leuiticum, seu Aheronis, sed secundum ordinem Melchisedec. Nec est Rex secūdum mundanam, sed secundum cœlestem maiestatem. Verum de hac re audiamus ipsius concionem.

MISIT ME.

1. Vt adnunciem Euangelion mansuetis, seu pauperibus, miseris, & afflictis. Mansueti seu pauperes hoc loco dicuntur, qui grauitate & magnitudine peccatorum suorum in eam humilitatem,

ac

ac egestatem coniecti sunt, ut sentiant sibi fame iusticiæ perpetuo pereundum esse. Quocunq; enim se uertunt, nullam inueniunt iusticiam, qua saturentur & seruentur. In lege, multa quidem pia & honesta mandantur, sed deprehendunt carnem esse imbecilliorem, quam quod possit ea, quæ lex exigit, uere præstare. In humanis traditionibus proponuntur uaria, speciē quidem pietatis habētia, sed quæ aduersus portas inferi constare, & factorem seruare non possunt. Quid ergo faciāt? quo se uertāt? certe, cum inueniāt in se peccatum, & non queant nec ex diuina lege, nec ex humanis traditionibus ullam iusticiam assequi, nihil aliud reliquum est, quam ut fame iusticiæ pereant. Hæc est ingens egestas, hæc est grauissima paupertas, quæ animum sic deprimit, ut sentiat se ad infernum usque detrudendum esse. Sed bene confidamus, & expergiscamur. Filius enim Dei Vnctus est spiritu sancto, & missus, ut fungatur officio ueri sacerdotis, uidelicet, ut adnunciet pauperibus Euangelion. Quo ergo est illud Christi filij Dei Euangelion? Non certe tale est Euangelion, quod promittat corporalia bona. Neq; enim talia bona requirunt pauperes spiritu. Neque talibus refocillantur, etiamsi plurima & maxima contingant. Inueniunt haud difficulter, quo uentrem pascant, sed non inueniunt, quo famem & egestatem mentis sustentent. Hic enim opus est, non corporalibus, sed spiritualibus & cœlestibus bonis. Euangelion igitur Christi filij Dei hoc est, quod promittit & affert uera & cœlestia bona. Adnūciat enim Christus, quod ipse sit uerus peccatorum expiator, quod sit uerus reconciliator inter Deum & hominem, quod donet omnibus in ipsum credētibus suam ipsius iusticiā, ut quotquot in ipsum credunt, reputentur coram Deo iusti, & seruentur æterna uita, ac fœlicitate. Nec hoc Euāgelion uanum est, sed sicut fuit antea per Prophetas promissum, ita postea multis & magnis miraculis, ac præcipue resuscitatione mortuorum confirmatum est. Hæc autem sunt præcipue bona illa, quæ mens agnitione peccati territa, & fame iusticiæ afflicta requirit. Hæc si contigerint, toleratu facilem reddunt omnem externam paupertatem & afflictionem, quippe quæ mente cœlestibus bonis expleta, nihil amplius incommodi afferre queat. Quare nihil potest hoc Euangelio pauperibus & afflictis mente, nec gratius, nec iucundius, nec etiam magis salutare contingere.

Vt medear contritis corde. hoc est, ut obligem uulnera eorum, qui contrito seu confracto sunt corde. Multa sunt, quibus humanum cor uulneratur, & conteritur. Alius enim uulneratur corde, ablatione facultatum suarum, alius orbitate, alius morte amicorum, alius exilio, alius infamia, alius alijs rebus: 2.

sed maxime omnium uulneramur iudicio perpetuæ damnationis propter peccatū, Hoc uulnus est humana ope immedicabile. Qui enim audit in conscientia sua sententiam aduersus se ob peccata latam, quod sit gehennæ æterni ignis obnoxius, intantum animo suo uulneratur, ut nec sanitas corporis, nec diuitiæ, nec fauor amicorum, nec dignitas officij, nec etiam regia in hoc seculo maiestas possint ei hoc uulnus obligare, & sanitati restituere. Sed bene adhuc habet. Quod non potest fieri per filios hominum, & per bona mundana, hoc fieri potest per filium Dei, & per bona cœlestia. Filius em̄ Dei unctus est & missus ad hoc officium, ut medeatur, ut obliget uulnera confracti cordis, & curet ea suo malagmate. Quod ergo est malagma illud, quo filius Dei contritiones cordis curat? Non est e pharmacopolio quodam terreno, nec e Babylone aut Roma, sed ex ipso cœlo ad nos delatum, uidelicet Euangelion de expiatione peccati per Christum, de Iustícia Christi nobis donata, de placatione iræ Dei per Christum, de mitigatione diuinæ sententiæ, propter Christum. Pater omne iudicium, inquit, dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant Patrem. Et mox. Amen amen dico uobis. Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnationē non ueniet, sed transiuit a morte ad uitam. Habes malagma, quod filius Dei attulit. Hoc si cordi sententia perpetuæ condemnationis uulnerato imposueris, continuo sequetur uera & æterna sanitas. Quare conferamus nos in contritionibus cordis nostri ad hunc medicum, qui ut est aditu facillimus, ita largitur omnibus accedentibus ad ipsum per fidem malagmata sua gratis, sine ullo precio.

3 Vt prædicem captiuis Indulgentiam seu libertatem, aut manumissionem. Captiui hoc loco dicuntur, non qui carceribus sunt inclusi, de quibus mox sequitur, sed qui bello capti, graui seruitute premuntur, quales captiui fuerunt Iudæi in Babylone. Etsi autem talis externa captiuitas aut seruitus magna est calamitas, ac honesto homini ipsa etiam morte grauior, tamen Christus non est missus in hanc terram, ut homines ab hac corporali captiuitate ac seruitute mundano more liberaret, quia regnum eius non est mundanum aut Politicum, & qui ab hac seruitute liberatur, nondum fit uere liber, sicut nec uere miser est, qui hac seruitute premitur, sed missus est, ut liberaret homines a captiuitate & seruitute spirituali, quę seruitus est maxima omnium calamitas, & qui ea detinetur, obnoxius est æternæ damnationi. Initio enim, cum homo peccasset aduersus Deum, captus est, quasi bello a Satana, & factus est una cum omnibus posteris suis, seruus ac mancipium Satanæ propter peccatum. Cum autem Satan, qui est autor peccati, & in Tartarum, si-

cut

cut Petrus ait, præcipitatus, dominatur homini, teneri, quantum in ipso est, non potest, quin secum trahat hominem non solum in omne genus impietatis & flagicij, uerumetiam in Tartarum, & in Gehẽnam æterni ignis. Quod malum superat omnem aliam miseriam & calamitatem. Vngitur ergo filius Dei spiritu sancto, & mittitur ad hoc officium, ut expiet peccatum hominis, quo omnis qui in filium Dei credit, eripiatur e captiuitate ac seruitute Satanæ, & restituatur libertati, quo beneficio nihil potest homini Satanæ captiuo acceptius, & fœlicius contingere. Nam qui sic liberatur, is non solum consequitur remissionem peccati, sed etiã reputatur coram DEO iustus, adoptatur in filium DEI, donatur spiritu sancto, quo reliquias carnis mortificet, seruatur in morte, & collocatur in hæreditate cœlestis regni, ut una cum filio DEI fruatur gaudio æternæ uitæ. De hac libertate & manumissione concionatur Christus etiam apud Ioãnem: Si uos, inquiens, manseritis in sermone meo, uere discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas reddet uos liberos. Ac mox: Si filius reddiderit uos liberos, uere liberi estis. Et ad Heb. Posteaq̃ pueri commertium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorũdem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperiũ, hoc est, Diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnẽ uitam obnoxij erãt seruituti. Agamus igitur gratias Christo filio DEI liberatori & redemptori nostro, & declaremus erga eum gratitudinem nostram obsequio uocationis eius, ne inobedientia reddamus nos tanto beneficio indignos, & retrahamur iterum in pristinam captiuitatem ac seruitutem.

Vt prædicem clausis apertionem, seu uinctis liberationem. Sicut ante factus est sermo de captiuis seruitute, ita nunc fit sermo de captiuis in carceribus. Filius enim Dei missus est etiam in hunc usum, ut captos seu clausos carceribus educat, & eos liberos dimittat. Non est autem sentiẽdum, quod filius Dei uenerit in terram, ut perturbet statum ordinationum ciuilium, & abroget legitimum officium politici magistratus, ut qui sunt serui hominũ, liberet eos e corporali sua seruitute, & quos magistratus in uincula conijcit, eos ipse e uinculis eripiat. Nam quemadmodum regnum eius non est mundanum, ita nec mundano more liberat seruos a seruitute, & uinctos a uinculis. Et apud Matthæum dicit: Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo, ne quãdo te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris. Amen dico tibi, nõ exibis illinc, donec persolueris extremum quadrãtem. Hic loquitur Christus de supplicio, quod inferri solet reis a magistratu ciuili, & docet, se nõ in hoc uenisse, ut abroget magistratum, & carceres eorũ, sed se potius permittere, ut magistratus autoritas maneat inuiolata. 4.

Et Paulus ait: Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ac mox: Non frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram, ei, qui quod malum est, fecerit. In hoc igitur Esaiæ loco non significatur, Christum fracturum publicos carceres, & educturum corporali uiolentia clausos, ut non legitime a magistratu puniantur. Nec tentiendum est, quod Christus permissurus quidem sit, ut impij & nocentes carceribus clausi, suo legitimo supplicio afficiantur, liberaturus autem sit pios & innocentes e carceribus. Solet enim fieri, ut aliquoties magistratus tyrannus, aut prædones & latrones coniiciant hominem innocentem in uincula. Num ergo Christus hunc e uinculis eripiet? Negari non potest, quin captiui nonnunquam diuina ope e carceribus euadant. Et Christus misit aliquoties angelos, qui Apostolos e uinculis suis eduxerunt, quemadmodum testantur Acta Apostolica. Hæc autem nõ sunt generalia exempla regni Christi, alioqui quibusuis captiuis, ac præsertim pijs contingerent, sed sunt singularia & personalia miracula, quæ Christus in his personis edere uoluit, ut reuelaretur maiestas potentiæ eius in dextra Patris, & comprobaretur ueritas Euangelij eius. Nam quod ad generalem administrationem regni sui in Ecclesia attinet, non adimit magistratui ius coniiciẽdi subditos suos nocẽtes in uincula, nec liberat quosuis pios corporali modo e uinculis. Quid igitur est, quod dicit, Dominator Dominus misit me, ut prædicem clausis seu uinctis liberationem? Etsi grauis calamitas est, clausum esse in externum carcerẽ, tamen calamitas longe omnium grauissima est, clausum & uinctum esse spirituali carcere Legis diuinæ. Nam, qui carcere legis concluditur, & uinctus tenetur, is, ut obnoxius est peccato, ita obnoxius est maledictioni, potestati Satanæ, & æternæ condemnationi. Quæ grauiora uincula possunt homini contingere? Lex enim exigit perfectã iusticiã ab homine. Sed cum homo non implet eam, abducitur a lege in uincula maledictionis, ut necesse habeat, quantũ in lege & in ipso est, perpetuo perire. Omnis enim, qui non permanserit in omnibus sermonibus legis, maledictus est. Venit igitur Christus, ut prædicet his uinctis liberationẽ, quia expiat peccatum, & donat credenti in ipsum, suam iusticiam. Itaq; soluit credentem a iure Legis, ut non amplius sit maledictus, sed habeat omnem iusticiæ & salutis benedictionem, nec possit diutius a lege in uinculis detineri, sed restituatur cœlesti libertati. Lex spiritus uitæ per Christum Iesum, inquit Paulus, liberum me reddidit a iure peccati & mortis. Et iterum: Christus redemit nos a maledictione Legis, dum pro nobis factus est maledictio. Mulier peccatrix, quæ est Lucę ca. vij. tenebatur captiua uinculis Legis. Nam cum agnosceret peccatũ suum, sentiebat se maledictam, & æternis tenebris gehennæ obnoxiã; Sed cum accederet fide ad Christum,

ſtum,& audiret:Remiſſa ſunt tibi peccata tua, continuo uinculis legis ita liberatur,ut quæ intrauerat domum Phariſæi captiua inferni, exierit eam domum hæres regni cœleſtis. Latro in cruce, ſicut ligatus erat manibus & pedibus in cruce,ita multo magis ligatus erat uinculis legis in conſcientia. Quia cum agnoſceret peccatum ſuum,uidit ſe eſſe captiuũ Satanæ,& mancipiũ æterni ignis. Sed cum ſe ad Chriſtum uerteret,ac audiret ab eo:Hodie mecum eris in Paradiſo,uinculis Legis ita liberatur,ut corporalia uincula non potuerint eum tenere,quin Paradiſum eodem die ingrederetur. Tanta enim eſt uis liberationis,qua Chriſtus ſuos a uinculis legis exoluit, ut & ſi corporalia uincula diutius in manibus & pedibus hærent, nõ tamen pro uinculis reputentur, nec poſsint ullum ueræ iſti & cœleſti libertati incommodum afferre. Quare, ſi Chriſtum Dominum noſtrum uera fide complectimur, ut uinculis legis liberemur, nulla reliqua eſt captiuitas,quæ nobis exitio eſſe queat.

Vt prædicẽ annum placationis Domini,& diem ultionis Dei nõ ſtri. In lege Moſi fuit Annus ſeu tempus iræ Domini, aduerſus populum ſuum. Lex enim oſtendit peccatum,operatur iram,& occidit. Quare,qui ſunt adhuc ſub lege,hi etiã ſunt adhuc ſub peccato,ideoque & ſub ira Dei,& in morte ac æterna dãnatione. Itaq; tempus legis,recte uocatur Annus iræ & indignationis Dei. Præterea in lege Moſi fuit Dies, quo Deus ſæpenumero uiſus eſt magis hoſtibus ſuis,quam populo ſuo fauere,quippe quod conceſſerit hoſtibus uictoriam ſuper populum ſuum,ac tradiderit Eccleſiam ſuam hoſtibus affligendam,& opprimendam. Chriſtus autẽ filius Dei in hõc miſſus eſt,ut adnunciet tempus placatæ iræ Domini, & tempus Reconciliationis. Cum enim Chriſtus expiauerit peccatum, iram Dei ſic placauit, & homines cum Deo reconciliauit, ut Deus omnes eos, qui in Chriſtum credunt, non ſolum in gratiam recipiat, & peccata eis remittat,uerumetiam adoptet eos in filios & hæredes cœleſtium ſuorum bonorum propter Chriſtum. Hoc igitur tempus,quo hæc & cõfecta,& per Euangelion reuelata,ac in orbem diuulgata ſunt,uere dicitur Annus Placationis ſeu Reconciliationis Domini.

Deinde miſſus eſt & filius Dei, in hoc, ut adnunciet diẽ Vltionis Dei noſtri. Quia, cum antea uiſus ſit hoſtibus populi ſui fauere, nec iniurias Eccleſiæ ſuæ ab hoſtibus illatas ulciſci,nunc demum expergefactus per filium ſuum ſtatuit omnes iniurias ulciſci, & conſtituit diem,quo iudicaturus eſt totum orbem terræ,& traditurus perpetuæ internecioni omnes impios ac hoſtes filij ſui,& Eccleſiæ eius. De hoc die, qui eſt extremus huius ſeculi dies, ſæpe ac multum concionatus eſt CHRISTVS Matthæi uigeſimoquinto. Cum uenerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum

eo,tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuæ, & congregabuntur ãnte eũ omnes gentes &c. Et Marci ultimo: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit,& baptiſatus fuerit,ſaluus erit. (Hęc eſt prædicatio anni placationis) Qui uero non crediderit,condemnabitur. (Hæc eſt prædicatio diei Vltionis) Et apud Ioannem capite tertio: Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum,ſed ut mundus ſeruetur per eum. Qui credit in eum, non condemnatur. Hæc eſt adnunciatio anni placationis. Qui uero non credit,iam condemnatus eſt. Hic eſt dies Vltionis. Etſi enim impij non nunquam etiam in hoc ſeculo affliguntur propter impietatem ipſorum,tamen generale & perpetuo duraturum ſupplicium impiorum reiectum eſt in eum Vltionis diem,quem Chriſtus filius Dei adnunciauit. Neque eſt, quod applaudant ſibi impij diuturnitatis dilatione. Non tardat Dominus, (inquit Petrus) qui promiſit, quemadmodum nõnulli tarditatem exiſtimant. Verum patiens eſt erga nos, dum non uult ullos perire,ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Veniet autem dies Domini,ſicut fur in nocte &c.

6. Vt conſoler omnes lugentes. Alius alijs de cauſis luget. Hic ob graue onus paupertatis, ille ob grauitatem morbi,hic ob infamiam, ille ob captiuitatem, hic ob peccata ſua,ille ob dolores mortis & inferni. Chriſtus ergo miſſus eſt, ut omnes quacunq; de cauſa lugentes conſoletur. Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. Refocillat autem & conſolatur Chriſtus non mundano modo: Regnum enim eius non eſt de hoc mundo,ſed conſolatur cœleſti & diuino modo. Prædicat enim peccatum eſſe expiatum,& Deum placatum. Prædicat Deum tam propicium,ut adoptet in filios, & ſeruet in morte ad cœleſtem hæreditatem omnes,qui in ipſum credũt. Qui ergo grauatus paupertate, aut morbo,aut infamia,aut captiuitate, aut doloribus mortis & inferni, accipit hanc prædicationem per fidem,& certo credit Deum fauere ſibi propter Chriſtum, & adoptare ipſum in filium ſuũ, accipit ſimul tantam cõſolationem et refocillationem,aut etiamſi afflictio,ſiue illa corporalis,ſiue ſpiritualis, aliquandiu durauerit,tamen certa ſpe ſic afficiatur,ut afflictionem iam nullius momenti ducat. Beati (inquit) qui lugent, quoniam conſolationem accipient. Et: Beati eſtis, cum probra iecerint in uos homines &c. Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis.

7. Vt ponam fortitudinem lugentibus Zion, & dem eis coronam pro cinere &c. Hoc ſic legendum eſt, ut ponam his,qui lugent in Zion,dem, inquam, eis ornamentum ſeu gloriam, pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro ſpiritu mœroris. Non eſt ignota conſuetudo Iudæorum, quod in aduerſis & luctu induerint

ſaccos,

ſaccos,& ſederint in puluere,ac conſperſerint ſe cineribus. Hæc fuerunt ſymbola luctus. Gaudij uero & læticiæ ſymbola fuerunt ueſtes ſplendidæ,& unctio olei. Vnde & Chriſtus alias dicit, Tu cum ieiunas,unge caput tuum oleo,& faciem tuam laua &c. Quare & hoc loco dicit ſe miſſum,ut det pro cinere, qui ſordidat hominem, ornamẽtum,ſeu decorem,pro luctu,oleum, pro mœſticia, ſeu ſacco mœſticiæ ſigno, pallium laudis, aut ueſtem glorioſam,hoc eſt,ut triſtes & mœſtos homines reddat alacres & lætos. Diſerte autem addit: His qui lugẽt in Zion. Eſt autem Zion,Eccleſia. Significat igitur, quod hi, qui ſunt extra Eccleſiam, & ſi lugent,& mœſticia afficiuntur, tamen non conſequuntur alacritatem & læticiam. Fieri quidem poteſt, quod concipiant aliquam carnalem læticiam: ſed dum fuerint extra Eccleſiam aut Chriſtum, non poſſunt ullam ueram, cœleſtem & perpetuam læticiam concipere. Soli autem hi, qui lugent in Zion,hoc eſt, qui ſunt membra Eccleſiæ per fidem in Chriſtum, uera & cœleſti ac perpetua lætitia donantur. Mundus, inquit,gaudebit, uos autem mœrore afficiemini,ſed mœror ueſter uertetur in gaudium. Et gaudium ueſtrum nemo tollit a uobis.

Vt uocentur ipſi, Arbores iuſticiæ, Plantatiõ Domini ad glorifi 8.
candum. Filius Dei etiam hoc officio fungitur, quod uocat eos, qui ſunt in Zion, Arbores Iuſticię,& Plantationem Domini,ut tam ipſi fiãt glorioſi,quam glorificent Deum Patrem qui eſt in cœlis. Quid ergo dicemus? Num hæc uocatio nominis tantum, & non rei erit? Certe non eſt humana,ſed diuina uocatio,quę uocat ea quę nõ ſunt, ut ſint. Quare,cum filius Dei uocat eos,qui ſunt in Zion, Arbores iuſticiæ,& Plantationem Domini, ita efficit etiam ut ſint tales, quales uocantur,uidelicet, Arbores, quæ ipſæ ſunt iuſtæ,& proferunt fructum iuſtum. Et Plantatio Domini,quæ ſic plantata eſt,ut eradicari aut extirpari non queat. Hoc autem reſpicit initio in Apoſtolos, quos filius Dei in horto Eccleſiæ ſic plantauit, ut primum ipſi eſſent iuſti per fidem: deinde prædicarent Euangelion,quod nunquam extirpari,aut deleri poſſet, & quo redderent alios,qui acciperẽt ipſum fide,iuſtos & ſaluos. Euangelion enim eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Hoc uere eſt eſſe Arborem iuſticiæ,ac plantationem Domini,quæ proferat fructum iuſtum,perpetuo duraturum. Deinde reſpicit in quoſuis pios,credentes Euangelio Chriſti. Hi enim fiunt Arbores iuſtæ & plantatio Domini,cum agnoſcunt Chriſtũ per fidem. Sic enim reputãtur iuſti coram Deo,propter Chriſtum,et cõfitentur Chriſtum coram hominibus, tam uerbis, quam factis,ut & alij conuertãtur ad Chriſtum,& fiant iuſti per fidem. Sic Rex quiſpiam aut Princeps eſt Arbor iuſticiæ, & Plantatio Domini, cũ & ipſe uere credit in Chriſtum,& incumbit in hoc ſtudium, ut Euangelion

Christi in Ecclesijs suæ ditionis recte doceatur, & ad posteros propagetur, quo & alij iustificentur, & seruentur. Sic Paterfamilias est Arbor Iusticiæ, & Plantatio Domini, cum non ipse tantum agnoscit Euangelion Christi, & reputatur iustus per fidem, sed etiam operam dat, ut familia eius ad cognitionem Euangelij erudiatur, & liberi in uere pia doctrina sic instituantur, quo & ipsi deinceps suos liberos ac posteros ueram pietatem doceant. Sic priuatus quisque est Arbor Iusticiæ & Plantatio Domini, cum & ipse habet iusticiam Christi per fidem, & ducit ex fide tam honestam uitam, ut alij exemplo eius excitentur, ad glorificandum DEVM Patrem nostrum, qui est in cœlis.

ET ÆDIFICABVNT DESERTA A SECVLO, ET RVINAS ANTIQVAS, &c.

Pergit exponere, quem fructum allaturæ sint Arbores Iusticiæ, hoc est, Apostoli, & collegæ ac ueri successores eorum. Postquam enim filius DEI functus est in terris suo officio, ascendit in cœlum, & misit Apostolis ac reliquis discipulis suis Spiritum sanctum, quo excitauit & confirmauit eos in Architectos Ecclesiæ, in toto orbe terrarum. Itaque a die Pentecostes, quo missus est Spiritus sanctus, cœperunt Apostoli & reliqui discipuli implere, quod hic scribitur. Exorsi enim ab urbe Hierusalem, egressi sunt in orbem terræ, & instaurarunt ueteres ruinas, uidelicet eas regiones ac urbes, quæ iam a seculo, hoc est, longo tempore desolatæ fuerant, ac refecerunt ciuitates, quæ in generationem & generationem, hoc est, multis seculis erant desertæ & dissipatę. Non est autem obscurum, quod Apostoli & collegæ eorum non instaurauerint ullas urbes aut ciuitates externis ædificijs. Sed quale est regnum Christi, talis etiam est ædificatio Apostolorum, & qualis est uastatio & ruina urbium coram DEO, talis etiam est instauratio quæ fit per Apostolos. Regiones enim & urbes non tunc uere coram Deo uastantur & ruunt, cum externa ædificia & muri diruuntur, & igni absumuntur, Sed cum amittunt ueram doctrinam pietatis, & ruunt in impietatem. Sic etiam non tunc uere coram Deo instaurantur, cum noua, seu lignea, seu lapidea ædificia excitantur, sed cum prædicatur in eis uera pia doctrina, & ciues, abiecta impietate agnoscunt Christum per fidem, ac fiunt ciues & hæredes regni cœlestis. Sic corruit quondam urbs ipsa Hierusalem, non cum Babylonij eam uastarent, sed cum Pseudoprophetæ aliena a uerbo Dei docerent, & Pharisæi ac Sadducæi impijs suis traditionibus piam doctrinam de lege & Messia, in Hierusalem docerent. Sed Apostoli iterum eam instaurare cœperunt, in die Pentecostes, quo Euangelion de Messia publice & perspicue ita prædicarunt, ut statim tria millia hominum ad Ecclesiam Dei accederent,

accéderent. Sic Samaria deuastata fuit, non tunc primum, cum Rex Assyriorum abduxit decem tribus captiuas, sed cum antea instituerentur uituli aurei, & postea collocarentur in ea incolæ, qui simul & Deum Israelis, & deos gentium colebant. Sed hæc ruina Samariæ iterum refici cœpit, cum uenit ad eam Philippus, & prædicauit illis Christum, Actorum octauo. Sic insulæ, regiones & urbes gentium, Cyprus, Lycaonia, Pamphilia, Macedonia, Athenæ, Corinthus, Roma, & aliæ regiones ac ciuitates fuerunt a seculo desolatæ, & in generationem ac generationem dissipatæ, propterea quod iam a multis seculis, a temporibus uel Patriarcharum, uel conditionis ipsarum, amiserant ueram cognitionem Dei, & deditæ erant Idolatriæ. Sed cũ Paulus & alij ministri Ecclesię uenerunt ad has regiones & urbes, & prædicauerunt Euangelion Christi, instauraverunt ueteres ruinas, & refecerunt collapsa ædificia. Quod cum ita se habeat, quod ea demum uera sit ruina & instauratio regionum ac urbium, cum ruit pia doctrina, & iterum instituitur, uide mihi, quantum nostris temporibus peccẽt hi, qui ad conseruandam externam urbium suarum incolumitatem eijciunt ex ipsis doctrinam uere piam, & recipiunt Interitum, hoc est, manifestam piæ doctrinæ corruptelam. Hoc enim ipso, quo studeant suas urbes conseruare, coram Deo demoliuntur & uastant, ut non Conseruatores, sed Vastatores patriæ suæ merito sint dicendi.

ET STABVNT ALIENI ET PASCENT PECORA VESTRA, ET FILII PEREGRINORVM, &c.

Loquitur non de uno tantum genere hominum in Ecclesia, sed de uniuersa Ecclesia, quæ prædicatione Apostolica tam ex Iudæis, quam Gentibus colligitur. Promittit autem omnibus in Ecclesia summam dignitatem & autoritatem, cum dicit eos fore sacerdotes & Ministros Domini Dei nostri. Alienos autem & extraneos fore seruos, posteros, agricolas & uinitores eorum, ut ipsi, reiectis in alios sordidis laboribus, possint officio suo sacerdotali uacare. In politia Mosi una tantum tribus Leui definita & sanctificata erat ad publica sacra in Sanctuario peragenda. Et inter hos sui erant gradus, alij erant Sacerdotes, alij Leuitæ. Nulli autem reliquarum tribuum licebat istorum officia usurpare, quemadmodum scriptum est Numer. decimooctauo. In Ecclesia uero, post reuelationem & diuulgationem Euangelij in orbem terræ, non una tantum familia aut tribus, non unum tantum genus hominum, sed omnes, qui in Christum credunt, & sunt membra Ecclesiæ, consecrantur in Sacerdotes. Nec sunt duo genera Sacerdotij in Ecclesia, quemadmodum Pontificij fingunt. Hi enim dicunt, Alterum Sacerdotium esse

Spirituale, quod ad omnes Christianos pertinet. Alterum autem es se Ecclesiasticum, quod ad eos tantum pertineat, qui sunt ab Episcopis rasi & uncti, & quorum officium sit sacrificare corpus & sanguinem Christi in Missa, pro peccatis uiuorum & mortuorum. At enim in uera Ecclesia Christi, est quidem publicum ministerium prædicandi Euangelij, & dispensandi Sacramenta iuxta institutionem Christi, ad quod ministerium publice peragendum, nemo debet, nisi uocatus, accedere, ne quid in Ecclesia indecẽter & sine ordine fiat. Nullum autem est tale sacerdotium, quale Pontificij somniant. Christus em̃ instituendo cœnam suam, non instituit sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum: Sed instituit dispensationem corporis & sanguinis sui, Sacramento panis ac uini, ut meritum Christi applicaretur Ecclesiæ, nõ sacrificando ista mussitanter, sed prædicando Euangelio Christi, & distribuendo pane & uino manifeste, ac sumendo ea externa manducatione per fidem, quemadmodum alias copiose demonstratum est. Cum igitur Christus non instituerit in cœna sua singulare sacrificium, magna est impudentia, ac etiam impietas, affirmare quod instituerit singulare Sacerdotium, cuius officium sit sacrificium istud offerre. Nam quod ad uerum ac spirituale Sacerdotium & Sacrificium attinet, Vnus tantum est uerus Sacerdos, qui nobis placauit Deum Patrem, Iesus Christus Dominus noster, de quo scriptum est: Tu es Sacerdos inæternum secundum ordinem Melchisedec. Et unum tantum est sacrificium expiatorium pro peccatis nostris, uidelicet, quod Christus ipse semel tantum oblatione corporis & sanguinis suis in cruce peregit. Quod sacrificium non iussit repetere Offerendo in Missa, sed commemorando, hoc est, Prædicando & publice adnunciando. Hoc, inquit, facite in mei commemorationem. Et quid sit illud facere & commemorare, exponit Paulus. Quotiescunque, inquiens, comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec uenerit. Hoc igitur facere & commemorare, non est Sacrificare, sed est Comedere & bibere, ac de merito Passionis & Mortis Christi publice prædicare. Cum autem sacrificuli Missarij, nec dant Ecclesiæ, quod edat & bibat, nec adnunciant Ecclesiæ mortem Christi, sed tantum secum, nescio quæ, fortasis Magica, mussitant, non est sentiendum, quod fungãtur sacerdotio diuinæ maiestati accepto, sed potius exoso & abominabili, ideoque omnibus pijs fugiendo & uitando. Porro, & si Christus solus sit Sacerdos uerus ac spiritualis & cœlestis, & Sacrificium eius semel in cruce peractum solum sit expiatorium pro peccatis nostris, tamen quemadmodum adoptat omnes credentes in fratres & cohæredes suos, etiamsi ipse solus sit uerus & naturalis filius ac hæres Dei, ita & adoptat omnes credentes in

tes in cõsacerdotes suos, & efficit, ut ómnia opera eorum, q̃uæ ex fide faciunt, sint Sacrificia Deo grata. Ergo, inquis, satisfaciunt & ipsi pro peccatis suis? Nihil minus. Hæc enim maiestas ad solum Christum pertinet. Sed ad hoc cooptamur in cõsacerdotes Christi, ut liceat nobis per Christum accedere precibus nostris ad Deum Patrẽ, & admonere eum de expiatione peccatorum per Christũ facta, quo fide confirmati, reputemur Iusti, & seruemur propter Christum. Opera autem nostra fiunt Sacrificia, non q̃ expient peccata nostra, sed quia Deus agnoscit ea propter Christum, ex cuius fide fiunt, & propter quem solum credimus nos habere peccatorum remissionẽ. De tali Sacerdotio concionatur hoc loco Esaias cum ait: Vos sacerdotes Domini uocabimini, Ministri Dei nostri dicetur uobis. Et capite sexagesimo sexto: Assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus, &c. Et Petrus: Ipsi, inquit, ueluti uiui lapides, ædificemini domus spiritualis, Sacerdotiũ sanctum, ad offerendum Spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christũ. Ac mox: Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta &c. Et addit officium sacerdotale. Vt uirtutes, inquiens, prædicetis illius, qui e tenebris uos uocauit, in admirabilem suam lucem. Et in Apocalypsi capite primo: Lauit nos a peccatis nostris per sanguinẽ ipsius, & fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo. Ac iterum capite quinto: Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram. De Sacrificijs autem nostris, quæ & ipsa probant omnes credentes in Christum esse coram Deo sacerdotes, dicit Paulus ad Romanos, capite duodecimo: Obsecro uos fratres, per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra, hostiam uiuentem, acceptam Deo &c. Et Philip. quarto: Expletus sum, posteaquam accepi ab Epaphrodito, quæ a uobis missa fuerãt, odorem bonæ fragrãtię, hostiam acceptam gratamq̃ Deo. Et Hebr. cap. decimotertio: Per ipsum offerimus hostiam laudis semper Deo, &c. Ac mox: Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini. Talibus enim uictimis placetur Deo. Sentiamus igitur nos illos Missarum Scrificulos, sed omnes uere in Christum credentes esse ueros, spirituales & cœlestes sacerdotes, quibus pateat aditus per Sacrificium Christi semel in cruce peractum ad Deum Patrem cœlestem, ut inuocatione sua impetrent ab ipso perpetuam iusticiam & salutem. Sed quod addit: Alieni pascent pecora uestra, & peregrini erunt uestri agricolę & uinitores, significat quidem tantam dignitatem contingere credentibus Euangelio, ut aliæ gentes fiant serui ipsorum, quo ipsi uacare possint sacerdotio suo: nihil aũt admirabilius aut absurdius dici uidetur, quandoquidem res ipsa declarat, q̃ potius pij fiant serui impiorum, & quod impij abripiant pecora, quæ pascunt pij, & auferant aut deuastent, quæ pij in agris

& uineis suis coluerunt, tantum abest, ut impij sint pastores, agricolæ & uinitores piorum. Etsi hæc uidentur eiusdem esse sententiæ cū eo, quod in præcedenti capite dictum est: Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi, tamen, cum non de Apostolis tantum, & ijs, qui ex Iudæis in Christum crediderunt, sed de uniuersa Ecclesia ex Iudeis & Gentibus collecta dicatur: Vos sacerdotes Domini uocabimini, & ministri Dei nostri dicetur uobis, quemadmodum paulo ante indicauimus, sentiēdum est, quod in hac antithesi, per alienos & filios peregrinorum, non intelligendi sint hi, qui ex gētibus ad Ecclesiam accesserunt, sed qui sunt ab Ecclesia alieni, & non sunt in catalogo ueri populi Dei. Respicit enim hoc dictum in benedictionem illam, quæ Deuteronomij uigesimo octauo promittitur obseruantibus mandata Domini. Constituet, inquit, te Dominus Deus tuus in caput & non in caudā, & eris semper supra & non subter. Et paulo ante. Faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ uersantur in terra. Significat igitur Propheta, quod quam benedictionem populus legis nunq; ex operibus suis assequi potuit, eā assequatur Ecclesia ex fide in Iesum Christum, uidelicet, ut fiant caput Gentium, & Gentes necesse habeant ipsis seruire, & mancipia ipsorum esse. Hæc autem non sunt intelligēda de corporali & mundana seruitute. Etsi enim pijs licet etiam mundanos habere seruos, tamen hic non tractatur de hac seruitute, sed de ea, quæ spirituali regno Christi competit, uidelicet, quod cum pij, qui sunt membra Christi, participent dominationem & maiestatem Christi, cui subiectæ sunt omnes gentes, & qui dominatur in medio inimicorum suorum, necesse habeant & ipsis omnes Gentes seruire, hoc est, adiumento in bonum esse. His qui diligunt Deum, inquit Paulus, omnia simul adiumēto sunt in bonum, nimirū his, qui iuxtā propositum uocati sunt. Quæ quidem dominatio tenetur in hoc mūdo a pijs tantum per fidem. Postquam autem reuelatus fuerit filius Dei in maiestate sua, cum uenerit ad iudicandum uiuos & mortuos, reuelabitur etiam hæc piorum dominatio publice, ut uniuersus mundus cognoscat, solos pios esse ueros Gentium dominos. Tunc stabunt, inquit liber Sapientiæ, iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerūt, & qui abstulerunt labores eorum. Ac mox dicunt impiæ gentes de pijs. Hi sunt, quos aliquando deriſimus, & conuicijs proscidimus. Nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum inglorium. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est &c.

FORTITVDINEM GENTIVM COMEDETIS, ET IN GLORIA EORVM, &c.

Pro fortitudine, legendum est Facultates, seu opes & diuitias.

Et per

Et per gloriam gentium intelligenda sunt imperia, sapientia, fortitudo, & quicquid est excellens & glorioſum apud Gentes. Videtur & hoc conuenire cum eo, quod in ſuperiori capite dicitur: Suges lac gẽtium, & mamilla Regum earum lactaberis. Ac profecto Eccleſia fruitur nunc opibus Gentium, dum inſtitutę ſunt impendio Principum & Ciuitatum, Parochiæ, Concionaturæ, quas ita uocant, & Scholæ, ad docendas & diſcendas ſacras literas, quibus & pueri & ſenes ad ueram pietatem erudiantur. Superbit etiam Eccleſia, ſeu oblectatur in gloria Gentium, dum Reges & Principes, quorum maiores, aut anteceſſores fuerunt Ethnici & perſecutores Eccleſiæ, conferunt nunc potentiam & imperia eorum, ad iuuandam Eccleſiam, & conſeruandam piam doctrinam Euangelij. Oblectatur Eccleſia & hac parte, in gloria Gentium, dum ex eruditis ſcriptis Gentium, in omni genere diſciplinarum colligit ea, quæ conferunt aliquid utilitatis uel ad cognitionem ueri Dei, uel ad ſectandam honeſtatem, uel ad adminiſtrandam aut politian, aut œconomiam. Sed hoc loco uidetur Propheta iterum reſpicere & alludere ad benedictiones & maledictiones legis. Nam Deuteronomij uigeſimooctauo extat hæc maledictio: Si nolueris audire uocem DOMINI Dei tui, fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedet populus, quem ignoras. Et mox: Aduena qui tecum uerſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritq; ſublimior. Tu autem deſcendes, & eris inferior. Ipſe fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei, &c. Obnoxij ſunt huic maledictioni, quotquot legem DOMINI non perfecte implent, hoc eſt, Omnes homines ſub lege. Nullus enim hominum eſt, qui ſic audiat uocem legis, quemadmodum reipſa exigitur. Docet igitur Propheta, quod in Eccleſia CHRISTI hæc maledictio uertatur in benedictionem, & cum ſub lege Gentes comederint opes populi Dei, & oblectauerint ſeſe gloria eius, nunc uiciſsim populus Dei comedat opes Gentium, & oblectet ſeſe in gloria earum, quia habet in CHRISTO Remiſsionem peccatorum & iuſticiam. Vbi autem eſt iuſticia, ibi non eſt amplius maledictioni, ſed tantum benedictioni locus, ut & ſi is, qui eſt iuſtus per fidem in Chriſtum, opprimitur adhuc a Gentibus, & exuitur omnibus ſuis facultatibus ab ipſis, tamen quia habet CHRISTVM per fidem, habet & tantam cœleſtis benedictionis copiam, ut oppreſsionem & facultatum direptionem ducat ſibi magis lucro, quam detrimento, ac certus ſit ex diuina promiſsione pro ablatis reſtituenda ſibi centupla, adeoque omnes huius mundi facultates, & gloriam ſibi in CHRISTO ſeruatore ſuo, cuius eſt membrum per fidem, ſubijcienda. Hoc uere eſt comedere facultates Gentium, & in gloria earum ſeſe oblectare.

PRO CONFVSIONE VESTRA DVPLI CI ET RVBORE &c.

Hoc sic uertendum est: Pro confusione uestra, duplex (uidelicet gloria reddetur) & pro ignominia, exultabunt in portione seu agro suo. Propter hoc in terra sua &c. Sicut supra dictū est, Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te trāsiret, ponam te in superbiam seculorum &c. Ita & hoc loco alijs quidem uerbis, eodem autem sensu promittitur Ecclesiæ magna gloria, multa iubilatio, duplex seu copiosa hæreditas, & sempiterna lætitia, pro confusione, cōtumelijs, ignominia, direptione facultatum, & tristitia, quibus ab hostibus & aduersarijs suis affecta est. Confundebatur quondam populus Dei turpiter admodum in Ægypto, cum gloriaretur uerū Deum a parte ipsorum stare, & tamen opprimerentur ab Ægyptijs. Magna ignominia notabantur quondam Israelitæ, quod & si iactabant se esse electum Dei populum, essent tamen præda finitimarum gentium, donec tandem Babylonij, etiam metropolin ipsorum Hierusalem euerterent, & superstites de populo Dei captiuos in seruitutem abducerent. Sed maxima omnium confusio est, quod & si Israelitæ, qui tunc dicebantur Ecclesia populi Dei, faciebant externa opera legis, & ducebant honestam uitam, accusabantur tamen peccati a lege, & iudicabantur digni æterna damnatione. Hac confusione, quid potest dici aut fœdius, aut tristius, aut calamitosius? Sed nunc, postquam uenit Christus, & reuelatur Euangelion eius de peccatorum remissione & perpetua iusticia, reponitur Ecclesiæ Dei pro confusione, duplex gloria, pro ignominia, summa iubilatio in suo cuiq; agro aut patria, pro direptis facultatibus, duplex possessio in terra sua, ac breuiter pro temporaria mœsticia reponitur Ecclesiæ sempiterna lætitia. Christus enim expiauit peccatum, placauit iram patris, donat credentibus in ipsum suam iusticiam, & cooptat eos in fratres & cohæredes suos. Quibus beneficijs an non dupliciter, imo centies, imo millies, imo plus millies compensatur quicquid unquam aduersi in hoc seculo pertulerimus? Reputo, inquit Paulus, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Et iterum: Momentanea leuitas afflictionis nostræ mire supra modum, æternum pondus gloriæ parit nobis. Agamus igitur Domino nostro Iesu Christo gratias pro maximis illis bñficijs suis, & ponamus nobis has promissiones in aduersis, in confusione, in ignominia, in direptione facultatum, & in alijs afflictionibus ob oculos mētis nostræ, ut confirmemur fide, & expectemus obedienter reuelationem promissæ gloriæ, lætitiæ & iubilationis.

Es soll alles doppel vergolten werdenn.

QVIA EGO DOMINVS DILIGENS IVDICIVM, ET ODIO HABENS, &c.

Qui

Qui ab initio huius capitis dixit se missum ad adnunciandum Euangelion pauperibus, & ad consolandos afflictos, idem & hæc loquitur, & recitat causam, cur tanta beneficia, quanta hactenus commemorata sunt, in Ecclesiam suam conferat. Dabo eis, inquit, coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu. Et mox: Stabunt alieni, & pascent pecora uestra, & filij peregrinorum agricolæ & uinitores uestri erunt. Ac iterum: Pro confusione uestra duplex gloria cõtinget uobis etc. Quam ergo ob causam hæc uobis fient? Quia Ego (inquit filius Dei) sum Dominus, Diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Quid sit hoc loco, Iudicium, ex altera parte antithesis intelligi potest. Sicut enim Odio habens, & Diligens inter se opponuntur, ita etiam opponuntur inter se, Rapina in holocaustum, & Iudicium. Cum igitur Rapina in holocaustum sit deprauatio & peruersio diuinæ ordinationis, perspicuum est, quod iudicium hoc loco sumatur pro diuinæ ordinationis rectitudine. Deus enim ordinauit quidem in lege Holocaustum, sed prohibuit rapinam. Quare, cum homines offerunt Rapinam in holocaustum, peruertunt & deprauant ordinationem Dei. Deus autem nequaquam delectatur tali cultu, sed potius odio habet, ac detestatur eum. Delectatur autem & amat iudicium, uidelicet, si cultus peragitur recte, iuxta uerbi sui ordinationem. Dicit ergo filius Dei se idcirco conferre tanta beneficia in Ecclesiam suam, quod sit Deus amans iudicium, uidelicet, ut omnia recte, & secundum suam ordinationem, & promissiones fiant, & odio habens rapinam in holocaustũ, uidelicet, si ordinationes & promissiones suæ peruertuntur, & deprauantur. Ordinauit autem Deus, ut bonis sit bene, & malis male. Nam hoc esse iudicium, hanc esse regulam & ordinationem suam, testatur cum in multis locis scripturæ, tum præcipue Leuitici uigesimosexto, & Deuteronomij uigesimo octauo. Ordinauit & promisit, quod Ecclesia populi sui tam fœlix & beata sit, ut & amici eius fœlices fiant, inimici autem infœlices. Ad Abraham dicit Dominus, Geneseos duodecimo: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Et Numer. uigesimoquarto. de uniuerso populo Dei dicitur: Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus. Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur. Sed quia Satan factus est, propter hominis peccatum, princeps huius mundi, inuertit in hoc seculo has Dei ordinationes & promissiones, & incumbit in hoc studium, ut bonis sit male, malis autem bene, & ut Ecclesia populi Dei indignis modis tractetur, hostes autem eius omni genere bonorum fruantur. Et ad hanc inuersionem solet DEVS suo quodam, eoque prudentissimo consilio ita conniuere, ut nonnulli existiment Deum nullam prorsus habere humanarum rerum rationem. Quare filius Dei

affirmat se, cum sit Deus amans iudicij, & detestans inuersionem recti, instaurare ueterem Dei ordinationem, et implere promissionem eius, ut deinceps Ecclesia populi sui, consequatur pro mœsticia gaudium, pro luctu læticiam, pro confusione gloriam, pro direptione facultatum, hereditatem terrę, & pro doloribus sempiternam lubilationem. Etsi enim, ne Ecclesia quidem perfecte iusta est, si opera eius ad legem Dei conferas, tamen filius Dei donat & imputat ei suam ipsius iusticiam, quæ est perfectissima & absolutissima. Quare, cum Ecclesia sit in Christo, filio Dei Iusta, & debeantur ei ob hanc causam omnia, quæ iustis diuinitus ordinata, & promissa sunt, recipit filius Dei in hac concione, se confecturum, ut hæc Ecclesiæ suæ liberaliter & prolixe contingant. Cæterum, quod dicitur, Deus amans iudicium & odio habens rapinam in holocaustum, late admodum patet, & de multis rebus nos admonet. Primum enim docet, quod Deus & si aliquandiu conniuet ad euersionem suarum ordinationum, & promissionum, tamen quia est Deus amans iudicium, hoc est, rectitudinem, non conniuebit perpetuo, sed instaurabit tandem omnia, iuxta ueram & legitimam suam ordinationem, ut sic in æternum permaneant. Visio (inquit Propheta) apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta eam, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Et alias: Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto. Tu uero Deus deduces eos in puteum interitus, &c. Deinde sunt qui approbãt omnem ritum colendi Dei, & existimant iuxta referre, qua fide, quo ritu, & quibus operibus Deum colas, modo sentias te uerum Deum colere. Hi putant Ethnicos, Mahumetistas, Thalmudistas, Papistas, in sua quemque religione seruari, si modo Deum sacris præscriptis a maioribus suis colant, & honestam uitam ducant. Sed hoc dictum: Deus amans Iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum, damnat non solum impiam horum opinionem, uerumetiam omnem religionem, & omnia sacra, quæ sunt a uerbo Dei, hoc est, a scriptura Prophetica & Apostolica aliena. Deus enim amat iudicium, uult ut regula sui iudicij, & sui uerbi seruetur. Et intantum detestatur sui iudicij, sui uerbi, & suæ ordinationis præuaricationem, ut ne holocausta quidem, quæ uidentur esse summus cultus Dei, approbet, si fiant ex rapina, quæ iudicio legis Dei est prohibita. Holocausti autem nomine compræhenduntur omnia sacra, omnes ritus, & omnis religio colendi Dei. Et nomine rapinæ comprehenduntur omnia ea quæ aduersus regulam uerbi Dei fiunt. Quare, si quis colit Deum uel ritibus a uerbo Dei alienis, & prohibitis, qualis est cultus Ethnicorum, Mahumetistarum & Thalmudistarum, uel etiam ritibus aut operibus a uerbo Dei approbatis

& man-

& mandatis, ſed opinione cum uerbo DEI pugnante, qualis eſt cultus Monachorum & omnium hypocritarum, qui faciunt ſua ſacra & opera, non ex fide in CHRISTVM, quod habeant in CHRISTO gratuitam peccatorum remiſsionem, ſed ex fiducia meritorum ſuorum, contra fidem: Si quis ita, inquam, Deum colit, uere dicitur offerre rapinam in holocauſtum, & eſt DEO abominabilis.

ET DABO OPVS EORVM IN VERITATE.

Hoc ſic uerti debet: Efficiam, ut opus, ſeu merces operis eōrum ſit firmum ſeu certum. Filius enim Dei non ſolum promittit beneficia ſua uerbis, ſed etiam præſtat reipſa, nec unquam committit, ut qui credit in ipſum, & ſectatur uocationem ipſius, fruſtra laboret. Merces operis ac laboris cuiuſuis credentis in filium Dei certiſsima eſt. Et quiſquis in ipſum credit, ueriſsime conſequitur omnia ea, quæ promiſſa ſunt. Magnus & obſeruabilis eſt uſus huius dicti. Alij enim ſunt, qui abijciunt fidem in Chriſtum filium Dei, & uocationem eius, propterea quod exiſtimēnt omnia per Chriſtum in Euangelio eius promiſſa, eſſe uana, & ſe fruſtra ſpe & expectatione cœleſtium bonorum torqueri. Hos continet hoc dictum in ōfficio, & admonet eos, ut conſtanter perſeuerent & pergant in uocatione fidei. Dabo enim, inquit filius Dei, mercedem operis eorum certam ac firmam. Non fruſtra ſperant, non inuanum expectant, ſed certiſsime eueniet eis, quicquid promiſſum eſt, modo cōſtent fide, & obedienti expectatione rerum promiſſarum. Promiſſa eſt remiſsio peccatorum, promiſſa eſt iuſticia coram Deo, propter Chriſtum, promiſſa eſt liberatio ex afflictione, promiſſa eſt Salus in morte, & Reſurrectio a mortuis ad æterna cœleſtis regni gaudia. Hæc ueriſsime ac certiſsime euenient tibi, ſi expectaueris Dominum, & uiriliter agas, ut Pſalmus loquitur. Sic Paulus hortatur ex hoc Eſaiæ loco Corinthios, imo uniuerſam Eccleſiam: Fratres mei dilecti, inquiens, ſtabiles ſitis, immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, cum ſciatis, quod labor ueſter nō ſit inanis in Domino. Sunt & alij, qui cum iam defecerint a fide, & deſeruerint uocationem Domini, non poſſunt excitari, & perſuaderi, ut reuertantur ad Dominum & ad uocationem eius, quia metuunt ne hic labor ſit uanus & irritus, ac non recipiantur a Domino in gratiam. Sed & his medetur hoc dictum filij Dei, & reuocat eos in uiam. Certa enim & firma eſt merces laboris omnium eorum, qui ueniunt aut redeunt ad filium Dei. Etſi enim fallunt homines, cum deſerunt filium Dei, & uocationem eius, tamen non fallit filius Dei, cum deſertōres redeunt. Nam dona & uocatio Dei, inquit Paulus, eiuſmodi ſunt, ut eorum illum pœnitere

1. Corinth. 15.

non posſit. Donum Dei eſt, quod Chriſtus expiauerit peccata. Hoc donum manet ſemper firmum, ut quiſquis in Chriſtum crediderit, accipiat remiſsionem peccatorum. Vocatio Dei eſt, ut omnes peccatores ueniant fide in Chriſtum, & capiant propter Chriſtum hæreditatem iuſticiæ ac æternæ ſalutis. Concluſit, inquit, Deus omnes ſub incredulitatem, ut OMNIVM miſereatur. Et, Deus uult OMNES homines ſaluos fieri. Hæc uocatio Dei nunquam in æternũ mutatur, ſed manet certiſsima, ut quiſquis peccator, ſiue ſit ex Idolatris, ſiue ex ſceleratis, ſiue ex defectoribus, ſiue ex iſs, qui iterum atq; iterum in peccata relapſi ſunt, uenerit ad Dominum, per fidem in filium Dei, recipiatur clementiſsime, et conſequatur æternam ſalutem, quia Dabo, inquit, opus eorum in ueritate. Efficiam ut nullius recẽs uenientis, aut ex defectione redeũtis ad Eccleſiam meam labor ſit uanus, irritus & inanis, ſed ut ueriſsime fruatur beneficijs Eccleſiæ promiſsis. Et huc facit etiam, quod ſequitur: Fœdus perpetuum feriam eis. Significát enim Chriſtum filium Dei deſpondiſſe ſibi Eccleſiam, tam firmo fœdere, ut inæternum nõ ſit eam abiecturus. Quare quiſquis ad Eccleſiam per fidem aut recens uenerit, aut ex deſertione redierit, dubitari non debet, quin ut filius & hæres Dei agnoſcatur. Sponſabo te mihi, inquit in Hoſea, in ſempiternum, & Sponſabo te mihi in iuſticia, & iudicio, & in miſericordia & in miſerationibus, & Sponſabo te mihi in fide &c. Et in Hieremia: Vulgo dicitur, ſi dimiſerit uir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, TAMEN REVERTERE ad me dicit DOMINVS, ET SVSCIPIAM TE, &c. Et ſupra in Eſaia: Miſericordia mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur &c.

ET SCIETVR IN GENTIBVS SEMEN EORVM, ET GERMEN &c.

Act. 2. Scriptum quidem eſt in Actis Apoſtolicis de Eccleſia recens per Euangelion collecta: Ortus eſt timor magnus ſuper uniuerſam congregationem, & ſuper omnes, qui audiebant hæc. Ac mox: Cæterorum nemo audebat ſe cõiungere illis, ſed magnificabat eos populus. Hoc propemodum illud eſt, quod hic dicitur: Omnes, qui uiderunt eos, cognoſcent, quod ſemen ſint, cui benedixit DOMINVS. Sed quid, quod paulo poſt a Iudæis & Gentibus ita tractantur, perinde ac ſi eſſent a DOMINO longe omnium maledictiſsimi? Venit enim tempus, quo quiſquis eos interficiebat, exiſtimabat ſe præſtare cultum DEO. Et habentur ueluti περικαθάρματα καὶ καθάγματα. Quid, quod Gentes reiecerunt poſtea in Eccleſiam DOMINI omnem publicarum & priuatarum cala-

mitatum

mitatum cauſam, & quoties aut Nilus nõ rigaret agros, aut peſtis & lues graſſaretur, exclamarũt de Chriſtianis: Tolle ſacrilegos. Et, Ad Leonem? Hoccine eſt Eccleſiam inter Gentes cognoſci, quod ſit ſemen, cui benedixit Dominus? Sentiamus igitur quod hæc cœperũt quidem in Eccleſia impleri, cum Apoſtoli uulgarent Euangelion in orbe, & confirmarent ueritatem eius magnis & ſtupendis miraculis, ut & populus magnificaret credentes in Chriſtum, & cõueniret mul titudo uicinarum ciuitatum Hieroſolymam afferens ægros ac uexatos a ſpiritibus immundis, qui ſanabantur omnes. Tunc autem perfecte implebuntur, cum impĩj publice de pĩjs dicẽt id, quod antea ex libro Sapientiæ recitauimus. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Interea autem temporis affligitur Eccleſia cruce, & tractatur a Gentibus, non ut ſemen benedictum Domini, ſed ut ſemen maledictum Diaboli. Ac Dominus conniuet quidem ſuo conſilio ad hanc impiorum crudelitatem, & piorũ crucem, non ut Eccleſia pereat, ſed ut maiori gloria ſeruetur. Poteſt & hic locus intelligi de uocatione Gentium ad Eccleſiam. Cum enim Apoſtoli, qui ſunt ex Iudeis, adnunciauerunt Euangelion inter gentes, & ederent miracula, cognouerunt multæ Gentes, quod Apoſtoli & credentes Euangelio eorum eſſent ſemen benedictum a Domino, & acceſſerunt etiam ipſæ ad Eccleſiam, ut conſequerentur benedictionem. Quare factum eſt, ut Iudæi, qui fuerunt antea ſemper Gentibus abominabiles, fierent eis acceptiſsimi, & exoptatiſsimi. In Actis Apoſtolicis capite decimotertio rogant Gentes Paulum & Barnabam, ut loquerentur ſibi ſequenti Sabbato uerba. Et mox: Gauiſæ ſunt Gentes, & glorificabant ſermonem DOMINI, & crediderunt, quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Hoc eſt cognoſcere inter Gentes, quod Eccleſia ſit ſemen, cui benedixit Dominus &c.

Actor. 5.

Sapient. 5.

GAVDENS GAVDEBO IN DOMINO, ET EXVLTABIT ANIMA MEA &c.

Commemorauit hactenus filius Dei officium ſuum in Eccleſia, & beneficia ſua, quæ in Eccleſiam confert. Dixit ſe miſſum ad adnunciandum Euangelion pauperibus, ad medendum contritis corde, ad prædicandam captiuis libertatem, & id genus multa alia. Expoſuit, ſe Eccleſiam tãta maieſtate ornaturum, ut ipſi omnes in Eccleſia ſint Sacerdotes, reliqui autem ſerui ac mãcipia ipſorum. Promiſit ſe pro ignominia, quam paſsi ſint, & pro afflictione, qua excruciati ſint, redditurum duplicem gloriam, imo ſempiternum gaudium. Ac poſtremo profeſſus eſt, quod coniunxerit ſeſe cum Eccleſia ſua ſempiterno fœdere, & quod collaturus ſit tantam benedictionem in Eccleſiam, ut publice agnoſcãtur eſſe Electi Dei. Animo autem grauibus

afflictionibus turbato, conſcientia peccati exterrito, & horroribꝫ, mortis ac inferni concuſſo, nihil poteſt his tantis filij Dei beneficijs gratius, nihil iucundius, nihil lætius accidere. Quare Eccleſia tãto ſpiritus ſancti gaudio ex auditu huius concionis impletur, ut teneri non poſsit, quin præeũte Propheta & miniſtro ſuo Eſaia, læticiam animi ſui publico carmine teſtetur, & hoc qualicunqꝫ officio gratitudinem ſuam erga Dñm Deum ſeruatorem ſuum declaret. GAVDENS, inquit, gaudeo in Dño. Exultat anima mea in Deo meo. Hæc eſt carminis huius propoſitio. Eccleſia confitetur ſe maximo omnium gaudio exhilaratã, & prę animi lętícia exultare, atqꝫ geſtire. Sed additur: In Dño, & in Deo meo. Gaudium enim aut lætícia Eccleſiæ, non eſt in fœlicitate huius ſeculi, in ſanitate corporis, in diuitijs, in mũdana potentia, in uoluptatib. corporis, in cibo & potu, ſed in Dño, & Deo ſuo. Hoc eſt gaudium ſpirituale, quod concipitur ex Euangelio, quo adnunciatur, qꝫ filius Dei placauerit iram Dei Patris, & qꝫ Pater ſit omnibus credentibus in filium ſuum propicius, ac non ſolum remittat ipſis peccata, uerumetiam adoptet eos in fratres & cohęredes filij ſui. Quæ bona, cum ſuperent omnia huius ſeculi bona, afferunt piæ menti ſummã, eamqꝫ cœleſtẽ læticiam. Sed audiamus uerba ipſa Eccleſiæ in hoc carmine, quid cauſæ ſit, cur ingenti lętícia in Dño geſtiat. Quia induit, inquit, me ueſtimentis Salutis, & circũdedit me indumẽto Iuſticię. Hoc noſtris uerbis ſic diceremus. Donauit mihi Chriſtum filium ſuũ, ut hoc per fidem indutus, munirer aduerſus æſtũ & frigus, & ornarer omni genere decoris. Nam Chriſtus eſt ueſtimentum Salutare, & indumentum iuſtum. Et hoc ueſtimur in baptiſmo, per fidẽ. Quicunqꝫ, inquit Paulus, baptiſati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Et ad Rom. ſcribens: Induamini Dñm Ieſum Chriſtũ, palam ſignificat, Chriſtum eſſe uerũ ueſtimentum & indumẽtum noſtrę. Dicitur aũt ueſtimẽtum Salutare, quia affert ei, q ipſo indutus eſt omnem ſalutẽ. Munit eum aduerſus æſtum & frigora. Nulla eſt tam grauis tẽpeſtas afflictionũ, aduerſus quã non ſimus hoc ueſtimento tuti. Tuetur nos etiã in tonitruis mortis, & in fulguribus inferni, ac in oĩbus fulminib. Satanę. Quare hoc ueſtimẽto nihil eſt magis ſalutare. Dicitur & indumentũ iuſticię, quia q indutus eſt Chriſto per fidẽ, reputatur iuſtus, idqꝫ non corã humano iudicio, ſed q̃d maximũ oĩm eſt, corã iudicio diuino. Chriſtus. n. eſt iuſticia & ſanctificatio noſtra, ut q in ipſum credit, poſsideat etiã in ipſo uerã iuſticiã & ſanctitatem. Porro aũt Chriſtus non ſolũ eſt ueſtimentũ, ſed etiã Ornamentũ eccleſię. Vnde ſequitur: Ornat me magnificẽtia, ſicut ſpõſus (ornari ſolet) Et cõdecorat me ſicut ſpõſa (cõdecoratur) monilibus ſuis. Nam q induit Chriſtũ per fidẽ, is cõiungitur cũ Chriſto in uerę & ſpũale cõnubium, & ornatur tãta magnificẽtia, quantã nullus unq̃ ſpõſus, aut

ſponſa

ſponſa etiã regij generis, in his terrenis nuptijs geſtauit. Chriſtus. n. accipit Spõſam ſuã, quę eſt Eccleſia, & unũquodq; uerę membrę Eccleſię, in cõmunionem oĩm cœleſtium ſuorę bonorę, ut fiat particeps oĩs iuſticię, maieſtatis, dñationis, & fœlicitatis ſuæ in cœleſti regno. Hæc ſunt monilia, quę ſuperant oĩa etiam regiarę ſponſarę in his terris ornamenta. De quibus ornamentis canit quoq; Pſal. xliiij. Aſtitit regina a dextris tuis in ueſtitu deaurato, circũdata uarietate. Nam de coniugio Chriſti & Eccleſiæ concionatur etiã Ioannes Baptiſta, cum ait: Qui habet Spõſam, Spõſus eſt &c. Et Paulus ad Eph. cap. v. etc. Cuius aũt puellæ animus nõ excitaretur ad læticiã, cum ex infima ſorte acciperetur in Sponſam filij regis, & ornaretur regijs monilibus? At hic ducitur Eccleſia ab omnibus abiecta & protrita in Sponſam non filij alicuius mundani regis, ſed filij cœleſtis Regis, ac ueri Dñi Dei noſtri. Et fit regina, non Aſiæ aut Aphricæ, aut Europæ, ſed cœli & terræ. Quare non immerito exclamat: Gaudẽs gaudeo in Dño, & exultat anima mea in Deo meo. Poſtremõ habet Eccleſia etiã hãc cauſam, cur gaudeat, q̃ Euangelion Chriſti non concluditur in unũ tantum angulum terræ, ſicut lex Moſi, ſed uulgatur in totum orbem terræ, ut inter omnes gentes fructificet. Sic enim ſequitur: Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus germinare facit ſatiua ſua, ſic Dñs Deus germinare facit iuſticiam & laudem coram uniuerſis gẽtibus. Hæc ſunt intelligẽda de diuulgatione & fructificatione Euangelij in toto orbe terrarę. Chriſtus. n. cœpit Euãgelion ſuum, miſſo ſpiritu ſancto in die Pentecoſtes, uulgare per Apoſtolos ſuos, in orbẽ terræ, ut quẽadmodum ager ꝓfert ſuos fructus, & hortus ſua ſatiua, ita etiam uniuerſus mũdus proferat ex ſemine Euangelij ſuũ fructũ. Fructus aũt Euangelij, eſt Iuſticia & laus. Euangelion enim offert & donat credenti Chriſtum filium Dei. Cum autem Chriſtus ſit iuſticia, & afferat ſecum Spiritum ſanctum, qui excitat in credente laudẽ & gratiarum actionẽ, recte dicitur Euangelion donare iuſticiam, & afferre laudem. Quare apte canitur, q̃ reuelato Euãgelio filius Dei, uerus Dñs Deus noſter, faciat germinare iuſticiam et laudem coram uniuerſis gentibus. Vnde & Paulus teſtificatur, fructificationem Euangelij non infœliciter promouere. Propter ſpem, inquiẽs, repoſitã uobis in cœlis, de qua prius audieratis per ſermonem ueracem EVANGELII, q̃d peruenit ad uos, quemadmodum & in toto mundo FRVCTIFICAT, &c. Habes gaudiũ, & cauſas gaudij in Eccleſia. Gaudeõ, inquit, ex animo in Dño, & geſtio præ lętitia in Deo meo. Quas ob cauſas? Primum, quia uerus Deus Dñs noſter Ieſus Chriſtus induit me ueſtimento ſalutis, & indumento iuſticiæ. Deinde, quia ornauit me, ut Sponſam non terreni, ſed cœleſtis regis. Poſtremo, quia uulgat Euãgelion ſuum in totum orbem terræ, ut nõ unus Col. 3

tantum populus, sed uniuersæ gentes fiant cœlestis salutis particeps, & proferant fructum permanentem in æternam uitam.

CAPVT LII.

PROPTER ZION NON TACEBO, ET PROPTER HIERVSALEM &c.

Siue alia sit hæc concio, siue pars prioris, certe idem est argumentum. Exponit enim Propheta, quãta futura sit claritudo, quanta maiestas Ecclesiæ, in aduentu promissi Messiæ, seu Christi Domini, ac seruatoris nostri. Qua expositione primum quidem cõsolatur ciues suos, qui uaticinio eorum malorũ, quæ urbi & genti ipsorum, in Babylonica captiuitate imminebãt, ita territi erant, ut uix potuerint sperare aliquam salutem populo Dei reliquam esse. Deinde consolatur & nos in oĩbus aduersis nostris, uel publicis, uel priuatis, quod cum Messias nunc aduenerit, & consederit ad dextram Dei Patris, ac uulgauerit splendorem Euãgelij sui in totum orbem terræ, conseruaturus sit Ecclesiã suam per Euangelion collectã, & singula mẽbra eius, etiamsi uniuersus hic mundus, una cum Satana, morte & inferno in eam, quãta possint crudelitate ac immanitate, sęuiant. Propter Ziõ, inquit, non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, seu non silebo, donec egrediatur, ut splendor, iusticia eius, & salus eius ut lampas ardeat. Iusticia & Salus Zionis aut Hierusalẽ est Iesus Christus, Dñs noster, qui solus est iusticia & salus nostra, propterea quod nec iustificemur, nec seruemur, nisi propter Christũ per fidẽ. Dicit ergo Propheta, quod ad consolandam Zionem & Hierusalem nõ uelit tacere, aut ab officio concionandi cessare, donec Christus manifeste ueniat, & concionetur ipse Euangelion suũ publice, ac spargat illud per Apostolos clarissime inter omnes gentes. Significat autem Prophęta hoc dicto, ꝙ ministerium propheticum seu concionatorium sit in Zione seu inter Israelitas duraturum usq; ad aduẽtum Christi, ut Ecclesia Dei inter Israelitas cõseruetur. Etsi enim futurę erat, ut Hierusalem uastaretur, & ciues in captiuitatẽ Babylonicam abducerentur, tamen nunq̃ siluit inter ipsos uox Prophetica, etiam in captiuitate, & paulo post instaurata est urbs Hierusalem, ut & publica concio Prophetarum instauraretur, & sonaret, donec ueniret Christus ipse, & illustraret Zionem, tanquam luce lampadis, splendore Euangelij sui. Idem prædixerat longe ante Patriarcha Iacob. Non auferetur, inquiens, sceptrũ de Iuda, & Doctor de pedibus eius, donec ueniat Silo, hoc est, Saluator Messias, quo & gentes iustificabuntur. Messias enim, cum uenerit, non ad solos Iudæos, uerumetiã ad gentes pertinebit. Vnde & Esaias, sequens in cõcione sua uaticinium Iacobi, addit:

Et

Et uidebunt Gentes iusticiam tuam,& omnes Reges gloriam tuam, hoc est,Messias, qui est iusticia & gloria populi sui,uulgabitur per Euangelion inter Gentes,in omnibus regnis terræ,ut nomen eius fiat notum non tantum paucis quibusdam priuatis hominibus,sed etiam omnibus regibus terræ,quorum si qui in eum crediderint,consequentur salutem,qui autem non crediderint,condemnabuntur. Hęc de uulgatione Euangelij in omnia regna huius seculi,& de accessione Gentium ad Ecclesiam,sępe ac multum repetuntur in hoc Prophe ta. Nec eō tantum respiciunt,ut consolētur ciues urbis Hierusalem, territos uaticinio de captiuitate Babylonica, aut postea ea captiuitate iam detentos,sed etiam,ut testentur Maiestatem Christi, qui considens ad dextram Dei Patris, Ecclesiam suam inter omnes gentes & ppaget,& tueatur. Docent quoq;,quomodo intelligendus sit hic articulus Religionis nostræ,qua cōfitemur Ecclesiam esse καθολικήν. Alij enim intelligūt Ecclesiam idcirco dictam Catholicam,hoc est,uniuersalem seu generalē,quod conueniat in doctrina Pontificia et Mōnastica,ac in externis ritibus cerimoniarum. Sed sic etiam impij possunt conuenire,& Ecclesiam Catholicam cōstituere. Vera autem Ecclesia idcirco dicitur Catholica,quod collecta sit initio,& adhuc colligatur ex omnibus gentibus,& cōueniat in doctrina Apostolica,quę in die Pentecostes cœpit in Hierusalem prædicari, & ab ea urbe in omnia regna huius mundi spargi. Sic enim definit Paulus Ecclesiam Catholicam: Euangelion,inquiens,est potētia Dei ad salutem OMNI credenti,Iudæo primū,simul & Gręco. Et alias: Nunc per Christum Iesum uos, qui quōdam eratis longinqui,propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra,qui fecit ex utrisq; unum. Et mox: Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum,summo angulari lapide ipso Iesu Christo &c. Siue igitur externi ritus Politiarum & Ceremoniarum conueniant, siue non conueniant, Ecclesia Catholica hi uere sunt, qui conueniunt in doctrina Apostolorum & Prophetarum, & agnoscunt Iesum Christum,caput,& summum huius ædificij angularem lapidem.

ET VOCABITVR TIBI NOMEN NOVVM, QVOD OS DOMINI NOMINABIT, &c.

Pergit gloriam Zionis, hoc est, Ecclesiæ, quæ cœpit in Zione prædicatione Apostolica colligi, exponere, ut non tam territos captiuitate Babylonica, quam afflictos quibusuis aduersis consoletur. Vocaberis (inquit) nouo nomine, quod OS DOMINI nominabit. Imponetur tibi nouum nomen, non ab homine quopiam, sed a Deo ipso. Non autem fit hic sermo de hoc nomine,Christianus, quo credentes in Christum cognominati sunt Antiochiæ, Actor. n.

Etsi enim hoc est satis glorioſum nomen. (Nam Christianus a Christo dicitur, quasi a Messia Messiacus, & a Rege Regius, ut Christianus idem sit quod Regius) tamen hoc loco non intelligitur tale aliquod cognomen, quo uulgo homines, aut Gentes & nationes uocari solent, sed intelligendum est, quod cum filius Dei dicat se Zionem seu Ecclesiam suam cognominaturum nouo nomine, significet se mutaturum statum Ecclesiæ, ut pro contempta fiat glorioſa, pro abiecta fiat accepta, pro odioſa fiat grata, adeoq; pro infœlici fiat fœliciſsima. Hæc est uera ueteris nominis in nouum mutatio, uidelicet, non tantum, cum literæ & syllabæ, sed cum res ipsæ, nimirum, aduersa in prosperа, maledictiones in benedictiones, ærumnæ in gaudia, afflictiones in fœlicitates mutantur. Nam quod Esaias de tali nominis mutatione loquatur, exponit ipse se, cum addit.

a Eris corona gloriæ, in manu DOMINI, & diadema regni in manu DEI tui. Hoc, ut recte intelligas, cogitandum tibi est, quod audias Esaiam concionari coram multitudine ciuium suorum, quibus ex uaticinijs Prophetarum ob oculos posita erat deuastatio urbis Hierusalem, & captiuitas Babylonica, aut quod audias hanc concionem recitari in Babylone coram miserrima turba eorum, qui captiui a Hierusalem abducti fuerant, & quibus nulla spes uidebatur reliqua liberationis populi DEI: aut etiam, quod audias eam recitari coram populo Israel, iam reduce quidem, & in sua terra habitante, sed iterum ab Antiocho & ducibus eius oppresso. Sensus igitur hic est. Nunc quidem, o Zion, o Ecclesia populi Dei, uideris tam fœda, tam turpis, ut sentias ipsa te merito cognominandam, mulierem omnium deformissimam. Sed confide, bono sis animo, Qualiscunque modo uidearis, & uoceris, certe efficiam, ut fias longe omnium speciosissima. In hominum quidem oculis appares tam fœda, ut qui te aspiciunt, abominentur te, & auertant a te uultus suos. In oculis autem Dei tantæ es uenustatis, ut nullus Rex, nullus Monarcha regiam suam Coronam aut Diadema, in manus acceptum, tam iucundo uultu aspiciat, quam te DOMINVS Deus tuus aspicit. Quare, & si uocaris nunc ab hominibus Fœda, Turpis, Odioſa, Abominabilis, tamen DEVS uocat te Coronam gloriæ, Diadema regni, hoc est, Gratissimam, Iucundissimam, & in conspectu suo pulcherrimam. Vocatio autem eius non est inanis sonus literarum & syllabarum, sed est rei ipsius creatio, & exhibitio. Qualem is te nomine uocat, talem etiam te reipsa facit. Vocat ea, inquit Paulus, quæ non sunt, ut sint.

Videamus ergo, quomodo & quando filius Dei talem fecerit Zionem seu Ecclesiam suam, qualem hoc loco describit. Recitabimus autem hoc, non nostris, sed Pauli uerbis, qui ad

Ephesios

Ephesios scribēs ita dicit: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut exhiberet eam sibi ipsi glorioſam, Ecclesiam nō habentē maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Habes, quam pulchram, quam uenustā, quam speciosam reddiderit filius Dei Ecclesiam suam. Non habētem, inquit, maculam, aut rugam, aut quicq; eiusmodi, sed sanctam, & irreprehensibilem. At enim, quæso te, dicito nobis, quādo unquam talis fuit Ecclesia in his terris? Producito in medium Ecclesiam eorum, qui ab Apostolis ipsis audiuerunt Euangelion, imo producito Apostolos ipsos, certe inuenies maculas & rugas, & multa quæ reprehendas. Etsi em̄ Ecclesia Apostolorum fuit maximis uirtutibus ornata, & duxit honestissimam uitam, tamen non defuerunt ei, sicut nec Apostolis, ministris eius, sua uitia. An nō uides, quod statim initio, cū ex facultatibus in unum collatis non ex æquo satisfieret uiduis Græcorum, ortum sit inter ipsos murmur? Hæc certe est sordida macula. Consydera etiā mihi, q̄ deformis contentio fuerit inter Paulū & Barnabam, de Ioāne Marco. Quid plura? Exclamat Paulus ipse: Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. An non hæc est turpis macula? Et Ioannes ait: Si dixerimus, Peccatum nō habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Obseruemus igitur, q̄ Ecclesia, alia est secūdum naturam carnis suæ, & secundū actiones suas, Alia est secundū fidē, in Christo Iesu Dño nostro. Nā si Ecclesiam cōsideraueris iuxta carnem suā, gestat & ipsa adhuc peccatum, quod natura ei inhæret, & a quo, nō nisi morte liberatur. Sūt & actiones eius, quamuis e spiritu sancto proficiscantur, tam imperfectæ, ut per se non queant in iudicio Dei constare. Itaq;, si Ecclesiā aspicias secundum carnem & actiones suas, inuenias in ea multas & magnas rugas atq; maculas. Sed si eā aspexeris, qualis est ī Iesu Christo, per fidem, inuenies eam tam pulchrā, tam uenustā, ut aspectu eius uniuersus cœlestium cœtus delectetur. Christus enim, non solū impetrauit obedientia sua, quam præstitit in suscipiēda cruce & morte, Deo Patri suo, ut peccatum, quod carni inhęret natura, tegeretur, & non imputaretur Ecclesiæ, uerum etiā donat Ecclesiæ suam ipsius iusticiam, ut reputetur in diuino iudicio tam Iusta, tam Sancta, propter Christū, quam si ipsa uniuersam legem Dei perfectissime suis operibus impleuisset. Nihil enim deest Iusticiæ Christi. Non habet nec rugam, nec maculam. Tota est pura, munda & sancta. Dilexit em̄ Christus Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus. Et proximū sicut seipsum, idq; sine ullo uitio, sine ulla imperfectiōe, aut peccati cōmixtione. Cum igitur Christus donet hanc suā Iusticiā

Actor. 6.

Actor. 15.

Ecclesiæ,ut ea,tanquam iam propria,in diuino iudicio confidat, manifestū est, quod Ecclesia, & si habet adhuc in se multas sordidas maculas,& deformes rugas,tamē sit in Christo filio Dei per fidem,sine omni macula,ac tota iusta,Sancta, & irreprehensibilis. Et quia hoc beneficium Christi impetratum est passione,morte, ac Resurrectione eius a mortuis,& diuulgatum prædicatione Euangelij,in toto orbe terrarum, idcirco recte concionatur Propheta, quod in aduentu Christi Zion futura sit in manibus eius glorioſa corona,& Regium diadema,cuius aspectu in tantum delectetur, ut adoptet eam in cohęredem omnium cœlestium suorum bonorum.

2. Nō uocaberis ultra Derelicta, & terra tua nō uocabitur ultra Desolata, &c. Aliud nomen, quo Zion seu Ecclesia in præsentia uel captiuitatis Babylonicæ,uel tyrānidis Antiochi, aut Herodis uocatur, uidelicet,Derelicta,Deserta,Desolata.Sed bene confidat. Hoc non erit perpetuū nomen eius. Vocabitur,inq̄t, tibi nomē NOVVM, quod os Domini nominabit. Dominus ipse mutabit nomen tuū,& uocabit te חפצי בה Hephzi ba,hoc est, Voluntas mea in ea,uel: Cōplacitum est mihi in ipsa,aut Delector ea.Similiter terram tuam,quę nunc uocatur Deserta,uocabit בעולה Beula,hoc est,Maritatam,seu Marito iunctam & dilectam. Q; autem non de externa literarum & syllabarum nominis, sed de rei significatę mutatione loquatur,expo nit ipse se. Addit ēm: Quia complacuit Domino in te,et terra tua erit Maritata,hoc est: Nūc quidem uideris tam abiecta,& deserta,ut,qui te aspiciunt,putent te nec Deo nec hominibus curæ esse, & existimēt te merito cognominandam, Derelictā,& quasi uiduam a marito uel desertam uel repudiatam.Ego uero hanc tuam miseriam & afflictionem,inquit Dominus,ita mutabo, ut perspicuū omnibus fiat,te mihi esse acceptissimam, te uere eam esse,cui dicam, Tu mihi sola places. Quanto enim ardore adolescens cupit cohabitare cum uirgine sibi desponsa,tanto ardore cupient se tibi coniungi filij tui:& quāta flamma amoris nouus sponsus erga spōsam suam ardet, (Hic autem ardor uehementissimus est) tanto amore prosequetur te Dñs Deus tuus. Quod aūt hic promittitur,hoc, si referamus oculos nostros ad ea tēpora,quibus filius Dei,q̄ est Sponsus Ecclesiæ, hominem suscepit,& filij Zionis,q̄ sunt filij Ecclesiæ, acceperunt Euangelion eius, uidebimus manifeste impletum.Filius enim Dei,Iesus Christus,tanto amoris ardore cōplexus est Ecclesiam suam,ut ad redimendā eam a peccatis,morte, & inferno,non solum exinaniuerit se sua cœlesti maiestate, & susceperit humanas imbecillitates,uerumetiā passus sit se ad mortem rapi, & quod probrosissimum erat,crucifigi,idq; fecerit,non cum iam Ecclesia esset pura,munda,pulchra & Sancta,sed cū esset omni genere peccatorum ac scelerum sordidata & turpificata.

Quid

Quid potest hoc amore ardentius dici? In hoc est caritas, inquit Ioannes, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Et Paulus: Vix pro iusto quisquam morietur. Siquidē pro bono forsitan aliquis etiam mori sustinet. Commendat autem suam caritatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Atq; hæc quidem de amore Sponsi Christi erga Zionem suam. Quid autem dicemus de filijs? Sicut (inquit) adolescens habitat cum uirgine sibi desponsa, ita cupient tecum habitare tui filij. Ecce igitur mihi, uerte oculos ad primam cōcionem, quam Petrus, astantibus sibi reliquis collegis suis, in die Pentecostes habuit, & confestim intelliges, quid sibi uelit hæc cohabitatio. Nam cum Petrus absoluisset primam suam concionem de Iesu Christo, compuncti sunt auditores, quorum Deus tetigerat corda, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Hi sunt filij Zionis, & palam significant, se iam nihil aliud cogitare, nihil aliud spirare, quam ut Zioni coniungantur, ut fiant uera ueræ Ecclesiæ membra. Vide mihi etiam Cornelium Centurionem, & reliquos ex gentibus, quāta reuerentia, quanta obseruā tia excipiunt Petrum, ut copulet eos cum Zione, & faciat ipsos filios Zionis. Nam quanta multitudine, quanto impetu Gentes pōstea ad audiendum Euangelion Christi, & ad agnoscendum Christum, ut coniugerentur cum Zione, & fierent filij eius, properauerint, lōgum esset commemorare. Quid ergo dicemus? Si Christus, uerus Dominus Deus noster sic delectatur Zione seu ecclesia sua, quemadmodum spōsus sponsa, & úocat eam suam Hephziba, hoc est, Dilectam, Electam, ac præ omnibus alijs Amatam, quid est, q̄ non minus nunc pōst aduentum eius in carnem, permittit, ut affligatur, quam antea, quam aduenerat, permisit? Quin potius Ecclesia crudelius pene post diuulgationem Euangelij crucifigitur, quam cum adhuc staret politea Mosi. Considera enim mihi, quanta piorum laniena fuerit sub Nerone, sub Decio, sub Diocletiano, & alijs tyrannis. Sunt, qui scribunt, nullum esse toto anno, præter Calēdas Ianuarias, diem, quo non afflicti supplicio quingenti martyres numerentur. Alij extendunt numerum ultra quinq; millia, alij longe maiorem numerum commemorant. Vt interim nihil addā de ipsis suppliciorum generibus, quæ ipsa tantum commemoratione horrorem incutere possunt. Qua laniena, quid potest dici crudelius aut immanius? Sentiemus igitur Christum initio quidem Ecclesiam suam ardentissime amasse, postea autem factum in amore tepidiore ac frigidiorem, quod ad tantam impiorum erga Ecclesiam suā immanitatem cōniueat? Nihil minus. Non remisit, uel

Acto. 10.

tantillum de amoris sui uehementia, Sed quēadmodum cœpit, ita pergit ardentissime, semper pro Ecclesia sua apud Deum Patrem intercedere, remissionem peccatorum ei impetrare, iusticiam suam donare, & eam in cohæredem suam cooptare. In cuius rei certissimum argumentum, nō solum instituit, & magnis ac multis miraculis confirmauit ministerium prædicandi Euangelij sui inter omnes gentes, usq; ad nouissimum huius seculi diem, uerumetiam legauit Ecclesiæ abiens ex hoc mundo passione sua corpus & sanguinem suum, Sacramento panis & uini participanda. Quare, cum uel audis uel legis uocem Euangelij Christi, & sumis sacramentum cœnæ Dominicę, sentias te de cœlo admoneri, quod Christus de ardore caritatis suæ erga Ecclesiam nihil remiserit, sed seruet eum constantissime. Nam, cp conniuet, ut Ecclesia crudelissime ab impijs affligatur, habet quidem multas, easq; grauissimas et iustissimas huius consilij causas, non autem hoc agit, quod abiecerit Ecclesiam, aut meditetur talibus afflictionibus internecionem eius, sed potius, ut maiori & illustriori eam fœlicitate donet. Nam quemadmodum Deus Pater conniuit, ut filius eius descenderet in infimas partes terræ, quo ipsum exaltaret super omnes cœlos, & daret ei nomen super omne nomen, ita filius Dei conniuet ut Ecclesia in hoc seculo opprimatur terrena infamia & infœlicitate, quo conseruet eam mirabiliter, & sustollat eam in cœlestem gloriam & maiestatem. Primū enim, etsi graues sunt afflictiones eius, Christus tamen tuetur eam etiam in media morte, ut non possit perire. Deinde reponit pro minima & leuissima parte afflictionis in terra, maxima & grauissima pondera gloriæ & gaudij in cœlo. Non igitur habet Ecclesia, quod conqueratur & doleat de aduersis, sed potius quod glorietur, & gaudeat, propterea quod merces eius copiosa est in cœlis.

3. In fine huius capitis imponitur Ecclesiæ aliud nouum nomen pro ueteri. Vocaberis, inquit, Quæsita ciuitas, & non Derelicta. Sed priusquam de hoc nouo cognomine aliquid dicamus, perse quemur ea, quæ hic in textu sequuntur.

SVPER MVROS TVOS, HIERVSALEM, CONSTITVI CVSTODES &c.

Etsi filius Dei conniuet, ut Ecclesia in hoc seculo grauiter affligatur, tamen non committit, ut non perspicue exhibeat manifesta fauoris, & amoris sui argumēta. Promittit Ecclesiæ perpetuos uigiles & custodes. Constituo (inquit) super muros tuos, o Hierusalem, custodes seu excubitores, qui ad tuēdam te ab incursione hostium perpetuo, tam uigilanter excubabunt, ut nec interdiu nec nocte taceant. Nec unquam deerunt uobis, qui non faciant mentionem Domini, qui non concionentur uobis de Domino Christo,

ut

ut nullum sit de ipso inter uos silentium, donec stabiliat, & reddat Hierusalem, seu Ecclesiam gloriosam & omni laude ornatam in terris. Hæc est promissio de perpetua conseruatione Apostolicæ uocis in Ecclesia, donec tota congregetur ex omnibus Gentibus usq; ad nouissimum huius seculi diem. Nam in die Pentecostes institutum, & maximis miraculis confirmatum est Ministerium Euangelij, quod initio Apostoli, qui sunt custodes & excubitores illi, de quibus hic Propheta loquitur, inchoarunt in urbe Hierusalem, & circumtulerunt postea Euangelion in uniuerso orbe terrarum. Sicut Christus inquit: Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaque, denique usque ad extrema terræ. Et Paulus testificatur etiam suæ adhuc ætatis tempore impleri: Euangelion, inquiens, prædicatum est apud VNIVERSAM creaturam, quæ sub cœlo est. Etsi autem Apostoli defuncti sunt, suo tempore, corporali sua uita, tamen uox eorum hactenus semper sonuit in Ecclesia, & sonabit in hoc seculo usque ad extremum eius diem, ut quod ad uocem Euangelij eorum, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, attinet, recte dicantur perpetui custodes & excubitores Ecclesiæ. Cæterum, cum dicitur, Vocem Apostolorum perpetuo sonare in Ecclesia, non est cogitandum, quòd necesse sit, ut conciones Apostolicę tanta semper maiestate in publicis templis recitentur, quanta solent recitari sub his Principibus & Magistratibus, qui & ipsi agnoscunt Christum per fidem. Speramus quidem semper fore pios quosdam Principes, ac Magistratus, usque ad finem huius seculi, qui dent Euangelio Christi, & Ecclesiæ eius publica loca & hospitia in suis regionibus, & diligenter pro salute eorum Principum, per quos licet publice Christum in templis prædicare, orandum est. Sed quia regnum Christi non est de hoc mundo, non est necessarium ad implendam hanc Propheticam promissionem, & ad conseruandam Ecclesiam, quod Euangelion adnuncietur externa pompa in publicis templis, Sed si aliter, præ sæuicia tyrannorum, & impietate Pontificum, fieri non potest, sufficit ad ueritatem huius promissionis, quod Euangelion adnuncietur a patribus familias, in priuatis suis domibus. Ac profecto, nisi hactenus multis annis sonuisset Apostolica uox in priuatis domibus, Ecclesia, quantum quidem in Pontificibus, Monachis, Sophistis, ac publicis eorum concionibus fuit, periisset. Quid enim in templis aliud sonuit, præter Missas, Indulgentias, Mortuorum inuocationes, Peregrinationes, Monachismos, & infinitas superstitiones? Etsi enim aliquoties recitata sunt publice Decalogus, Oratio Dominica, & Symbolum Apostolorum, tamen his minima pars sacrorum data est: & tantis fue-

runt tenebris obscurata, uix ut alicuius usus habita fuerint, nisi fortasis, ut ex merito recitationis eorum consequaris aliquot dierum Indulgentias. In priuatis autem domibus docuerunt quique fere patresfamilias liberos & familiam suam magna ex parte sine superstitione, simpliciter recitare Decalogum, Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam. Quæ quia sunt Epitome Prophe ticæ & Apostolicæ uocis, an non recte affirmamus Euangelion Christi magis in priuatis domibus, quam in publicis templis cõseruatum fuisse? Quæso enim te, confer mihi primam concionem, quam Petrus, astãtibus sibi reliquis collegis suis, in urbe Hierusalem, in die Pentecostes, habuit, cum articulis Symboli Apostolici, nonne reipsa comperies, hos, præcipue, qui sunt de Iesu Christo Seruatore nostro, in ea contineri? Docet enim Petrus Iesum Nazarenum esse uerum Christum, qui passus sit sub Pontio Pilato, Crucifixus & mortuus, qui & descenderit ad inferos, ac tertia die resurrexerit a mortuis, atque ascenderit in cœlum, & consederit ad dextram Dei Patris sui. Hi autem sunt præcipui articuli, qui in symbolo Apostolico commemorantur. Quare, cum paterfamilias sedet inter liberos suos, & docet eos symbolum Apostolicum, sentiamus ibi uere sonare uocem Euangelij, quo Ecclesia & conseruatur, & ad posteros ꝓpagatur. Hæc idcirco nobis cognoscenda proponuntur, non ut uel abrogetur, uel contemnatur publicum Euangelij ministerium in publicis templis: Nam cum Deus iubet Reges & populos seruire Domino, seueriter exigit ab eis, ut omnem suam operam in hoc conferant, quo publicum Euangelij ministerium conseruetur & ad posteros propagetur: Sed si Principum & populi ingratitudine, & impietate fiat, ut terra eorum Principibus a Christo alienis, qui nullam publicam uulgi ad audiendum Euangelion Christi congregationem, tolerent, subijciatur, non sentiamus, hanc Propheticam promissionem uanam & mendacem esse, sed sciamus eam semper ita impleri, ut uox Apostolica certissime duratura sit in terris, usque ad extremum diem seculi, si non aliqua externa maiestate, in publicis templis, certe multa & magna constantia ac fiducia, in priuatis domibus. Faxit Iesus Christus, Dominus Deus noster, ut hi Principes, qui nunc nomen Christi agnoscunt, imperium terræ diu retineant, & Euangelion recte intelligant, quo uera Ecclesia in regionibus ipsorum non solum priuata, sed & publica hospitia habeat.

IVRAVIT DOMINVS IN DEXTERA SVA, ET IN BRACHIO FORTITVDINIS &c.

Insignis promissio, quæ non proponitur nudis tantum uerbis,

bis,ſed confirmatur etiam Iuramento. Iurat DOMINVS per dexteram ſuam, & per brachium fortitudinis ſuæ,hoc eſt, per omnipotentiam ſuam, ſe non amplius permiſſurum, ut alieni deuorent piorum labores & facultates. Sed quando unquam tanta fœlicitas contigit Eccleſię in his terris,quanta hic ei promittitur? Quin potius contrarium accidit. An non ſtatim ab initio reuelati & uulgati Euangelij, profeſſores & confeſſores Chriſti exuebantur ſuis facultatibus,ut triticum & uinum eorum impij auferrent? Epiſtola ad Hebræos,teſtatur pios, non quidem triſti animo, pertuliſſe tamen facultatum ſuarum direptionem. Quid dicam de poſterioribus temporibus, quibus Chriſtiani non ſolum ſpoliabantur opibus ſuis,uerumetiam interficerentur omni genere crudelitatis? Quid noſtra ferunt tempora? Non ſolum Turcæ diripiunt Chriſtianis ſuas facultates,ſed etiam hi,qui uolunt uideri Eccleſiæ tutores,proſcribunt,& e poſſeſsionibus facultatum ſuarum pellunt uere piæ doctrinæ confeſſores. Quomodo hæc, cum iſta tam magnifica promiſsione conueniunt? Rectiſsime, ſi modo promiſsionem recte intellexeris. Non enim intelligenda eſt ſecundum ſomnia Iudæorum, qui ſentiunt Regnum Chriſti fore mundanum,Sed ſecundum ueram ſententiam ſpiritus ſancti, qui docet regnum Chriſti non eſſe mundanum, ſed ſpirituale. Conſideremus igitur, quod Deuteronomij uigeſimooctauo inter reliquas maledictiones,quibus impij obijciuntur,etiam hæc recitetur: Plantabis uineã,& non uindemiabis eam. Fructus terræ tuæ & omnes labores tuos comedet populus quẽ ignoras &c. Et Sopho.i. Ædificabunt domos & non habitabũt, plantabunt uineas,& non bibẽt uinum earum &c. Hæc eſt maledictio, quæ debetur impijs, propter peccata & impietatem eorum. Ieſus Chriſtus autem uenit in hunc mundum,& expiauit peccatum, ac placauit morte ſua iram Dei,ut quotquot in ipſum credunt, liberarentur a maledictione legis,et conſequerentur uerã & cœleſtem bñdictionem. Chriſtus redemit nos,inquit Paulus,a maledictione legis, dum factus eſt pro nobis maledictio. Quare, cum Euangelion adnunciat peccata nobis eſſe remiſſa propter Chriſtum, per fidem, adnunciat etiam maledictiones legis a nobis ſublatas,nec amplius ullum in nos ius habere. Itaque,& ſi pio credenti in Chriſtum auferuntur adhuc ſuæ facultates,tamen quia habet peccati remiſsionem, & factus eſt hæres cœleſtium bonorum, hæc ablatio non eſt ipſi maledictio, ſed potius benedictio, ut quo plura terrena ei auferuntur, eo maioribus beneficijs Dei compenſentur. Direptionem, inquit, facultatum ueſtrarum cum gaudio accepiſtis,ſcientes uos habere in uo- *Hebr.10.*

bis pōtiorem ſubſtantiam in cœlis ac manentem. Ne abieceritis igi tur fiduciam ueſtram, quæ magnam habet præmij retributionem. Et Chriſtus ipſe ait: Nullus eſt, qui reliquit domum aut fratres aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut liberos, aut agros mea cauſa et Euangelij, quin recipiat centupla, nunc in tēpore hoc, cum perſecutionibus, ac in ſeculo uenturo, uitam æternam.

TRANSITE, TRANSITE PER PORTAS, PRÆPARATE VIAM POPVLO &c.

Cum Propheta concionaretur ea, quæ iam recitata ſunt, excitatur Spiritu, ut &ſi ætate ſua abeſt octingentis plus minus annis a diuulgatione Euangelij inter gentes, uideat tamen magnam gentium multitudinem prædicatione Euangelij excitatam, ad Chriſtum & Eccleſiam eius, per fidem, properare. Exclamat igitur & hortatur ſeu ciues ſeu collegas ſuos, ut præparent publicam uiam, & tollant lapides ac alia impedimenta e uia, quo tanta gētium multitudo expedite ad Hieruſalem, aut Eccleſiam perueniant. Tranſite, inquiens, tranſite per portas. Egredimini ex urbe per ſingulas portas, & complanate publicam uiam populo, Gentibus uidelicet Incircumciſis, quæ maxima frequentia huc confluunt. Parate, parate iter, Repurgate iter a ſaxis, erigite ſignum aut uexillum ad populos, ut ſciant, quo ſit ipſis ueniendum. Quid ergo factum eſt, quod tanta gētium multitudo huc properet? Sequitur: Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, hoc eſt, Ieſus Chriſtus uerus Deus ac Dominus noſter diuulgauit Euangelion ſuum uſq; ad extrema terræ. qua prædicatione Gētes ita excitatæ ſunt, ut ſuſceperint profectionem ad urbem Hieruſalem maxima frequentia. Hæc autem profectio non fit corporalibus pedibus, ſed fide. Quotquot enim accedunt in ſuis locis, ſiue in Scythia ſiue in India ad audiendum Euangelion Chriſti, & credunt in Chriſtum, hi dicuntur ad Hieruſalem proficiſci, & ſeſe cum Iſraelitis cōiungere. Quin potius ſoli hi ſunt ueri ciues Hieruſalem, & ueri Iſraelitæ, & fruentur etiam omnibus ijs beneficijs, quæ Deus electo ſuo populo iam inde ab initio promiſit.

DICITE FILIÆ ZION, ECCE SALVATOR TVVS VENIT &c.

Sicut Propheta in ſpiritu uidet Gentes magna multitudine accedere ad audiendum Euangelion, & ad credendum in Chriſtum, ita uidet etiam Chriſtum intrare in die Palmarum aſino uectum, & multa populi turba comitatum, in urbem Hieruſalem. Sic enim interpretatur hunc locum Euangeliſta Matthæus, cum recitaturus uaticinium Zachariæ de Chriſto ſuper aſinam aduentante, præponit

nit hoc dictum Esaiæ. Dicite filię Zion, significans uidelicet, quod sicut Zacharias uidet in sua concione Christum asello in die Palmarum aduehi, ita Esaias his uerbis iubeat exponere Ecclesiæ, quis sit ille, qui sic asello uectus adueniat, & quid de ipso sit sentiendum. Dicite, inquit, filiæ Zion, Ecce seruator tuus uenit. Videtur quidem aduehi & urbem Hierusalem ingredi abiectus quispiam homo, & tam egenus, qui non habeat proprium asinum quo uehatur, sed necesse habeat uti accõmodatio: Tu uero filia Zion, noli de ipso iudicare secundum externam speciem. Ecce enim uenit ישוע hoc est, IESVS seu Saluator tuus. Sic enim & alias Matthæus scribit angelum ad Ioseph dixisse. Vocabis nomen eius IESVS, hoc est, Saluator. Is enim SALVVM faciet populum suum a peccatis suis. Venit igitur Iesus in urbem Hierusalem, abiectus quidem, & humilis, si externam eius speciem intuearis, sed si explicueris eum, & propius eum inspicias, uenit afferens secum mercedem & præmium suum. Ecce, inquit, merces eius cum illo, & opus, hoc est, præmium operis eius coram ipso. Quæ ergo est merces, quod est prẽmium eius? Nimirum hoc, quod nomine eius significatur. Vocatur enim Iesus, hoc est, Saluator. Affert ergo secum ueram, summam & æternam salutem. Hæc est merces, hoc est præmium credentium in ipsum. Reges mundani, cum initio ueniunt in metropoles suas solent Regalia sua beneficia, quæ uocant Feuda, in bene de se meritos conferre. Sed quales sunt Reges, talia sunt & Feuda, uidelicet, Mundana, terrena & peritura, quæ Feudatarium, nec in morte nec in horroribus inferni seruare possunt. Iesus Christus autem, Rex cœlestis, ueniens in suam Metropolim Hierusalẽ, collocat sese in throno maiestatis suæ, ut conferat in credentes suos cœlestia Feuda, quæ sunt Merces & præmium eius, quorum Feudorum, aliud est Remissio peccatorum, aliud imputatio Iusticiæ suæ, aliud adoptio in filios & hæredes Dei, aliud liberatio a morte & inferno, breuiter uno æternæ salutis, quam secum credentibus affert, nomine comprehenduntur omnia cœlestium feudorum genera. Quod cum ita se habeat, non patiamur nos quicquam remorari, quominus quam festinantissime ad hunc Regem & Saluatorem properemus, & Feudatarij eius fiamus. Nullum enim hominem reiicit, aut contemnit, qui Euangelion eius agnoscit, & fide ad ipsum accedit. Matth. 21.

ET VOCABVNT EOS POPVLVM SANCTVM, REDEMPTOS A DOMINO &c.

Postquam aduenerit Iesus, Saluator, & sederit in throno maie-

statis suæ, ut conferat in credentes suos cœlestia Feuda, tunc uere fiet id, quod supra dictum est, ut populus eius uocetur nouis nominibus. Nunc enim propter multa & magna peccata, propter uastationem metropolis eius, propter seruitutem & captiuitatem eius uocatur populus prophanus, a DOMINO abiectus, Et metropolis eius uocatur Deserta, quam nemo requirat, ut in ipsa habitet. Sed cum aduenerit Iesus, Saluator, uocabitur populus Sanctus, quia expiabit peccata eius, & placabit iram Dei, ut quotquot in ipsum credunt, reputentur coram Deo Iusti & Sancti propter Iesum. Vocabitur etiam populus Redemptus a DOMINO, quia Iesus, qui est uerus DOMINVS Deus noster, redimet eos a potestate Satanæ, a morte & inferno, & conferet in eos æternam uitam, & cœleste regnum. Similiter Hierusalem, metropolis eorum, non uocabitur amplius Deserta, aut Abominabilis, Sed uocabitur Quæsita, quia Gentes, quam antea summo fastidio abominabantur, eam summo uicissim studio quærent & diligentissime inuestigabunt, ut fiant ciues eius. Hæc autem Inquisitio & Inuestigatio tum fieri solet, cum Gentes in hoc studium incumbunt, ut Euangelion Christi cognoscant, & Iusticiæ ac salutis Christi participes fiant. Quærebat Cornelius Centurio urbem Hierusalem, cum uocauit ad se Apostolum Petrum, ut audiret ex eo Euangelion Christi. Quærebant Macedones urbem Hierusalem, cum uir Macedo apparuit Paulo, & precatus est eum, ut profectus in Macedoniam, succurrat ipsis. Hactenus de futura maiestate urbis Hierusalem, & fœlicitate populi Dei. Habent igitur ciues Hierosolymitani, quo se in eo terrore, quo ex uaticinio Babylonicæ captiuitatis perculsi sunt, consolentur. Habemus & nos, quo capiamus consolationem in omnibus aduersis, in terroribus mortis & inferni. Quicquid enim acciderit, certi sumus, nos per fidem in Christum habere ius eius urbis, cuius ciues omnes sunt Sancti, & a Domino redempti.

Act. 10.

Act. 16.

CAPVT LXIII.

QVIS EST ISTE QVI VENIT DE EDOM, TINCTIS VESTIBVS &c.

Duplex est ratio consolandi afflictos & oppressos ab hostibus. Vna ducitur a liberatione ab hostibus. Altera, ab interitu hostiū. Cū igitur Propheta cōsolatus sit in superioribus cōcionib. priori cōsolādi ratione auditores suos, territōs uaticinio Babylonicę captiuitatis

tis

tis, & aliarum calamitatum, quæ populo Dei euenire solent, suscipit nunc hac concione consolandos eos posteriori ratione, & concionatur eis de interitu hostium populi seu Ecclesiæ Dei, & de insigni uictoria, quam Christus ab omnibus Ecclesiæ suæ hostibus reportat. Etsi enim uidetur de Edomitis tantum loqui, tamen haud obscure significat se Edomitarum nomine intelligere omnes hostes & aduersarios Ecclesiæ suæ. Nam paulo post dicitur: Venit annus retributionis meæ. Quod ita legendum est: Venit annus, quo mei redimantur, significans uidelicet, se Ecclesiam suam ab omnibus hostibus redimere. Et mox: Conculcaui populos in furore meo. Quod certe non ad unam tantum gentem, sed ad omnes aduersarias gentes pertinet. Et extat supra, capite trigesimo quarto, concio eiusdem argumenti, in qua nomine Edomitarum omnes Ecclesiæ hostes intelliguntur, quemadmodum in eo loco exposuimus. Quare sentiendum est, hanc concionem institutam esse de interitu omnium hostium populi Dei, siue illi ante natum Christum fuerint, siue post natum Christum uenerint, ac siue sint Gentes incircumcisæ, siue carnales & impij Iudæi. Porro autem, cum Propheta alias simpliciter exponat uictoriam Christi & interitum impiarum Gentium, uisum est ei hoc loco exponere ea Dialogo, & grandiloquentia heroica. Potuisset enim simplicibus uerbis dicere, DOMINVS Christus reportat insignem uictoriam ab hostibus populi sui, & agit illustrem de eis triumphum, sed maluit assurgere in grandem Dialogum, ut hac sermonis figura triumphus Christi illustrius pingeretur, & pios hostium immanitate territos magis consolaretur. Ac primum, Propheta sustinens personam uel Ecclesiæ, uel potius earum Gentium, quæ hactenus ignorarunt Christum, obstupescit & admiratur maiestatem Triumphatoris, reuertentis a recenti cæde hostium suorum, & quærit, quis nam sit Insignis ille Heros, & Bellator, qui tam illustrem uictoriam ab hostibus suis reportet. Quis est iste, inquiens, qui uenit de Edom, hoc est, de oppressis hostibus suis? Et quis est ille, qui uenit tinctis uestibus, seu aspersus uestes, de Bozra, quæ est metropolis Edomitarum? Sicut autem Edomitæ significant generaliter omnes hostes populi Dei, ita & Bozra significat generaliter omnia loca, omnia imperia & regna hostium Ecclesiæ. Nam ex his omnibus reportat Christus uictoriam, & agit triumphum. Et quis est ille, tam honorifice, tam splendide uestitus, incedens magna fortitudinis suæ maiestate? Hoc autem dicere uult. Quis est Heros ille, qui de hostibus suis tam illustrem agit triumphum, qualem nulla unquam hominum ætas uidit? Respondet igitur Triũphator ipse, Iesus CHRISTVS DOMINVS

noſter. Ego ſum, qui loquor in iuſticia, & propugnator ſum ad ſaluandum. Hac periphraſi Chriſtus ſe ipſe deſcribit. Nec eſt alius, in quem hæc deſcriptio competat, præterquam Ieſus Chriſtus. Primum enim loquitur in Iuſticia, hoc eſt, docet Euangelion ſuum, quo reuelatur, quod ipſe ſolus ſit Iuſticia noſtra, quo etiam donat omnem ſuam Iuſticiam his, qui credunt in ipſum. Quotquot enim credunt in eum, iuſticia eius ita fruuntur, ut propter eam reputentur & ipſi coram Deo Iuſti, & accipiant omnia præmia Iuſtorum. Deinde propugnator eſt ad ſaluandum, hoc eſt, Magiſter ſalutis. Is enim eſt, qui poteſt & nouit, & uult ſeruare, qui multam & magnam habet potentiam, noticiam & uoluntatem ſeruandi. Non enim eſt aliud nomen, ut Petrus ait, ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Sed Propheta ſecundo quærit. Quare, inquiens, rubrum eſt indumentum tuum, & ueſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Si es Magiſter Salutis, quid eſt quod tam cruentas habeas ueſtes? Videris magis ex prælio, aut laniena, ubi multa cędes ſit facta, & multus ſanguis effuſus, uenire, quam ex eo loco, ubi magna ſit ſalus parta. Nam quemadmodum hi, qui calcant uuas in torculari, ſolēt ueſtimenta muſto & fecibus aſperſa reportare, ita tu incedis ueſtes multo ſanguine aſperſus. Quid ergo ſibi uult hic habitus, aut quomodo conuenit cum Epitheto tuo, quo te uocas Rabi aut Magiſtrum ſalutis?

Reſpondet ergo Chriſtus iterum, & exponit quam cędem fecerit, & quam ſalutem pepererit. Torcular, inquiens, calcaui ſolus, & de gentibus nō eſt uir mecū &c. hoc eſt, Recte tu dicis, me, quaſi e Torculari uenirē, ueſtimēta geſtare. Ego.n. ſolus calcaui torcular, ego ſolus cōmiſi difficillimū & periculoſiſsimū prælium, cum hoſtibus populi ſeu Eccleſię meę. Nec quiſpiam fuit inter omnes gentes & populos, qui me adiuuerit, qui mihi ad opprimendos hoſtes operam ſuam contulerit, ſed ego ſolus neceſſe habui me, concepto heroico furore & indignatione, in medios hoſtes inferre, & eos, quaſi uuas, conculcare. Quæ res effecit, ut reportem ueſtes ſanguine (ſeu Robore aut uictoria eorum, ſicut infra ſequitur) aſperſas, & amictum cruore fœdatum. Hoc eñ fuit tempus, quo decreuerā ulciſci & punire hoſtes Eccleſiæ meæ, & liberare ac redimere Eccleſiam ab immanitate hoſtium ſuorum. Hic fuit annus Redemptionis, quo iam ante ſtatueram populum meum in libertatem ab iis, quorum ſerui & captiui erant, uindicare. Etſi autem in hoc meo inſtituto, & in tanta hoſtium potētia, circumferebam oculos, & quaſi attonitus requirebam, num ſicubi eſſet, qui ſocias manus mecum coniungeret, & mihi opem ſuam in committendo tam difficili

ficili prælio conferret, Sed ecce nec erat adiutor, nec auxiliator. Quare ego solus ipse accinxi me brachio seu fortitudine mea, & inflammatus ardentissimo ulciscendi studio, irrui in exercitum hostium. Quo heroico animo sic adiutus sum, ut uniuersum exercitum hostium conculcauerim, ac inebriauerim, hoc est, uacillantes quasi ebrios, deiecerim, & ad terram Sanguinem eorum detraxerim. Pro (Sanguinem eorum) hebræus textus habet נִצְחָם Nizham, sicut & supra, eadem dictio pro sanguine ponitur. Significat autem Robur seu uictoriam. Eadem dictio ponitur etiam capite uigesimoquinto. Præcipitabit mortem in sempiternum. Vbi pro (In sempiternum) habetur לָנֶצַח Quod Paulus interpretatur, In uictoriam, cum ait: Absorpta est mors in uictoriam, quemadmodum diligenter obseruauit Reuerendus præceptor noster, sanctæ memoriæ, D. Martinus Lutherus. Iuxta hanc igitur significationem etiam uulgata æditio pro eo, quod supra interpretatur, Sanguinem, cum ait, Aspersus est sanguis eorum &c. legit in hoc loco, Virtutem eorum. Et est sententia: Quibus rebus, quo robore, qua uictoria hostes antea confidebant, & in Ecclesiam meam grassabantur, ea omnia conculcaui, dissipaui, & in terra protriui, ut robur & uictoria, non sint amplius penes hostes, sed penes me, qui hostes uicerim, & omnem eis potentiam abstulerim. Habes commemorationem prælij, quod Christus cum Edomitis, hoc est, cum hostibus Ecclesiæ suæ commisit, & e quo clarissimam omnium uictoriam reportauit. Videamus ergo, quando aut quomodo Christus hoc tam cruentum prelium commiserit. Etsi autem exposuimus ista supra capite trigesimoquarto, ubi extat eiusdem argumenti concio, tamen quia hic locus requirit, dicamus & nunc nonnulla, quæ ad explicationem eius pertinere uidentur. Non enim sentiendum est, q̃ Christus in commissione prælij sui cum hostibus suis & Ecclesiæ suæ, exhibuerit mundo tale & tam crassum spectaculum, quale exhibuit Alexander Magnus, aut Scipio Aphricanus, hic in uincendo Annibale, ille in uincendo Dario, aut etiam quale exhibuit Dauid in superando & occidendo Goliathe, & in perdomandis finitimis Gentibus, Sed tale fuit prælium eius, qualis ipse Rex est, uidelicet, spiritualis, & cœlestis. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Quare nec prælium eius fuit mundanum. Sunt aũt duplices hostes Christi & Ecclesiæ eius, quos Christus fortissime deuicit, & de quibus clarissimum egit triumphum. Alij sunt spirituales, uidelicet, Peccatum, Satan, Mors & Infernus. Hi sunt pernicioſissimi hostes Ecclesiæ, & qui internecionem Ecclesiæ diu noctuq̃ meditantur. Sed Christus ita cũ eis pugnauit, ut oẽm eorũ potentiã ac tyrãnidem fregerit. Cum pctõ suscepit pugnam, suscipiendo carnem &

similitudinem peccati. Cum Satana suscepit pugnam permittendo se tentationibus Satanæ. Cum morte suscepit pugnam moriendo. Cum inferno suscepit pugnam dolores inferni sustinendo. Sed in his omnibus pugnis & congressibus, ita euasit obedientia, spiritu sancto, Resurrectione, & Sessione ad dextram Patris, uictor, ut nō solum ipse exaltatus sit in summam maiestatem, uerumetiam peperit cœlestem & perpetuam salutē omnibus his, qui in ipsum credunt. Nunc Princeps (inquit) huius mundi eiicietur foras. Et postea. Princeps huius mundi iam iudicatus est. Et in Epistola ad Hebræos. Factus est particeps carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum &c. Et apud Oseam. O mors, ero mors tua, morsus tuus, inferne. Et Ioan-
1. Ioan. 3. nes. Ad hoc (inquit) apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. Nam de Triumpho quem Christus de hostibus suis egit, Paulus ita scribit. Expoliatos principatus ac potestates ostētauit palam, triumphans de illis per semetipsum. Et in Psalmo: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem &c. Et hoc illud est, quod Christus in hac Prophetę concione ait. Detraxi in terram Virtutem, seu robur, & uictoriam eorum. Antea enim Satan, Mors & Infernus propter peccatum tam fortes, tam potentes erant, ut reportarent uictoriam ex omnibus hominibus, in uniuerso orbe terrarum. Nunc autem, postquam Christus expiauit peccatum, obediētia sua, uictoriam hostium e manibus eorum ita extorsit, ut necesse habeant nō solum ipsi uictori, sed etiam oībus in ipsum credētibus subiici. Alij sunt hostes corporales, seu Mūdani, qui sunt Tyrāni, persecutores Euāgelij, adeoq; oēs Impij & increduli. Suscepit & cum his pugnam Dominus noster Iesus Christus, non quidem Corporali & Mundano, sed spirituali & cœlesti prælio. Pugnauit em̄ cōtra eos, obedientia erga Deum Patrem, prędicatione Euangelij sui, patientia in aduersis, precibus pro salute & conseruatione Ecclesiæ suæ. Quibus rebus tam glorioſam uictoriā ab eis reportauit, ut primū quidem tyrannis & sæuicia eorum, nihil potuerint ipsi incommodi afferre, sed fuerint potius ad illustrandam maiestatem ipsius adiumēto. Nam, quo magis impij in Christum grassati sunt, eo clarior gloria nominis eius in toto terrarum orbe facta est. Deinde, effecit Christus, ut sicut Tyrāni non potuerūt ipsum perdere, ita nec possint Ecclesiam suam perdere, sed necesse habeant persecutione sua in Ecclesiæ utilitatem & salutem cedere. Nam cum peccatum sit expiatū, et mors superata, quid damni possent inferre hi, qui occidere tantum corpus possunt, non autem animam? Quin potius Mors, lucrum est, ut Paulus ait. Postremo, Impij etiam sic deuicti sunt a Christo, ut &si uidentur adhuc in hoc mundo fœlicem agere uitā, tamen,

tamen, quia non credunt in Christum, latum iam est in eos iudiciũ æternæ damnationis, quod & suo tempore certissime reuelabitur. Qui non credit (inquit) iam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Habes prælium, quod Christus cum hostibus suis & Ecclesiæ suæ gessit, & uictoriam, quam de ipsis reportauit. Sed nec hoc oscitanter prætereundum est, quod Christus in hoc prælio committẽdo nullum habuit socium, nullum adiutorem. SOLVS, inquit, calcaui torcular, nec fuit mecum quisquam de populis. Et, Circumspexi, & nõ erat auxiliator, quæsiui, & non erat qui adiuuaret. Quibus dictis damnantur omnes homines, quantumuis honesti & sancti, cessationis, ignauiæ, peccati, & impietatis. Quid ergo dicemus? Num sicut Christus solus prælium inijt, & aduersarios uicit, ita solus etiam Victoria fruitur? Nihil minus. Nam hoc consilio suscepit prælium, & uictoriam reportauit, ut ueram & æternam salutem his, qui in ipsum credunt, pareret. In mundo, inquit, afflictionẽ habetis, sed bono animo sitis, Ego uici mundum. Et alias: Cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos una cũ Christo (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Ac iterum. Per mortem aboleuit eum, qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum, & liberos reddidit eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Et rursus: Perfectus redditus, omnibus qui sibi obedierunt, fuit causa salutis æternæ &c. Quare sentiendum est, quod Christus non fruatur solus sua uictoria, sed ꝙ huius uictoriæ fructus ad Ecclesiam suam uere pertineat. Q; autem iactat se solum calcasse torcular, nec ullum habuisse prælij adiutorem, admonet nos nostri peccati, & illustrat suam misericordiã, ut sciamus omnem nostram salutem acceptam ferendam esse, non meritis Patriarchaꝝ & Prophetaꝝ, non meritis Apostoloꝝ, aut aliorum sanctorum, non meritis nostrę ipsoꝝ iusticię, multo minus meritis monachoꝝ & sacrificuloꝝ, quæ sæpenumero magno precio alijs uendere solẽt, sed tm̃ suæ ipsius clementiæ ac misericordiæ. Saluos nos fecit (inquit Paulus) non ex operibus, quæ sunt in iusticia quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam. Agamus igitur Deo Patri Domini nostri Iesu Christi gratias, & agnoscamus clemẽtiam eius per fidem, ut reportemus eum uictoriæ Christi fructum, quem nobis spiritus sanctus in Euangelio percipiendum proponit.

CAPVT LXIIII.

MISERATIONVM DOMINI RECORDABOR, LAVDEM Dñi SVPER OMNIBVS &c.

Magnum & omni gratitudinis genere dignum beneficium est, quod Deus Prophetica scripta, tot annis, inter tot eluuiones, incendia, bella, imperiorum ruinas, adeoq; omnium humanarū & terrenarum rerum mutationes, conseruauit, & iam inde ab initio, quo literis mandata sunt, ad alios atq; alios posteros, usq; ad nos propagauit, & haud dubie usq; ad extremum huius seculi diem conseruabit ac propagabit. Etsi em̄ non omnes omnium Prophetarum conciones scriptis comprehensæ extant, tamen quæ extant, & nobis in manus traditæ sunt, cōtinent tam certam, tam firmam, & tam perspicuam doctrinam de uero Deo & Patre Dñi nostri Iesu Christi, & spiritu sancto eius, ac de omnibus, quæ ad noticiam consequendæ ueræ coram Deo iusticiæ, & cœlestis ac æternæ salutis, necessaria sunt, ut una cum Apostolicis scriptis, quæ sunt Propheticarum cōcionum commentarius, pro fundamento Ecclesiæ optimo iure habeantur, & sint potentia Dei ad salutem omni credēti. Sed cum uersor in explicatione huius Prophetæ Esaiæ, sæpe optare soleo, ut singulę conciones, haberēt singulos suos titulos, uel a Propheta ipso, uel ab his, qui eas aut ex ore Prophetæ exceperunt, aut ex chartis Prophetæ in unum uolumen cōtulerunt, adscriptos, quibus significaretur, quo quæuis tempore, & qua occasione dicta essent. Talis enim titulus magnam afferret lucem ad cognoscendum uerum concionis statum, ac uice clauis esset, qua fores ad ingrediendum in rectam concionis sententiam patefierent. Nunc autem, cum conciones titulis suis nudatæ, ac sæpe longe alio, quam dictæ sunt ordine proponuntur, accidit, ut interpres aliquoties coniungat, quæ deberent esse disiuncta, & disiungat, quæ deberent esse coniuncta, ac alio Propheta, alio interpres respiciat. Quid, quod interdum recitētur, non integræ conciones, sed tantum concionū fragmenta? Quare si quid certi de statu talium concionum cognoscere uolueris, ex ipso Prophetæ textu, non sine labore & industria inuestigandum erit. Hæc idcirco præfari uolui, quod textus precationis, quæ sequitur, longe alterius argumenti esse uidetur, quam quod summaria illa, nescio a quo addita, & capitum distinctiones in uulgata editione præ se ferunt. Vna. n. est precatio, quæ quasi duę essent conciones, in duo capita uulgo diuiditur. Et est precatio præscripta his, qui in captiuitatem Babylonicam abducti erant, & grauissima seruitute in Babylone opprimebantur. Etsi enim Hierusalem nondum erat uastata, & Iudæi nondum erant abducti in Babylonem eo tempore, quo Esaias functus est concionatorio officio, tamen quia ex uaticinijs Prophetarū Babylonica captiuitas certo futura erat, sicut supra Esaias multis concionibus munijt abducendos in Babylonem, aduersus Idolatrian, & offendiculum infœlicitatis, ita & nunc præscribit

Ephes. 2.

Rom. 1.

scribit formulam precandi, quã uterentur posteri, qui in captiuitate & seruitute Babyloniorum detinendi erant, ut ex hac formula cognoscerent, & quem solum in tantis grumnis inuocare, & quam humiliter peccata sua coram Deo confiteri, & quibus rebus fidem suam ad recuperandam nõ tantum corporalem, sed etiam ueram, spiritualem, & cœlestem libertatem ac salutem confirmare deberent. Quare hæc precatio satis perspicua uideretur, nec longo commentario indigeret, si talis quispiam titulus initio ei adscriptus fuisset.

FORMVLA PRECANDI IN CAPTIVITATE BABYLONICA, AVTORE PROPHETA ESAIA,

Vel talis

EXEMPLVM PRECATIONIS, QVO CAPTIVI IN BABYLONE VTI POSSVNT, PER ESAIAM PROPHETAM.

Ac profecto captiuitas Babylonica tanta seueritate à Prophetis, ante euentum eius, commemorabatur, ut necesse fuerit, non eos tantum, qui ipsi captiui essent, sed etiam parentes & maiores eorum promissionibus consolari, & precibus armare. Etsi enim magna pars Iudæorum ridebant propheticas minas, & habebant eas pro somnijs insanorum hominũ, tamen non est dubium, quin pij, qui propheticis concionibus uerã fidem adhibebãt, toto animo cohorruerint, ac contremuerint, quoties cogitabant futurum, ut non solum templum tanta maiestate insigne, & urbs tanta magnificẽtia illustris igni succenderentur, & solo æquarentur, uerumetiam filij, filiæ, nepotes ac reliqui posteri sui paterent libidini immanissimorum hostium, ac alij quidem crudeliter trucidarentur, alij in perpetuam seruitutem abducerentur, & hic quidem parentes à liberis, & liberos a parentibus, illic uxorem à marito, & maritum ab uxore ita diuelli, ut nunquam amplius coniungantur. Et hęc tantum corporalia & externa mala erant. Quid autem de malis spiritualibus, quæ minabantur ęternum exitium, dicẽdum? In tanta enim populi Dei uastatione, ubi mansura erat uera doctrina de Deo? Vbi promissiones de Messia, cuius fide iustificamur & saluamur? Quomodo hæ ad posteros propagandæ erant? Ac breuiter, quomodo uera & æterna salus Ecclesiæ Dei conseruari poterat? Hæc cum pij cogitarent, teneri non potuerunt, quin ad mentionem huius captiuitatis, quamuis post centum demum annos futuræ, mirum in modum trepidauerint. Quare, cum Esaias excitabatur à Spiritu sancto Dei, ut adnunciaret futuram captiuitatem Babylonicam, admonitus etiam est ab eodem spiritu, ut præiret captiuis formula precandi, non solũ

propter captiuos ipsos, quorum fortassis nullus adhuc eo tempore natus erat, sed etiam propter horum captiuorꝝ parẽtes & maiores, qui tunc uitam agebant, ut cognoscerent, qꝑ & si imminent posteris suis maxima mala, tñ mansura sit Ecclesia, quæ inuocet uerꝝ Deum, & petat ab eo liberationem, quam etiam certissime sit consecutura.

Quanq̃ autem captiuitas Babylonica, una fuit e prꝫcipuis & grauissimis calamitatibus, quæ acciderunt Ecclesiæ Dei ante aduẽtum Christi, tamen non solum hanc utilitatem attulit, qꝑ dispersis Iudæis inter Gentes, doctrina de uero Deo etiam inter Gentes, & in prꝫcipuis Monarchijs Gentium uulgata est, & in quibus magna quoque miracula ædita sunt, quibus multi ex gentibus ad ueram fidem & religionem excitabantur, quemadmodum testatur liber Danielis, uerumetiã hic fructus ex ea captiuitate ad Ecclesiam Dei uenit, qꝑ occasione eius, Prophetæ habuerint multas insignes conciones de Christo & regno eius, quibus & eos qui capiendi erant, & iam captiuos consolarentur, ac in uera fide & officio continerent. Quæ conciones fortassis nunq̃ꝑ fuissent aut dictæ, aut literis mandatꝫ, & ad posteros propagatæ, si tanta calamitas nõ fuisset populo Dei euentura, & euentus ueritatem eorum uaticiniorum nõ comprobasset. Quanta autem utilitas ex his concionibus ad Ecclesiam Dei redeat, nemo ignorat, nisi qui nescit Prophetica scripta partem esse fundamenti Ecclesiæ. Quare sentiamus nihil tam horribile, nihil tam immane accidere populo Dei, quod non gubernatione diuinꝫ clementiæ adiumento ei sit in bonum.

Sed accedamus nunc ad precationem ipsam, quæ, cuius sit argumenti, paulo ante attigimus. Precantur enim Captiui Deum Patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ut meminerit misericordiæ suæ antiquæ, & respiciat præsentes ipsorum calamitates, ac liberet ipsos clementer, non tantum ut ipsis sit bene, sed maxime omnium, ut nomẽ eius coram uniuersis gentibus illustretur & glorificetur. Constat autem tota hæc precatio ex Antithesi & collatione ueterum beneficiorum Dei, & nouæ huius ac præsentis calamitatis, qua Ecclesia Dei in Babylonica captiuitate premebatur. MISERATIONVM DOMINI, (inquit) RECORDABOR, ET LAVDEM DOMINI &c. Hæc est propositio non quidẽ totius precationis, sed tantum prioris partis κὐ πθόσεως, in qua parte commemorantur uetera beneficia, quæ Deus olim in populum suum contulit, ut deinde subiungatur altera pars, in qua recitãtur prꝫsentes ærumnæ, & petitur liberatio. Et est sententia, Cum inuocaturus & precaturus sim Dominum Deum Patrem nostrum, ut liberet nos e prꝫsentibus malis, commemorabo initio miserationes seu beneficentias Domini, & laudabilia atque glorioſa beneficia eius,

quæ

quæ in omnibus rebus in nos contulit. Et recenſebo multitudinem bonorum, quæ Deus præſtitit domui Iſrael, iuxta miſerationes ſuas, & iuxta immenſam bonitatē ſuam. Quæſo aūt te, in quem uſum precator captiuus ſuſcipit beneficia Dei recitanda, cum præſens calamitas admoneat eum magis ſupplicioꝝ, quam beneficioꝝ Dei? Nō recitat ea ocioſe, Sed ut hac recitatione exuſcitet ac cōfirmet in precatione fidem ſuā, & excitet Deum, ut meminerit ueteris ſuæ clementiæ, tot beneficijs & miraculis teſtificatæ, ac liberet miſerrimos captiuos a preſentibus malis. Omnino. n. neceſſaria eſt fides in precatione. Quæcunqꝫ orantes, inquit, petitis, CREDITE qꝫ accipitis, & erunt uobis. Et iteꝝ: Si cui ueſtrꝝ deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat, cum Fiducia, nihil hæſitans. Confirmatur aūt fides commemoratione promiſsionum Dei, & beneficioꝝ eius. Deinde, & ſi Deus iraſcitur populo ſuo propter peccata, & infert ei ſupplicia, tñ non pœnitet eum, quemadmodum Paulus ait, donorum & uocationis ſuę, ſed quemadmodum ſuperioribus temporibus ſelegit & uocauit Eccleſiam ſuam, ex omnibus nationibus gentium, ac affecit eā multis & magnis beneficijs, ita uult ei deinceps quoqꝫ benefacere, & eam conſeruare, ſi modo reuertatur poſt defectionē ad Dñm, & agat ſcelerum ſuorum pœnitētiam. Quare precator captiuus in Babylone, facit in oratione ſua opportunam mentionem ueterum beneficiorum Dei, ut ſignificet ſe, quia pœnitentiam agat, ſperare noua Dei beneficia, & certam liberationem a captiuitate, aut ſaltem captiuitatis mitigationem, & cœleſtem in ea conſeruationem.

ET DIXIT, VERVNTAMEN POPVLVS MEVS EST, FILII NON NEGANTES &c.

Propoſitionē ſequitur enumeratio beneficioꝝ Dei. Ac unū & prꝫcipuum beneficium Dei eſt, qꝫ Deus dixit de Iſraelitis, Certe populus meus ſunt, & filij non mendaces, hoc eſt, Deus elegit Iſraelitas in peculiarem ſuum populū præ omnibus alijs gentibus, & adoptauit eos in filios ſuos, non ſpurios, non adulterinos, ſed ueros, legitimos, & genuinos. Nam, quod uulgata lectio habet: Filij non negantes, ſeu non mendaces, non cōmendatur conſtans pietas Iſraelitarꝝ, quippe qꝫ quantū ad ipſos attinet, ſemper fuerit populus duræ ceruicis, & ut ſupra dixit Eſaias, populus ad iracundiam prouocans, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei: Sed cōmendatur immenſa Dei clementia, qꝫ & ſi Iſraelitæ nullam unqꝫ ſeruauerunt ueram & conſtantem fidem Deo, tñ ipſe agnouit eos pro peculiari ſuo populo, & non pro falſis, ſpurijs & adulterinis, ſed pro ueris & legitimis filijs. Sic enim dicit Moſes Deut. vij. Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Et Exodi iiij. Filius meus primogenitus

Israel &c. Quibus uerbis agnoscit Dominus Israelitas, nõ pro spu rijs, sed pro ueris & legitimis filijs, non quidem ex substantia eius ab æterno genitis: Hoc enim beneficium soli naturali filio Dei Domino nostro Iesu Christo contigit, Sed ex immensa bonitate eius propter Christum adoptatis. Cuius beneficij magnitudinem nullus humanus sermo satis diserte explicare, nulla humana mens satis digne pro amplitudine sua comprehẽdere potest. Esse enim a Deo in uerum filium adoptatum, quid aliud est, q̃ esse fratrem naturalis & æterni filij Dei Domini nostri Iesu Christi, & cohæredem omnium cœlestium bonorum eius?

ET FACTVS EST EIS SALVATOR. IN OMNI TRIBVLATIONE EORVM &c.

Aliud bñficium. Non solũ adoptauit eos in populum & filios suos, uerumetiam saluauit, & seruauit eos, in omnibus afflictionibus eorum, adeoq; tanto amore eos complexus est, ut cum affligerentur, se ipse affligi iudicaret, ac etiamsi tribularentur, effecerit tamen, ut ea tribulatio nihil incommodi eis afferret. Nam ubi uulgata lectio habet, In omni tribulatione eorum non est tribulatus, uarie apud Hebræos habetur. Alij pro אין, quod significat, Non, legunt לי quod significat, Bi. Et tamen utraq; dictio eodem sono legitur, uidelicet, LO. Et tunc sic uertendum erat. In omni tribulatione ipsorũ, ei tribulatio. hoc est, Cum ipsi tribulabãtur, reputabat se potius, q̃ ipsos affligi. Dictum suauissimũ, & consolatione plenissimum. Si.n. Deus ipse in Ecclesiæ suæ afflictione affligitur, quõ potest afflictio esse diuturna? quõ potest esse detrimẽtosa? quõ nõ potest sequi admirabilis & iucundissima liberatio? In hoc igitur studium omnem operam nostram conferamus, ut simus uera ueræ Ecclesiæ membra, quo & afflictiones, quæ nobis accidunt, ad Deum ipsum Dominum seruatorem nostrum pertingant. Alij econtra pro לי legunt אין, & tunc uertẽdum est, iuxta uulgatam lectionem, In omni tribulatione eorum, non est tribulatus, uidelicet, populus, uel, non tribulatio. Itaq; hic erit sensus. Cum Ecclesia populi Dei affligeretur, Deus tanta cura defendit eam, ut afflictio non esset afflictio aut pernicies, sed potius adiumentum in bonum, & instrumentum ad salutem. Sententia minime reijcienda. Exponit enim consilium Dei in permittendis afflictionibus Ecclesiæ suæ. Conniuet enim Deus ad afflictiones populi sui, non quod meditetur internecionem, sed salutem & liberationem eius. Ipse, inquit Oseas, cepit seu discerpsit, & sanabit nos, percussit, & curabit seu obligabit nos &c. De qua re alias sæpe. Pergamus igitur ad reliqua. Angelus, (inquit) faciei eius (uel qui coram ipso est) saluauit eos. Itaque redemit eos Dominus, & sustulit eos in humeros

suos,

suos, ac portauit cunctis diebus seculi, hoc est, omnibus superioribus temporibus, propter summam dilectionem & caritatem, qua ipsos complectebatur, & propter paternam suam clementiam, qua eos ita tuebatur, ut in omnibus aduersis seruarentur. Eadem commemorantur in Cantico Mosi Deut. trigesimo secundo: Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Ac mox. Circumduxit eum & docuit & custodiuit quasi pupillã oculi sui. Sicut Aquila prouocans ad uolandum pullos suos, & super eos uolitans, expãdens alas suas. Assumpsit eum, atq; portauit in humeris suis. Vide Exo. decimotertio, de nube & igne præcedente castra Israelitarum. Et Exod. decimoquarto, de Angelo tuente castra eorum. Et Num. nono, de nube tegente tabernaculum &c. Hæc & alia miracula testantur Deum cõplexum esse Israelitas singulari cura, fauore, & amore, adeoque patefaciunt immensam clementiam eius, qua Ecclesiam suam in omnibus aduersis tuetur & seruat.

IPSI AVTEM AD IRACVNDIAM PROVOCAVERVNT ET AFFLIXERVNT SPIRITVM &c.

Aliud beneficium, quod & si Israelitæ sæpe ac multum fuerunt morositate sua Domino Deo molesti, & excitauerunt eum ad iracundiam, nunc murmuratione in panis & aquæ penuria, nunc institutione uituli aurei, nunc seditionibus aduersus Mosen, nunc scortatione cum Midianiticis mulieribus, nunc alijs sceleribus & impietatibus, tamen facile passus est se precibus Mosi ita flecti & mitigari, ut non deleret populum, quamuis extremam internecionem meritum, sed potius pergeret eum defendere & seruare. Conuersus est, (inquit) eis in inimicum, & debellauit eos, & recordatus est dierum seculi Mosi &c. hoc est, Etsi Deus impietate & sceleribus Israelitarum in deserto ad tantam iracundiam prouocatus est, ut nunc traderet eos hostibus uincendos, nunc cogitaret eos prorsum de terra tollere & delere. Dimitte me, inquiẽs ad Mosen, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Et iterum: Feriam eos pestilentia atque consumam, tamen recordatus, quod Moses, quem ipse in ducem eorum elegerat, & promiserat se eos per ipsum liberaturum, ageret dies seculi seu uitæ suæ inter eos, & intercederet pro eis tanto pietatis ardore, ut mallet de libro uitæ deleri, quam salutem huius populi deferêre, remisit iram suam, & reconciliatus cum populo, perrexit eum tueri & conseruare. Dimitte, inquiens, iuxta uerbum tuum: Viuo ego, implebitur gloria Domini uniuersa terra &c. Magna laus Mosi, sed multo maior clemẽtiæ Dei, & ueritatis ac constantiæ eius in seruandis promissis suis. Vnus erat Moses inter Israelitas, quem Dñs uoluit reliquis extinctis

Exo. 32. Num. 14. Num. 14.

& deletis,non ſeruare tantum,uerumetiam in magnam gentem facere,ut ſcriptura loquitur.Sed hic unus impetrauit ſua apud Deum interceſsione,ut una cum ipſo multæ myriades ſeruarentur.Impetrauit aũt hoc,nõ ſuo aliquo merito aut prerogatiua,Nã & ipſe peccator erat,& neceſſe habebat etiã in bñfactis ſua uitia agnoſcere,& miſericordia tm̃ Dei cõfidere:Sed impetrauit hoc, gratuita Dei clementia,& firma ac certa ueritate promiſsionum eius. TE elegit(inquit) Dñs Deus tuus,ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terrã. Et additur. Nõ quia cunctas gẽtes numero uincebatis,uobis iunctus eſt Dñs,cum oĩbus ſitis populis pauciores,ſed quia dilexit uos Dominus, & CVSTODIVIT Iuramentũ,quod Iurauit Patribus ueſtris &c. Et paulo poſt. Non propter Iuſticias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris ut poſsideas terras earum, ſed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ ſunt,& ut COMPLERET Dominus uerbũ ſuum,quod ſub Iuramento pollicitus eſt Patribus tuis Abraam, Iſaac & Iacob &c. Et in Ezechiele. Comminatus ſum,inquit,ut effunderem furorem meum ſuper eos,& implerem iram meam in eis in deſerto. Auerti autem manum meam,& feci propter nomen meum,ut non uiolaretur coram gentibus &c. Vides Deum peperciſſe Eccleſiæ populi ſui,non propter iuſticiam uel populi,uel Moſi interceſſoris,ſed tãtum propter ſuum ipſius nomen,gloriam,& clementiam,ut ſalute huius populi teſtaretur coram omnibus gentibus,ſe eſſe Deum potentem,clementem,& in promiſsis ſuis ueracem, ac fidei ſeruantẽ. Qz autem Propheta dicit Deum recordatum eſſe Moſi,qui in populo ſuo uitam ageret,& dux eius eſſet,non adſcribit ſalutẽ populi meritis Moſi,ſed ſignificat Deũ de ꝓmiſsionibus ſuis,interceſsione Moſi admonitum eſſe,& ꝓpter promiſsiones ſuas Iſraelitis peperciſſe,ac eos ſeruaſſe. Moſes enim intercedens ꝓ populo, non iactat uel ſua uel populi merita, ſed admonet Deum promiſsionum ſuarum. Recordare,inquiẽs,Abraam,Iſaac,et Iſrael ſeruorum tuorũ. Quid? ꝙ hi tam ſancti Patriarchæ fuerint, ut etiam poſteris ſuis meriti ſint iuſticia ſua ſalutẽ? Nihil minus. Nam & hi Patriarchę fuerũt peccatores, & neceſſe habuerunt id coram Deo ex animo recitare,quod poſtea Dauid in Pſalmum contulit: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis uiuens. Quare Moſes nõ iactat in precibus ſuis merita Patriarcharum,ſed mentione eorum admonet Deum promiſsionum,quæ ad ipſos dictę ſunt. Recordare,inquiens,Abraam, Iſaac & Iſrael,non, inquam,iuſticię & ſanctitatis eorum,Sed Iuramenti,quod ipſis per temetipſum iuraſti,dicẽs: Multiplicabo ſemen ueſtrꝫ &c. Ac omnino hoc tale quiddã eſt,quale eſſet, ſi quis iudicio pctī tentatus,uer-

Deut. 7.

Deut. 9.

Ezech. 20.

teret se precibus ad Christum, pro consequenda remissione peccati, & exclamaret: Memento, quæso, clementissime fili Dei, Apostolorum tuorum Petri & Pauli, quos iussisti circumferre Euangelion tuum de gratuita remissione peccatorum, in toto orbe terrarum, ut omnis, qui credit in te, non solum consequatur peccatorũ remissionem, sed etiam reputetur coram Deo iustus, & adoptetur in filiũ & hæredem Dei &c. Num hic precator inuocaret Petrum & Paulum? num respiceret in merita eorum? Minime omnium, sed tm̃ respiceret in ministerium, quo in terris functi sunt, & in Euãgelion, quod ex mandato Christi adnunciauerunt. Quare hic Prophetæ locus de Mose, non cõmendat nec inuocationem mortuorum, nec merita Sanctorum, sed commẽdat tãtum ueritatem promissionum Dei, & gratuitam eius clementiam, ut sola misericordia Dei Patris Domini nostri Iesu Christi confisi, solum Deum per Iesum Christũ, in spiritu sancto inuocemus, & omnẽ nostrã salutẽ ab eo petamus.

VBI EST QVI EDVXIT EOS DE MARI CVM PASTORIBVS GREGIS SVI &c.

Transit precator paulatim ad alterã partem αἰτιολογικῶς, & ad principale institutum precationis eius. Quondam eduxit Deus (inquit) Israelitas de mari rubro illæsos, una cum Pastore, cum Mose duce eorum. Vbi aũt nunc est Deus ille eductor & liberator? Quanta rerum inuersio? quanta mutatio? Deus eduxit quondam Israelitas per mare rubrum ex Ægyptiaca seruitute in libertatẽ, una cum Mose, principe eorũ. Nunc aũt eduxit imo eiecit eos, una cum regibus & principibus eorum, ex libertate in captiuitatẽ. Quondam dedit Deus spiritum sanctum Mosi, & septuaginta senioribus, ut prophetarẽt, & adnunciarent, quæ populo utilia & salutaria essent. Vbi aũt nunc est ille Deus spiritus sancti donator? Quin potius res sic inuersæ sunt, ut ablato spiritu sancto tam a Principibus q̃ a Senioribus, oĩa in hoc populo errorum plena sint. Quondam Deus, apprehensa dextra Mosi, duxit eum tam potenti maiestate, ut coram eo diffinderet aquas maris rubri, & reportaret ex eo miraculo insignem gloriã nominis sui. Vbi aũt nunc est Deus ille qui tam potentem reddidit ducẽ populi sui, ut aquæ necesse habuerint ei cedere? Quin potius conditio ducũ huius populi sic mutata est, ut quemadmodum Moses diuisit uirga sua Mare, ut Israelitæ per eã illæsi pertransirent, & in libertatẽ uindicarentur: ita nũc econtra duces huius populi sunt autores, ut aquæ omnium afflictionum in unum locum confluant, & Israelitas, tãquam diluuium obruant. Quondam duxit Deus Israelitas per abyssos maris rubri, & sicut equus ambulans in deserto, seu in terra firma, & non aquosa, non facile impingit, aut corruit seu demergitur, ita conseruauit Deus Israelitas, ut & si am- Num. 11.

bulabant in abyssis maris, non minus tamen constanter & firmiter pergerent, q̃ si in arida terra proficiscerẽtur. Et quemadmodum pecus descendit seu minatur ad uallem, & refocillatur spiritu Domini, hoc est, leni afflatu uenti, ita tu Domine minasti populum tuum summa mãsuetudine et lenitate, ut gloria nominis tui illustraretur. Vbi autem nũc es Deus populi tui seruator, & gregis tui minator? Vide enim rerum inuersionem. Superioribus seculis eduxisti populum tuũ saluum per abyssos maris, & seruasti gregem tuum ab omnibus syluestribus feris tutum ac securum. Nunc autem populus tuus coniectus est in profundissimas quasq; abyssos, & grex tuus patet omnium ferarum dilaniationibus. Quid igitur faciamus? aut quo nos uertamus? Num quia Dominus uidetur nos abiecisse, nos uicissim abijciemus Dominum, & fugiemus faciem eius? Nihil minus. Reuertamur, inquit Hoseas, ad Dominum, quoniam ipse cepit, seu discerpsit, & sanabit nos, percussit, & curabit nos. Reuertitur ergo & noster precator ad Dominum, & ait: ATTENDE DE COELO, ET VIDE DE HABITACVLO TVO SANCTO ET GLORIOSO. Hic nunc perspicue uides, quo respiciant & pertineant superiores interrogatiũculę: Vbi est, qui duxit eos? Vbi est qui posuit spiritum sanctum suum in medio eius? Non em̃ sunt amarulentæ expostulationes cum Deo, aut impiæ exprobrationes desertionis Dei, quales sunt Gentium illæ interrogationes aut insultationes: Vbi est Deus eorum? Sed sunt piæ & obedientes petitiones, aut excitatiões diuinæ opis, quæ iam in tã tristi captiuitate sopita uidetur, qualis est illa in Psal. lxxxviij. Vbi sunt misericordiæ tuę antiquę Domine? Et apud Hier. cap. ij. exprobrat Dominus populo, q̃ non dixerint, Vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti? Primum igitur docemur hoc loco, q̃ quo grauior est afflictio, eo maiori uehementia & fiducia properandum est precibus ad Dominum Deum nostrum. Impij cum affliguntur, existimant Deum tanto alienatiori ab ipsis animo esse, quanto maior est afflictio, ideoq; non properant ad Deũ Inuocatione nominis eius, sed potius fugiunt eum, & execrantur non tam ipsum, q̃ omnia opera eius. Nostri aũt officij est, ut cogitemus Deum non idcirco immittere aduersa, ut pereamus, & abalienemur ab ipso, sed potius ut seruemur, & excitemur ad quærendũ Dominũ, quem nos ante aut deseruimus, aut frigide inuocauimus. Quare admoneamur exẽplo huius prophetici precatoris, ut in aduersis nõ recedamus longius a Deo per impietatem & execratiõnẽ, sed accedamus propius ad Deum per inuocationẽ, quo accipiat occasionẽ, quã immittẽdis in nos aduersis quęsiuit, liberãdi nos, & seruãdi in oĩbus ærũnis. Deinde docet nos hic locus, q̃ fides nostra

Psal. 79. & 113.

ſtra excitetur & confirmetur in præſentibus periculis, commemoratione ueterum beneficiorum Dei. Quæ enim Deus confert beneficia uel publice in Eccleſiam ſuam, uel priuatim in membrum Eccleſiæ, ea ſunt exempla, non ſolum præſentis, uerumetiam futuræ clementiæ Dei, quæ unicuicꝫ inuocanti Dominum in ueritate, præſtanda ſit. Itaqꝫ ea exempla, ſunt uiuæ beneficiorum Dei promiſſiones, quæ ad omnem Eccleſiæ poſteritatem pertineant. Duxiſti (inquit) populum tuum. In quem finem, aut uſum? Additur. Vt faceres tibi nomen gloriæ. Quæſo autem te, num Deus tam ambitioſus eſt, ut nihil rerꝫ mirabilium agat, niſi ſuę glorię compendio? Non certe quærit humanã gloriam aut laudem, pro carnalium hominum cupiditate. Quid enim conferret ei laudatio cineris & puluerís? Sed quærit glorioſum nomẽ propter homines afflictos, miſeros & abiectos, ut hi gloria clementiæ & ueritatis Dei excitentur ad inuocandum eum, & ad accipienda beneficia ſalutis eius, quam omnibus fruendam proponit. In Pſalmo dicitur. Accedite ad eum & illuminemini, & facies ueſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dñs exaudiuit eũ, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Et Paulus. Ideo miſericordiã ſum adeptus, ut in me primo oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam, ad exprimendũ exemplar his qui crediturí eſſent in ipſo in uitam æternam. Et, Deus eripuit nos ex tãta morte, & eripit, in quo ſpem fixam habemus, qꝫ & poſthac erepturus ſit &c. Et teſtificatur alias Paulus diſerte, qꝫ quæcunqꝫ præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſint, ut per patiẽtiam & conſolationẽ ſcripturarꝫ ſpem habeamus. Quare exempla diuini auxilij in aduerſis, quæ nobis uel ſacra ſcriptura, uel ipſa rerum experientia proponit, non ſunt perſonalia, quæ non egrediantur perſonas illas, in quibus ædita ſunt, ſed ſunt uniuerſalia, quę pertineant ad uniuerſam Eccleſiam. Modus quidem, & tẽpus, & reliquę circũſtantię miraculorꝫ & auxiliorꝫ Dei ſunt magna ex parte perſonalia. Sed liberatio & ſalus Dei ſunt uniuerſalia, quę unicuiuis inuocanti Dñm ex fide cõtingunt. Omnis enim (inquit) qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.

Pſal. 33.

1. Timot. 1.

2. Cor. 1.

Rom. 15.

VBI EST ZELVS TVVS, ET FORTITVDO TVA? &c. Pergit interrogatiunculis, aut potius querelis opẽ Dei quærere, et implorare. Recitat aũt ea uerba, quorꝫ pene ſingula admonent ipſum promiſsionũ Dei, quibus & ſuã fidem cõfirmet, et Deũ ad ferendã opem excitet. Vbi eſt, inquit, zelus tuus, & fortitudo tua? Zelus nõ eſt ſimplex & frigida dilectio, ſed uehemẽtiſsima & ardẽtiſsima, ut ad tuendã et cõſeruandã rem dilectã exponas etiam uitã tuam extremis periculis. Sic & Deus dilexit Iſraelitas. Non, n. tã frigide erga ipſos affectus

fuit, ut non fuerit ei curæ, quid de ipsis ageretur, sed tam ardenti amore eos complexus est, ut susceperit propter ipsos bella cum gentibus & regibus earum, ac deleuerit eos, quo Israelitæ sui seruarentur. Sic enim dicit Moses Deut. vij. Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris, de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. quia Dilexit uos Dominus & custodiuit iuramẽtum, quod iurauit Patribus uestris &c. Et quid plura? Deus zelum suum erga populum Israel, & fortitudinem suam, qua eos tutatus est, tam euidentibus argumentis, in liberando eos ex Ægypto, in submergendo Pharaone in mari rubro, in conseruandis ipsis in deserto, in delendis regibus terræ Canaan, in defendendis eis ab omnibus finitimis populis, declarauit, ut in toto orbe terrarum perspectũ fuerit, Deum hunc populum singulari prę omnibus nationibus huius terræ, amore prosequi. Quid referamus alia, quæ postea acciderunt? Sumamus testimonium zeli & fortitudinis Dei, ex propinquo. In quantam difficultatem, in quãta discrimina coniecit Sanecherib Assyrius Regem Ezechiam, & ciues eius? Sed in his extremis periculis ostendit Deus zelum, quo ardet erga populum Israel, & fortitudinem suam, qua eos tuetur. Misit enim angelum in castra Assyriorum, qui in una nocte interfecit cẽtum octoginta quinq; millia hostium, & Assyrius necesse habuit deploratis rebus suis turpissima fuga consulere. Quæso igitur te, Domine Deus noster, ubi ubi sit zelus ille tuus, & fortitudo, proferas ea nunc in medium, & liberes nos e tantis ærũmnis captiuitatis nostræ.

MVLTITVDO VISCERVM TVORVM, ET MISERATIONVM TVARVM &c.

Conqueritur quidem q; Deus exhibeat se erga captiuos durum & implacabilem. Multitudo, inquit, uiscerum tuorum, et miserationum tuarum cõtinent se super me, hoc est, duriter se erga me gerũt, et abstrahũt se a me, ac uidentur mihi denegare opem suam. Vtitur autem ijs uerbis, quibus in tanta dei duritia magis clementiam Dei agnoscat, q; eum crudelitatis accuset. Nam cum ait, Multitudo uiscerum & miserationum tuarum abstinent se a me, an non est pugnãtia, (ut dici solet) in adiecto? Quomodo enim multitudo uiscerum & misericordiarum Dei potest teneri, quo minus afflicto, & misero succurrat? Nam Deus idcirco dicitur esse multæ clementiæ & misericordiæ, quod subueniat afflictis, inuocantibus ipsum ex fide. Et quanquam aliquoties irascitur, tamen tanta est multitudo misericordiæ eius ex animo, ut non possit iram diu retinere. Quomodo dabo te, (inquit Dominus in Hosea) Ephraim? Hos. xi. tradam te Israel? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te, ut Zeboim? Inuersum est in me cor meũ, pariter cõturbata est pœnitudo mea,

mea. Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar, ut disperdam Ephraim &c. Quare & si precator noster conqueritur Deum teneri, quo minus captiuis subueniat, tñ quia facit mentionem Viscerum & Miserationũ Dei, idq; nõ simpliciter, sed multitudinis earum, haud obscure significat, se admonitu horum nominum, pro certo credere, q; Deus non possit diu hanc præsentem suam duriciem simulare. Sic & Abacuc dicit: Cũ iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Et Hieremias in θρήνοις. Nõ repellit in sempiternum Dominus. Si abiecit, etiam miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

TV ENIM PATER NOSTER, ET ABRAHAM NESCIVIT NOS &c.

Etsi durus nobis uideris, & cõtines apud te misericordiam tuam, ut eam non sentiamus, tamen in tantis nostris ærumnis ad te solum respicimus, te solum inuocamus, ad tuam solius opem confugimus. Tu enim solus uerus es Pater noster. Habemus quidẽ Patres, iuxta carnem, Abrahamum, & Iacobum, qui dictus est Israel, Sed hi non possunt nos in his grauissimis aduersis nostris iuuare. Cum enim defuncti sint hac corporali uita, nesciunt nos, ignorant nos, res nostræ non sunt eis curæ, nõ afficiuntur his molestijs, quibus nos in hoc mũdo premimur. Tu autẽ Domine, solus es uerus noster pater, qui afficeris sensu calamitatum nostrarum, & solus uerus es Redemptor noster, qui nos ex omnibus aduersis liberare potes. Hoc nomẽ, hoc Epitheton, uidelicet, q; uoceris PATER, & REDEMPTOR, non est recens de te uulgatum, sed a seculo, ab antiquo, iam inde ab initio humani generis decantatum. Ego dixi (inquit) dij estis & filij excelsi omnes. Et, Filius meus primogenitus, Israel. Nã quod te Patrem uocas, significas te habere seruandi nos VOLVNTATEM. Q; autem uocas te Redemptorem, significas te una cum uolũtate habere etiã seruandi FACVLTATEM. Itaq; & VIS, & POTES nos seruare. Te igitur solum merito inuocamus, & tuam solius opem iure imploramus. Hic cõsiderandum nobis est, quod Inuocare Deum, ut Patrem, quemadmodum est summus & Deo gratissimus cultus, ita autor est omnis ueræ & cœlestis fœlicitatis. Nam fieri non potest, quin Deus eum, qui inuocat ipsum uere et ex animo ut patrem, uicissim agnoscat ut filium, & constituat eum in hæredem bonorũ suorũ. Quicũq; inquit, honorificauerit me, glorificabo eũ. Quid autem adoptato filio Dei, & designato hæredi eius deesse potest? Quid non fœlicitatis, quid nõ salutis, & beatitudinis eũ manet? At enim hæc inuocatio Dei, ut Patris, non constat proprie uerbis in ore natis, sed constat spiritu & ueritate. Vnus. n. solus est Iesus Christus, Dñs noster, qui Deum natura sua Patrem uocat. Quod si aũt reliqui homines uoluerint Deum uere ut Patrẽ inuocare, Spiritu Iesu

Christi, naturalis filij Dei præditi sint, necesse est. Qui spiritu Dei ducuntur, inquit Paulus, hi sunt filij Dei. Nō enim accepistis spiritū seruitutis iterū ad timorē, sed accepistis spiritū adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Idem spiritus testatur una cum spiritu nostro, quod simus filij Dei, &c. Donamur autem spiritu Christi, cum credimus Euangelio, quod Christus filius Dei traditus sit propter peccata nostra, & resurrexerit propter iustificationem nostri. Quare necesse habemus Euangelio Christi operam dare & ueram ei fidem adhibere, ut spiritu Christi donati, Deum uere & ex animo ut Patrē inuocare audeamus & possimus. Deinde, hic locus aperte damnat Inuocationem mortuorum. Si enim mortui possent in aduersis, quæ uiuentes in hoc seculo sustinent, aliquid opis conferre, quod opportunius tempus fuisset, quo Patriarchæ Abraham, Isaac & Iacob, posteris suis subuenire debuissent, quam cum hi a Babylonijs tam immaniter tractabantur, & in seruitute atq; captiuitate miserrima detinebantur? Et si mortuos inuocare liceret, quomodo non uertisset se precibus suis noster precator in Babylonica captiuitate, ad maiores suos Abraamū, & reliquos Patriarchas, ut intercessione sua mitigarent iram Dei, & conferrent operam suam ad captiuorum liberationem? præsertim cum non ignotum esset, quod Deus uocasset se Deum Abraam, Isaac & Iacob. Sed uides hic nostrum precatorem, non simpliciter Deum inuocare, uerumetiam Patriarchas reijcere. Tu (inquit) Pater noster es, Abraham enim nescit nos, & Israel seu Iacob ignorat nos, Negari quidem nec potest, nec debet, quin sancti Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli, fuerint Deo acceptissimi, & contulerint multa beneficia, cum adhuc uitam in terris agerent, in Ecclesiam Dei, ac propagarint ueram doctrinā pietatis, & multa insignia uirtutum exempla ad posteros suos, adeoq; nūc fœliciter in Christo seruatore nostro quiescant ac uiuant. Quarum rerum diligenter meminisse, & Deo pro tantis beneficijs magnas gratias agere, & tantorum heroum fidem ac uirtutes imitari, officium est, & nostra uocatione dignum, & Domino Deo nostro gratissimum. Inuocare aūt eos, ad impetrandam nobis gratiam Dei, & ad conferendam nobis opem in aduersis nostris, hoc demū manifeste pugnat cum eo officio, quod soli Domino Deo nostro per Iesum Christum filium eius, in spiritu sancto debemus. Sic em̄ dicit scriptura: Dñm Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. At enim (inquiunt) non adoramus Sanctos, ut Deum, sed inuocamus tm̄ ipsos ut intercessores, & conseruos nostros. Audio quidem hęc ita dici, ac distingui, sed res ipsa docet, q̄ talis Inuocatio sit adoratio. Quæ enim maiestas intercessionis soli Christo filio Dei debetur, eam tu transfers ad Sāctos, quos inuocas. Et an nō necesse est eum, quem inuocas, esse cordium scrutatorem, ut quæ tibi

Rom. 8. & Gal. 4.

præstanda

prȩstanda cupias, cognoscat? Cum autem solus Deus sit scrutator cordium, manifestum est, ꝙ quem alium, præter Deum, inuocas, eum tu Deum facias, & ut Deum adores. Sed Deus, inquis, patefacit eis meam petitionem. Cur ergo nõ primum omnium accedis inuocatione tua ad Deum, qui & primus omnium preces audit, & ne causeris tuam indignitatem, proponit tibi mediatorem & intercessorẽ Christum filium suum, ac uocat te ad se multa clementia, & magnis promissis? Et si sic in cœlis agitur, quod Deus patefaciat sanctis suis uota eorum, qui ipsos inuocant, cur hoc spiritus sanctus in nostro precatore ignorauit? Cur diserte dicit: Abraam nescit nos, Israel non nouit nos? Quin addere debuit, Tu ergo patefacias eis nostras has ærũnas in hac miserrima captiuitate: ut nobis subueniant? At huius rei nihil ne per somnium quidem uenit ei in mentẽ, sed simpliciter sinit Patriarchas in sua requie, & uertit se ad solum Dominum Deum nostrum. Tu Domine, inquiens, Pater noster, redemptor noster. Hoc tibi nomen a seculo. Fieri enim non potest, ut Deo placeat eã inuocatio, quæ se potius ad mortuos, quantũuis Sanctos, quam ad seipsum uertit. Quæ enim Deo placent, ea reuelauit Verbo suo, & exemplis scripturæ. Nullum autem uerbum, nullũ exemplum in uniuersa scriptura extat, quo commendatur Inuocatio mortuorum. Nam, quod dicunt Patriarcham Iacobum docuisse nepotes suos Ephraim & Manassen inuocare se, & Abraamũ, & Isaacum, cum ait: Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoꝙ patrum meorum Abraam & Isaac, produnt non tantum impietatem suam in Theologia, uerumetiã inscitiam & ignorantiam suam in grammatica. In eo enim loco inuocare non significat alterius opem implorare, sed usurpatur simpliciter pro Vocare, ut sit sensus. Ephraim & Manasse, uocẽtur deinceps meo & patrum meorum nomine, hoc est, adoptentur in meos & patrum meorum filiõs, ut cum alioqui non numerarentur distinctæ tribus in Israel, nec singuli caperent singulas partes hæreditatis in Israel, nunc, cum a me adoptentur in meos filios, singulorum familiæ habeantur pro singulis tribubus, & capiant singulas hæreditatis partes, perinde ac si nõ essent nepotes ex filio, sed immediati mei filij. Habes hunc locum non posse inuocatoribus mortuorum pãtrocinari. Cum autem nullum habeant suæ inuocationis, nec uerbum Dei, nec exemplum scripturæ, quomodo possunt eã ex fide facere? Fides em̃ ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Quicquid uero nõ ex fide, peccatum est. Reliquum igitur est, quod inuocatio mortuorum non solum non sit cultus Deo gratus, uerꝛetiam abominabilis & detestabilis. Nam quod alicubi maiores nostri doctrina & pietate insignes uerterũt se in cõcionibus suis ad collocutionẽ cum mortuis, aut secuti sunt uulgi errorẽ, quẽ tñ admoniti, nec defendissent, nec excu-

sassent,aut usi sunt Prosopopœia. Psalmus alloquitur solem, lunã, stellas,montes,colles,arbores,cedros, bestias,pecora,& multa alia, ac iubet ea laudare Dominum Deum nostrum. Laudate, inquiens, eum sol & luna,laudate eum omnes stellę & lumen. Et alius Psalmus alloquitur aquas,gelu,frigus,glaciem, niues ac fulgura quoque, & iubet,ut benedicant Domino. Quid igitur? Sumemus ne hinc exemplum, & instituamus nouum cultum Dei, in quo, quemadmodum in Litanijs,mortuorum inuocatricibus fieri solet, enumeremus singulas creaturas,etiam equos,& asinos, & boues, imo ligna & lapides,et circumeundo templa cantemus,alter quidem chorus,O bone asine:alter autem,Benedic Domino. Et iterum:O bone lapis, Benedic Domino. Quid ineptius? quid magis insanum, quam exusitata Grammatica loquendi figura instituere nouum & inusitatum Theologicum cultum? At nihil aptius aut sanius fecerunt hi,qui exemplo eorum maiorum,qui iuxta Grammaticam loquendi figuram, quam Prosopopœiam uocant,aliquoties allocuti sunt mortuos, instituerunt in Ecclesia cultum inuocandi mortuos. Nam si qui Prosopopœia sic usi sunt,ut hac locutione significarent mortuos, in Christo uiuentes,ingemiscere, suo quodam spirituali modo, pro salute nostra,quemadmodum Paulus ad Romanos scribens, testificatur omnem creaturam congemiscere, simulq; nobiscum parturire usque ad tempus liberationis nostræ,hi ut tolerabiliter locuti sunt,ita non habuerunt impiam sententiã. At uero mortuos,ut mediatores,& impetratores gratiæ Dei,& adiutores in periculis nostris tam corporalibus,quam spiritualibus Inuocare,& hanc Inuocationẽ Deo pro cultu ipsi grato obtrudere,hoc demum nec cum uerbo Dei,nec cum exemplis Scripturæ,aut maiorum uere piorum consentit. Quare uertamus nos inuocatione nostra ad solum Dominum Deum nostrum per Iesum Christum, uerum & solum mediatorem, ut nomine eius uere,quod petimus,impetremus.

QVARE ERRARE NOS FECISTI DE VIIS TVIS, INDVRASTI COR NOSTRVM &c.

Quid? hoccine est humiliter precari, sic impudenter cum Deo expostulare, & errata nostra ei imputare? Ostendimus supra,quod hæc precatio constet ex antithesi præteritorum beneficiorum Dei, & præsentium suppliciorum. Cum igitur precator commemorauerit iam paternam Dei clementiam, quæ est summum beneficium, erga Ecclesiam suam: Tu Domine,inquiens, Pater noster, Redemptor noster,hoc nomẽ tuum est a seculo,addit nunc alteram partem antithesis de grauitate iræ Dei. Est autem hæc sententia. Tu quidẽ solus es Pater, & seruator & liberator noster,& exhibuisti nobis hactenus

hactenus multa, magna, & insignia argumenta paternæ tuæ erga nos beneuolentiæ. Nunc autem reipsa in hac durissima captiuitate comperimus, quod exarserit in nos ira tua uehementissime. Quare enim fecisses nos errare de uijs tuis, & indurasses cor nostrum, ne timeremus te, si non grauissimam iram aduersus nos cõcepisses? Ex hac paraphrasi uides hic non esse impiam expostulationem, sed piam querelam de grauitate diuinæ iræ. Sicut & alias Psalmus conatur Deum non ualde dissimili querela ad conferendum auxilium suum excitare: Exurge, inquiens, Quare obdormis Domine? Quare auertis faciem tuam, obliuisceris inopiæ & tribulationis nostræ?

Quæ autem precator noster sic cõqueritur de grauitate diuinæ iræ, ut uideatur Deo imputare causam peccati, pro certo tenendum est, quod Deus nullius peccati aut impietatis autor sit. Nõ enim Deus, inquit Psalmus, uolens iniquitatem tu es. Cur ergo dicit: Quare fecisti nos errare de uijs tuis, & induraſti cor nostrum, ne timeremus te? An nõ est peccati autor, qui homines a recta uia seducit, et reddit eos ἀθέους? Alij sic respondent, quod hæc uerba significent tm̃ permissionem, uidelicet, quod Deus non faciat errare, sed tantũ errare permittat, & nõ induret ipse cor, sed tm̃ indurari permittat. Sed quid, si quis obijciat, causam peccati solere & illi imputari, qui cum possit peccatum prohibere, fieri permittit? Existimo igitur, quod nõ absurde sic responderi possit, ut distinguamus inter se peccatum, & supplicium peccati. Nihil enim certius, nihil firmius est, quam quod peccatum, quatenus est peccatũ, nequaq̃ sit a Deo, sed a Satana, & homine, per Satanam impulso. Quatenus aũt peccatum seu actio peccati, est peccati supplicium, negari nõ potest, quin sit ab autore Deo, qui omnia administrat, & in quo sumus, uiuimus & mouemur, & sine cuius uolũtate nec passer, nec capillus in terrã cadit. In iij. lib. Reg. ca. xxij. dat Dñs spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum Ahab. Manifestum autem est, quod Deus non sit autor mendacij, sed mẽdacio antea a Satana excogitato utitur Deus ad puniendã impietatem Ahab. Itaq̃ nihil Deo, cum mendacio, quatenus est peccatum. Multum aũt ei, cum mendacio, quatenus est peccati supplicium. In Ezechiel. cap. xiiij. dicit Dñs. Propheta, cum errauerit & locutus fuerit uerbum, ego decepi eum. Quid? Decipit ne Dñs uerax Prophetas, & reddit eos mendaces? Nõ certe hoc facit, quia sit autor mendacij, sed quia sit punitor impietatis. Meretur enim impietas decipi, & mendacijs seduci. Paulus ad Rom. scribens, dicit Deum tradidisse gẽtes in cupiditates ignominiosas, & in reprobam mentem. Dicemus igitur Deũ esse autorem malarũ cupiditatum, & reprobæ mentis? Nihil minus. Sed dicendum est eum his supplicijs impietatem punire. Cum crederẽt, inquit, esse sapientes, stulti facti sunt, mutaueruntq̃ gloriam immor Rom. 1

talis Dei per imaginē &c. Quapropter tradidit illos Deus ī cupidita tes cordiū ſuorꝝ. Vides ꝙ tradi ī cupiditates cordiū ſit ſupplicīū im pietatis. Et mox ſequitur: Quēadmodum nō ꝓbauerunt, ut Deū agno ſcerēt, ita tradidit eos Deus in reprobā mentē. Habes iterꝝ, ꝙ tradi in mentē reprobā ſit pœna neglectus & contēptus Dei. Et ād Theſſal. ſcribit. Pro eo ꝙ nō receperūt amabilē ueritatē, ī hōc ut ſalui fierēt, ꝓpterea mittit illis Deus efficacē illuſionē, ut credāt mēdacio. Certe illudere, ad credendū mendacio, Satanicū eſt. Sed quod Satan male & impie excogitauit, eo Deus ad puniendū contēptum uerbi ſui bñ & pie utitur. An nō et homicidiū pctm̄ eſt aduerſus hanc legem: Nō occidas? Sed cū homicidiū infertur graſſatori, iuxta legitimā Dei or dinationē, non iā eſt pctm̄, ſed pœna pcti, ideoq; iudex graſſatorem occidens, nō eſt iniuſtus homicida, ſed iuſtus homicidiī punitor. Sic & in hac precatione, Deus ſeducit Iſraelitas in errores, et indurat cor da eorꝝ, ne timeāt Deū, quia Iſraelitę nō ſolū impudēter peccabāt ad uerſus uerbū Dei, uerꝝetiā deridebant Prophetas & perſequebātur eos, ꝙ reprehenderēt ipſos pctī, & minarētur eis captiuitatē, niſi reſi piſcerēt. Mittebat, inq̄t ſcriptura, Dñs Deus patrꝝ ſuorꝝ, ad illos per manum nunciorꝝ ſuorꝝ, de nocte cōſurgens, & quotidie cōmonens, 2. Paral. 36. eo ꝙ parceret pōpulo, & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabāt nūcios Dei, & paruipendebāt ſermōes eius, nullaq; eſſet curatio. Cū igitur tāta eſſet Eccleſię populi Dei impietas & crudelitas, ut pctīs ſuis ad derēt contēptum uerbi Dei, & perſecutionem Prophetarꝝ, teneri am plius nō potuit Deus ꝙn ſuſciperet eccleſiā ſuā puniendā. Sed quō? Facit eos errare, & indurat corda eorꝝ, ne timeant Deū. Ex una. n. par te, quia nō uolunt ſequi uerbi Dei probitatē, tradit eos in reprobam mentē, ut facerent, quæ nō conueniebat, repleti omni iniuſticia &c. Oſtendimus. n. antea ex Paulo, ꝙ tradi in reprobā mentē ſit ſuppli cium peccati. Ex altera parte, quia nō uolunt ſequi pia, honeſta & uti lia conſilia uerorum Prophetarꝝ, ſic excæcantur, ut ſequantur furio ſa falſorꝝ Prophetarꝝ, & ſuæ ipſorum mentis conſilia. In Deut. enim furor & cæcitas mentis ſunt peccati ſupplicia. Si nō audieris (inquit) uerbum Dñi Dei tui, percutiet te Deus amentia, cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & nō dirigas uias tuas. Vtiliſsimum ac omnino diuinum conſiliū erat, Hierem. 28. quod Hieremias dedit regi Zedekiæ, & ciuibus ſuis. Quicunq; mā ſerit in ciuitate hac, morietur gladio, fame & peſte: Qui aūt profuge rit ad Chaldæos, uiuet. Et ād Zedekiā: Si profectus exieris ad Prin cipes regis Babylonis, uiuet aīa tua &c. Si autem non exieris ad Prin cipes regis Babylonis, tradetur ciuitas hęc in manus Chaldæorꝝ etc. Sed quia tam Zedekias q̄ Principes & populus eius fuerūt impiī cō tēptores uerbi Dei, idcirco cōīcit eos Deus in tantā cæcitatē & furo

rem,

rem,ut non ſolum nõ ſequantur hoc diuinum Prophetæ cõſilium, uerumetiam poſtulent Prophetam ad necem. Interea autem exiſtiment ſeſe maxime omnium ſapere,& Deo confidere. Allegabant exemplum Ezechiæ,qui non aperuiſſet Saneheribo portas urbis Hieruſalem,nec ſe ei tradidiſſet. Vociferantur: Templum Dõmini,templum Domini, templum Domini, ſignificantes uidelicet, fieri non poſſe, quod Chaldæi expugnent eam urbem, in qua eſſet templum Domini. Sed furor eſt,nõ ſapientia, aliena exempla,cõntra uerbum Dei ſequi. Et carnalis ac maledicta confidentia eſt,non uera & ſpiritualis fiducia, collocare quidem ſpem ſuam in lapideo templo,interim autem ueram doctrinam, quæ in templo ſonabat, perſequi,& impudenter in peccatis pergere. Quare, &ſi ſeducere in errores, & facere homines reprobos ac ἄθεους, ſunt opera Satanæ, & horrenda peccata,tamen cum ſuſcipiuntur in manus Dei, non ſunt peccata,ſed peccatorum ſupplicia,quæ merito inferuntur his, qui admõnitu uerbi Dei,nullo modo reſipiſcere uolunt. Recte Auguſtinus,Mala,inquit,ſinuntur eſſe,ad demonſtrandum,quam poſsit & ipſis bene uti iuſticia prouidentiſsima creatoris.

Sed cum hæc ſit communis precandi formula captiuorum in Babylonico Imperio,quomodo uerba iſta: Quare feciſti nos errare a uiis tuis &c. cõpetunt pijs? Multi enim fuerunt in captiuitate Babylonica,ut Ezechiel,Daniel,& alij, qui non errauerunt a uijs Domini,nec fuerunt ἄθεοι, aut ſine timore Dei. Quomodo igitur hæc formula iubet eos dicere: Induraſti cor noſtrum,ne timeremus te? Alij ſentiunt hæc & ſimilia loca eſſe Synecdochen, qua totum pro parte intelligitur,in quorum locorum catalogo recenſent etiam illa: Omnis homo mendax. Et, Omnes declinauerunt, &c. Sed ubi agitur de peccatis per ſe,coram ſeuero et iuſto iudicio Dei,ibi nullus hominũ, ac ne quidem,quod ad naturam eorũ attinet,excludi debent. Etſi enim pij renati ſunt ex Spiritu ſancto,& non deſignarunt horribilia & immania illa externa ſcelerã,quæ impij deſignare ſolent,tamen peccatũ natura carni eorũ ita inhęret,ut niſi potenti manu Domini cohiberentur,teneri non poſſent,quin data occaſione,in eadem,aut potius grauiora ſcelera ruerent. Vna enim eſt omnium hominum maſſa, quæ propagatione peccati primi parentis noſtri,ita corrupta eſt,ut quẽadmodum pctm̃ nõ potuit,niſi morte filij Dei expiari;ita nõ poſsit,niſi morte carnis,cui inhæret,totum abijci. Hinc ſunt illa dicta ſcripturæ: Nõ intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificatur in cõſpectu tuo omnis uiuẽs. Et, Oẽs peccauerunt ac deſtituuntur gloria Dei. Et, Cõcluſit Deus oẽs ſub incredulitatẽ. Et, Si dixerimus,pctm̃ non habemus,nos ipſos fallimus,& ueritas in nobis nõ eſt. Non docet nos Apoſtolus hypocriticam & ficticiam humilitatem, qualem

Monachi ostentare solent, qui cum sentiant in latebris cordium suorum, se iusticia sua sustentare ruentem Ecclesiam, tamen uerbis profitentur se miseros peccatores. Hæc est execranda humilitas, & fœtidissima arrogantia: sed docet nos certissimam ueritatem ingenue fateri. Nihil enim uerius est, quam quod etiam sanctissimi homines, peccatum adhuc in carne habeant, quod & si non imputatur eis propter Christum, in quem credunt, & cuius spiritu peccatum mortificant, tamen si remota Dei misericordia iudicarentur, nõ possent sententiam æternæ condemnationis, multo minus temporalium afflictionum effugere. Quare quemadmodum præcipui pij hoc tempore necesse habent, cum uniuersa Ecclesia, in oratione Dominica dicere, Remitte nobis debita nostra, ita Ezechiel, Daniel, & alij pij in captiuitate Babylonica, etiamsi non sic aberrauerunt a uia Domini, nec sic indurati fuerunt, sicut multi impij, tamen non potuerunt se ex ista precationis confessione eximere, propterea quod nec ipsi satis directe in uijs Domini ambulauerint, nec tantum timerent Dominum, quantum lex Dei ab ipsis exigit. Et si Deus suscepisset de ipsis sententiam secundum ueritatem iudicij sui ferendam, non minus fuissent coniecti in errores & Indurationem, quam reliqui: Imo, soli pij possunt hanc precationis particulam uere cõmemorare. Hi enim soli uere agnoscunt suam ipsorum impietatem, & intelligunt aliqua ex parte, quanta ipsis supplicia tam corporalia, quam spiritualia debeantur. Neque enim ignorant, quid sibi uetus ille, & uerus sermo uelit: Aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est. Et, Qui uestrum immunis est a peccato, primus in illam lapidem iaciat. Et, Putatis, quod hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico uobis. Imo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Quare tantum abest, ut Ezechiel, Daniel & alij pij in Babylone potuerint aut debuerint se ex hac precationis particula excipere, ut nemo rectius ac uerius eam recitare potuerit.

CONVERTERE PROPTER SERVOS TVOS, TRIBVS HÆREDITATIS TVÆ.

Recitauit grauitatem supplicij. Implorat igitur nunc auxilium DEI, & petit liberationem. Abduxisti, inquit, nos a uijs tuis, & induraſti cor nostrum, ne timeremus te. Hoc supplicium grauius est, quam ut ferre queamus. Rogamus igitur te, ut conuertas te ad nos fauore tuo, & reducas nos in ueram uiam, ac inclines cor nostrum, ut te uere timeamus, & Verbo tuo obediamus. Hoc autem facias, propter seruos tuos, & propter tribus Israelis, quæ sunt hæreditas tua. Quid hoc? An non Deus propter tribus Israelis, quæ impie egerunt, ad hanc iracundiam excitatus est?

est? Quã ergo fronte rogatur, ut propter eas redeat cum ipsis in gratiam? Parcat ne Deus Ecclesię suæ, propter eos, propter quorum impietatem coniecit eam in tantas ęrumnas? Tale quiddam hoc est, quale esset, si fures pro furibus apud iudicẽ intercederẽt, & rogarent, ut his propter ipsos parceret. An non hæc impudentia excitaret iudicem ad indignationem potius, quam ad clementiam? Sciamus igitur, quod cum precator rogat Deum, ut faueat, propter tribus Israelis, non iactat aliquam harum tribuum Iusticiam aut Sanctitatem, quam Deus respiciat. Nihil enim his magis impium fuit. Cum sis, inquit Moses, durissimæ ceruicis populus. Et Stephanus: Vos semper spiritui sancto resistitis, sicut Patres uestri ita & uos. Sed appellat ad promissiones Dei, quæ his tribubus dictæ sunt, & ad ueritatem atque clementiam Dei. Dixit enim Deus de his tribubus: Ego ero Deus eorum. Et, Filius meus primogenitus, Israel. Et alias uocantur Israelitæ, peculiaris populus Dei, & hæreditas Dei, propterea quod ex omnibus Gentibus elegerit eos, ut essent custodes promissionum eius de Messia, & propagarent eas ad posteros, & ut Messias ex ipsorum Gente nasceretur. Cum igitur precator proponit Deo Tribus Israelis, admonet eum, non iusticiæ earum, cum nullam prorsus haberent, sed promissionum, ueritatis & clementiæ eius, ut liberet Israelitas ex tam dura seruitute, propter sui ipsius nominis gloriam, ut cum promiserit se hunc populum, pro hæreditate sua agnoscere, non iudicetur a Gentibus mendax & crudelis, si destituat ipsos suo auxilio in hac captiuitate. Sic & Moses intercedit pro Israelitis, & orat Dominum, ut recordetur Abraami, Isaac & Iacob seruorum suorum, non uidelicet hoc uolens, ut Deus respiciat iusticiam hõrum Patriarcharum, & parcat posteris propter maiorum iusticiam, sed ut respiciat promissionem & pactum, quod cum his Patriarchis inierat. Vnde & in oratione Mosi sequitur: Quibus iurasti per temetipsum dicens. Multiplicabo semen uestrę sicut stellas cœli &c. Exod. 32

QVASI NIHILVM POSSIDERVNT POPVLVM SANCTVM TVVM &c.

Nonnulli hoc sic uertunt: Paruõ tempore possedit populus tuus sanctus, uidelicet, Sanctuarium seu hæreditatem, quam dedisti eis. Sed quia mox sequitur de hostibus, qui conculcauerunt sanctuarium Domini, ideo rectius uidetur Præceptor noster sanctæ memoriæ D. Lutherus sic uertisse: Propemodum possiderunt (hostes nostri) populum sanctum tuum, &c. Redit aũt precator iterum ad cõmemorationem calamitatũ, quibus affecti sunt a Babyloniis, ut eo maiori uehemẽtia ad liberationis precationẽ excitetur, & assurgat. Rẽmisserimã et indignissimã, inqt. Babyloniũ, qui sunt gens impia, quę te

uerum Dominum Deum noſtrum nec nouit, nec inuocat, redege/
runt pene uniuerſum populum tibi ſoli Sanctificatum, in ſuam po/
teſtatem, & conculcauerunt & combuſſerunt templum Sanctum tu
um, & urbem tuam Hieruſalem Sanctam. Omnia ſunt Sancta, Po/
pulus, Templum, Vrbs Hieruſalem, & tamen conditio eorum ita
mutata eſt, ut prophaniſsima gens contaminauerit ea, nec nos alio
loco habeamur, quam ſi Deus, qui nos in populum ſuum elegit, nõ
amplius agnoſceret nos, nec dominaretur noſtri, nec nos uocaremur
populus eius, quemadmodum olim eramus, cum Abraham Pater
noſter nondum acceperat promiſsionem de ſua poſteritate, & cum
Ioſue 24. adhuc Patres noſtri in Meſopotamia ſeruirent diis alienis. Sicut au/
tem antea implorat opem Dei propter tribus Iſrael, ita nunc uocat
populum Iſrael, populum SANCTVM, ut hoc epitheto non
tam fidem ſuam confirmet, quam ut excitet Deum ad iram aduer/
ſus Babylonios, quod indigniſsimum ſit, ut gens tam prophana, &
a Deo aliena, exerceat tantam crudelitatem in gentem Dei Sanctam.
Sed quemadmodum ſupra non iactauit nomine Tribuum Iſrael Iu/
ſticiam populi coram Deo, ita nec nunc epitheto Sancti gloriatur
coram Deo de ſanctitate operum populi. Manifeſta enim erat pro/
phanitas morum, & impietas, propter quam Iſraelitæ in exilium e/
iecti erant. Non confert Iſraelitas & Babylonios in uitæ honeſtate
& pietate. Vtrobique enim erant peccatores & ſcelerati: ſed con/
fert eos in religione, & religionis doctrina. Nam apud Babylonios
religio non erat niſi Idolatria, & doctrina religionis erat manifeſte
impia. Nec electi erant Babyloniꝭ a Deo, ut eſſent ea gens, e cuius
poſteritate naſceretur Chriſtus filius Dei, humani generis ſeruа/
tor. Quare merito dicuntur prophani. Iſraelitæ autem, & ſi & ipſi
duxerunt inhoneſtam uitam, & ſectati ſunt idola, tamen electi e/
rant a Deo, ut ex poſteritate eorum deſcenderet Chriſtus, & exta/
bant apud ipſos uera doctrina de Religione, & uera ſacra uerbo Do
mini definita. Recte igitur uocatur populus Sanctus, non ſecundum
uitæ ſanctitatem, ſed ſecundum uere ſanctæ religionis profeſsio/
Exod. 19. nem. Vnde & in Exodo dicitur: Vos eritis mihi in regnum ſacerdo
tale, & gens ſancta. Et iterum: Sculptilia eorum comburite, quia
populus ſanctus es Domino Deo tuo. Sic & Eccleſia DEI, quæ
nunc eſt in terris, uocatur Sancta, non quod nihil habeat ſordium
peccati. Neceſſe enim habet ſemper orare: Remitte nobis debita no/
ſtra: ſed Sancta dicitur, Primum, quod ſit a Deo ex omni natione,
ad ueram ſui agnitionem ſelecta, & credat in unum illum uerum
Sanctum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cuius ſanctitas
imputatur ipſi per fidem. Deinde, quod dono ſpiritus ſancti expur
get reliquias peccati. Poſtremo quod creditum & commiſſum ei ſit

uere

uere ſanctum miniſterium prædicandi Euangelij, & diſpenſandi Sacrãmenta Chriſti. Quare, & ſi hæc Eccleſia ſua habet uitia & infirmitates, tamen cum opprimitur ab hoſtibus ſuis, recte de rei indignitate cum hoc precatore conquerimur, quod prophani noſtri hoſtes pene uniuerſum pōpulum Dei Sanctum ſuæ tyrannidi ſubijciant, & conculcent Sanctuarium Dei, & nos ſic tractemur, perinde ac ſi non eſſemus uera DEI Eccleſia, nec Chriſtus nos pro ſuo populo agnoſceret. Sed uideamus nunc, quo tendat illa precatoris querela, de populi Sancti oppreſsione. Non enim recitat eam, quod exprobret Deo deſertiomem, & accuſet eum mendacij ac uanitatis in ſuis promiſsionibus, ſed ut hac recitatione magis inflammetur, ad implorandam opem Dei, & maiorem fiduciã de uentura liberatione concipiat. Poſſederunt, inquit, pene uniuerſum populum ſanctum tuum, Conculcauerunt, & deuaſtarunt ſanctum templum & urbem tuam. Et omnino tractant nos, quaſi nunquam fuiſſemus ueri Dei populus. Quid hac re indignius? quid magis inuerſum? O utinam ergo, dirumpas, Domine Deus noſter, cœlos, & deſcendas ad uindicandam tantam rerum indignitatem, & inuerſionem. Quondam, cum maiores noſtri premerentur in Ægypto grauiſsima ſeruitute, teneri non potuiſti, quin de cœlo deſcenderes, ut liberares eos de manibus Ægyptiorum. Deſcendiſti autem, nec obſcurus, nec inglorius, ſed tam illuſtri maieſtate, ut nomen tuum, non ſolum Eccleſiæ tuæ, ſed etiam hoſtibus tuis & alienis gentibus innoteſceret, ac terribile fieret. Primum enim edidiſti magna & ſtupenda miracula in Ægypto, ut Ægyptij ad ea cohorreſcerent. Deinde in egreſſu maiorum noſtrorum ex Ægypto, aquas maris rubri ita ſcidiſti, ut ipſi quidem ſicco pede traijcerent, Ægyptij autem aquis obruerentur. Præterea, cum daturus eras legem in monte Sinai, deſcendiſti in montem tanta maieſtate, ut quemadmodum feruefacta aqua a uehementiſsimo igni abſumi & abſorberi ſolet, ita mons Sinai uiſus ſit in deſcenſu tuo liquefieri, & abſumi. Totus, inquit ſcriptura, mons Sinai fumabat, eo ꝙd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace. Vtinam igitur, ut ſicut tunc deſcẽdiſti de cœlo, ad liberandum populum tuum ex Ægyptiaca ſeruitute, ita nunc dirumperes cœlos, & deſcenderes, ad liberandum populum tuum e captiuitate Babylonica, quo hoſtes tui manifeſte cognoſcerent gloriam maieſtatis tuę, & omnes Gentes ad mentionem nominis tui obſtupeſcerent, uidelicet, cum faceres præter omnem expectationem tam horrenda miracula, ut in deſcenſu tuo, ad liberandum nos, etiam montes a facie tua defluerent: Sicut olim cum deſcenderes ad liberandum populum tuum ex Ægyptiaca ſeruitute, uiſi ſunt

montes a facie tua defluere aut absumi. Nam hæc est solennis & uetus tua consuetudo iam inde ab initio orbis terræ usitata, quod in eos, qui ex fide te inuocant, & tuam opem obedienter ac patienter expectant, maiora & admirabiliora beneficia conferas, quam quæ uel uerbis exponi, uel auditu percipi, uel animo cogitari, aut intelligi, præterquam a te solo Domino Deo nostro possint. Cum igitur bonitas tua sit tam immensa, ut expectantibus te plura conferas, quam quæ petere ausint, non dubito, quin etiam nos sis e præsenti captiuitate longe admirabilius liberaturus, quam quispiam animo suo concipere possit. Hic initio uides, quis sit ueterum miraculorum usus. Deus liberauerat quondam Israelitas ex Ægypto magnis & inexpectatis miraculis. Confirmat igitur his miraculis precator noster fidē suam, ut speret etiam his suis temporibus Ecclesiam populi Dei, ex Babylone admirabiliter liberandam. Sed ut ueteribus miraculis ad confirmandam fidem in præsentibus periculis & afflictionibus recte utaris, initio curandum est, ut sis uerum membrum Ecclesiæ Dei, per fidem. Ea enim miracula nihil utilitatis afferunt impijs, & impœnitentibus. Non dubitō, quin eo tempore, quo Babylonij oppugnarunt urbem Hierusalem, multi in urbe iactauerint exemplum Ezechiæ, & miraculum æditum in Sanheribo, sed quia erant impœnitētes, & contemptores uerbi Dei, nihil ad eos hoc exemplum, aut miraculum. Deinde curandum est, ut in uocatione Dei ambules. Nam si quis prædo incurrat in robustum mercatorem, ad diripiendas opes eius, & consoletur se exemplo Dauidis, qui Goliathem forti animo aggressus superauit, huius fiducia uanissima esset, quia prædari, non est uocatio Dei. Præterea curandum est, ne circumstantias ueterum miraculorum transferas ad tuam, quam petis, liberationem, nec præscribas Deo modum, tempus, & alias liberandi circumstantias. Sicut Iudith dicit: Posuistis uos tempus miserationis Domini, & ad arbitrium uestrum diem constituistis ei? Non est iste sermo, qui prouocet misericordiam &c. Et mox: Humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi dicamus flentes Domino, ut secundum uoluntatem SVAM sic faciat nobiscum misericordiam suam &c.

Deinde quod dicitur: A seculo non audierunt, nec auribus perceperunt, oculus non uidit, Deus, præter te, quæ præparasti expectātibus te, Vel, quæ facit Deus expectanti ipsum, memorabilis est πώμ», quam & Paulus ad Corinthios scribens, prima Cor. secundo, ad commendandam magnitudinem cœlestis gloriæ, quæ continget credentibus in Christum, allegat. Patet autem latissime. Et ex una quidem parte damnat cæcitatem humani ingenij in cognoscendis rebus spiritualibus. Sicut & Paulus interpretatur: Loquimur, inquiens,

quiens, Sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula, in gloriã nostram, quam nemo Principum huius seculi cognouit. Et mox: Animalis homo, non accipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia siquidẽ illi sunt &c. Ex altera autem parte commendat immensam Dei clementiam & liberalitatem, qua uere in ipsum credẽtibus plura semper & maiora beneficia præstat, quam aut ipse uerbis promittit, aut humanus animus capere potest. Siue enim respicias promissiones de rebus corporalibus, siue de rebus spiritualibus & cœlestibus, siue quæ uniuersæ Ecclesiæ, siue quę priuatim uni & alteri promittũtur, Deus ea semper præstitit, ac præstabit, quæ præter ipsum, & cui ea per spiritum suum reuelare uoluerit, nullus hominum, nec uerbis exponere, nec auditu percipere, nec oculis cognoscere, nec animo cõpræhendere aut cogitatione complecti potest. Israelitis promissa erat liberatio e seruitute Ægyptiaca, priusq; in Ægyptum uenerant. Cũ igitur postea in Ægypto grauissime opprimerentur, repetitur quidem promissio, Sed cum Regnum Ægyptiacum esset eo tempore potentissimum, cogitabãt auditores, quomodo fieri posset, ut e tanta tyrãnide liberarẽtur. Quare, ut hi in officio continerentur, & in fide sua confirmarentur, respondendum eis fuit sententia huius Prophetici dicti: A seculo non audierunt, nec auribus perceperunt, nec oculus uidit, Deus, præter te, quæ prępara sti expectantibus te. Etsi enim hoc dictum nondum eo tempore sic literis mandatum extabat, tamen sententia eius semper fuit Ecclesiæ Dei per Spiritum sanctum nota. Promissa fuit Israelitis terra Canaã, sed habitabant in ea non potentes tm̃ reges, uerumetiam gigantes tantæ magnitudinis, ut præ eis Israelitæ uidebantur locustæ. Erant & in ea urbes longe oĩm munitissimę. Cũ igitur Israelitę cogitarẽt de huius ꝓmissionis impletione, & conferrent imbellem populum suũ, cũ tot ac tantis gigãtibus, qd aliud uenisset ipsis in mentẽ, q̃ ne conandũ, imo ne cogitandũ quidẽ esse, ut in eam terrã ingrediãtur. Sed respondendum eis fuit sententia huius dicti: Oculus non uidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus expectãtibus se. Promissa fuit ciuibus Hierosolymitanis liberatio ab exilio Babylonico, priusq; in exiliũ abducti erant. Neq; enim Deus permitteret, ut Ecclesię suę aliquid aduersi accideret, nisi antea prouidisset & cõstituisset, quibus modis eam seruaret ac liberaret. Sed cũ iam ciues Hierosolymitani in Babylone exularent, & uiderent Babylonicam Monarchiam potentiorem esse, q̃ quæ humanis uiribus deiici posset, nec ulla in toto orbe terrarum spes liberationis affulgeret, quid reliquum erat, nisi ut de liberatione animũ pene desponderent? Respondendum igitur eis fuit hoc dicto Prophetico: Oculus non uidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præpa-

Gen. 15. et 46.

Exod. 3.

Num. 13.

rauit Deus expectantibus se. Consideremus etiam singularia exem-
pla. Abraamo promissa erat multiplicatio seminis, Iosepho domina-
tio in fratres, Dauidi regnum Israelis. Sed cum ponerent sibi ob ocu
los, ille sterilitatem & senium suum, iste seruitutem et carceres suos,
hic exilium suum, an non carni uanissimũ uidebatur quod promis-
sum erat? Compescenda igitur fuit caro sententia huius Prophetici
dicti: Oculus non uidit, auris nõ audiuit, animus hominis non capit
ea, quæ Deus præparauit expectantibus se. Nam res ipsa testatur, q̃
& uniuersa gens Israelitarũ, & hi Patriarchæ longe admirabilius &
copiosius promissa sua acceperint, q̃ uel sperare, uel etiã cogitare po-
tuerint. Transeamus aũt a promissis rerum corporalium, ad promis-
sa rerũ spiritualiũ & cœlestium. Promittitur omni credenti in Chri-
stum, q̃ uiuat etiã in morte. Ego sum, inqt Christus, Resurrectio &
uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuit. Et oĩs, q̃ uiuit &
credit in me, nõ morietur inꝑternũ. Cogitãt igitur hoĩes, quæ & qua
lis sit illa uita? Vidẽt hoĩes per mortẽ destitui omni sensu & intelle-
ctu, ac plane truncos fieri. Quæ est ergo uita illa, qua adhuc uiuunt?
aut ubi uiuunt? His respõdendum est hoc Prophetico dicto: A secu-
lo non audierunt, neq̃ auribus perceperũt, neq̃ oculus uidit, Deus,
præter te, quæ præparasti expectantibus te. Promittitur credenti in
Christũ, non solum uita in morte, sed etiã resurrectio a morte, & per
petua cœlestis regni fœlicitas. Quæ si reuocantur in humanam men
tẽ, quas nõ absurditates obĳciunt? Quõ corpus resolutũ in cineres,
qui aliquoties in mille loca, in aquas diffluẽdi spargũtur, iterq̃ recol
ligetur, & uiuificabitur? Qualis erit resuscitatorũ uita? quid de cœlo
& terra fiet? Num animi gratia deambulabimus de cœlo in terrã, &
rursus de terra in cœlum? His & id genus alĳs cogitationibus obuiã
dum est hoc Prophetico dicto: Oculus non uidit, auris non audiuit,
nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus
se. Etsi enim Paulus addit: Nobis autem Deus reuelauit per Spiritũ
suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, tamẽ
postea capite decimotertio addit interpretationem: Ex parte, inqui-
ens, cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et mox: Cernimus nunc
per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, &c. Habes
usum huius dicti patere ad omnes Dei promissiones, ut non dubite
mus de fide & certitudine earum, etiamsi cum ratione humana pũ-
gnare uideantur, sed sciamus impletionem earum admirabiliorem
fore, quam captus hominis compr̃hendere queat.

Non simpliciter autem dicitur: Quæ præparasti, uel: Quod
fiet, aut, Quod faciet Dominus, sed diserte additur: Expectan-
tibus te, Vel sicut Hebræus habet: Expectanti ipsum, uel ut Pau-
lus ex Græca tralatione (quæ legisse uidetur לִמְחַכֵּה Limhabeh,

uel

uel לאהבה pro למחכה Limhakeh) legit, Diligentibus eum. Idem autem ſenſus manet, ſiue legas Expectantibus, ſiue Diligentibus. Qui enim Deum uere diligunt, obedienter expectant auxilium eius in aduerſis. Nam ad ſuſcipienda bona a Deo promiſſa omnino opus eſt EXPECTATIONE. Etenim Dominus Deus noſter, ut eſt uerax, & promiſsionum ſuarum ſeruantiſsimus, ita etiam eſt patiens & longanimis, partim, ut probet & exerceat fidem piorum, partim, ut prouocet impios ad pœnitentiam, quippe quod non uult, ut Petrus ait, ullos perire, ſed omnes ad pœnitẽtiam recipere. Cum igitur in promiſſa piorum liberatione, impij neceſſe habeant perire, & tñ Deus uelit omnes ſaluos fieri, non ſolum bonitas Dei, uerumetiã cognatio, qua homines inter ſe natura coniuncti ſunt, exigit, ut pij aliquandiu expectent euentum rerum promiſſarum, ſi forte interea tẽporis, uel aliquot ſaltem impij conuerterentur ad Deum, & cõſequerentur etiam ipſi ſalutem. Nec hęc expectatio poteſt pijs eſſe fraudi, ſed affert eis maxima commoda. Primum enim præſtant expectatione ſua Domino Deo noſtro cultum & officiũ gratiſsimum, quõ declarant obedientiam ſuam. Deus enim præceptis ſuis, non exigit tantum, ut non fureris, non committas adulterium, non occidas, uerum etiam exigit, ut in promiſsionibus ſuis impletionem patienter expectes. Nam cum dicit: Non habebis Deos alienos coram me. Et, Nõ aſſumas nomen Domini inuanum, iubet te tribuere ipſi gloriam ueritatis, & agnoſcere ipſum Deum ueracẽ, ac magis uerbo eius, quam minis Satanæ, aut præſentium periculorum fidem habere. Hoc autẽ eſt iubere, ne ſtatim ad unum & alterum afflictionis aſſultum abijcias Deum cum uerbo ſuo, ſed ut impletionem uerbi patienter expectes, & in officio uocationis Dei perſeueres. In Pſal. xxvi. dicitur: Expecta Dominum, uiriliter age, confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum. Et Pſal. xxxvi. Expecta Dominum & cuſtodi uiam eius, & exaltabit te etc. Et Abacuc ij. Viſio, ſi morã fecerit, expecta eam, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Quare, cum ſpiritus ſanctus toties iubeat nos Expectare promiſſa Dei, ſentiamus nos expectatione præſtare Deo cultum gratiſsimũ. Deinde expectatione probatur & exercetur in pijs fides, & inflãmatur Inuocatio. Quę officia, cum ſint Deo acceptiſsima, fieri non poteſt, ut expectatio ſiat uana. Poſtremo quo longius differtur promiſsionis impletio, eo glorioſius compẽſatur. Sicut enim pecunia ad uſuram collata, quo diutius apud menſarium commoratur, eo maiori cum fœnore ad dominum ſuum redit, ita quo diutius differtur diuinæ promiſsionis impletio, eo uberiorem & illuſtriorem affert ſalutem. Beati omnes, inquit Eſaias alias, qui expectant eum. Et iterum: Ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expectant eum. Et Paulus ait, momentaneam leuitatem Eſaiæ 30.

afflictionis noſtræ, parere æternum pondus gloriæ, dum non ſpectamus ea quæ uidentur, ſed ea quæ nõ uidentur. Quare tantum abeſt, ut pĩj expectatione ſua aliquam bonorum iacturam faciant, ut potius maiora bona & commoda conſequantur.

OCCVRRISTI LÆTANTI, ET FACIENTI IVSTICIAM, &c.

Alia antitheſis, qua opponuntur inter ſe ſuperioris temporis fœlicitas, & præſentis temporis calamitas. Tam fœlicia, inquit, tempora fuerunt quondam, ut quotquot te inuocabant læta conſcientia, & faciebant iuſticiam, & glorificabant te, ambulantes in tua uocatione, ĩjs occurreres tuo fauore, exaudires preces eorũ, & iuuares eos in omnibus aduerſis. Plus aliquid dicam: Seruabas nõ tantum iuſtos, ſed etiam iniuſtos. Etſi enim aliquoties iraſcebaris, quod peccaſſemus, & in peccatis diu perſeueraremus, tamen ſeruabamur a te, et cõſequebamur uel tandem ſalutem. Abraam, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & multi alĩj fuerunt iuſti Patriarchæ, & inuocauerunt te alacri fide, & læta cõſcientia. Quare occurrebas eis auxilio tuo in omnibus aduerſis ipſorum. Maiores noſtri Iſraelitæ, cum eſſent adhuc in Ægypto, peccabant grauiſsime, non ſolum uulgaribus ſceleribus, uerumetiam idolatria. Et tamen liberaſti eos. Cum ueniſſent in deſertum, nihil iuſtiores fiebant, Et tamen ſeruaſti eos. Cum iam terram ſuam accepiſſent, & in ea habitarent, concitabant te flagicĩjs ſuis in grauiſsimam iram. Etſi autem tradebas eos propter impietatem hoſtibus affligendos, tamen cum primum ad te conuerterentur, & ad te clamarent, exaudiſti eos, & reſtituiſti eos in priſtinam libertatem. Hæc fuit fœlicitas ſuperiorum temporum. Nunc autem uide, quam omnia ſunt in diuerſum mutata. His. n. temporibus, quibus eiecti ſumus in exiliũ, & traditi Babylonĩjs affligendi, nulla uidetur ratio, nec iuſti, nec inuocantis Deum haberi. Nos omnes ſiue iuſti, ſiue iniuſti tractamur ut immundi. Nam quemadmodum immundi in lege arcentur a publico conuictu & uſu ſacrorum, donec mundentur, Et qui eos attigerit, putat ſe contaminari: ita & nos omnes indiſcriminatim eiecti ſumus e ſanctis locis, & ſumus in oculis hoſtium noſtrorum tam abominabiles, ut exiſtiment ſe etiam aſpectu noſtri ſordidari. Non mirum eſſet, ſi ſoli impĩj & iniuſti inter nos, tam abominabiles haberentur. Nunc autem hoc non fictis lacrymis deplorandum eſt, quod etiam omnes iuſticiæ noſtræ (hoc eſt) omnes Iuſti inter nos, tractentur & abĩjciantur uelut impurus pannus menſtruatæ, a quo etiam uultum ſuum auertunt, quotquot eum forte uiderint: adeoque uniuerſi nos, non uulgus tantum, ſed etiam Principes & Sacerdotes, ex florenti quondam gloria, & maieſtate noſtra ſic excidimus, quemadmodum arida folia ex arbore decidere ſolent.

Nam

Nam iniquitates noſtræ, quaſi impetuoſus quiſpiam uentus, impulerunt nos in hanc captiuitatem. Nec eſt ullus inter nos, qui nomen tuum inuocet, & conſurgat, ut teneat te. Multi quidem inter nos recitant preces ſuas & implorant opem tuam. Nullus autem eſt, qui ſic precetur, ut impetret a te liberationem ex hac duriſsima captiuitate. Et nullus eſt, qui te inuocatiõe ſua ita teneat, ut auertas a nobis iram tuam, & reſtituas nos in priſtinam libertatem. Hoc inde adeo accidit, quod abſconderis a nobis faciem tuam, & ſinas nos contabeſcere in iniquitatibus noſtris. Habes antitheſin, cuius prior pars concionatur de magnitudine clementiæ, & miſericordiæ Dei. Deus enim tantæ eſt clementiæ & bonitatis, ut beneficia ſua conferat, non ſolum in homines iuſtos, & in uocatione ipſius ambulantes, uerumetiã in iniuſtos & ſceleratos, quibus & multis, & in peccato inueteratis, & impœnitentibus, ſolet propter paucos iuſtos benefacere. Ac fieri quidem non poteſt, ut homo impœnitens conſequatur propter alium hominem, quantumuis iuſtum & ſanctum ſpiritualia bona, quę ſunt Remiſsio peccatorum, Iuſticia coram Deo, Adoptio in filios Dei, & hæreditas cœleſtium bonorum. Hæc enim beneficia cõtinguntur tantum propter Chriſtum filiũm Dei, iis ſolis, qui agunt pœnitentiam, & credunt in Chriſtum. Corporalia autem bona ſæpe conferuntur a Deo, etiam impœnitentibus, idque ſiue propter pœnitentes & iuſtos, qui ſunt ipſorum conuictores, ſiue propter alias cauſas. Deus uoluit parcere Zodomitis, qui tamen erant impœnitentes, propter decem iuſtos. Et pepercit paulo poſt oppidulo Zoar, propter Lothum. In deſerto uoluit Deus omnes Iſraelitas perdere. Sed intercedente Moſe pepercit eis, quamuis adhuc Idolatris. Donauit etiam Deus Paulo in mari periclitanti omnes, qui ſimul erant in naui, quemadmodum ſcriptum eſt Actorum uigeſimoſeptimo. Et Chriſtus dicit: Sinit Solem ſuum oriri ſuper malos ac bonos, & pluuiam mittit ſuper iuſtos & iniuſtos. Hoc de clementia Dei idcirco nobis cognoſcendum proponitur, ut cum uidemus Deum etiam ſceleratis & impœnitentibus benefacere, confirmemus fidem, & ſciamus Deum multo magis pœnitentibus, & in filium ſuum uere credentibus præſtiturum ea, quæ per ipſum promiſit. Cum enim non ſolum ſit bonus & clemens, ſed etiam in promiſsis ſuis uerax, fieri non poteſt, ut pœnitentem & reuertentem ad ſe per fidem, cui promiſit propter filium ſuum cœleſtia bona, fallat. Poſterior pars antitheſis concionatur de ſeueritate iræ DEI. Nam Deus tantæ eſt ſeueritatis, ut cum acceſſerit ad exequendum iudicium & iram ſuam aduerſus peccata, non ſolum animaduertat in iniuſtos & ſceleratos, ſed etiam in iuſtos & bonos, Nec ullam habeat ratiõnem ſiue implorantium auxilium eius, ſiue contemnentium eum,

Sic enim significat precator noster, cum ait: Facti sumus nos omnes, ueluti immundum. Et omnes iusticiæ nostræ, seu, Omnes iusti inter nos, quasi pannus menstruatæ, uel sicut uestis lacera. Et mox: Abscondisti faciem tuam a nobis, ut etiamsi sint, qui nomen tuum inuocant, te tamen inuenire & placare non queant. Quæ ergo, inquies, hæc est æquitas, quod Deus occidat, (ut Abrahæ uerbis utamur) iustum cum impio, & fiat iustus, sicut impius? Si Deus parcit aliquoties impijs propter iustos, quid commeruere iusti, quod Deus non dimittit uel saltem ipsos impunes, si omnino nolit impijs parcere? Sed hæc sic obijciuntur, perinde ac si Deus esset hominum debitor, & inuenirentur homines, qui uel natura sua, uel ex operibus suis essent iusti. Considerandum igitur est, quod & si homines pij reputantur coram Deo iusti propter Christum, in quem credunt, & sunt ornati honestis moribus ex fide, tamen non sunt natura sua iusti, nec sunt iusti perfecta diuinæ legis impletione. Quare necesse habent coram DEO sese humiliare, & cum Dauide dicere. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et iterum: Tibi tantum pecco, & malum coram te facio, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Ac rursus: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? Quod cum ita se habeat, perspicuum est, quod cum parcit DEVS impijs propter iustos, non acceptum ferendum sit sanctitati iustorum. Nam si DEVS pro seueritate sua iudicaret, etiam in ipsos animaduertere posset: sed ferendum est acceptum gratuitæ, &, ut ita dicam, indebitæ clementiæ DEI, qui cum posset iure suo tam in iustos, quam in iniustos sæuire, mauult multis iniustis, propter paucos iustos, parcere, quam paucos iustos propter multos iniustos perdere. Cum Paulus periclitaretur in naui, & hi, qui ipsum uinctum ad lanienam ducebant, digni essent, qui naufragio perirent, num existimas DEVM nihil in Paulo potuisse inuenire, propter quod & ipse dignus fuisset aquis obrui? Certe fatetur ipse se peccatorum primum esse, & quamuis in ministerio suo se nihil sibi conscium esse affirmet, addit tamen, se in hoc non esse iustificatum. Quare, quod reliqui in naui donati fuerint ipsi, & seruati propter ipsum, non est iusticiæ eius, sed gratuitæ clementiæ Dei adscribendum, qui uoluit hac donatione testificari ueritatem Euangelij, quod Paulus prædicabat, id quod & testificabatur per miracula, quæ Paulus edebat. Verumenimuero, quod DEVS ius habeat seuero suo iudicio pios una cum impijs abijciendi & perdendi, non sic intelligendum est, quod DEVS hoc suum ius, in quauis afflictione, quam impijs in hoc mundo immittit, persequatur. Etsi enim uerisimile est, quod hi, qui in

Gen. 18.

Diluuio

Diluuio aquis perierunt, non omnes fuerint impij, quomodo enim, e tot sanctissimorum Patriarcharum liberis, non uel aliqui pauci uere credidissent in semen mulieris, aut non in ipso Diluuij conspectu & sensu resipuissent, & si non corporalem, at saltem spiritualem & cœlestem salutem cõsecuti essent? Nec dubitamus, quin inter eos, qui in exilium Babylonicum abducti sunt, multi uere pij fuerint, tamen haud quaquam sentiendum est, quod Deus obliuiscatur ueritatis & clementiæ suæ erga pios, & credentes uerbo Euangelij sui. Primum enim Deus abijcit quidem nõnunquam etiam pios, una cum impijs, in externas afflictiones, sæpe autem, ac multum seruat etiam pios, ne una cum impijs affligantur. Vnde Petrus ait: Nouit Dominus pios e tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniẽdos seruare. Sic seruauit Noham in diluuio. Sic Lothum in incẽdio Zodomitico. Sic Hieremiam in captiuitate Babylonica. Sic Ezechiel ait: Terra cum peccauerit mihi, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum. Et si fuerint tres uiri isti in medio eius, Nohe, Daniel & Iob, ipsi iusticia sua liberabunt animas suas &c. Quare in publicis calamitatibus danda est tibi opera pietati, ut si non queas alios tecum seruare, tu uel solus euadas.

Deinde & si pij uel soli uel una cum impijs affliguntur externis malis, Deus tamen mitigat eis afflictiones, & non solum dat eis euentum, ut possint sufferre, sed etiam seruat eos in morte, & dat eis cœlestem uitam. Quare Deus sic seuerus est in iudicandis peccatis, & puniendis peccatoribus, ut tamen seruet pios, in filium suum credentes, perpetua salute, qualescunq; habeant in hoc seculo, uel fœlices, uel infœlices rerum suarum euentus. Sed nec hoc est negligẽter prætereundum, quod precator cõqueritur hic, Non esse in hac captiuitate, qui inuocet nomen Domini. Et in Ezechiele exprobrat Dominus Prophetis, quod non ascenderint ex aduerso, neq; opposuerint murum pro domo Israel, ac non fuerit uir, qui interponeret sepem, cum tamen alias toties uetet Hieremiã Prophetam pro hoc populo orare, & diserte dicat, sibi hunc populum non placere, etiamsi coram ipso starent pro eo Moses & Samuel. Quomodo nunc exprobrat eis, quod nemo sit inter ipsos, qui pro eis intercedat, nunc prohibet, ne quisquam pro eis intercedat? Sed utrunque est exprobratio impœnitentiæ populi. Cum enim succenset, quod nemo intercedat pro populo, significare uult, neminem esse, qui ueram agat pœnitentiam, ut possit Deum uere ex fide inuocare. Idem plane significat, cum uetat Hieremiam pro populo intercedere, & affirmat, quod ne Mosi quidem & Samuelis preces pro hoc populo agnosceret, etiamsi adhuc in terris uiuerent. Quæ enim, aut cuius oratio posset esse efficax pro ijs, qui tam induratæ sunt impietatis, ut nõ

Eze. 13. et 22.

Hier. 7. 11. 14.

ſolum perfricta fronte in peccatis pergunt, uerumetiã uerbum Dñi, quod ipſos ad pœnitentiã uocat, contẽnunt & perſequũtur? Eccleſia ſticus dicit: Vnus ædificans, & unus deſtruẽs, quid ꝓdeſt illis niſi la Eccle. 34. bor? Vnus orãs, & unus maledicẽs, cuius uocẽ exaudiet Deus? Et Io an. dicit: Eſt pctm̃ ad mortẽ, nõ ꝓ illo dico, ut roges. Si. n. tu, q̃ mor taliter peccas, nõ agnoſcis pctm̃ tuũ, ſed pergis impœnitenter & prę fracte ac indurate in pctõ, quid profuerit, etiãſi uniuerſa Eccleſia o raret Deũ, ut remitteret tibi pctm̃? Manifeſtũ. n. eſt, q̃ Deus nõn re mittat pctm̃, niſi pœnitẽti, & credẽti in Chriſtum. Si aũt tu nec agis, nec cupis agere pœnitentiã, nec credis in Chriſtũ, nec etiam optas, ut contingat tibi donum credendi in Chriſtũ, ſed potius abominaris & perſequeris Chriſtũ, quõ poſſet tibi ſic affecto, & in hoc affectu per duranti etiam uniuerſa Eccleſia remiſſionẽ peccati precibus ſuis im petrare? Impetrat quidem Eccleſia aliquoties, ut impius diuina clemẽ tia conuertatur, agat pœnitentiã, & credat in Chriſtum, ac ſeruetur. Nũq̃ aũt impetrat, ac ne impetrare quidẽ conatur, ut impius ſine pœ nitentia, ſine fide, ſine Chriſto, remiſsionem pctõrum accipiat. Qua re, ut fiamus participes piarũ precum Eccleſiæ, agenda eſt pœnitẽtia, agnoſcendus eſt Chriſtus per fidem, quõd ſolum nomen nobis datũ eſt, per quod contingat nobis remiſsio pctõrum, & ęterna ſalus. Sed reuertamur ad hanc noſtram precationem. Cõtulit precator inter ſe priora & præſentia tempora, & illorum quidem fœlicitatem, horum aũt infœlicitatem commemorauit. Habemur, inquit, his tẽporibus, uelut immundũ. Sumus omnes, ſiue iuſti, ſiue iniuſti abominabiles. Nec Deus preces noſtras exaudit, quia auertit a nobis uultum ſuũ, & ſinit nos cõtabeſcere in iniquitatib. noſtris. Videamus ergo quo cõſilio hæc recitet. Quæſo aũt te, num idcirco recitat ea, ut ſignificet ſe propter præſentium temporum infœlicitatẽ, & auerſionẽ uultus Dei, abijcere oẽm ſpẽ liberationis & ſalutis? Num hoc agit, ut quẽ admodũ Deus uidetur ipſos deſeruiſſe, ita uiciſsim uelint & ipſi De um deſerere, & aliena auxilia quærere? Nihil certe minus, ſed potius hac recitatione excitat ſeſe ad uehementiorẽ diuini auxilij inuocatio nẽ, & ſignificat ſe tanto ardentius de diuina ope cõfidere, quanto lõ gius Deus ab ipſis diſceſsiſſe uidetur. Vnde ſtatim addit: Et nũc Do mine Pater, noſter es tu. Nos Lutum ſumus, tu uero figulus noſter, & opera manuũ tuarum oẽs nos. Obſeruabilis additio, qua ſignificat precator, ſe præter ſpem ſub ſpe credere, quod liberatio uel tandem ſit uentura. Videris quidem o Dñe, nos ita abieciſſe, ut perpetuo nũ quam ſis nos propopulo tuo agniturus, & liberaturus. Videris uul tum tuum ita a nobis ſubduxiſſe, ut nulla nobis amplius clementia a te ſit expectanda. Sed hęc utcũq̃ ſe habeant, Scio tamen te eſſe Patrẽ noſtrum, nec dubito, quin adhuc animum erga nos paternũ habeas.

Scio

Scio te ita nos in manu tua continere, quemadmodum figulus lutum continet. Et sicut hic, cum ex luto fecit uasculū inhonesti usus, potest pro suo arbitrio statim hoc uasculum manu sua comprimere, & facere ex eodem luto uasculum honestum, ita & nos sumus opus tuarum manuum. Ac feciſti quidem hoc tempore ex nobis talia uascula, quæ apud omnes sunt abominabilia, & quorum etiam aspectu homines putant sese inquinari. Sed quę est tua paterna benignitas, optime cō fido, te facturum iterum ex nobis uascula tam honesta, & glorioſa, ut aspectu eorum omnes homines delectentur & exhilarentur. Habes maximam precatoris fidem, quam certe non ex humano somnio, sed ex diuino uerbo concepit. Nouerat enim Deum de Israele dixiſſe: Filius meus primogenitus, Israel. Sciebat hunc populum, ijs temporibus, esse Ecclesiam Dei, & ex hoc populo uenturum filium Dei, propter quem Deus agnoſceret, ut Pater, omnes eos, qui in ipsum credunt. Quare, & si Deus in præsentia uidebatur magis esse erga hunc populum Tyrannus, cū Pater, tñ quia nō pœnitet Deum uocationis suæ, intelligit precator per Spiritum sanctum, q̄ adhuc sub externa illa tyrannidis specie lateat animus uere paternus, qui promptior sit ad cōferendum filijs suis auxilium, q̄ filij ad petendum, & expectandum. Nec uoluit Deus, ut hoc suum ingenium esset ignotum, sed publice uulgatum & decantatum. In Osea dicit: Quomodo dabo te Ephraim? Quō tradam te Israel? Dabo te sicut Adamam, & ponā te ut Zeboim. Hæc uidetur esse facies Tyranni. Sed cum considerat miseriā Ecclesiæ suæ, teneri non potest, quin confestim paternum animum patefaciat. Conuersum est, inquiens, in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meę. Nō conuertar, ut disperdam Ephraim: Quoniam DEVS ego, & non HOMO &c. Et Hieremias in Threnis suis. Nōn repellet in sempiternum Dñs. Quia si abiecit etiam miserebitur secundū multitudinē misericordiarum suarum. Non enim humiliauit, nec abiecit filios hominum ex corde suo. Hoc uult Hieremias dicere: Etsi Deus ostendit se nobis in hac uastatione, ut crudelem hostem, qui cogitet nos omnino delere, tamen nihil certius est, q̄ quod sub hac specie retineat adhuc erga nos animum paternum, & cogitet nos in his afflictionibus, quamuis grauibus, seruare. Sed quid pluribus opus? Vide mihi saltem exemplum filij Dei, in cruce, & manifeſtiſsimum erit, Deum sub externa, ut apparet, crudelitate, seruare animum uere paternū & clementiſsimum. Considera enim, quam durum & inexorabilem exhibuerit sese Deus erga unigenitum filium suum, cum appropinquasset tempus passionis eius. In horto Filius Patrem tam ardenter inuocat pro ablatione calicis huius, ut etiā sanguinē sudaret. Etsi aūt mittitur ei Angelus, q̄ cōfortet ipsum, tñ Pater nōn aufert ab ipso calicē,

Paulo post rapitur & capitur a sceleratissimis nebulonibus. Et tñ Pa ter non mittit ei aliquot angelorꝝ legiones, quę ipsum e manibus sce leratorꝝ eripiant. Mox colaphis cæditur, flagellatur, illuditur, condē natur, cruci affigitur, et tam cõtumelioſe tractatur, ut omne genus ho minum insultet ei, & dicat: Alios saluos fecit, seipsum non potest ser uare: Si est filius Dei, descendat nunc de cruce &c. Et tñ Pater ad hęc oĩa conniuet. Postremo filius aĩõ sic affligitur, ut nõ dubitet publice exclamare: Deus meus, Deus meus, ut quid me deseruisti? Et tñ Pa ter ne sic quidem excitatur, ut externo quodã miraculo dępõnat eum de cruce, aut externa maiestate in impios statim aĩaduertat. Quid est duricies, si hæc non est? Dicemus igitur Deum abiecisse filium su um, nec eum pro filio agnoscere? Minime oĩm. Sub hac externa duri ciei specie retinet adhuc aĩm uere paternum, qui &si non mox pro ar bitrio humanæ carnis sese prodit, tñ paulo post ita patefit, ut quem Deus antea audiuerat clamantem: Quare me deseruisti? eum in tan tam sublimitatẽ extollat, ut in noĩe eius flectant sese genua oĩm cœle stium, terrestrium & infernorꝝ. Qualẽ aũt se exhibuit Deus erga na turalem suum filium, talem etiam exhibere solet se erga filios adopti uos, ut aspiciat quidem eos aliquoties duriter, cogitet autem de ipsis paterne. Viuo ego, inquit, nolo mortem impij, Sed ut cõuertatur & uiuat. Quãto magis de piõ morti obiecto dicit, Viuo ego, nolo mor

Hierem. 29. tẽ pij, sed potius, ut uiuat. Et quod in Hier. ad eos, qui erant in exilio Babylonico, dicit, hoc idem ad uniuersam Ecclesiam dictum esse sen tiamus. Ego scio, inquiens, cogitationes, quas cogito super uos, cogi tationes pacis, & nõ afflictionis &c. Quare nõ est de uoluntate Dei iudicandum, secũdum externam faciem afflictionum nostrarum, sed secundum Euangelion suum, quo affirmat se clementissimum patrẽ nostrũ esse, propter Christũ filium suum, si in ipsum crediderimus.

Qꝝ aũt non solũ inuocat Deũ, ut PATREM, uerꝝ etiã fatetur nos esse in manu eius sicut lutũ in manu figũli, postea in Hier. cap. xviij. copiosius explicatur. Nunquid, sicut figulus iste nõ potero uobis fa cere domus Israel, ait Dñs? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic uos in manu mea domus Israel. Cũ locutus fuero de aliqua gẽte aut regno, ut eradicem, destruã & perdam illud, & gens illa, contra quam locu tus sum, egerit pœnitentiã a malo suo, agam & ego repente pœniten tiam &c. Hic ergo locus docet nos timorẽ Dei, ut in rebus prosperis nõ elato simus animo, & non peccemus aduersus Dñm, sed in uoca tione eius sollicite & obedienter ambulemus. Sumus enim in manu Dñi, sicut lutum in manu figuli. Quare, &si Deus fingit hoc tempo re ex nobis uasculum honesti usus, & confert in nos insignia benefi cia, tamen si restiterimus uoluntati eius, & non præbeamus nos ei iu xta suum arbitrium formandos, potestatem habet nos in momento,

in ictu

in ictu oculi contundere, & facere uasculum inhonestum, ut præter expectationẽ omni afflictionis genere obruamur. Deinde docet nos etiam fiduciam in aduersis, ut de liberatione bene confidamus, & opẽ Dei bona ac certa spe inuocemus. Sumus enim in manu Dei, sicut lutum in manu figuli. Quare, & si Deus in præsentia finxit ex nobis uasculum inhonesti usus, & obiecit nos extremis periculis, tamen si cõuertimur ad eum, & inuocauerimus eum ex fide, teneri non potest, quin repente contundat nos iterum in lutum, & faciat ex nobis uasculum honestum, ut in nos maxima quæq; beneficia conferat.

NE IRASCARIS DOMINE SATIS, ET NE VLTRA MEMINERIS &c.

Conclusio precationis, in qua conclusione repetit precator paucis, ut in epilogo fieri solet, statum suum, & argumenta, quibus confirmauit fidem suam ad excitandam clementiam Dei. Cum geras adhuc paternum erga nos animũ, & potestatem habeas derepente mutandi miseriam nostram in fœlicitatem, sicut figulus solet in momento mutare lutum, ex inhonesto uasculo, in uasculum honestum, precamur te obedienter, ut non irascaris aduersus nos supra modum, nec perpetuo memineris iniquitatis nostræ, qua hanc captiuitatem meriti sumus. Ecce, respice quæso.

Q. nos oẽs simus pop̃ulus TVVS. His paucissimis uerbis significat se intueri fide sua in oẽs promissiones, quas Deus de hoc populo, q. tũc erat electa Ecclesia Dei, dixit. Nos oẽs (inq.t) sumus populus tuus. Non habes aliã Ecclesiã in terris præter nos. Certo. n. scio, nec Babylonios, nec Assyrios, nec Moabitas, nec Ammonitas, nec alias gẽtes, quę te aut nõ nouerunt, aut impie colũt, sed nos Israelitas esse Ecclesiã tuam. De hac Ecclesia dixisti: Ego ero Deus eorũ. Et, Ambulabo inter uos, & ero Deus uester, uosq; eritis populus meus. Et, Te elegit Dñs deus tuus, ut sis ei populus peculiaris, de cũctis populis, q. sunt super terrã &c. Cũ igitur nõ sit alia Ecclesia tua, prꝛeter nos, nõ dubito, quin nos, uel saltẽ propter gloriam Tui noĩs sis liberaturus. Gen. 17.

Q. ciuitates sanctæ tuæ factæ sint desertæ, & redactæ in solitudinem. Vocat urbes regni Iudæ sanctas, quod Deus abstulerit eas prophanis gẽtibus, & tradiderit ipsas populo sancto seu electo suo possidendas. Dedi uobis, inquit, terram in qua non laborastis, & urbes, quas non ędificastis, ut habitaretis in eis &c. De hac terra, & ciuitatibus eius dicitur Deut. undecimo. Terram, ad quam ingredieris possidendam, Dñs Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt a principio anni usq; ad finem eius. Non igitur committet Deus, ut ciuitates huius terræ tam fœde desolatæ, diu in puluere iaceant. Iosue. 24.

Quod Zion desertã facta sit, & Hierusalem desolata. De Hierusalem & Zion extant singulares promissiones, ĳ. Paralip. vi. Elegi

Hierusalem,ut sit nomen meum in ea. Et in Psalm. Diligit Dominus portas Ziõ super omnia tabernacula Iacob. Et: Elegit Dñs Ziõ, elegit eam in habitationem sibi. Hęc requies mea in seculum seculi: quę & si principaliter respiciunt in spiritualem Zionem, tñ pertinuerunt etiam aliquo modo, & certo suo tempore ad Zionem corporalem.

4. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudauerũt te Patres nostri, facta sit in exustionem ignis. De templo et sanctificatione eius, uide iij. Reg. viij. Nam hoc templum tanta autoritate fuit ornatum, ut ad ipsum etiam in captiuitate facies orantium uertendæ erant. Si orauerint, inquit, contra uiam terræ suæ, quã dedisti Patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti, & tẽpli, quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo &c. Longe aũt aliter precator noster admonet Deum tẽpli, q̃ hypocritæ in Hier. cap. vij. Hi enim confidebant templo, sine ulla pœnitentia. Ille aũt agit pœnitentiam, & mentione templi admonet Deum promissionum suarum, quæ in templo sæpe ac multum recitatæ fuerunt. Vbi laudauerunt, inquit, te Patres nostri. Nam Deut. iiij. dicitur: Disperget te Dominus in omnes Gentes. Et additur: Non tamen dimittet te, nec omnino delebit, nec obliuiscetur pacti, quo iurauit Patribus tuis. Et Leui. xxvi. Attamẽ cum essent in terra hostili, non abieci eos, neq; sic despexi, ut consumerentur, & irritum facerẽ pactum meum cum eis &c. His & similibus promissionibus in templo sæpe recitatis confisus, sperat certo fore, ut e captiuitate liberentur, & templum dirutum instaurent.

5. Q; omnia desiderabilia nostra uersa sunt in ruinas. Non solum templum, Hierusalem, & aliæ ciuitates, sed etiam omnia, quæcunq; possedimus, admirãda, expetenda, insignia, deuastata sunt. Nũquid super his continebis te Dñe, ut non uindices gloriam nominis tui? Nunquid tacebis, aut dissimulabis? & perges nos tam uehementer affligere? Non certe facies. Non facies, inquam. Non enim dubito, quin nos iuxta promissiones tuas liberaturus sis ex hac captiuitate, & redditurus nobis terram, urbem, & templum, quæ hostes tam fœde contaminarunt, & desolarunt. Habes precationis formulam, quam præscripsit Esaias captiuis & exulibus in Babylonica Monarchia utendam. Qualis formula extat etiam in Psalm. lxxviij. Et qualẽ præscripsit quoq; postea Hiere. in Threnis cap. v. Recordare Domine, quid acciderit nobis &c. Sed & Daniel nõ dissimili orationis genere usus est, Dani. ix. Potuerunt autem captiui & exules in Babylone ex fide liberationem e Babylone, & instaurationem urbis Hierusalẽ ac templi illius externi nominatim petere, propterea q; de ea liberatione & instauratione extabant manifestę, & perspicuæ promissiones Dei, & quo tẽpore externus Israel erat Ecclesia Dei, defnierat deus urbẽ Hierusalẽ certã eius sedẽ, & ut nos loq; solemus, parochiã.

Postq;

Postquam autem uenit filius Dei in hunc mundum, & iussit Apostolos suos prędicare Euangelion omni creaturæ, in uniuersa terra, Ecclesia Dei, quę ex omnibus gentibus colligitur, non habet amplius certam & fixam sedem, aut parochiam, sed ubicunq; Euangeliō Christi uere prædicatur, & sacramēta eius recte administrātur, ibi est sedes Ecclesię, & uera parochia eius, atq; adeo non est aliud ibi, nisi quemadmodū Iacob ait, domus Dei, & porta cœli. Quid igitur dicemus? Cū nobis non sit certa Ecclesię metropolis & parochia definita, nullam ne afferet nobis hæc precatio Esaiæ utilitatem, q; nō habeamus externam quandam Hierusalem, aut templum, cuius aut conseruationem aut instaurationē petamus? Certe, si diligenter eā expendas, plurimam affert nobis utilitatem. Neq; enim tanto tempore conseruata, & ad alios atq; alios posteros propagata est, propter eos tm̄, qui in Babylone captiui fuerūt, sed etiam propter nos, & uniuersam Ecclesiam Christi. Primum enim, hæc precatio Esaię, continet in se duo genera uaticiniorum. Alterum est de uentura ustatione urbis Hierusalem & templi eius, & de captiuitate Ecclesiæ Dei in Babylone. Alterum, de uēnura liberatione ex captiuitate, & de instauratione templi & urbis. Singula autem uaticinia uerorum Prophetarum, sunt singula miracula, quibus Deus de cœlo testificatur, se spiritu sancto suo uersari in sua Ecclesia, & Ecclesiā sibi curę esse. Quare & hęc precatio cœleste nobis testimonium est, q; cū hoc tempore simus Ecclesia Dei, certo sciamus, Deum non deseruisse nos, etiamsi grauiter affligamur, & tanq; a Deo abiecti tractemur. Deinde, petendū est ex hac precatione exemplum, quo & nos in nostris aduersis utamur. Etsi em̄ Ecclesia his temporibus post diuulgatum Euangelion in orbem terræ, non habet in terra externā quandam metropolin, in qua possit sibi perpetuam sedem et hospitium, usq; ad nouissimum diem polliceri, tm̄ habet certas promissiones de conseruatione prædicationis Euangelij Christi, & de duratione eius inter gentes, usq; ad extremum huius seculi diem. Ecce, ego, inquit Christus, uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cō summationem seculi. Et iterum: Super hanc petram (hoc est, supra confessionem Petri, quæ est prædicatio Euangeli de Christo. Tu es Christus filius Dei uiuentis) ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Ac rursus: Elegi uos, & constitui uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Fructus Apostolorę, de quo hic loqtur, est diuulgatio Euangelij in totū orbē terrę. Hic fructus, & si ipsi hac uita defuncti sunt, nō euanuit, sed manet in hac terra, inter gētes, perpetuo, usq; ad finē mundi, nec pōt ulla uel humana uel Satanica potentia in totum aboleri. Obscurari quidē potest, & uarijs aduersis concuti, tolli aūt penitus

e mundo non poteſt. Quare cum uel tyranni, uel hypocritæ & hæretici incurrũt crudelitate & impietate ſua in Eccleſiam Dei, ad corrumpendam uel delendam uere piam doctrinam Euãgelij, ibi tum tẽpus eſt, ut hac formula precationis Eſaię utamur, aut exemplũ ab ea petamus, & Deum Patrem Dñi noſtri Ieſu Chriſti inuocemus, quo Eccleſiam ſuam crudelitate tyrannorũ, & impietate hæreticorũ oppreſſam, tueatur, & conſeruet in ea per ſpiritũ ſanctum, piam doctrinam Euangelij, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti &c. Poſtremo continentur in hac precatione quędam inſignia dicta, ut ſunt illa: Tu Pater noſter es, Abraam neſcit nos, & Iſrael ignorat nos. Et: A ſeculo non audierunt, neq; auribus perceperunt, Oculus non uidit Deus abſq; te, quæ pręparaſti expectantibus te. Et: Nos lutum ſumus, tu figulus noſter es, & opus manuũ tuarũ nos omnes. Et id genus alia, quæ diligenter obſeruata, multiplicem habent uſum, quemadmodũ aliqua ex parte in explicatione eorũ indicauimus. Quare haudquaq; committendũ eſt, ut hanc precationẽ oſcitanter prętereamus, ſed ipſam, ut cœleſte κειμήλιον cõſeruemus.

CAPVT LXV.

QVÆSIERVNT ME, QVI ANTE NON INTERROGABANT, INVENERVNT &c.

Siue ea, quę in his duobus ultimis capitibus ſequũtur, duæ ſunt conciones, ſiue una tm̃, alterius certe argumenti ſunt, q̃q; precatio, quæ in capite proxime præcedenti cõtinetur. In hac enim petitur liberatio Iudæorũ e captiuitate, in illis aũt prædicitur abiectio Iudęorum in captiuitatem, eamq; perpetuam. In hac habetur Iſrael adhuc populus Dei, In illis aũtẽ abſcitur Iſrael, ne ſit populus Dei, & eligũtur in populũ Dei Gentes. Et quanq; deſcribitur in his duobus capitibus magna fœlicitas urbis Hieruſalem & ciuium eius, tamen ea intelligenda ſunt de Eccleſia, quæ per Euangelion in Hieruſalẽ reuelatum, colligitur ex Iudæis & Gentibus. Accedamus igitur ad concionem hanc propheticam cognoſcendam, ut & ea, quæ ſunt ue rę noſtrę fœlicitatis cognoſamus. Quęſierunt (inquit) me, qui ante non interrogabant. Inuenerunt, qui me non quæſierunt &c. Quę hæc intelligenda ſint de electione Gentium in populum, ſeu Eccleſiam Domini, primũ teſtificatur textus ipſe, qui mox ſequitur: Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non inuocabat nomen meũ, uel potius ſic, quæ non uocabatur nomine meo. Nam hæc eſt ſententia: Quæror ab his, qui antea non requirebant me, & Inuenior ab his, qui antea non quærebant me. Cum hactenus contulerim in populum meum Iſraelem maxima quæq; beneficia, ipſi autem uicißim

cissim rependunt mihi summam ingratitudinem, statui me uertere ad aliam gentem, quam in populum meum eligam. Necp hoc meum propositum uncp celaui. Dixi antea per Mosen: Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non est Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gẽte stulta irritabo illos. Dico & nunc, ut prius illud dictum confirmetur, Ecce ego, EGO inquam, conuerto me ad gentem, quæ hactenus non est reputata pro populo Dei, ad gentem uidelicet, alienam a Deo, quæ me nec requirebat, nec obseruabat. Deinde hunc locum de uocatione Gentium intelligẽdum esse testificatur & Paulus, q ad Romanos scribens, hunc locum nominatim de Gentium electione recitat. Postq enim commemorasset testimonium Mosi, quod iam recensuimus, addit: Esaias (inquiens) post hunc audet ac dicit: Inuentus sui his, qui me non quærebant, conspicuus factus sum his, qui de me non interrogabant. Nullum igitur dubium est, quin hęc uerba intelligẽda sint de electione gentium in Ecclesiam Domini. Ac profecto memorabile est miraculum, cp Deus elegerit Gentes in populum suum. Voluit autem Deus hoc miraculo perspicuam omnibus facere summam suam clementiam & bonitatem, cp saluos faciat homines, non ex operibus (ut Paulus ait) quę sunt in iusticia, quæ nos facere solemus, sed secundum suam misericordiam. Gentes enim fuerunt, ut idem Paulus scribit, sine Christo, abalienati a repub. Israelis, extranei a testamentis promissionis, spem non habẽtes, Deocp carentes in mũdo. Scortatores, simulacrorum cultores, adulteri, molles, cõtaminatores masculorũ, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces. In tot, tantis, & tam detestandis sceleribus, quis potuit esse locus meritis operum? quæ potuit esse iusticia? Et tamen filius Dei misit ad tam sceleratos homines Euangelion suum, & obtulit eis ueram & æternam salutem. Quo igitur exemplo, quo miraculo potuit Deus gratuitam suam clementiam & bonitatem illustrius patefacere, cp Gentium, populi tantis flagitijs sordidati, in gratiam suam receptione? Deinde uoluit etiam hoc miraculo significare ac docere, quod non solum ipse gratis offerat suam salutem, uerum etiam nos non iustificemur, aut iusti reputemur, nisi sola fide propter filium Dei, quem fide accipimus. Cum enim Gentibus adhuc pctõrũ suorũ mole grauatis adnunciaretur Euãgelion de Christo, confestim ut audierunt & crediderunt, donati sunt spiritu sancto, & reputati coram Deo iusti propter Christum. Nulla uides in Gentibus iusticiæ merita, nulla sanctitatis opera, sed omnia plena erant impietate & flagicijs. Et tamen statim cum credunt Euangelio, recipiuntur in populum Dei, & accipiunt remissionem peccatorum, quę est nostra coram Deo Iusticia, & beatitudo, cum Psalmus dicat:

Deut. 32.

Rom. 10.

Ephe. 2.

1. Cor. 6.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Petrus in Actis Apostolicis concionatur Cornelio & alijs gẽtibus. Etsi autem Cornelius habet testimonium, quod inuocauerit Deum, ac multa bona fecerit, tamen non habuit remissionem peccatorum, nec reputatus est Iustus absq; fide in Christum. Quare mittitur ad eum & alios suos cognatos ac necessarios Petrus, ut doceret eos Euangelion de Christo: & quia Petro adhuc loquente, cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem, manifestum est testimonium, quod contigerit Cornelio & alijs auditoribus Remissio peccatorum gratis, sola fide, propter Christum, sicut & Petrus in concione sua dicit: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accipiat per nomẽ eius, quisquis crediderit in eum. Quid, obsecro, boni fecerat custos carceris, apud Philippenses, qui non solum coniecerat Paulum & Silã, sanctos Dei Apostolos, in interiorem carcerem, & strinxerat pedes eorum ligno, uerumetiam erat seipsum euaginato gladio interfecturus? Et tamen audit: CREDĒ in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Quę fuit Corinthiorũ iustitia, cum essent scortatores, cultores simulacrorũ, adulteri, molles, & multis alijs sceleribus obnoxij? Et tamen audiunt: Hæc eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Quid multa? Totus liber Actorum Apostolicorũ testatur Gentes sola fide cõsecutas esse remissionem peccatorum, & reputatas esse iustas seu Deo acceptas propter Christum. Et hoc loco dicit filius Dei in Esaia: Inuenior ab his, qui antea non me quærebant. Quod Paulus sic exponit: Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprẽhenderunt iustitiam, Iustitiam aũt eam, quæ est ex fide. Quare uocatio gentium, certissimum ac firmissimũ est testimonium, cp reputemur coram Deo iusti sola fide in Iesum Christum filium Dei. Qua fide donati, excitamur per spiritum sanctum, ut bona opera, quæ Deus prẽcepit, faciamus, non ut merita iustitiæ coram Deo, & salutis, sed ut fructus iustitiæ, & ut gratitudo, quam pro tot bñficijs Domino Deo nostro debemus. Hactenus de uocatione Gentium. Quid autẽ Iudæi? Expandi, inquit, manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in uia non bona &c. Electionem Gentium sequitur abiectio & excæcatio Iudæorum. Nam, cp filius Dei cõcionetur his uerbis de impietate & abiectione Iudæorũ, testificatur idem Paulus ad Romanos. Postcp enim superiora uerba de Gẽtibus recitasset, addit: Aduersus Israel autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credẽtem & contradicentem. Opponit aũt filius Dei inter se, sua beneficia, & Iudæorum malefacta, seu ingratitudinem. Expandi, inquiẽs, manus

Act. 16.

Rom. 9.

manus meas tota die. Iam inde ab initio, quo elegi Abraamum Patriarcham eorum, ut esset Pater multarum gentium, & quo multiplicaui posteritatem eius, expandi semper manus meas. Vocaui eos, ut essent populus meus. Obtuli eis ambabus, adeoq; plenis manibus mea beneficia. Liberaui eos e tyrannide Ægyptiaca, dedi eis uictoriam hostium, dedi eis terram Canaan, instituí in ea Ecclesiam & Regnum. Et si quando periclitabantur de salute sua, extendi & porrexi eis manus meas, ut conseruarẽtur, atq; adeo nullum genus est beneficiorum, siue corporalium siue spiritualium, quod non in ipsos liberalissime contulerim, sperans fore, ut excitarentur ad ueram mei cognitionem, & ad rectam fidem in me Messiam, ipsis pro missum. Sed quid pro tantis beneficijs mihi uicissim rependerunt? Oleum & opera perierũt. Pro summis beneficijs rependerunt summam ingratitudinem. Vide enim mihi qualis sit populus.

Incredulus, seu Rebellis. Rebellat enim & recalcitrat ad omnia mea mandata. 1.

Ambulant non in bona uia, sed tantum post suas cogitationes. Non sectantur, quod ego præcipio, sed quod ipsi excogitant, & quod ipsis uisum fuerit. 2.

Prouocant me semper in conspectu meo ad iracundiam. Non enim designant impietatem & scelera in occulto, sed in propatulo. Et si quando reprehendero ea per Prophetas meos, tantum abest, ut corrigant ea, ut potius maiori impudentia ea designent. Palam dicere non uerentur, se eo maiori studio sua instituta perfecturos, quo audiant ipsa seuerius a Prophetis reprehendi. Wir wollen mit vnserm thun furfaren/ vnd wen es den Prophetẽ oder predigern ein leidẽ were. So sie es vns verbieten/ so wollẽ wir es allererst thun/ wan es schon jnen ein gerumpel jm bauch sein solt. Hæc est detestanda impudentia, qua scelerati homines non in Prophetas tantum & concionatores uerbi Dei cõtumelioſi sunt, sed qua prouocant semper filium Dei in suo ipsius conspectu ad iracundiam. Quæ impudentia, cum & his temporibus sit uulgaris, & solennis, fieri non potest, ut diu impunis euadat. 3.

Sacrificant in hortis. Iussi eos sacrificare in loco propiciatorij, in templo. Sed ipsi, contempto uerbo meo, instituunt sacrificia in hortis, existimantes, q; cum ipsis amœnitas hortorum placeat, mihi placeãt etiam sacrificia in amœnis illis locis facta. Quasi uero ego magis respicerem externam illam sacrificiorum speciem, quam fidem & obedientiam. Nunquid uult Dominus (inquit Samuel) holocausta & uictimas, & non potius, ut obediatur uoci Domini? 4.

Adolent thymiamata super lateres. Alij aliter interpretantur lateres. Sed uidentur aræ esse, non ex lapidibus, secundum legem, sed 5.

ex lateribus contra legem constructæ.

6. Habitant in sepulcris. Hæ sunt Vigiliæ, ut uocant, mortuorum. Et quid, si Iudæi religionis gratia, habitauerint in monumẽtis mortuorum, ut fœditate habitaculi uel sanctitatem suam ostentarẽt, uel peccata sua coram Deo expiarent? Alij sentiunt quosdam ad mortuorum sepulcra secessisse, ut mortuos ibi consulerent.

7. Dormiunt in delubris deorum. Hebræus sic legit, Pernoctãt in desertis, aut speluncis. Qualem uitam duxerunt etiam Eremitæ in Christianismo. Etsi autem per se iuxta refert siue in deserto, siue in frequenti urbe habites, tamen abominanda religio est, si ex habitatione in deserto facias singularem Dei cultum, quo expies peccata tua, & merearis cœlestem beatitudinem.

8. Comedunt carnem suillam, & ius prophanum in uasis eorum, hoc est, uescuntur cibis in lege prohibitis, & coquunt offas ex immundis animalibus, in ollis ipsorum. Etsi enim reuelato Euangelio, reuelata etiam est libertas edendi quicquid natura non abhorret: Puris enim omnia pura, tamen incolumi adhuc statu Reipub. Mosaicæ, Pædagogia de discrimine ciborum, quemadmodum lege præscripta fuit, seruanda erat. Quare pie & fortiter fecit Eleazarus in Macchabæis, quod maluerit occidi, quam carne suilla uesci. 2. Maccha 6.

9. Dicunt, Recede a me, non appropinques mihi &c. Hoc sic legẽdum est. Accede ad te, ne attingas me, quia sanctifico te (hoc est) Habe tibi tuam concionem. Apage a me. Nihil mihi opus est tua doctrina. Ego enim multo rectius noui, quibus rebus aut sacris paretur iusticia & Sanctitas, quam tu. Itaq; discito tu a me potius, quam ego a te, ueram sanctificandi rationem. Hoc est ingenium hypocritarum. Non uolunt erudiri uerbo Domini, sed existimant se ex seipsis omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, cognoscere, & perficere posse. Itaq; excogitant, contempto uerbo Dei, uarios cultus Dei, quibus confidunt se Deo tam grata officia facere, ut necesse habeat propter merita eorum, non solum remittere peccata, uerum etiam collocare eos in throno cœlestis regni.

Sed quæ uidentur hypocritis sacra Deo acceptissima, ea sunt coram ipso abominanda & detestanda. Quid ita? An non faciũt ea in honorem Dei? Sic quidem prætexunt, sed honorem Dei peruerse interpretantur. Honor Dei est, obedire uerbo eius, & sequi præscriptum & regulam uerbi ipsius. Honor Dei est, agnoscere filiũ Dei, semen Abrahæ, Iesum Christum Dñm nostrum, & credere, q; propter hunc solum assequamur benedictionem iusticiæ, salutis, & æternæ uitæ. Iudæi autem, sequuntur, abiecto uerbo Dei, sua ipsorum instituta, & non agnoscunt filium Dei, expiationem peccatorũ suorũ, sed potius persequuntur & condemnant eum. Verumenim

uero,

uero,&ſi fortaſsis Iudæi,qui fuerunt temporibus Chriſti & Apoſtolorꝝ éius,non ſacrificauerunt in hortis, nec adoleuerunt thymiamata in lateribus,quẽadmodum maiores eorꝝ,ante Babylonicã captiuitatem fecerãt, tñ Phariſaicis & Sadducęicis ſuis traditionibus nõ æquabant tm̃, uerumetiã ſuperabant maiorꝝ ſuorꝝ impietatẽ,a qua tm̃ abfuit ut reſipiſcerent,& filium Dei,uerꝝ Meſsiã,tot annis antea promiſſum & expectatum cõplecterentur, ut potius eũ morte condẽnarent. Quare Propheta,in deſcribenda impietate Iudæorũ,utitur quidẽ uerbis ſuo tẽpore uſitatis, ſed his intelligit oĩa impia ſacra,quibus & Iudęi ſui tẽporis,& poſteri eorꝝ uſqꝫ ad Chriſti & Apoſtolorꝝ tẽpora obnoxij fuerũt. Itaqꝫ per ſacrificia in hortis, ſuffitus in lateribus,pernoctationem in ſpeluncis, eſum carniũ ſuillarꝝ, & alias impietates,quas Propheta exꝓbrat Iudęis ſui tẽporis, intelligẽda ſunt oĩa illa,quorꝝ Chriſtus accuſat Iudæos ſui tẽporis apud Mat.ca.xv.xxi.xxiij.& in alijs locis Euãgeliſtarꝝ. Quid ergo rependetur eis ꝓ tanta impietate? Sequitur. Iſti fumus erunt in furore meo,ignis ardens tota die.hoc eſt,tanta ira inflãmatus ſum erga ipſos,ut abijciã eos in æternas tenebras, & in perpetuũ ignẽ. Ecce ſcriptũ eſt corã me,ſiue pctm̃ iſtius populi,ſiue meũ de abijciẽdo iſto populo inſtitutũ,ut nunq̃ poſsim obliuioni tradere. Non tacebo,non cõniuebo,nõ diſsimulabo,ſed reddã et retribuã in ſinũ eorum iniquitates ueſtras,& iniquitates patrum ueſtrorꝝ ſimul (dicit Dñs) qui adoleuerunt contra legem meam,in montibus, & affecerunt me ſacris ſuis contumelia in collibus. Remetiar igitur & rependã eis priſtina ſua opera,in ſinum eorum. Hæc eſt abiectio & exhęredatio Iudęorum. Sicut aũt Electio Gentium inſigne eſt exẽplum gratuitæ clementię & bonitatis Dei,ita Exhęredatio Iudęorum ſtupendũ eſt exẽplum ſeueritatis Dei. Iudęi.n.fuerunt electus Dei populus,quorum eſt,ut Paulus ait adoptio,gloria,teſtamẽta,legis cõſtitutio,cultus,promiſsiones, quorum ſunt patres,& ij, ex quibus eſt Chriſtus,quantũ attinet ad carnẽ. Et tñ cum impie agerent,abiecti & exhęredati ſunt ab oĩbus cœleſtibus bonis. Cum igitur Deus tanta eſt ſeueritate erga impios,ut ne cognatis quidẽ unigeniti filij ſui pepercerit,quõ alienis & extraneis in impietate ambulantibus parceret? Sed ſi tam dura eſt,inquies,ſeueritas Dei,quis,obſecro,ſperabit ſalutem? Sumus enim omnes natura impij, & non eſt qui faciat bonum,non eſt uſqꝫ ad unum. Hic ergo obſerua mihi uerã cauſam,cur Iudæi ſint a Deo exhæredati. Etſi enim multa magna & grauia peccata tam aduerſus primam Decalogi tabulam, quam aduerſus ſecundam commiſerunt, & meriti fuerunt ſceleribus ſuis extrema & æterna ſupplicia, nondum tamen de ſalute eorum omnino actum erat, Patebat enim eis adhuc receptus ad

pœnitentiam,& ad filium Dei,peccatorum expiatorem.Poſtquam autem eo impudentiæ peruenerunt, ut non ſolum nullam agerent delictorum ſuorum pœnitentiam,uerumetiam abiicerent & condemnarent filium Dei, ac perſequerentur Euangelion eius extremo odio,ibi tum expedijt Deus ſeueritatem ſuam, & exhæredauit eos,non quia peccauerant,etſi etiam propter pctã meruerant exhæredationẽ,ſed quia fuerunt impœnitentes,& Chriſti filij Dei, peccatorum expiatoris perſecutores. Hæc eſt condemnatio, inquit Ioannes, quod Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Quare &ſi omnes impietate & peccatis noſtris meriti ſumus ſeueritatem Dei, & exhæredationem e cœleſtibus bonis,tamen ſi egerimus pœnitentiam,& agnouerimus filium Dei per fidem, non iudicat Deus amplius de nobis ſecũdum ſuam ſeueritatem,ſed ſecundum ſuam immenſam miſericordiam,quippe quod ſic dilexit mundum,ut unigenitum ſuum filium daret, ut omnis,qui credit in eum non pereat,ſed habeat æternam uitam.

Deinde,eſt & hoc diuinæ ſeueritatis,quod dicit ſe rependere Iudæis non ſuas tantum ipſorum,ſed etiam patrum ſuorum iniquitates. Hoc enim illud eſt,quod in Decalogo dicitur: Viſitans iniquitatem patrum in filios,in tertiam & quartam generationẽ. Et quod Chriſtus ait: Veniat ſuper uos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram,a ſanguine Abel iuſti,uſq; ad ſanguinem Zachariæ &c. Hoc idcirco nobis cognoſcẽdum proponitur,ut diſcamus timorem Dei,& in tẽpore ab impietate & ſceleribus reſipiſcamus. Nam ſi impietatem & ſcelera maiorum noſtrorum imitari perrexerimus,non ſimpliciter peccamus,nec ſimpliciter puniemur,ſed facimus nos participes omnium impietatum & ſcelerum,quę ab initio orbis deſignata ſunt. Quid? Non feres cõram tribunali Dei tua ipſius propria peccata,& ferres etiam aliena, & tam innumerã? Time igitur Dominum,& age pœnitentiam, dum licet,ut & ſalutem conſequaris dum libet. Sed nec hoc oſcitanter prætereundum eſt, quod dicit: Super colles exprobrauerũt mihi, uel ſicut ſignificãtius transfertur, In collibus contumelia me affecerunt. Iudæi enim fecerunt multa ſacra in collibus,idq; non in honorem idolorum,ſed ueri Dñi Dei noſtri, ſicut ipſi iactabant. Et tñ filius Dei hoc loco affirmat,ſe his ſacris,non honore,ſed cõtumelia affectum eſſe. Quid ita? quia hæc ſacra non fiebant ex fide, ſed contra fidem. Primũ cm̃ prohibita erant uerbo Dñi: deinde cultores horũ ſacrorũ trãsferrebant maieſtatem filij Dei,in ſacra ſua. Sentiebant,n. ſe merito horũ ſacrorũ expiare pctã ſua,& placare irã Dei,quæ maieſtas ad ſolũ filiũ Dei pertinet. Quare hęc ſacra nõ fuerũt honor,ſed contumelia Dei. Ex q̃ iudicandũ eſt de uniuerſis ſacris hypocritarũ,& hoĩm impœnitentium.

pœnitentium. Nihil enim prodeſt prætextus gloriæ nominis Dei. Deus non reſpicit in ſacris ſpeciem operis, aut ſententiam humani cordis, ſed reſpicit ſuum uerbum, ſuum filium, & fidem cultoris. Si in ſacra uel ab ipſo præcepta, uel a nobis inſtituta transfertur maieſtas ſoli filio ſuo debita, ut non poſſunt ex uera fide fieri, ita ſunt cõ tumelioſa in Deum, & abominanda coram eo. Quare abiſciamus impiam hypocriſin, & diſcamus ueram fidem in filiũ Dei, ut & uera ſacra facere queamus.

HÆC DICIT DOMINVS, QVOMODO SI INVENIATVR GRANVM IN BOTRO &c.

Si Iudæi abiſcientur, & exhæredabuntur a Domino, quid ergo fiet? Num ſic omnes abiſcientur, ut ne unus quidem aut alter ſalutem conſequatur? De hac re concionatur nunc Propheta, & docet, ꝙ & ſi multitudo Iudæorum excæcabitur, & exhęredabitur, tamen reliquiæ ſaluæ fiant. Nam, ꝙ hic de ſalute reliquiarũ concionetur, haud obſcure exponit Paulus, qui ad Romanos ſcribens, hunc locũ Prophetæ imitatur. Poſtq̃ enim recitaſſet, quod ſupra dictum eſt, Expandi manus meas tota die ad populum rebellem, et expoſuiſſet de abiectione Iudæorũ, mox ſubiicit. Dico igitur. Num repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abrahæ &c. Et ſtatim. Sic & hoc tẽpore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt. Hoc plane illud eſt, quod in hoc loco Propheta concionatur. Abiſciẽtur quidẽ & exhæredabuntur Iſraelitę: Sed quemadmodum ſi in uaſtata ab hoſtibus aut feris uinea, aut in exciſione uineæ ſterilis, reliquus adhuc ſit botrus unus aut alter muſto plenus, non abiicitur, aut contẽnitur hic botrus, ſed diligenter conſeruatur, ne diſſipetur, ne pedibus cõculcetur, & agnoſcitur clemẽtia, ac benedictio Dei, & aguntur ei gratię, ꝙ in tanta pauperie uel ſaltem paucos botros integros ſeruarit: ita fiet quoq̃ in abiectione Iſraelitarũ. Magna quidem & horribilis cęcitas irruet in uniuerſam gentem Iſraeliticã, & tñ ſeruabuntur nonnulli diuina clementia, ne una cum alijs pereãt. Sic faciã, inquit Dñs, propter ſeruos meos, ne totum diſperdam. Etſi multitudo Iudæorũ perit, habeo tñ inter Iudæos, adhuc quoſdam ſeruos, quos cõſeruabo, ne una cum impijs abiiciantur. Hi ſerui ſunt Zacharias, Elizabeth, Simeon, Anna, Paſtores, Ioſeph, Maria, Apoſtoli, diſcipuli, & qui ex Iudæis conuerſi ſunt in die Pentecoſtes, & poſtea, ad Chriſtum Dominum noſtrũ. De quibus in Propheta ſequitur. Educã, inquit Dñs, de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentẽ montes meos. Eligã quidem Gẽtes in populũ meũ, non tñ ſic abiiciã Iſraelitas, ut nullũ ex ipſis conſeruẽ, ſed ſeligã mihi aliquot ex Iacob, & Iuda, q una cũ Gẽtibus hęredita bũt montana mea, hoc eſt, fruentur bñficijs meis, quæ conferam in Rom. 11.

meam Ecclesiam. Diligenter autem considerandum est, quod dicitur, paucos pios Iudæos, non abijci propter multos impios: sicut nec in excisione sterilis uineæ, pauci botri musto pleni, conculcantur pedibus, propter reliquas infrugiferas uites. Sunt enim, qui cum uideãt uniuersum uulgum impietati, ebrietati, impudicitiæ, & alijs sceleribus operam dare, existimant se pauciss imos, inter tot impios & ebrios, nihil sua pietate ac uitæ honestate coram Deo effecturos, nec aliquam imminentium suppliciorum mitigationem aut remissionem impetraturos. Itaq; sectantur & ipsi, deserto pietatis studio, exempla uulgi, & ne soli uideantur sapere, uisitant una cum alijs impia sacra, una helluãtur, & prædantur. Monemur igitur hoc loco, ut nos, quamuis pauciss imi, non abijciamus studium uerę pietatis propter multos impios, & sceleratos. Si enim non potes definitum supplicium impiorum omnino tollere, aut mitigare, & uniuersam gentem seruare, certe mitigabis uel soli tibi supplicium, & conseruabis teipsum. Si fuerint, inquit Ezechiel, tres uiri isti in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi iusticia sua liberabunt animas suas &c.

ET HÆREDITABVNT EAM ELECTI MEI, ET SERVI MEI &c.

Dixit filius Dei Gentes in populum Dei eligendas, Israelitas autem, abijciendos quidem, reliquias tamẽ seruandas. Nunc igitur incipit exponere per antithesin, ex una quidem parte, quas benedictiones, & quæ beneficia collaturus sit in Ecclesiam suam, tam ex Iudeis, quam ex gentibus collectam: ex altera autem parte, quæ maledictiones, & quæ supplicia maneant Impios, siue Iudæos siue Gentes. Deus enim non est respector personarum. Ventura est, inquit Paulus, indignatio & ira, afflictio & anxietas aduersus OMMEM animam hominis perpetrantis malum, Iudæi primum, simul & Græci, Gloria uero & honor, & pax OMNI operanti bonum, Iudæo primum, simul & GRÆCO. Non est enim personarum respectus apud Deum. Audiamus igitur Prophetica antitheses.

9. Electi mei hæreditabunt eam, uidelicet Zionem, seu montem Zion, & Serui mei habitabunt ibi. Et erunt Campestria (pro quo hebręus habet, Saron, qui locus præbuit pascua armentis Dauid, i. Paralip. uigesimoseptimo.) in caulas gregum: & uallis Achor, (de qua ualle scribitur Iosuę septimo, & Oseæ secundo) in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me. Dubium non est, e superioribus, quin hic fiat sermo de Ecclesia, quæ per Euangelion e Iudæis & Gentibus colligenda erat. Hæc Ecclesia uocatur Electi & Serui filij DEI, credentes uidelicet in filium Dei,

Dei, per Euangelion. Promittitur ergo huic Ecclesiæ, quod habitatura sit in monte Zion, & q̃ possessura duo pascuosa loca, Saron, & uallem Achor, pro gregibus & armentis suis. Manifestum autẽ est, quod fieri non possit, ut uniuersa Ecclesia habitet corporaliter in Hierusalem & in monte Zion. Et quam cœlestem salutem ac fœlicitatem, ad quam solam nobis aspirandum est, afferet Ecclesiæ, etiamsi oues & boues eius habeant pascua ualde pinguia? Num salus eius constat salute ouium & boum? Quare hæc beneficia non sunt intelligenda iuxta rationem bonorum terreni regni, sed iuxta rationem bonorum regni Christi, quod est spirituale & cœleste, uidelicet, quod reuelato Euãgelio, non carnales, sed spirituales Israelitæ, collecti per Euangelion ex Iudæis & gentibus, habeantur pro uera Zione, seu Ecclesia filij Dei, & quod in hac Ecclesia pinguissima sint pascua, prædicatio uidelicet Euangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. De quibus pascuis concionatur filius Dei etiam in Ezechiele. Congregabo, inquiens, oues meas de terris, & inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas &c. Et hæc quidem de electis & seruis, hoc est, de Ecclesia piorum. Quid autem fiet de abiectis, & impijs? Et uos, inquit, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. Pro hoc: Qui ponitis fortunæ &c. hebræus ita legit: Qui adornatis mensam ipsi Gad, & consecratis Libamen ipsi Meni. Quid uero significent hoc loco Gad & Meni uaria est interpretum sententia. Nam Gad existimant alij esse Iouem, alij Fortunam, Alij Martem. Meni autem sentiunt alij esse Planetas, alij Mercurium, a numerando uidelicet, מנה Manah enim significat Numerare, Vnde & Minam descendere putant. Quicquid autem hæc duo uocabula significent, certe recitantur hic ea sacra, quorum nominibus significantur impietas & Idolatria, quibus Iudæi & Gentes ita dederunt operam, ut præ ipsis Christum filium Dei abiecerint, & condemnauerint. Nam quod Pharisæus fecit operibus suarum traditionum, hoc fecit Ethnicus sacrificio suo, quod obtulit Ioui aut Mercurio. Et quod Ethnicus sacrificio suo fecit, hoc idem fecit Pharisæus cultu suarum traditionum. Vtrobiq; eadem erat impietas, & si species operum erat diuersa. Quid ergo fiet hominibus tam impijs, & tam deploratæ cæcitatis? Numerabo uos, inquit, ad gladium. Dixit, impios libare Meni, hoc est, Deo Numerorum, seu Mercatorum. Excipit igitur hoc uocabulum, & dicit: Quia uos libatis Meni, uel Numeratori, idcirco Manithi, hoc est, numerabo uos ad gladium, & corruetis omnes cæde, propterea quod cum uocarem Ezech. 34.

uos Euangelio meo, non respondistis, non obedijstis, & cum loquerer, cum adnunciarem uobis Euangelion meum, non uoluistis audire, Sed perrexistis facere malum coram me impudenter, & suscepistis ea facienda, quæ ego detestabar & abominabar. Habes iterum, quæ sit præcipua causa abiectionis & condemnationis impiorum Iudæorum, & sceleratarum gentium. Sacrificauerunt quidem Gad, & Libauerunt Meni, nondum tamen desperatum erat de salute eorum. Si enim obedijssent Euangelio per fidem, & agnouissent filiũ Dei, omnes illæ impietates fuissent remissæ. Postquam autem non solum impia fecerunt, sed etiam Euangelion Christi audire noluerunt, & Christum aut abiecerunt, aut contempserunt, tum demum traditi sunt æternæ damnationi. Quare & si summa opera dãda est, ne peccemus, tamen siquidem peccauimus, non est cumulandum peccatum peccato, ut fastidiamus Euangelion Christi, sed agnoscẽdum est Euangelion, ut accepto Christo per fidem, accipiamus etiã remissionem peccati, & Iustificemur coram Dño Deo nostro.

2. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus, Ecce serui mei comedent &c. Alia antithesis. Etsi autem hæc de esu & potu piorum, ac de esurie & siti impiorum, possunt intelligi de donis corporalibus, uidelicet q̃ filius Dei efficiat, ut pij etiam in media rerũ penuria sufficientem habeant uictum & amictum, sicut apud Matthæum dicitur, Primum quærite regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Et Paulus: Nihil habentes & omnia possidentes, Impij autem, etiam in medijs diuitijs, & in omni rerum abundantia, si bi egeni & pauperes uideantur. Alij, inquit Salomon, rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Et in Psalmo: Diuites eguerunt & esurierunt, tamen quia tractatur hic de regno Christi, quod est spirituale, hæc quoq; præcipue de donis spiritualibus intelligenda sunt. Edunt em̃ & bibunt pij, quia donatur eis Christus filius Dei, una cum omnibus bonis suis, ut cum ipsum fide accipiunt, habeãt cibum & potum conseruantem ipsos ad æternam uitam. Vnde apud Ioannem dicit Christus, Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et mox. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Et iterum: Quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum &c. Impij autem, siue inter Iudæos, siue inter gentes, esurient & sitient, quia cum contemnunt Euãgelion Christi, & abijciunt Christum, non habent nec cibum nec potum, quo possint ad ueram & cœlestem uitam conseruari, sed necesse habent ea fame & siti perire, de qua in Amos: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum Domini.

Ecce

Ecce ſerui mei lætabuntur,& uos cõfundemini. Ecce ſerui mei lau 3.
dabũt &c. Sed quid? Cum pĳ uarĳs afflictionibus in hoc ſeculo ob-
ruantur,& impĳ omni genere fœlicitatis fruantur, quis illis mœſti-
or ac triſtior, his autem lętior et alacrior uidetur? Loquitur ergo hic,
non de carnis,ſed de ſpiritus gaudio,atq; triſticia. Pĳ enim, &ſi car-
ne affliguntur, tamen quia habent pacem conſciẽtiæ per Ieſum Chri
ſtum,lętantur ſemper in Domino,quod utcunq; res in hoc ſeculo ca
dat,certi ſint,politeuma ſuũ eſſe in cœlis, ex quo & ſeruatorem Do-
minum Ieſum Chriſtum expectãt, qui transfigurabit humile corpus
noſtrum,ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo &c. Impĳ aũt &ſi
carne plurimum lætantur & iubilant, tamen quia repoſita eſt eis æ-
terna internecio, quæ & ſuo tempore reuelabitur in ipſis,recondi-
tus etiam eſt in latebris cordium ipſorum ętternus dolor & ululatus.

Et dimittetis nomen ueſtrum in Iuramentum ſeu execrationem
electis meis &c.

Eſt & hæc Antitheſis nominis piorum & impiorum. Nomen e- 4.
nim impiorum erit pĳs execrabile, propterea quod Dominus Deus
afficiat eos probroſa morte. Pĳ autem uocabuntur alio nomine. Etſi
uero Eccleſia Chriſti habet nunc aliud & nouum nomen: Non enim
uocãmur amplius uel Iudęi uel Ethnici,ſed Chriſtiani. Et inter Chri
ſtianos nomina Iudęorum & Ethnicorum tam execrabilia habentur,
ut ſi quis uelit ſignificare alicuius rei internecionẽ,dicere ſoleat: Hęc Es iſt ver
res tam perdita eſt,quam perdita eſt anima Iudęi: tamen exiſtimo hic loren/als
more Hebræo,per nomina magis res ipſas,quam uocabula ſignifica eins Ju-
ri,ut ſit ſenſus. Longe aliter res ſeſe cum Eccleſia mea habebit,q; ha den ſeel.
ctenus ſeſe cum Iudæis & Ethnicis habuit. Nam Iudæi uiſi fuerunt
populus a Deo electus & Sanctus. Ethnici habiti ſunt pro uiris po-
tentiſsimis & ſapientiſsimis. Nunc autem, poſtquam reuelabitur
& diuulgabitur Euangelion, & congregabitur Eccleſia ex Iudæis &
Ethnicis,impĳ Iudæi erunt abiecti & execrabiles cum omnibus re-
bus ſuis. Et impĳ Ethnici,qui non conuertuntur ad Chriſtum,iudi-
cabuntur lõge omnium ſtultiſsimi. Vera autem Eccleſia poſsidebit
in Chriſto Domino ſuo Sanctitatem,potentiam,& ſapientiam. Præ
dicamus,inquit Paulus,Chriſtum crucifixum,Iudæis quidem offen
diculum, Græcis uero ſtulticiam, ſed ĳſdem uocatis Iudæis pariter
& Græcis,Dei potentiam,& Dei ſapientiam. Et iterum: Ieſus Chri-
ſtus factus eſt nobis ſapientia a Deo,Iuſticia,Sanctificatio,& redem
ptio. Hæc ſunt illa alia nomina, quæ nunc Eccleſiæ tribũuntur, &
quibus res nouæ ac cœleſtes explicantur.

IN QVO QVI BENEDICTVS ERIT SV
PER TERRAM, BENEDICETVR &c.

Hoc iuxta Hebræam ueritatem ſic legendum eſt: Qui benedi-

cet se in terra, benedicet se in Deo uero. Et qui iurauerit in terra, iurabit in Deo uero. Cum autem filius Dei cœperit supra, per antitheses commemorare beneficia piorum, & supplicia impiorum, pergit nũc, omissis impijs, bona piorum prosequi, ut uera Ecclesia, & si cruce in hoc seculo premitur, tamen intuens in has promissiones, admoneatur suæ fœlicitatis, quam habet in Christo repositam, & quæ suo tẽpore certissime reuelabitur. Nunc filij Dei, inquit Ioannes, sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est. Audiamus igitur quę bona filius Dei de Ecclesia sua commemoret. Qui benedicet se in terra, benedicet se in Deo uero. Terra hæc, est terra Zionis, locus Ecclesiæ, imo Ecclesia ipsa. In hac enim uera est benedictio, quam affert, non ab Idolis, non a Magis & Incãtatoribus, sed a Deo uero, qui est Iesus Christus Dominus noster. Nam alię gẽtes, siue Iudæi, siue Ethnici, si quando cupiunt benedictionem, aut salutẽ uel corporis, uel animæ, properant ad idola, ad commẽticia sua sacra, ad augures, ad Magos, ad somniatores, ad Pythones, sed nõ assequũtur eam. Vera autem Ecclesia, benedictionis cupida, benedicit se in uero Deo, hoc est, cõuertit se ad uerum Deum, Iesum Christum Dominum nostrę. Hic enim est super omnia Deus bñdictus in seculà, ut Paulus ait. Et hic est uerus Deus, & uita ęterna, ut Ioannes ait. De hoc ad Abrahamum dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad hunc remittit auditores suos Moses, IPSVM, inquiens, audies. Quare si quando uera Ecclesia desiderat benedictionem uel remissionis peccatorum, uel iusticiæ, uel liberationis ex aduersis, uel æternæ uitæ, ac salutis, non alio se confert, quam ad hunc uerum Deum, & benedictum semen Abrahæ, e quo etiam uero Deo, & uero homine consequitur omnem suam benedictionem.

Rom. 9. *1. Ioan. 5.*

Et additur hic: Qui iurauerit in terra, iurabit in Deo uero. In Exodo dicitur: Per nomen externorum Deorum non iurabitis. Et in Deuterono. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis. Hoc autem uere, in uera Ecclesia Domini obseruatur. Iurare enim non in externis dijs, sed in Deo uero, hoc loco, est solum uerum Deum colere, & non alienos Deos. Ecclesia igitur Domini per Euangelion ex Iudæis & Gentibus collecta, non agnoscit alium Deum, præter Iesum Christum Dominum nostrum. Agnoscit quidem in diuinitate etiam alias duas personas, Patrem & spiritum Sanctum, non agnoscit autem alium Deum, præter Christum uerum & unigenitum filium Dei. Et fieri solet, ut & in Ecclesia, post diuulgatum Euangelion, instituantur idola & impia sacra, sed quemadmodum olim sub cultu Baal conseruata sunt septem milia uirorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal, ita uera Ecclesia spiritusancto

Exod. 23. *Deutero. 6.*

sic con

sic conseruatur, ut & si aliquoties una cum alijs erret, tamen errorem uel tandem agnoscat, & omnem impietatem detestetur, ac Christum solum uerum Deum, & Seruatorem suum ueneretur. Oues meæ, inquit, uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea.

QVIA OBLIVIONI TRADITÆ SVNT ANGVSTIÆ PRIORES &c.

Aliud bonum, quod in uera est Ecclesia. Priores angustiæ ueniunt in obliuionem, & ita abscõduntur, aut absorbentur, ut etiam coram meis, inquit filius Dei, oculis non amplius appareant. Etsi autem Ecclesia pressa est magnis angustijs in Ægyptiaca seruitute, & postea a finitimis Gentibus, tamen de his angustijs non fit nunc proprie sermo, sed de angustijs, quę ueniunt ex peccato, ex morte, & doloribus inferni. Hæ sunt antiquæ angustiæ, quæ iam inde a condito orbe irruerunt in humanum genus. Sed bene nunc habet. Postquam uenit Christus, & collegit per Euangelion Ecclesiam suam ex Iudæis & Gentibus, omnes illæ antiquæ & priores angustiæ ita sublatæ sunt, ut & si in oculis humanis uideantur adhuc dominari, tamẽ in oculis Dei ne uestigium quidem earum appareat. Christus enim expiauit peccatum, & uicit mortem, ac triumphauit de doloribus inferni, ut Ecclesia eius, quæ in ipsum credit, habeatur coram ipso Sancta, & cõseruetur in morte, ac eripiatur e doloribus inferni, & transferatur ad æterna cœlestis regni gaudia. Quare, cum antiquę illæ angustiæ impetum in nos faciũt, cogitemus eas non esse rei ueritatem, sed eũanida tantum spectra, quæ cum filius Dei obliuioni tradiderit & ab oculis suis absconderit, adeoque e medio sustulerit, fieri nõ potest, ut etiã in eo, qui factus est per fidem membrum Christi, diu hærere, & perdurare queant.

ECCE ENIM, EGO CREO COELOS NOVOS, ET TERRAM NOVAM, &c.

Etsi dubium non est, quin in nouissimo huius seculi die, cœli, iuxta sententiam Petri, procellæ in morem transituri sint, & elementa æstuantia soluantur, terraque, & quæ in ea sunt opera, exurantur, ac expectemus, iuxta promissum DEI, cœlos nouos, ac terram nouam, in quibus iusticia inhabitat, tamen sentiendum est, quod etiam in die Pentecostes, quo Spiritus sanctus missus est Apostolis, noui cœli, & noua terra suo modo creata sint, & in Ecclesia semper perdurent, donec in extremo die omnia, etiam extrinsecus renouentur. Vetus enim & obscurum cœlum, & uetus ac sterilis terra nobis uidentur, cum grauati onere peccati, & exterriti iudicio eius incedimus tristes, metuentes mortem & infernum,

& ut Moſes ait, timemus die ac nocte, nec credimus uitæ noſtræ. Nam qui affecti ſunt, iis cœlum tam obſcurum uidetur, quam olim erat, cum ab initio tenebræ adhuc erant ſuper faciem abyſsi. Videtur & terra tam informis, quam tum erat, cum nondum fuit plantis ueſtita. Et tale uetus cœlum, ac talis uetus terra ſemper ita, iam inde ab Adamo ex Paradiſo expulſo, uſque ad Chriſtum, in eorum apparuit oculis, qui fuerunt propter peccata terroribus mortis & inferni concuſsi. Poſtquam autem uenit Chriſtus, & expiauit peccatum, ac miſit Eccleſiæ ſuæ Spiritum ſanctum, ibi tum uetera præterierunt, & noua facta ſunt omnia. Vide mihi, exempli gratia, Petrum. Hic, cum exiret, poſt abnegationem Chriſti, ex atrio Pontificis, an non uiſus eſt ſibi uidere extremas in cœlo & terra tenebras, quales olim in initio creationis fuerunt? Sed cum poſtea exiret, accepto Spiritu ſancto, e cœnaculo in die Pentecoſtes, & ſuſciperet concionem de Chriſto habendam, an non uiſa ei fuerunt omnia tam in cœlo, quam in terra renouata eſſe? De tali ergo renouatione cœli & terræ loquitur Filius Dei hoc Prophetæ loco, cum ait: Ecce, ego creo cœlos nouos, & terram nouam. Quomodo autem hoc fiet? Non erunt (inquit) in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor.

Hactenus afflicti fuiſtis mãgnis & grauibus aduerſis. Peccatum incuſsit uobis hactenus tantum timorem & tremorem, ut ad mortis & inferni mentionem tota mente cohorrueritis. Nunc autem tanta erit fœlicitas temporum, ut non memineritis amplius ueterum afflictionum & dolorum, nec eorum unquam uobis in mentem ueniet. Expiato em̃ peccato, & uicta morte, atq; extincto inferni igne, quid eſt, quod deinceps metueretis? Quin potius gaudebitis & exultabitis perpetuo in his, quæ ego creo. Omnia, quæ ego creaui, ſiue cœlum ſiue terra, uidebantur uobis præ mœſticia cordis ueſtri, & præ metu mortis & inferni, inueterata, & obtenebrata. Et quia animus erat plenus triſticiæ & doloris, nihil uobis iucundum & delectabile erat, nec in cœlo, nec in terra. Nunc uero, poſtquam animus impletus eſt per Euangelion, æterno gaudio, & perfuſus eſt cœleſti lætitia, omnia erunt uobis noua, iucunda, & delectabilia. Quod cum ita ſe in Eccleſia & in regno Chriſti habet, quid triſticia affecti, & mortis ac inferni horrore concuſsi faciamus? Non hoc nobis agendum eſt, ut quæramus terrenam læticiam, & humanas conſolationes. Hæ enim, ut non uere animum exhilarant, ita non afferunt firmum & ſtabile gaudium: ſed in hoc ſtudium nobis incumbendum eſt, ut conferamus nos in ueram Eccleſiam, & in regnum Chriſti. Ibi enim inueniemus eas conſolationes, quæ afferunt æternum gaudiũ, & reddunt nobis nouum cœlum, & nouam terram, ac omnia in eis

grata

grata & iucunda. Cæterum, ad conferendum te in Ecclesiam & regnum Christi, non est opus, ut properes ad externam urbem Hierusalem aut Romam, nec ut accedas ad sacrificia Missarum, quæ solent pro peccatis uiuorum & mortuorum offerri, aut ad κοινόβια Monachorum, Sic enim magis ab Ecclesia recedis, quam ad eam accedis. Sed audiendum est Euangelion Domini nostri Iesu Christi, & credendum est, agnitis peccatis, in Iesum Christum, quod ipse sit propiciatio pro peccatis nostris. Hoc si fecerimus, datur nobis spiritus sanctus, qui non solum affert pacem conscientiæ, & cœleste gaudium animi, uerum etiam accendit corda nostra, ut serio detestemur peccata, & in operibus iusticiæ ambulemus.

QVIA ECCE EGO CREO HIERVSALEM, EXVLTATIONEM, ET POPVLVM EIVS GAVDIVM &c.

Filius Dei creat per Euangelion suum, non solum nouos cœlos, & nouam terram, sed etiam nouam urbem Hierusalem. Sicut & in Apocalypsi dicitur. Vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut Sponsam ornatam uiro suo. Vetus enim Hierusalem, ea urbs est, qua nec Deus, nec ciues eius delectari, & gaudio affici poterant. Vidit enim Deus ciues & incolas eius urbis, & ecce omnes erant natura peccatores, omnes declinauerant, non erat, qui faceret bonum, ne unus quidem. Quomodo igitur potuisset Deus, qui odio habet peccatum & iniquitatem, ea delectari, & in ea exultare? Ciues autem & incolæ eius urbis, quia erant peccatores, necesse habuerunt multas afflictiones propter peccata sufferre, & ad mentionem mortis ac inferni cohorrescere. Et quia in ea urbe omnino moriendum erat, audita fuit ibi uox fletus & clamoris. Quare, etsi potuit aliquoties in ea urbe carnale gaudium, & mundana exultatio fieri, tamen quia moriendum, & ad infernum descendendum erat, nunquam potuit uerum ac firmum gaudium concipi. Nunc autem creo, inquit filius Dei, Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium. Nunc creo nouam Hierusalem, in qua & ego exultem, & ciues eius ita exhilarentur, ut in ea nunquam amplius audiatur uox fletus & clamoris seu eiulatus. Hæc noua urbs Hierusalem est uera Ecclesia Domini nostri Iesu Christi. Creatur autem per Euangelion, quod initio reuelatum & confirmatum est misso Spiritu sancto, in urbe Hierusalem, & ex eo loco diuulgatum in totum orbem terræ. Videamus ergo, quomodo hæc noua Hierusalem fiat exultatio & gaudium, & quomodo aboleatur in ea uox fletus & eiulatus. Nam uera & propria omnis mœsticiæ & fletus causa est PECCATVM. Ex hoc enim ortæ sunt afflictiones tam corporales, quam spirituales. Ex hoc orta est

mors. Ex hoc succensus & inflammatus est ignis inferni. Ex hoc
Gen. 3. orta est perpetua damnatio, quemadmodum Genesis, & postea
Deutero. 28. Deuteronomium testificantur. Quæ autem potest ibi esse exultatio, quod gaudium, ubi sunt afflictiones, mors, infernus & perpetua damnatio? Quare ubi peccatum est, ibi omnis sit mœsticia, & sempiternus eiulatus, necesse est. Euangelion autem adnunciat & promittit omnibus credentibus in CHRISTVM, ueram & certam remissionem peccati propter CHRISTVM. Remisso autem peccato, afflictiones non possunt amplius perdurare, mors non potest nocere, ignis inferni non potest ueræ saluti periculum creare, nec perpetuam damnationem inferre. Etsi enim hæc solent adhuc exitium minari, & uehementer tumultuari, tamen, quia ademptæ eis sunt uires, uana est ira eorum. Ad hæc, Euangelion CHRISTI donat omnibus in CHRISTVM credentibus, iusticiam CHRISTI, & adoptat eos in cohęredes CHRISTI, ut una cum ipso fruantur uictoria mortis, & æterno cœlestis regni gaudio. Dixit autem Pater de CHRISTO Filio suo: Hic est filius meus dilectus, quo unice delector. Reliquum igitur est, quod & his delectetur, & in his exultet, quos uidet iusticia filij sui donatos & ornatos. Quare, cum Euangelion Christi sit in die Pentecostes, misso Spiritu sancto, in urbe Hierusalem patefactum, & confirmatum, ac cœperit tunc tam ex Iudæis quam ex Gentibus colligere Ecclesiam, quæ, cum fide acceperit Euangelion, donata sit remissione peccatorum, iusticia Christi, & adoptione in filios Dei, rectissime ac uerissime dicitur, quod tunc cœperit creari noua urbs Hierusalem, qua & DEVS ipse delectetur, & in qua non amplius audiatur uox fletus & eiulatus. Cur enim ciues huius urbis flerent, cur eiularent? Num propter magnitudinem peccati? Sed peccatum remissum est. Num propter afflictiones? Sed hæ adiumento sunt in bonum. Num propter mortem? Sed hæc uicta est. Num propter horrorem inferni? Sed uanæ sunt inferni minæ, propter IESVM CHRISTVM filium DEI. Non igitur habet amplius uera DEI Ecclesia, cur fleat, & lamentetur. Caro quidem, aduersis in hoc seculo pressa, committere non potest, quin doleat, lacrymas profundat, & de sua infœlicitate conqueratur, at interea Spiritus ridet & contemnit has lacrymas, quippe quod certus sit per CHRISTVM DOMINVM suum, aduersa huius seculi non esse nisi uana somnia, ex quibus expergefacti, eo maiorem fœlicitatem consequimur, quo tristiora fuerunt aduersa. Conferamus igitur nos in hanc nouam urbem Hierusalem, & fiamus ciues eius, (id quod fit per ueram in CHRISTVM fidem) ut ab oculis nostris omnes lacrymæ abstergantur.

Non

NON ERIT IBI AMPLIVS INFANS DIERVM, ET SENEX, QVI NON&c.

Alia prærogatiua nouæ urbis Hieruſalem. Non erit deinceps in ea mortalitas. In mortalitate enim abripiuntur peſte infantes & adulti, priuſquam ad iuſtam ætatem ac ſenectutem peruenerint. In noua autem Hieruſalem, omnes peruenient ætate ſua ad iuſtos & legitimos ſuos dies & annos. Quare non erit in ea mortalitas. Neq; enim quiſquam in ea morietur, niſi ſi forte acceſſerint ad eam נער Naar, hoc eſt, Stultus (Sic enim & Germani ab hoc Hebræo uocabulo nominant ſtultum, ein Naarren &c. Et חוטא Hote, hoc eſt, peccator. Hi enim, Stultus uidelicet, ſeu Impius & peccator neceſſe habent maledici, mori, & perire, etiamſi centum annos in hoc ſeculo fœlices ac fortunati uixerint. Veri autem ciues huius nouæ urbis Hieruſalem perpetuo uiuent, & benedicentur. Hoc illud eſt, quod Chriſtus poſtea in Ioanne dixit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat æternam uitam. Et mox. Qui credit in eum non condemnatur. Qui uero non credit (hic eſt ſtultus ille & peccator, de quo hic in Eſaia fit mentio) iam condemnatus eſt, uidelicet, etiamſi adhuc centum annos in hoc mundo fœlix uiuat. Et iterum: Ego ſum, inquit Chriſtus, Reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Habes ergo, quod in noua urbe Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia, nulla ſit mortalitas. Sed quod ciues in ea perpetuo uiuant. Nec quiſquam in ea moriatur, niſi adulterini & illegitimi ciues, & exteri, prophani, & alienigenæ, qui ſunt ſtulti, impij, & impœnitentes peccatores.

ET ÆDIFICABVNT DOMOS, ET HABITABVNT, PLANTABVNT VINEAS, &c.

In Deuteronomio capite uigeſimooctauo extant maledictiones in eos, qui non cuſtodiunt legem Domini. Domum, inquit, ædificabis, & non habitabis in ea. Vineam plantabis, & non uindemiabis eam &c. Cum igitur filius Dei hoc loco promittat in Eccleſia ſua futurum, ut non alius ædificet, alius inhabitet, & non alius plantet, alius fruatur, manifeſte ſignificat ſe aduentu ſuo ſublaturum maledictiones legis, & redditurum benedictiones, ut qui ædificet & plantet, etiam fruatur laboribus ſuis. Quid ergo? Num hæc fient, pro more mundanorum regnorum? Et cuius facultates magis diripiuntur, quam Eccleſiæ, hoc eſt, uere piorum? In Epiſtola ad Hebræos cap. 10. pij accipiunt quidem cum gaudio direptionem facultatum ſuarum, exuuntur tamen facultatibus:

Et quæ postea proscriptiones, exilia, imo & mactationes Ecclesiæ Christi à Iudæis & Ethnicis illatæ sunt? Hoccine est ædificare domum, & inhabitare eam? plantare uineam, & ea frui? Considera igitur mihi, quod cum regnum Christi non sit de hoc mundo, nec hæ benedictiones sint mundanæ, sed sunt spirituales & cœlestes. Christus enim dicitur sustulisse maledictiones legis, & attulisse benedictiones, quod expiauerit peccatum, & impetrauerit sua cruce & morte, ut lex non possit amplius credentes in ipsum, execrari & damnare. Christus redemit nos, inquit Paulus, ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Quare etsi diripiuntur adhuc Ecclesiæ domus, uineæ, & aliæ facultates in hoc mundo, tamen quia peccatum expiatum est, hæ direptiones magis sunt lucro, quam damno, & plus sunt emolumento, quam detrimento. Omnis, inquit, qui reliquerit domus aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem.

SECVNDVM DIES LIGNI ERVNT DIES POPVLI MEI, ET OPERA MANVVM &c.

Alia benedictio Ecclesiæ. In Genesi plantatur in paradiso non tantum lignum scientiæ boni & mali, sed etiam lignum uitæ. Sed quia Adam peccauerat esu ligni scientię boni & mali, expellit ex paradiso ne uescat ligno uitę, & uiuat inęternum. Postq̄ autem Christus uenit & peccatū expiauit, restituit Ecclesiā suā paradiso, ut uescat de ligno seu arbore uitę. Secundū dies, inqens, ligni, uide licet uitę, erunt dies populi mei, hoc est, Ecclesia mea erit longęua & durabilis. Nec ipsa tm̄ durabilis erit, sed & opera eius erunt durabilia. Inueterabunt, inquit, cū electis meis opera eorę. Si excitauerint ædificiū, sicut ipsi erūt longęui, ita & ædificium una cū ipsis perdurabit. Ecclesia em̄ dicit esu ligni uitæ longęua & uiuax, partim, quod cum impij non dimidient dies suos, pij semper suos dies, quemadmodum supra dictum est, impleant. Nam sat diu uixit, qui sat bene uixit, partim quod Ecclesia, inuito Satana & mundo, conseruatur in hoc seculo usq; ad nouissimum diem, partim quod qui uere in Christum credunt, nunquam pereant, sed habeant æternam uitam. Opera autem Ecclesiæ perdurare dicunt, q̄ labor eius non sit inanis in Domino, quemadmodū Paulus ait, & q̄ congreget fructum, sicut Christus dicit, in uitam æternam.

1. Cor. 15.

Ioannis 4.

NON LABORABVNT FRVSTRA, NEQVE GENERABVNT IN CONTVRBATIONE &c.

In Genesi capite tertio extant duę maledictiones. Altera uiri, ad quē dicit: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &c.

&c. Altera mulieris, ad quam dicitur: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios. Promittit ergo filius Dei, quod hæ maledictiones sint in Ecclesia sua abolendæ & mutandæ in benedictiones. Viri enim non amplius laborabunt frustra. Terra non erit maledicta in operibus ipsorum, nec germinabit spinas & tribulos, sed erit fertilissima. Mulieres non parient amplius in dolore & terrore, sed in gaudio & lętitia. Quia semen benedictorum Domini sunt, & germen eorum cum eis, hoc est, hi, qui sunt membra Ecclesię, non sunt amplius posteri Adam, qui propter peccatum subiectus fuit maledictioni, sed sunt posteri benedicti a Domino, qui est Iesus Christus, in quo benedicentur, inquit, omnes gentes. Nec ipsi tantū sunt benedicti, uerum etiam germen seu nepotes eorum benedicti sunt, siquidem & ipsi agnoscunt Christum, ueram nostram benedictionem. Cæterum, quemadmodum ea, quæ supra dicta sunt, intelligenda sunt pro ratione regni Christi, ita & hæc prærogatiua Ecclesiæ intelligi debet iuxta regni Christi conditiones. Aduentus enim Christi in hunc mundum, nihil mutauit in naturali rerum huius seculi cursu, & in mundanis regnis, ideoq; terra profert adhuc spinas, & mulieres pariunt in dolore liberos suos: Sed Christus expiauit peccatum, & reconciliauit humanum genus, cum Deo Patre suo. Vbi autem peccatum est expiatum, & Deus est propicius, ibi uir non laborat frustra, nec terra profert spinas, etiamsi spinis obducta uideatur, quia uir uere in Christum credens, benedictus est in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus terræ eius, benedicta horrea eius, quemadmodum Lex loquitur. Et mulier non parit amplius in dolore & conturbatione, etiāsi nō tantum grauissimo partu laboret, uerumetiam in partu moriātur, quia mulier fiet salua, inquit Paulus, per liberorum generationem, si manserint in fide, dilectione, & sanctificatione, cum castitate.

ERITQVE ANTEQVAM CLAMENT, EGO EXAVDIAM, ADHVC ILLIS &c.

Alia Ecclesiæ prærogatiua, quæ & ad solam Ecclesiam, & ad nullam aliam gētem pertinet. Hoc autem plane illud est, quod Christus in Ioanne dicit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Et Paulus: Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Postq; enim Christus filius Dei uenit in hunc mundum, dedit potestatem filios Dei fieri omnibus ijs, qui credūt in ipsum. Factus est, inquit, legi obnoxius, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret, ut adoptionē ius filiorum acciperemus. Considera aūt mihi, qualis sit parentū affectus (siquidē non fuerit tyrānide Satanæ euersus) erga filiū suū. Etsi an. filius adhuc est infans, & nō potest prę ętate disertis uerbis petere

a parente, quæ ipsi necessaria sunt, tamen parens eo est ingenio, ut priusquam infans aliquid uerbis petit, curam eius habeat, & quæ ad salutem eius necessaria sunt, pro uirili prouideat, adeoq; priusquam clamat, exaudiat eum. Dum infans aut dormit & stertit, aut colludenti arridet, nihil minus, quam de rebus sibi necessarijs clamans, pater interim cogitat & deliberat, ne quid ei rerum necessariarum desit. Alienus quispiam, qui non est filius, haudquaquam tantæ est curæ, ut qui ne uociferans quidem exauditur, tantum abest, ut exaudiatur, priusquam uociferetur. Filius autem, quia habet parentis affectum sibi obnoxium, exauditur, quamuis sæpe aliud agens, sæpe etiam manifeste repulsus. Quid ergo dicemus? Putas ne affectum Dei Patris esse humano affectu immitiorem, & crudeliorem? Absit. Qui creauit talem affectum in patre homine, erga filium suum, uoluit hac effigie suum paternum affectum quasi adumbrare, & quodammodo uisibilem reddere. Ex uisibilibus enim cognoscuntur inuisibilia Dei, ut Paulus ait. Quare, cum ij, qui credunt in Christum, adoptantur in filios Dei, perspicuum est, quod Deus gerat paternam eorum curam, etiamsi ipsi interea aliud agant, & prouideat eis, de rebus ad salutem necessarijs, priusquam aliquid disertis uerbis petierint. Quid igitur faciamus? Si hæc est Ecclesiæ prærogatiua, quid opus est, ut nos multis precibus defatigemus? quin cogitemus, imo ne cogitemus quidem de inuocando Deo, cum priusquam clamauerimus, exaudiamur. Considera igitur mihi, quod hæc prærogatiua impetrata est Ecclesiæ a Christo, non ut non inuocet Deum, sed ut eo magis inuocet, quo de exauditione certior est. Inuocatio enim exigitur a nobis diuinitus, non quod Deus delectetur humana eloquentia, aut mitigetur oris nostri multiloquio, sed ut inuocatione glorificemus nomen Domini, ac testemur nostram obedientiam, & accendamus fidem nostram, ad accipienda ea, quæ petimus, beneficia. Fides autem hac promissione & prærogatiua, quam filius Dei hic recitat, Erit antequam clament, exaudiam &c. maximè omnium accenditur & inflammatur. Quare tantum abest, ut hæc prærogatiua nos ab Inuocatione & recitatione precum abducat, ut potius ad eam nos inuitet, & accendat. Nam quod aliquoties uideamur in precibus nostris repulsam pati, non ex eo uenit, quod Deus non exaudierit preces, sed quod collaturus sit in nos aliquid melius, quam quod uerbis postulauimus. Etsi enim Deus non semper exaudit preces nostras, iuxta nostram uoluntatem, tamen semper exaudit eas, iuxta nostram utilitatem, Si modo ex fide in Christum nomen eius inuocauerimus.

LVPVS ET AGNVS PASCENTVR SIMVL, ET LEO ET BOS &c.

Eadem

Eadem plane habentur supra capite undecimo. Et quia hæc eo loco copiose explicuimus, non est, cur superuacanea eiusdem rei iteratione lectori fastidium pariamus. Vnum tantum hic additur, cuius sententia significatur quidem supra, uerba autem aliter hic recitantur. Serpenti, inquit, puluis panis eius. In Genesi enim serpens maledicitur, & audit: Terrã, seu puluerem comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Significat autem potentiam Satanæ deijciendam, & in puluerem deducendam esse. Cum igitur hoc loco dicat, panem seu cibum serpentis puluerem esse, manifeste significat, quod quæ maledictio in Genesi dicta est in Satanam, uere impleatur in Ecclesia. Satan enim uictus a Christo, et in puluerem prostratus, non habet amplius aliquid iuris in Ecclesiam, quam adhuc affligere quidem potest, nocere autem non potest, Sed est ludus Ecclesiæ, sicut capite undecimo dicitur: Delectabitur infans ab ubere super uoramina aspidis &c.

CAPVT LXVI.

HÆC DICIT DOMINVS: COELVM SEDES MEA, TERRA AVTEM SCABELLVM, &c.

In capite proxime præcedenti reijcit filius Dei Iudæos, & eligit gentes in Ecclesiam suam, ac recitat Ecclesię ex reliquijs Iudæorum, & ex Gentibus collectæ fœlicitatem, impiorum autem infœlicitatẽ. Eodem plane statu constat, & huius ultimi capitis concio, quæ insuper & hoc statim in initio addit, quod una cum impijs Iudæis, etiam templum, cultus & sacra eorum reijciuntur. Etsi enim templum & sacra Leuitica instituta fuerunt diuinitus ad salutarem usum, donec Christus ueniret, impij tamen ijs semper ita abusi sunt, ut fierent coram Deo sordida & abominabilia. Quare iustissimo Dei iudicio factum est, ut una cum impijs sacrificulis & cultoribus, etiam sacra & cultus abijcerentur. Sed de hac re audiamus, quæ filius Dei concionetur. Cœlum, inquit, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Vbi est igitur illa domus, quam ædificabitis mihi? Vides statim in principio concionis reijci & abrogari templum. Quid ita? an non fuit diuino mandato institutum? an non fuit miraculis de cœlo sanctificatum? Recte, Sed non in eum usum, quem impij & impœnitentes Iudæi somniabãt. In instituendo enim templo Hierosolymitano consilium DEI fuit, ut alligaret, non quidem perpetuo, sed usque ad aduentum Christi in carne, Ecclesiam suam ad certum locum, & ad certa sacra, quibus conseruaretur uera doctrina de Lege, de Messia, aut Christo, & de regno Christi,

ãc propãgaretur ad posteros, ut populus Lege & Euangelio erudi-
tus ageret pœnitentiam, crederet in Christum peccati expiatorem,
inuocaret Deum ex uera fide in Christum, & ambularet in uocatio-
ne Dei, donec ex hoc mundo ad hæreditatem cœlestis regni reipsa
percipiendam euocaretur. Hypocritæ autem & impij Iudæi nihil mi
nus agebant, quam ut darent operam cognoscendę legi, & agnoscen
do Christo per fidem, Sed potius persequebantur eos, qui hanc sa-
lutarẽ & necessariam doctrinam urgebant: & cum nec ullam agerẽt
pœnitentiam, nec bona opera in Decalogo, præsertim de uera fi-
ducia in Deum, de uera inuocatione Dei, & de uerâ dilectione pro-
ximi, præcepta sectarentur, sperabant tamen & iactabant se iusticiã
am & salutẽ cultu & sacris huius templi consequi. Vnde & cum Hie
remias minaretur eis deuastationem propter impietatem & impœ-
nitentiam, uociferabantur, & iterabant, Templum Domini, tem-
plum Domini, &c. significantes, se satis tutos esse ab imminenti-
bus malis, propter templum & sacra eius, etiamsi alioqui omni ge-
nere uitiorum sordidati essent, & nullam prorsus pœnitentiam age-
rent. Sentiebant enim Deum huic templo & sacris eius ita alliga-
tum, ut non posset ea deserere, & populum huius templi, & sacro-
rum eius cultorem abijcere. Etsi autem Salomon iam ante in dedica-
tione huius templi damnauerat istam sententiam & impietatem: Er-
3.Reg.8. gone, inquiens putandum est, quod uere DEVS habitet super
terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt,
quanto minus domus hæc, quam ædificaui tibi: tamen impij & im-
pœnitentes hæc dicta surdis auribus transibant. Quare filius Dei
suscipit per Esaiam, sententiam Salomonis, imo Spiritus sancti re-
petendam, & impiam opinionem hypocritarum de templo refutan-
dam, ut exponat causam, cur templum merito, una cum populo suo
abijciatur. Quæ est ista, inquit, domus, quam ædificabitis mihi?
& quis est iste locus requietionis meæ? Existimatis quidem uos es-
Psalm.131. se Iustos & Sanctos propter templum, propter domum illam, de
qua dixi: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quo-
niam elegi eam. Existimatis me hoc templo, & hac domo ita inclu-
di, ut nec possim, nec debeam uos deserere, & me ad alias Gentes
conferre. Existimatis meam maiestatem tam angustam esse, ut con-
tineatur ædificio huius templi, & pertineat ad solum illum popu-
lum, qui est huius templi possessor & sacrorum eius cultor. Sed
existimatio uestra uanissima est, & erratis longissime. Primum e-
nim, Si de maiestate mea dicendum est, ea tanta est, ut nec cœlo u-
niuerso, nec terra contineri & concludi queat. Cœlum sedes mea
est, terra Scabellum pedum meorum. Cogita tu nunc mihi, quan-
ta sit ea domus, in qua hæc sedes, & hoc scabellum collocata sunt,

& in qua ego habito. Certe, cum cœlum & terra humanis mẽsuris comprehendi nequeant, domus, in qua hæc sita sunt, immẽsitas sit, necesse est. Quomodo igitur hæc uestra lapidea & lignea domus me comprehendere posset? Q; autem Dominus dicit, Cœlum esse sedem seu solium & thronum suum, terram uero scabellum pedum suorum, idem illud est quod postea in Hieremia ait: Cœlum & terram ego impleo. Et antea in Psalmo dictum est: Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascẽdero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Quę dicta proponit nobis spiritus sanctus, non ut sciamus tãtum, Nam & dæmones sciunt, & contremiscunt, sed ut ex ijs excitemur ad fidem & inuocationem Dei in aduersis. Non enim sentiamus, q̃ accidat nobis aliquid aduersi absque Deo, & uoluntate eius. Si enim cœlum & terram implet Deus, negari nec potest nec debet, quin omnia, admiranda sua prouidentia administret & gubernet. Et quia propicius est credenti in Christũ, & inuocanti ipsum ex fide, non permittit, nec conniuet, ut quicq̃ ei aduersi accidat, nisi quod sciat ipsi esse salutare, & ad consequenda uera & cœlestia bona utile. Debent & hæc dicta excitare nos ad timorem, & obedientiam Dei. Si enim summa illa maiestas Dei semper nobis præsto adest, quis non reuerebitur eam? Quis tantę esset impudẽtię, ut coram ea aliquid scelerati faceret? Sed quia homines ea sunt & cæcitate & ignauia, ut hæc non serio cogitent, pergũt impudenter & præfracte peccare. Ponamus igitur hęc dicta nobis ob oculos, ut admoniti de pręsentia diuinę maiestatis, officium nostrę, qua possumus obedientia & reuerentia faciamus. Deinde, si de templo, aut domo ista, qua tãtopere hypocritę cõfidunt dicendũ est, q̃d aliud est, q̃ fragilis & imbecillis creatura? Hæc.n. domus extructa est ex lapidibus & lignis. Hæc oĩa (inq̃t) fecit manus mea, & uniuersa ista, non fuerunt ab æterno, sed facta sunt & creata. Lapides & ligna, ex quibus ædificium templi constat, sunt mea creatura. Quomodo autẽ creatura posset creatorẽ suum omnipotentem ita cõclusum & captiuum tenere, ut necesse haberet ibi, & non alibi quoq̃ habitare, & non alijs etiam propicius esse? In hanc sententiam citat & Stephanus hunc locum. Salomon, inquiẽs, ædificauit illi domũ, sed excelsissimus ille, non in manufactis templis habitat, sicut Propheta dicit: Cœlũ mihi sedes est &c. Nam quod in Psalmo de Zione dicitur, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam, non intelligitur prõprie de lapideo illo templo a Salomone extructo, & postea sub Esdra instaurato, quod & si suũ habuit suo tempore usum, quemadmodum supra dictum est, tamen non fuit perpetuum: Sed intelligitur de uero et spirituali ac cœlesti templo, quod est Ecclesia Domini, quę ut cœpit in Zione, per Euã

Hier. 23.

Acto. 7.

gelion in die Pentecostes extrui, & postea ex oībus gentibus instau rari, ita audit a filio Dei, Ecce ego uobiscum sum oībus diebus usq; ad consummationem seculi. Porro aūt nec Esaias, nec Stephanus re prehendunt tm̄ puerilem illam & carnalem & crassam opinionē Iu dæorꝝ, qua sentiebant Deum intra hos templi parietes ita cōtineri, ut non in alijs etiam locis habitaret, sed reprehēdunt & dānant pre cipue impietatē illā, & Idolatrian, qua Iudæi transferebant maiesta tem soli Christo, filio Dei debitā, in hoc suum tēplum et sacra eius. In solo em̄ Christo Deus ita continetur, ut extra Christum nullus sit alius Deus. Solus Christus est pctōrꝝ nostrorū expiator. Solus Christus est reconciliatio nostra cum Deo. In solo Christo est Iusti cia, Redēptio, & æterna uita. Et in solo cultu Christi, qui cultus est fides in ipsum, consequimur Iusticiam, seruamur in morte, & accipi mus hæreditatem æternæ uitæ. Hæc autem omnia transferebāt Iu dæi, contempto, abiecto, & damnato Christo, in lapideum suum tē plum, & in sacra atq; cultus, qui in eo peragebantur. Existimabant enim, se nō posse Deum propicium inuenire, nisi in hoc tēplo, & in peractione sacrorꝝ eius. Sentiebant se in solo huius tēpli cultu pos se consequi remissionem pctōrum, iusticiam & æternā salutē. Qua re recte arguuntur Impietatis, & contumelię in Deum, q; summam maiestatem eius concludant & captiuent in humilem illam domun culā, quę ex lapidibus & lignis est extructa. Eiusdem impietatis rei sunt, quotquot quærunt in meritis Missarꝝ, Horarꝝ Canonicarꝝ, Ordinum Monasticorꝝ, Peregrinationum, Ieiuniorꝝ & aliorꝝ suo rum operum expiationem peccatorum, iusticiam, & æternam uitā. Nam ad hos omnes apte dici potest: Quę est illa Cerimonia, quam instituitis mihi? & q̄d est istud opus, cuius merito ego placari pos sim? Omnia ista uel a me ad suum quendam & longe alium, q̄ uos fingitis, usum instituta sunt, uel a uobis ipsis conficta. Apagete er go, cum uestris illis sacris & cerimonijs. Vnus solus est filius Dei, propter quem placari possum. Et unus solus est cultus, uidelicet Fi des in filium Dei, quo cultu Deus se cultori ita tradit, ut adoptet i psum in filium & hæredem cœlestis & æterni sui regni. Dicit enim Deus Pater de filio suo, HVNC AVDITE. Hic autem dixit. Si cut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hoīs, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitā ęternā.
Psal. 21. Et alias uocat discipulos, fratres suos. Narrabo, inquiens, fratribus
Mat. 28. meis nomen tuū. Et, Nūciate fratribus meis, ut eant in Galilęā. Qꝫ si sumus fratres Christi, ergo & cohæredes. Colamus igitur Dn̄m Deum fide in filiū eius Iesum Christū, ut promissa hęreditate frua mur. Sed audiamus de hac re nostram in Propheta concionē. Dixit filius Dei, se non agnoscere lapideam illam domum, in qua habi tet,

ret,& in qua cultores reſpiciat. Quæret ergo quiſpiam. Quos igitur reſpicis,& quibus es propicius, Si non reſpicis eos, qui in hac domo tam ſacroſanctos cultus faciunt? Reſpondet: Ad eum reſpicio,qui eſt afflicto & contrito ſpiritu,& qui contremiſcit ad uerbū meum. Obſeruabile dictum, ex quo diſcamus,quæ ſit uera domus illa, in qua Deus habitet, & in qua cultores reſpiciat,& ſit eis propicius. Nihil autem aliud dicitur, q̄ꝫ q̄ Deus reſpiciat eos,qui agnoſcunt peccata ſua,& credunt Euangelio Chriſti. Nam afflicto & contrito ſpiritu hi ſunt,qui territi agnitione & iudicio peccati,intelligunt ſe obnoxios,non morti tantum corporali,uerum etiam perpetuæ in inferno damnationi. Qualis fuit Dauid,cum diceret: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non eſt pax oſsibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſę ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatę ſunt ſuper me &c. Et Ezechias: Quaſi leo, inquiens, ſic contriuit oſſa mea &c. Qui ergo terretur peccato, & turbatur doloribus mortis ac inferni,ut ſit ſpiritu ſeu animo afflicto & contrito,is eſt templum ſeu domus,in qua Deus habitat, ad quam Deus reſpicit,& in quam ſe omnem opem ſuam collaturum promittit. Dicemus igitur & Cainū, qui dixit: Maior eſt iniquitas mea, q̄ꝫ ut ueniam merear,& Iudam, qui dixit,Peccaui,tradēs ſanguinem iuſtum,& abiens,laqueo ſe ſuſpendit,& multos alios, qui uicti iudicio peccati,deſperarunt,fuiſſe templa & domos, in quibus Deus habitauerit,& ad quas propicio uultu reſpexerit? Negari enim non poteſt,quin fuerint afflicto & contrito ſpiritu. Sed hic additur: Reſpicio eum,qui contremiſcit ad uerbum meum. Non em̄ ſatis eſt, ut agnoſcas peccatum tuum, & ſis afflicto ac contrito ſpiritu, ſed requiritur etiam ut contremiſcas,hoc eſt,magna cura, magno ſtudio,magna fide,magna fidei reuerentia & obedientia ſuſcipias uerbum Dei. Hoc eſt autem uerbum Euangelij,quod Deus Pater poſuit in ore filij ſui,& quod filius cōcionatus eſt, uidelicet, q̄ꝫ ipſe ſolus ſit pcī̄ expiator,& iuſtificator noſter. Hoc uerbum ſuſcipiendum eſt cum timore & tremore,ac ſumma reuerentia & obedientia. Quare qui ſic agnoſcit peccatum ſuum, & ſic eſt contrito ſpiritu propter peccatum, ut etiam credat Euangelio Chriſti, & amplectatur ipſum reuerenti fide,is tale templum, & talis domus efficitur,ut Deus eum ex alto reſpiciat, & quemadmodum Chriſtus ait, pater diligat eum,& ad eum ueniemus,& manſionem apud eum faciemus. Huc confer mihi nunc Iudæos. Hi enim collocabant fiduciam ſuam in lapidea domo,& cum nec agnoſcerent peccata ſua,nec contremiſcerent ad Euangelion Chriſti,ſed potius pergerent impudenter & impœnitenter in Ioannis 14.

peccatis, & persequerentur Christum ac Euangelion eius, pollicebantur tamen sibi præsentia templi sui, & meritis sacrorum, quæ in eo peragebant, iusticiam & salutem. Iustissimo igitur Dei iudicio factum est, ut una cum templo, & sacris suis abiicerẽtur. Idem supplicium manet omnes impios hypocritas in Christianismo, qui cũ nullam prorsus agant ueram pœnitentiam, & insuper Euangelion Christi contemnant, ac persequantur, sperant tamen se respicia Deo propter sacrificia Missarum, & propter alia sua opera, quæ in hoc faciunt, ut meritis eorum consequãtur remissionem peccati, iusticiam, & æternam salutem. Israel, inquit Paulus, qui sectabatur legem iusticiæ, ad legem iusticiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Multo minus perueniunt ad legem iusticiæ hi, qui non legem iusticiæ, sed legem superstitionum suarum, & humanarum traditionum, contra ueram in Christum fidem sectantur.

QVI IMMOLAT BOVEM, QVASI QVI INTERFICIAT VIRVM, QVI MACTAT, &c.

Reiecit antea templum, nunc reiicit etiam sacra templi. Et confert sanctissima Iudæorum sacra, cum impiissimis Gentium abominationibus. Gẽtes eim in summis periculis suis solebant sacrificare homines innocentes, quæ sacrificia sperabant esse cœlestis iræ piacula. Alias sacrificabant canes, sues, & alias immundas bestias, adeoq; laudibus efferebant uana sua idola, a quibus etiam omnem benedictionem expectabant. Hæc fuerunt in oculis Ecclesiæ Iudæorum execranda & horribilia sacra. In Machabæis ædificantur Hierosolymis aræ, instituuntur idola, immolantur sues, & alia immũda pecora. Hæc fuerunt in oculis piorum tantæ abominationi, ut alij relictis omnibus proficiscerentur in exilium, alij mallent mori q̃ tam execranda sacra facere. Et tamen Spiritus sanctus confert hic optima sacra templi, cum prophanissimis illis sacris gentium, & æquat ea in impietate. Qui immolat aut sacrificat, inquit, bouem, nihil melius facit, q̃ qui inter Ethnicos occidit uirum, seu sacrificat hominem innocentem. Qui mactat pecus, uidelicet, ouem aut capram, quæ iuxta legem Dei offerre licuit, nihilo rectius agit, q̃ qui offert in sacrificium canem, quod est sacrificium corã Deo execrabile. Qui offert Minha, seu sacrificium farinarium, non alium cultũ præstat Deo, q̃ qui offert sanguinem suillum. Qui adolet thura Deo, perinde facit ac si adoleret ea uano idolo. Sed an non sacrificia boum & ouium, & immolationes farinariæ, ac thymiamata fuerunt diuina lege, non solum permissa, uerumetiam præscripta, & commendata? Queso igitur te, quid est q̃ hi cultus uere diuini æquantur hic execrandis & horrendis sacris Gentium? Quæ sit huius rei

ius rei causa, statim additur: Hæc oĩa, inquit, elegerunt in uijs suis, et in abominatiõibus suis aĩa eorꝝ delectata est. Et mox: Vocaui, & non erat, qui responderet, locutus sum, & nõ audierunt, feceruntq; malum in oculis meis, et quę nolui elegerunt. Habes causam, cur Iudęorꝝ sacra, quamuis diuinitus instituta æquentur impietatibus Gentiũ. Primũ em̃ Gentes faciebãt sacra sua sine uero timore Dei & sine uera pœnitẽtia. Faciunt, inquit Paulus, quæ nõ conueniũt, repleti omni iniusticia, scortatiõe, uersutia, auaritia etc. Quales em̃ erant ante sacrorꝝ suorꝝ peractionem, sordidati omni genere scelerum, tales etiam manebant post eorꝝ peractionẽ, nec ulla erat eis cura uerę corã Deo pietatis, et syncerę coram hoĩbus innocentiæ. Sic et Iudæi faciebant sua sacra sine uero Dei timore, & sine uera pœnitentia. Qui doces aliũ, inquit Paulus ad Iudæos, teipsum non doces. Qui prędicas nõ furandum, furaris, qui dicis non adulterandũ, adulterium cõmittis etc. Quare etsi Gentium & Iudæorꝝ sacra differebant externa specie, tñ quia conueniebant cultorꝝ impœnitentia, recte & apte inter se æquantur. Deinde Gentes acceperant quidem sacrificandi ritum a Patriarchis, non retinuerant aũt uerbum et fidem Patriarcharum, sed mutauerunt ritus, & sacrificarunt immunda animalia, aliquoties etiã hoĩes, idq; sine ulla fide accipiẽdæ remissionis peccatorum, ppter semen Abrahę, hoc est, Iesum Christũ, sed potius, cum hac opiniõe, q; hęc sacrificiorꝝ opera essent merita, quibus expiarent pc̃ta sua, & placarent cœlestem iram, ac cõsequerentur Iusticiam & Salutem. Sic et Iudæi, etsi sacra eorꝝ erant diuinitus instituta, tñ non faciebãt illa sacra, nec eo usu, quo erant instituta, nec ea fide, quã sacra exigebant, & quo respiciebant. Hoc illud est, quod Propheta dicit: Elegerunt hæc in uijs suis, et in abominationibus suis delectata est anima eorꝝ. Via em̃ Domini in sacrificijs Leuiticis hęc erat, q; adumbrauerit his sacrificium Domini nostri Iesu Christi, quo solo placatur cœlestis ira, & q; uoluerit his cultores admonere de fide in Christũ, ut in hunc credentes iustificarentur & seruarentur. Hic fuit legitimus & uerus usus Leuiticorꝝ sacrificiorꝝ. Hęc fuit uia et consilium Domini in instituendis & cõmendandis his sacrificijs. Iudæi aũt contẽpto hoc usu, & neglecta hac uia, fingebãt longe aliũ usum, et sequebãtur aliã uiã & alia cõsilia. Sentiebant em̃ sacrificia esse ex ipsa operꝝ actione, seu ut isti loquuntur, ex opere operato, expiationes pc̃tõrꝝ, & placationes cœlestis iræ, Itaq;, cum essent omni impietatis & scelerum genere contaminati, cumulabãt sacrificia sacrificijs, ut horum merito iustificarentur corã Deo, et seruarentur. Q; si ad emendationẽ uitæ et ad fidẽ in Christum per Prophetas & Apostolos uocabantur, ibi tũ nõ solum non obsequebantur huic doctrinę, uerumetiã persequebãtur

eam. Et ſicut hoc loco filius Dei dicit: Vocaui & non erat, qui re/ſponderet. Locutus ſum, & non audierunt etc. Hæc fuit uia ipſorꝝ, quam contempta uia Dei, ſectabantur. Hæ fuerunt abomination/es, quibus delectata eſt anima eorum, uidelicet, ꝙ quã impietatẽ deſignabant Gentes in ſuis ſacrificijs, eandẽ in ſuis q̃q; deſignabãt Iudæi. Neq; em̃ uel gentes, uel Iudæi quærebant Chriſtum pecca/torꝝ expiatorem in ſacrificijs ſuis, ut ex fide in Chriſtum iuſtificarẽ/tur, ſed tantum quærebant in his, neglecto, contempto, ac etiam da mnato Chriſto, ſuam ipſorum iuſticiã: & quæ maieſtas ſoli Chri/ſto unigenito filio Dei debebatur, eam transferebant in ſua ſacrifi/cia. Quare, cum Iudæi & Gentes ſectantur eaſdem impietates & a/bominationes in ſuis quiſq; ſacris, nullum habetur diſcrimen eorꝝ in conſpectu Dei. Sed quale eſt corã Deo ſacrificiũ canis aut por/ci, tale etiã eſt ſacrificium bouis aut ouis, utrunq; uidelicet abomi/nandum & execrandũ. Eodem mõ iudicandũ eſt de ſacris in Chri/ſtianiſmo. Nihil iam dicã de ſacris palam ſuperſtitioſis, & humana tm̃ prudentia excogitatis. Sed de Sacris & Ceremonijs a filio ipſo Dei inſtitutis, de Baptiſmo, de cœna Dominica, de concionibus E/uangelij. Hęc em̃ ſacra inſtituta ſunt in hũc uſum, ut diſcamus Chri ſtum filium Dei agnoſcere, & in ipſum credere, ut incorporemur ei per Baptiſmum, & iuſtificemur per fidem, atq; confirmemus fidẽ noſtrã ſumptione cœnæ Dominicæ, ac inuocemus Deum Patrem Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ut donet nos Spiritu ſancto, quo mortifice mus carnẽ, & ambulemus in uocatione Dei, ac cõſeruemur in mor te ad æternam uitã. Hic eſt legitimus uſus horꝝ ſacrorꝝ. Hæc eſt uia, hoc eſt conſilium filij Dei, in horum ſacrorꝝ inſtitutione. Qꝛ ſi autem uel hypocritæ uel manifeſte ſcelerati, ſic abutuntur his ſa/cris, ut audiant quidẽ conciones & ſumant cœnã Dñicam, ac recitẽt multas precationes, interea aũt nec agant pœnitentiã, nec quærant in Chriſto remiſsionem peccatorũ per fidem, ſed confidant ſe, quic quid alioqui egerint, meritis horum ſacrorum corã Deo iuſtifica/ri, & ſalutẽ conſequi, hi certe nihil aliud faciunt, q̃ ꝙ eãdem impie tatem ſub Chriſtianis ſacris exerceant, quam Iudęi & Gentes ſub ſu is ſacris exercuerunt. Quare tenentur etiam rei eiuſdem ſupplicij & internecionis. Qꝛ ſi res ita ſe habet cum cultoribus uerorum & le/gitimorũ ſacrorum, quid, obſecro, fieret cum cultoribus hypocri/ticorum, & ſuperſtitioſorum ſacrorum, quæ non diuinitus, ſed tan tum humanitus ſunt inſtituta? Sed audiamus, quod ſit ſupplicium huius impietatis. Elegerunt, inquit, hæc omnia in ſuis uijs. Eli/gam igitur & ego illuſiones eorum, & quę timebant, adducã. hoc eſt, efficiam, ut ſint illuſioni & opprobrio omnibus gentibus, & im mittam in ipſos oĩa horribilia & terribilia, quæ lex impijs & impœ

nitentibus

nitentibus minatur. Pauciſsimis uerbis comprehendit maxima & æterna ſupplicia. Quid eñ aliud impijs, & recuſantibus obedientiam uerbi Dei accideret? Nolunt benedictionẽ, Accipiãt igitur maledictionẽ. Nolunt uitã, pereant igitur morte. Et ſicut Pſalmus dicit: Diligunt maledictionem, & ueniet eis. Nolunt benedictionem, & elongabitur ab eis.

AVDITE VERBVM DOMINI, QVI TREMITIS AD VERBVM EIVS &c.

Poſtq̃ commemorauit abiectionem Iudæorũ & ſacrorum eius, uertit ſe nunc ad conſolandos eos, qui ex Iudæis crediturí ſunt in Ieſum Chriſtum, & qui maximas a ſuis ipſorum fratribus propter nomen Chriſti paſſuri ſunt perſecutiones. Supra eñ dictum eſt, q̃ etſi Iudæi reuelato Euangelio abijciantur, ne ſint populus Dei, tñ reliquię ex ipſis ſaluentur. Hi ſunt Apoſtoli, & reliqui diſcipuli, qui ex multis myriadibus Iudæorum agnouerunt Chriſtum & Euangelion eius. Sed quia hi ſua conuerſione ad Chriſtũ, & confeſsione Euangelij dãnauerunt aliorum ſuorum fratrũ incredulitatem & impietatẽ, idcirco neceſſe habuerunt perferre ab ipſis grauiſsimas afflictiones. Quare ſpiritus ſanctus ſuſcipit eos in tantis aduerſis conſolandos. Ac primum conſolationis argumentũ ducitur ab iſtorũ impiorũ confuſione, & interitu. Audite, inquiens, uerbum Dñi, qui tremitis ad uerbum eius. Prorſus eos ipſos alloquitur, de quibus ſupra dixit: Ad quem reſpiciam, niſi ad afflictum & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos? Videlicet non reſpicit Deus ad eos, qui multa Sacrificia offerunt, qui gloriantur de lapideo templo, qui iactant ſe eſſe Semen Abrahę & populum Dei, cum interea temporis nullam nec ueram fidem in Deũ, nec ſyncerã caritatẽ erga homines habeãt, ac ſunt impœnitentes, ſed ad eos reſpicit, qui agnitis peccatis ſuis excipiunt Euongelion Chriſti cum timore & tremore, cum omni fidei reuerentia & obedientia. In quorum numero & hi ſunt, qui ad primã Euãgelij concionẽ, quã Petrus in die Pentecoſtes habuit cõpuncti ſunt corde, ut Lucas ait, & dixerũt ad Petrũ ac reliqs Apoſtolos. Quid faciemus uiri fratres? Hi & alij horũ ſimiles tremũt ad uerbũ Dñi, quod eſt Euangelion Dñi noſtri Ieſu Chriſti, et hi iubentur nunc audire. Quid ergo audiãt? Dixerunt, inquit, fratres ueſtri odiẽtes uos, & abijcientes ꝓpter nomen meũ. Vides eos, q̃ agnoſcũt ex Iudęis Chrm̃ ac Euãgelion eius pati perſecutionẽ a ſuis ipſorũ fratribus, a reliqs Iudęis, q̃ in impietate ſua mãſerunt, et fuerũt maxima multitudo. Patiũtur aũt perſecutionẽ nõ ſimpliciter, ſed tanto odio, ut ꝓpter nomen Chriſti non ſolũ proſcribantur, ſed etiam interficiantur. Nam quod hic dicit filius Dei, nõdum aſſumpto homine, plane illud ipſum eſt, quod poſtea

Actu. 2.

induta iam carne ad discipulos suos dixit: Tradet frater fratrem in mortem,& pater filium,& insurgēt filij aduersus parentes,& morte afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Et iterum: Alienos a synagogis facient uos. Et ueniet tempus,ut quisquis interficiat uos, uideatur cultū præstare Deo. Rem miseram. Qui deberent esse Ecclesiæ Christi tutores,hi sunt eius oppressores & uastatores. Sed agitedū, quid dicunt impij persecutores ad cœtum piorum? Glorificetur, inquiunt, Dñs, & uidebimus in lætitia uestra. Hæc sunt uerba impiorum Iudęorꝝ ad fratres suos,qui relicta Pharisaica & Sadduceica doctrina agnouerunt Iesum Christū & Euangelion eius per fidem. Ac primum quidē obiecerunt talia uerba & conuicia Christo ipsi in cruce pendenti. Si rex Israel est,inquiunt,descendat nunc de cruce,& credemus ei. Cōfidit in Deo,liberet eum nūc,si uult. (hoc est) Glorificetur Deus in liberando eo,ut reipsa uideamus eum non frustrari spe sua,sed magna lętitia perfundi. Deinde obiecerunt ea suis fratribus,ad Christum cōuersis,& propter nomen Christi multa aduersa sufferentibus. Nam cum Christus ad discipulos suos dicat: Si me persecuti sunt,& uos persequentur, non est dubium, cum Stephanus lapidaretur,reliqui pij in exilium ejcerentur, Iacobus occideretur,& alij Apostoli,ac doctores Euangelij,in alijs atqꝫ alijs regionibus maximas quasqꝫ ærūnas paterentur, ac etiā immaniter trucidarentur,qn alij Iudæi,qui nō agnouerunt Iesum Christū, applauserint sibi in sua impietate,ac insultauerint pijs,dicentes,Glorificetur Dñs,et uidebimus in lætitia uestra, hoc est, Vos creditis hūc Iesum,quē nostri crucifixerūt esse uerꝫ Christū,Dñm Deum nostrꝫ. Agite ergo, si est uerus Messias seu Christus, & Dñs noster,ostendat gloriā suam,liberet uos mirabiliter, & seruet uos potētia & maiestate sua,ut nō tam misere,et calamitose pereatis, & nos reipsa uideamus et cōperiamus uos expectatiōe lętitiæ, salutis et fœlicitatis uestrę in hoc Christo nō pudefieri. Sed quia Chrūs uester finit uos non solū in exiliū ejci, et oībus facultatibus uestris exui,uerꝫetiam crudelissimis supplicijs obijci,idcirco fieri non pōt, ut sit uerus Messias seu Christus Dñs noster: et uos bis stulti ac insani estis, q in tali Christo fiduciā salutis uestræ collocatis. Hi sunt solēnes Φαρισαιοὶ impiorū aduersus pios. Nec dubiū est, qn Iudęi insultauerint hoc mō credentibus in Iesum Christū, non solū ante deuastationem urbis Hierusalem,cum adhuc uiderentur sibi in sua repub. fœlices esse, uerumetiam cum deuastata iam urbe Cochabas eorum,uenditaret sese,congregato maximo et potentissimo exercitu,pro uero Messia. Hic tum uisum fuit impijs et incredulis Iudæis tempus gloriandi de inuento uero Messia & insultandi ijs,qui antea Iesum pro

uero

uero Meſsia ãgnouerunt. Sed & poſtea Gentes, & his temporibus Turcæ, ac etiam Epicurei inter Chriſtianos inſultant Eccleſiæ Chriſti in afflictionibus. Vbi, inquiunt, nunc eſt Chriſtus ueſter? Cur uos non iuuat? Vbi eſt Euangelion ueſtrum, cur uos non e malis ueſtris liberat? Quid ergo nos inter tam uirulenta conuicia, ac uere ignita tela Satanæ faciamus? Non certe deſpondeamus animum, nec conuicia regeramus, ſed bene confidamus, & cogitemus hanc eſſe horam impiorum, & poteſtatem tenebrarum. Cogitemus itẽ, ſeruum non eſſe maiorem domino ſuo, & diſcipulum non eſſe ſupra magiſtrum ſuũ. Si Chriſtus ipſe filius Dei paſsus eſt hæc conuicia obedienter, cur nos obedientiam detrectaremus? Et ſi Chriſto capiti noſtro talia conuicia ceſſerunt in ſummam gloriam, hoſtibus autem & conuiciatoribus in ſummam ignominiam, nõ dubitemus, quin & nobis membris eius ceſſura ſint in cœleſtem gloriam. Sed de hac re audiamus concionẽ ipſam filij Dei. Sic eĩ in Prophe ta pergit. Ipſi aũt, inquiens, confundentur. Exiſtimant impij ueſtri fratres, uos in me confundi & pudefieri. Sed res longe aliter, præter oẽm ipſorum expectationem eueniet. Vos enim conſequemini in me uerã lętitiã, ueram gloriam & ſalutem. Illi aũt confundẽtur & pudefient. Sed quõ? Primũ exhæredabuntur, ne ſint amplius populus Dei. Deinde ciuitas, templum, & omnia ſacra eorũ deuaſtabuntur & abolebuntur. Vnde ſequitur: Vox populi ſeu tumultus & ſonitus de ciuitate, uox de templo, uox Domini reddẽtis retributionem inimicis ſuis. (hoc eſt) Omnia conueniunt & conſpirant in exitium impiorũ Iudæorũ, ut merito ſupplicio propter impietatem & impœnitentiã afficiantur. In ciuitate Hieruſalem eſt tumultus & fremitus populi ſedicioſi. Fuerunt eĩ in Hieruſalẽ poſt q̃ Chriſtus aſcendiſſet in cœlum, & diuulgaſſet Euangelion ſuum in orbem terræ, grauiſsimæ ſeditiones, quæ fuerunt παρασκευὴ ad futuram deuaſtationẽ, & inicium malorũ. Audita eſt etiam uox de templo. Nam & ſedicioſi trucidabãt ſeſe mutuo in templo ipſo, & cũ ſacerdotes prępararent in tẽplo ea, quæ ad diem feſtum Pentecoſtes neceſſaria erant, audierũt magnũ tumultũ, & uocẽ dicentẽ: Migremus hinc. Recitat hiſtoria deuaſtationis etiã hoc, q̃ hõ quiſpiã priuatus obambulauerit in urbe Hieruſalẽ, et uõciferatus ſit publice: Vox ab oriẽte, Vox ab occidẽte, Vox a q̃tuor uẽtis &c. Nec potuerit ab hoc clamore ullis plagis cohiberi. Sed & uox Dñi de interneciõe Iudæorũ audita eſt. Nã Chriſtus ipſe Dñs noſter ſępe prędixit fore, ut Iudęi exhęredẽtur, et urbs eorũ deuaſtetur. Et Romani diuinitus excitati ſunt, ut magna multitudine militũ incurrerẽt in Iudæos, et ſumerent de eis ſupplicĩũ. Hęc eſt uox Dñi reddẽtis hoſtibus ſuis et perſecutoribus filij ſui iuſtã et legitmã talionem. Quare

Vide Ioſephum.

cum Iudæi in paſsione Chriſti, & in perſecutione diſcipulorum e/ius applauderent ſuæ impietati, & exiſtimarent Chriſtum & Eccle/ſiam ſuam pudefactos, contrarium paulopoſt ita accidit, ut Iudæi, conſeruata & aucta Eccleſia Chriſti, pudefacti & oppreſsi ſint in to to orbe terrarum, ac præterea a Deo abiecti, ut non agnoſcat eos, populum ſuum. Habes primum argumentum conſolationis eo/rum, qui ex Iudæis crediturí erant in Ieſum Chriſtum, ductum ui/delicet, a confuſione & interitu Impiorum, qui cum habeant a par/te ſua Multitudinem, Potentiam, Sapientiam, & externam Sancti/tatem, exiſtimant ſe perpetua gloria ornandos, ſed pro gloria, quã ſperant, accipiunt perpetuam ignominiam & internecionem.

ANTEQVAM PARTVRIRET, PEPERIT, ANTEQVAM VENIRET PARTVS &c.

Secundum conſolationis argumentum, ductum a fœcunditate & multiplicatione Eccleſiæ. Initio enim reuelati Euangelij uideba/tur Eccleſia ex pauciſsimis conſtare. Pauci erant Apoſtoli, pauci ue ri auditores eorũ. Etſi enim in die Pentecoſtes accedùnt ad Eccleſi am tria millia Iudæorum, tamen quid hic numerus, ad pluſcꝫ dena centena millia Iudæorum, qui ad hos publicos feſtos dies conueni/re ſolebant? Iubet igitur filius Dei paucos illos ex Iudæis bene con fidere, quod breui futurũ ſit, ut Zion pariat innumerabiles filios Eccleſiæ. Anteꝙ, inquit, parturiret, peperit, et anteꝙ ueniret partus ſeu dolor partus enixa eſt maſculũ. Loquitur aũt de Zione, quia mox ſequitur: Peperit Zion filios ſuos. Nũc pauci illi, qui ex Iudæ is credunt in Ieſum Chriſtum, cruciantur animo ſuo, et metuunt ne propter paucitatem ſuam Eccleſia Chriſti intereat, ſed ſint confiden tí alacritate, et uidebunt admiranda Dei opera. Zion eñ etſi non ui detur prægnans, tñ pariet maximã liberorum multitudinẽ: imo pri uſꝙ quiſcꝫ ratus eſſet eam pariturã, enixa eſt præter oĩm expectatio nem innumerabiles filios. Hoc maximũ eſt miraculũ. Quis eñ un quam audiuit tale? quis uncꝫ uidit huic ſimile? uidelicet, cꝙ mulier pariat, et nõ ſit prægnãs, et enitatur magnã copiã maſculorũ priuſ/cꝫ partus dolorẽ ſentiat. An natura rerũ ferre poteſt, ut terra uno die parturiat et proferat tot & tam uaria genera fructuũ? Et an natu raliter fieri ſolet, ut ex improuiſo, una uice magna Gẽtis multitudo in regiõe aliqua exoriatur? Certe ſicut terra ꝙfert fructus ſuos pe detẽtim, et ordinario tẽporis progreſſu, ita etiã Gentes in regioni/bus ſuis non ſimul derepente exiſtũt, ſed multiplicantur paulatim, et tarda annorum ſucceſsione. De Zione aũt plane contrariũ acci/dit. Hæc eñ priuſcꝫ prægnãs uiſa eſt, ſimul & parturijt, & peperit in numerabiles filios. Quod miraculũ, nõ accidit humana, ſed diuina potẽtia. Nũqd ego, dicit dñs, ꝙ facio alios parere, ipſe nõ pariã? Et

num

num ego, qui gñationē cæteris tribuo, sterilis ero, dicit Deus tuus? Non est aũt hic opus prolixo commentario, quo hæc impleta explicentur. Percurre res gestas per prędicationem Euangelij Christi, a die Pentecostes, et habes huius concionis perspicuũ cõmentarium. Postq̃ Christus ascendisset in cœlũ, sederunt Apostoli Hierosolymis, & expectarunt aduentum Spiritus sancti. Erat aũt turba (inqt Lucas) nominum simul fere centũ uiginti. Quantillus, obsecro, hic numerus, collatus cum tot reliquorꝝ Iudæorꝝ myriadibus? Et quis unq̃ potuisset humana sua ratione excogitare, qp per hos paucos, Ecclesia Christi augenda esset innumerabili gentiũ multitudine in toto orbe terrarꝝ? Ex una parte, Petrus & collegę eius erãt hoĩes indocti, nulla potentia prædíti, sed piscatores & publicani. Ex altera parte erant Iudæi & gentes, non multitudine tãtum insignes, uerumetiam sapientia, potentia, & oĩbus huius seculi ornamentis illustres, qui et Euangelion Christi summo odio prosequebantur. Videbatur igitur Zion, seu uera Ecclesia, ne prægnans quidẽ esse: Sed ecce dexteram excelsi. Vno Pẽtecostes die parit Zion tria millia hoĩm. Mox, diuulgato Euangelio inter gentes, tanta accedit ad Ecclesiam multitudo, ut Zion ipsa obstupescat, & dicat, q̃d supra ca. xlix. scriptum est. Quis genuit mihi istos? Ego sterilis & non pariens, trãsmigrata & captiua, & istos, quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti ubi erãt? Cęterꝝ, sicut spũs sanctus alias argumẽtatur ex creatione auditus & uisus Deũ audire et uidere, ut sciamus eũ nihil latere, & discamus timorẽ eius. Qui ꝑplantauit, inquit, aurem, nõ audiet? qui finxit oculũ, non considerabit? ita & hoc loco argumentatur ex creatione fœcunditatis parentum, Deum esse fœcundũ parentẽ Ecclesiæ suę. Nunquid ego, inquiens, q̃ alios facio parere, ipse nõ pariam? Deus igitur est Ecclesiæ suæ parens. Quanta hæc est Ecclesię consolatio? quanta fidei eius confirmatio? Si. n. est parens noster, q̃ sumus membra Ecclesiæ, nunquid si petierimus panem, dabit lapidem? An si piscem, dabit serpẽtem? aut si ouum, porriget scorpiũ? Atqui non est immitior & crudelior parentibus mundanis. Deinde, si parens noster est, nos certe filij eius. Si filij, certe & hæredes, Hęredes quidẽ Dei, cohęredes aũt Christi. Quid ergo nobis desygnatis diuinorum & cœlestium bonorũ hęredibus, deerit? Etsi eĩ indigemus aliquoties etiam externo pane, in hoc seculo, tamen Deus Pater, inuocatus per Christum filium suum, teneri non potest, quin hęredem suũ in hac externa indigẽtia saluum cõseruet, ut tandẽ oĩbus cœlestibus bonis impleatur. Sed & illud considerandum est, si agnoscimus Deum parentẽ nostrꝝ, danda etiã opera est, ut eo ipsum honore, quẽ filij parẽtibus debẽt, uenemur, ne audiamus, q̃d in Malachia dicit: Si pater ego sum, ubi est honor meus? Psal. 93.

LÆTAMINI CVM HIERVSALEM ET EXVLTATE IN EA OMNES &c.

Cum ſemper, etiã in ipſo populo Dei, pauci fuerint uere pij, & uere in Chriſtum credentes, longe tamen omnium pauciſsimi uiſi ſunt eo tempore, quo Chriſtus in hunc mundum uenit, & a Pontifi cibus ac Principibus Eccleſiæ, morte condemnatus eſt. Etſi em̃ mul ti ſequebantur Chriſtum, & uidebantur doctrinam eius amplecti, cum æderet miracula, & uideretur Iſraelẽ ab externis afflictionibus liberaturus, tamen poſtq̃ captus eſt & crucifixus, defecerunt ab eo etiã prẽcipui eius Apoſtoli. Ac reuerſi quidem ſunt ad ipſum Apo ſtoli & aliquot alij, poſtq̃ reſurrexit a mortuis, Sed tamẽ et hic grex ualde adhuc puſillus erat, & neceſſe habebat omnibus huius ſeculi aduerſis obnoxius eſſe. Quare, cum mens metu internecionis terri ta, & omni humana ope deſtituta, indigeat copioſa conſolatione, ſu ſcepit paulo ante filius Dei hunc puſillum gregem cõſolandum, argumentis ductis a confuſione aduerſariorum, & a dilatatione Ec cleſiæ inter omnes gentes. Quod autem in illa præcedenti concio nis parte breuiſsimis percurrit, hoc nũc longiori & copioſiori ora tione proſequitur, idq̃ ijſdem quidem argumentis, ſed alijs dicen di figuris. Nã in hac quoq̃ cõcionis parte promittit Eccleſiã Chri ſti in omnibus aduerſis conſeruandam, & inter omnes gentes dila tandam, hoſtes aũt Chriſti & Eccleſiæ eius, ac omnes impios & in credulos inæternum perituros. Lætamini (inquiens) cum Hieruſa lem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam &c. Alloquitur rur ſus pũſillum illum Eccleſiæ gregem, q̃uem in priori concionis par te allocutus eſt. Et quos antea uocauit: Qui tremitis ad uerbũ eius, eos nũc uocat, Qui diligitis Hieruſalem, & qui lugetis ſuper eam. Videntur & Caiaphas & Pontifices diligere Hieruſalem, ac triſti cia de calamitate eius affici, cum dicunt, Venient Romani, & tollẽt tum locum noſtrum, tum gentem. Sed hæc dilectio & triſticia, non eſt amor & zelus erga ueram Eccleſiam, ſed eſt amor ſuæ ipſius di gnitatis, & odium Chriſti, & cupiditas ueræ Eccleſiæ opprimendę potius, q̃ conſeruandæ. Apoſtoli autem, & ſynceri diſcipuli Chri ſti uere & ex animo diligunt Hieruſalem, ac ex corde triſtantur de afflictionibus eius, quia non ſolum cupiunt eam uere ſaluam, uerũ etiam oſtendunt ei doctrina Euangelij ueram æternæ ſalutis uiam, ſummis uitæ ſuæ periculis, ac malunt nõ dignitatem tantum ſuam, uerumetiam uitam amittere, q̃ uerę ſaluti Hieruſalem ſeu Eccleſiæ Dñi deeſſe. Ego non ſolum, inquit Paulus, uinciri, ſed & mori pa ratus ſum Hieroſolymis pro nomine Dñi Ieſu. Et iterꝝ. Dolor mi hi magnus eſt, & aſsiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis cognatis meis ſecũ

dum

dum carnem &c. Hoc uere est Diligere Hierusalem, & lugere super eam. Cùm igitur hi, qui sic diligunt Hierusalem, & lugent de abiectione & internecione ciuium eius, maximo dolore afficiantur, & malint se potius, quàm illos perire, iubentur nunc lætari, exultare, ac præ gaudio gestire, propter Hierusalem, ut quantam antea tristiciam de interitu ciuium eius conceperunt, tanta uicissim lætitia de salute eius perfundantur. Vt sugatis, inquit, & satiemini ab ubere consolationum eius, ut quemadmodum infantes sugũt & excipiunt ab uberibus matrum sua rum alimenta sua, quibus conseruantur, & refocillantur, ita uos percipiatis consolationem & delectationem à splendore, & maiestate gloriæ, qua Hierusalem illustrabitur.

Hactenus recitata est Propositio consolationis. Nunc autem additur Ratio eius, qua pusillus & afflictus ille grex Ecclesię ad læticiam, & exultationem merito excitari, & consolationem accipere debet. QVIA HAEC DICIT DOMINVS: ECCE EGO DECLINABO super eam, quasi fluuium, pacem, & quasi inundantem torrentem, gloriam Gentium. Promittit Ecclesiæ duo maxima beneficia. Alterum est PAX, qua in humanis rebus nihil est melius. Alterum est GLORIA Gentium, qua in his terris nihil fuit excellentius, & illustrius. Gentes enim fuerunt insignes potentia, sapientia, & eloquentia. Quid enim inter regna huius seculi potentius fuit quatuor Monarchijs, apud Danielem? Quid sapientius Philosophis, & legumlatoribus? Quid eloquentius Oratoribus, ac præcipue Demosthene & Cicerone, qui fuerunt ex Gentibus? Hæc est gloria Gentium, quam promittit Deus se declinaturum, hoc est, effusurum in Ecclesiam, idq; non minutatim & guttatim, sed plenis uasis. Tanquàm fluuium, inquit, & tanquàm torrentem inundantem, hoc est, abundantissime. Etsi autem hęc uidentur dici de externa pace & gloria, tamen quia regnum Christi non est de hoc mundo, intelligenda sunt de ea pace & gloria, quæ proprie regno Christi competunt. Primum enim, externa & mundana pax magnum quidem beneficium Dei est, non est autem ea pax, qua uere coram Deo seruamur. Sed illa demum uera pax est, qua filius Dei reconciliauit nos cum Deo Patre suo. Postquàm enim peccatum alienauit Deum à nobis, susćepit filius Dei peccatum nostrum cruce & morte sua expiandum. Qua expiatione Deus ita delectatus est, ut non solum inierit fœdus pacis cum humano genere, uerumetiam adoptet ex hominibus in filios & hæredes suos, quotquot in Christũ filiũ suũ uere credunt. Hæc aũt pacificatio effunditur in Ecclesiam per Euangelion Dñi nostri Iesu Christi, ut quicunq; Euãgelion fide acceperit, & cognouerit se habere Deũ propiciũ propter Christum, habeat pacem & tranquillitatem in medijs etiam bellis huius mundi, ac in media ipsa morte. Quare cùm mandatum est Apostolis, ut prædicarent Euangelion omni creaturæ, sentiamus tunc effusam esse summam pacem in Ecclesiam, ut fruantur ea omnes pij, & exultent in ea perpetuo gaudio. Deinde, sicut per pacem non intelligitur hîc mundana pax, sed Christiana, hoc est, spiritualis & cœlestis, ita per gloriam Gentium, quæ sunt potentia, sapientia, & eloquentia, non sunt intelligenda illa externa dona, quibus Gentes fuerunt in hoc mundo illustres, sed sunt intelligenda de ijs spiri

tualibus donis, quibus Christus Ecclesiam, pro sui regni conditione ornat. Confert enim in cœtum Ecclesiæ suæ, non potentiam illam mundanam, qua expugnetur externis uiribus Babylon, aut Roma, sed potentiã illam spiritualem, qua superatur Satan, uincitur mors, & expugnatur infernus. Hæc est potentia, quæ superat uires omnium Monarcharum huius seculi. In mundo, inquit, afflictionem habetis, sed bono animo sitis, ego uici mundum. Et Ioannes: Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra &c. Nihil igitur est fortius, nihil potentius Ecclesia per Dominum suum Iesum Christum. Deinde Christus confert sapientiam in Ecclesiam suam, sapientiam autem nõ illam Philosophicam aut politicam, etsi & hoc sapientię genere pios suos nonnunquam ornat, sed sapientiam cœlestem, qua possumus effugere mortem, uitare perpetuos ignes inferni, & consequi cœlestem uitam ac fœlicitatem. Dixit enim: Ego sum Resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Quare, qui audit Euangelion Christi, & credit in Christum, tanta sapientia ornatur, ut queat etiam in morte, uitam retinere, adeoq; nunquàm inæternum mori ac perire. Talem ac tantam sapientiam nullus unquam Philosophus, nullus Gentium Legumlator, è sua humana ratione consequi potuit. Quomodo igitur fieri posset, ut Ecclesia ex tam salutari dono in ipsam effuso, ad gaudium & exultationem non excitaretur? Prętea Christus confert etiam eloquentiam in Ecclesiam suã, eam uidelicet eloquentiã, qua æternus Deus & cœlestis Pater persuadetur, ut nõ solum condonet nobis peccata, quibus mortem & infernum meriti sumus, uerumetiam seruet nos in morte et horroribus inferni ad cœlestia gaudia, & perpetuam uitam. Insignis habetur orator, qui eloquentia sua permouet iudicem, ut reum, uel furti, uel homicidij, uel seditionis, uel alterius seu ciuilis, seu criminalis peccati accusatum absoluat, quanto eloquentior habendus est, qui non hominem sed Deum ipsum Iudicem persuadet, ut se propter crimina sua æternæ morti obnoxium, liberum dimittat, & insuper hæredem cœlestis regni faciat? Talem autem eloquentiam effundit Christus in Ecclesiam suam. Dicit enim: Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Quare, cùm Gentes fuerint illustres potentia, sapientia & eloquentia, filius autem Dei effundat hæc dona longe copiosius, melius & utilius in Ecclesiam suam, recte dicitur hoc loco, quòd gloria gentium in Ecclesiam transferatur, ideoq; Ecclesia merito gaudeat, iubilet & exultet.

Deinde addit similitudinem, quæ adumbrat iucundissima figura affectum, studium & sollicitudinem Dei in tuenda & conseruanda Ecclesia sua. Sugetis, inquit, ad ubera, seu ad latus portabimini, & super genua blandientur uobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor uos &c. Hæc est suauissima εἰκὼν beneuolentiæ Dei erga Ecclesiam suam aduersis & paucitate sua grauiter afflictam. Aspice enim mihi piam quampiam matrem, quomodo sese erga infantem suum gerat. Initio lactat infantem suum, qua potest diligentia, deinde gestat eum super brachio, ad latus, & ad ubera sua; adhæc ludit cum ipso aliquoties

super

ſuper genua, & blanditur ei carmine, ut uocant, Chorali, ac ſubſultatio nibus. Et omni ſtudio hoc agit, ut oblectet puerum, & ad alacritatem excitet. Quòd ſi puero acciderit morbus quiſpiam, aut ulcus, quo afficiatur dolore, mater ſic afficitur, ut cupiat, ſi queat, in ſeipſam morbum aut ulcus transferre. Quid? exiſtimas ne hæc fieri caſu quodam, aut mulierbri ſtultitia? Putas ne hæc eſſe puerilia tantum delyria? Nihil certe minus. Non enim ſunt humana figmenta, ſed diuina creatio, & ordinatio. Nam cùm Deus natura ſit inuiſibilis, & tamen complectatur eccleſiam ſuam ſumma caritate & beneuolentia, creat in muliere ſuauiſsimum quidem, ſed & ſollicitiſsimum affectum erga liberos ſuos, ut in hac uiſibili matris ac affectus eius creatura pingeret aliquo modo inuiſibilem beneuolentiam ſuã erga eccleſiam. Ex uiſibilibus enim, ut Paulus ait, cognoſcuntur inuiſibilia Dei. Cùm igitur uidemus matrem lactare puerum ſuum, geſtare eum in ulnis, & blandiri ei ſuper genua ſua, cogitemus hæc eſſe opera diuinæ creationis, quibus ſicut mater declarat ſuam erga puerum caritatem, ita Deus reuelet & adumbret ſuam, erga Eccleſiam, beneuolentiam, quæ tamen tanta eſt, ut longiſsime omnes paternos & maternos hoim affectus ſuperet. Sicut eñ umbra à pictore delineata, repræſentat quidem ueram imaginem aliquo modo, non eſt autem uera imago, ita maternus affectus repræſentat aliquo modo beneuolentiam Dei erga Eccleſiam, ſed uera ipſa beneuolentia maior eſt in Deo, quàm quæ uel humana ratione compræhendi, uel externis figuris uere exprimi queat. Nunquid, inquit aliâs, mulier poteſt obliuiſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa obliuiſcitur, ego tamen non obliuiſcar tui. Videamus igitur aliqua ex parte, quomodo filius Dei exerceat materna officia erga Eccleſiam ſuam, & producamus, exempli gratia in medium, Apoſtolum Petrum, qui & unus fuit ex ijs Iudæis, qui initio in Chriſtum crediderunt. Chriſtus enim lactauit Petrum, cùm docuit eum Euangelion ſuum, quod eſt lac conſeruans hominem ad æternam uitam. Geſtauit eum in ulnis, cùm conſeruauit eum, ne in abnegatione periret, & cùm poſtea, miſsis angelis eduxit eum è carceribus, ac defendit eum in miniſterio Euangelij, ne ab impijs trucidaretur. Sollicitus fuit ſingulari cura pro eo, cùm dixit: Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Et: Dicite diſcipulis eius & Petro, quòd ille præcedet uos in Galilæam. Luſit cum eo geſticulationibus ſuper genua, cùm ornauit eum donis ſpiritus ſancti, ut non ſolum loqueretur uarijs linguis, uerumetiam tanta ederet miracula, ut etiam umbra eius ſanaret infirmos. Sed num & hoc materni affectus fuit, quòd conniuit, ut Nero Petrum crucifigeret? Certe non fuit, quod ad ipſum Dei filium attinet, à materno affectu alienum. An non & ipſa mater ſæpenumero ſolet infantem ſuum tenere, dum ulcus eius ferro aperitur? Sic filius Dei tenuit Petrum, dum cruce affigeretur, non ut periret, ſed potius ut hoc momentaneo dolore ad cœleſtia & æterna gaudia transferretur. Hæc, inquies, Petro, quem filius DEI ſingulari præ alijs amore proſecutus eſt, contigerunt. At dubito num filius Dei & ME tanta cura complectatur, & erga ME, ſicut mater erga infantem ſuum, afficiatur. Sed hæc tua dubitatio omnino abij-

Reyhen lied.

cienda est. Nam filius DEI misit Petrum & reliquos collegas eius, propter hanc præcipuè causam, in uniuersum orbem, ut adnunciarent Euangelion, quo DEVS Pater testificatur se propter filium suum complecti quemuis credentem in filium tanto amore, tanta caritate & beneuolentia, ut etiam ipsum in filium & hæredem omnium cœlestium suorum bonorum adoptet. Quare qui est affectus filij DEI in Petrum, idem etiam est, in quemuis credentem Euangelio Petri. Non rogo, (inquit) pro eis tantum, sed & pro ijs, qui crediturí sunt per sermonem eorum in me. Et hoc loco, non ad unum tantum & alterum, sed ad uniuersam Ecclesiam dicitur: Quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor uos, &, In Hierusalem consolationem accipietis. In Hierusalem enim initio reuelatum & confirmatum est Euangelion, quo affertur omnis consolatio Ecclesiæ. Et additur: Videbitis, & gaudebit cor uestrum, & ossa uestra, quasi herba uiresscent. Hoc plane illud est, quod Filius DEI postea apud Ioannem capite decimosexto dixit: Nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Quod in Esaia dicit, Ossa uestra, quasi herba, uiresscent, hoc in Ioanne, quasi interpretans dicit: Gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Sicut enim spiritus tristis exiccat ossa, ita spiritus hilaris impinguat, & quasi uiresscere facit ossa. Cum igitur gaudium piorum sit perpetuum, recte dicuntur ossa ipsorum semper, quasi uiresscere. Additur & hoc: Cognoscetur manus DOMINI in seruis eius. Est & hoc illud, quod in Actis Apostolicis dicitur: Per manus Apostolorum edebantur signa & prodigia multa in populo. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem accrescebat credentium DOMINO multitudo uirorum simul ac mulierum, ita ut in plateas exportarent infirmos &c.

Ecce hæc est manus DOMINI, & dextera excelsi, quæ manifeste reuelata est, in his, qui crediderunt Euangelio, & facti sunt per fidem serui CHRISTI. Quare, etsi Ecclesia Christi fuit initio paucitate sua contemptibilis, ac etiam abominabilis, tamen quia DEVS promittit tanta beneficia, quanta in concione Prophetica enumerata sunt, ac reipsa quoque, reuelato in die Pentecostes Euangelio, præstitit, merito lætandum est cum Hierusalem, & exultandum in ea omnibus, qui diligunt eam, & qui hactenus ob afflictiones eius luxerunt.

ET INDIGNABITVR INIMICIS SVIS, QVIA ECCE DOMINVS IN IGNE VENIET &c.

Magna beneficia contingent diligentibus Hierusalem, hoc est, amicis, & membris Ecclesiæ. Sed non minora supplicia contingent odientibus Hierusalem, & inimicis ac hostibus Ecclesiæ. Cum igitur antea concionatus sit de beneficijs, quæ DOMINVS confert in Ecclesiam piorum, concionatur nunc de supplicijs, quæ confert in impios primum

primum quidem Iudæos, deinde in omnes alios homines, qui neglecto & contempto Filio DEI sectantur suam impietatem, & abominationes. Indignabitur, inquit, inimicis suis. Quanto fauore Filius Dei prosequitur amicos suos, de quibus postea dicit: Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius, Vos autem dixi amicos &c. tanta indignatione, tanto odio prosequitur suos inimicos, qui hoc solum agunt, ut amicos suos opprimant, & de terra uiuentium tollant. Itaque in hoc studium incumbit, ut quam primum de ipsis pœnam sumat. Ecce enim uenit in igne, in eo uidelicet igne, de quo loquitur Deuteronomij trigesimo secundo: Ignis, inquiens, succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nouissima, &c. Et quadrigæ eius, quibus ad sumendum de impijs supplicium aduehetur, similes sunt turbini, ut expleat iram, furorem, & indignationem suam, incendio, flammis, & deuastatione hostium suorum. Nam DOMINVS iudicabit, & sumet supplicium igni & gladio, de omni carne, de omnibus hominibus, qui impie egerunt, & Euangelion suum non agnouerunt. Itaque maxima erit multitudo eorum, qui à DOMINO interficientur. Consummentur enim igni & gladio omnes, qui sanctificant & purificant se in hortis, alius alio loco, Et qui uescuntur carne suilla, muribus, & alijs abominandis, & lege DOMINI prohibitis. Cum enim ego, inquit DOMINVS, non ignorem omnia istorum studia & opera, cogitata & facta esse impia, teneri non possum, quin efficiam, ut simul tollantur, & deleantur. Sæpe iam dictum est, quòd cum fit sermo de bellis, quæ gerit Filius Dei aduersus hostes suos, & persecutores Ecclesiæ suæ, non sit intelligendum de mundanis bellis, qualia gessit Dauid contra finitimas suas Gentes, sed de talibus, qualia regno Filij DEI, quod non est mundanum, competunt. Quare quæ hoc loco recitantur de bellicis quadrigis, de gladio, & igni, quibus Filius DEI uenit hostes suos deuastaturus & oppressurus, intelligenda sunt iuxta modum regni eius, & sicut res ipsa interpretatur. Quemadmodum autem prior illa concionis pars de beneficijs Ecclesiæ, etsi pertinet ad uniuersam piorum Ecclesiam, tamen ἀφ' ἑαυτὸν respicit præcipue in paucos illos pios, qui initio reuelati Euangelij, ex Iudæis in Christum credebant: ita & hæc pars de supplicijs & interitu impiorum, etsi pertinet ad omnes impios siue Iudæos, siue Gentes, tamen primum omnium respicit in Iudæos, qui cum debuissent omnes primi esse cultores CHRISTI, primi fuerunt persecutores, adeoque occisores eius. Venit igitur filius Dei in igne, in quadrigis, & cum gladio ad perdendos impios Iudæos, initio, prædicatione Euangelij sui, quo denunciauit eis, quòd nisi resipiscant, & credant in ipsum, perituri sint omnes perpetuo. Qui non credit, (inquit) iam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Hic est gladius spiritus, quo interficiuntur omnes impij tam Iudæi, quàm Gentes. Hæc est quadriga ignea, quæ absumit omnes aduersarios CHRISTI. Deinde uenit Filius Dei abiectione & exhæredatione Iudaicæ gentis. Postquàm enim Iudæi non solum non receperunt CHRISTVM & Euangelion eius, uerumetiam occiderunt

CHRISTVM, & persecuti sunt Euangelion, abiecit eos Dominus, ut sint exhæredes omnium cœlestium bonorum, & non agnoscantur amplius pro populo Dei. Quam abiectionem & exhæredationem secuta mox est etiam externa & horrenda urbis, & templi eorum deuastatio, quæ facta est à Romanis. Postremo ueniet maxima maiestate in nouissimo die & reuelabit in omnibus impijs tam Iudæis quàm Gentibus supplicium, quod prædicatione sua tanto tempore denunciauit, & dicet: Discedite à me maledicti in æternum ignem, qui paratus est diabolo & angelis eius. Cæterum, quòd de impijs Iudæis dicit. Qui se sanctificant & purificant in hortis, quod supra capite sexagesimo quinto dixit: Qui immolant, seu sacrificant in hortis, & uescuntur carne suilla, ac muribus &c. mirandum fortassis uidebitur, quòd Iudæi propter hæc abijciantur, & exhæredentur à Deo. An non Sacrificare, fuit in lege permissum? Ac esus carnis suillæ, murium, & aliorum immundorum animalium, fuit quidem lege prohibitus, sed Euangelion CHRISTI tollit legale ciborum discrimen. Et quamuis uesci muribus, natura est abominabile, tamen si non est aliud, quo fami medearis, miseria magis est, quàm peccatum, muribus uesci. Quid igitur est, quòd DOMINVS affirmat se propter hæc opera hostes suos grauissime puniturum? Sacrificia, erant quidem lege permissa, & præscripta, sed non erat permissum, quouis loco sacrificare. Et Sacrificia etiam legitima fiebant abominanda sine pœnitentia. Reijciuntur igitur Iudæi, non simpliciter propter Sacrificia, sed quòd illegitime & sine pœnitentia sacrificabant. De esu autem carnis suillæ & murium, non dubito quidem, quin multi Iudæi, alioqui impij, abhorruerint hos uetitos cibos, & ab eis abstinuerint: existimo autem per hos cibos hoc loco intelligenda esse ea sacra, quibus hypocritæ pollicebantur sibi gratiam Dei, & æternam salutem, quòd quàm abominandus sit Iudæis esus carnis suillæ, & murium ac glirium, tam abominanda sint coram DEO sacra, quæ obtrudunt ipsi ad expiationem peccatorum, & quàm detestatur Iudæus esum immundorum animalium, tam detestetur DEVS Sacrifieia, quæ impij hypocritæ, ad consequendam meritis eorum uitam æternam, offerunt. Sic enim supra dixit: Qui mactat pecus, (uidelicet ad sacrificium) quasi qui canem iugulat, & qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. Obseruabilis concio, ut cognoscamus ex ea, quo loco habeantur à DEO, & quo præmio digna iudicet Deus ea Sacra, quæ obtruduntur ipsi in expiationem peccatorum, & meritum æternæ uitæ. Iudicat enim DEVS ea tam abominanda, quàm est esus murium, & digna, quæ abiectione in æternam excæcationem & damnationem puniantur. Quid igitur Missa, quæ habetur Sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum, quid horæ Canonicæ, quæ cantantur ad expianda hominum peccata, quid certa ieiunia, quæ suscipiuntur ad placandam merito suo iram Dei, aliud coram DEO sunt, quàm esus murium, glirium, talparum, stellionum, & si quid est abominabilius? Et quid aliud merentur, quàm quòd sicut quondam Iudæi abiecti sunt à DEO propter

sua

ſua ſacra, ita nunc abijciantur etiam illæ Gentes, quæ ſuas Miſſas, horas Canonicas, ieiunia, & id genus alia ita tuentur, ut interim uerum & ſyncerum Euangelion CHRISTI ferro & igni perſequantur.

VENIO, VT CONGREGEM OMNES GENTES ET LINGVAS, ET VENIENT &c.

Dicet quiſpiam: Si Deus reijcit Iſraelem, ut non ſit populus ipſius, Quis erit eius populus? Aut ex qua gente ſeliget Eccleſiam ſuam? Sic quidem hypocritę Iudęi ſentiebant, quòd ſi ipſi non eſſent uerus Dei populus & uera Eccleſia eius, Deum nullam habiturum Eccleſiam, nec inuenturum ullam gentem, quam in populum ſuum eligat. Sed quemadmodum Baptiſta ait: Dico uobis, quòd Deus poſſit facere, ut ex lapidibus ſurgant filij ipſi Abrahæ, ita & hoc loco dicit filius Dei: Venio, ut congregem omnes gentes & linguas. Etſi puniam Iudæos igni & gladio, & reijciam eos, ne ſint populus meus, tamen non ero ſine populo aut Eccleſia, ſed colligam mihi Eccleſiam ex omnibus gentibus & linguis, quæ ueniet ad me fide ſua, & uidebit gloriam meam, quia cognoſcet me uerum eſſe Meſsiam, & filium Dei, quæ eſt ſumma gloria & maieſtas. Sic autem colligam Eccleſiam ex Gentibus. Ponam, inſtituam inter eas Signum ſeu uexillum, quod eſt prædicatio Euangelij mei, (Sicut & ſupra capite undecimo prædicatio Euangelij uocatur ſignum. Leuabit (inquit) ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael.) Et mittam ad gentes aliquos ex his Iudæis, qui ſaluati fuerint. Hi ſunt Apoſtoli, & reliqui diſcipuli, qui pereuntibus reliquis Iudæis, ſeruati ſunt fide in CHRISTVM, ut non unà cum alijs perirent. Enumerantur autem Gentes, ad quas filius Dei dicit ſe Apoſtolos & legatos ſuos miſſurum, uidelicet.

In Tharſis, ſeu Mare. Hę ſunt Inſulę maris, ad occidentem urbis Hieruſalem, et Regiones, quæ ſunt ultra hoc mare.

Phul, ſentiunt eſſe Aphricam.

Lud, Gen. x. Recenſetur Lud inter filios Sem, Inde regioni nomen Lydia.

Tenentes, ſeu extendentes Sagittam, hoc eſt, Sagittarij. Hoc uel ad gentes prius enumeratas, Phul & Lud, uel ad eas gentes, quæ deſcendunt ex Iſmael, & deſcriptæ ſunt Geneſis uigeſimo quinto, refertur. De Iſmaele enim ſcribitur Geneſis uigeſimo primo, quòd factus ſit uir Sagittarius. Alij exiſtimant eſſe Thraces.

Thubal, Gen. x. recenſetur inter filios Iapheth. Inde nomen Regioni, quam interpretes Italiam transferunt.

Ianan, Eſt & hic inter filios Iapheth, Et eſt Ionia, ſeu Græcia.

Ad has (inquit filius Dei) Gentes, mittam legatos, & ad inſulas longe remotas, quæ non audierunt prædicationem de me, neq; uiderunt gloriam meam, hoc eſt, inter quas Gentes non eſt antea publice de Meſsia prędicatum, nec talia ac tanta edita ſunt miracula, ſicut inter Iudęos. Intelligendę aũt ſunt oẽs gentes in toto orbe terrarum, ſicut

CHRISTVS dicit. Eritis mihi testes non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaque, deniq; usque ad extrema terræ.

Quid facient Apostoli filij Dei inter Gentes, Et quid fiet de Gentibus?

Annunciabunt gloriam meam Gentibus. Gloria filij Dei est, quòd sit uerus ab æterno DEVS, quòd sit uerus Messias per Prophetas promissus, quòd sit expiator peccatorum nostrorum, quòd sit sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio nostra, ut omnis, qui credit in ipsum, reputetur coram DEO iustus, & habeat æternam salutem. Hoc est Euangelion DOMINI nostri IESV CHRISTI, quod Apostoli inter Gentes adnunciauerunt. Adducent omnes fratres uestros de cunctis gentibus oblationem DOMINO, in equis, quadrigis &c. Non dubito, quin Paulus in hunc locum respexerit, cum ad Romanos capite decimoquinto sic scriberet: Data est mihi à DEO gratia in hoc, ut sim minister Iesu Christi in Gentes, administrans, (aut potius Sacrificans) Euangelion Dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum. Paulus igitur, & reliqui collegæ eius fuerunt ueri Sacrificuli, non Missarij, sed Concionatorij, qui adduxerunt Israelitas in oblationem DOMINI, ex omnibus gentibus, in equis, in quadrigis, in lecticis, in mulis & carrucis, ad montem sanctum Zion, quia prædicatione Euangelij collegerunt Ecclesiam ex omnibus gentibus, ut quotquot Euangelion fide acceperunt, facti sint oblatio Deo gratissima, & assumpti sint in ciues & hæredes cœlestis regni. Nam quemadmodum stante adhuc incolumi republica Mosaica, Israelitæ adducere solent oblationes suas in uasis seu instrumentis iuxta legem purificatis, ad templum DOMINI, ita temporibus Messiæ, & reuelati Euangelij eius adducent Apostoli in equis, quadrigis, & alijs uecturæ generibus, Gentes in oblationem DOMINI, longe acceptiorem, quàm illa externa & Leuitica fuit. Manifestum autem est ex ipsis gestis rebus, quòd hæc gentium adductio ad montem Zion, nec facta sit, nec fiat corporali modo, sed per Euangelion DOMINI nostri Iesu Christi, uidelicet, quòd tunc Gentes aduehuntur in curribus & equis, in mulis & lecticis, ad Zionem, cum Gentes properant ad concionem Apostolorum, & accipiunt Euangelion Iesu Christi per fidem. Itaque tunc sentias te profectum aut aduectum esse ad montem sanctum Zion, cum credis Euangelio Christi, & instituis uitam tuam ad uocationem eius. Sic susceperunt Gentes in Antiochia Pisidiæ profectionem ad montem sanctum Dei Hierusalem, cum rogarunt Paulum & Barnabam, ut sibi loquerentur uerba, & cum uniuersa fere ciuitas conuenit Sabbato ad audiendum uerbum Dei. Et cum Paulus ad Colossenses scribens, dicit Euangelion in toto mundo fructificare, idem est, ac si dixisset, ex uniuersis gentibus adduci oblationem DOMINO ad templum eius in equis & quadrigis, in lecticis & carrucis.

Actor. 13

Et assumam ex eis in sacerdotes & Leuitas &c. Non hoc uult filius Dei, q̃ reuelato Euangelio futurũ sit in Ecclesia tale externũ sacerdotiũ, quale

quale est in lege Mosi, Sed si id quod dicitur, Ex EIS, refert se ad cunctas gentes, è quibus antea dictum est, Apostolos adducturos fratres suos, tunc significat omnes pios credentes in CHRISTVM sanctificari & consecrari in spirituales sacerdotes, sicut supra capite sexagesimoprimo dictum est. Si autem refert se ad fratres, ex gētibus adductos, tunc nomine Sacerdotum & Leuitarum significat se ex corpore Ecclesiæ, quæ ex Gentibus colligitur daturum ministros, & doctores, qui doctrina, & sacramentorum administratione Ecclesiam conseruent, & ad posteros propagent. Sicut & supra capite sexagesimo, Filij peregrinorum ædificabunt muros tuos &c. Et Paulus ad Ephesios: Dedit (inquit) alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores ac Doctores ad instaurationem Sanctorum &c. Hic plane nulla fit mentio Sacrificulorum Missariorum, quod tamen necessario fuisset à Paulo addendum, si tales sacrificuli utiles essent, ad instaurandam & conseruandam Ecclesiam. Quia sicut cœli noui, et terra noua, quæ ego facio stare &c. Supra capite sexagesimo quinto dictum est, Filium DEI creasse suo quodam modo nouos cœlos, & nouam terram, in die Pentecostes. Quæ noua, etsi non uidentur corporalibus oculis, tamen uidentur oculis spiritualibus, quod homini antea peccati horrore concusso, & nunc per Euangelion exhilarato appareant omnia renouata, & recreata. Deinde cœlum & terra renouabuntur in nouissimo die etiam externa mutatione. Et sic renouata perpetuo durabunt. Dicit ergo, sicut efficio, ut renouati cœli & terra stabiliantur perpetua firmitate, ita & semen uestrum, & nomen uestrum in æternum manebunt. Hoc semen & nomen est Ecclesia DOMINI nostri IESV CHRISTI, quæ cum renascitur, non ex semine mortali, sed ex immortali, sicut Petrus ait, per sermonem Dei uiuentis, & manentis in æternum, manet & ipsa in æternum, & fruitur perpetua fœlicitate.

Et erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato &c. Hoc sic legendum est, Et fiet, ut à Neomenia in Neomeniam suam, & à Sabbato in Sabbatum suum ueniat omnis caro ad adorandum me, dicit DOMINVS. Significat autem, quòd non solum Iudæi, sed omnis caro, hoc est, Iudæi & Gentes uocabuntur per Euangelion ad Ecclesiam, & qui ex omni carne, siue Iudæis, siue Gentibus, acceperint Euangelion fide sua, hi non uno tantum Neomeniæ aut Sabbati die, sicut hactenus Iudæis usitatum est, sed de Neomenia in Neomeniam, de Sabbato in Sabbatum, hoc est, semper, sine ulla intermissione colent & adorabunt Filium Dei, & inuocabunt Deum patrem cœlestem, per nomen eius, ut & iustificentur, & seruentur perpetua salute. In lege Mosi cultus Leuiticus solet certis fieri temporibus, ac præsertim diebus festis. Reuelato autem Euangelio inter Gentes, uerus Dei cultus erit perpetuus, quia pij renati ex Euangelio per fidē adoptātur in filios Dei. Vbi autem est spiritus adoptionis, ibi perpetuus est clamor fidei ad Deum, Abba Pater, Quem clamorem, etsi nos non semper obseruamus, Deus tamen nunquàm non audit, ideoq; reputat eos, qui in filium suum credunt, perpetuos sui cultores, & adoratores, etiamsi aliquid externi uel politici operis faciant, aut etiam dormiant.

ET

ET EGREDIENTVR ET VIDEBVNT CADAVERA VIRORVM &c.

Supra dixit, Iudicabit Dominus igni & gladio omnem carnem, & erunt interfectorum Domini multi. Deinde addidit de seruata ecclesia Domini, quòd ueniat omnis caro, uidelicet ecclesia ex omnibus Gentibus collecta, ut adoret Dominum. Nunc ergo concludit hanc concionem, & dicit, quòd ecclesia non solum ingrediatur ad adorandum Dominum, uerumetiam egrediatur, ad uidendum cadauera eorum, qui interfecti sunt à Domino. Hæc autem sic recitantur, perinde ac si fuisset filio Dei cum hostibus suis externum & mundanum prælium, ac filius Dei reportasset ex ipsis externam & mundanam uictoriam. In hoc enim uictoriæ genere solent uictores, commisso prælio, non solum triumphum apud suos instituere, & Deo publicas, pro uictoriæ beneficio, gratias agere, uerumetiam per ocium in campum, in quo prælium commissum est, egredi, ut coràm inspiciant cladem, & cadauera hostium suorum, quos interfecerunt. Hîc ergo uident cadauera, cum incipiant iam putrescere, & uermibus scatere, igni tradi, ne aërem corrumpant. Quod cadauerum spectaculum, etsi recordatione uicti & prostrati hostis non est uictoribus ingratum, tñ per se tã horribile & abominabile est, ut etiã uultus suos ab ipso auertãt. Sed cũ nec prælium Christi cum hostibus suis, nec uictoria, nec regnum eius sint mundana, sentiendum est, nec hunc egressum ecclesiæ, nec hoc spectaculum cadauerum esse mundana, Sed significare perpetuam ecclesiæ lætitiam, ac fœlicitatem, & perpetuum impiorum interitum, & infœlicitatem. Christus apud Marcum capite nono, ter facit mentionem huius Prophetici dicti. Bonum, inquiens, est tibi mutilum ad uitam ingredi potius, quàm duas manus habentem abire in Gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur &c. Nam uermis quidem, qui in cadauere mortui hominis nasci solet, suo tempore moritur, & ignis, quo mortuorum cadauera exuri solent, suo tempore extinguitur, uermis autem impiorum, non moritur, & ignis eorum non extinguitur, quia supplicium eorum erit perpetuum, & erunt ipsi omnibus pijs sempiterno opprobrio & abominationi. Ac summa, ut dici solet, summarum, fœlicitas & infœlicitas, in regnis quidem huius seculi temporaria sunt & caduca, in regno autem Christi sunt sempiterna & perpetua. Et ut nulla humana ratio compræhendere potest in hac uita, qualis & quanta sit piorum fœlicitas: Quæ oculus, inquit Paulus ex Esaia, non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, ita nulla humana ratio percipere potest, quàm magna, quàm grauis, & quàm horribilis sit infœlicitas impiorum. In Matthæo dicitur: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti uero in uitam æternam. In Ioanne dicitur: Omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, qui uero mala, in resurrectionẽ cõdemnationis. Et Paulus. Qui redditurus est, inquit, unicuiq; iuxta facta sua. His quidẽ, qui perseuerãtes in bñfaciendo, gloriam & honorem, & immortalitatem quærunt, uitã æternã, ijs uero

Rom. 2.

ijs uerò, qui ſunt contentioſi, & qui ueritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſticiæ, uentura eſt indignatio, ira, afflictio &c. Et iterum. Iuſtum eſt apud Deum, reddere ijs, qui affligunt uos, afflictionem, & uobis, qui affligimini, relaxationem nobiſcum, cum reuelabitur Dominus Ieſus de cœlo, cum angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnam luunt, interitum æternum, â facie Domini &c. Quid multis opus? Etſi in hoc ſeculo pij uidentur infœlices, impij autem fœlices, in regno tamen Chriſti, quod nunc reuelatum quidem eſt, prædicatione Euangelij, & percipitur fide, in nouiſsimo autem die reuelabitur manifeſta apparitione maieſtatis filij Dei, & percipietur reipſa, nihil certius, nihil firmius eſt, quàm quòd pij ſemper & perpetuo erunt fœlices, impij autem ſemper & perpetuò infœlices. Complectamur igitur Euangelion filij Dei omni ſtudio noſtro, ut ex fide iuſtificati, & in filios Dei adoptati, capiamus propter Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, hæreditatem cœleſtis regni, & ſempiternæ uitæ. 2. Theſ. 1.

FINIS.

INDEX COMMEN
TARIORVM IOANNIS BRENTII IN

Esaiam Prophetam, in quo non tantum summæ eorum, quæ tractantur in his commentarijs, diligentissimè annotatæ sunt, sed etiam multa eademque exempla sub diuersis literis reperiuntur, ut sententia hæc, Christianorum sanguis semen est Ecclesiæ, non tantum sub C, sed & sub E & S inuenitur, ut Ecclesiæ semen est sanguis Christianorum, & Sanguis Christianorum est semen Ecclesiæ. Hæc Lectori pio indicare uolui, tu Lector optime laborem hunc boni consule, eoq; ad diuini nominis gloriam utere.

A



BIECTIS à Deo propter peccata patet receptus ad Christum 925

Abiectionis Iudæorũ utilitas & causæ 49

Abrahæ & Saræ exemplum populo Iudaico proponitur 754

per Abrahamum æditit Deus magna miracula 563

Abraham petra uocatur 754

Abrahæ historia seu legenda commendat clementiam & potentiam Dei 755

Abrahæ exemplum prodest ad confirmandam fidem in rebus desperatis 755

Abrahæ exemplum prodest ad cognoscendam ueram rationem iustificationis nostræ coram Deo 755

Abrahami res gestæ 561

Abraham amicus Dei 568

Academiæ quare institutæ 947

Aduersa Ecclesiæ sufferenda esse in hoc seculo 763

Aduersariorum Ecclesiæ interitus 571. 846. 993.

Aduersariorum Dei & Ecclesiæ conatus esse irritos 439

Aduersariorum omnium Ecclesiæ Dei interitus horribilis 457

Aduersariorum Christi qualis conculcatio 330. 335.

Aduersarij Ecclesiæ cogitant internecionem, Deus autem conseruationem Ecclesiæ 349

Aduersariorum Ecclesiæ gaudium & fœlicitas somnium est 376

Aduersarij, persecutores, seu hostes Ecclesiæ 128

Aduersariorum potentia non metuenda 129

Aedificare muros Hierusalem 939

Aegyptij muscis comparantur 119

Aegyptij reges 267

Aegyptiacum ciuile bellum 268

Aegypti sapientia 271

Aegyptiaci regni desolatio propter crudelitatem erga Ecclesiam Dei 320

Aegyptiacæ seruitutis & Assyriacæ captiuitatis cum spirituali captiuitate collatio 777

Aegrotus non quærat undiquaque auxilia 402

Aetates Ecclesiæ 684

Affectus Dei in affligenda Ecclesia sua declaratur exemplo Iosephi 834

Affectus ardoris, quem Deus erga suam Ecclesiam habet, constantißimus est 735

Afflictionum & suppliciorum ratio 12. 161. 170. 182. 342. 349. 350. 365. 509. 834. 946. 973. 986.

Afflictum Deus mirabiliter & potenter seruat 517

Afflicti Deo curæ sunt 889

Afflictionis, quæ Ecclesia Dei premitur, causa 891

Afflictiones sunt supplicia peccati naturæ nobis inhærentis 892

Afflictionibus cur Deus conniueat multis etiam precibus inuocatus 911

Afflictionibus comprehensi plerunq; petunt liberationem, sed non emendationem Ibidem.

Afflictiones non possunt hominem pungere, si non subsunt peccata 732

Afflictionum aculeus peccata sunt 732

Afflictionum usus 13

Afflictionum causa & utilitas 32. 242. 946.

Afflictiones impœnitentium sunt initia dolorum 163

Afflictiones graues quomodo effugiendæ 246

INDEX.

Afflictio pijs est uespera 258
Afflictiones quomodo in bonum cedant 260
Afflictionum, quæ accidunt impijs, & quæ Ecclesiæ accidunt discrimen 277
Afflictionibus certi à Deo constituuntur termini 305
Afflictiones quare & quomodo patienter & obedienter ferendæ 345. 351. 666.
Afflictiones non sunt expiationes peccatorum coram Deo, sed ducunt in cognitionem peccatorum 352
Afflictionibus non opprimitur sed crescit Ecclesia 354. 637.
Afflictiones tam in pijs, quàm in impijs 365
Afflictiones nostræ affligunt Deum, hoc est, si resipiscimus à peccato, resipiscit Deus à pœna 370. 1002
Afflictiones Ecclesiæ salutares 414
Afflictionum causæ ab impijs reijciuntur in ministros uerbi 491
Afflictiones post promissionem auxilij plerunq; crescunt 492
Afflictiones immissas posse pijs precibus tolli aut mitigari 512
Afflictionibus crescere & augeri Ecclesiam 354. 637.
Afflictiones & aduersa admoneant nos ut inuocemus Deum 1006
Afflictionis tempus momentum & punctum 833
Afflictionis tempus quomodo fiat momentum & punctum Ibidem
Afflictiones esse argumenta clementiæ Dei 839
Afflictiones accidere Ecclesiæ Deo sciente & administrante 771
Afflictiones accidere Ecclesiæ aut hominibus non semper propter peccata, sed propter alias quasdam causas 569. 801.
Afflictionis modus & liberatio excogitatur et decernitur à Deo antequàm immittatur afflictio 624. 694.
Afflictionibus nomen Dei illustratur 801
Afflictionibus piorum impij de ira Dei admonentur Ibidem
Afflictionibus maiora beneficia pijs conferuntur Ibidem
Agnitio nostri, & quæ nos in agnitionem nostri uocent 8
Agnitio iræ diuinæ necessaria 410
Agnoscere Deum quid sit 9
Agnus paschalis in CHRISTVM respexit 763
Abaz colubro confertur 129
Abaz exemplum hypocritæ 110
Aiath ciuitas 180
Alieni ædificant Hierusalem 940
Alienigenæ qui dicantur 867
Alienigenis quæ beneficia promittantur 871
Amarum pro dulci &c. 89
Amor & ardor matrum erga liberos suos 735
Amor matrum erga liberos umbra amoris Dei erga Ecclesiam 735
Amoris Dei erga Ecclesiam argumentum maximum mors filij Dei 735
Anabaptistæ existimant non gerenda esse arma 47
Anathemata in templis uaria suspensa 882
Angularis lapis 362
Angelicæ potentiæ exemplum 508
Animæ defunctorum quid agant 526
Annus iræ & indignationis Domini 963
Antonius Eremita 466
Apostoli & concionatores sunt excubitores Ecclesiæ 986
Apostoli & omnes pij sunt Prophetæ 5
Apostoli iudices in regno Christi 34
Apostoli sunt signa & portenta 137
Apostolorum doctrina de Christo quòd sit uere Deus noster 547
Apostoli sunt sacrificuli non Missarij sed concionatorij 1070
Apostolicarum concionum summa 785
Apostoli dicuntur speculatores 788
Applicatio beneficij Christi secundum Papistas seu libellum Interim 806
Applicatio beneficij Christi ab ipso Christo instituta Ibidem
Apries rex Aegypti 167
Aqua & panis nobis emenda proposita sunt Christus 849
Aranearum textura, uanitas operum traditionum humanarum 916
Arbitrij liberi uires in homine 708
Arbitrium liberum 176
Arbores iusticiæ 963
Ariel, id est, leo Dei, pro Hierusalem 375
Arphad urbs 173
Arrogantia 89
Arrogantiæ seu elationis animi exempla 174
Arrogantiæ supplicium 174. 206
Arrogantia hominum retunditur similitudine luti 388
Arrogantia eorum, qui ex obscuro loco ad dignitates peruenerunt 295
Arrogantia propter opes 302
Arrogantiæ euentus infœlix 499
Ars certa ne metus Tyrannorum nos exterreat 766

Articuli de iuſtificatione & redemptione noua & Metaxyſtica corruptela 783
Articuli ſymboli Apoſtolici ſunt Epitome Propheticæ & Apoſtolicæ uocis 988
Aſſyrij apibus comparantur 119
Aſtrologiæ iudiciaria ſeu diuinatrix pars quatenus probetur 700
Aſtronomiæ commendatio Ibidem
Auarus quis dicatur 421
Auaritiæ repræhenſio 83
Auguratricis filij qui 877
Auri & argenti impium ſtudium 53
Aurum & argentum adducere Domino in Hieruſalem 938
Author peccati an ſit Deus 1013
Auxilium alienum quærere quatenus impium 883
Auxilium à Deo petendum & expectandum 402
Auxilia ab impijs non petenda 269
Auxilij diuini expectatio non impediat opera noſtræ uocationis 402
Auxilij diuini expectatio ridetur ab impijs 260
Auxilijs humanis quatenus liceat uti 292. 396. 476.
Auxilia aliena contra uerbum Dei afferunt exitium 178. 394

B

Babel,hoc eſt,confuſio 201
Babylonis magnitudo 201. 210
Babyloniorum impietates 204
Babyloniorum & pontificiorum collatio 205
Babyloniorum Idola 204
Babyloniorum Magia & diuinationes 205
Babyloniorum crudelitas Ibidem
Babyloniæ & Medicæ impietatis collatio 112
Babylonij cur à Medis deuaſtati Ibidem
Babyloniorum triplex ſupplicium 221
Babyloniorum regum ſepulchra uiolata 225
Babylonis ruina propter Hieroſolymæ euerſionem 320
Babylonij ſeu Chaldæi magnam operam impenderunt in Mathematicam, Magiam &c. 699
Babylonem à Cyro captam diuino tantum conſilio & gubernatione 710
Bacilli lignei ſeu dicæ 900
Balthazar rex Babylonius ab Herodoto Labynetus 222
Baſiliſci oua,impiorum doctrina 916
Baſiliſci ouis ueſci,item Baſiliſci oua conculcare quid Ibidem
Bel unde dicatur 681
Belluarum gratitudo 10
Bellicarum rerum ſtudium 54
Bellum Chriſti aduerſus omnes impios 460
Benedictionis diuinæ exemplum 505
Benedictionis nomine quæ comprehendantur 857
Benedictio unde contingat 190
Benedictio ſpiritualis 467
Beneficia promiſſa non offeruntur ſtatim carnì ſentienda 574
Beneficiorum Dei commemoratione confirmatur fides 1002
Beneficij Chriſti applicatio ſecundum Papiſtas & libellum Interim 806
Beneficij Chriſti applicatio ab ipſo Chriſto inſtituta Ibidem
Beneficiorum Dei qui fiant participes Ibidem
Beneficij Chriſti amplitudo 815
Beſtiarum feritas in aduentu Chriſti mutata 189
Beſtiarum feritatis mutatio quid ſignificet Ibidem
Beſtiæ malæ ſupplicium peccati 190
Blaſphemia eſt transferre honorem Chriſto debitum in opera noſtra à Pontificibus præſcripta 783
Blaſphemia eſt præſcribere Deo quantum mercedis debeat perſoluere pro ſingulis operibus Ibidem
Blaſphemia eſt facere Deum ſæuum iudicem, perſonarum reſpectorem,infantem,mercatorem Ibidem
Blaſphemia eſt nominis diuini facere mentionem miſericordiæ Dei non gratuitæ ſed commeritæ propriæ iuſticiæ 781
Blaſphemiæ diuinitus punitæ exemplum &c. 506
Blaſphemiæ Saneherib regis Aſſyriorum 226
Blaſphematorum ſupplicium 433 506
Blaſphemiæ Rabſacis 483
Blaſphemia & contumelia nominis Dei pijs ſeorſim afficiuntur 486
Blaſphemiæ quomodo à nobis excipiendæ 487
Bonum pro malo 89
Bonum prædicatum ab Apoſtolis 786
Bonitatis diuinæ magnitudo 768

C

Cæcitas mentis ſupplicium peccati 1014
Cæci uſum recipientes 389
Calamitatum cauſæ in Prophetis Domini reiiciuntur 490
Calamitates & miſeriæ poſt promiſſionem ad

xilij & liberationis cur crescant 492
Calanna urbs 173
Calix crucem & afflictiones significat &c. 769
Cananaica lingua loqui 274
Canonis artifices multi 645
Canonicarum horarum lectio est aranearum textura 917
Captiui qui ueré dicantur 960
Carcamis urbs 173
Carceres spirituales qui sint 595
Caritas 817
Caritas Dei erga humanum genus 803
Caritas non iustificat 817
Caritatis opera ad pœnitentiam necessaria 900
Carmina sanctorum 196
Carnem suam non despicere caritatis est opus 902
Caro quid significet 543
Caro nostra, hoc est, nostri cognati & consanguinei 902
Castratio uera 870
Catholica Ecclesia quare ita dicatur 981
Catholica fides quæ sit 819
Causam suam commendans Deo cadit ab eatota 494
Causæ duæ principales quas Deus in homine conyderat, una legis, altera Euangelij 869
Causam, non personam, respicit Deus &c. Ibidem
Cautelæ in celebratione Missæ 884
Cedar 286
Cedri Libani 58
Christus abiectus ornatur magna gloria &c. 717
Christi abiectio in hoc mundo 716
Christus abrogauit legem 537
Christus abscissus de terra uiuentium 811
Christus aditu facilimus 592
Christi affectus erga Ecclesiam pingitur imagine matris 683
Christus alius doctor quàm Moses 590
Christus anima contemptibilis 716
Christus an opus habeat Vicario 953
Christus aperit oculos cæcorum 595
Christus à quibus agnoscatur & recipiatur 388
Christi armatura 923
Christi aspectus seruilis 795
Christi bellum aduersus omnes aduersarios suos & impios 460
Christi bellum quale 346
Christi beneficia 227. 325. 435. 536. 626 648. 683
Christi beneficia ad omnes gentes pertinere 652
Christi beneficia imagine matris explicantur 683
Christi beneficium quomodo applicetur &c. 633
Christi beneficium omnium maximum remissio peccatorum 650
Christus communicat cum suis iusticiam & salutem 662
Christo communicatur nomen & maiestas Dei patris 596
Christus consolatur in afflictione, & in paupertate miseretur 793
Christus constituit Tyrannis terminos, ultra quos ferocia sua progredi non possunt 767
Christus contritos & infirmos non abijcit 590
Christi crucis & mortis fructus 802
Christus cum sceleratis reputatus 820
Christus cur dicatur pater 154
Christus cibus & potus piorum 1044
Christus constitutus in fœdus populi 729
Christi deformitas 795
Christi deformitatis usus 795
Christus de paucitate credentium conqueritur 723
Christus Deus absconditus 670
Christi de uirgine nascituri promissio 113
Christus dictus Iesus, hoc est, saluator 725
Christi diuinitas 95. 97. 153. 276.
Christi doctrina 747
Christianismi doctrina amatur quamdiu fœlix est Christianismus 700
Christus Dominus Zebaoth 323
Christus Dominus Deus, sanctus Israëlis 919
Christi duplex obedientia 749
Christus dux uerbi & princeps doctrinæ 853
Christus educit uinctos è carceribus spiritualibus 595
Christus eiusdem cum patre maiestatis 593
Christus Electus Dei 587
Christi Eloquentia superat omnium Philosophorum & Oratorum eloquentiam 748
Christus Emanuel dictus 116
Christi Epitheta 116. 123. 152. 197. 321. 626. 652. 670. 673. 712. 852.
Christi Epithetorum usus 114
Christus Esaiæ patruelis 1. 79
Christus est Deus Iustus & saluans 677
Christus est Deus docens utilia 712

Christus est placidus, gratus & iucundus 589
Christi & beneficiorum eius descriptio 24
Christi & gentilium deorum discrimen 673
Christi & mundani regni antithesis 446
Christi & regni eius maiestas 95
Christi & Tyrannorum collatio in persecutionibus confirmat fidem 767
Christus exercet materna officia erga Ecclesiam suam 1071
Christus factus est peccatum, hoc est, hostia pro peccato 813
Christus fide acceptus, certa est ac uera salus 468
Christi filij Dei cura 555
Christi filij Dei maiestas 549
Christus filius Dei non defatigatur 557
Christi filij Dei opera 653. 667
Christi filij Dei sapientia 550
Christus fœdus dicitur 594
Christus fœdus populi 729
Christi fortitudo & potentia spiritualis 547
Christi fructum perceperunt Iudæi & spiritualiter & corporaliter 115
Christus fungitur officijs ueris, summi & ueri sacerdotis 821
Christi gladius 720
Christi gladius est uerbum Dei 459
Christus gloria patris 594
Christi glorificatio 750. 751
Christi glorificationis usus Ibidem
Christi hostes 924
Christus hostia 813
Christum humanam carnem assumpturum esse 137
Christi humanitas 717
Christus impetrauit omnibus aditum ad patrem 719
Christus in manu sua habet Tyrannorum potentiam & corda 767
Christi innocentia 820
Christus in sola Apostolica doctrina inuenitur 669
Christus intercessor 820
Christus Iudæis promissus 48
Christus Iudex, doctor, & rex 452
Christus iustus Iudex 186
Christus Iusticia & salus Zionis 980
Christi iusticia quibus & quomodo contingat 816
Christus Lapis 361
Christi Legati seu Apostoli 853
Christus liberat è tenebris 731
Christus liberat uinctos è captiuitate 731
Christi lingua medetur omnibus malis 748
Christus lux & salus gentium 594. 724
Christus lux gentium 725
Christus lux Zionis 931
Christi maiestas 680
Christus metuendus 131
Christi ministerium 720
Christi ministerij partes duæ 725
Christus ministerium suum quatuor rebus absoluit in terris 746
Christi ministerij seu officij partes 726
Christi miracula 746
Christus non eripit regibus sua regna 743
Christo non mandata est administratio mundani regni 720
Christus non pudefit. Ergo è morte eripitur & resurgit 751
Christi obedientia in suscipienda morte sua 819
Christi obedientia, quam præstitit Deo patri in uocatione & ministerio suo 749
Christi officium 670. 717. 720
Christi officium & ministerium Ibidem
Christus Papistis est legislator 384
Christi passio imago est, qua proponitur nobis sors Ecclesiæ Dei in hoc mundo 770
Christi passio, mors & crux sunt lagenæ & lampades Gideonis 148
Christus pastor 548
Christi patientia 809
Christus præceptor 855
Christus præfectus pauperum, ein Betteluogt 321
Christi preces exaudiuntur 728
Christi principes qui sint 118
Christi prudentia uerè in administranda & perficienda sua uocatione 793
Christi pugna suscepta contra peccatum, satanam & mortem 996
Christus qualis consiliarius 153. 185
Christus qualis liberator 322
Christus qualis monarcha 151. 184
Christus qualis rex 322
Christus qualis uia 471
Christus quam mercedem & precium afferat credentibus in ipsum 548
Christus quæ præcipue gesserit inter Iudæos in ministerio suo 746
Christus quare dicatur seruus 791
Christus quare & quomodo dicatur lux mundi 725
Christus quare laudandus 600
Christus quare Messias dictus sit 657
Christus qua reuerentia excipiendus 541
Christus quibus sit gratiæ thronus 62
Christus quibus sit sanctificatio 132

Christum qui sint laudaturi 599
Christo quomodo despondeamur in coniugium 831
Christus quomodo instauret terram 730
Christus quomodo iustificet 819
Christus quomodo susceperit & portauerit nostras infirmitates 801
Christi regni administratio 157
Christi regis feuda 991
Christi regnum non abolet politicum magistratum 743
Christi regnum quale 135. 238 340. 390.
in Christi regno quomodo sint reformata iudicium & iusticia 364
Christi regnum solum perpetuo stabit, cui omnia alia regna cedunt 317
Christi regni tranquillitas 189
Christus restituit ueram doctrinam salutis 591
Christus rex ingreditur Hierusalem 991
Christus rex iustus 418
Christus sacerdotis officium suscepit 728
Christus saluator Israëlis 670
Christi salus & iusticia 759
Christus salus patris 725
Christi salutem omnibus offerri sine personarum acceptione 679. 741
Christus sanctus Israëlis cur dicatur 712
Christi semen 813
Christus seruandæ fidei & promissionum constantissimus 188
Christus seruatur in morte 593
Christus seruus dicitur 586
Christus seruus dominorum 716
Christus seruus iustus 815
Christus signum militare seu uexillum &c. 194
Christus solus audiendus 139
Christus solus nostra propiciatio 730
Christo solo salus nostra accepta ferenda est, nullius alterius meritis 997
Christum solum colendum 586
Christi solius uocem audiendam, & in Christo confidendum 752
Christus spiritu Dei donatus 588
Christi spiritum in Prophetis fuisse 754
Christi sponsi amor erga Zionem 984
Christus subiecit terram uirga oris sui &c. 188
Christus testis est de uoluntate Dei 852
Christi Thesaurus 435
Christus tuetur ministerium Euangelij in Ecclesia 919
Christi uaria præconia 589
Christus uerus ab æterno Deus 879
Christus uere Deus noster 547
Christus uerus Deus & homo 61 75 664
Christus uere est semper Augustus 158
Christus uerus DOMINVS, Deus noster 434
Christus uestimentum salutare est 978
Christus uicit Satanam 537
Christi uictoria & triumphus 998
Christi uictoria quibus prosit 997
Christi uictoria super mortem 325
Christus unius essentiæ cum patre 314
Christus unctus est spiritu sancto 958
Christi uocatio 718 719
Christus uocatus ad colligendas reliquias Israël, & ut sit lux gentium 725
Christi zelus 487
Christus Zionis lux 938
Christus Zionis redemptor 927
Christiani Ecclesiastici qui 18
Christiani impœnitentes 185
Christiani loquuntur Cananaica lingua 275
Christianorum luctus organon gaudij 954
Christianorum pueri alieni 52
Christianæ religionis ueritas & certitudo 622
Christianorum sacra 275
Christianorum sanguis semen est Ecclesiæ 449 955
Christiani soli possunt canere ὠδὴν νικίων ante uictoriam 218
Christianorum tria præcipua sacra 328
Cinctorium rerum Christi fides 188
Circuncisionis collatio cum fœdere quod Deus iniit cum uniuerso genere humano per Christum filium suum 719
Cithim, id est, Macedonia 298
Ciuitas bene munita quæ sit 212
Clementia quando laudetur 172
Clemens Deus cur mandet immania 209
Clementiæ diuinæ magnitudo 708
Cœli & terræ renouatio 1048
Cœlum & terra præteribunt, salus autem & iusticia filij Dei non præteribunt 761
Cœlestis gloriæ commendatio, quæ præparatur expectantibus Deum 1020
Cœlos plantare quid sit 768
Cœlum sedes Dei 1056
Cœnæ dominicæ uera administratio ab ipso Christo instituta 634
Cœnæ dominicæ depravatio pontificia 649

Cœnæ dominicæ usus legitimus 17
Κοινόβια seu collegia studiosorum quare instituta 940
Cognitio Christi, alia historica, alia Euangelica 818
Cognoscendus Deus quomodo 671
Collatio duorum regnorum Iudæ & Israëlis cum duobus regnis piorum principum & pontificiorum 256
Collatio regnorum mundi & regni Christi 316 317 335
Collegia quare instituta 946
Concionum Apostolicarum summa 785
Concionatoris boni tres conditiones 780
Concionatores excubitores sunt Ecclesiæ 986
Concionatorum officium 897
Concionator pius quomodo doceat pœnitentiam 856
Concionator pontificius quomodo doceat pœnitentiam Ibidem
Concionatorum piorum merces pro officio 878
Concionum sacrarum abusus & contemptus 401
Concionis usus legitimus 17
Coniugium quare institutum 527
Coniurationes & benedictiones in papatu 205
Consiliarius, Christi Epitheton 152
Consolatio contra afflictiones & calamitates populi Dei 568
Consolatio in populo Dei quibus argumentis excitanda 535
Contempti Euangelij pœna 64
Contemptores uerbi Dei & concionatorum 878
Contractus emptionis et uenditionis quatenus licitus 81
Contriti corde qui sint 959
Contumelias, conuicia, cruces, mortes &c. Ecclesiæ propter fidem & confessionem filij Dei esse sufferenda 763
Conuersio ad Deum non est opus humanæ naturæ 891
Conuiuia honesta non damnantur 80 293
Conuiuium populi Dei 818
Conuiuij Euangelici missus 324
Corruptela noua doctrinæ de beneficij Christi applicatione 806
Crapula magnum peccatum 355
Creare quid 664
Credentes cum incredulis non ducant iugum 790
Credentes in Christum tam facile frunt aduersa quàm impij prospera 732
Credentium paucitas 797
Credentium res sunt in optimo statu cum miseri uidentur 455
Crediturí in Christum qui 134
Creditorum officium 902
Crudelitas impiorum confirmat Euangelion 106
Crudelitatis ultor est Deus 297
Cultus ab hominibus excogitati sunt mendacia 885
Cultus diuini præcipui 319
Cultus Deo placentes 21
Cultus diuini in populo Israël à gentibus accepti, quare impij fuerint 860
Cultus diuinus etiam præceptus, sine fide non placet Deo 631
Cultus quem Deus requirit pro beneficijs 716
Cultus uerus Dei fides est 1058
Curæ diuinæ promissio erga Ecclesiam 731
Cyrus auis ex Oriente 691
Cyrus de seipso prophetiam legit in Esaia 661
Cyrus Messias seu Christus Christi 657
Cyri mors 658
Cyrus pastor Dei 655
Cyrus quare electus in Monarcham 660

D

Damascenorum peccata 248
Dauidis Metropolis 156
Dauidis zelus 486
Debita ciuilia ciuiliter esse persoluenda 902
Debita cum exigis non obliuiscaris officiorum caritatis Ibidem
Debitum iniustum remittendum esse 902
Debitorum officium 902
Decreta Dei nemo potest facere irrita 228
Defensio contra impium principem pro doctrina Euangelij licita est 231
Defensores impiorum sunt eorum deuoratores 126
Deficere à Deo caput est iniquitatis 921
Deformitas est pijs sanctificata per Christi deformitatem in uiam ad uenustatem 796
Desertionis & tentationis diuinæ in pijs causa 530
Deus adiutor in necessitate 439
Dei affectus & studium in conseruanda sua afflicta Ecclesia 1070

Dei affectus in affligenda Ecclesia sua proponitur in exemplo Ioſephi 814
Deus affligit Ecclesiam moderate 351
Deum agnoscere quid 9
Deus alioqui clemens cur mandet immania 209
Dei amor erga Ecclesiam adumbratur amore matrum erga liberos suos 735
Deus an peccati author sit 1013
Deus ante afflictionem excogitat & decernit modum & rationem, qua uelit eam liberare 624. 694
Deus audit & uidet risum piorum, cum ne ipsi quidem sibi ridere uidentur 498
Dei auxilium in summis periculis 439
Dei cognitio causa benedictionis 190
Deo commendans causam suam cadit ab ea tota 494
Deus conseruat ambulantes ex uocatione in periculis 716
Dei consilium in afflictione Ecclesiæ suæ 833 946. 973. 977. 1002.
Dei consilium in tollendis pijs ex hoc mundo 876
Dei consuetudo in affligendo, si populus agit pœnitentiam de peccato, agit Deus pœnitentiam de malo, seu pœna 370
Deus cumulate facit ultra omnia, quæ petimus aut cogitamus 516
Deus cur non exaudiat 911
Deus cur sæpe ad peccata conniueat 603
Deus cur suos interdum deserat & tentet 530
Dei decreta nemo potest facere irrita 228
Deus definit Tyrannis terminos, ultra quos sua ferocia progredi non possunt 767
Deus duas causas principales respicit in homine 869
Dei Epitheta 495. 615
Deus Epitheton seu titulus CHRISTI 113
Deum extra CHRISTVM non coli 255
Deus fideles nondum conceptos agnoscit, & res eorum disponit 658
Dei filium esse 1002
Dei fœdus cum Abrahami posteris 729
Dei fœdus cum uniuerso genere humano per Christum 729
Deus fœdus pacis percussit cum Ecclesia 836
Deorum gentilium uanitas 611 641 690
Deus glorificat honorificantes ipsum 492
Deus in extrema necessitate quare tandem liberet 489
Deus in manu sua habet Tyrannorum potentiam & corda 767
Deus in omnibus, quæ suscipiuntur, consulendus est 394
Dei ira grauissima 196
Dei ira non perpetua 890
Dei iram sentiens fugit Deum & fit prauior 893
Deus iudicij Dominus quomodo 406
Dei iudicium super impios 752
Dei iuramentum de non perdenda Ecclesia 836
Dei iuramentum Nohæ præstitum de non perdendo genere humano aquis 835
Dei longanimitas 506
Dei maiestas 870. 839
Dei maiestas semper nobis præsto adest 1057
Dei misericordia 309. 313
Deus nassione filij sui iuramentum suum compleuit 837
Deus multus est ad ignoscendum 858
Deus multis precibus inuocatus cur ad afflictiones populi sui conniueat 911
Dei natura & ingenium, non perdere sed seruare 772
Deo non contradicendum 665
Deus non personam sed causam respicit 869
Deus Papistarum, Missarius deus est 688
Deus pater quomodo glorificatus sit per filium 718
Deus peccata hominum sæpe dissimulat 601
Deus per Abrahamum ædidit magna miracula 563
Deum posse piorum precibus ab inferendo supplicio retineri 876
Dei præsentia & absentia 383. 854
Dei præsentia in populo Israël 304
Deus primus & nouissimus 709
Deus promittit liberationem ex Babylone adoraturis alienos deos in Babylone 708
Deum prope adesse & longe abesse quid sit 854
Dei prouidentia 502
Deus quare non dicatur irasci suæ Ecclesiæ 838
Deum qui rectè accedant 887
Deus quo animo affligat 350
Deus quomodo cognoscatur 672
Deus quomodo inuocandus à comprehensis in periculis 524

Deus quibus prope sit, & à quibus longe absit 385
Deus quomodo quærendus & inueniendus 856
Deus quos respiciat 1059
Deus regna mundi constituit & transfert &c. 107
Deus restituit amissam aper obedient 508
Dei sedes cœlum, & scabellum eius terra est 1056
Deus seruat afflictum mirabiliter & potenter 527
Deus seruat suas promissiones 405
Dei seueritas erga blasphemos 506
Dei seueritas erga peccata 181. 309 803
Deus singula membra Ecclesiæ curat 719 741
Deus solus audiendus 139
Deum spernere quid 9
Deus sub externa duriciei specie seruat tamen paternum affectum 1030
Dei summa caritas erga humanum genus &c. 803
Deus uerus à ficticijs quomodo discernendus 495
Dei ueri descriptio 494
Dei ueri doctrina miraculis confirmata 623 640
Deus uerus est tantum in Apostolica Ecclesia, non Turcica, Iudaica, Papistica aut Monachorum 669
Dei ueri & gentilium deorum discrimen &c. 674. 710.
Deus uerus quomodo sit propicius 687
Deus uerus quis 623. 640
Deus ultor crudelitatis 297
Dei uoluntas & sententia in aliqua re suscipienda quomodo sit exploranda 395
Dibon ciuitas 234
Dies Domini 57
Dierum festorum usus uerus 16
Dierum obseruatio 877
Dies ultionis Dei nostri 963
Dimittere liberos eos, qui sunt confracti, caritatis opus 900
Dissoluere colligationes rei seu debitoris, caritatis opus Ibidem
Diuinæ benedictionis exemplum 505
Diuinæ clementiæ & bonitatis magnitudo 708
Diuinæ curæ & tutelæ promissio erga Ecclesiam 731
Diuini ingenij cum humano collatio 858
Diuinæ iræ agnitio necessaria 410
Diuinæ iræ seueritas erga impietatem humanam 211
Diuinæ iræ uariæ picturæ seu descriptiones 409
Diuinæ maiestatis & omnipotentiæ Epithe ta 709
Diuinæ misericordiæ magnitudo 858
Diuini qui fuerint 137
Diuinæ uoluntati non resistendum 665
Diuitiæ non quærantur cum tumultu negociorum & incredulitate 402
Diuitiæ uerè 306
Diues uerè quis 307
Diues quid significet 811
Doctores indocti & ignaui 873
Doctrinæ de beneficij Christi applicatione noua impiorum hominum corruptela 806
Doctrinæ Euangelicæ noua & Metaxystica corruptela 783
Doctrina impia fugienda 138
Doctrina impia, oua Basiliſci 915
Doctrinæ impiæ pœna 141
Doctrina Pharisæorum ululatus 780
Doctrina uera Christianismi amatur quamdiu fœlix est Christianismus 706
Dominus Zebaoth 209
Domus in qua Deus habitet 1059
Donorum Dei uerus & proprius usus 529
Dromedarij, equi cursores 935
Duma habitauit in Arabia 285

E

Ebrietas & crapula quales homines efficiant 359
Ebrietas magnum peccatum 355
Ebrietatis reprehensio 84
Ebrietatis supplicium 85
Ecclesia ædificatur & firmatur iusticia 845
Ecclesia adhuc in peccatis, in ira Dei, in morte, quomodo & quando 941
Ecclesiæ aduersa, opprobria, cruces, contumelias &c. sufferenda in hoc seculo 765
Ecclesiæ ætates 684
Ecclesia afflicta & conculcata, non caret cœlesti gaudio 472
Ecclesiæ afflictio & oppressio excitat eam ut desideret liberationem 349
Ecclesiæ afflictio non est ira sed clementia Dei 941
Ecclesiæ afflictiones & direptiones &c. 348
Ecclesiæ afflictiones salutares sunt 444
Ecclesia, alia est secundum carnem, alia secundum fidem 983

Ecclesiæ alimenta 445
Ecclesia an affligatur nato iam Christo 940
Ecclesia Apostolica tantum habet uerum Deum & ueram salutem 669
Ecclesiæ ciues à Deo docti sunt 843
Ecclesiæ ciues iusti 845
Ecclesiæ ciues seu subditi quomodo sint iusti 954
Ecclesiam colligi ex omnibus terræ nationibus & regnis 812
Ecclesia conseruatur contra Leuiathan & Dracones, hoc est, contra diabolum et principes huius seculi 348
Ecclesiæ conseruatio & dilatatio in totum orbem terræ admirabilis 457
Ecclesiæ conseruatio & perpetuitas 78. 280
Ecclesiæ conseruatio & propagatio ad posteros 768
Ecclesiæ conseruatio in medio inimicorum suorum, in ruinis imperiorum & rerumpublicarum, in medijs furoribus mundi 136. 319. 347. 370. 377. 416. 449.
Ecclesiæ conseruatio usq; ad nouissimum seculi diem 737. 740
Ecclesia consyderata iuxta rationem regnorum mundi laniena est non paradisus &c. 756
Ecclesiæ consolatio contra potentiam aduersariorum 479
Ecclesiæ curam non tantum in corde suo gerit Deus, sed & testificatur eam publicè admirabili multiplicatione & defensione 736
Ecclesia cur dicatur Catholica 981
Ecclesia cur sola uere fœlix sit 455
Ecclesiæ custodes seu excubitores sunt Apostoli & ministri Euangelij 986
Ecclesia Dei comparatur deserto, inuio & solitudini 465
Ecclesiæ debetur conseruatio regnorum 114. 206
Ecclesiæ desertio momentanea 813
Ecclesia Dei opprimi non potest 127. 230
Ecclesia Deo curæ est 249
Ecclesiam Deus redemit 612
Ecclesiæ dilatatio & fœlicitas 718
Ecclesiæ dilatatio in omnia regna 353
Ecclesiam errare posse 801
Ecclesia est iucundissima & sine ruga 983
Ecclesia est sine mortalitate 1051
Ecclesia etiam ab amicis deseritur 842
Ecclesia etiam iuxta externas opes ditissima est 949
Ecclesia etsi senescat & deficiat uiribus, tamen conseruabitur usque ad aduentum Christi 740
Ecclesiæ extructio 944
Ecclesiam ex animo Dei aboleri non posse 736
Ecclesia exèmplo Christi abiecta, exemplo Christi etiam exaltabitur 728
Ecclesia externis incommodis non opprimitur, sed gloria eius augetur 354. 368
Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus collectæ fœlicitas 624
Ecclesiæ figulus Christus 668
Ecclesiæ firmitatis causa 458
Ecclesiæ filij quomodo seruentur 744
Ecclesiæ fœcunditas & multiplicatio 1066
Ecclesiam fundari & extrui precioſis lapillis 842
Ecclesia gentium quare diuinitus electa &c. 648
Ecclesia habitabit in monte Zion 1042
Ecclesiæ hæreditas quomodo perpetua 958
Ecclesiarum hospitia propter ipsas seruantur 306
Ecclesiæ hostium interitus 743
Ecclesiæ hostes cibantur carnibus suis &c. 744
Ecclesiæ hostes qui sint 571
Ecclesia infanti comparatur, & Christus matri 684
Ecclesia in hoc mundo in oculis hominum pauca numero, in oculis Dei multa est 827
Ecclesia in hoc seculo ferè omni præsidio humano est destituta 465
Ecclesiæ instauratio 966
Ecclesia in mutationibus regnorum conseruatur 312
Ecclesiam ita seruari, ut ex eremo fiat Paradisus 755
Ecclesia lacte gentium & mamilla regum enutritur 947
Ecclesiæ liberatio 845
Ecclesiæ lux 922
Ecclesiæ maritus Christus 830
Ecclesia manet pereuntibus alijs mundanis regnis 284
Ecclesia manet etiamsi Deus punit impios, etiamsi uastatur regio aliqua 359
Ecclesiæ membra singula curantur à Deo 742
Ecclesiæ nomine qui comprehendantur 547. 466
Ecclesiam non abijciendam sed augendam accessione gentium 610
Ecclesia non alligata est ad certas personas 195

Ecclesiæ non fore molestas exteras nationes 448
Ecclesia non habet certum locum & certum regnum 739
Ecclesia non metuat saluti suæ etiamsi immineat uastitas 569
Ecclesiæ nutritores reges & reginæ 737 739.
Ecclesiæ nutritores & defensores, reges, principes & potentes urbes 737
Ecclesia opprimit imperia & Monarchias huius mundi 575
Ecclesiæ opulentia 948
Ecclesiæ ornamenta 845
Ecclesia paradisus & hortus Domini 756
Ecclesiæ pascua quæ sint 1043
Ecclesiæ peccata cur grauiora &c. 289
Ecclesiæ persecutores & hostes 128
Ecclesia possidebit pascua pinguissima &c. 1043
Ecclesiæ præfecti & præpositi 950
Ecclesiæ promittitur cura & tutela diuina 731
Ecclesiæ promittitur pax & gloria gentium 1069
Ecclesia quare dicatur & quomodo sit firma 450
Ecclesia quare gaudeat 979
Ecclesiæ quæ beneficia contingant per Christum 468. 1043.
Ecclesiæ quæ beneficia contingant præter impiorum expectationem 444
Ecclesia qualis sit in conspectu huius mundi tribus Epithetis pingitur 841
Ecclesia qua uia sit dilatanda 757
Ecclesia quatenus utatur defensione principum 477
Ecclesia quid facere debeat in persecutionibus ne metus Tyrannorum eam exterreat 766
Ecclesia quomodo dicatur uincere Deum 555
Ecclesia quomodo sit sancta 1018
Ecclesia quomodo sit sine lachrymis 1050
Ecclesiam regi ad nouissimum diem spiritu sancto 918
Ecclesia ridet aduersariorum suorum iactantiam, minas & persecutiones, etiamsi extrinsecus uideatur opprimi & perire 499
Ecclesiæ Romanæ magi & arioli 51
Ecclesiæ salus constat fide & expectatione diuini auxilij 261
Ecclesiæ securitas 845
Ecclesiæ sedes transfertur quò transfertur Euangelion 739
Ecclesiæ sæpe admirando modo liberatæ ex afflictionibus exempla 756
Ecclesiæ semen sanguis Christianorum &c. 449
Ecclesiam semper habituram in terris suos hostes 571
Ecclesiæ seu piorum opera perdurant 1052
Ecclesiæ status fœlicissimus est cum uidetur interijsse 454
Ecclesiæ structura 842
Ecclesia sub iustitia, sub gratia Dei & æterna uita quando & quomodo 941
Ecclesia suscipit à manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis 538
Ecclesiæ summa fœlicitas 953. 955.
Ecclesia tempore Eliæ uidebatur esse apud Baaliticos cultores 828
Ecclesiæ tutores sunt eius oppressores & uastatores 1064
Ecclesiæ uera consolatio 468
Ecclesiæ ueræ descriptio 441. 639.
Ecclesia uerum & spirituale ac cœleste templum Dei 1057
Ecclesia uera omni solatio & præsidio in terris destituta est 841
Ecclesia uera paupercula est Ibidem
Ecclesia uera qualis cœtus 823
Ecclesia uera quæ sit 639
Ecclesiæ ueræ semper admixti sunt impij & hypocritæ 665
Ecclesiæ ueræ status in hoc mundo 823
Ecclesia uera tempestate conuulsa est 841
Ecclesiam uisuram esse Messiam 445
Ecclesia una ex diuersis gentibus 275 353.
Ecclesia uocatur corona gloriæ, & diadema regni 982
Ecclesia ut seruetur & liberetur affliguntur magna regna 615
Edom & Idumæi 456
Edomitæ repræsentant omnes hostes Ecclesiæ 993
Εγγαστρίμυθοι 375
Egenos, exules &c. introducere in domum, caritatis opus est 902
Eleemosynæ non impostura efficiunt familias ditiores & illustriores 905
Eliakim præfecti fidelis imago 296
Eliæ tempore ecclesia uidebatur esse apud Baalitticos cultores 828
Eliæ zelus 486
Eloquentia CHRISTI confertur in Ecclesiam 1078
Emanuel 116

Emath urbs 173
Emere & uendere quatenus licitum Christiano 83
Epaminondas 450
Episcopi debent esse boni pastores 874
Episcopi debent esse canes uigiles. 874
Episcopi debent esse uidentes & non cæci Ib.
Episcoporum huius seculi pictura Ibidem.
Episcopi pontificij carent prima conditione boni concionatoris, hoc est, non curant ut ipsi aut alij recte concionentur 780
Episcoporum pontificiorum negligentia 543
Episcoporum uocatio 874
Epitheta Christi 116. 123. 152. 197. 321. 626. 652. 670. 673. 712. 852.
Epitheta spiritus requiescentis in Christo 185
Equitis aurati uera dignitas 938
Erroris refutatio unum Deum diuersis ritibus posse coli ab omnibus hominibus 642
Esaiæ coætanei 6
Esaias Christi patruelis 1. 79.
Esaiæ concionum authoritas 2
Esaiæ conciones contra impios sui temporis, pertinent ad impios nostri temporis pontificios 250
Esaiæ conciones quid nobis prosint 276. 287. 425. 753.
Esaiæ concionum de regno Christi finis 278
Esaiæ concionum summa & argumentum 3
Esaiæ & Eliæ collatio 2
Esaiæ familia, authoritas & doctrina 1
Esaias omnibus magistratibus concionatur 26
Esaias pater patriæ suæ 2
Esaiæ præmium & mors 8
Esaias quamdiu docuerit 1. 5.
Esaias quibus concionatus sit 5
Esaias nudus & discalceatus iubetur incedere 278
Esaias serra dissecatur 878
Ethnica gens confertur mulieri desertæ & repudiatæ 827
Euangelij à mundano imbre discrimen 860
Euangelij certitudo & efficatia 860
Euangelio Christi cur paucissimi credant 798
Euangelij Christi triplex commendatio 42
Euangelij conuiuij missus 314
Euangelicarum concionum maximus neglectus & contemptus in Germania 401
Euangelion confirmatur contradictionibus et persecutionibus 105
Euangelij contempti pœna 64
Euangelion, brachium Christi 760
Euangelij diuulgatio in totum orbem 191
Euangelicæ doctrinæ noua & metaxystica corruptela 783
Euangelion lex dicitur 757
Euangelion uirga uirtutis Ibidem
Euangelion est Buccina Gideonis 148
Euangelij & piæ doctrinæ studium magnum requiritur 337
Euangelion est uia qua dilatatur Ecclesia 757
Euangelij fructus 861
Euangelij fructus iusticia & laus 979
Euangelion in quem usum reueletur 860
Euangelici ministerij conseruatio usq; ad consummationem seculi 768. 987.
Euangelij ministerium organon est, quo Deus plantat cœlum & fundat terram 768
Euangelij ministerium manus & uexillum Domini est congregans Ecclesiam Dei 738
Euangelici ministerij semper conseruandi in Ecclesia promissio 987
Euangelij ministerium quando institutum Ibid.
Euangelio necesse est seruire regna mundi 768
Euangelion non abolet legitimas uocationes 46
Euangelio paucissimi adhibent fidem 318
Euangelion pluuiæ et semini comparatur 860
Euangelij prædicatio à Christo instituta est 806
Euangelion prædicandum ab Apostolis in omni terra 546
Euangelij prædicatio acutissimus est gladius 721
Euangelij prædicatio apud paucissimos in precio est 401
Euangelij prædicatio conuiuium est 324
Euangelij prædicatio cruento gladio comparatur 459
Euangelij prædicatio cur instituta 807
Euangelij prædicatione diuiduntur gentes in duas partes 602
Euangelij prædicatio est organon per quod fides accipitur 807
Euangelij prædicatione & sacramentis à Christo institutis applicatur nobis beneficium Christi 806
Euangelicæ prædicationis fructus 628
Euangelij prædicatio seu ministerium ecclesiæ manus & uexillum Domini est 738
Euangelion præsæuicia Tyrannorum & impietate pontificum sæpe non publicè sed in priuatis domibus à patribus familiâs annunciatur & conseruatur 987
Euangelij prædicatio ubi sit inchoata 143
Euangelij reuelandi concio Esaiæ tempore necessaria fuit 254
Euangelij reuelati effectus 98
Euangelion recipientes sunt plantæ Paradisi 768

Euangelion rigat agrum Ecclesiæ 860
Euangelij semen quare non in omnibus fructum afferat 860
Euangelij successus 144
Euangelion tantum in priuatis domibus sub Papatu est conseruatum 987
Euangelion uocatur uirga oris Christi & spiritus labiorum eius 188
Eunuchorum dignitas 870
Eunuchi hominibus despectui fuerunt 868
Eunuchis quæ promißio facta 870
Excæcationis causa 102
Excæcatio, stupor & ignorantia Iudæorum 100 381
Excæcatio supplicium peccati 1014
Exempla alienorum suppliciorum uocant ad pœnitentiam 167
Extre ex impijs 791
Expectans auxilium Dei debet ambulare in uocatione Domini 408
Expectatio diuini auxilij ridetur ab impijs 260
Expectatio diuini auxilij non impedire debet opera nostræ uocationis 402
Expectantes Dominum seu diuinum auxilium non decipiuntur 407
Expectatio requiritur ad suscipienda bona à Deo promissa 1023
Ezechias Basilisco comparatur 229
Ezechiæ ostentatio 530

F

Famis in Germania diuturnæ causa 64
Famis supplicium, & causa 63
Familiæ Eleemosynis non impostoris ditiores & illustriores fiunt 905
Festorum dierum uerus usus 16
Fides catholica quæ sit 819
Fidei certitudo in oratione damnatur à Papistis 515
Fides cinctorium renum Christi 188
Fides & expectatio auxilij diuini ridetur ab impijs 261
Fidei exemplum in cruce 1029
Fidei imperfectio ad implendam legem 817
Fidei ingenium non quærentis aliena auxilia post promißam liberationem, sed auxilium promissum expectantis 493
Fides in quibus promißionibus requiratur 705
Fide iustificamur, hoc est, per fidem, non propter fidem 817
Fides non est ociosa 277
Fidei organon est prædicatio Euangelij 807
Fidem semper necessariam esse 109
Fides uera quæ sit 383
Fides una omnium temporum 146
Fides, unicus & solus cultus Dei 1052
Fideles nondum concepti agnoscuntur, & res eorum disponuntur à Deo 658
Fiducia diuini auxilij non uult nos ociosos & ignauos esse in nostra uocatione 402
Fiducia hypocritarum uanißima 914
Fiducia in externas uires reprehenditur 883
Fiducia in humanum auxilium 280. 292
Fiduciam habere in Deum quid 387
Figulus Epitheton Christi 660
Figuli uas seu lutum repræsentat homines in potestate Dei 1030
Filij Auguratricis 877
Filius Dei abscissus de terra uiuentium 811
Filij Dei conciones quam artem tradant 718
Filius Dei constituit Tyrannis terminos, ultra quos sua ferocia progredi non possunt 767
Filij Dei cum fictitijs dijs collatio 888
Filius Dei cur deformis factus sit, & usus seu finis eius deformitatis 799
Filius Dei cur susceperit in se omnes corporis & animi affectiones 889
Filij Dei deformitas in ministerio, passione & cruce 798
Filij Dei eruditio & eloquentia 748
Filij Dei eruditio & eloquentia lassos & defessos calamitatibus sustentat 749
Filij Dei & Tyrannorum potentiæ collatio 766
Filij Dei & Tyrannorum collatio confirmat fidem in persecutionibus 767
Filius Dei in manu sua habet tyrannorum potentiam & corda Ibidem
Filij Dei iusticia 759
Filij Dei iusticiæ & salutis certitudo & firmitas 760
Filij Dei perfecta obedientia & iusticia 750
Filius Dei pollicetur se fore doctorem in Israël & missurum Apostolos 785
Filius Dei quomodo glorificauerit patrem 723
Filius Dei quos & quomodo iustificet 815
Filius Dei quomodo susceperit & portauerit nostras infirmitates 801
Filius Dei solus humanam diuinæ iræ grauitatem agnouit & sensit 815
Filij Ecclesiæ quomodo seruentur 744
Filij incantatorum & meretricum qui 878
Filiorum Israël nomina sculpta in duobus lapidibus onychinis quid adumbrauerint 730
Filij Zionis 985
Firmitatis ecclesiæ causa 451
Fœcunditas & multiplicatio Ecclesiæ 1060
Fœdera cum externis regibus 119
Fœdera cum impijs non iungenda 269

Fœdus Dei cum Abrahami posteris 719
Fœdus Dei cum uniuerso genere humano per Christum filium 719
Fœderis & iuramenti diuini certitudo ac firmitas 837
Fœdus pacis percutit Deus cum Ecclesia sua 836
Fœlicitas impiorum offendit pios 331
Fœlicitatis impiorum ratio 182. 268
Fœlicitas uera in mundanis rebus non inuenitur 263
Formator Epitheton Christi 652
Fortis Epitheton Christi 153
Fortunæ piorum & impiorum discrimen 507
Furoris Dei finis 771

G

Gaudium duplex piorum & impiorum 416
Gaudium hostium Ecclesiæ somnium est 380
Gaudere in afflictione proximi 232
Gaudij symbola apud Iudæos 965
Gemmæ duodecim in rationali seu pectorali iudicij inclusæ quid adumbrauerint 736
Gentes cur se subijciant Israëlitis 669
Gentilium deorum & ueri Dei discrimen 674 710
Gentium diuersarum Ecclesia una 275. 353
Gentium Ecclesia diuinitus electa 648
Gentium electio articulum iustificationis declarat 1035
Gentium electio bonitatem Dei summam prædicat 1035
Gentium electio, uocatio & assumptio 41 307 715 717 827 1035
Gens Ethnica comparatur mulieri desertæ & repudiatæ 827
Gentium & Iudæorum uocatio ad obedientiam Euangelij 191
Gentium exæquatio 277
Gentium gloria quæ sit 1069
Gentium lacte & mamilla regum Ecclesia enutritur 947
Gentium oracula 610
Gentes prædicatione Euangelij diuiduntur in duas partes 602
Gentium sacra quare damnentur 1061
Gentes sunt deserta & solitudines Zionis 756
Gentes unde acceperint ritus sacrificandi 1061
Gentium uocatio ad Ecclesiam 617 854 934 990 1035
Germanorum cum Israëlitico populo collatio 6 165
Germaniæ definitur spacium pœnitentiæ 108
Germanorum diuturnæ famis causa 64
Germaniæ fœlicitas 6
Germani habent imperium Romanum conditionaliter 28
Germaniæ impœnitentia 163
Germaniæ interitus in propinquo, & causa 166
Germanorum militum crudelitas 206
Germani negligunt & contemnunt Euangelicas conciones 402
Germanorum peccata ad peccata Iudaici populi collata Ibidem
Germaniæ ruinæ causa 67 92
Germani uolle Sewo 360
Germen Domini Messias 75
Gideonis uictoria 148
Γιγαντομαχία 665
Gigas Epitheton Christi 153
Gladius Christi est uerbum Dei 459
Gloria cœlestis præparata expectantibus Deum 1020
Gloria filij Dei 1076
Gloriatio ante uictoriam quando reprehendatur 217
Glorificationis Christi usus. Christus per contumelias & sputa ab hominibus iniecta peruenit ad cœlestem gloriam, Ergo & Ecclesia per crucem & mortem perueniet ad cœleste gaudium 751 794
Glorificantes Deum glorificantur 492
Gratia quid significet scholasticis 816
Gratiarum actiones super oppressione Tyrannorum pijs sunt licitæ 219
Gratiarum actionem quam Deus requirat 602
Gratiæ priuatiuæ plures sunt quàm positiuæ 489
Gratitudo belluarum 16
Gratis promittuntur bona cœlestia 849
Gregorius Neocæsariensis 690

H

Heros Epitheton Christi 153
Hierusalem ædificatur ab alienis 946
Hierusalem ædificatio, ædificium spirituale 939
Hierosolymitani ædificij magnificentia 944
Hierosolymitani ciues sunt sancti & à Domino redempti 992
Hierusalem commendatur à ueneratione & obedientia omnium Gentium 939
Hierusalem cuilibet & semper patet 948
Hierosolymitani populi multitudo 934
Hierosolymitanam profectionem qui uere suscipiant 990
Hierosolyma quare uastata 358
Hierusalem noua 1049
Hierusalem spiritualis quando cœperit extrui 942
Hierusalē spiritualis diuitiæ & abundātia 948

Hierosolymitanæ urbis dignitas illustris supra omnes alias urbes 933
Hierosolymitanæ urbis ædificatores seu architecti 939
Historiarum scripturæ utilitas 204
Hominum genera tria 132
Hominis ingenium in alieno supplicio 357
Hominum iniquorum ingratitudo & ignauia in beneficijs Christi in Ecclesiam collatis 733
Hominum innocentium cædes 913
Homicidæ in populo Israël Ibidem
Homo non potest seipsum excitare in peccatis ad uitam iusticiæ 844
Homo præ se contemnit alios homines 221
Homines quo ordine salutem consequãtur 894
Homo relictus suis uiribus abit uagus in uia cordis sui 894
Homo Satanæ mancipium ingenio eius se accommodat 221
Homo uult sibi esse Deus Ibidem
Honesta fiunt propter mandatum Dei, quæ alioqui sunt inhonesta 278
Honorificans Deum glorificatur à Deo 492
Horarum Canonicarum lectio est arcanarum textura 917
Hortus absq; aqua 37
Hospites hostes incredulorum 120
Hostes Christi & Ecclesiæ duplices 995
Hostes Ecclesiæ cibantur carnibus suis 744
Hostes Dei qui sint hoc tempore 258
Hostium Ecclesiæ interitus 743
Hostes Ecclesiæ qui sint 571
Hostes filij Dei 914
Hostium piæ doctrinæ crudelitas 249
Hostes populi Dei 128
Hostium populi Dei seu Ecclesiæ interitus 993
Humana auxilia quatenus damnentur 292
Humanæ corruptionis magnitudo 708 893
Humanæ rationis iudicium de afflictionibus 800
Humanarum traditionum doctores faciunt ex Deo infantem aut pusionem 782
Humanarum traditionum doctores faciunt ex Deo mercatorem, qui cum hominibus exerceat politicos contractus 783
Humanarum traditionum doctores faciunt ex Deo respectorem personarum 782
Humanarum traditionum doctores faciunt ex Deo sæuum iudicem & damnatorem generis humani Ibidem
Humanarum traditionum doctores transferunt honorem filio Dei debitum ad opera quæ ipsi facienda præscribunt 782
Humanarum traditionum pernicies 778
Hypocritarũ cura in peragẽdis sacris suis 884
Hypocritarum descriptio 441
Hypocritarum fiducia uanissima 914
Hypocritæ fiunt abnegatores Dei 387
Hypocritæ in calamitatibus murmurant contra Deum 898
Hypocrisis in regno Christi locum non habet 421
Hypocritarum ingenia & mores 382
Hypocritæ maiori sollicitudine impietatem suam conficiunt quàm pij suam pietatem 884
Hypocritarum mores 120
Hypocritæ nec Deo nec hominibus fidem seruant 702
Hypocritarum quatuor genera 389
Hypocritæ sunt saturi 848
Hypocritæ transferunt in opera præcepta à Deo honorem Christo debitum 898

I

Iactantia, ingenium & mores impiorum 173 284 369
Iactantia, minæ & persecutiones aduersariorum ridentur ab Ecclesia etiamsi extrinsecus uideatur perire 499
Idolatria adulterium spirituale 879
Idolatræ afficiuntur perpetua ignominia 671
Idola Babyloniorum 205
Idolorum confusio 60
Idolatria duplex 255
Idolatriam & impiam doctrinam quomodo soleat Deus punire 239
Idola Iudæorum 55
Idola quare non sint ueri dij 579
Idolatræ qui sint 415
Idolatria seu adoratio alienorum deorum quid sit 414
Idolorum uanitas 551 681
Idumæi imago omniũ hostiũ Ecclesiæ Dei 456
Iehoua unde deducatur 595
Ieiunij & precum uerus usus 17
Ieiunium quando placeat Deo 899
Iesus, hoc est, Saluator 217
Ignatius martyr 190
Ignominia pijs sanctificata est per ignominiam Christi in uiam ad gloriam 796
Immanitas cur interdum à Deo mandetur 209
Immanuel 124
Imperatores dicuntur semper Augusti 155
Impijs accidunt ea, quæ pij minantur 208
Impietas aliquandiu fœlix 70
Impij causas calamitatum non in sua peccata, sed in Prophetas Domini reijciunt 490
Impiorum conditio est ut pereant 331
Impiorum conatus sunt stipulæ 339
Impiorum conatus sunt combustiones calcis, & spinæ 446

Impiorum conuicia in afflictos pios 1064
Impiorum conuicia uirulenta quomodo excipiantur à pijs 1065
Impiorum cur tanta multitudo 338
Impij dona Dei ornatißima sordidant seu impietate 503
Impiorum Epitheta 878
Impiorum Esuries & potus 1044
Impiorum fœlicitas contra pios confertur somnio 376
Impiorum fœlicitatis offendiculum 331
Impiorum fortuna ut reseruentur maioribus calamitatibus 507
Impiorum hypocritarum cura in peragendis sacris suis 884
Impij hypocritæ in calamitatibus murmurant aduersus Deum 898
Impiorum iactantia inanis de fide 361
Impiorum ignominia perpetua pro gloria quam sperat 1065
Impiorum interitus 377
Impiorum interitus perpetuus 1078
Impij in iudicio Dei sunt puluis, non consistent 376
Impiorum interitus stipulæ & fumo comparatur 91
Impiorum iudicia de afflictionibus 260
Impiorum legatorum ingenium 437
Impij maiori sollicitudine suam impietatem conficiunt quàm pij suam pietatem 884
Impiorum mores 173 284 369
Impiorum occisio uictima Domini 459
Impiorum pax nulla 717
Impiorum perditionis causa 339
Impiorum pœna Ibidem
Impij promissam liberationem non expectant, sed quærunt auxilia aliena 493
Impij quercus aridæ sunt 37
Impij quo magis audiunt uerbum Dei, eo maiori odio prosequuntur Deum & fiunt indurationes 754
Impij quomodo uerbo Dei interficiantur 460
Impiorum regum posteritas excinditur 224
Impiorum sacrorum abrogatio cultus Deo gratißimus Ibidem
Impiorum securitas 360
Impiorum supplicium est Deo gratißimum sacrificium 461
Impij sunt puluis 258
Impij sunt hortus absq; aqua 37
Impiorum triplex ordo tempore Esaiæ Ibidem
Impiorum tristicia 1047
Impij uirga Dei, quæ tandem comburitur 503
Impœnitentes orant sine uera fide 912
Impœnitentium preces non exaudiuntur Ibidem
Impostura in mercimonijs 501
Incredulus irrequietus tam Deo quàm hominibus molestus est 112
Incredulitate nihil turbulentius Ibidem
Incuruum uenire ad Iudæos, & uestigia pedum eorum adorare 945
Infantes afferre ad baptismum quid sit 738
Infanti Ecclesia confertur & Christus matri 684
Infernum Christus uocat tenebras exteriores 464
Inferni locus ubi 411
Infernus quid significet 529
Infernale supplicium quare æternum 464
Infernalis supplicij descriptio 463
Ingenij diuini cum humano collatio 858
Ingratitudinis Israëliticæ collatio cum ingratitudine Christianorum 9
Ingratitudo Iudæorum erga CHRISTVM 114
Inhonesta à Deo mandata honesta fiunt 278
Inimicis & malefactoribus benefaciendum 905
Insipientia causa fuit uastationis Hierosolymæ 353
Insolentia eorum qui ex obscuro loco ad dignitates peruenerunt 395
Insultare misero quando crudele 218
Interim 895
Interim quid doceat de beneficij Christi applicatione 808
Interim quid doceat de iustificatione 817
Interitum recipientes sunt uastatores suæ patriæ 967
Inuocatio mortuorum 1010
Inuocatio uera à falsa quid differat 495
Ioannes Baptista uox clamans in deserto &c. 540
Ioannem Baptistam diuinitus fuisse excitatum 542
Iosephi affectus erga fratres imago est affectus Dei erga Ecclesiam afflictam 834
Iosephi historia 834
Iræ diuinæ agnitio necessaria 410
Ira Dei non perpetua 890
Iram Dei sentientes fugiunt Deum 898
Iræ diuinæ seueritas 1026
Iræ diuinæ seueritas erga humanam impietatem 218

Iræ diuinæ uariæ picturæ seu descriptiones 409
Ir Heris urbs Aegypti, Heliopolis 274
Iris in nubibus sacramentum est speciale promissionis de conseruanda Ecclesia in aduersis omnibus 838
Israëlitarum duæ insignes corporales liberationes 703
Israëlitarum duricordia & incredulitas omnibus hominibus exprobratur 704
Israëlitæ ex Prophetarum suorum concionibus diem Christi uiderunt 752
Israëlitarum impietas 164
Israëlitarum ingratitudo erga beneficia Dei 708
Israëlitæ ipsi calamitatis suæ authores 713
Israëlis liberatio spiritualis 222
Israëlitici populi cum Germanis collatio 6
Israëlitæ quare in populum Dei sint electi 648
Israëlitis quare data sit terra Canaan 673
Israëlitæ ueri qui sint 638
Iudæorum abiectio 48 307 367 414 608 1036
Iudæorum calamitas propter abiectionem uerbi Dei 310
Iudæi cur abiecti 312 372 416 744 1074
Iudæi cur exhæredati 1039
Iudæorum error de templo externo 1058
Iudæorum & gentium uocatio ad obedientiam Euangelij 191
Iudæorum excæcatio, stupor, & ignorantia, & unde 100 381 424 607
Iudæi fructum Christi spiritualiter & corporaliter perceperunt 113
Iudaica gens confertur mulieri habenti maritum 816
Iudæi, Mahometistæ, Idolatræ, Monachi &c. 565
Iudæi omnibus flagitiorum generibus sordidati Christum filium Dei contempserunt & condemnauerunt 746
Iudæ Patriarchæ promissus est principatus populi & Christus è familia eius descensurus 702
Iudæorum peccata 308 400 1038
Iudæorum per Cyrum liberatio prædicatur 660
Iudæorum pœna duplex 56
Iudæis promissus Christus 48
Iudæorum pueri alieni 52
Iudæorum sacrificia quare damnentur &c. 1061
Iudæorum somnium de conuiuio populi Dei 323
Iudæorum uanitas & peruersa interpretatio de regno Christi 189
Iudæorum uocatio prædicat seueritatem Dei 1039
Iudicium Dei super impios 752
Iudiciorum corruptela 90
Iudicium facere 81 86 158 418 863
Iudicium mundi præposterum 89
Iudicium quid 35 81 158
Iudicium humanæ rationis de afflictionibus 800
Iudicia triplicia 18
Iugum quid 146
Iurare in Deo uero quid sit 1046
Iusticia abundans 179
Iusticiæ æternæ consequendæ uera ratio &c. 812
Iusticia aliena nobis opus esse ad iustificationem nostri 864
Iusticiæ Christi fructus 428
Iusticia Christi quomodo & quibus contingat 816
Iusticia cingulum lumborum Christi 188
Iusticia duplex, Legis & Euangelij, seu fidei & operum 442 692 759
Iusticia Ecclesiæ Dei ædificatur & firmatur 845
Iusticiæ & salutis filij Dei certitudo & firmitas 760
Iusticiam facere 81 86 158 418 863
Iusticia filij Dei 759
Iusticiæ humanæ meritum tollitur 618
Iusticiæ humanæ usus 618
Iusticiæ hypocriticæ & superstitiosæ reprehensio 16
Iusticia operum quomodo probetur 630
Iusticia quid 35 82 158
Iustificationis doctrinæ nouæ corruptela &c. 783
Iustificatur homo per fidem in Christum non propter fidem 817
Iustificandi modi aliquot Ibidem
Iustificandi modus uerus, quo Christus hominem iustificat 818 864
Iustificatorum studium in uita quale sit 22
Iusti & pij qui dicantur 36 68
Iustus, pro potenti & robusto 742
Iustus quare ex hoc seculo abripiatur 875

K

Kir ciuitas 255

L

Labor piorum non est uanus 975 1053
Labruscæ in uinea Domini 89
Lactantij iudicium de Sibyllinis oraculis 600
Læticia duplex in afflictione, piorum uidelicet & impiorum 232 416
Læticia impiorum est somnium 376
Læticia impiorum in afflictione piorum 232 301
Læticia piorum in ruina impiorum Ibidem
Læticia piorum spiritualis 31 144 1045
Lapis angularis 362
Lapides & arbores adducere ad extruendum templum Domini 944
Lapis offensionis 129
Lapilli preciosi quibus Ecclesia fundata & extructa est 642
Lauare manus in sanguine Christi 21
Lazarus imago est fortunæ Ecclesiæ Dei in hoc mundo 770
Lectio horarum Canonicarum est arancarum textura 317
Legatorum impiorum ingenium 437
Legem ciuiliter impletam ciuilia sequuntur beneficia, uerè & spiritualiter impletam sequuntur beneficia uera & spiritualia 714
Legis Epitheta 147
Legis impletio 714
Legis usus 618
Lex dicitur iugum, uirga humeri & sceptrum exactoris 147
Lex, Hebraicè Thora, hoc est, doctrina, genus est ad Legem & Euangelium 758
Lex pro Euangelio 43 135 758
Lex quare occidat & damnet 83
Lex quomodo sit abrogata 147 537
Lex quomodo seruetur & impleatur 864
Leuiathan & dracones significant principes huius seculi, contra quos conseruatur Ecclesia 846
Leuiathan grandis ceti nomen 845
Leuitici cultus tres species 16
Leuitica intercessio quò respexerit 821
Leuitici sacerdotij cum suis cultibus & sacrificijs abrogatio 821
Leuitica sacrificia quare damnentur à Prophetis 652
Leuiticorum sacrificiorum uerus & legitimus usus 1062
Liberalis quis sit 422
Liberum arbitrium 176
Liberi arbitrij uires in homine 708
Liberorum mactatio 880
Liberos monasterijs includere est eos mactare 881
Liberationis Aegyptiacæ, & liberationis generis humani per Christum factæ collatio 763
Liberationis Aegyptiacæ monumentum est dies festus Paschæ Ibidem
Liberatoris Christi cum alijs liberatoribus collatio 773
Liberationis diuinæ modus in extrema necessitate 489
Liberatio Ecclesiæ 845
Liberatio ex afflictionibus quare ab impœnitentibus petatur 912
Liberationis ex Babylone promissio 705
Liberatio ex Aegypto quare per Mosen annunciata sit iustare 705
Liberatio ex Aegypto reuelata est Abrahæ antequam Israëlitæ nati essent Ibidem
Liberationem excogitat Deus ante afflictionem 624 694
Liberatio omnium maxima quæ sit 768
Liberatio piorum uera 69
Literarum, registrorum, & libellorum usus necessarius 902
Longanimitas Dei 506
Luctus symbola apud Iudæos 969
Lucem oblatam repellens iusto Dei iudicio in tenebris uersatur 919
Lux Ecclesiæ 952
Lux pro fœlicitate 903
Lux solis & lunæ quid significent 953
Lugentes reficillandi à Christo 964
Lumborum Christi cingulum iusticia est 188

M

Madian seu Midian filius Abrahæ 939
Magia Babyloniorum 805
Magistratus & parentum ignauia in puniendo 82
Magistratus impius baculus est Dei 179
Magistratus impij ἐλεγχος 172
Magistratus quando honore afficiendus 219
Magistratus officium, iuuare Ecclesiam Dei, et honestatem publicam tueri 485
Magistratus officium punire sceleratos seueriter 462
Mahumetistæ, Monachi, Iudæi &c. 569
Maiestas Dei 570 839
Maiestas Dei semper nobis præsto adest 1057
Maiestatis & omnipotentiæ diuinæ Epitheta 709
Maiorum sanctitas non meretur liberis remissionem peccatorum 638

Mala nota optima 126
Malus habetur qui nihil mali facit 922
Malefactoribus benefaciendum 905
Mandata Dei ciuiliter seruata, ciuilia habent beneficia, uerè & spiritualiter impleta spiritualia habent beneficia 714
Mandatum Dei facit honesta quæ alioqui sunt inhonesta 278
Manus à sanguinibus quomodo abluantur 21
Manus lauare in sanguine Christi Ibidem
Manus sanguine pollutas habere 19
Maria mater Iesu Prophetissa dicitur 113
Maria uirgo 115
Martyres supplicio affecti in Romano imperio 320
Mater lactans puerum imago Dei 1071
Matrum στοργὴ & cura erga liberos suos 735
Matrum amor erga liberos umbra est amoris Dei erga Ecclesiam 735
Matathiæ zelus 486
Mathematicorum disciplina quæ damnetur 700
Maximini Imperatoris mandatum, ut quo quisque uelit ritu Deum colat 642
Medicina quomodo utendum 528
Merces piorum concionatorum pro officio 878
Mercimoniorum impostura 301
Merita humanorum operum damnantur 629
Meritum humanæ iusticiæ tollitur 618
Meßiam conspiciendum ab Ecclesia 445
Meßiæ & beneficiorum eius descriptio 24
Meßiæ promißio Ibidem
Metaxistæ noui Φρενατάται 899
Metropolis regni Christi 156
Metus malus custos diuturnitatis 484
Migron 180
Militia quid significet 536
Milites alij muscæ, alij apes 129
Ministerium docendi Euangelij diuina potentia munitum & efficacißimum est 720
Ministerij Euangelij conseruatio usq; ad consummationem seculi 768 987 918
Ministerij Euangelici encomium 768
Ministerium Ecclesiæ manus & uexillum Domini est 738
Ministerium Euangelij organon est, quo Deus plantat cœlum & fundat terram 768
Ministerium Euangelij est organon quo proponitur & applicatur salus omnibus hominibus 807 895
Ministerium Euangelij quando institutum sit 987
Ministrorum piorum Ecclesiasticorum officium duplex 534
Ministrorum uerbi piorum contemptus maximus 870
Ministrorum piorum merces 878
Mirabilis, Epitheton Christi 152
Miraculi æditi in exercitu Sancherib usus 258
Miraculorum usus 109
Miseria optimus status est credentium 455
Miserendi uocabulum 857
Misericordiæ Dei magnitudo 309 313 858
Misericordiæ diuinæ & humanæ discrimen 858
Misericordiam Dei erga homines testatur mors Christi 859
Misericordia, clementia, indulgentia non sunt accidentia in Deo 858
Missa ab institutione Christi translata est ad aliud genus cultus 917
Missæ anatomia seu partes 644
Missæ anniuersariæ 882
Missa à principibus abrogata 478
Missa aranearum textura est 917
Missæ architectatio similis est architectationi Idolorum gentilium 645
Missarum cautelæ 884
Missa confertur idolis gentium 645
Missarius deus, deus Papistarum 688
Missæ fabricatores plurimi 552
Missa, indulgentiæ Romanæ, peregrinationes cultus sunt humanitus excogitati 692
Missa Metaxystica 880
Missæ noua expositio & commentum 646
Missa non est applicatio meriti Christi 633 806
Missa non est organon conferendæ salutis 895
Missæ opinio impijßima 645 968
Missæ Pontificiæ conferuntur sacrificijs Israëlitarum in uallibus, ad flumina, ad syluas 882
Missa Papistica cõseruari & tueri diu non potest 683
Missæ Papisticæ cultores similes sunt prostratis ante lignea idola 645
Missa Papistica idolum est 552 644 882
Missus Euangelici conuiuij 324
Moabitæ conferuntur uitulæ trimæ 239
Moabitarum peccata, Idolatria, Blasphemia, superbia, & fiducia in munitiones 240
Monachorum doctrina 782
Monachorum decantationes hypocritica batologia 602
Monachi & Sophistæ Pontificij non concio-

nantur sed garriunt & nugantur 780
Monachi & Sophistæ non sunt meliores Ethnicis Idolatris 505
Monachi faciunt ex Deo mercatorem 783
Monachi faciunt ex Deo sæuum iudicem, personarum respectorem & infantem 782
Monachismus Idolum est 552 646
Monachi iubent dubitare 496
Monachismi partes 646
Monachi transferunt honorem filio Dei debitum ad opera sua 783
Monasticorum ordinum & Missarum, & deorum gentilium collatio 585
Monasterijs liberos includere est eos iugulare 881
Monasteria lupanaria Ibidem
Moneta bona & iusta solus Christus 35
Moneta inter homines caritas 34
Mors abolita per Christum 325
Mortis & inferni dolores somnium sunt 523
Mortis & inferni tentationes quomodo excipiendæ 520
Mortuorum inuocatio 1010
Mortuos lugendi ritus 325
Mors quomodo dominetur homini Ibidem
Mors post reuelatum Euangelion amplius non est mors 839
Mortuorum resurrectio 343
Mosaicæ politiæ abrogatio 618
Mosis zelus 486
Mulierum officia 73
Mulierum peccata Ibidem
Mulieris species tres 810
Mundi regna à Deo constituuntur & transferuntur 107
Murus 59

N

Natura & ingenium Dei est non perdere sed seruare 771
in Necessitate extrema Deus tandem liberat 489
Negociorum & opificiorum contemptus unde 270
Niniue 269
Niniuitarum interitus propter uastationem populi Dei 320
Nobilitatis affectatio 206
Nominis Dei frequens mentio sine ueritate apud hypocritas est 702
Nomina filiorum Israël sculpta in duobus lapidibus Onychinis quid adumbrauerint 736
Nomen populi Dei gestare, indigna autem eo nomine facere 702
Nomen sine re Ibidem
Noua corruptela doctrinæ de beneficij Christi applicatione 806
Nouissimi dies qui dicantur 40
Nouitatis studium damnosum 126
Nudum uestire caritatis opus est 902

O

Obedientia subditorum donum Dei est 484
Obedientia uerbi Dei summa est sapientia 794
per Obedientiam Deus amissa restituit 508
Obliuisci Dei creatoris quid sit 253
Obseruatio dierum 877
Oculi sublimes 58
Odium peccati 31
Offendiculum felicitatis impiorum 331 510
Offendiculum paucitatis credentium 126 144 173 753 825 1066
Offendiculum, quòd agnoscentes Christum sunt abiectissimi homines 398 555
Offensionis lapis 119
Officium Prophetarum & concionatorum 897
Opera amicorum non merentur mortuis remissionem peccatorum 638
Operum bonorum abusus 56
Opera caritatis ad pœnitentiam necessaria 900
Opera caritatis etsi imperfecta suam habent remunerationem 908
Operum Dei consilia abscondita 670
Opera diuersa uocationum diuersarum 23
Operum externa species non respicitur à Deo 110
Opera humanarum traditionum sunt oua aspidum & telæ aranearum 915
Opes iniustæ partæ sunt maledictio, ignis, esca brucorum & locustarum 434 433
Opes iniustè partæ sunt damnosæ 438
Operum iustitia quomodo probetur 630
Opera legis quomodo Deo placeant 629
Opera nostra quomodo fiant sacrificia 969
Operibus nostris beneficium Christi nobis non applicari 806
Opera uerè bona 28
Operum non mandatorum uanitas & condemnatio 638
Opera præcepta à Deo quando reijciantur 18
Opificiorum contemptus unde 270
Oppugnationis imago, qua Satan semper Ecclesiam Dei opprimere & delere conatur 473
Oratio Asylum piorum 498
Oratio cur non exaudiatur 918
Orationis efficacia 277 502

INDEX.

Orationis exaudiendæ promissio 1054
Oratio exigit magnam fidem & pauca uerba 514
Oratio pia ad uerum Deum sit directa 494
Orationis piæ conditiones Ibidem
Orationis piæ exemplum Ibidem
Orationis piæ finis 496
Oratio pia requirit fidem Ibidem
Ordinum Monasticorum & Missarum, & deorum gentilium collatio 585
Ordo Monasticus Idolum est 552
Ordo quo Deus hominibus confert salutem 894
Ornatus in sacerdotij ministerio cur institutus sit 736
Ostentationis supplicium 532
Oua Basiliſci significant impiam doctrinam 915
Oua Basiliſci conculcare, quid Ibidem
Ouis Basiliſci uesci quid sit Ibidem

P

Pacis ciuilis usus 114
Panē frangere esurienti caritatis opus est 902
Panis & aqua nobis emenda proposita, Christus 849
Papæ pedes exosculari 739
Paphnutius Eremita 466
Papistarum deus, Missarius est deus 688
Papistarum doctores faciunt ex Deo mercatorem, qui cum hominibus exerceat politicos contractus 783
Papistarum doctrina facile ab Ethnico honestio damnatur præ doctrina Prophetarum & Apostolorum 566
à Papistis damnatur certitudo fidei in oratione 515
sub Papatu Euangelion tantum in priuatis domibus conseruatum est à patribusfamilias 987
Papistæ regnum cœleste pollicentur pro pecunia 849
Paradisus & hortus Domini Ecclesia est 756
Paradisi plantæ sunt recipientes Euangelion 768
Parentum ignauia in puniendo 32
Parentum piorum filij impij 478
Partus mulierum piarum quomodo sit sine dolore 1053
Paschæ dies festus cuius rei sit monumentum 763
Pascua Ecclesiæ 1042
Passio Christi imago est, qua nobis proponitur sors Ecclesiæ Dei 770
Pastoris boni conditio 548
Pater æternus Epitheton Christi 153
Paternus affectus Dei etiam sub externa duricici specie 1030
Patriarchæ petræ dicuntur 754
Paucitatis credentium offendiculum 136 144 173 179 753 795 825 1066
Pauperes & afflicti mente 953
Pax Ecclesiæ 844
Pax quid significet 158 785
Pax in regno Christi 150 428 1069
Pax quomodo Ecclesiæ contingat cum tamen sit in seruitute principum huius seculi 348
Peccata aculeus afflictionum 731
Peccati author an sit Deus 1018
ad Peccata cur sæpe connuicat Deus 603
Peccatum fletus & mœsticiæ causa 1046
Peccato nihil uetustius 90
Peccata propter quæ Iudæi abiecti sunt à Deo 746
Peccata, quæ impediunt exauditionem 913
Peccatum remissum, comparatur uespæ, cui aculeus ademptus est 232
Peccati supplicium excæcatio 1014
Pedes Pontificis Romani exosculari 739
Peccatum quàm graue pondus 318
Peccatum quomodo per Christum deleatur 634
Peccatum quomodo sit à Deo 1013
Peccata rubra seu sanguinea 24
Peccati supplicium quare æternum 464
Peccatorum uera purgatio 25
in Periculis ambulantes ex uocatione à Deo conseruantur 716
in Persecutionibus diligenter conferamus Tyrannos & filium Dei 766
Persecutores Ecclesiæ 118
Personam respicere 869
Pertinacia & obstinatia Iudæorum & Germanorum 87
Pertinacibus nihil respondendum 488
Petens debet esse pœnitens 918
Petra scandali 130
Pharao, id est, ultor 271
Pharisæorum doctrina ululatus 780
Pharisaica doctrina nihil gratis pollicetur sed pro pecunia 849
Pharisæi, quo splendidius eis lucebat lumen Euangelij, eo plus excæcabantur 754
Philosophiæ studium quatenus damnetur 481
Pignus auferre quando sit licitum 902
Pij ad blasphemias toto corde & corpore exhorrescunt 488
Pij ad conspectum mortis uarie afficiuntur 518
Pij auditores Esaiæ uiderunt diem Christi 758

Piorum cogitationes & tentationes in afflictionibus & desertione Ecclesiæ 734
Piorum concionatorum merces pro suo officio 878
Pius concionator quomodo doceat pœnitentiam 856
Piorum conditio post hanc uitam 876
Piorum conseruatio qualis 614
Piorum consolatio in aduersis quæ sit cogitanda 767
Pij cur à Deo interdum deserantur & tententur 530
Pijs direptio facultatum est lucro 1051
Piorum esus & potus 1044
Pij & Apostoli omnes sunt Prophetæ 5
Piorum gaudium 1045
Piorum hominum mors quid portendat 876
Pij hominis officium 442
Pius, hospitium Christi est 829
Pij in aduersis sæpe consistunt & in prosperis ruunt, ut Ezechias 531
Piorum infœlicitas somnium 378
Pij in publicis afflictionibus seruantur 26
Pij in quem usum liberentur 525
Piorum in regno Christi securitas 419
Piorum labor non est uanus 975
Piorum lætitia spiritualis 144 1045
Pij leuius ferunt suas infœlicitates quàm impij suas fœlicitates 732
Pij luminaria sunt mundi 829
Pij non confundentur in æternum 671
Pij omnes & Apostoli sunt Prophetæ 5
Pij patiuntur persecutionem propter nomen Christi 1063
Pij pauci non abijciuntur propter multos impios 1042
Pij pereuntibus impijs seruantur 68 102
Piorum precibus Deus ab inferendo supplicio retinetur 876
Piorum præcipuum studium in hac terra 663
Piorum prærogatiua ut leuius ferant suas in hoc seculo infœlicitates quàm alij suas fœlicitates 732
Pij propter multitudinem impiorum & magnitudinem afflictionum non negligunt officium 444
Pius quare ex hoc seculo abripiatur 875
Pij quare præ alijs in hoc seculo affligantur Ibidem
Piorum res in optimo statu sunt cum afflictißimi uidentur 455
Piorum risus auditur & uidetur à Deo cùm ne ipsi quidem sibi ridere uidentur 498
Pij tam facile ferunt aduersa quàm impij prosperа 732
Pij ueram, cœlestem & æternam pacem habeat 896
Piorum uera liberatio 69
Pij uerè liberales sunt 484
Pinehas 965
Plantatio Domini 965
Pluuia Euangelij quem fructum afferat in agro Ecclesiæ 861
Pluuia in monumentum certitudinis Euangelij est consecrata Ibidem
Plures sunt gratiæ priuatiuæ quàm positiuæ 489
Poculis certare non recens exortum est 89
Pœnitentiæ agendæ uera ratio 812 856
Pœnitentiæ exemplum Ezechias 532
Pœnitentiæ fructus duplex, corporalis & spiritualis 27
Pœnitentia hominum de peccato facit ut Deus agat pœnitentiam de pœna 370
Pœnitentia omnibus necessaria 167
Pœnitentia quibus rebus constet 3
Pœnitentiæ spacia à Deo definiuntur 108
Pœnitentiæ ueri fructus 21
Pœnitentibus semper patet ianua regni cœlestis 930
Politiæ Mosaicæ abrogatio 618
Pontificius concionator quomodo doceat pœnitentiam 856
Pontificij conferuntur cum Israëlitis 288
Pontificis defensores erunt Pontificiæ amplitudinis deuastatores 122
Pontificiorum doctrina de Christo corrupta 633
Pontificij doctores faciunt ex Deo infantem aut pusionem 782
Pontificij doctores faciunt ex Deo sæuum iudicem & respectorem personarum 782
Pontificiorum doctores honorem filio Dei debitum transferunt ad opera quæ ipsi facienda præscribunt 783
Pontificiorum & Babyloniorum collatio 205
Pontifices & satellites eorum raptores sunt facultatum Ecclesiæ, & relinquunt Ecclesiam nudam & egenam 842
Pontificij & socij eorum conferuntur Damascenis 250
Pontificij, hæretici, monachi &c. non colunt uerum Deum 255
Pontificiorum hypocrisis 382
Pontifices num sint Apostolorum successores 919
Pontifices præscribunt Deo quantum debeat mercedis persoluere pro singulis operibus 783

Pontifex Romanus & socij eius sunt hostes Dei 258
Pontifici subiecti alligant Deum aurea catena sicut Tyrij 298
Populus Dei non extingui potest 127
Populorum diuersorum in religione uera coniunctio 279
Portæ Hierusalem seu Ecclesiæ quare semper pateant 942
Portæ inferni 518
Potentiæ abusus ad arrogantiam 173
Potentia quam Christus confert Ecclesiæ 1070
Prædator uelox 124
Prædatores uicißim prædæ sunt alijs 431 434
Prædestinati qui sint 480
Prædicationis efficatia 859
Prædicatio Euangelij conuiuium est 324
Prædicationis Euangelij initium ubi 142
Præfecti fidelis imago 295
Præfecti plerunq; solent esse Tyranni 290
Preces cur sæpe non exaudiantur 911
Precum exauditio promittitur benefactoribus pauperum 903
Preces pœnitentium non exaudiuntur 912
Preces impœnitentium quales 911
Precum publicarum usus uerus 17
Preces quare exigantur 452
Preces piorum Deum ab inferendo supplicio retinent 874
Precum piarum Ecclesiæ quomodo participes fiamus 1018
Principes defensores pontificis sunt eius deuoratores 188
Principatum diuinitus dari 801
Principes & potentes urbes, nutritores & defensores sunt Ecclesiæ 737
Principes huius seculi sunt Leuiathan & Dracones 346
Principum officium 251
Princeps pacis Epitheton Christi 154
Primi præcepti explicatio 643
Proficisci Hierusalem qui uere dicantur 938 990 992
Promissa bona corporalia etiam indignis et incredulis contingunt 705
Promißio Christi nasciturí de uirgine 113
Promissa bona in Christo nulli sine fide cõtingunt 705
Promißio conseruationis regni Iuda usq; ad Christum 705 112
Promißiones corporales & spirituales 1012
Promißiones de compensatione operum caritatis 903
Promißio de conseruatione ministerij Euangelici in Ecclesia 708 930 987
Promißio de cõseruandis piorũ facultatib. 989
Promißionum diuinarum certitudo & ueritas 226 405 512 893
Promißio diuinæ curæ & tutelæ erga Ecclesiã
Promißiones diuinæ duplices 705 (731
Promißionum diuersa genera 227
Promißiones deliberatione Ecclesiæ quomodo intelligendæ 731
Promißionum diuinarum præstitarum exempla quid doceant 522
Promißiones diuinæ requirunt fidem 120
Promißionũ Dei ueritatẽ nullius hominũ mẽdacium seu incredulitas irritã facere potest 704
Promißio exauditionis 1054
Promißiones & minæ conditionales 518
Promißionum impletio cur differatur 268
Promißionis impletio quo longius differtur, eo gloriosius compensatur 1023
Promißio regni Canaan 28
Propheciæ absolutæ 510
Propheciæ conditionales 518
Propheticarum concionum interpretatio quare difficilis 873
Propheticarum concionum utilitas 44. 1000
Prophetarum discipuli, filij dicti sunt 108
Propheticorum et Apostolicorum scriptorum perfectio & authoritas x
Prophetarum & concionatorum officiũ 897
Prophetarum merces pro suo officio 878
Prophetæ procuratores seu oratores sunt 3
Prophetæ quare de futuris dicant quasi de præteritis (896 535 758
Prophetæ quare exaggerent uires aduersariorum 257
Prophetæ quas res præcipuè urgeant 28
Prophetæ quibus uerbis utantur in describendo Euangelio & regno Christi 135
Prophetæ suis concionibus universæ Ecclesiæ non tantum suæ ætati seruierunt 754
Prophetæ uidentes dicuntur, & eorum conciones, uisiones 4 289
Prophetæ unde dicantur 4
Prophetica nox in Israël sonuit usq; ad Christum 980
Propiciatio nostra solus Christus 730
Proprietas facultatum 306
Prouidentia Dei 502
Puluerem pedum lingere 739
Purgatorij excogitandi initium 72
Purgatorium piorum 517
Pythones 138 378

Q

Quercus arida 37
Quercus Basan 58
Quærere urbem Hierusalem 992

R

Rabsaces 478

Ratio humana de aduersis seu afflictionib. 800
Redeuntibus ab iniquitate patet receptus ad Christum 928
Redemptor Epitheton Christi 652
Redemptio per Christum gratuita 777
Registrorum et literarum usus necessarius 902
Regna à Deo cõstituuntur & destruuntur 300
Regni Christi beneficijs qui fruantur 35
Regni Christi commendatio 931
Regni Christi cũ mundanis regnis collatio 932
Regnum Christi in Zion 314 364
Regnum Christi perpetuo stabit 317 356
Regnum Christi quale 33 318 364
Regnum Christi quare necessarium 28
in Regno Christi quomodo sint reformata iudicium & iusticia 364
Regni Christi susceptio & dilatatio 45
Regnorum conseruatio 30 168
Regnorum conseruatio debetur Christo & Ecclesiæ 114 206
Regnorum deuastatorum causa 239
Regnorũ duorũ Iudæ & Israëlis cũ duobus regnis piorũ principũ et pontificiorũ collatio
Regna et opes huius mũdi sunt gramẽ 263 (156
Regum & principum officium benefacere Ecclesiæ Christi 740
Reges Ecclesiæ nutritores 737 739
Regum impiorum Israëliticorũ homicidia 913
Regnorum incolumitas & diuturnitas quomodo paretur 308
Regni Israëlitici uastationis causa 252
Regna magna affliguntur ut seruetur & liberetur Ecclesia 615
Regna mundi cedent Christi regnõ 316 336
Regna mundi à Deo cõstituuntur 107.239.943
Regna mundi debent seruire Euangelio 768
Regna mundi ad interitum declinant, manente regno Christi 316 336
Regnorum mundanorum usus 114
Regnorum mundi uanitas 317
Regnorum mutationum causæ 30 696
Regnorũ mutationes non tollunt Ecclesiã 312
Regna nõ habẽt naturales suas περιόδους 696
Regni pontificij deuastandi causa 240
Regnorum ruina propter contemptum uerbi Dei 320
Regionum uera salus 343
Religionis Christianæ ueritas et certitudo 622
non Religio quæuis saluat 61
Reliquiæ à Deo relinquuntur 13 256
Reliquiarũ Israël electio & salus 177.311.1041
Reliquiæ Israëlis colligendæ per Christũ 724
Reliquiæ miseræ & afflictæ Ecclesiæ seruantur 577
Remissionem peccatorum contingere gratis sola fide in Christum 1063
Reprehensio impietatis non est contumelia in homines 15
Resipiscentia uera 69
Resurrectionis Christi fructus 800
Resurrectio mortuorum 842 879
Risus piorum & impiorum 502
Risus piorum in tristicia 698
Roma quando condi cœperit 938
Romanorum disciplina militaris 94
Romanum imperium Leuiathan est 340
Rom. imperij crudelitas summa in Christianos
Romanæ Ecclesiæ magi & arioli 51 (310
Roma propter crudelitatem erga Christianos multis mutationibus ac uastationibus obnoxia est (320

S

Saba 935
Sabbatum cur institutum sit 906 907
Sabbati obseruatio uera 865 908 909 969
Sabbati externa obseruatio quare seueriter præcepta 865
Sabbati obseruatio monumentũ creationis 865
Sabbati obseruatio requirit obedientiam erga uoluntatem Dei (907 908
Sabbatum quomodo à Iudæis obseruetur 907
Sabbati obseruatoribus quæ promittãtur 909
Sacerdotij duo genera iuxta pontificios 967
Sacerdotij Leuitici cum suis cultibus & sacrificijs abrogatio 821
Sacerdotes noui testamenti 967
Sacerdotium noui testamenti 1070
Sacerdotis summi officium in lege 821
Sacerdotis summi Leuitici interceßio quo respexerit 821
Sacra ab hominib. excogitata sunt mẽdacia 885
Sacra cur instituta 377
Sacra Christianorum 17 275 328
Sacrorum Christianorum uerus usus 1062
Sacra hypocritarum quare reijciantur 880
Sacra Iudæorum etiam diuinitus instituta quare æquentur impietatibus gentium 1061
Sacrorũ impiorũ abrogatio cultus Deo gratißemus 478
Sacrorum impiorum finis confusio & infœlicitas (tas 270
Sacra impia non seruant suos cultores 246
Sacramenta cur instituta 377 613 741
Sacramentorum & signorum ratio 279
Sacramentorum distributione applicatur nobis beneficium Christi 806
Sacrificia Christianorum præcipua 328
Sacrificia Leuitica quatenus damnentur à Pro
Sacrificia sine pœnitentia & fide (phetis 632
nihil ualent coram Deo 377
Sacrificiorum usus legitimus 16 553 1062

INDEX.

Sepes uineæ Domini 79
Saluator & salus Epitheta Christi 197
Salus confertur hominibus organo ministerij prædicandi Euangelij 892 894
Salutis consequendæ ratio 812
Salus Ecclesiæ constat fide & expectatione diuini auxilij 261
Salus & iusticia Christi 759
Salutis & iusticiæ Christi certitudo & firmitas 760
Salus nostra accepta ferenda est solo Christo, nullius alterius meritis 997
Salus prædicata ab Apostolis 786
Salus uera in Apostolica Ecclesia tantum inuenitur 669
Salutis uia à Deo proposita 884
Sanctitatis duplex beneficium credentes in Christum accipiunt 75
Sanctitas maiorum non meretur posteris remissionem peccatorum 633
Sancti 74
Sanctitas unde ueniat 75
Saneheribi exercitus strages & fuga 258
Sanguis uel sanguines quid 18 75 344 443
Sanguis Christianorũ semẽ est Ecclesiæ 449. 955
Sapientes huius mundi reijciuntur 389
Sapientia humana compescenda est uerbo Domini 804
Sapientia humana subijcienda est diuinæ 271
Sapientiæ humanæ uanitas 272
Sapientia quam Christus confert in Ecclesiam 1070
Sapientum paucitas in regno Christi 446
Sacra fossa fontis 754
Satanæ casus & peccatum 220
Satan indignus est qui cum disputemus 488
Satã inuertit in hoc seculo propter peccatũ hominis ordinationes et promissiones Dei 973
Satan Leuiathan est & Draco spiritualis 346
Satanæ odium aduersus Ecclesiam Dei 104
Satanæ potentia 140
Satanæ tentationes 438 483
Saturi sunt hypocritæ 448
Scandalum paucitatis piorum 825
Sceptrum exactoris 147
Scholæ publicæ in Hierusalem 52
Scholæ Christianorum Ibidem
Scriptorum duo genera 1
Scriptorum Propheticorum & Apostolicorum authoritas Ibidem
Sebna arrogans & insolens 294
Securitas Ecclesiæ 845
Securitas impiorum 860
Securitatis supplicium 85
Sedere in puluere 694
Semen Abrahæ, posteritas Abrahẽ 567
Semen Christi 813
Semper Augusti 155
Sepulturæ inhonestas seu uiolatio est maledictio 223
Seraphim in uisione Esaiæ Apostolos significant 96
Seruatores fiunt oppressores 178
Seruus dominorum est Christus 716
Seruitus pijs est sanctificata per Christi seruitutem in uiam ad dominationem 796
Seruus quid significet 567
Seruire urbi Hierusalem 943
Seueritas Dei erga peccata 181 211
Seueritatis diuinæ exemplũ aduersus blasphemiam nominis diuini 506
Seueritas quando laudetur 172
Signum militare seu uexillum Christus 194
Sibyllæ oracula de Christo 620
Siloa fons 125
Singula membra Ecclesiæ à Deo curantur 741
Sitientes qui sint 848
Sophistæ scholastici 780
Spectra 140
Spernere Deum 9
Spes 817
Spes & expectatio diuini auxilij non impedit opera nostræ uocationis 402
Spes quare non iustificet 817
Spiritus afflictus & contritus 1059
Spiritus consilij & fortitudinis, scientiæ & timoris Domini 185
Spiritum in naribus habere 62
Spiritus labiorum Christi 188
Spirituum responsa fugienda 140
Spoliator festinus 124
Stellarum usus theologicus 556
Sterilitatis et paucitatis piorũ offendiculũ 825
Στοργὴ matrum erga liberos suos 735
Studia politica magis curantur q̃ Christiana 52
Studium impium auri, argenti &c. 53
Stultus quis dicatur 421
Subditorum obedientia donum Dei est 484
Summum ius summa iniuria 902
Superbia author magnorum peccatorum 245
Suppliciorum & afflictionum ratio 12 162 170 182. quære supra afflictionum ratio.
Supplicia aliorũ uocãt nos ad pœnitentiã 167
Surdi audientes 389
Symbolum Apostolicum Epitome est uocis Propheticæ & Apostolicæ 988

T

Tabeel 103
Talionis lex 430
Tarrakarex Aethiopiæ 265
Templum Domini uerum & spirituale, est

Ecclesia 1057
Templi Domini uera extructio 944
Templum externum cum suis externis sacris reijcitur 1058
Tempora, quibus filius Dei concionatus est Euangelion suum sæliciſsima 785
Tentatio Dei 116
Tentationis diuinæ causa in pijs 530
Tentationes mortis & inferni quomodo excipiendæ 520
Tentationes piorum in afflictionibus & defertione Ecclesiæ 734
Terra scabellum pedum Dei 1056
Testimonium & lex pro Euangelio 135
Thanim magnus draco in mari 346
Timor Dei docetur similitudine luti 387
Tophet 411
Traditiones humanæ 384
Traditiones humanæ nihil gratis, sed pro pecunia pollicentur 849
Traditionum humanarum pernicies 778
Traditionum humanarum pœna 385
Traditiones humanæ sunt mendacia & obliuio timoris Domini 805
Traditionum humanarum doctores faciunt ex Deo respectorem personarum, sæuum iudicem, infantem & mercatorem 528
Traditionum humanarum doctores transferunt honorem filio Dei debitum ad opera quæ ipsi facienda præscribunt Ibidem
Traditiones humanæ nihil certi possunt uatiçinari de æterna iusticia & fælicitate consequenda 585
Tranquillitas in regno Christi & causa tranquillitatis 189
Tres esse personas diuinitatis 97. 137. 711. 958
Triumphus uel gloriatio ante uictoriam quando non reprehendatur 217
Truncus Isai 185
Turris 59
Tutelæ diuinæ promissio erga Ecclesiam 731
Tyrannis definiuntur certi termini, ultra quos sua ferocia progredi non possunt 767
Tyrannorum et filij Dei potentiæ collatio 766
Tyranni ne nos exterreant quid faciendum Ib.
Tyrannorum posteritas interit 224
Tyrannorum potentia & corda sunt in manu filij Dei 767
Tyriorum peccata 301
Tyri restitutio & instauratio 304
Tyriorũ seruorum crudelitas in dominos 297
Tyri urbis descriptio 296

V

Vanitas idolorum Babyloniorum 551
Vaticinia Ecclesiæ Dei esse certissima 583
Vaticinia impiorum uatum 580 618
Vendi sub peccatum & mortem 777
Ventriloqui 875
Verbi Dei authoritas, dignitas &c. 8
Verbi Dei certitudo & firmitas 762
Verbi Dei contemptus maximum peccatũ 746
Verbi Dei diuulgatio in gentes 578
Verbum Dei gladius Christi 459
Verbum Domini manet in æternum 544 768
Verbi Dei obedientia summa est sapientia 794
Verbi externi dignitas 8
Veritatis diuinæ exemplum 507
Vestimentum Dei 96
Victoriæ abusum quid sequatur 273
Videntes, id est, Prophetæ 4 289
Vincula legis 962
Vincti seu carceribus inclusi 961
Vinea Dei 72 79
Virga humeri 847
Virga oris Christi 288
Virtutum Christi enumeratio 589
Virtutes Theologicæ fides, spes, caritas 864
Visiones 4 289
Vitæ longitudo in morbis quomodo à Deo petenda 513
Vltionis dies 963
Vocationis authoritas quare commemoretur à Christo, Prophetis & Apostolis 719
ex Vocatione ambulantes in periculis à Deo conseruantur 718
Vocationem diuersarum opera diuersa 28
Vocatio Dei, qua uocat peccatores, manet certissima 976
Vocationes legitimæ per Euangelion non abolentur 46
Vocem solius Christi audiendam 752
Voluntatem Dei facere 899
Voluntatem Dei facere est Sabbatum obseruare 908
Voluntate diuinæ non resistendum 665
Vrbes potentes nutrices Ecclesiæ Dei 737
Vrbium incolumitas & diuturnitas quomodo paretur 306
Vuæ in uinea Domini 80
Vulgi incogitantia in morte piorum 879

Z

Zebaoth 205
Zelus Domini 159
Zelus piorum ad blasphemias & scelera 486
Zionis deserta & solitudines sunt gentes 756
Zionis iusticia & salus 35 980
Zionis redemptor Christus 927
Zionis ruinæ sunt oues perditæ domus Israelis 756
Zoan urbs Aegypti 274

INDICIS FINIS.

NEGLECTA RESTI-TVENDA:

Facie 285. linea 18. poſt uerba (tamen nuſquam aliâs meminit Aedomitarum ſeu Idumæorum) adijce ſequentia (niſi quatenus nomine Aedom comprehendit generaliter omnes hoſtes Eccleſiæ.)

Facie 473. linea 4. ubi legitur (poteſt ex animo gaudere) lege ſic (non poteſt ex animo gaudere.

L439p-H
OCN 14251423

